SPECVLVM
CONFESSARIORVM,
ET POENITENTIVM,

IN QVO MIRA BREVITATE, ET FACILITATE resoluuntur omnes ferè difficultates ad reſtitutionem, & materiam contractuum pertinentes, quæ ſparſim à Doctoribus, tum Theologis, tum in iure peritiſſimis prolixè pertractantur.

AVCTORE R.D. BARTHOLOMÆO A S. FAVSTO,
aliàs Pirro, Siculo, Platienſi, & Monacho Congregationis
B. Mariæ Fulienſis, Ordinis Ciſtertienſis.

OPVS NON SOLVM CONFESSARIIS, ET Pœnitentibus, verum etiam omnibus ſacrarum literarum ſtudioſis, & piè, ac iuſtè viuentibus apprimè vtile, & neceſſarium.

Quibus omnibus acceſſit ſub calce operis libellus de vitio proprietatis, cum duplici annexo Indice, altero diſputationum, altero vero quæſtionum Ampliſſimo.

LVGDVNI,
APVD CLAVDIVM CAYNE,
TYPOGRAPHVM.

M. DC. XXI.
PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuerendiſſ^mo & Illuſtriſſ^mo,

DOMINO D. PETRO DE VILLARS EPHESINO ANTISTITI, ARCHIEPISCOPATVS VIENNENSIS COADIVTORI, ET ſucceſſori deſignato.

QVOD præcipuum verbi incarnati munus (ILLVSTRISSIME PRÆSVL) dum è regalibus ſuis ſedibus ad infimum hocce & terreſtre mortalium domicilium deſcendit, ſacra ſcripturarum monumenta paſſim teſtantur, & vbique intonat Eccleſia; vt nempè fœtidiſſimum peccati monſtrum è cordibus humanis eliminaret, & ſordidiſſimas quas in animabus maculas impreſſerat, pretioſo ſanguinis ſui lauacro dilueret: hoc viri præſertim Apoſtolici, quibus ampliores quàm aliis diſtributiones gratiarum impartitæ ſunt, quique maiora Spiritus ſancti dona ſunt aſſequuti, quotidiè legendo, ſcribendo, & concionando præſtare conantur. Quod vt facilius commodiúſve implere queant, eis vitiorum ſordes & fœdas iniquitatum labes, quas aut per inſcitiam, aut alio quouis modo contrahunt detegere, & palàm in ſcriptis tanquàm in ſacris, & nitidiſſimis ſpeculis proponere ſatagunt. Hoc author huius ſpeculi è candidato Fullientinorum grege quem tibi, familiæque tuæ à primis ſuis in Gallia principiis deuotiſſimum ſcio, in votis habuit, hic ſuarum lucubrationum ſcopus, hic ſuorum finis ſtudiorum, hæc ſumma libri iſtius, qui dum nuper in manus noſtras deueniſſet Brixiæ typis excuſus, permulti viri ſanè docti & literati, quibus legendum, & accuratè euoluendum dederam,

vt hunc mendis quibus per errorem Typographi ſcatebat quamplurimis emendatum, denuò prælo committerem conſuluêre. Prodit iam idem, imò aliud volumen iſtud, idem certè, nec enim quidquam de authoris ſtylo, & mente detractum eſt; Aliud verò, quod erroribus permultis qui per eiuſdem Typographi incuriam paſſim legentibus occurrebant purgatum, & apprimè excultum exeat. At hæſitanti mihi, cui potißimùm hoc quidquid mei eſt operis deuouêrem, tandem ſpeculum iſtud tibi vigilantißimo ſpeculatori dicandum propoſui, tibi inquam, cui animarum ſalus demandata eſt, quique circa gregem maximè nullis parcis vigiliis, nullis impenſis, nullis ſtudiis, vt eas ad ſummi Paſtoris ouile mundas, & ab omni macularum colluuie puras reducas; tibi inquam in Viennenſi Allobrogum & Francogallorum Archiepiſcopatu ſucceſſori deſignato, ei qui hunc hodie ſapientiſſimè moderatur Hieronymo de Villars auunculo tuo, nec immeritò; proprium eſt enim Villario germini, vt ſacris infulis, Regiiſve Præfecturis fulgeat; quod comprobauit Magnus ille Archimandrita Viennenſis Petrus de Villars: & comprobat etiam prædictus ille conſpicuus Archiflamen Hieronymus, qui in clariſſimo Senatuum totius Orbis Sole Pariſienſi, Conſiliarij nomine fidei & integritatis in Reges ac Rempublicam radios toto olim decennio emiſit: comprobant denique præclariſſimi eiuſdem nominis Antiſtites, quorum vnus Mirapicenſi ſapientiſsimè, & alter Agennenſi meritiſſimè Sedibus præfuerunt. Hæc ſunt familiæ tuæ inſignia, hi auitæ pietatis tituli, hæc præclara parentum ſtemmata: quibus vt nomine, ita & Doctrinâ, zelo, pietate, dignitate, & meritis ſucceſsiſti. Accipe itaque, Reuerendiſſime Paſtor, hoc qualecumque meæ erga te gratitudinis munuſculum; hoc ſpeculum ſedulò ſpeculare, in quo meæ arctum in te, tuóſque neceſsitudinis vinculum ſpeculabere; In quo Doctrinam verè piam, animarúmque ſaluti proficuam nanciſci poteris, quâ præditus tanquàm viuum, radians & emicans virtutibus ſpeculum ab omnibus contemplaberis. Vale, Præſul Ampliſsime, diuque fœlix viue. Datum Lugduni xij. Cal. Septemb. Anno à parta ſalute 1621.

Celſitudinis tuæ obſeruantiſſimus,
CLAVDIVS CAYNE, Typographus.

Digitized by Google

ILLVSTRISSmo AC REVERENDISSmo

D. HIERONYMO VIDONI

CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICO MVLTIS TITVLIS MERITISSIMO.

D. Bartholomæus à S. Fausto, Monachus Congregationis B. Mariæ Fulienſis, volens, lubénſque dedicat.

IAMPRIDEM, Præſtantiſſime Heros, tractatum hunc de reſtitutione,& materia contractuum,in Cœnobio intemeratę Virginis Montis Regalis,Pœnitentiarij munus exercens, ex variis Sacrorum Doctorum voluminibus, vt potui (Deo fauente) congeſſeram. Idque eo ſolum conſilio,vt eo minus honori diuino,Pœnitentium vtilitati inſeruirem, quam vt me ipſum ad confeſſionem ſæcularium hominum, qui paſſim ære alieno grauati, perueršè,ne dicam impudenter,ad eam accedunt,expeditiorem redderem: quem tamen minimè audebam in lucem edere, veritus doctiſſimorum hominum iudicium, & cenſuram: vrgebar tamen amicorum hortationibus, ne opus tam vtile, tamque cuiuſuis ſtatus perſonis neceſſarium, (vt ipſi aiebant) diutiùs in terra reconditum maneret. Cùm autem me,neque tot rationibus,neque etiam precibus,amici in ſuam ſententiam poſſent adducere,acceſſit tandem eorum auctoritas, quæ mecum agere obedientiæ iure poterat, & me hærentem,& inter varias deliberandi curas, quaſi fluctuantem, denique pertulit, vt librum hunc prælo traderem excudendum: cuius potiſſimum argumentum fuit, quòd his temporibus, nil poterat animarum Rectoribus, iucundius offerri, quam eos libros edere, qui de rebus ad animarum ſalutem ſpectantibus agant. In ſpem autem veni, fore tibi pergratum, ſi opus hoc (vtcumque illud ſit)Illuſtriſſimæ Dominationi tuæ dicarem, ſicut maiori quam potui excogitare animi reuerentia, illud tibi dedico. Hoc tibi, Humaniſſimè vir, ſeruus quamuis inutilis, & minimus, ſummo iure debebat. Hoc tua merita poſtulabant. Hoc tua morum integritas, vitæ probitas, Officij dignitas exigebant. Et vt reliquas tuæ amplitudinis virtutes præclariſſimas prætermittam: Religionem dico incomparabilem erga Deum, benignitatem, clementiamve erga homines, in omni vitæ actione ſingularem prudentiam, moderationemque animi, erga omnes indicibilem humanitatem, quæ tuæ Amplitudini exiſtimationem, amoremque conciliarunt, vt nullum non Officij genus eidem optimo iure debitum cenſeatur, mirabilem iſtam tuam liberalem, ac prolixam in pauperes, & Re-

Digitized by Google

ligioſi nomini cultores beneficentiam eminere, capútque attollere inter egregias animi tui dotes omnes liberè prædicant. Obſcurat profectò, ac obruit cætera encomia tua, hæc vna laus, vt Sol effuſo ſplendore, ſtellarum lucem offundit. Teſtatur hoc in primis ſacrarum mulierum domus, Succurſus, nuncupata; deinde egregium Carmelitarum diſcalciatorum Cœnobium, quæ ad honorem Dei, animarúmque ſalutem in Cremonæ Vrbe celeberrima patria tua ab imis fundamentis ad ſummum faſtigium maiorum tuorum ſumptibus erexiſti. Præclarè enim dixit D. Chryſoſtomus [a], nihil vos vſque ad ſimilitudinem Dei ſic effert, atque extollat, quemadmodum libera, benefica, & copioſa collatio. Nec minus præclarè Clemens Alexandrinus [b], Dei inquit imago eſt homo benefaciens, & Nazianzenus. [c] Nihil adeò diuinum habet homo, quàm benefacere. Quod ſi nihil eſt hac beneficentia, qua plurimum excellis, amabilius, nihil quod magis alliciat animos ad te diligendum, vel eorum qui te de facie non nouerunt; quid eos facere æquum eſt, quos eximia munificentia complecteris. Hæ me, Optime vir, cauſæ coegerunt, vt præ cæteris offerre tibi hunc qualemcumque primum mearum lucubrationum fœtum, tanquam laborum, & operum primitias auderem: neque quod tenue ſit opus, ideo minus gratum Illuſtriſſimę Dominationi tuę futurum eſſe confido, libri enim non ex magnitudine voluminis, ſed ex incenſo gratificandi animo penſantur. Accipe igitur, Clariſſime vir, ſerena fronte, ſolitáque humanitate munuſculum hoc tibi multis nominibus debitum, & tanquam ſingularis meæ erga te obſeruantiæ firmum, atque perpetuum teſtimonium, & ſi exiguum, magna tamen animi propenſione oblatum. Quod quidem ſi voluntatis exæquaret ſtudium, tuæ proculdubio reſponderet Amplitudini, veruntamen ſuppleat quod muneri deeſt, & tua ingens benignitas, erga eos qui ſe, ſuáque ſtudia communi Eccleſiæ emolumento vouerunt, & peculiaris illa humanitas, qua eos qui ſe totos per ſolemnem profeſſionem diuino cultui addixerunt, proſequutus es. Quod ſi benignè ſuſceperis, non erit quod hominum iudicia, quibus expoſitus eſt, ſempérque fuit hic ſcriptorum labor, pertimeſcam, ſed erit potius, quod mihi ipſi gratuler, quod te patrono, tuíque nominis ſplendore commendatum opus in lucem prodire, atque in omnium oculis, manibúſque verſari ſecurè, audactérque poſſit. Interim res tuas ita Deus fortunet, vt ad maiores dignitates euectus, maiora quoque à me, à te protegente expectare valeas. Datum in Monaſterio S. Ioan. Baptiſtæ, terræ Florentiolæ, Anno à Chriſto nato 1620. Die verò 22. menſis Iulij.

a Ho. 16. in Matt.
b Lib. 2. ſtrom.
c Orat. 16.

EIVSDEM

Digitized by Google

EIVSDEM AVCTORIS IN LAVDES, ET ENCOMIA ILLVSTRISSIMI, AC Reuerendiſſimi D. HIERONYMI VIDONI, Cameræ Apoſtolicæ Clerici, multis rationibus ornatiſſimi.

STEMMA.

PALMITE ſtemma tuum fingit redimita columna,
Et ſimul vua rubens purpurat in lapide.
Quæ tandem ex iſta vindemia vite legetur,
Vlmus cui pela eſt, purpura picta color?
Auguror exprimitur quo murice pilea tingas,
Aeternúmque gerat firma columna decus.

Ad eundem. Aliud.

VItibus incluſum cerno, nixúmque columna,
Antiqui generis nobile ſtemma tui.
Securus veri vates myſteria pando,
Verus Mecænas hic rediuiuus adeſt.
Vua notat facilem, largum, vultúque, manúque:
Conſtantem dominum fixa columna facit.

IN

SPECVLVM CONFESSARIORVM.

HEXASTICHON.

QVo lapſus vitet curſor, quærátque leuamen,
Quóque redux ſapiat, naſcitur iſte liber.
Iuſtitiæ innitens totus, iuríque, Deóque,
Expellit Venerem, Iurgia, Furta, Dolos.
Paſtorem, & populum meditantem excelſa iuuabit;
Hoc aberit macies, hoc Speculóque ſqualor.

I. SERAVD.

Digitized by Google

PER ILLVSTRIS. D. HIERONYMI Gherardi à Monte Bodio terræ Florentiolæ Prælatis, in laudes,& encomia libri,& eius Auctoris.

EPIGRAMMA.

INnumeras ſpeculi facies variata figuras
Vt referat propriis vultibus vna caret;
Nunc geſtit, riguis ſparget mox fluctibus ora,
Spemque, metumque inter prælia, fœdus init.
Qua modo munificæ decorabant munera dextræ
Fœdat ab hoſtili præda petita manu.
Virtuti ſeruare fidem tibi contigit vni,
Cui faciem pietas, faſque, pudorque notant;
Aſtræa antiquæ per te diſpendia formæ
Tentat in amiſſum ſic reparare decus.

Ad eundem. Aliud.

QVis proprio poterat maculas expungere vultu,
Quas nequit illius cernere luminibus,
Vitrea ſtagnanti nubens ni marmora plumbo
Ars, noua naturæ lumina ſufficeret?
Nec caliganti poterat vix lumine, noſtra
Mens ſordeſcentes cernere cæca notas.
Alba repercuſſas ſi non tranſmitteret, vſque
Ceu ſpeculum nigris pagina clara notis.
Pagina naturæ tenues, quæ perficit orſus,
Humanis præbens lumina luminibus.

Ad eundem. Aliud.

VTilis eſt breuitas, ſi clara, at inutilis atra,
Vtilis hæc igitur pagina clara breuis.
Nam veluti ſpeculo claret ſpectantis imago
Protinus apparens abſque labore ſuo.
Sic quæ, Lector, aues cognoſcere cúmque, repente
Hoc ſpeculo clarent abſque labore tuo.
Hic Petri labor eſt, qui, dum breuis eſſe laborat,
Æquali obſcurus eſſe labore cauet.

PERIL

Digitized by Google

PERILLVSTRIS. AC REVEREND. D.
Pirri Gherardi Canonici Eccleſiæ Cathedralis
Parmenſis de libri Excellentia.

EPIGRAMMA.

FOElix diuinæ cui facta potentia mentis,
Nouit, & æterni condita iura Poli.
Contemptaque audax ſcrutatus ſydera terræ
Aſpectu viſit iam propiore Deum
Quid ſupereſt? niſi cæleſtes modo veſtiat annos
Mortalis fragili, qui latuit ſpolio.

Aliud.

DVm labyrintheis ſinuoſos flexibus orbes
Et cæcum recto tramite ducis iter.
Lucida nutantem firmant veſtigia greſſum
Filaque non dubiam dant tibi certa viam.

Aliud.

DIſſicit obductas tetra caligine mentes,
Soluit & incertos præuia lux animos.
In leges natura nouas ſe vertit, & ater
De nigro lucem ſemine ſulcus habet.

Aliud.

NVlla æui rabies, ſæcli, aut ſpatioſa vetuſtas
Inuoluat cæcis inclita ſcripta notis.
Sed protracta tuo laudentur nomine ſaxa
Longaque ſudatum ſæcula viuat opus.

Aliud.

SVblimi te Pirre, leuás ſuper aſtra volatu:
Et tua terrenis ſubtrahis ora plagis.
Hinc reſeras quæcunque horrent caligine, noſtro
Lumina vidiſti lucidiora die.

Aliud.

AVrea velificent faciles ad ſydera puppes.
Et liquidæ exuperent vitrea ſtagna plagæ
Ventoſo vaga ſaxa ſalo, ſcopuloſque natantes
Hic domat, & cæci falſa pericla freti.
Pande tumeſcenti glomeratum fronte volumen,
Hæc debellato Carbaſa tuta mari.

Digitized by Google

MAG. AC R. ANTONII FRANCISCI Granelli Præbendarij Eccleſiæ S. Florentij, in terra Florentiolæ, in laudes Auctoris.

EPIGRAMMA.

Quanta ab ſpeculo redit hinc tibi gloria Pyrrhe,
Doctrinæ ſpecies, quæ micat inde tuæ?
Hanc ſi quis carpens forſan ſubducere tentet,
Quando vnquam tollet tanta piacla reus?
Scilicet hoc vnum, rapti tibi nomen honoris,
Non bene tradideris, ne malè reſtitui.

Ad eundem. Aliud.

QVam rutilat ſpeculum vibranti lumine Pyrrhi:
Quos iacit hinc radios, quas iacit inde faces?
Hoc hominis, malè parta, ſuis benè reddere mandat,
Proſcribit fures, fœdera Sancta iubet.
At quis tam claro ſplendeſcens lumine ſpeclum
Vſurpans oculis, temperet inde manus?
Crede mihi hoc vnum furtum cenſebit honeſtum
Quiſque, & reſtitui lumina tanta, malè.
Sors tua mira? aliis dum non ſua reddere mandas.
In furtum en illos allicis ipſe tui.

PERILLVSTRI D. ALEXANDRI PINCHOLINI I. V. D. Parmenſis in laudem Auctoris, & libri.

EPIGRAMMA.

QVàm malè ſubductis opibus cumulantur auari,
Tam bella gabas fœnoris arte parant.
Dum rapiunt cupiài, pariter rapiuntur in Orcum,
Etſi aliena tenent, Dæmones inde ligant.
Huc properate omnes manibus poſt terga reuincti,
Tortoque implicitos ſoluite, fune, pedes.
En liber hic omnes nexus, & vincula ſoluit,
Reddere diſce aliis, reſtituere tibi.
Inducit ſpeculo nigram leuis halitus vmbram,
Spiritus infuſcat lumina pura recens,
Lux huius ſplendet quanto præſtantius Orbi,
Quæ tenebras arcet, quæ ſine face micat?
Hanc quiſquis cernit lachrymis ſuſpiria miſcet:
Dumque abit in lachrymas, hoc magis inde nitet.

Ad

Ad eundem. Aliud.

Diripuit quondam, vaſtator Pyrrhus agrorum
Regna, vllum furtis lætus ab eſſe modum.
Iam nouus exoritur, qui raptim ſublata, redire
Ad dominos, Pyrrhus imperet arte noua.
Haud eſt vana fides: quæ quondam perdidit ille,
Quam bene reſtitui, præcipit iſte nouus.

PERILLVSTRIS D. HIERONYMI Bagaroti Cremonenſis, in laudes, & encomia libri.

EPIGRAMMA.

Hvnc erraſſe pudet, furtorum pœnitet illum,
Reſtituique cupit, quæ malè parta ſibi.
Lumina dum ſpeculo mœſtas defigit in iſto,
Horret, & ô facies, quæ mihi fœda? gemit.
Dum reus attonito ſecum ſua crimina pandit,
Quis mihi reſtituet, quæ perière, genas?
Siſte, per hoc ſpeculum reddetur rapta figura:
Hoc mage quo aſpicias, ſuſpiciêre magis.

Alluſio ad Patriam, & cognomen Auctoris.

VElleris aurati cecinit generoſa propago
Clara trophæa nouo, quæ tulit Argo gradu.
Argo prima nouæ cedat: nouus appulit oras
Nauta nouas, primis nobiliora tulit.
Per mare Scylla furit Siculum, totumque Charybdis
Obſidet, & nautis nulla relicta fuga eſt.
Vnus adeſt, Siculus: Siculum mare nauta vagatur
Qui doceat tutis credere vela notis.
In pelago eſt animæ ratio, quemcunque Charybdis,
Et Scopuli Scyllæ, tranſiliiſſe manent.
Dux adſit Pyrrus, Pyrro Duce vorticis vndas
Per Siculi nullus tutius ire poteſt.

Approba

Approbatio Doctorum.

OPus hoc inſcriptum *Speculum Confeſſariorum, & Pœnitentium*, Ego infraſcriptus fidem facio, me perlegiſſe, & nihil animaduertiſſe fidei Catholicæ contrarium, quinimo dignum cenſeo, vt in lucem edatur. Cremonæ die 27. Aprilis 1619.

Ego Benedictus Creſcentinus Canonicus Theologus Eccleſiæ Cathedralis Cremonæ, & Conſultor S. Officij.

EGo Domnus Petrus Antonius Theologus Congregationis Clericorum Regularium librum hunc qui *Speculum Confeſſariorum, & Pœnitentium* inſcribitur à R.D. Bartholomæo à Sancto Fauſto, alias Pirro congeſtum, perlegi, in eoque nihil contra fidem, aut bonos mores contineri affirmo, imo maxima cum eruditione præclaram redolet eloquentiam, ac præcellenti doctrina refulget, opus planè dignum, vt omnium beneficio typis demandetur. In quorum fidem me ſuſcripſi. Cremonæ die 10. April. 1619.

Ego D. Petrus Antonius præfatus.

EX mandato Admodum R.P. Inquiſitoris *Speculum Confeſſariorum, & Pœnitentium* R. D. Bartholomæi à Sancto Fauſto alias Pirro ſtudiosè recognoui: nec in eo quicquam inueni ab orthodoxa fide, aut morum Regula diſſentaneum, ac non ſolum approbatione, ſed præcipua commendatione multis nominibus digniſſimum duxi. Quare ad commune rei Theologicæ, adeoque Reipublicæ Chriſtianæ bonum pertinere cenſeo, vt typis mandetur. In quorum fidem me ſuſcripſi. Dat. Cremonæ die 20. Aprilis 1619.

Ego D. Thomas Gallus, Clericus Regularis S. Pauli decollati, & Præpoſitus S. Vincentij.

Facultas Admodum R. Patris Superioris Generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis.

NOs Frater Sancius à S. Catharina Superior Generalis facultatem facimus vt *Speculum Confeſſariorum* à D. Bartholomæo à S. Fauſto noſtræ Congregationis Monacho compoſitum, & Theologorum iudicio examinatum, & approbatum in lucem edatur, ſi Admodum R. Patri Inquiſitori Cremonæ placuerit. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus in Monaſterio S. Ioan. Baptiſtæ, Florentiolæ, die 26. menſis Aprilis 1619.

F. Sancius à S. Catharina Superior Generalis præfatus.

Facultas Admodum R. Patris Inquiſitoris Ciuitatis Cremonæ.

Die 29. menſis Aprilis 1619 *. Imprimatur.*

F. Hieronymus Vic. S. officij Cremonæ, de mandato.

VT Typis eſt in Galliis demandatum iſtud *Speculum Confeſſariorum, & Pœnitentium*: idque à CLAVDIO CAYNE Typographo Lugdunenſi, dignum luce cenſeo, & iudico: quippe quod nihil Orthodoxæ fidei aduerſum dicat, aut habeat. Actum Lugduni 22. Februarij 1621.

FR. ROBERTVS BERTHELOT Epiſcopus Damaſci.

PERMISSIO.

HVnc eundem librum Typis mandari, & ab eodem CLAVDIO CAYNE diuendi, ſi per Prætorem liceat, ego Procurator Regius non diſſentio. Datum Lugd. 5. Mart. 1621.

DEPOMEY.

VT Typis mandetur concedimus, & aliis Typographis, ne Typis excudatur, ſine prædicti CLAVDII CAYNE permiſſu, Interdicimus. Lugd. 5. Mart. 1621.

SEVE.

CATA

CATALOGVS DOCTORVM,

OMNIVM, QVORVM TESTIMONIO AVCTOR INNITITVR ORDINE Alphabetico diſtinctus.

A

Ambroſius Sanctus.
Auguſtinus Sanctus.
Anſelmus Sanctus.
Antoninus Sanctus.
Athanaſius Sanctus.
Adrianus Papa.
Albertus Magnus.
Abulenſis.
Alexander Alenſis.
Aegidius Romanus.
Alphonſus Toſtatus.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Viualdus.
Alphonſus à vera cruce.
Almaynus.
Ambroſius Catharinus.
Angelica ſumma.
Armillę ſumma.
Aſtenſis ſumma.
Abbas Panormitanus.
Archidiaconus.
Andreas Siculus.
Antonius Corſetus Siculus.
Accurſius,
Ananias.
Auguſtinus de Anchona.
Antonius Cuchus.
Antonius de Butrio.
Antonius Gomeſius.
Alexander de Neuo.
Alexander de Imola.
Alciatus.
Andreas Tiraquellus.
Albericus.
Ariſtoteles.
Auicenna.
Auerroes.

B

Baſilius Sanctus,
Bernardus Sanctus.
Bonauentura Sanctus.
Bernardinus Sanctus.
Beda venerabilis.
Bonifacius Papa VIII.
Bellarminus Card.
Baronius Card.
Boetius.
Bartholus.
Baldus.
Bellamera.
Barbatius.
Bartholom. Hugolinus,
Barth. à Medina.
Barth. Gomeſius.
Barth. Ledeſmius.
Benedictus Pererius.
Bannes.

C

Chryſoſtomus Sanctus.
Cyprianus Sanctus.
Cyrillus Alexand. Sanctus.
Cyrillus Hieroſolymitan.
Clemens Alexandrinus.
Cornelius Ianſenius.
Caietanus Card.
Capreolus.
Couarruuias.
Conradus.
Calderinus.
Coſmus Philiarchus.
Corduba.
Concilium Romanum.
Concilium Conſtantienſe.
Concil. Epheſinum.
Conc. Antiochenum.
Conc. Carthaginenſe.
Concilium Toletanum.
Conc. Lateranenſe.
Conc. Calcedonenſe.
Conc. Tridentinum.

D

Damaſcenus Sanctus.
Dionyſius Areopagita Sanctus.
Damaſus Papa.
Dionyſius Carthuſianus.
Diodorus Siculus.
Directorium Inquiſitorum.
Decius.
Dominicus.
Durandus.
Diogenes.

E

Epiphanius Sanctus.
Euthimius.
Euſebius Emiſſenus.
Euſebius Cæſarienſis.
Emanuel Roderiquez.
Emanuel Sà.

F

Felinus.
Franciſcus Curtius.
Federicus.
Franciſcus Toletus Card.
Franciſcus à victoria.
Franciſcus Pegna.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Maior.
Fulgentius.

G

Gregorius Magnus Sanctus.
Greg. Nazianzenus Sanctus.
Gregorius Nicenus.
Gregorius Turonenſis.
Gratianus.
Guglielmus Speculator.
Gerſon.
Guglielmus Altiſiodorẽſis.
Gutierez.
Gregorius Lopez.
Gabriel Biel.
Gabriel Paleotus.
Gregorius Sayrus.
Gabriel Vaſquez.
Gregorius de Valentia.
Galenus.

H

Hieronymus Sanctus.
Hugo de S. Victore.
Hugo Cardinalis.
Honorius Papa.
Hoſtienſis.
Henricus Gandauenſis.

Henricus

Digitized by Google

Henricus Henriquez.
Hieronymus a Sorbo.
Hyppolitus.

I

ISidorus Sanctus.
Innocentius Papa.
Iaſon.
Ioannes Bachonus.
Ioannes de Anania.
Ioannes de Imola.
Ioannes Maior.
Ioannes de lignano.
Iulius Clarus.
Ioannes de Medina.
Ioſephus Angles.
Iacobus de Graffiis.
Ioannes Azorius.
Ioannes Salas.
Ignatius Lopez.

L

LEo Papa.
Lyranus.
Lactantius Firmianus.
Ludouicus Molina.
Ludouicus Lopez.
Leſſius.
Ludouicus Carbo.

M

MArſilius.
Martinus Ledeſmius.
Marianus.
Maiolus.
Maldonatus.
Mercatus.
Margarita Confeſſorum.
Melchior Canus.
Monaldi Summa.
Michael de Palatio.
Martinus Nauarrus.
Michael Salon.
Michael Medina.
Michael Vaſquez.
Marcus Tullius.

N

NIcolaus de Lyra.
Nicolaus de Cuſa.
Nicolaus Boeries.

O

OKam.
Oecumenius.
Origenes.
Ouidius.

P

PAulus Apoſtolus.
Pius Quintus.
Petrus Lombardus.
Petrus Paludanus.
Petrus de Palude.
Petrus Chryſologus.
Petrus à Soto.
Petrus de Caſtro.
Petrus Damianus.
Petrus de Ledeſma.
Petrus Rebuffus.
Petrus Areolus.
Philippus Francus.
Petrus de Aragona.
Picus Mirandulanus.
Piranellæ Summa.
Petrus Nauarr.
Palacios.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Porphirius.

R

RVbertus Abbas.
Richar. de S. Victore.
Richardus de media villa.
Raimundus.
Roſellæ Summa.
Rebellus.
Reginaldus.

S

SCotus Doctor ſubtilis.
Sotus.
Socinus.
Salicetus.
Simanca.
Stephanus Quaranta.
Summa Confeſſorum.
Syluestrina ſumma.
Supplementum Gabrielis,
Sebaſtianus Medices.
Sanchez.
Stephanus Coſta.
Socrates.

T

THeophilactus Sanctus.
Th. Aqui. Doctor. Ang.
Thomas de Argentina.
Thomas Cantipratenſis.
Tertullianus.
Turrecremata Card.
Toleti ſumma.
Tabienę ſumma.

V

VIguerius.
Vega.
Virgilius,
Valerius Maximus.

Z

ZAbarella Cardinalis.
Zenzelinus.

INDEX

INDEX
DISPVTATIONVM
TOTIVS OPERIS,

SPECVLVM CONFESSARIORVM, ET POENITENTIVM CONTINET

triginta tres diſputationes, & bis mille, & quingentas quæſtiones.

PRima diſputatio tractat de Dominio. pag. 3
2 De furto. 41
3 De præſcriptione. 76
4 De reſtitutione in genere. 87
5 De contractibus in genere. 222
6 De emptione, & venditione. 246
7 De ſocietate. 312
8 De depoſito. 327
9 De commodato. 333
10 De locato, & conducto. 340
11 De emphyteuſi. 360
12 De fideiuſſione. 372
13 De pignore. 378
14 De aſſecuratione. 386
15 De precario. 394
16 De vſuris. 396
17 De Monte pietatis. 471
18 De cenſibus. 474
19 De cambiis. 504
20 De donationibus, & promiſſionibus. 523
21 De reſtitutione famæ. 562
22 De reſtitutione honoris. 606
23 De reſtitutione facienda ratione adulterij. 614
24 De reſtitutione facienda ratione ſtupri. 626
25 De reſtitutione facienda ratione bonorum corporalium. 636
26 De reſtitutione facienda ratione bonorum ſpiritualium. 650
27 De reſtitutione facienda ratione dati, & accepti ob turpem cauſam. 659
28 De reſtitutione facienda ab eo qui iniuſtè impedit aliquem à conſequutione alicuius boni. 681
29 De reſtitutione facienda ratione rerum inuentarum. 700
30 De reſtitutione facienda ab iis qui venantur, piſcantur, & aucupantur iniuſtè. 711
31 De reſtitutione facienda ab iis qui

SPECVLVM

CONFESSARIORVM ET POENITENTIVM,

IN QVO MIRA BREVITATE, ET FACILITATE resoluuntur omnes ferè difficultates, quæ circa restitutionem, & materiam contractuum, sparsim à Doctoribus, tum Theologis, tum in Iure peritissimis, prolixè pertractantur.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

SAPIENTISSIMI Solonis sententia est (benignissime Lector) Philosophiam à fine solummodo consecrari: quod liquidè perpendens Princeps Peripatheticorum Aristoteles in 2. Physicorum, vanum asseuerauit vnumquodque, quod suum non attingit finem. Quocirca etiam in 5. Metaph. inquit, finem optimum esse vnaquaque in re, quia rei esse confert. Ideò super 2. Metaphys. commento octauo, Auerroes ait, qui destruit finem, destruit omne bonum. Cùm humanæ ergo creaturæ finis vltimus, superna sit fælicitas, vt D. Pater August. 22. de Ciuit. Dei cap. 30. inquit, finis noster est peruenire ad illud Regnum, cuius nullus est finis: ad quod profectò nullus sibi suadeat posse peruenire, nisi primò medium, quo illuc peruenitur, summo cum studio voluerit amplecti. Hoc autem medium, quo noster hic acquiritur finis, sua in effabili clementia, Dominus, ac Redemptor noster dignatus est propalare: percunctanti enim adolescentulo, quomodo finem suum adipisci valeret, dixit, si vis finem tuum habere, hoc est vitam ingredi æternam, serua mandata. Super quibus verbis, D. Hieron. clarè comperiens solum hoc esse medium, quo illuc itur, asserit vita æterna non nisi per diuinorum præceptorum obseruationem acquiritur. Idcirco (candide Lector) cùm summoperè afficiar, quatenus ad finem nostrum perueniamus, ne à superno Patre frustra simus procreati, finem videlicet nostrum non attingendo,

præsenti opere de hoc medio, scilicet, de præcepto restitutionis, (sine qua, in re, vel in voto, nullus ære alieno grauatus potest ad Regnum Cælorum peruenire) quatenus Dominus, à quo est omne donum optimum, donare dignabitur, pertractabo. Verùm vt incœptum opus prosperos successus habere possit, primùm implorandum est diuinum auxilium secundum illud Platonis in Thimæo, id est, in minimis etiam quibuscunque rebus, in principio diuinum inuocandum est auxilium. Quod considerans Boëtius lib. 3. de consolat. cap. 17. inquit, inuocandum igitur censeo rerum omnium Patrem, quo prætermisso, nullum ritè fundatur exordium. Ipsum itaque Dominum Iesum omnium bonorum datorem inuoco, vt det mihi Sapientiam de sede magnitudinis suæ, mecumque sit, & mecum laboret, aperiat os meum, & impleat illud spiritu sapientiæ, & intellectus, vt quod scripsero coram ipso acceptum sit omni tempore. Quia verò Deipara Maria Virgo, vt sancta Mater Ecclesia decantat, mater est gratiarum, & misericordiæ, idcirco eius quoque auxilium.

Suppliciter efflagitabo, dicens, adsis principio Maria meo.

DE DOMINIO,

DISPVTATIO PRIMA.

DE hac materia diſputant Theologi in 4.diſt.15.D.Thom. p.p.q. 96.art.1.& 2.& in 2.2.q.66. art.1. & 2. & Illuſtriſſ. Caiet. ibidem. Sotus lib.4.de iuſt.per totum.Ban.2.2.q.62. art.1.& 2.Molina tom.1.de iuſt.tract.2.diſp. 1.& ſeqq. Valent.tom.3. diſp.5.qu.10. Arag. 2.2.q.62.art.1.& 2. Medina C.de reſtit.qu.1. Conrad.tract.1.de contract.Petr Nauar.lib. 3. de reſt. cap.1. Salon.2.2.qu.62. art.1.& 2. Leſſ.lib.2.de iuſt.cap.3.dub.1. & ſeqq.Summiſtæ verò vt Ang. Sylueſt. Tab.Armil. & alij verbo dominium,& verb. poſſeſſio.

1 Et vt ab ætymologia nominis exordiamur,obſeruandum eſt primo quod hoc nomen dominium,apud Ciceronem nõ inuenitur , ſed loco eius vtitur hoc vocabulo, Mancipium, vel nexus,vt patet lib.7. epiſt. ad Atticum. Nihilominus vtuntur hac voce,Dominium, Illuſtres Authores,& Latini ſermonis peritiſſimi.Varro de re ruſtica li. 2. D. Hieron. multis in locis. Et Iuriſconſulti apud quos extant in digeſtis integri tituli de rerũ dominio. Cuius vocis ſignificatio propria,quantum ad præſens negotium ſpectat,eadem eſt, ac rerum proprietas, vt dominium, vel proprietas diſtingui ſolet , à nuda rei poſſeſſione. Et in eadem ſignificatione reperitur etiam in ſacris literis,vt habetur. Tob.8. & 1.Mach.11.

2 Secundo eſt obſeruandum , quod eſt magna differentia inter dominium, dominatum, & dominationem,non quidem , vt finxit Sot.lib.4.quæſt.1.art.1. quia dominatio & dominatus ſemper accipiãtur in malam partem , ſignificéntque potentiam Regiam non legitimam , ſed per tyrannidem partam. Dominium verò ſumatur in bonam,ſignificétque legitimam poſſeſſionem. Quoniam omnes iſtæ voces in bonam , & in malam partem accipi conſueuerunt , vt paſſim eſt videre tam in ſacris literis,quam apud alios authores. Nam Tob.8. ſumitur dominium in bonam , & 2. Machab. 11. in malam. Item dominatus ſumitur quoque aliquando in malum,vt illud Luc.22. Principes gentium dominantur eorum, & Iſai. 14. contriuit Dominus baculum imperiorum,virgam dominatium. Aliquando vero in bonum,iuxta illud Pſal.88. Tu dominaris poteſtati maris,& Iſai.16. Emitte agnũ, domine,dominatorem terræ. Sed differunt ex eo quod dominatio , & dominatus ferè ſemper ſignificant imperium,quo ſuperiores in ſubditis hominibus exercent,ſine illud legitimum ſit,ſiue ſecus. At vero dominium , etſi aliquando ſignificet hoc , vt plurimum tamen ſignificat poſſeſſionem, & facultatem , quam quis habet etiam in rebus,ſenſus, & rationis expertibus. Vnde dicitur aliquis habere dominium fundi, domus,equi,& ſimilium,habere autem dominationem , & dominatum iſtorum non rectè dicitur.

QVÆST. PRIMA.

Quid ſit dominium?

1 REſpondeo quod eſt ius perfectè diponendi de re in ſuum commodum,niſi lege prohibeatur. In qua definitione quatuor ſunt partes. Prima eſt (ius) quæ ponitur loco generis,& eſt idem,quod facultas legitima,& iuridica aliquid faciẽdi,ſiue obtinendi, aut in eo inſiſtendi. ſiue aliquo alio modo ſe habendi,cui ſine cauſa iuſta , abſque iniuria contraueniri nequit. Nam facultas , quam quis habet ad vtendum rebus ſuis , vt ad comedendum proprium cibum , ad induendam propriã veſtem, ad ambulandum in ſuo viridario , & huiuſmodi , eſt ius de quo loquimur , quia iniuria ei fit , ſi abſque legitima cauſa ab executione cuiuſuis eorum prohibeatur.Et eſt duplex , ius in re,& ius ad rem. Ius in re eſt id,quod quis habet in rem propriam, & exiſtentem , vnde ad comparandum ius

in re, non ſatis eſt, rem cuius dominium ſumus comparaturi exiſtere, ſed vlterius requiritur eandem rem eſſe noſtram, id eſt nobis traditam. Ius ad rem eſt id, quod quid habet ex vinculo alicuius obligationis ad aliquam rem, nobis quidē debitam, nondum tamen poſſeſſam vt v.g. inſtitutus hæres poſt mortem teſtatoris antequam adeat hæreditatem, id eſt, illam acceptet, dicitur habere ius ad hæreditatem: dominium ergo eſt ius, non ſolum ad rem, ſed etiam in re.

2 Secunda pars eſt (perfectè diſponendi de re) quæ ponitur ad differentiam vſus, & vſusfructus. Nam dominium eſt ius perfectum, quod quis habet ſupra rem ipſam, ſeu ſubſtantiam rei, ad vtendum ea, eo vſu, quo voluerit, vt deſtruendo eā quoad ſubſtantiam, vel alienando per donationem, vel venditionem, &c. At vero vſus, & vſusfructus eſt ius, quod quis habet non ſupra rem, aut ſubſtantiam rei, ad eam deſtruendam, vel alienandam quoquomodo, ſed ſolum ſupra vſum rei, vel fructum, qui ex re colligitur, ſalua eius ſubſtantia. Dictum eſt de re abſolutè: quia etſi multi ex Iuriſperitis tantùm rerum corporalium velint eſſe dominium, incorporalia verò vt officia, iura, poſſideri quaſi dominio; tamen hæc differentia à Doctoribus paſſim non ſeruatur, dicimur enim paſſim domini reddituū, & ſimilium iurium. Vnde quotidie emuntur, & venduntur etiam chirographa, & actiones perſonales, & ſeruitutes.

3 Tertia pars eſt (ad ſuum commodum) quæ ponitur ad differentiam iurium, quæ habent ſuperiores in inferiores, quæ idcirco non ſunt dominia, quia reſpiciunt non tam vtilitatem propriam, quam ipſorum inferiorum. Rex enim habet ius in ciues, Epiſcopus, & Prælatus in ſuos ſubditos, & pater in filios, & tamen nemo iſtorū rectè dicitur illorum dominus, quia tale ius non ad cōmodum Regis, aut Prælati, aut parentis, ſed ad commodum ſubditorum, & filiorum debet ordinari. Vnde de Prælatis dicitur Lucæ 22. Principes gentium, &c. & 1. Petri 5. non dominantes in clero. Vnde Ariſt. lib. 1. Polit. cap. 3. duplex imperium conſtituit, aliud Regis in ciues, & aliud domini in ſeruos, illud Ciuile, ſeu Regium appellat, hoc deſpoticū, id eſt dominatiuum.

4 Quarta & vltima pars eſt (niſi lege prohibeatur) quæ additur ad ſignificandum dominum per ſe loquendo, liberè poſſe vti vt libuerit, re, cuius eſt dominus, niſi per accidens, hoc eſt aliundè, quam ex natura dominij, ſcilicet ex ſuperioris præcepto, vel lege prohibeatur id facere. Vt pupillus qui prohibetur alienare ſua bona vſque ad certum tempus, cum tamen ſit verus dominus, vt Apoſt. ait ad Galat. 4.

Sed meo iudicio hæc particula (niſi lege prohibeatur) in definitione dominij poſita videtur ſuperflua, nam vſus qui non eſt lege permiſſus, non eſt reuera vſus, ſed abuſus: & facultas ad vſum lege prohibitum, non eſt facultas, quæ debet eſſe legitima, imò nec moraliter loquendo poteſt dici poteſtas, cùm ſecundùm Regulas iuris, id poſſumus, quod iure poſſumus; poſita eſt ergo illa particula explicationis gratia potiùs, quam neceſſitatis, id eſt ad illuſtrandam definitionem, & explicandam magis naturam definiti.

5 Ex qua definitione colligitur primò diſcrimen, quod eſt inter dominium, vſum, & vſumfructum. Nam ius duplex eſſe poteſt, vnum in ſubſtantiam rei, vt poſſit illā conſumere, ſi vſu conſumptibilis ſit, vel ſaltem alienare, vt vendendo, donando, &c. & hoc eſt dominium. Alterum eſt in qualitatem, ſeu accidentia rei, & hoc rurſus eſt duplex: vnum eſt ius vtendi re aliena in propriam tantum vtilitatem, ſalua eius ſubſtantia, & dicitur vſus, vt ſi alicui conceſſus ſit vſus pomarij, poterit quidem ipſe colligere ex eo flores, & fructus pro ſe, & ſua familia, non autem alteri dare, vel vendere. Alterum eſt ius vtendi, & fruendi ſalua ſubſtantia rei, & hoc dicitur vſusfructus; frui enim aliqua re dicitur ille, qui non ſolùm poteſt conſumere fructus in ſuum commodum, ſed etiam donare, vendere, locare, vel gratis dare alteri ius, quod habet in vſufructu.

6 Ex quo fit, vt hæc diuerſimodè definiantur à Doctoribus. Nam vſus eſt ius vtendi re aliena, ſalua eius ſubſtantia.

Vſusfructus eſt ius vtendi, ac fruendi re aliena, ſalua tamen eiuſdem rei ſubſtantia.

At verò dominium eſt ius, ſeu facultas non ſolum vtendi, & fruendi re, ſed etiam conſumendi, & alienandi eiuſdem rei ſubſtantiam. Vnde dominus v.g. domus, non ſolum poteſt eam locare, ſed etiam vendere, & diruere ſi voluerit.

7 Secundo colligitur, vſum, & vſumfructum

Digitized by Google

im propriè loquendo non poſſe cõſtitui
i in rebus immobilibus, quales ſunt do-
is, prædia,&c. & etiam mobilibus, quæ
i ſtatim non conſumuntur, vt ſunt oues,
ues, equi,&c. quoniam in his manifeſtè
tet poſt vſum,& fruitionem rei,remanet
eius ſubſtantiam, & ſic vſus,& vſusfru-
is poſsũt eſſe vnius,& proprietas,& do-
nium alterius, non autem in mobilibus,
æ vſu conſumuntur,vt ſunt vinũ, oleum,
nis,pecunia,quia poſt vſum, in his nihil
manet. Et ratio eſt,quia vſus,& vſusfru-
is ſolũ poſſunt eſſe eius rei, quæ fructi-
ra ſit, ex qua nimirũ poſſunt colligi fru-
is, quibus quis vtitur, vel fruitur,huiuſ-
odi autem non ſunt res vſu conſumptibi-
s,vt pecunia,vinũ,oleum, panis,&c. nam
m vſu conſumantur,nõ poteſt alius fru-
us ex illis percipi, quam ipſe vſus per ſe
quendo. Dixi notanter per ſe loquendo,
iia per accidens, id eſt ratione induſtriæ
imanæ adiunctæ, poteſt ex illis colligi
uctus.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit dominium.

REſpondeo duplex ſcilicet iuriſdi-
ctionis,& proprietatis. Dominium
riſdictionis eſt ius,ſeu poteſtas gubernã-
. ſuos ſubditos. Et eſt duplex, ſeculare,&
eccleſiaſticum. Seculare eſt poteſtas Im-
eratoria, Regia, Ducalis,Comitalis,Mar-
ionalis, & ſimiles, reſpectu regnorum,
rouinciarũ,& oppidorum, quæ ipſis pro-
rio iure in negotiis ſecularibus ſubdũtur.
eccleſiaſticum dominium eſt poteſtas Pa-
alis, Patriarchalis,Epiſcopalis,& aliæ in-
eriores reſpectu ſubditorum, qui ipſis in
piritualibus ſubiiciuntur.

Dominium proprietatis eſt ius diſpo-
endi de re aliqua tanquam ſua in ſuum
ommodum. Et eſt duplex,plenum,& non
lenum: plenum dicitur,quod proprietatẽ
ei,& eius emolumenta continet.Non ple-
um quod tantum habet,vel proprietatem
ei abſque emolumentis, vel emolumenta
bſque rei proprietate.Quod etiam eſt du-
lex,directum,& vtile. Directum continet
olam rei proprietatem, vnde habens hoc
omnium ſolet dici proprietarius. Tale
ominium eſt quod habet dominus rei in
mphyteuſim,vel feudum datæ. Dominium
erò vtile continet ſolam rei commodita-
tem,& vtilitatem. Tale eſt,quod habet qui
rem in feudum, vel emphyteuſim accepit.

QVÆSTIO III.

Vtrum dominium formaliter, & eſſentialiter ſit idem, quod ius?

1 COnrad.tract.1. de contract.quæſt.1. tuetur partem affirmatiuam ex ea ratione,quia quicunque habet ius in re aliqua,poteſt dici dominus eius, ergo dominium & ius ſunt idem.

2 Communis tamen, tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia id negat, & meritò quidẽ, nam vxor habet ius quoddã in virum,vt tradit Apoſtolus 1.Cor.7. filius habet ius,vt à patre alatur, ſubditus vt à Prælato dirigatur,& doceatur, & ſeruus in dominũ,vt ab eo neceſſaria accipiat,& tamen nullus iſtorũ, quantumuis nomen dominij extẽdas,dominus eſt,appellatiuè poteſt,nec vxor viri,nec filius patris,nec ſubditus Prælati, nec ſeruus domini ſui, ergo non omne ius eſt dominium,atque ex conſequenti, dominium non eſt idem eſſentialiter, quod ius.

3 Deinde Prælati ius habent in ſubditos, & Principes Reipublicæ in ciues,& tamen non ſunt domini illorum, ergo non omne ius ſuperioris in inferiorem eſt dominium. Maior propoſitio eſt per ſe nota.Minor verò probatur ex illo teſtimonio Luc.22. vbi Chriſtus loquens de Prælatis inquit. Principes gentium dominantur eorum,&c.vos autem non ſic,& 1.Petr.5. non dominantes in clero.De Principibus autem,& regibus, qui volunt dominari,conqueritur dominus Ezech. 34. quod cum imperio gubernent. Vnde Ariſt. 5. Ethic. c.6. diſtinguit ius dominatiuũ à iure paterno, & coniugali,quia pater poſſidet filium,nõ ſicut dominus ſeruum, ſed tanquam aliquid ſui. Et ideò ius illud non eſt dominicum, dominus autem poſſidet ſeruum tanquã inſtrumentum,quo vtitur,& 1.Pol.c.3.diſtinguens inter ius politicum ſeu Regium, & deſpoticum quod eſt dominicum, dicit animam habere in corpus dominicum principatum, mentem verò in appetitum non niſi ciuile, & Regium, quod non eſt dominicum.

Et confirmatur,dominiũ eſt libera facultas diſponendi de re ſua, ad omnem vſum lege permiſſum,ob ſuam propriam vtilitatem: ſuperiores autem tam Eccleſiaſtici,

quàm ciuiles non poſſunt liberè pro ſuo libito diſponere de ſuis ſubditis, neque ad omnem vſum, neque ad ſuam propriam vtilitatem, imò eorum officium eſt ordinatum ad vtilitatem inferiorum.

Tandem vir eſt ſuperior vxoris, non tamen eſt dominus eius, nec ipſa ancilla viri, ſed ſocia, vt patet Ge.1. Vnde Ariſt. loco ſupra citato dicit ius viri in vxorem, eſſe innominatum, quia non eſt vt domini ad ſeruum, neque vt patris ad filium, neque vt Principis ad ciuem, ſed præſtantius cum ſit vna caro, ſed etiam vt dignioris in eodem regimine domus, & in hoc ſenſu dicitur Gen.3. ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui; quia in regimine domus, vel vt dicit Sot. lib.4.q.1. art.1. quantum ad vſum coniugalem vxor debet parére viro. Vnde 1. Petr. 3. loquens de obedientia vxoris ad virum dicit, ſicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocás, quaſi dicat, ad oſtendendam promptam obedientiam, quam illi habebat, vocabat eum dominum, quod eſt nomen honoris, & obedientiæ, & vt rectè notat Sot. dicitur dominium vrbanum, non autem ciuile.

4 Obiicies, qui rapit filiam patri, vel vxorem viro, furtum committit; ſed furtum non poteſt committi, niſi res inſcio domino furripiatur, ergo pater eſt dominus filiæ, & vir vxoris.

Huic obiectioni reſpondeo 1. cum Soto lib. 4. quæſt.1. art.1. hunc raptum non eſſe propriè furtum, ſed captiuitatem.

Secundò reſpondeo, ad conſtituendam veram, & propriam rationem furti, ſatis eſſe vt aliquid furripiatur inuito eo, qui aliquo modo habet ius in illud, qualecunque ſit illud ius.

QVÆSTIO IV.

Vtrum dominium, & titulus dominij diſtinguantur?

1 GErſon, & alij Doctores Pariſienſes, vt refert Conrad. tract. 1. de contractib. quæſt. 1. concl. 4. tenent non diſtingui; & idem affirmant de vſu, & titulo vſus, & de vſufructu, & titulo vſufructus, ducti eo fundamento, quia exiſtimabant titulum dominij, v. g. domus eſſe ius, ſeu facultatem, quàm habet Dominus in illam, hoc autem ius eſt quoque dominium, ergo.

2 Communis tamen, & vera ſententia eſt titulum dominij ab ipſo dominio diſtingui tanquam cauſam ab effectu. Ratio eſt, quia dominium eſt facultas libera vſurpandi rem aliquam in ſuum commodum. At titulus eſt principium, baſis, radix, & veluti cauſa moralis, & fundamentum, quo naſcitur hoc dominium, ſeu facultas tanquam effectus illius. Vnde dicenti alicui, ſe eſſe Dominum alicuius rei, ſolemus dicere, oſtende titulum, ideſt fundamentum, & baſim huius dominij. Ita Sotus lib.4. quæſt.1.art.1. Molina tom.1.de iuſt.diſt.4. Ban. & Arag. 2. 2. quæſt.62.art. 1.& 2.

3 Poteſt autem hic titulus eſſe duplex, ſcilicet verus, & præſumptus. Verus eſt, quando eſt vera radix, & cauſa, vnde pullulat dominium, vt v.g. emit quis fundum à vero Domino, hic habet verum titulum, quia fuit venditio vera. Præſumptus vero eſt, quando præſumitur vera radix, & cauſa, & tamen reipſa non eſt. Vnde quando quis bona fide emit rem aliquam ab eo, cuius illa non eſt, credens illum eſſe legitimum dominum rei illius, talis namque emptio licet non ſit cauſa ſufficiens ad transferendum dominium, eſto traditio accedat, præſumitur tamen talis, interim dum bona fides adeſt. Qui ergo rem bona fide ita poſſidet, dicitur poſſidere illam cum titulo, non quidem vero, ſed præſumpto.

QVÆSTIO V.

Quot, & quæ conditiones ad dominij acquiſitionem requirantur?

1 REſpondeo duo ſcilicet titulus, & traditio vt habetur in l. traditionibus. C. de pactis & in l. nunquam. ff. de acquiren. rerum dominio, cuius ratio eſt ipſa legum diſpoſitio: nam iure naturæ non eſt neceſſaria traditio, eſt tamen rationi conſona, quia tunc transfertur dominium ab vno in alterum, quando deſinit eſſe ſub poteſtate prioris domini, & tranſit in poteſtatem poſterioris, ſed hoc non eſt quando aliquis ſolum promiſit, vel donauit, aut vendidit, quia adhuc manet ſub poteſtate ſua, ita vt poſſit alteri dare, ita vt datio, & alienatio valeant, licet peccet dando vni, quod promiſit, vel vendidit alteri, vt habe-

tur

ex l.quoties C. de rei vendit.vbi habe-
Si quis rem ſuam vendidiſſet Titio,cui
. tradidit, deinde venderet alteri puta
o,& traderet,tunc Caius,& non Titius
uireret illius rei dominium,licet Titius
eat actionem damni in venditorem.
Excipiunt tamen Doctores ſex caſus,
uibus potiſſimum transfertur rei do-
ium abſque reali traditione.
Primò in beneficiis.
Secundò in vltimis voluntatibus videli-
in teſtamentis,legatis,& in ſucceſſione
nteſtato in bonis defuncti. Nam ſuffi-
mortuo defuncto hæredi adire hæredi-
m,quod ſit eam acceptando,& accep-
onem ſignificando ſigno exteriori, abſ-
alia rei traditione ad acquirendum
dominium.ff. de legatis 2.& ff. de ac-
ren.poſſeſ.
Tertiò quando donatio, vel venditio ſit
itati,Eccleſiæ,aut aliis piis locis,aut in
emptionem captiuorum.l.vlt. C. de ſa-
ſanct.Eccleſ.
Quartò in contractu ſocietatis omnium
iorum per matrimonium.l. in reb.C.de
: &c.
Quintò ſi donaſti,& tradidiſti alteri do-
m, vel aliquid aliud ſub ea lege,vt tibi
nenta præbeat,illo non præbente vt de-
, ſtatim recipis dominium & poſſeſſio-
illius rei,abſque vlla traditione.
Sextò,& vlt. ſi Princeps contrahat cum
uo, vel donet, & intendat transferre
ninium,erit tranſlatum abſque alia tra-
one. Ratio eſt, quia ſicut ex voluntate
cipis eſt, quod requiratur traditio,ita
m ipſius arbitrio poteſt omitti.

QVÆSTIO VI.

um in rebus vſu conſumptibilibus poſſit
ſus à dominio diſtingui,ita vt vſus ſit pe-
es vnum, & dominium penes alterum?

IN hac quæſtione, quæ videtur fuiſſe controuerſa, non ſolum inter Docto-Theologos,&Iuriſprudentes,ſed etiam
r Romanos Pontifices citra definitio-
a tamen fidei, variæ ſunt Doctorum
niones.
Sotus lib.4.q.1.art.1. Ban.2.2.q.62.art.1.
.Molina tom.1.de iuſt.d.6.Bellarm.tom.
ntrouerſ.lib.4.de ſum.Pontif. c.14.Va-
.tom.3.diſt.5.q.10.p.1. Salon.2.2.q.62.art.
2.Nauar.in cap.Non dicatis q. 1. nu.3.

& multi alij tenent in rebus vſu conſumptibilibus diſtingui vſum à dominio, & ſic concludunt poſſe vſum eſſe penes vnum, dominium autem penes alterum. Hanc ſententiam amplectuntur fratres Minores, qui abſolutè dicunt ſe nec in communi, nec in particulari alicuius rei dominium habere, ſed ſolum dicunt ſe meros eſſe vſuarios earum rerum, quæ in eleemoſynam ipſis traduntur. Dominium vero panis, & vini, & aliorum vtenſilium manere aſtruunt apud ſummum Pontificem, ipſóſque illis vti, vt bonis Papæ, perinde ac ſi quotidie Papa illos inuitaret. Pecuniarum vero,& quarundam ſimilium rerum dominium eſſe dicunt apud illos, qui eas dederunt,interim dum res illæ non conſumuntur, aut alienantur, ipſis duntaxat relicto libero vſu earum rerum, etiam ad conſumptionem,& alienationem, dependente tamen à libera voluntate eorũ apud quos remanet propriè dominium, ita videlicet vt nulla eis iniuria fieret, ſi domini eas de eorum manibus eriperent.In cuius probationem adducunt primò duo Decreta,vnũ Nicolai iij.in cap. exiit qui ſeminat. Alterum verò Clement.5.in Clem.exiui de paradiſo,in quibus hoc idem definitur.

3 Secundò probant,quia ſi Titius Caium conuiuio excipit,non facit eum Dominum comeſtibilium,& potabilium,quibus menſa exornatur:cuius ſignum eſt,quia ſine voluntate inuitantis, qui ſemper eſt earumdem rerum dominus,non poteſt Caius inuitatus res illas vendere, locare, aut ſurripere, vt in proprias domos importet, ſed tantum,vt ſedens veſcatur illis,ergo habet vſum,& non dominium.

Tertiò probant,nam Deuterom.23.concedebatur iter agenti facultas intrandi vineam alterius,& veſcendi vuis, foras autem extrahere, non poterat. Ex quo loco videtur huic concedi vſus, quia poterat comedere,negatur tamen dominium, quia foras extrahere non poterat,ergo.

Quartò probant,quia in extrema neceſſitate omnia ſunt cõmunia,vt omnes Doctores tradunt, & tamen non ſunt communia quantum ad dominium: alias diues qui in tali nẽceſſitate nõ ſuccurreret pauperi famem patienti obnoxius eſſet reſtitutioni, quod eſt contra cõmunem opinionem Doctorum,qui aſtruunt in tali caſu,ſolum teneri ex charitate.

4 Huic etiam ſententiæ fauet mirabiliter §. Minus inſtit. de vſu, & habitat. vbi dicitur quod poteſt quis habere vſum olerum horti, & florum pomarij, non tamen dominium, vt poſſit ea vendere, aut alienare, ergo in his rebus vſus, & dominium diſtinguntur.

At verò Ioannes 22. poſt Nicolaum iij. in extrauag. ad conditorem oppoſitum determinauit. Vbi primo probat multis argumentis in rebus vſu conſumptibilibus non diſtingui vſum à dominio, ſed cui confertur vnum, conceditur vtrumque.

Secundò dicit fratres Sancti Franciſci habere vſum ſimul & dominium panis, vini, & aliorum comeſtibilium.

Tertiò dicit eſſe figmentum chimericum, & verbale, affirmare dominium eorum quæ conſumuntur reſidere apud Romanum Pontificem, & Papam ſingulis diebus parare illis menſam.

5 Quartò dicit nihil perfectionis accreſcere Minoribus, ex eo quòd dicantur habere nudum vſum ciborum, & potabilium, & licet in cõmuni ſint pauperiores aliis Religioſis, quia alij poſſunt habere bona ſtabilia, vel quaſi ſtabilia, vt redditus perpetuos, ipſi verò minimè, quo ad ea verò, quæ vſu conſumuntur nõ eſſe pauperiores aliis mendicantibus, cùm reuera eodem modo vtantur huiuſmodi rebus, ſicut & alij Religioſi, qui dicuntur habere dominium.

Quintò & vltimò dicit hoc figmentum eſſe iniurioſum ipſi Romanæ Eccleſiæ, & ſimplicitati Religionis Chriſtianæ, aſtruere eleemoſynas quas fideles Minoritis elargiuntur, conferri ipſis tantum quo ad vſum, dominium autem in ſummo Pontifice reſidere. Vnde ſubiungit. Si tale dominium penes nos eſt, quod falſum eſſe exiſtimo, illi omnino renuntiamus. Vnde in extrauag. Quia quorumdam, vbi de eadem re loquitur ait. Quod ſi quis contra id definire auſus fuerit, tanquam contumax Romanæ Eccleſiæ habeatur.

6 Hanc opinionem amplectuntur D. Tho. 2.2. quæſt. 78. ar. 1. & Caiet. ibidem Arag. 2. 2. quæſt. 62. ar. 1. & 2. D. Ant. p. 4. t. 12. c. 4. §. 10. Turrecrem. lib. 2. ſum. de Eccleſ. ca. 112. Sylueſt. verb. dominium quæſt. 2. & alij: fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia in his rebus, quæ vſu conſumuntur non videtur poſſe diſtingui vſus à dominio. Qui enim facultatem concedit alicui eas res conſumendi, nullius vſus ius, vel poteſtatem aut ſibi, aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi poſſit retinere aliquod dominium eiuſmodi rerum.

Deinde vſus qui diſtinguitur à dominio, eſt ius vtendi re aliena ſalua eius ſubſtantia: ſed impoſſibile eſt, quod aliquis vtatur rebus vſu conſumptibilibus, aut aliquam inde vtilitatem capiat ex eis, ſalua earum ſubſtantia, ergo in huiuſmodi vſus non diſtinguitur à dominio.

7 Vt in hac quæſtione adeo difficili dicam quod ſentio, quatuor neceſſariò prius obſeruanda ſunt. Primò quod res quarum poteſt haberi dominium, ſunt in triplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ vſu non conſumuntur, vt domus, ager, prædium, & id genus alia, quorum fructibus vtimur, ipſis rebus manẽtibus. Aliæ in altero extremo poſitæ, quæ vnico actu conſumuntur, vt pecunia, panis, vinum & ſimilia. Aliæ verò ſunt, tanquam mediæ inter has, quæ & ſi vſu paulatim atterantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt veſtis, liber &c.

Secundò eſt obſeruandum, quod in his rebus, quæ vſu conſumuntur poteſt duplex reperiri vſus, proprius, & aduentitius, ſiue extraneus, vt in vino proprius vſus ipſius eſt illud bibere: aduentitius verò, & quaſi extraneus eſt, illud odorare. Similiter in pecunia proprius ipſius vſus eſt, vt ſit pretium rerum, quod verò quis illa vtatur ad oſtentationem aduentitius, & quaſi extraneus, vel accidentarius eſt.

8 Tertiò eſt obſeruandum, quod vſus rerum vſu conſumptibilium duplex eſt, ſcilicet vſus facti, & vſus iuris. Vſus facti eſt vſus in actu qui eſt ipſa actualis rei conſumptio. Vſus verò iuris eſt vſus in habitu, ſeu ius vtendi huiuſmodi rebus. Et hoc rurſus poteſt eſſe duplex, ſcilicet abſolutum, & limitatum, ſeu dependens ab alio. Vſus iuris abſolutus ideſt independens, eſt libera, & plena facultas habitualis vtendi re, ſine dependentia ab alio, etiam conſumando illam, atque adeo quocunque modo ei placuerit. Vſus verò iuris limitatus, ſeu dependens eſt facultas, ſeu conceſſio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio apud quem propriè reſidet dominium.

Quartò, & vltimò eſt obſeruandum, quod quando quærimus. An in rebus vſu

con

umptibilibus vſus, & dominium di-
uantur, non eſt ſermo, an iſta diſtin-
ctur in genere entis, cum certum ſit
ndùm Regulas logicales, hoc modo
ngui, cum conſtet dominium panis, &
eſſe relationem, vſum autè eſſe actio-
, quia iſtis veſcimur. Sed quæſtio eſt
iſtinctione in genere moris. An vide-
: in his rebus poſſit vſus ſine dominio
niri. Quibus ſic poſitis.

Primò dico, quod in rebus, quæ vſu
conſumuntur, vt domus, ager, præ-
n, & ſimilia quorum vſus non eſt eo-
conſumptio, vſus & dominium diſtin-
tur. Probatur, nam vſus domus locatæ
eſt eſſe apud Titium, dominium verò
d Caium. Item ſi Ioannes concedat An-
o, vt poſſit pro libito veſci fructibus
viridarij, proculdubiò dominium fru-
im manet apud Ioannem, vſus autem
rum manet apud Antonium.

:t idem dicendum eſt de his rebus, quæ
i vſu paulatim conſumantur, non ta-
a vnico actu attritæ pereunt, vt de ve-
libro, & his ſimilibus, in quibus poteſt
unque diſtingui vſus à dominio, ſicut
aliis rebus ſtabilibus.

Secundò dico quod vſus rerum, quæ
proprio conſumptibiles ſunt, at verè
extraneo non conſumuntur, conſtat
im quod diſtinguitur à dominio. Pro-
ur, nam oſtentatio eſt vſus extraneus
iis, & vini, quæ vſu proprio ſunt con-
mptibilia, & tamen oſtentatione non
ſumuntur, ergo huiuſmodi vſus à do-
nio diſtinguitur.

Tertiò dico quod vſus iuris, qui dici-
vſus in habitu, ſeu ius vtendi re aliqua
nſumptibili, ita vt illud ius ſit abſolu-
n, ideſt independens ab alterius volun-
e, & de ſe ad omnem vſum talis ſe ex-
ndens non diſtinguitur, nec diſtingui po-
t à dominio. Et ratio eſt, quia qui habet
em rei vſum independentem, habet re-
a rei dominium, ergo.

Quartò dico quod vſus proprius in ha-
u, qui dicitur vſus iuris, limitatus tamen
dependens à voluntate alterius, apud
em eſt libera facultas reuocandi rem,
:equam actu res conſumatur, diſtingui-
à dominio. Et ratio eſt, quia talis de-
ndentia repugnat rationi dominij con-
entis nimirum in vtendi facultate inde-
ndente à voluntate alterius.

11 Quintò, & vltimò dico quod vſus facti, ſeu vſus in actu, qui eſt ipſa actualis rei conſumptio, diſtinguitur à dominio. Probatur, nam dominium eſt quaſi in habitu, vel actu primo, hic verò vſus facti, eſt ipſa actualis actio, & vſus, ergo.

Ex qua doctrina ſequitur primò. Minoritas nec in communi, nec in particulari habere dominium eorum, quibus vtuntur, ſed habere vſum iuris dependenter, & vſum facti, dominium autem iſtarum rerum manere apud Romanum Pontificem, pecuniæ verò &c. penes eos qui illas eleemoſynas elargiuntur.

Nec obſtat verbum Ioannis xxij. dicentis ſe abdicaſſe tale dominium, primò quia id non fecit legitimè: & vt notat Sotus, nec iuſtè, ſed certè in odium forſan Occhani, & aliorum ſui ordinis, qui fuerunt ei infeſtiſſimi. Secundò, quia ſuam renuntiationem ſucceſſores eius minimè approbarunt, ſed exemplo ſuorum anteceſſorum idem retinuerunt & retinent dominium.

12 Secundò ſequitur, nullum Religioſum cuiuſuis ordinis poſſe ex his, quæ ſibi ad ſuos vſus honeſtos conceduntur, aliquid vendere, aut alienare abſque explicita, vel implicita licentia ſui Prælati.

Nunc oportet reſpondere ad argumenta aduerſariorum. Et ad primum dico, concedendo Ioannem xxij. fuiſſe contrariæ opinionis: ex hoc tamen non ſequitur noſtram ſententiam eſſe falſam, quia illam tenent Nicolaus iij. & Clemens V. ambo Romani Pontifices, & in his quæ non pertinent ad fidem, & ad bonos mores nullum eſt incommodum, quod dicamus ſummum Pontificem errare, ſicut illud affirmat Ioannes xxij. de Nicolao, & Clement. maximè, quia in hoc ſummi Pontifices vt priuati Doctores ſe habuerunt.

Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Deus habeat rerum omnium dominium?

1 REſpondeo Deum Optimum maximum iure naturæ titulo creationis, & conſeruationis habere rerum omnium dominium iuxta illud Pſal. 23. Domini eſt terra, & plenitudo eius, &c. Iudic. 9. Deus

cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, & Iſai. 44. ego Dominus faciens omnia.

Deinde, illi propriè conuenit dominium, cui competit intellectus, & liberum arbitrium, ſed intellectus, & liberum arbitrium competit Deo, ergo illi conuenit dominium. Minor per ſe conſtat. Maior verò probatur. Illi verè competit dominium rerum externarum, cui conuenit dominium ſuarum operationum, quod fit per intellectum, & voluntatem: atqui Deo maximè competit dominium ſuarum operationum, ergo & rerum externarum.

Poſtremò, quidquid perfectionis reperitur in creaturis, multò excellentius eſt in Deo: atqui hominibus competit dominari, eſtque in eis perfectio, ergo multò excellentius debet dominium Deo conuenire.

2 In hoc autem ſunt tria obſeruanda.

Primum eſt, cum dominium conueniat Deo, titulo creationis, & aſſiduæ conſeruationis, & hoc ratione ſuæ eſſentiæ, quæ vna, & eadem eſt in omnibus tribus perſonis, conſequenter dominium hoc commune erit illis tribus ex æquo, cum omnia opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa.

Secundum eſt, cum dominium creatoris relationem dicat ad creaturam, inde eſt, vt licet Deus ab æterno ſit poteſtate dominus, actu tamen ſolum eſt Dominus ab orbe condito.

3 Tertium verò eſt, omne dominium quod in creaturis intellectualibus reperitur, à Deo tanquam à primo fonte, & tanquam ab vno, & ſummo omnium rerum Domino deriuari iuxta illud Sap. 10. per me Reges regnant: per me Principes imperant. Et ad Rom. 13. omnis poteſtas à Deo eſt. Vnde ſicut Deus optimus fons & origo eſt totius entitatis, & cuiuſuis actionis: ita & omnis perfectionis, quæ in creaturis reperitur, iuxta illud Iacobi 1. omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Vnde D. Thom. par. prima quæſt. 13. art. 6. docet omnia nomina, communia Deo, & creaturis, primò, & per ſe dici de Deo, ſecundariò verò de creaturis, vt iuſtus, ſapiens, bonus, &c.

QVÆSTIO VIII.

An bruta, & aliæ res inſenſibiles habeant alicuius rei dominium?

1 MAior in 4. diſt. 15. quæſt. 2. Conrad. lib. 1. de contract. quæſt. 3. & alij ſecuti opinionem Gerſonis lib. de poteſtate Eccleſ. conſiderat. 13. putant animalia rationis expertia, & alias res inſenſibiles habere dominium. Et probant primò ex illo teſtimonio Gen. 1. ecce dedi vobis &c. vbi traduntur herbæ in pabulum beſtiarum, ac proinde illarum habent dominium.

Deinde inter Apes eſt vnus Rex, & inter Grues eſt vnus Dux, quem cæteræ per modum aciei ſequuntur, vt author eſt Hieronymus epiſt. ad Ruſticum. Vnde ſuper illud Pſ. 103. Herodij domus Dux eſt eorum. Dicit Gloſſa quod Herodius Princeps eſt inter aues rapaces, ergo vnum animal habet dominium ſuper alterum, & cuncta ſuper pabula.

Tandem probant hoc idem de rebus inſenſibilibus etiam ex illo Ge. 1. vbi dicitur, Deum creaſſe duo luminaria vt præeſſent, ideſt dominarentur diei, ac nocti, ergo.

2 At concors eſt omnium Theologorum ſententia, creaturas irrationales, & inſenſibiles, nullum habere dominium. Et ratio eſt, quia dominium vt ex definitione eius conſtat, eſt ius, ſeu facultas libera vtendi rebus in ſuum commodum: ſed creaturæ irrationales propriè nulla re vti poſſunt, ergo non habent dominium. Minor probatur, nam, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 16. ar. 2. eſt rem aliquam vſurpare, referendo illam ad finem ſuum ex cognitione, & ex electione; in brutis autem non eſt huiuſmodi ordinatio, quia nec cognoſcunt finem, nec ex electione agunt, ſed aguntur potius naturæ inſtinctu.

Deinde, illi ſoli competit habere dominium, qui operatur liberè, & ex electione vt docet D. Th. 1. 2. q. 1. ar. 1. & 2. atqui creaturæ irrationales neceſſariò agunt, ſcilicet ex mero inſtinctu naturæ, ergo nullum poſſunt habere dominium.

3 Præterea, qui vſui, aut ſuarum actionum dominium non habent, multò minus aliarum rerum poterunt dominium haberet nam qui aliis præeſt, per proprias actiones præeſſe dicitur, vtpote præcipiendo, prohibendo,

ndo,conferendo &c. Sed creaturæ irrationales cum intellectu,& ratione careant, earum actionum dominium habere non possunt,sed ex mero impulsu,& necessitate quadam naturæ mouentur vt docet D. Tho.p.p.q.82.art.1.ergo multò minus aliarum rerum dominium habere possunt.

Tandem, quicunque dominium habet alicuius rei,iniuria afficitur dum ea illi auferetur, animalia autem irrationabilia neque iustitiæ capacia sunt, neque iniuriæ,vt rectè docet D.Tho.2. 2. q. 64.art.1.ad 3. & Arist.10.Eth.c.8. Et ratio est quia cum non sint libera,non sunt sui iuris, sed quidquid sunt,hominis sunt, propter quem omnia à Deo sunt condita,& idcirco qui brutis pabula, vel vitam abstulit,nullâ eis iniuriam intulit, sed domino, vt habetur ex eodem D.Tho.loco citato,nullum ergo bruta,habent dominium,nec ius in pabula,sed tantum appetitum naturalem.

4 Ex quo colligitur,quod sicut creaturæ intellectu,& libero arbitrio prędituæ agunt propter finem propriè, quia eæ solæ cognoscunt rationem finis,& mediorum, sic etiam solæ illæ verè, & simpliciter vtuntur rebus in suum commodum,ac proinde solæ habent propriè dominium.

Ad argumenta verò Gersonis in principio quæstionis facta, patet solutio ex dictis,nam huiusmodi dominium,quod brutis,& rebus insensibilibus attribuitur, improprium, & æquiuocum dicitur, propter vmbram quandam dominij,quam habent. Dominium autem herbarum de quo fit mentio Gen. 1. potius significatur datum hominibus,quam brutis,dicitur enim,ecce dedi vobis omnem herbam &c.ac si diceret,ecce dedi vobis herbas ad pascendum armenta, ac pecudes vestras, vt sic vobis sint in escam,& vobis deseruiant.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Angeli dominium habeant rerum corporalium?

1 A Rag.& Salon.2.2.q. 62. art. 1. & 2. putant Angelos habere dominium aliquo modo, non solum super cælos, elementa, sed etiam homines, tum singulos, tum etiam integra regna & prouincias. Et probant, quia Deus cuncta ista gubernat medio ministerio Angelorum, nam quosdam fecit perfectos cœlorum, alios elementorum,alios animaliũ brutorum, alios hominum iuxta illud Paul.ad Heb.1.omnes sunt administratorij spiritus in ministeriũ missi propter eos &c.& ad hæc ministranda habent Angeli ius non minus, quam Magistratus,aut Rex, cui cura populi demandata est, neque posset à quoquam sine graui iniuria ab eo officio impediri, ergo habent dominium in hęc corporalia.Et ita Daniel.10. dixit Angelus Danieli. Et nunc reuertor, vt prælier aduersus Principem Persarum, cumque egrederer apparuit Princeps Græcorum. Vbi Angelos vocat Principes Persarum, & Græcorum,& postea subiungit, nemo est adiutor meus in his,nisi Michael Princeps vester, idest populi Hebræorum.

2 At Sotus lib.4.q.1.art.2. Molina to.1.de iustit.d.18.Ban.2.2.q.2.art.1. & 2.& alij docent Angelos tantum esse dominos suarum operationum naturalium, scilicet cogitationum,& volitionum, aliarum tamen rerum externarum, seu corporalium in vniuerso existentium dominium habere minimè videtur,Deus enim omnia hæc propter nos creauit, neque vllam creaturam propter Angelos creasse legimus:& ratio suadet,quia Angelus caret corpore, ergo incongruenter dominaretur creaturæ corporali.Quod si aliquando legimus in scripturis Angelis fuisse concessam potestatẽ vtendi rebus corporalibus,intelligendũ est de vsu ministeriali,& tanquam exequentes mandatum Domini.Sic etiam mouent corpora cœlestia.Vnde Heb.1.dicuntur Spiritus administratorij in ministerium hominum missi,&c.

Meo iudicio hæ duæ opiniones inter se minimè discrepant, nam prima opinio loquitur de dominio gubernatiuo, & in hoc sensu verissimã esse censeo,vt argumẽta,& loca Sacræ scripturæ adducta id cõprobãt. Secunda verò opinio quæ est Magistri Soti intelligitur de dominio dominatiuo,quale habet Dominus in seruũ,quæ etiã vera est, nec Authores cõtrariæ opinionis id negãt.

QVÆSTIO X.

Vtrum homo corporum cælestium, & elementorum sit Dominus?

1 A Rag.& Salon.2.2.quæst. 62.art.1.& 2. negant ex eo fundamento, quia homo

homo non poteſt vti corporibus cæleſtibus pro ſuo libito, nec ſtatim illud inhabitare ſi velit, ergo non poteſt dici illorum dominus.

Hoc idem probatur ex illo Pſal.113. cælum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum. Ex quibus verbis apertè colligitur, ſaltem cæli empyrei, qui ſedes eſt ciuium ſupernorum, hominem non eſſe dominum, eſto propter illum conditum ſit.

2 At Sot.lib.4.quæſt.2.art.1. Molina tom. 1.d.18. & alij rectiùs docent, etiam cælorum, & elementorum eſſe hominem aliquo modo Dominum, ſunt enim cæli, & elementa veluti tecta noſtrarum ædium, calor enim, & lux ſolis, & aliæ influentiæ hominum vſui deſeruiunt. Vnde Deut. 4. habetur, cælos, ſolem, lunam, & cætera aſtra Deum creaſſe, vt eſſent in miniſterium cunctis gentibus, cùm ergo ex eo dominium hominum circa res ſublunares colligatur, quod ſint propter hominum commodum creatæ, conſequens profectò eſt, vt & cælorum ſit etiam ſuo modo dominus.

3 Et ad primum argumentum in contrarium adductum reſpondeo, falſum eſſe quod ad hoc, vt quis dicatur habere dominium rei, eſſe neceſſarium, quod poſſit vti illa in omnem vſum, ſed ſolum requiritur, quod habeat facultatem vtendi re in omnem vſum lege permiſſum. Homo enim eſt dominus ſui mancipij, & tamen non licet ei illud interficere, & dominus eſt rerum, quas poſſidet, & tamen non poteſt eas in nihilum redigere. Sic etiam licet homo cælos, & elementa deſtruere non poſſit, nec impedire eorum motum, ex hoc tamen non licet inferre, quod non habet ſuo modo earum rerum dominium: maximè cum eis vti poſſit quo ad vſus, & commoditates, quas ex illis recipit.

Ad ſecundum reſpondeo, teſtimonium illud Dauidis intelligendum eſſe quo ad habitationem, nam conſtat Deum cælum empyreum elegiſſe in peculiarem ſuam ſedem, & curiam, in qua cæli ciuibus ſeipſum per viſionem beatificam communicat: terram autem dedit in habitationem filiis hominum. Verumtamen etiam cæli empyrei habent homines ſuo modo dominium, quod eſt veluti tectum ſuarum ædium, & vt ait D. Th. etiam in hæc inferiora influit.

QVÆST. XI.

Vtrum homo ſit Dominus rerum omnium, quæ cæli ambitu continentur?

1 AD hoc dico primò, quod homo iure naturali eſt Dominus rerum omnium, quæ in hoc mundo ſublunari continentur. Probatur primò ex illo teſtimonio Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit, id eſt vt ſit Dominus. Quaſi dicat, faciamus hominem ad imaginem, ſcilicet intellectu, & voluntate liberum, (hoc enim eſt creari ad imaginem Dei) vt cæterarum rerum, quæ liberi arbitrij expertes ſunt, Dominus conſtituatur.

Deinde, per voluntatem, & donationem veri domini transfertur verè, & realiter dominium in alterum; atqui Deus optimus eſt omnium rerum verus, & legitimus dominus iuxta illud Pſ. 23. Domini eſt terra &c. & tamen illud hominib. tradidit, iuxta illud. Gen. 8. Ecce dedi vobis omnia. Et Pſ. 8. omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.

Tandem probatur, nam omnis res eſt propter ſuum finem, eſtque illi ſubiecta; atqui omnis creatura corporea eſt propter homines, vt rectè tradit Ariſt. 2. Phyſ. ergo.

2 Secundò dico quod ſi ſolum ius naturale, primámque rerum conſtitutionem ſpectemus, probabile eſt, dominium rerum ſublunarium non ſolum reſidere penes totum genus humanum, ſed etiam penes eorum ſingulos: ita quod iure naturali quilibet homo in particulari eſt Dominus omnium rerum inferiorum. Et ratio eſt, quia rerum diuiſio, & appropriatio tantum eſt de iure humano, ergo ſtando in ſolo iure naturali, quilibet homo poteſt cunctis rebus inferioribus vti. Hinc dimanauit illud commune prouerbium, iure naturæ omnia ſunt communia, ideſt non applicata alicui, ſed quilibet vti poteſt qualibet re creata ad omnem vſum lege non prohibitum. Ita Molina tom.1.de iuſt. d.18.

3 Tertiò dico quod probabilius eſt, aſſerere dominium rerum ſublunarium de iure naturæ reſidere penes totam hominum vniuerſitatem, & non penes ſingulos: ita quod iure naturali nullus in particulari eſt Dominus omnium rerum inferiorum.

Et

ratio est, quia communitas rerum est de ire naturali, vt habetur ex Isid.lib.5.æthyiolog.c. 4. & refertur à Gratiano d.1.cap. us naturale: ergo nullus in particulari de ure naturæ est Dominus rerum inferiorum. Probatur consequentia,nam si aliquis in particulari haberet dominium rerum sublunarium, iam illæ non essent communes omnibus hominibus, ergo dominium, si ius naturale consideretur residet penes totam hominum vniuersitatem. Ita Arag. 2.2.q.62.art.1.& 2.

QVÆSTIO XII.

Vtrum pueri nondum vtentes ratione, & perpetui amentes, dominium habeant?

1 IOsephus Angles in suis Floribus super 4.Sent.tract.de dominio negat,ex eo fundamento, quia dominium intellectum, & liberum arbitrium veluti fundamentum requirit, quibus pueri, & perpetui amentes carent,ergo.

Hoc tamen non obstante, communis omnium, tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententia habet, huiusmodi pueros, & amentes habere dominium.Pro quo.

Primò dico, quod pueri nondum vtentes ratione,Domini sunt earum rerum,quæ ad ipsos spectant. Probatur 1.ex illo testimonio Pauli ad Galat.4.vbi dicitur.Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium.

2 Secundò probatur ratione, dominium competit homini eo quod intellectum, & liberum arbitrium habet, quamuis illud, quoad vsum impeditum sit: hoc autem omni homini etiam nondum habenti rationem,competit,ergo.

Tertiò pueri sunt hæredes defuncti, ergo sunt Domini hæreditatis.

Quartò si quis bona eorum surriperet, iniuriam illis inferret, & furtum committeret,ergo sunt illorum Domini.

Quintò, facta rerum diuisione, bona particularia habent particularem, & certum Dominum: Sed Tutores bonorum puerorum Domini non sunt. ergo sunt ipsi pueri.Ita Molina tom.1.d.18.& Salon.2.2.q. 62.art.1.& 2.

3 Secundò dico, quod etiam amentes perpetui dominium habent suorum bonorum, licet eorum administratione careant. Et ratio est, quia amentes iure hæreditario succedunt parentibus.

Tum quia qui accipit eorum bona, infert illis iniuriam,ergo sunt eorũ Domini.

Tum demum, quia amentes secundum se,& suam naturam nati sunt vti rebus per liberum arbitrium, licet arbitrium ipsum quo ad vsum sit impeditum. Ita Ban. 2.2.q. 62.ar.1.& 2.& Vict.in relect. de Iud.n.21.

Tertiò dico, quod pueri, & perpetui amentes non possunt habere dominium gubernatiuum, & politicum. Et ratio est, quia huiusmodi dominium est institutum in bonum Reipublicæ, cui non possunt consulere carentes vsu rationis.Ita Molina tom.1.de iust.disp.18.& Salon.2.2.quæst.62. art.1.& 2.

Quartò, & vltimò, dico quod amentia superueniens dominio acquisito, non priuat ipso facto tali dominio amentem v.g. si quis electus Rex, vel Prælatus, post modum incidat in perpetuam amentiam,Rex, & Episcopus manet. Cæterum amentia illa sufficiens est causa,vt deponatur amẽs. Et ita Papa qui incidit in perpetuã amentiam non statim amittit papatum, sed est deponendus, quia moraliter loquendo mortuus est vita rationali, & Ecclesiæ vtilitati benè consulere non potest. Ita Caiet. in opusc.de potestate Papæ cap,vlt.

4 Nec ratio Iosephi aliquid probat,nam dominium non consistit in vsu rationis,aut libertatis,sed in natura,intellectu, & libero arbitrio prædita; & sic licet pueri, & perpetuò amentes, non vtantur intellectu, & libero arbitrio,habeant tamen illas potentias, in quibus dominium radicaliter fundatur, alioquin eo ipso quod quis somnum caperet, verum dominium amitteret, quod est ridiculum.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum Pupilli sub Tutore existentes, & Primogeniti sint verè Domini suarum rerum, quas possident?

1 MVlti negant, ea ratione, quia non possunt eas alienare,nec vendere.

Contrariam tamen sententiam meritò Doctores omnes affirmant. Et ratio est, quia illa bona habent aliquem verum dominum, & nullus assignari potest, nisi ipsi pupilli,

pupilli, vel primogeniti, ergo.

Tum quia ſi quis eos ſuis bonis ſpoliaret, proculdubio teneretur ea reſtituere pupillis, vel primogenitis, ergo ſunt verè illorum bonorum Domini.

2 Et ad rationem contrariæ opinionis reſpondeo, quod licet pupilli, & primogeniti alienare nequeant bona ſua, id non eis accidit ex defectu dominij, quia nimirum non ſint legitimi eorum Domini, ſed quia alienatio non eſt vſus lege permiſſus; & ſic non obſtat rationi dominij, quod eius vſus non habeant tales facultatem, ſed tantum id efficit, vt tale dominium non ſit tam perfectum. Ita Sot. lib. 4. q. 1. art. 1. Mol. tom. 1. de iuſt. d. 3. Val. tom. 3. d. 5. q. 10. Ban. 2. 2. q. 62. ar. 1. & 2. & alij.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Religioſi poſſint habere dominium?

1 ET videtur quod ſic, quia Religioſi ſunt intellectu, & libero arbitrio præditi, ergo poſſunt habere dominium.

2 Hoc tamen non obſtante, oppoſitum quod communis Theologorum ſchola docet, tenendum eſt, ſcilicet eos in particulari habere dominium alicuius rei non poſſe. Et ratio eſt, quia ipſi ſponte illud à ſe abdicarunt. Vnde in cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Regul. Romanus Pontifex ait, abdicatio proprietatis ſic eſt annexa ſtatui Regularium, vt in hac, Papa non poſſit diſpenſare. Et ita ſi Papa alicui Religioſo concederet, vt haberet proprium, iam ille non eſſet amplius Monachus, quia licet Papa de plenitudine ſuæ poteſtatis poſſit facere de Monacho non Monachum, efficere tamen non poteſt, vt manente Monachatu, in particulari proprium dominium habeat. Et ratio eſt, quia abdicatio proprietatis eſt de eſſentia Religionis.

QVÆSTIO XV.

An filiusfamilias ſub patria poteſtate conſtitutus habeat aliquarum rerum dominium?

1 AD cuius quæſtionis intelligentiam obſeruandum eſt primo, quod quatuor genera bonorum filius viuentibus parentibus habere poteſt, caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, aduentitia, & profectitia.

Bonum caſtrenſe eſt id, quod à filio in bello, vel occaſione belli acquiritur vt ſtipendia militum, prædæ ex hoſtibus, donatiua Ducis, vel commilitonum, teſtamenta, & legata occaſione belli, mobilia à parentibus, vel aliis data eunti ad bellum, vel ad obſequium Principis in palatio, & quod in cuſtodia alicuius arcis acquiritur. Denique omnia lucra, quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proueniunt.

2 Quaſi caſtrenſe eſt omne id quod filiusfamilias acquirit per officium aliquod publicum non mechanicum, vt Iudicis, medici, aduocati, ſcribæ, aut magiſtri in aliqua ſeptem artium liberalium, aut quouis alio officio publico, propter quod ſtipendium publicum accipit, & quod datur intuitu talis functionis, vt libri qui dantur à parente, vel alio ei qui profeſſurus eſt artem liberalem; & quod ab aliquo datur filiofamilias, ea lege, vt ſit tanquam caſtrenſe, ſeu vt ipſe tantum, & non pater habeat vſumfructum. Et quod datur liberalitate Principis. Ac denique quod clerici ſuo officio clericali, aut ſuis beneficiis Eccleſiaſticis acquirunt. Imò quidquid acquiritur poſt clericatum etiam ſi alias eſſet aduentitium, iure communi eſt quaſi caſtrenſe. Vocantur hæc quaſi caſtrenſia, quia habent priuilegium caſtrenſium, quamuis verè caſtrenſia non ſint. Et quia clerici ſunt milites ſpirituales.

Aduentitium eſt, quod filiusfamilias ex induſtria, vel labore acquirit ſeorſum ab exercitio rei domeſticæ, vel donatione aliunde quam intuitu patris facta, vel ex ſucceſſione, vel aliter aliundè prouenit ex euentu, vel fortuna.

3 Profectitium verò eſt peculium filij familias habitum à parente, aut eius cauſa principaliter, & de eius bonis, nec ad bellum, nec ad officia publica pertinens, vt ſunt ea, quæ à parentibus conceduntur filiis, vt ea adminiſtrent, & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, vel obſequium parentum: ſecus ſi ob amicitiam, vel obſequium filij. Quibus iactis fundamentis.

Primò dico quod filiusfamilias habet plenum dominium in peculio caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi, ita vt tota proprietas, & vſusfructus, & adminiſtratio horum bonorum ſit penes filium, & in eis nihil habet pater ſecundum omnes l. fin. C. de inof.

teſt.l.1.§.fin.ad maced.& tradit egre-
'au.c.17.num.141.& 142.
x quo ſequitur, filium de his bonis
diſponere in vita, & in morte, ac ſi
>aterfamilias, dummodò ſit pubes,
14. annum habeat, quia ante talem
m non poteſt teſtari. l. quia ætate ff.
ſtam. Vnde pater non poteſt de his
uam ſibi vſurpare abſque conſenſu
alioquin tenetur ad reſtitutionem.
l ſi filius non ſperet futurum, vt pater
iat, poteſt vti occulta compenſatione,
ortuo patre petere à cohæredibus.
cundò dico quod in peculio aduenti-
liusfamilias habet dominium dire-
ſeu proprietatem, ſed pater in vita
vſumfructum ſeu vtilitatem, niſi ex-
s aliquot caſibus.
mò ſi pater filio cõdonet vſufructum.
cundò ſi aliquid donetur filio hoc
, vt ad patrem non pertineat vſufru-

rtiò ſi aliquid ei donetur patre con-
cente.
jartò ſi filius vnà cum patre ſuccedat
reditatem fratris vel ſororis.
jintò ſi pater committat inceſtas
as.
ktò, & vltimò ſi pater fiat hæreticus,
unc filius efficitur ſui iuris, ac proin-
dit ad eum vſufructus, quem pater
oat in bonis aduentitiis filij. Sylueſt.
peculium 1.q.3. & Nau.c.17.n.43.
ertiò, & vltimò dico quod in profe-
pater habet proprietatem, & vſufru-
, filius autem non poteſt de his quic-
diſponere abſque conſenſu patris,
ain furtum committit. Vnde ad hoc
i valet hoc peculium filio, ne publi-
in caſu, in quo alia bona patris pu-
ntur. Poſt mortem tamen patris erit
mne cum aliis fratribus. Ita Leſſ.lib.
uſt.cap.4.dub.3. Nauar. cap.17. num.
c alij.

QVÆSTIO XVI.

*clericus beneficiarius habeat aliquorum
orum dominium?*

Vppono tria genera bonorum poſſe
clericis beneficiariis competere, pa-
nialia, quaſi patrimonialia, & merè
ſiaſtica. Patrimonialia dicuntur, quæ
beneficiarij hæreditate, vel induſtria, vel
donatione, vel alio modo quo laici ſolent,
ſibi acquirunt. Quaſi patrimonialia dicun-
tur ea omnia quæ beneficiarij ratione dig-
nitatis clericalis abſque beneficio, vt ce-
lebrando, prædicando, canendo, confeſſio-
nes audiendo, & alia Sacramenta mini-
ſtrando ſibi acquirunt. Merè verò Eccle-
ſiaſtica ſunt, quæ titulo beneficij Eccleſia-
ſtici recipiuntur.

Quo poſito, dico primò, quod clericus
beneficiarius habet verum dominium bo-
norum patrimonialium, & ea vt laici po-
teſt impendere in vſus ſibi placentes, &
etiam in donationes profanas, tanquam
illorum Dominus. Et ratio eſt, quia cleri-
cus per ordinem nec fit incapax dominij,
neque etiam ſe abdicat dominio, neque ſe
obligat ad patrimonialia in vſus pios ex-
pendenda. Ita Sot. lib.10.de iuſt. q.4.art.5.
Leſſ.lib.2.de iuſt. cap.4.dub.6.Lop.lib.2.de
contr.c.47.& communis.

2 Secundò dico quod clericus beneficia-
rius verè eſt Dominus bonorum quaſi pa-
trimonialium, ſicut Domini temporales
ſunt Domini ſuorum bonorum, neque te-
netur ea magis in pias cauſas expendere,
quam bona patrimonialia. Ratio eſt, quia
hæc dantur vt ſtipendium quoddam ſu-
ſtentationis, & veluti merces ratione ope-
ris præſtiti, vt de iis diſponat pro libito;
non enim fideles qui hæc tribuunt, inten-
dunt illi vllum onus imponere, ſed per-
mittunt liberrimæ illius diſpoſitioni. Nec
refert quod hæc ſtipendia interdum lon-
gè excedant operam, quia liberè à fideli-
bus dantur. Ita Leſſ.lib.2. cap.4. dub.6. Na-
uar.q.1. de reddit. monit. 19. & 39. & alij
communiter.

3 Tertiò dico quod beneficiarius tantum-
dem poteſt iuſtè ſibi retinere de redditi-
bus ſui beneficij, quantum de bonis patri-
monialibus ad decentem ſui ſtatus ſuſten-
tationem impendit, déque eo tanquam de
patrimonialibus diſponere poteſt. Et ratio
eſt, quia cum habeat ius accipiendi totam
ſuſtentationem ex beneficio, non tenetur
viuere ex bonis patrimonialibus, vnde ſi
ex illis viuit, poteſt vti compenſatione, ac-
cipiendo tantumdem de fructibus benefi-
cij. Ita Leſſ.lib.2.c.4.dub.6.

Quartò dico quod beneficiarius tan-
tumdem poteſt accipere ex redditibus be-
neficij, quantum fuit, quod ex ſuis bonis

patri

patrimonialibus expendit in eleemosynas, & alia charitatis opera, déque eo pro suo arbitratu potest disponere sicut de bonis patrimonialibus. Ratio est, quia cum alia bona non teneatur absolutè in opera pia expendere, si sic expenderit, poterit vti compensatione ex fructibus beneficij, cuos alioquin in talia opera conferre debuisset, vt Nauar monit.22.& Less.loco citato.

4 Quinto dico quod beneficiarius habet verum dominium illius portionis redditu- quæ congruæ eius sustentationi est necessaria, & de illa non magis tenetur erogare in pauperes, quam ex bonis patrimonialibus. Ratio est, quia hæc portio est iusta merces eorum qui Ecclesiæ deseruiunt. Ita Sot. lib.10.q.4 art.3.Less.lib.2.ca. 4.d.ub.6.& communis.

Ex quo sequitur, beneficiarium qui ex decenti sustentatione sui status, in hoc restringendo, aliquid sibi subtraxit, posse de eo disponere, sicut de bonis sæcularibus. Et ratio est, quia nullam habet obligationem particularem, cur hæc potiùs, quam patrimonialia bona sua in vsus pauperum teneatur expendere. Si enim licitè poterat hęc in suam honestam sustentationem conuertere, cur si seipsum fraudare,& parciùs viuere velit, non possit absque nexu restitutionis eos fructus etiam in vsus profanos conuertere, vt docet Couar.in c. Cum in offic.nu.2.Nauar.de reddit.q.1.monit.30. Sot.lib.10.q.4.ar.3.& Less.lib.2.c.4.dub.6.

Obijcies Decretum Conc.Trid.sess.25.c. 1.quo beneficiarijs interdicitur ditare suos consanguineos ex fructibus Ecclesiasticis.

5 Respondeo Concilium non loqui de eo, quod beneficiarius parciùs viuendo sibi subtraxit, vel quod vt iustam laboris mercedem, promeritus comparauit. hoc enim non censetur fructus beneficij, sed propriæ industriæ, vt egregiè Nauar.annotauit: sed loquitur de eo quod tantum ratione beneficij acquirit, & honestæ sustentationi superfluit. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO XVII.

Tota igitur controuersia versatur circa eam portionem, quæ iustæ sustentationi redundat: vt si beneficiarius ex suo beneficio percipiat, ex quibus quingenti omnino ei sufficiant. Quæritur. An beneficiarius habeat verum dominium aliorum quingentorum, quæ illi gradui conuenientis sustentationis sunt necessaria, sed superflua, ita vt non teneantur illa in opera pia expendere?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione certum est, beneficiarium qui extra casus, & modos prædictos, aliquid notabile de fructibus sui beneficij sibi ad decentiam status superfluis in vsus profanos, vel ad ditandos amicos consumit, vel sine iusta causa, & sine intentione impendendi piis operibus retinet, peccare mortaliter contra charitatem. Et ratio est, quia facit contra districtum Ecclesiæ præceptum vt habetur ex Concil.Triden. sess.25.cap.1.de reformat.& docet D.Tho.quodlib.9.ar.12. Nau.cap.17.num.94. Lup.lib.2.de contr.ca. 47.Caiet.1.2.q.87.art.1.& q.185.art.7.& alij.

QVÆSTIO XVIII.

Sed dubium est. An in hoc casu beneficiarius qui verò, ac luxuriosè Ecclesiæ prouentus consumit, vel sine causa iusta retinet, peccet contra iustitiam,& ad eorum restitutionem pauperibus faciendam teneatur?

1 DVæ in hac quæstione sunt inter se pugnantes Doctorum sententiæ. Prima est Nau.in lib.de reddit.Ecclesiæ,& in Man.cap.17.num.49. & Illustriss.Caiet.1. 2.q.87.art.1.& q.185.art.7. qui tuentur partem affirmatiuam, putant enim isti, beneficiarium non esse Dominum illius portionis redundantis, sed solùm dispensatorem, ita vt ex iustitia teneatur illam expendere in vsus pauperum; si secus fecerit, obligari ad restitutionem in opera pia ex aliis bonis, quæ pleno iure retinet: sicut œconomus bona Domini sui contra intentionem illius expendens, ad restitutionem tenetur. Ducuntúrque hi in eam sententiam primò, quia est multorum Theologorum, & omnium penè Canonistarum, vt Nauar.ostendit.

Secundò, quia multi canones dicunt eam portionem, quę superflua est ad vitam, & status decentiam esse pauperum.

2 Tertiò quia fideles non contulerunt tantas opes in Ecclesiam, vt Ecclesiast. soli illis fruerentur; sed vt ex illis caperent victui, & vestitui decenter necessaria, & reliqua in vsus pauperum conferrent. Et hæc sententia est valde probabilis.

Altera

Altera verò ſententia omnino contraria eſt Soti lib.10.de iuſt.q.4.art.3. & 4. Toleti lib.8.ſum.cap.38. Lop. lib.2. de contr. cap. 47. Leſſ.lib.2. de iuſt.cap.4.dub.6.Couarru. in cap. cum in off. de teſtam. Adr. in 4. in materia de reſtit. & aliorum qui tenent clericum beneficiarium eſſe verè Dominum omnium reddituum, quos ex beneficio percipit, etiam illius portionis redundantis. Et videtur eſſe ſententia D.Tho.2.2. q. 185. art. 7. vt conatur oſtendere Sotus, quamuis Nau. illum pro ſe ſtare contendat.

3 Ex qua opinione infertur beneficiarium qui partem ſuperfluam profanè expendit ad nullam reſtitutionem teneri. Et ratio eſt, quia ſi eſt abſolutè Dominus, cur teneatur ad reſtitutionem? quiſque enim rei ſuæ eſt moderator,& arbiter.

Et hæc ſententia magis ad veritatem accedit, & magis cum ipſo iure congruit. Nam cap. vnico de clerico non reſidente dicitur. Qui diuinis officiis non interſunt (niſi infirmitas,ſeu iuſta,& rationabilis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitis reſeruet)non ſunt Domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas, ſed ad reſtitutionem ſic perceptorum obligantur. Supponit ergo alios, qui interſunt fieri dominos; quod ſi iſti fiunt Domini quotidianarum diſtributionum, cur non etiam aliorum prouentuum? præſertim cum omnes dentur propter diuinum officium.

4 Deinde, nullus cogendus eſt ad reſtitutionem alicuius rei, niſi pro comperto habeat eſſe alienam,vel lege iuſtitiæ alteri debitam. Atqui nulla ratione,vel authoritate conſtat beneficiarium,vel non eſſe verè Dominum omnium ſuorum prouentuum, vel aliquam partem horum lege iuſtitiæ alteri deberi, ergo non eſt ad reſtitutionem cogendus. Maior conſtat ex regula iuris. In dubio nemo ſpoliandus eſt iure,quod poſſidet, & in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis. Minor verò probatur,quia hoc neque poteſt conuinci ex modo donationis fidelium, neque ex Eccleſiæ præcepto,aut diſpoſitione,ergo.

QVÆSTIO XIX.

Vtrum ſeruus poſſit habere aliquarũ rerum dominiũ,& de rebus à ſe acquiſitis diſponere?

1 SOtus lib.4.de iuſt.q.2.ar.2.docet ſeruum emptitium nullum poſſe habere dominium, ſed in vniuerſum quidquid lucratur Domino ſuo acquirere. At verò iuſto bello captum non eſſe Dominum eorum, quæ quotidiano labore lucratur, ſed ſolum eorum, quæ vel titulo donationis ſuſceperit, vel titulo hæreditatis, vel ludo fuerit lucratus. Quia cum non ſua culpa in illam conditionem deuenerit, non eſt eius miſeria tanta afflictione coërcenda, quandoquidem vt habet Regula iuris fauores ſunt ampliandi,&c.

2 At verò Arag.2.2.q.62.ar.1.& 2. nullam conſtituit differentiam inter ſeruum bello captum, & emptitium: ſed abſolutè tenet vtrumque ita eſſe Domini ſui, vt quidquid lucretur, Domino ſuo acquirere,& probat ex l.id veſtimentum. ff. de peculio.vbi dicitur, ſeruum non eſſe Dominum veſtimenti quotidiani, quia qui ab alio poſſidetur nihil poſſidere poteſt.

Secundò probat ratione, quia ſi ſeruus ſecundum ſe totum, quidquid eſt, Domini eſt, multò magis ea quæ habet, Domini ſunt; acceſſorium enim ſequitur ſuum principale.

3 Ex quo infertur, dominum nullam iniuriam propriè inferre ſeruo, ſi ei res ſuas adimat, ſicut inferret, ſi ab alio acciperet, quia ius omnia ſerui ſubiicit poteſtati Domini. Peccaret tamen Dominus,ſi id quod conceſſit ei vt proprium, abſque iuſta cauſa auferret.

Pro deciſione tamen dico primò, quod ſi ſpectemus ius humanum,& ciuile, nulla videtur eſſe diſtinctio inter ſeruum qui ſeipſum vendidit, & illũ qui bello iuſto fuit captus. Nam inſtituta per quas perſonas cuique acquiritur §.item vobis ſic habet. Item vobis acquiritur quod ſerui veſtri ex traditione nanciſcuntur,ſiue ex donatione, ſiue ex legato, ſiue ex quauis alia cauſa acquirat. Vbi,vt patet, nulla inter vtrumque ſeruum fit diſtinctio,& vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ita Leſſ.lib.2.cap.4.dub.4.& Arag.2.2.q.62. ar.1.& 2.

4 Secundò dico quod quantùm ad ſeruum iuſto bello captum opinio Magiſtri Sori mihi videtur vera,nam leges quæ pro parte negatiua afferuntur in hoc contraria conſuetudine, & vſu ſunt abrogatæ. Vndè ſecundum Molinam tom. 1. de iuſt. d. 38. & alios communiter in ſeptem caſibus huiuſmodi ſeruus poteſt habere do-

minium, & de rebus à se acquisitis disponere.

Primò quando Dominus expresè, vel tacitè consentit, vt seruus possit aliquid vt proprium habere.

Secundò quando inter seruum, & Dominum intercedit pactum, vt seruus quotidiè certum quid ei soluat, reliquum verò de suis laboribus, ac lucris sibi acquirat. Id quod frequentissimè in Regno Lusitaniæ vsitatur: atque ea ratione multi serui propria pecunia seipsos redimant.

Tertiò quando seruo aliquid donatur, vel relinquitur ea conditione tacita, vel expressa, vt sit serui, & non Domini.

5 Quartò quando seruo aliquis tertius donat, aut relinquit aliquid absolutè, & sine conditione, non tamen intuitu Domini v.g. ob industriam, vel officium exhibitum; hoc enim videtur dari, vt ad Dominum non perueniat.

Quintò quando aliquid lucratur sua pecunia, lucrum enim subit eandem rationem, quam fors, quando quis nomine suo eam exponit.

Sextò quando aliquid sibi subtrahit absque Domini detrimento, quod licitè poterat consumere, vel expendere.

6 Septimò, & vltimò, quando ei aliquid datur a Domino, vel ab alio in compensationem damni sibi illati in iis, ex quibus Domini potestati non subiicitur, vt si Dominus damnum inferret seruo amputando sibi membrum vel quocumque alio modo iniuria eum afficiendo, ob quod iniungitur à Principe, vel à confessario vt seruo suo, aut eius hæredibus pro damno, & iniuria sibi collata tot aureos soluat tunc seruus ille, vel eo mortuo, eius hæredes illius pecuniæ verè Domini erunt. Ratio est, quia compensatio in hoc casu fit, vt ex ea solatium capiat, loco doloris, quem passus est, non vt Dominus inde diteſcat.

Tertiò dico quod quantùm ad seruum emptitium, si quando pretio seruituti se mancipauit, & se, & omnia sua iura quæ habebat, vel habere poterat in futurum, vendidit, tunc ex vi ipsius contractus, quidquid lucratur, aut quotidiano labore, aut ludo, aut alio quocunque titulo, est Domini. Verùm si se tantum, & operas suas, non autem omnia sua iura vendidit, tunc quidquid labore quotidiano aut ludo in diebus, in quibus laborandum est, acquirit, Domini non est. Cætera verò quæ ei eueniunt, ipsius sunt. Vnde ipsius est, quod, vel diebus festiuis, aut aliis diebus expleta opera, ad quam die illa tenebatur, acquirit, vel etiam quæ ei titulo donationis, aut hæreditatis eueniunt. Et ratio est, quia Dominus non habet maius ius in seruum illum, quam quod per contractum venditionis in ipsum acquisiuit præsertim cum seruitus odiosa sit, & non extendenda, nisi ad ea, quæ in contractu venditionis, & emptionis expressa sunt.

QVÆSTIO XX.

Vtrum Deus sit absolutus vitæ humanæ Dominus?

1 REspondeo ex communi omnium sententia solum Deum optimum Maximum esse, qui vitæ, & mortis habet verum, & absolutum dominium, ita vt non solùm tanquam iudex puniendo, vel tanquam iustus defendendo, sed etiam absolutè tanquam humanæ vitæ author potest omnes homines interficere, sicut vnusquisque suum iumentum. Probatur 1. ex illis Sacræ scripturæ testimoniis Deut. 32. ego occidam, & ego viuere faciam, & 1. Reg. 2. Dominus viuificat, & mortificat, & Sap. 16. tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Quibus locis probatur dominium vitæ nostræ Deum sibi reseruasse.

2 Nec valet quod dicit Valent. tom. 3. d. 5. q. 10. p. 10. p. 1. contra hanc probationem, quasi ex his testimoniis non satis probetur Deum esse Dominum vitæ, & mortis, & non hominem, cum eo modo probaretur hominem non habere dominium rerum sublunarium, ex eo quod etiam in Psalm. 32. dicitur. Domini est terra, &c. quia aliunde satis constat ex scripturis hominem rerum omnium inferiorum habuisse à Deo dominium, & nullibi autem legitur hominem vitæ, & mortis Dominum constitutum esse.

Hinc Abrahæ, tanquam vitæ Dominus potuit Deus præcipere, vt filium suum Isaac in sacrificium immolaret. & Sauli vt interficeret omnes Malachitas etiam innocentes: sic etiam Sodomis omnes innocentes & paruulos occidit. Et quando Exod. 32. præcepit per Moysen, vt vnusquisque

quisque occideret fratrem suum, non solùm id iussit tanquam vindex conflati vituli, sed etiam tanquam vitæ, ac mortis Dominus.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum homo sit Dominus vitæ, ac aliorum bonorum corporalium, sicut est Dominus pecuniæ, &c.?

1 AD cuius quæstionis maiorem intelligentiam, obseruandum est primò quod bona corporalia sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt, quæ ex sua natura non ordinantur ad vitæ conseruationem, nec ab ipsis vita dependet, vt pulchritudo &c. & de istis certum est, quod homo est propriè illorum Dominus, cum possit illa dispensare, sicut dispensat pecuniam, & alia bona temporalia. Similiter habet homo dominium proprij corporis, quantum ad aliquos ipsius vsus. Nam cum dicat Apost. 1. ad Cor. 7. mulier sui corporis potestatem non habet. Sed vir: manifestè colligitur quod ipsa quantum ad actum matrimoniale habebat prius facultatem in proprium corpus, alioquin non potuisset illam transferre in virum, cum nemo det, quod non habet. Et idem iudicium ferendum est de aliis actibus corporalibus, vt ambulatio &c. Vnde si quis impediret aliquem ab ambulando, vel operando, faceret ei iniuriam, quia auferret ab eo vsum membrorum, quorum verè, & simpliciter est Dominus.

2 Alia autem sunt, quæ suaptè natura ordinantur ad vitæ conseruationem, & à quibus vita humana dependet, vt salus, incolumitas membrorum &c. & de istis tota difficultas est. An propriæ vitæ, ac aliorum bonorum corporalium, quæ necessaria sunt ad vitæ conseruationem habeat homo plenum atque perfectum dominium?

1 Ledes. in 2. p. q. 18. art. 1. dub. 5. concl. 1. concedit. Quam etiam sententiam aliquando secutus fuit Vict. propter illud Eccles. iast. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Relinquere autem in manu consilij sui, nihil aliud esse videtur, quam facere cum sui, ac propriæ vitæ Dominum.

2 Communis tamen, & vera sententia est, hominem non esse vitæ, & membrorum Dominum, ita vt possit seipsum interimere, aut membra vel vitam pretio vendere, aut illa pro pecunia commutare, sed solùm custodem, & quasi vsuarium, dominium verò horum esse apud solum Deum. Probatur 1. ex scripturis, vt Deut. 32. 1. Reg. 2. & Sap. 16. vbi solus Deus insinuatur esse Dominus vitæ, & mortis.

3 Deinde, ille est Dominus alicuius rei, qui citra iniuriam potest ea pro sua voluntate vti, vsque ad eius dispendium, vt patet de diuite, qui ob id dicitur habere dominium suorum bonorum, quia pro libito potest ea profundere citra alicuius iniuriam, & licet ea dilapidare sine fructu, peccet contra charitatem sibi, vel alteri debitam, non tamen contra iustitiam. Sed homo nullam ob causam nec aliquo colore potest seipsum interficere, etiam si vita eius nulli necessaria sit (lege iustitiæ vetante) quia occidens seipsum, aufert alienum, nempè vitam inuito Deo, qui est vitæ, & mortis Dominus. Vnde Cicero in somnio Scipionis ait, Deus illam legem constituit sempiternam, vt nemo eius iniussu ab hac vita migret. Cui consonat illud Iob 14. constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt, ergo homo non est propriæ vitæ Dominus.

Et confirmatur, si fieri posset, quod is qui me occidit, aut priuauit brachio, posset restituere iniuriam, reparando vitam, aut brachium, nullam ob causam, nec aliquo respectu possem ego remittere obligationem talia restituendi, sed iure naturæ, quo vitam, aut membra teneor conseruare, teneor acceptare illam restitutionem, ergo certissimum argumentum est, non esse hominem Dominum vitæ, aut membrorum, nam in aliis rebus, quarum homo est absolutus Dominus, potest earumdem rerum restitutionem remittere.

4 Præterea vita est fundamentum omnis dominij humani: antequam enim quis vitam accipiat, nullius dominij est capax, quia non est: ergo par non est vt ipsa sub dominio cadat, sicut fundamentum omnium accidentium nō potest esse accidens.

Tandem dominium non potest esse, nisi de rebus distinctis. At vita, & membra non sunt quid distinctum à nobis, sed pars nostri, vel substantia, ergo. Et est conclusio definita in l. liber homo ff. ad legem Aquiliam, vbi expressè habetur, neminem esse

Dominum ſuorum membrorum. Et tradit egregiè D.Thom.2.2.quæſt. 64. art. 5. ad 3. vbi ait, hominem licitè poſſe diſponere de ſeipſo, quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, ſed tranſitum de hac vita, ad aliam non ſubiacere libero eius arbitrio. Hoc idem tenet Coua.lib.1. var. reſol.cap. 2.n.8. Valen.tom.3. d.3.q.10.p.1. Arag.2.2.q. 62.ar.1.& 2. & communis.

5 Argumentum Franciſci Victoriæ ſolùm probat, hominem eſſe Dominum ſui liberi arbitrij, & ſuarum actionum moralium, quas in ſuum commodum ſpirituale, vel corporale,arbitrio ſuo libero exercere poteſt, ex hoc tamen non ſequitur eſſe Dominum vitæ, ſicut non eſt ipſius liberi arbitrij, tamen ſi eo quis,non minus, quam vita,multis modis vtatur.

Obiicies, qui alterum occidit,vel mutilat, facit illi iniuriam contra iuſtitiam commutatiuam, ergo ille habet dominium propriæ vitæ.

Reſpondeo eum qui mutilat,vel occidit alterum,iniuſtitiam committere, non quia alter ſuæ vitæ habet dominium, ſed quia ab eo aufert vſum vitæ,& membrorum.

6 Dices, nullus poteſt rem alienam pro altero exponere, atqui homo poteſt etiam priuata authoritate vitam pro amicis exponere,& membrum,ſalutis gratia,abſcindere,vt in morſu colubri,ergo habet illius dominium.

Reſpondeo,concedo poſſe hominé propriam vitam perdere pro amico, nego tamen quod exinde ſequitur,quod ſit Dominus vitæ.Ratio negationis eſt,quia mortem oppetere pro amico,non eſt ſeipſum occidere,aut ſua vita pro arbitratu ſuo vti,ac ſi eſſet illius Dominus, ſed eſt anteponere opus virtutis, ſcilicet fortitudinis,charitatis, fidelitatis, ac amicitiæ, vitæ corporali, quod tã diuinũ,quã naturale ius approbat.

Similiter quando exponit membrum pro ſalute totius corporis, non facit pro ſua voluntate, ſed neceſſitate compulſus propriæ ſalutis, quæ cauſa etiam eſt rectæ rationi conſentanea.

QVÆSTIO XXII.

Vtrum Princeps, & Reſpublica habeat dominium vitæ ſuorum ciuium?

1 MArt.Ledeſm.2.p.quæſt.18.ar.1.dub. 5.concl. 5. tuetur partem affirmatiuam,& probat primò, quia Princeps interficit malefactores,ſecundo quia in bello exponit probabili periculo mortis vitam ſuorum ciuium,ergo.

2 Sed his non obſtantibus concors eſt Theologorum ſententia, Soti lib.4.de iuſt. quæſt.2.art.3.Ban.2.2. quæſt.62. art. 1. & 2. Valent.tom.3.d.5.q.10.p.1.Arag. & Salon.2. 2.quæſt.62.art.1. & 2.& omnium recentiorum,Principem,vel Rempublicam non habere dominium vitæ, & membrorum ſubditorum. Et ratio eſt, quia Princeps, vel Reſpublica non habet poteſtatem, niſi à ſingulis: ergo cum nemo habeat vitæ, mortiſque ſuæ poteſtatem, neque Reſpublica habere poteſt.

Deinde,priuatus homo maius,& immediatius ius habet in vitã propriam, quam Reſpublica, cuius ſignum eſt, quia cum quis occiditur, maior iniuria fit occiſo, quam Reipublicæ, ſi ergo homo vitæ propriæ non eſt Dominus, multò minus erit Reſpublica.

Tandem,qui eſt verus Dominus alicuius rei, poteſt liberè re illa vti vſque ad eius interitum: ſed Princeps, vel Reſpublica non poteſt pro ſuo libito de vita ſuorum ciuium diſponere,neque innocentes interficere,aut mutilare,ergo non eſt Dominus vitæ ſuorum ciuium. Maior patet ex definitione dominij. Minor verò probatur, quia ex communi omnium in duobus tantùm caſibus Princeps, vel Reſpublica poteſt ſuum ſubditum occidere, vel vitam eius manifeſto diſcrimini obiicere.

3 Primò ſi ciuis ille aliquod delictum, quod in iure punitur pœna capitis,perpetrauit.

Secundò quando ſic exigit ratio boni communis.

Nec obſtat, quod Princeps poſſit interficere malefactores, & exponere ſubditorum vitam in bello,quia id facit,non vt illorum Dominus, ſed vt cuſtos tranquillitatis, & boni publici:ſicut homo vt cuſtos vitæ ſuæ reſecat membrum putridum, & exponit partem,pro ſalute totius.

4 Hinc,quando Ariſtot.lib.5.Ethycorum, cap.1.dicit quod qui ſe, vel alium occidit, facit iniuriam Reipublicæ, non ideo dicit, quia vitæ hominum ſit domina, ſed quia habet Reſpublica cuſtodiam vitæ ſuorum ciuium. Quemadmodum qui violat puellam commiſſam Tutori, iniuriam irrogat

non

non ſolum puellæ, verum etiam Tutori, non quia Tutor ſit illius Dominus, ſed quia eſt ſub illius cuſtodia.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum homo ſit Dominus ſuæ famæ, & honoris?

1 ILluſtriſſimus Caiet.2.2.q.73.art 2.& in ſum. verb. det actio. Syluest. ibidem q.3. Armil. verb.detractio §. 4.& multi alij tenent hominem non eſſe Dominum propriæ famæ, & honoris, ſicut nec vitæ, ſed eius dominium reſidere penes Rempublicam. Vnde inferunt quod ſicut homo non poteſt ſeipſum interficere, eò quod per hoc noceret communitati, cuius eſt pars, eadem ratione nec ſeipſum diffamare poteſt, fundamentum autem huius opinionis eſt, quia Eccleſiaſt. 41. dicitur. Curam habe de bono nomine. Vbi videtur homo conſtitui tantum cuſtos famæ,& non Dominus vt pecuniæ.Cui conſonat illud Prouerb. 22. melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Vnde D. Auguſt. in lib. de bono viduitatis cap. 20. reprehendit eos, qui negligunt propriam famam, & rationem addit, quia nobis neceſſaria eſt vita noſtra,& aliis vero fama noſtra.Ex quibus verbis inſinuare videtur dominium famæ noſtræ eſſe penes Rempublicam, & Eccleſiam, quia ex fama ciuium conſtat fama Reipublicæ, & idcirco qui infamat ſeipſum, eſt iniurius ſuæ Reipublicæ, & Eccleſiæ, cuius eſt pars, & per conſequens peccat non ſolum contra charitatem, verum etiam contra iuſtitiam.

2 Ex qua ſententia infert primo Caiet. quod infamare ſeipſum ex genere ſuo eſt mortale peccatum,& grauius, quam infamare proximum,cum ex ordine charitatis homo teneatur magis diligere ſeipſum, quam proximum.

Secundò infert quod ſi quis poſitus in tormentis infamat ſeipſum imponendo ſibi aliquod crimen,quod nunquam commiſit, peccat duplici iniquitate.

Primò, quia ſuam famam denigrat.

Secundò, quia mentitur perniciosè in iudicio.Vnde ſicut tradit Apoſtol.non ſunt facienda mala, vt inde eueniunt bona, multo minus erunt facienda mala culpæ, vt euitentur mala pœnæ.

Tertiò, & vltimò infert, quod ſi quis infamat ſeipſum reuelando falſum crimen, tenetur ſe retractare, & reſtituere famam ſibi, & Reipublicæ, cui neceſſaria eſt cuiuſcunque fama, quod ſi facere noluerit, non eſt abſoluendus. Ratio ipſius eſt, quia cum homo ſit pars Reipublicæ,fama ipſius erit etiam Reipublicæ. Vnde cum per talem reuelationem iniuſtè priuauerit Rempublicam fama cuiuſdam ſui membri, tenebitur ad illius reſtitutionem, ſicut tenetur ad reſtitutionem famæ cuiuſcunque alterius,ſi illum diffamaſſet.

3 Contrariam tamen ſententiam tenent communiter Theologi in 4.diſtin.15.D.Th. 2.2.q.64.art. 5. ad 3. quæſt.73. art.4.ad primum, & quæſt.129.art.1. Sot.lib.4. quæſt.1. art.1.Ban.2.2.quæſt.62.art.1. & 2.Val.tom.3. d.5.quæſt.6.par.5.Arag.2.2.quæſt.62.art.1.& 2.Mart.Nauar.cap.18.num. 27. & 28.Couar. lib.1.var.cap.2.num. 8. Med. in inſtr. conf. cap.14.§.36.& Petr.Nauar.lib.2. de reſt.ca. 4.num.113.videlicet hominem verè,& propriè loquendo hãbere dominium ſuæ famæ, & honoris,ſicut habet dominium pecuniarum & aliorum bonorum temporalium. Probatur 1.ex doctrina D.Tho.2.2.q. 64.art.5.ad 3. vbi ait hominem eſſe Dominum eorum omnium, quæ acquirit libero ſuo arbitrio. Ex quo loco ſic argumentor.

4 Honor, & fama ſunt proprio labore, propriáque induſtria acquiſita, & aucta: ergo ſumus illorum Domini. Antecedens per ſe conſtat. Conſequentia verò probatur,nam propterea ſumus Domini diuitiarum, quia illas propria induſtria,& labore acquirimus, nec datur conuenientior titulus ad habendum alicuius rei dominium,quàm quod fuerit proprio labore,& ingenio acquiſita.

Secundò probatur; homo verè eſt Dominus eorum bonorum, quæ citra vllius iniuriam poteſt prodigere, & conſumere; ſed eius generis ſunt fame, & honor,ergo &c.Maior patet, quia ob id homo non eſt propriæ vitæ Dominus,quia nulla ratione, vel cauſa, puta nec pro vitanda culpa,nec pro vitanda miſeria,vel acquirenda ſuprema felicitate, poteſt ſeipſum morti tradere vt rectè docet D. Th.2.2.q.64.art.5.ad 3. Minor probatur,nam nulla eſt lex iuſtitiæ, quæ prohibet contemnere honorem,& famam, ſicut & diuitias, imò ſancti famam neglexerunt, vt de Sancto Ambroſio, qui fertur fœminas in ſuum cubiculum introduxiſſe,

duxiſſe, vt illa infamia à conſecutione Epiſcopatus impediretur: & S. Aug. in lib. confeſſ. multa ſuorum peccatorum detegit, & S. Anſel. amiſſam virginitatem lamentabiliter deplorat, quod illis nefas eſſet, niſi eſſent propriæ famæ Domini.

5 Tertiò homo per iniuriam expoliatus ſuo honore, & fama, poteſt detractori remittere reſtitutionem ſuæ famæ, ergo eſt Dominus illius. Antecedens conceditur à S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4. ad primum vbi ait in libero arbitrio hominis poſitum eſſe, pati detrimentum in propria fama, niſi hoc vergat in perniciem aliorum. Conſequentia autem probatur, nam ſi ego non ſum Dominus meæ famæ, ſequitur quod alter erit Dominus illius, cui ex conſequenti fit iniuria, cum à me iniuſtè fama aufertur, ſed ſatisfactionem iniuriæ alteri illatæ nullus poteſt remittere, niſi per conſenſum eius qui eſt verus Dominus, ergo ſequitur quod homo eſt Dominus ſuæ famæ, atque honoris, ſicut eſt Dominus bonorum temporalium.

Obiicies, homo libere poteſt remittere abſciſſionem membri, cuius tamen non eſt Dominus.

6 Reſpondeo non eſſe eandem rationem huius, & illius caſus, ſi enim ipſummet brachium abſciſſum idem numero, vel ſpecie poſſet reſtitui, non liceret homini remittere reſtitutionem illius: quia ergo membrum illud iterum recuperari non poteſt, ratio requirit, vt pecuniis illud damnum recompenſetur, quarum pecuniarum cum ſit Dominus, poterit detrimentum in membri abſciſſione ſibi illatum, & per pecuniam, cuius eſt Dominus, reſarciendum remittere. Vnde cum fama per iniuriam ablata eadem numero, vel ſpecie reſtitui poſſit, conſequenter ſi poſſim reſtitutionem famæ illi, qui me iniuſtè diffamauit remittere, verè famæ, & honoris mei Dominus ego, ſicut bonorum temporalium, quorum habeo dominium, reſtitutionem remittere poſſum.

7 Quartò probatur, ſi homo non eſſet Dominus ſuæ famæ, ſequeretur quod ſi per iniuriam ſuo honore, & fama ſpoliatur, teneretur reſpondere, & expurgare ſe à crimine obiecto, ſed hoc eſt falſum, & abſurdum, ergo & id vnde ſequitur. Maior propoſitio patet, nam quia ergo non ſum Dominus propriæ vitæ, non poſſum ab alio me occidi permittere, ſed teneor reſiſtere, & impedire meliori modo quo poſſum. Minor verò probatur exemplo noſtri Saluatoris, qui cum in multis criminibus accuſaretur, nihil reſpondebat, ita vt miraretur Præſes vehementer. Vnde Iſai. 53. de eo dicitur, tanquam ouis coram tondente ſe obmutuit. Quare altiſſimum perfectionis opus à ſanctis iudicatum eſt, nolle ſe defendere, & excuſare, cum poſſet ſuam innocentiam manifeſtare, quod videtur probare Paulus dum dicit, non vos defendentes, ſed date locum iræ.

8 Quintò, & vltimò probatur honor, vt tradit Ariſt. 1. & 10. Ethycor. eſt præmium virtutis, ergo ſicut homo eſt Dominus bonorum moralium, quibus fama, & honor comparantur, ita etiam, & præmij eorumdem Dominus erit.

QVÆSTIO XXIV.

Cuiuſnam famæ homo ſit Dominus, an illius præcisè quæ debetur ſuis meritis, an etiam illius quæ vltra merita ab hominibus conceditur, an vtriuſque?

1 AD hoc dico primò, quod vnuſquiſque eſt Dominus famæ, quæ vitæ, & meritis ſuis debetur. Ratio eſt, quia cum fama hæc proprio labore, & propriis operib. acquiſita ſit, æquè Dominus eſt illius, ac pecuniarum, artium, & ſcientiarum, quas propria induſtria comparauit.

Secundò dico quod quando quis poſſidet eam famam, quæ ſuæ vitæ, & meritis non debetur, vt v.g. eſt occultè iniquus, & inhoneſtus, ſed exterius probus, & caſtus apparet, verè & abſolutè habet illius famę Dominium, & qui eum illa ſpoliaret, peccaret moraliter cum obligatione reſtituendi. Ratio eſt, quia licet iſte non mereatur bonam famam, alij tamen, quia iudicare debent ſecundum ea', quæ foris videntur, tenentur de eo bonam exiſtimationem habere, & ſic qui contrarium facit, maximam ei iniuriam infert.

2 Tertiò dico quod quando fama non debetur meritis, nec alij de eo bonam opinionem habere iure cogũtur, etiam ſi apud alios bene audiat, non eſt Dominus talis famæ, nec qui eum tali fama priuat, ad aliquam tenetur reſtitutionem, v. g. eſt aliquis concionator, qui reuera eſt imperitus,

ſed

ſed apud vulgares bonus concionator reputatur, ille non eſt Dominus talis famæ, nec qui de eo malè loquitur, facit illi iniuriam. Et ratio eſt, quia cum hic publicè concionetur, nullus tenetur habere bonam exiſtimationem de illo, ac proinde qui illum ea priuat, nullam ei iniuriam irrogat. Si autem id faceret ex odio, vel inuidia, peccaret quidem contra charitatem, & per conſequens ad nullam teneretur reſtitutionem, cum non peccaret contra iuſtitiam.

3 Ex dictis ſequitur primò, quod infamare ſeipſum, ſi iuſta, & rationabilis cauſa ſubſit, non eſt peccatum, ſed opus laudabile, atque adeò virtus. Vt cum quis confeſſori ſua peccata manifeſtat, vel extra confeſſionem ad capiendum conſilium, vel leuandam triſtitiam, vel denique ad maiorem ſui humilitatem, & aliorũ ædificationem, ſuam famam prodigit, ſicut latro ille apud Climacum gradu quarto, qui publicè grauiſſima crimina confeſſus eſt. Quam cauſam habuiſſe videtur Ambroſius qui (ſi vera eſt hiſtoria) vt Epiſcopatum fugeret, fœminas in cubiculum ſuum incluſiſſe fertur.

Item ratione iuſtitiæ, vt cum' quis falſum contra proximum dixit teſtimonium, tenetur palam retractare cum periculo propriæ famæ.

4 Tandem eſſet opus meritorium, magnæque virtutis, atque conſtantiæ, ſi quis permitteret ſe infamari pro amico, vt ſi ego commiſi ſtuprum, quod falsò imputatur Titio, in quo caſu nulla lege compellor reuelare meum crimen, quia non fui cauſa, ſed occaſio, vt alteri imponeretur, ſed nihilominus poſſum cedere iuri meo, & prodere me ipſum ad protegendum famam amici. Imò ſi Titius commiſiſſet ſtuprum, quod tamen falsò mihi aſcribitur, quamuis poſſem me expurgare, liceret nihilominus mihi tacere, vt infamia mea cuſtodirem famam amici, ſicut licet ponere vitam pro amicis, iuxta illud Io. xv. maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam ſuam, id eſt vitam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ratio horum omnium eſt, quia in his caſibus eſt honeſta cauſa reuelandi crimen, & ideo nullum eſt peccatum hac parte ſe infamare. Ita Sot. lib. 4. quæſt. 1. art. 1.

5 Secundò ſequitur, quod infamare ſeipſum temerè, & ſine rationabili cauſa peccatum eſt. Probatur, nam reuelare peccatum, eſt contra naturam peccati, quod ſuaptè natura debet abſcondi, cum ſit malum, & contra naturam famæ, quæ cum ſit quoddam bonum conſeruanda eſt. Ita Arag. 2. 2. quæſt. 62. art. 1. & 2.

6 Tertiò ſequitur, quod infamare ſeipſum reuelando temerè ſuum crimen ex genere ſuo peccatum eſt, ſed non contra iuſtitiam. Probatur, nam vbi non eſt iniuria, ibi non eſt iniuſtitia: at qui temerè ſe infamat nulli facit iniuriam, ergo non peccat contra iuſtitiam. Maior per ſe conſtat. Minor verò probatur, & primò quod ſibi nullam facit iniuriam, quoniam ipſe voluntariè amittit, & volenti vt 5. Ethyc. docet Ariſt. & & habetur in Regul. iuris, non fit iniuria; & quia iuſtitia, vt ibidem tradit Ariſt. eſt ad alterum, & ideo hominis ad ſeipſum, nec iuſtitia eſt, nec iniuſtitia, & per conſequens nec iniuria. Nec etiam Reipublicæ, quia ipſe eſt Dominus ſuæ famæ. Vnde licet peccet mortaliter famam perdendo, quæ proximo eſt neceſſaria, tamen ad reſtitutionem non tenetur, cum non inferatur damnum ex tranſgreſſione iuſtitiæ, ſed tantùm charitatis.

7 Quartò ſequitur, quod ſimpliciter infamare ſeipſum, reuelando ſuum crimen proprium ſine rationabili cauſa ex genere ſuo eſt tantum veniale peccatum, ſicut verbum otioſum. Et ratio eſt, quia eſt prodigalitas, quæ ex ſuo genere venialis eſt.

Tum quia infamare ſeipſum non eſt contra charitatem proximi, quia nemini nocet, nec contra charitatem propriam, qua quis tenetur ſe diligere; de per ſe, & primò ſolum obligat quantum ad bona ſpiritualia: ſed quantum ad bona temporalia non obligat, niſi quatenus ſunt neceſſaria ad finem ſpiritualem, ergo quando fama non eſt ſibi, nec aliis neceſſaria, vel plurimum inducens ad virtutem, neque ex eius infamia ſequitur ſcandalum, vel occaſio datur aliis peccandi, non eſt contra charitatem eam prodigere, ſed ſolum contra feruorem charitatis, & ideo ex genere ſuo non eſt niſi peccatum veniale.

Et confirmatur, prodigere bona temporalia ſine cauſa, ex genere ſuo, non eſt, pluſquam veniale, quia homo habet liberum dominium ſuorum bonorum, ſed ſolum eſſet mortale per accidens, videlicet ſi ho-

mo teneretur alere, aut opem ferre pauperibus extremè indigentibus, ergo neque negligere propriam famam est plusquam veniale. Probo consequentiam, quia honor, & fama inter bona temporalia, & externa computantur.

Dixi notanter (ex genere suo) quia ex circumstantia infamare seipsum potest esse peccatum mortale, quod contingit in septem casibus.

8 Primò quando homo perperam, & sine causa peccatum suum occultum referens, de illo gloriatur, & sibi complacet, ac delectatur, contra quem dicitur Psal. 55. Quid gloriaris in malitia? Et Psal. 93. Vsquequò peccatores gloriabuntur? Vnde iuuenes, qui talia à se crimina perpetrata dicunt, multiplici iniquitate fœdantur.

Primò quia se infamant, quod omnium minimum est.

Secundò quia de peccatis commissis gloriantur.

Tertio quia illa eis placent.

Quartò quia scandalizant audientes, qui in eo affectu eos persistere intelligunt.

Quintò, & vltimò, quod omnium pessimum est, quia complices produnt, præcipuè si feminæ bonæ famæ sint.

Secundò quando infamat se de crimine hæresis, aut proditionis boni communis, vel de aliis grauissimis, & enormissimis peccatis, vt de peccato nefando, simonia &c.

Tertiò ratione scandali, quando scilicet eius infamia est aliis occasio peccandi, quia illius vita, & mores sunt aliis in exemplum.

9 Quartò si est publica persona, cuius fama aliis est obligata, & eius infamia vergit in infamiam suæ Reipublicæ, vel ipse sic fama spoliatus non potest debitè suum officium exequi, ac aliorum commodum procurare, ob quod eorum subditi damnificantur. Et ratio est, quia in tali casu hic ex iustitia tenetur procurare bonum commune, & omnia media ad illud necessaria. Vnde fama patrisfamilias ex iustitia obligata est filiis, & fama Prælati eodem modo obligata est subditis, & sic de aliis. Vnde in his casibus non potest homo disponere de sua fama, ac si esset persona libera, quia ex iustitia tenetur procurare bonum aliorum, cui liberè omnino cedere nequit. Sic D. Th. 2.2. q. 73. ar. 4. ad primum Nauar. c. 18. num. 28. & alij.

Quintò cum quis se infamat de crimine, ex cuius infamia alij eiusdem status, in hominum opinione patiuntur damnum sui honoris, vt si Religiosus crimen detegat, vel Monialis, ex quo Religioni, vel Monasterio grauis infamia sequitur, solent n. seculares vnius vitio alios contemptui habere. Vnde Petr. Nauar. loco sup. cit. existimat in hoc casu Religiosum peccare contra iustitiam, quia fama sua nō est tam sua, quam Religionis, cui cedere non potest.

11 Sextò cum falsum sibi crimen imponit cum iuramento. Et ratio huius est, quia omne periurium etiam non pernicioſum est peccatum mortale, vt rectè docet. Nau. cap. 18. num. 28.

Septimò, & vltimò, cum fama mea est mihi omnino necessaria, aut maximè vtilis, & conueniens ad salutem animæ, vel corporis. Et ratio est, quia contingere potest, vt si quis detegat peccatum, vel sibi falsum imponat, eum incurrere periculum probabile peccandi mortaliter, vt accidit in fœminis, quæ indigent notabiliter fama ad se honestè continendum, aut periculum mortis, aut alicuius membri iacturam, & tunc qui sine causa iusta se prodit peccat primò contra charitatem, quia sibi infert notabile damnum, ad quod vitandum cogitur lege, & præcepto charitatis.

Secundò peccat contra iustitiam, quia quo iure tenetur ad aliquid faciendum, vel conseruandum, eodem compellitur ad media, quæ illi sunt necessaria, vel maximè vtilia, cum medium, & finis pertineant ad idem genus præcepti, sed vnusquisque tenetur ex iustitia tueri propriam vitam, ergo ad conseruandam famam, quando ad hoc necessaria est, vel maximè conueniens.

12 Quintò sequitur quòd quando mea fama est necessaria, vel maximè vtilis ad vitam, tum spiritualem, tum corporalem proximi, cuius tamen cura ex officio mihi non competit, tunc infamare seipsum peccatum mortale est contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Et quidem quod sit contra charitatem, ex eo colligitur, quia sic me infamando, proximo qui mea fama indigebat, plurimum noceo, præcepto enim charitatis tenetur vnusquisque procurare, ne aliis exemplo suo, scandalo, & ruinæ spirituali sit, vt v. g. est in hoc Monasterio B. Mariæ Montis Regalis, Religiosus quidam, qui suo bono exemplo, & bono nomine

mine facit animum aliis Religiosis, vt sint Regulares, quam regularitatem non ita custodient, si illius Religiosi fama vitietur, in hoc casu peccat mortaliter hic Religiosus prodigens famam suam, quia plurimum damnum infert illis Religiosis, tenetúrque lege charitatis procurare ne sit aliis nocumento. Non tamen peccat contra iustitiam, quia præsuppono hunc Religiosum esse personam priuatam, & Religiosos quibus eius fama necessaria est, vel plurimũ conducens, nõ esse sub illius cura.

13 Sequitur, quod qui metu mortis, aut tormentorum crimen occultum confitetur, non peccat. Imò Scotus in 4. dist. 15. q. 3. existimat id esse opus virtutis vt scilicet Reus confitendo crimen quod fecit, pœnam subeat pro illo à lege taxatam.

Septimò sequitur, quod qui metu tormentorum confitetur crimen quod non commisit, si hoc non vergit in prejudicium aliorum, non peccat mortaliter. Et ratio est, quia cum homo sit Dominus propriæ famæ, prodigere illam, vt se à grauissimo dolore se liberet, non potest esse peccatum mortale. Sicut nec etiam est peccatum mortale, opes suas perdere, ad declinandam vim tormentorum, connumeratur enim fama inter res externas, quarum homo habet verum, & perfectum dominium. Ita Arag. 2.2. q. 62. art. 1. & 2. Nau. c. 18. num. 28. & alij, à quibus tamen recedit Sylvest. verb. detractio, q. 3.

14 Octauò sequitur, quod si ex eo quod quis confitetur delictum, quod non fecit, imminet ei periculum mortis, aut truncationis membri, tunc talis confessio est peccatum mortale, non propterea quia seipsum infamat, cum propriæ famæ sit Dominus, sed quia talis confessio est sibi causa mortis, quod est peccatum mortale iuxta illam Reg. iuris. Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, & tradit Nauar. c. 18. n. 28. & Arag. 2.2. q. 62. ar. 1. & 2.

Nonò, & vltimò dico, quod quomodocunque quispiam se diffamauerit imponendo sibi crimen, siue illud sit verum, siue falsum, non tenetur ad restitutionem iuxta famæ, nec se retractare ante mortem, quidquid dicat Sylvest. verb. detractio q. 3. fundamentum huius est, quia nemini facit iniuriam.

Tum quia si alicui deberet famam restituere, non deberet nisi sibi, qui est Dominus illius, ob idque potest sibi restitutionem remittere.

15 Est autem hic considerandum, quod non obstante dominio particulari, quod singuli subditi habent suæ propriæ famæ, habet etiam Respublica dominium altum, seu generale eiusdem famæ. Et ratio est, quia sicut Respublica non dicitur vere, & propriè habere dominium bonorum suorum ciuium, sed solum pro vtilitate, & necessitate boni communis, ita neque simpliciter domina est famæ eorumdem, sed tunc solum quando ipsa indiget fama suorum ciuium, quia tunc bonum, vel malum partis redundat in bonum, vel malum totius. Vnde D. August. in epist. 137. cap. 2. ait. Cum de aliquibus qui sanctum nomen profitentur aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.

16 Restat nunc vt respondeamus ad argumenta Caietani, &c. & primò ad illud Eccles. 41. & Prouerb. 22. respon. quod ex illis locis solum commendatur custodia honoris, & famæ ex præcepto charitatis, hoc tamen non tollit, quin homo sit suæ famæ Dominus, sicut Respublica est custos vitæ, & bonorum suorum ciuium, non tamen domina.

Secundò dico, commendari ibi exercitium virtutum. Vnde sensus est. Curam habe de bono nomine, ideſt nihil facias vitiosum, & contra virtutem, vt sic habeas bonum nomen.

17 Et ad illud D. Patris August. resp. quod D. Aug. loquebatur de quibusdam fœminis, quæ cum sanctæ à populis haberentur, conabantur ipsæ humilitatis prætextu suam famam prodigere, vt vilius æstimarentur, quod D. Aug. redarguit, non quia tales mulieres non essent propriæ famæ dominæ, sed quia eam sine scandalo negligere non poterant, maximè in Ecclesia primitiua, quando infamia vnius Christiani in totius Christianitatis dedecus cedebat.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum homo sit Dominus bonorum spiritualium vt fidei actus fiat, spei, charitatis & opera meritoria?

1 SOtus lib. 2. de iust. q. 2. ar. 1. negat hominé esse Dominũ huiusmodi rerum,

& probat ex eo quod perfectior est vita spiritualis vita corporali: ergo sicut homo non est dominus vitæ corporalis, sed Deus dominium illius sibi reseruauit, ita etiã nec est dominus vitæ spiritualis, nempè gratiæ, & virtutum, ac aliorum bonorum spiritualiũ, quæ necessaria sunt ad illius conseruationem. Vnde Psal.23. vocatur Deus, dominus virtutum, & Psal.83. dicitur, gratiam, & gloriam dabit Dominus, ergo.

Contraria tamen verior, & communior opinio est, quam tenent Melchior Cano. in rel. de pœn. p.4. in resp. ad 2. Ban. 2.2. qu.62. art.1. & 2. Val. tom.3. d.5. q.10. p.1. Arag. 2.2. q. 62. art.1. & 2. Bart. Med. 1.2. quæst.73. art.9. & Salon. 2.2. q.62. art.1. & 2. pro quo.

2 Primò dico quod homo verè, & propriè est Dominus bonorum spiritualium, cuiusmodi sunt gratia, charitas, & aliæ virtutes, vel dona infusa, quæ faciunt hominem Bonum formaliter, & intrinsecè. Probatur 1. ex illo testimonio Ecclesiast.15. Deus fecit hominem rectum, & reliquit eum in manu consilij sui. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Ex quibus verbis apertè colligitur hominem esse Dominum sui liberi arbitrij ad operandum bona, vel mala, & per consequens Dominum bonorum spiritualium, quæ per proprias suas operationes, & propria industria, ac diligentia sibi acquirit.

Et confirmatur, homo per facultatem liberi arbitrij est Dominus suarum operationum etiam supernaturalium, quibus comparat sibi à Deo gratiam & reliquas virtutes infusas, ergo est Dominus illarum, quæ per huiusmodi operationes habentur.

Secundò probatur, ea quæ (Deo fauente) proprio labore, & industria acquirimus nostro subsunt dominio. Atqui bona spiritualia à nobis acquiruntur proprio labore, & propria diligentia, ergo. Maior propositio patet, nam ex eo dicimus hominem habere dominium bonorum temporalium, & propriæ famæ, quia hæc omnia, propria vniuscuiusque industria, atque labore comparantur. Minor verò probatur ex illo Isa. 26. omnia opera nostra operatus es nobis Domine. Vbi merita appellantur opera nostra, ergo.

3 Tertiò si homo non esset Dominus gratiæ, & aliorum bonorum spiritualium, sequeretur, quòd quotiescunque peccaret mortaliter, v.g. furando &c. duplex peccatum committeret, vnum contra præceptum de non furando, & alterum contra iustitiam, quia prodigeret rem, nempe gratiam, cuius non est Dominus, quod est ridiculum, vnum enim tantum peccatum committit.

Quartò ex opposita sententia sequeretur, quòd qui mortale peccatum committeret, teneretur statim sub reatu mortali pœnitere: quod est falsissimum, vt ex communi docet Nauar. cap.1. num.27. ergo. Probo consequentiam. Nam præceptum restituendi cùm includat negationem de non retinendo rem alienam inuito Domino, obligat statim vt rectè tradit D.Tho. 2.2. q. 62. art.8. ergo si gratia, & virtutes non sunt bona nostra, sed aliena, confestim tenebimur, postquam eas per iniuriam læserimus, restituere.

4 Quintò si homo non esset Dominus bonorum spiritualium, ergo aliquis alius esset illorum Dominus, atque ex consequenti, qui esset causa, vt homo amitteret gratiam, & reliquas virtutes infusas, non solùm teneretur curare illius conuersionem, verùm etiam aliquid restituere ei, qui esset verus illorum bonorum Dominus, quod est pluspquam falsum.

Sextò, & vltimò probatur, volenti se interficere corporaliter, quisque priuatus potest vim inferre, ne se occidat, quam violentiam non licet inferre volenti se interficere spiritualiter, nisi ille qui infert, sit superior, vt omnes Doctores admittunt: sed huius differentiæ non potest alia assignari ratio, nisi quòd vitæ corporalis nemo habet dominium, sicut habet vitæ spiritualis, ergo.

5 Hoc idem videtur sentire D.Tho. 2.2. q. 64. art.5. ad 3. vbi dicit quòd homo constituitur Dominus sui ipsius per liberum arbitrium, & sic licitè potest disponere de seipso quantùm ad ea, quæ subsunt libero arbitrio; certum est autem quòd bona spiritualia subiacent libero hominis arbitrio, ergo.

Secundò dico quòd homo verè, & absolutè habet dominium illorum bonorum spiritualium, quæ ex nostris actibus in anima relinquuntur, cuiusmodi sunt scientiæ, & virtutes acquisitæ, artes, & similia. Et ratio est, quia potest habens illa, liberè vti in omnem vsum citra alterius iniuriam, quod satis est, ac sufficit ad perfe

perfectam rationem dominij.

Tum quia illa nobis comparamus noſtra induſtria,,& propria ac libera facultate,& diligentia,ergo.

6 Tertiò dico quòd homo verè, & propriè eſt Dominus bonorum ſpiritualium, quæ non faciunt hominem bonum formaliter,& intrinſecè,cuiuſmodi ſunt, iuriſdictio ſpiritualis,& poteſtas Eccleſiaſtica ad terminandas lites ſpirituales, beneficia ſpiritualia, iura ſcilicet ad percipiendas decimas &c.Vt Parochia,Epiſcopatus,Decanatus &c.Probatur, Epiſcopus, & Parochus poſſunt liberè tradere cui voluerint iuriſdictionem Eccleſiaſticam omnem, quam habent, & iura ad exigendas decimas ſibi debitas, licet non vendendo,quia hoc eſt lege prohibitum,ſed reſignando,& liberè donando, ergo ſunt illorum Domini.Probo conſequentiam, nam nihil aliud requiritur ad rationem dominij, quàm vt poſſit quis liberè diſponere de re ſua ad omnem vſum iure non prohibitum citra alterius iniuriam.

7 Quartò,& vltimò,dico,quòd bona illa gratiæ gratis datæ,quæ in noſtra poteſtate non ſunt, vt donum prophetiæ,linguarum, miraculorum,& id genus alia,non ſubduntur noſtro dominio. Et ratio eſt, quia non ſunt in noſtra libertate, ſed in illis ſe habet homo merè paſſiuè,& ſolùm Deus vtitur nobis ad eos effectus percipiendos pro vt vult. Vnde habent iſta bona aliquando homines reprobi exiſtentes in actu peccati mortalis,vt fuit Caïfas,& Saül.

Et ad argumentum pro opinione Soti adductum reſpondeo,negando conſequentiam. Nam ratio dominij non debet deſumi ex rei dignitate, atque præſtantia, ſed ex poteſtate,quam quis habet ſuper illam: certum eſt autem quòd maiorem poteſtatem habet homo ſupra vitam ſpiritualem, quàm ſuper vitam corporalem, adeo vt volenti ſe occidere corporaliter,vnuſquiſque lege charitatis tenetur vim inferre, ne ſe occidat.Quam violentiam volenti ſe occidere ſpiritualiter nemini licet inferre, niſi is qui infert, ſit ſuperior, vt Cano, Arag. Ban. & alij ſupra citati rectè annotarunt.

8 Illa verò ſacræ Scripturæ loca Pſal.23. & 83. ſolum oſtendunt nos habere gratiam, & reliquas virtutes infuſas ex dono Dei,quod eſt veriſſimum: non tamen inde inferre licet, nos non eſſe huiuſmodi rerum dominos,nam & bona temporalia habemus à Deo,quorum tamen poſtquam ea data ſunt nobis,veri Domini ſumus.

Ex quo colligitur hominem exiſtentem in peccato mortali nullo iure,& præcepto compelli ad ſtatim pœnitendum de peccato commiſſo. Et ratio eſt, quia cum homo ſit Dominus ſuorum bonorum ſpiritualium, poteſt (citra tamen ſcandalum aliorum)iuri ſuo cedere, ac pati in bonis ſuis damnum,quod vult.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum vnus homo poſſit eſſe Dominus alterius.

1 PRo huius difficultatis intelligentia obſeruandum eſt primò ex Ariſt.lib. 1.Pol.cap.3.& 4.lib.7.cap. 14. quod duplex eſt ſeruitus ſcilicet naturalis, & legalis. Naturalis eſt, qua vnus homo non valens ſeipſum gubernare propter defectum ætatis, vel prudentiæ, vel vſu rationis, iure naturæ ſeruus eſt alterius hominis, qui conſilio, & prudentia potens eſt ad eum gubernandum. Sicut anima ſenſitiua in homine iure naturæ ſerua eſt rationis, quia ab ea debet Regi, & Gubernari, & hæc ſeruitus naturalis in rigore, & proprietate non eſt propriè ſeruitus, quia ſeruitus propriè ſumpta dicit carentiam libertatis,qui autem ſunt ſerui ſeruitute naturali,non ſunt mancipia,ſed omnino liberi,& Domini ſuarum actionum, & rerum.

2 Tum quia ſeruitus propriè loquendo dicit malum, & incommodum eius qui ſeruit ad bonum, & commodum eius qui dominatur, ſi quidem ſeruus quidquid eſt, Domini eſt. Qui autem ſeruiunt ſeruitute naturali, non propter dominorum gubernantium vtilitatem ſeruiunt, ſed propter ſuum commodum, cùm ipſis maximè ſit vtile gubernari à ſapientibus. Quocirca ſagax natura ſic condidit genus humanum,vt eſſent alij ingenio ad imperandum idonei,alij verò corporeis neruis,ac membris corroborati eſſent ad ſeruiendum prompti. Et hæc ſeruitus dicitur naturalis, non quidem quia ſit à natura inſtituta, nam omnes homines naturaliter naſcuntur liberi, vt habetur Eccleſ. 25. ſed quia cum regere, & gubernare ſit actus prudentiæ, & ingenij, ipſa natura ſagax producens

alios

alios ſapientiores,& induſtriores,alios verò hebetiores,& rudiores,requirit,vt præſtantiori natura, & ingenio prædíti,rudioribus præſint, & dominentur. Vnde Marc. Tul. dicebat, qui ratione excedit, debet etiam & dominatione excedere, iuxta illud Prouerb. 1. intelligens gubernacula poſſidebit.

Alia ſeruitus eſt legalis, hoc eſt per legem poſitiuam introducta,qua vnus homo alteri vtitur ad ſuam propriam vtilitatem, & commodum, ſicut iumentum. Et hæc appellatur propriè ciuilis ſeruitus.

3 Ex quo colligitur, dominium bifariam ſumi poſſe: vno modo vt opponitur ſeruituti legali, alio verò modo vt opponitur ſeruituti naturali. Primum dominium eſt verè,& propriè dominium,reſpicitque veram,& propriam ſeruitutem, qualis eſt legalis, & hoc dicitur dominium dominatiuum, ſeu tyrannicum quod ad propriam vtilitatem, & commodum, & non ad bonum ſeruorum eſt ordinatum, & iſto modo dicitur homo habere dominium rerum inſenſibilium, & vſu rationis carentium,vt animalium &c.

At verò ſecundum dominium non eſt verè,& propriè dominium,nec reſpicit veram, & propriam ſeruitutem, ſed impropriam tantùm, qualis eſt naturalis, qua ſubditi ſubiiciuntur Prælatis, & tale dominium dicitur Regium,& gubernatiuum, quod ad vtilitatem, & commodum ſubditorum eſt inſtitutum & eſt naturale hominis ad hominem. Quo poſito.

4 Primò dico, quòd loquendo de dominio Regio,& gubernatiuo, quod ad vtilitatem & commodum ſubditorum eſt inſtitutum, & de ſeruitute naturali, qua ſapientiores rudiores gubernant,vnus homo poteſt eſſe alterius hominis Dominus. Et ratio eſt, quia ſicut in eodem homine anima præſtat corpori, ita in toto genere humano vnus præſtat alteri: ergo ſicut in corpore humano anima ob ſuam dignitatem, & excellentiam iure naturæ dominatur corpori, ita etiam & in toto genere humano naturaliter illi debent dominari, qui fuerint aliis ſapientiores,& induſtriores. Qua ratione Ariſt.lib. 1. polit.cap.1.& 3. dixit quoſdam naturâ ſeruos, quoſdam dominos.

5 Deinde, de eſſentia hominis eſt, vt viuat ſecundùm dictamen rectæ rationis,atque adeo, vt eidem obediat: ergo ſicut perfectio naturalis appetitus ſenſitiui in homine eſt, quòd rationi pareat,ita & inter homines naturalis perfectio rudium, & ignorantium eſt, ſapientum gubernationi ſubdi.

Præterea,in ſtatu naturæ integræ,ſi homo non peccaſſet, vxores viris,filij parentibus, plebei Principibus obtemperaſſent vt docet D.Thom.p.p.q. 96. art. 4. ergo à fortiori nunc in ſtatu naturæ corruptæ,vbi maior eſt rationis defectus.

Tandem,inter Angelos,alij aliis principantur, ergo multò magis inter homines oportet,vt alij aliis dominentur.Et videtur eſſe concluſio de fide, nam in innumeris ſacræ Scripturæ locis. Reges, & Magiſtratus commendantur Pſal.2. dicitur. Et nunc Reges Pſal. 71. adorabunt eum omnes Reges terræ.Iſa.60. ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges &c. Matth. 24. fidelis ſeruus &c.Rom.13.1. Timoth. 2. Ad Titum 3.& 1. Pet.2. approbatur huiuſmodi dominium.

6 Porrò hîc aduertendum eſt,quòd quando dicimus vnum hominem iure naturali alteri dominari, non eſt intelligendum de dominio actuali, quaſi verò hominem eo ipſo quo eſt elegantioris ingenij ſuper hebetes, & rudes habere actuale dominium, quod vt ſupra diximus, natura nulli in alterum tribuit,ſed de fundamento, & aptitudine ad dominandum, nam ex eo quòd natura quoſdam ingenio, & prudentia produxit, vt eſſent apti ad dominandum, alios verò hebetiores, & rudiores neruis, & membris corroboratos,vt eſſent apti ad imperata facienda. In quo ſenſu dicitur Prouerb. 1. intelligens, gubernacula poſſidebit. Et cap.10. qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. In quo etiam ſenſu dicitur ab Ariſt. barbaros eſſe natura ſeruos. Cui conſonat illud Platonis, beatas eſſe illas Reſpublicas, in quibus aut Philoſophi, & ſapientes gubernarent, aut gubernatores Philoſophārentur. Quæ ſeruitus etiam in ſtatu naturæ integræ fuiſſet,ſi homo ab eo ſtatu non cecidiſſet, nam licet in eo ſtatu nulla fuiſſet miſeria, nullâque ignorantia, non tamen omnes pares fuiſſent in ſapientia, & virtute,& in aliis animæ bonis tum naturalibus, tum ſupernaturalibus, ſed viris vxores, filij parentibus, & hebetiores & rudiores ſapientioribus, & induſtrioribus

obedi

obediuiſſent abſque tamen aliqua moleſtia, vt eleganter more ſolito docuit D. Tho.p.p.q.96.art.4.

7 Secundò dico quòd loquendo de dominio dominatiuo,ſeu tyrannico, quod ad propriam vtilitatem, & commodum, & non ad bonum ſeruorum eſt ordinatum,& de ſeruitute ſecundùm propriam rationem, quæ dicitur ſeruitus legalis,iure naturæ nullus homo ſeruus eſt,aut Dominus, ſed omnes liberi, & pares conditi ſunt, iuxta illud Eccleſiaſt. 15. fecit Deus hominem rectum, ideſt liberum. Quod docent verba quæ ſequuntur. Et poſuit illum in manu conſilij ſui.Vnde Gen.1.non dicitur, dominamini hominibus, ſed dominamini piſcibus maris, volatilibus cœli,&c.Idcircò D.Aug.lib.19.de Ciuitate Dei cap.15.inquit, Rationalem factum ad imaginem ſuam,noluit Deus niſi irrationabilibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori, inde primi iuſti paſtores magis pecorum, quàm Reges hominum conſtituti ſunt, vt hinc etiam inſinuaret Deus, quid ordo poſtularet creaturarum,& quid meritum exigeret peccatorum.

8 Deinde, earum rerum propriè dicitur homo habere dominium ſecundùm naturam, quæ ſunt propter ipſum factæ: ſed nullus homo alterius cauſa creatus eſt, ergo nullus homo iure naturali eſt Dominus, aut ſeruus alterius: Tandem eſt concluſio definita in l. libertas ff.de ſtatu hominis, vbi decernitur libertatem eſſe ſecundùm naturam hominis, ſeruitutem verò eſſe contra naturam.

Dices, mulier Gen. 1. dicitur creata propter virum, ergo vnus homo naſcitur propter alium.

Reſpondeo quòd mulier eſt à Deo producta propter virum, in eius adiutorium, & nihilominus eſt natura libera,& quamuis ſubiecta viro quoad gubernationem domeſticam, non tamen eſt ancilla, vel mancipium viri.

9 Dixi notanter(iure naturæ)quia de iure gentium,& ciuili poteſt quis effici ſeruus, idque duobus modis introductum eſt. Vno modo iure emptionis & venditionis, vt cùm homo liber cauſa pretij ſeipſum vendit,efficitur eius ſeruus, & hic modus ſeruitutis erat valde vſitatus in lege veteri, vt habetur Exod.21.& Leuit. 25. Secundo modo contrahitur iure belli. Qui enim iuſto bello capiuntur, iure gentium fiunt ſerui capientium:& hæc ſeruitus licita eſt, & iuſta, iuxta illud 1.Petr.2. à quo quis ſuperatur,eius ſeruus eſt:imò eſt etiam opus miſericordiæ, quia cùm poſſit miles hoſtem interficere, opus miſericodiæ erit, illum in mancipium ſeruare, & hæc dicitur ſeruitus iure belli, quæ inſtituta eſt ad ſeruandam hoſtium vitam. Vnde tales in bello capti appellantur mancipia, quaſi ab hoſtibus mancipati, & dicti ſunt ſerui à ſeruando, quia cùm iuſtè iure belli poſſent occidi, a victoribus ſeruantur,commutata eorum morte in perpetuam ſeruitutem.Ita D.Aug.lib.19.de Ciuit. Dei cap. 15. Molina tom.1.de iuſt.diſtin.32.Arag. 2. 2. quæſt.62. art.1.& 2.Sot.lib.4.quæſt.2.art. 2. Nauar.in cap.Ita quorundam in Gloſſ.pœn. Couar. in Reg.peccatum pa.2.§.11.n.1.& 2.Ban.2.2. q.62.art.1.& 2.& alij.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum Chriſtianus captus ab alio Chriſtiano etiam in bello,ex parte capientis iuſto, fiat ſeruus capientis?

1 REſpondeo minimè. Et ratio eſt,quia illud ius quod præcipit, vt capti in bello iuſto, ſerui efficiantur illorum, qui eos capiunt per vſum contrarium,quando Chriſtiani à Chriſtianis capiuntur, reuocatum eſt, vt omnes Doctores concedunt in materia de bello, ſed ablatis equis, & armis eos dimittunt, vel ſi ſint Magnates præſtita pecunia pro eorum redemptione veniam recedendi facillimè concedunt: idque in honorem libertatis, quam per Chriſtum ſumus conſecuti.

2 Excipiuntur tamen ab hoc beneficio apoſtatæ à Religione Chriſtiana, qui ita licèt dicuntur renegati, hi enim iure belli efficiuntur ſerui capientium,quamuis Baptiſmum, & Euangelium antea ſuſceperint. Quod enim in fauorem fidei conſtitutum eſt, ſuffragari non debet iis, qui fidem Chriſti abnegarunt. Valen. tom.3.d.3.q.16. par.3.Ban.2.2.q.62.art.1.& 2.& alij.

QVÆST. XXVIII.

Vtrum Chriſtiani capti in bello ab infidelibus efficiantur ſerui capientium?

1 ET quidem certum eſt, quòd ſi bellum ſit iniuſtum ex parte infidelium

Digitized by Google

lium pro vt communiter esse solet.. Christiani in illo capti secundùm rei veritatem non sunt serui, sed possunt tota conscientia non solùm fugere, & armis si opus est, se defendere, verùm etiam surripere à suis dominis, quantum satis est, ad compensandam sibi iniuriam, & damnum illatum: imò quantum possunt, si adhuc duret bellum, quia tunc possunt hoc modo nocere hostibus ex tacito Principis iustum bellum gerentis consensu, vt cum Molina, Lessius lib 2. de iustitia, & iure. cap. 5. dubitat. 5. & plerique alij resoluunt.

2 Sed dubium est inter Doctores de illis Christianis qui iusto bello sunt capti ab infidelibus, potest enim dari casus, in quo bellum si iustum ex parte infidelium. Nam si tempore treugæ, Christiani illos aggrederentur, proculdubiò infideles in tali euentu haberent bellum iustũ pro se, fides enim iure naturali, hostibus seruanda est.

3 In qua re etiam est certum, quod si infideles qui habent seruos Christianos, eos compellunt vel ad infidelitatem, vel ad deserendos bonos mores, tales Christiani manent liberi, & licitè aufugere possunt, & quicunque illis consilium, aut auxilium ad fugam præstarent, nullum peccatum committerent, nec ad aliquam restitutionem tenerentur. Et ratio est, quia non tenentur cum periculo animæ suæ (ob quod etiam parentes sunt deserendi iuxta illud, si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te) Domino suo seruire.

Secundò etiam est certum, quod si ab infidelibus inhumaniter tractentur, vt si fame, siti, frigore, verberibus, sine causa affligantur, qui rogati nolint desistere, fugere possunt. Et ratio est, quia inhumaniter tractando, faciunt eis iniuriam, à qua se possunt eripere per fugam, cùm alia ratio non suppetit. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO XXIX.

Sed tota controuersia consistit de illis Christianis, qui capti ab infidelibus iusto bello non incitantur ad malum, nec inhumaniter tractantur. Num isti maneant illorum serui?

1 IN hac quæstione Sotus lib. 4. quæst. 2. art. 2. Molina tom. 1. de iust. d. 33. Nauar. cap. 17. n. 103. Sylvest. verb. furtum q. 6. & multi alij tenent, quod manent serui. Et probant, quia ius gentium debet esse æquale Christianis & infidelibus, ac proinde cum in tali casu Christiani ab infidelibus iustè occidi possint, potest mors in perpetuam seruitutem commutari.

2 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Couarr. in Reg. peccatum p. 2. §. 11. num. 5. de Reg. iuris in 6. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 1. &. 2. & multis aliis. Ratio huius est, quia in l. hostes ff. de captiuis, & in l. 5. C. ne Christianum mancipium. Et in cap. mancipia d. 54. expressè prohibetur ne Christianus sit seruus Iudæi, hæretici, vel pagani, ne filij liberæ seruiant filiis ancillæ. Et cap. multorum de Iudæis, & Saracenis dicitur. Nullo Iudæo licet Christianum mancipium in suo dominio habere: sed si qui apud eos inueniuntur, libertas eis seruetur. Et quamuis ius gentium æquale sit Christianis, & infidelibus vt dicit, prima opinio, meritò tamen illud in gratiam fidelium est à summis Pontificibus, & Principibus Christianis reuocatum. Imò etiam si non esset ius gentium in hac parte abrogatum, adhuc tamen quia Turcæ, & Saraceni Christianos seruos penè infinitos iniustè detinent, & grãde eis imminet periculum salutis spiritualis, potest Ecclesia statuere, vt Christiani ab infidelibus capti etiam in iusto bello, nullo modo eorum serui efficiantur, sed fas sit eis ab illis aufugere.

3 Cæterùm, quamuis hæc opinio mihi valdè placeat, non nego tamen opinionem Soti non esse etiam probabilem, vnde iuxta huius authoris sententiam dicendum videtur huiusmodi leges Imperiales, & summorum Pontificum factas intelligi debere solùm de infidelibus, qui imperio Romano, & Ecclesiæ subiiciuntur, & sic huiusmodi infidelibus licet habere in seruos, Christianos qui iusto bello ab illis capiuntur, quia cùm tales iustè occidi possint, esset misericordia, atque adeo virtus eorum mortem in perpetuam seruitutem commutare.

QVÆSTIO XXX.

Vtrũ mancipia quæ legitimo titulo in seruitutẽ redacta sunt, à suis dominis fugere possint?

1 IN hac re adeo graui, & tot opinionum multitudine difficili, quinque sunt

sunt certa, vnum verò controuersum. Primò enim secundum omnes certum est, eum qui vel seipsum vendidit, vel à parentibus legitimis venditus est, vel ex matre in seruitutem redacta natus est, fugere non posse. Ratio est, quia cùm sit factus seruus per legitimum contractum, in quem ipse, vel parentes eius loco, iustè consenserunt, tenetur contractui stare, nec potest illum violare absque iniustitia, sicut nec alias venditiones.

Secundò est certum, eum qui in pœnam delicti iustè in exilium perpetuum, vel in perpetuam seruitutem, aut ob delictum, ad triremes damnatur, licitè fugere non posse. Et ratio est, quia Reus tenetur exequi iustam sententiam, si pœna talis sit, vt non possit nisi per Reum executioni mandari; atqui huiusmodi pœnæ sunt tales, ergo.

Tertiò est certum, eum qui in bello iusto captus fidem suam Domino suo dedit, vel iureiurando promisit, se apud eum permansurum, licitè fugere non posse. Et ratio est, quia iure naturali, fides, promissio, & iusiurandum etiam cum infidelibus seruanda sunt, ergo titulo fidelitatis, & Religionis manere cogitur.

Tum quia Dominus fidens illi promissioni, non adhibet illam diligentiam quam adhibuisset in eius custodia, ergo qui ea fide data fugit, Dominum suum decipit, fugitque per fraudem, & dolum, quod peccatum est restitutioni obnoxium.

Hinc, qui huiusmodi seruis consilium, vel auxilium ad fugam præbet, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur totius damni inde secuti. Vnde si fugit, & abstulit simul centum aureos, is qui fugam suasit, tenetur Domino restituere non solùm pretium serui, sed etiam damni, quod fugiens intulit, quia totius damni causa censetur, vt rectè Nauar.cap.17.num. 103.annotauit.

3 Quartò est certum, licitum esse seruo in iusto bello capto fugam arripere, si à Domino cogeretur ad malum, aliquáue alia iniuria illi fieret, vt si Dominus eum circumcideret. Et ratio est, quia in hoc casu vtitur iure suo, & iure naturali conseruat vitam suam, vel corporalem, vel spiritualem, nec cum tãto suo periculo tenetur reddere, nec ad aliquã recompensationem tenetur, si iniuriã tantam pœnã mereretur.

4 Quintò, & vltimò etiam est certum, quòd quando bellum non esset ita perspicuè iustum, quin pars altera saltem formaliter iustè pugnaret, præsertim subditi illius, qui in dubio Regi suo obedire iure cogitur, tunc captus bello ita iusto, licet retineri possit, in vincula coniici, & pede altero amputari ne fugiat, & fugiens reduci, & puniri, licitè tamen discedere potest à suis Dominis, neque ad aliquam tenebitur restitutionem. Et ratio est, quia in tali casu æqua est vtriusque conditio, neque minùs pertinet ad captum dominium suæ libertatis, quam ad capientem, est enim bellum iustum formaliter ex vtraque parte, ergo tuta conscientia poterit vt suam libertatem tueatur, à seruitute qua detinetur se eximere. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO XXXI.

Solum igitur controuertitur inter Doctores, An extra hos casus licitum sit seruo iure belli capto ad suos fugere? Et quæstio est tam de seruis Christianis captis iure belli ab infidelibus, quam de omnibus aliis seruis in bello iusto captis.

1 MOlina tom.1.de iust.d.37. & Sylu. verb.furtum,q.6.& 7. & verb.seruitus q.3. tenent captum in bello iusto ab infidelibus non posse à suo Domino fugere, & si fugit, peccat mortaliter, & tenetur seipsum restituere, etiam si ad suos perueniat, sicut & illi qui furantur rem alienam.

Nauar.cap.17.num.103.censet captum in bello iusto peccare mortaliter si fugiat Dominum suum, & teneri restituere ei honestum pretium, quamuis non teneatur redire in propria persona. Et idem dicit de eo qui ad talem fugam, consilium, auxilium, vel fauorem præbet.

2 Couar.lib.1.var.cap.2. nu. 10. & in Reg. peccatum p.2.§. 11. n. 6. respondet sub distinctione, ait enim, licitum esse tali seruo fugere, vt redeat ad suos: non tamen vt vagetur per Regnum vbi sunt serui, quia cum non consequatur libertatem interim dum eos fines non egreditur, iniuriam facit Domino, priuando eum seruitio ipsi debito, cum non dominium eius amiserit.

At verò Bann.2.2.quæst.40. art.1.Valent. tom.3. d.3.q.16. par. 3. Petr. Nauar.lib.3.de

reſtit.cap.1.n.200.Lop.par.2. inſt. conf. c.2. & plerique alij abſolutè docent captum in bello iuſto,poſſe à ſuo Domino fugere, ſiue ad ſuos perueniat,ſiue non.

3 Pro deciſione tamen huius quæſtionis dico primò,quòd veriſimilis ſententia eſt, quæ aſſerit ſeruum bello iuſto captum peccare,ſi fugiat Dominum ſuum. Probatur, qui priuat verum, & legitimum Dominum re, quam poſſidet, peccat mortaliter,& tenetur illam reſtituere; atqui ſeruus eſt vera poſſeſſio Domini ſui, non minùs quàm alia bona temporalia,& fugam arripiens expoliat legitimum, & indubitatum Dominum ſua poſſeſſione,ergo peccat mortaliter, & tenetur ſeipſum reſtituere.

Deinde, licitum eſt Domino ſeruum fugientem capere, & punire, vel amputatione alterius pedis, vel deputatione ad metalla,vt habetur in l.2.& 3. C. de ſeruis fugitiuis,tam grauis autem pœna,non poteſt iuſtè ſtatui, niſi pro culpa mortali, ergo.

4 Præterea, non minùs ſit tranſlatio dominij iure gentium, quàm propria voluntate: ſed qui propria voluntate ſeipſum vendit,ita transfertur dominium ſui ipſius in eum, qui emit, vt nullo modo liceat ei fugam arripere: ergo pari ratione, qui captus eſt in bello iuſto ita iure gentium transfertur in dominium capientis, vt nullo modo liceat ab illo fugere.

Demum ſi liceret ei fugere,conſequenter liceret ei talem fugam conſulere: ſed non licet conſulere, vt ſeruus fugiat Dominum ſuum, à quo iuſto titulo poſſidetur,vt habetur in cap. De ſeruis fugitiuis; ergo. Et videtur eſſe concluſio definita in can. Si quis ſeruum 17. q. 4. vbi abſolutè dicitur ſeruis non licere fugere à dominis,à quibus iuſto titulo poſſidentur.

5 Ex quo colligitur eum qui conſilio,aut auxilio fugam conſulit homini bello iuſto capto, teneri reſtituere Domino valorem ſerui, & alia damna, ſi quæ Domino inde ſequantur.

Excipit tamen Molina ab hac ſententia, quando Chriſtianus iuſto bello captus ab infidelibus, ab eis receſſiſſet, neque ſine ſuo graui incommodo ſuæ vitæ tum ſpiritualis, tum temporalis apud illos poſſet commorari, & reuerti; tunc enim in tali caſu ſufficeret, iuſtam rei valorem illis exhibere,neque cum tanto ſuo detrimento teneretur ad illos redire.

6 Secundò dico quòd veriſimilior ſententia eſt, quæ aſſerit ſeruos iuſto bello captos licitè poſſe fugere ad ſuos, non poſſe tamen dominis perſequentibus vi reſiſtere. Prima pars probatur, quia cùm hæc ſeruitus de iure gentium ſit introducta, non debet eius conditio magis onerari, quàm conſuetudine totius orbis ſit receptum; atqui conſuetudo habet,vt tales ſerui poſſint ſine peccato ad ſuos fugere,ergo.

Tum quia, de conſenſu omnium fas eſt Chriſtianis in bello captis aufugere, ergo & aliis ſeruis in bello iuſto captis. Probo conſequentiam, nam ius gentium idem eſt apud omnes.

7 Dixi notanter (poſſe fugere ad ſuos,) quia non licet eis fugere ad euagandum per Regnum vbi ſunt ſerui, ſed ſolùm animo redeundi ad ſuos, hæc enim ſola fuga iure,& conſuetudine ſeruis conceſſa eſt,vt per eam poſſint libertatem in termino recuperare: nempè cùm ad ſuos, vel ad Ciuitates Chriſtianorum peruenerint.Vt habetur in l.intereſt, ff. de captiuis, & poſtlim. reuerſ. & §. Item ea quæ ab hoſtibus Inſtit.de rerum diuiſ.§. ita earum. vbi dicitur. Iure belli fieri hoſtes captiuos, & poſtea ſubditur, quod ſi noſtram poteſtatem euaſerint, & ad ſuos redierint, priſtinum ſtatum recipiant. Quòd ſi in via intercipiantur, poſſunt reduci, quia antequam perueniant ad ſuos, non recuperant libertatem; poſtquam autem peruenerint, ita ſunt liberi, vt etiam ſi redeant cauſa negotiationis, non poſſint à priore Domino retineri.

Altera verò pars, quod dominis perſequentibus vi reſiſtere non poſſint, probatur, nam Domini habent ius illos intercipiendi, & detinendi, quandiu ad ſuos non peruenerint. Quarè cum non poſſit eſſe bellum iuſtum ex vtraque parte, non poſſunt dominis perſequentibus reſiſtere, ſicut Reus qui licet poſſit fugere, non poteſt tamen ſe vi tueri. Ita Couar. in Reg. peccatum 2.p.§. 11. num. 6. & Leſſ.lib.2.de iuſt.c.5.dub.4.

8 Ex qua doctrina ſequitur primò,eos qui fugiunt, non animo reuertendi ad ſuos peccare cum nexu redeundi. Et ratio eſt, quia priuant Dominum vſu ſui,dum adhuc

conti

continentur sub eiusdem dominio, nec sunt in via subtrahendi se ab eo per fugam iure permissam.

Secundò sequitur,nõ licere punire eiusmodi seruos, quod dominos suos fugiant, quandoquidem pœna iustè infligi nequeat nisi pro peccato:hi verò fugiendo ad suos, nullum peccatum committunt, ergo.Licet tamen eos compedibus, ac vinculis constringere,ne fugam ad nos arripiant.

Tertiò colligitur eos qui eiusmodi seruis bello iusto captis, consilium,auxilium vel fauorem ad fugam præbent, nullam culpam committere,nec ad aliquam teneri restitutionem dominis.Et ratio est, quia cooperantur ad id,quod iustum,ac licitum est. Qui verò aliis seruis consilium,aut auxilium præstant, peccant mortaliter, cum obligatione restituendi illorum dominis valorem serui.

9 Quartò, & vltimò sequitur, minoris valoris esse seruum iure belli captum, quàm sint serui, qui se inopia pressi seruituti manciparunt. Et ratio est, quia multo facilius illius, quam aliorum potest amitti dominium absque vlla culpa & contra Domini voluntatem.

Quare tenendo hanc secundam opinionem ad argumenta primæ opinionis respondeo, & ad primum dico quod seruus fugiens non priuat Dominum sua possessione: quandoquidem vt dictum est, eodem iure quo ista seruitus contrahitur, tandiu sunt serui, quandiu à capientibus custodiuntur.

10 Ad secundum respondeo,sicut licitum est detento in carcere aufugere. & tamen captus punitur à lege ciuili, quia expedit bono communi,vt fugientes puniantur;ita licet serui bello iusto capti fugere possint, iustè tamen puniuntur,si fugiant,hoc enim ius sibi concessum est hac lege, vt subeant pœnam, si capiantur, antequam ad suos peruenerint.

Ad Tertium respondeo disparem esse illius,ac huius seruitutis rationem,illi enim qui se inopia pressi seruituti manciparunt, quia liberè se pretio vendiderunt, fugere iure nequeunt, sicuti neque furari quem vendidissent equum: isti autem cum vi, & contra suam voluntatem in seruitutem deuenerint absque dubio poterunt pro iure suo, à suis dominis recedere.oblata sibi occasione aliqua sine vllo dolo, aut vi.

Ad quartum,& vltimum respondeo, canones intelligi posse de seruis emptitiis, idest,qui seipsos vendiderunt, vel à parentibus venditi sunt,non autem captis bello iusto; cuius signum est, quod ibi,non dicitur captiuos,sed seruos.

QVÆSTIO XXXII.

An iure belli captus, & alteri venditus semper ius habeat fugiendi, vt redeat in patriam suam?

1 RESpondeo idem ius habere,nec fugam arripiendo ad aliquam restitutionem obligatur, quia eo titulo seruire cogitur emptori, quo capienti tenebatur: nec capiens potuit maius conferre ius emptori, quam ipse habebat. Vnde sicut à capiente, ita ab emptore fugere poterit. Nec valet, quod seruus fugiendo emptori iniuriam irrogat defraudando scilicet illum pretio,quod pro illo soluit: quia emptori, & non seruo imputari debet huiusmodi damnum, ex eo quod rem defectuosam emerit, scilicet seruum habentem ius fugiendi.Ita Less.lib.2.c.2.dub.4.

QVÆSTIO XXXIII.

Sed quid? si serui sint dominati ex parentibus in bello iusto captis, an etiam habeant ius fugiendi?

1 IOseph Angles in suis flor.4.sen.tract. de dominio, putat non habere.

2 Contrarium tamen arbitror esse dicendum, quoniam licet filius genitus à seruo, vel ab ancilla iure belli in seruitutem redactis,natiuitate factus sit possessio Domini, tamen quia natiuitas illa originem duxit ex bello, intelligitur tacitè habere illã conditionem, quam habet seruitus ex bello inducta: vnde sicut parentes in bello capti fugere possunt, ita, & filij tuta conscientia fugere poterunt, non enim potius ius habet Dominus in vernaculum, quam habebat in parentes. Ita tenet Petr. Nau. lib.2.de rest.cap.1.n.212.

QVÆSTIO XXXIV.

An pro defensione vitæ liceat vnicuique vendere suam libertatem?

1 RESpondeo licere. Et ratio est, quia ratio naturalis dictat, vt minora

bona pro maioribus tuendis exponamus: ſed vita eſt maximum bonum, cui nec libertas, nec vllum aliud bonum temporale æquatur, ergo eadem ratione naturali dictante, quando opus fuerit ad vitam tuendam, libertatem propriam alienare, ſéque in ſeruitutem redigere abſque dubio licebit. Quod confirmatur illuſtri exemplo B. Paulini Epiſcopi, qui eximia in Deum & proximum charitate ſe vltro in commutationem pro libertate filij cuiuſdam viduæ ſeruituti mancipauit. Et eſt concluſio definita in l.1.& 4.ff.quibus ad libertatem, & colligitur euidenter ex cap.21. Exod.& Leuit.25.& Deut.15.

Nec obſtat illud commune prouerbium, non benè pro toto libertas venditur auro. Quia licet libertas ſit pretioſior omni auro: vita tamen pretioſior eſt, quam libertas vt habetur in Iob. pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua, ideſt pro vita ſua.

QVÆSTIO XXXV.

An vendere propriam libertatem pro ſoluendis debitis pecuniarijs ſit licitum?

1 REſpondeo non licere, ſed eſſe vitium prodigalitatis. Et ratio eſt, quia libertas pretioſior eſt omni auro. Vnde emanauit illud commune proloquium. Non benè pro toto &c.

2 Ex quo colligitur, quam grauiter delinquant ij, qui in ludo ſolùm ſpe lucri ſuam libertatem exponunt: quia quamuis in iure nulla ſit lex, quæ hoc prohibeat; tales tamen prodigè vendentes ſuam libertatem contra rectam rationem faciunt.

QVÆSTIO XXXVI.

An Pater poſſit vendere filium?

1 REſpondeo poſſe, ſtantibus tamen duabus conditionibus.

Prima, vt talis venditio fiat ob magnam patris paupertatem, & egeſtatem.

Secunda vt venditio non ſit abſoluta, ſed cum pacto, vt quotieſcunque emptori iuſtum pretium offeratur pro filio, aut filia ita venditis, aut æqualis alius ſeruus, is cui facta fuit venditio, teneatur illum reſtituere; ita enim iure ciuili ſtatutum eſt in l. Si quis C. de patribus qui filios ſuos diſtraxerint. Quæ quidem conditiones licet ſint valdè rationi conformes, non ſunt tamen ſimpliciter neceſſariæ, ſed tantum vim habent in locis, in quibus ius Cæſareum viget: vbi verò non eſt receptum, ſtandum eſt iuri naturali, & poſitiuo cuiuſcunque Regni, vel Prouinciæ. Ita Molina tom.1.de iuſt.d. 33. Sot.lib.4.q.2.art.2.& Couar.lib.3.var.cap.14.num.4.

QVÆSTIO XXXVII.

An non ſolum iure ciuili ſit patri conceſſum filium vendere, victus neceſſarij cauſa, ſed etiam id ſit naturali iure permiſſum?

1 REſpondeo, id etiam iure naturali poſſe. Et ratio eſt, quia poſt Deum parentibus filius maximè eſt obligatus, ergo parentum vitam ſuæ libertati anteponere iure naturali compellitur; vita enim cuiuſque hominis potior eſt libertate: quare cùm filius ſolùm libertatem amittat, & periculum eſt, ne parens fame pereat, cogitur parentis vitæ conſulere, propria libertate poſthabita, ita Sot.lib.4.q. 2. art. 2. & Couar.lib.3.var.c.14.num.4.

QVÆSTIO XXXVIII.

An talis venditio ſit apud Chriſtianos permiſſa?

1 REſpondeo, ſi quidem ius Ciuile commune, vel ius naturale ſpectemus, eam eſſe permiſſam: cæterum talis venditio apud Chriſtianos vſu non videtur eſſe recepta, & meritò, quia parentibus etiam extrema fame, & egeſtate laborantibus, poteſt facilè, & commodè filius aliis remediis ſuccurrere, ſatis enim eſſet, ſi parentes filij operas mercede, ſeu pretio debito locarent.

QVÆST. XXXIX.

An Pater poſſit vendere filium iam emancipatum?

1 REſpondeo, ſi ius Ciuile ſpectemus, non videtur patri conceſſum filium iam emancipatum vendere, vt colligitur ex l. Si quis C. de patribus qui filios ſuos diſtrax. Si verò ius naturale ſolùm conſideremus, id videtur eſſe permiſſum: emancipatio

cipatio enim ſolùm iuris ciuilis eſt. Vnde rectè Molina tom. 1. de iuſt. d. 33. deducit patri fas non eſſe, vendere filium coniugatum, eſto coniugium iure naturali eum à patria poteſtate non eximat, quia id vergeret in detrimentum vxoris: neque etiam hodie poteſt pater vendere filium clericum in ſacris initiatum, quia talis venditio filij conditionem non deceret. Couar. lib. 3. var. cap. 14. num. 4.

QVÆSTIO XL.

An pater poſſit filium ſuum vendere propter aliam cauſam videlicet pro vitanda mutilatione vnius membri, vel pro redimenda vita ſua ab eo qui per vim, vel tyrannidem ipſum conatur occidere.

1 COuar. lib. 3. var. cap. 14. nu. 4. negat, quoniam lex ſi quis, C. de patrib. ſolum concedit hanc facultatem patri in caſu nimiæ paupertatis.

2 Cæterum contrariam opinionem tenet Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 33. quam puto probabiliorem, & ratio eſt, quia in his, in quibus par, aut maior eſt ratio, videtur lex per epichiam extendenda; quoniam ſi huiuſmodi caſus in mentem legiſlatoris veniſſent, illos proculdubio etiam expreſſiſſet.

QVÆST. XLI.

An Mater in eadem egeſtate conſtituta poſſit vendere filium, quemadmodum & Pater?

1 REſpondeo ſi ius naturæ, aut ratio naturalis ſpectetur, mater oppreſſa fame poteſt vendere filium, non enim iure naturali in tali caſu videtur minus poſſe mater, quam pater, cum vtrique filius obſequium, & officium pietatis præſtare teneatur, quippe qui ab vtroque ortum ſuum, & vitam accipit. At verò quia de iure Cæſareo filius non eſt ſub matris poteſtate, non habet mater eandem facultatem, quam pater, ac proinde in locis vbi ius Cæſareum vim habet, mater egeſtate oppreſſa vendere non poteſt filium, ſicut pater; ſecus in locis, in quibus ius Cæſareum non eſt receptum. Ita Mol. d. 33.

2 Addit autem vnum Couar. loco citato, patrem, qui vendidit, ſi ad pinguiorem, & meliorem fortunam redierit, iure naturali compelli ad filium ſuum redimendum.

QVÆSTIO XLII.

Vtrum Chriſtus quatenus homo ſit Dominus Orbis, quaſi dono patris dominium iuriſdictionis temporalis acceperit in vniuerſum Orbem ſueritque ab eo Rex totius mundi ſuper omnes Principes terræ conſtitutus?

1 IN hac quæſtione Burg. in addit. 2. ad c. 1. Matt. Almayn. de poteſtate Eccleſ. c. 8. Durand. de orig. iuriſdict. q. 3. Turrecrem. lib. 2. ſuæ ſum. c. 116. D. Ant. 3. p. t. 3. c. 2. D. Bern. lib. 3. de conſiderat. ad Eug. in principio, Arag. 2. 2. q. 67. art. 1. & multi alij tenent Chriſtum Dominum, quatenus homo, etiam adhuc mortalem vitam agentem, plenum, atque perfectum habuiſſe imperium totius Orbis, ita vt abſque cuiuſquam iniuria vſurpare ſibi potuerit, & poſſit omnes mundi Reges deponere, ac denique de rebus omnibus temporalibus ad libitum diſponere ex iure, & poteſtate, quam ſuper omnia habet. Et probant primò, ex multis ſacræ Scripturæ locis, in quibus videtur affirmari, Chriſtum Saluatorem noſtrum eſſe Regem temporalem vniuerſi, v.g. Pſalm. 71. dicitur, dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum. Matt. 28. data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ioan. 13. ſciens Ieſus, quia omnia dedit ei Pater in manus. ad Hebr. 1. quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Apocalip. 1. Princeps Regum terræ aſſeritur, & cap. 9. dicitur quod habet ſcriptum in veſtimento, & in femore, Rex Regum, inſinuatur Regnum Chriſto competere non ſolum ſecundum diuinitatem, ſed etiam ſecundum humanitatem, ergo Chriſtus quatenus homo, Dominus eſt rerum omnium creatarum.

2 Deinde Chriſtus fuit vſus aliquando temporali poteſtate, ergo fuit Dominus temporalis. Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur ex illo teſtimonio Matth. 8. nam dæmonibus petentibus, ſi eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, dixit, ite, & ſuffocati ſunt, & Matth. 21. maledixit ficulneæ, & aruit. Et Ioan. 2. Flagello facto de funiculis eiecit ementes, & vendentes de templo: in his autem Chriſtus nullam iniu-

ſtitiam commiſit, ſed iure ſuo, & poteſtate eſt vſus.

Demum, nulla perfectio deneganda eſt Chriſto Domino ex his, quæ communicari ei potuerunt: ſed eſſe Regem vniuerſi, perfectio quædam eſt, quoniam verè, & formaliter competit Deo, ergo. Quam etiam opinionem tenet D.Thom.in opuſc. lib.3.de regim.Principum cap.12. & 13. vbi ex profeſſo docet Chriſtum Dominum à ſua natiuitate temporalem, & veram omnium rerum habuiſſe poteſtatem, in cuius rei ſignum, dicit tempore ſuæ natiuitatis deſcriptum fuiſſe vniuerſum orbem per Cæſarem, qui ex commiſſione Chriſti, & vice Chriſti adminiſtrabat imperium. Hoc idem docuit in 3.p.q.59.ar.4.ad primum.

3 At verò Sotus in 4.diſt.25.q.2. art. 1. & lib.4.de iuſt.q.4.ar.1.Vict. relect. de poteſtate Eccleſ.quæſt. penult. & Barth.Med.3. p.q.59.ar.4. cum multis aliis tenent, quod Chriſtus quatenus homo non fuit verè, ac propriè Dominus, nec Rex totius vniuerſi, & ſic non habuit iuriſdictionem temporalem, nec rerum dominium, niſi quatenus opus erat ad Regnum ſpirituale, & ſempiternum, quod inſtituebat. Et probant primò, quoniam vbicunque in diuinis Scripturis fit ſermo de Regno Chriſti, & de eius Principatu, intelligitur de Regno ſpirituali, ergo abſque vlla firma ratione aſſeritur Chriſtum Dominum habuiſſe Regnum temporale. Antecedens probatur ex illo Pſalm. 2. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius, id eſt Eccleſiam, quæ Regnum eſt ipſius vt exponit D.Auguſt.tract.115.ſuper Ioan.Vnde Matth.3.dicitur, pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum. Idque apertius docuit Chriſtus ipſe Ioan.18. dicens Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi enim ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non eſt hinc. Quaſi diceret, ne fallaris Pilate, Regnum meum quod tanquam Meſſiæ ad me ſpectat, & de quo Iudæi me accuſant, non eſt de hoc mundo, hoc eſt, non eſt, qualia ſunt caduca, & peritura terrarum Regna, ſed ſpirituale, & æternum, atque ad finem longe diuerſum à fine proprio terrenorum principatuum. Quod ex verbis quæ ſequuntur colligitur: nam cum inde Pilatus intuliſſet, ergo Rex es tu? Reſpondit Chriſtus, explicans modum, & qualitatem Regni ſui. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati, nempe homines docendo fidem, & viam ſalutis æternæ.

4 Hoc idem probatur ex illis Zach. verbis Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator ipſe pauper. Matth.28.data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: explicans autem qualitatem huius Regni, & poteſtatis, quam habebat, dixit, euntes ergo in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, Baptizantes eos &c. Luc 19. benedictus qui venit Rex, Oſanna, id eſt ſalua nos, vbi ſalus ſpiritualis, non temporalis hic deſcribitur. Iſai. 9. ſuper ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit in æternum. In quibus verbis ſatis explicatur ſpiritualitas Regni Meſſiæ. In Euangelio dicitur, vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Ex quo loco non ſolum proprietas, ſed etiam vſus rerum Chriſto denegatur. Et 2. Cor. 8. dicitur. Qui cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt. Vnde ſic argumentor.

5 Si Chriſtus fuit Dominus temporalis, & Rex totius vniuerſi, non verè, ac propriè fuiſſet pauper, nec egenus, ſed ditiſſimus omnium hominum. Vnde D.Amb.lib. 3. in Lucam ca.penult. expreſsè negat Regnum Chriſti fuiſſe temporale, quale fuit Dauid, vel Roboam, & Iechonia. D. Hier. lib.4. ſuper Ierem.cap.22. exponens locum illum (ſcribe virum iuſtum, ſterilem) inter alia dicit, Regnum Chriſti non fuiſſe terrenum, & temporale, ſed perpetuum, & cœleſte. D.Chryſoſto. hom.6.ſuper Matth. cap. 2. ſic ſcribit. Quonam pacto Magi ex ſtella illa Iudæorum Regem illum eſſe dicerunt; cum certè non iſtius Regni ſit Rex, ſed vilem hanc prorſus vitam egit, ac pauperem. Et Theoph.exponens locum illum ex Luca (Dabit illi Dominus Sedem Dauid Patris eius &c.) Sedem Dauid, (inquit) non putes ſenſibile Regnum, ſed diuinum, quo regnabit ſuper omnes gentes per prædicationem, domus enim Iacob ſunt ij, qui ex Hebræis crediderunt, atque etiam qui ex aliis gentibus. Hoc ipſum teſtatur Nicolaus de Lyra ſuper eundem locum, dicens Chriſtum non ſediſſe temporali

Digitized by Google

rali Regno ſuper thronum Dauid, ſed ſpirituali, & æterno.

Deinde, ſi Chriſtus eſſet Dominus totius Orbis, haberétque Regiam dignitatem, teneretur gubernare mundum in temporalibus ſecundum leges naturales, & humanas; ſed nihil tale geſſit, nec miniſtros creauit, qui quid iuſtum eſt iudicarent, imò tyrannidem permiſit multorum Regum, ergo non fuit Rex temporalis totius Orbis.

6 Demum, Chriſtus nunquam vſus eſt iſta poteſtate Regni, & dominatiua, ergo eam non aſſumpſit. Probo conſequentiam, quia fruſtra illa potentia, quæ non reducitur ad actum, ſed nihil fruſtra poni debet in Chriſto, ergo.

Et confirmatur, quando populus volebat Chriſtum Regem conſtituere, fugit, & cuidam dicenti ſibi, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem, reſpondit, homo quis me conſtituit Iudicem inter vos? Ex quibus verbis Chriſtus Dominus viſus eſt negare ſe iudicem eſſe ſuper temporalia.

7 Dixi notanter (niſi quatenus opus erat ad Regnum ſpirituale) quia qui verè, & propriè eſt Dominus in Regno ſpirituali, neceſſe eſt, vt etiam ſit Dominus temporalium, inquantum opus eſt ad gubernationem Regni ſpiritualis: & quia ſæpè moleſtari poterat Eccleſiaſtica gubernatio per temporalem poteſtatem, neceſſe erat, vt Chriſtus haberet conſequenter dominium temporalium, ita videlicet, vt mutare potuerit Reges vniuerſos, cæteráque omnia in temporalibus diſponere, quæ ad ſuum finem ſupernaturalem Eccleſiæ viderit expedire. Et hac poteſtate vſus eſt Chriſtus, quando miſit dæmones in gregem, qui in mare ſunt præcipitati, & quando facto flagello de funiculis eiecit vendentes, & ementes de templo. Quam etiam poteſtatem tradidit Vicario ſuo ſummo Pontifici in terris ad huiuſmodi impedimenta tollenda, vel alia facienda ob animarum ſalutem, & Regni Eccleſiæ gubernationem.

8 Cæterum ex his opinionibus, ſecunda quæ eſt Magiſtri Soti, mihi videtur verior, atque tenenda, ducor, quoniam temporalis poteſtas nihil omnino conducebat ad finem intentum per incarnationis myſterium, ergo Chriſtus eam non aſſumpſit.

Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur. Nam finis incarnationis fuit, vt ſuo exemplo nobis viam ſalutis oſtenderet non ſolum neceſſariam, ſed etiam eius perfectionis, quæ in contemptu rerum humanarum conſiſtit viam demonſtraret; perfecta autem paupertas non conſiſtit in abdicando omnino vſu rerum, ſed in abdicando dominio, ac proprietate ipſarum, vt patet Matth. 16. vbi Dominus Chriſtus dixit cuidam, ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me: idque faciunt Religioſi, qui multis quidem vtuntur, nullius tamen rei in particulari dominium habent, ergo cum ipſe Chriſtus exemplum perfectæ paupertatis in ſeipſo nobis præbere propoſuerit, abſurdum videtur quod Dominus, & Rex vniuerſi fieri voluerit, alioquin Euangelicam perfectionem exemplo ſuo non docuiſſet.

Ex quo ſequitur, quod Chriſtus ſubiiciens ſe Pilato, non eum conſtituit ſibi Iudicem, conferendo ei nouam poteſtatem, quam non habebat ordinariam, quoniam Pilatus iam illam habuerat à Cæſare, atque adeò à Deo illa ratione, qua omnis poteſtas à Deo eſt: & idcirco in paſſione Pilato in Iudæa nomine Romani imperij Præſidenti ſe exhibuit, ſicut vnus de ſubditis. Nec Pilatus peccauit, iudicando Chriſtum peccato vſurpati iudicij, quaſi ſi iudicans non ſibi ſubditum, quamuis peccauerit peccato iniqui iudicij, damnans innocentem, vt egregiè docet Caiet. 2.2. quæſt. 67. art. 1.

9 Ex dictis facilè conſtat, quid reſpõdendum ſit ad prioris ſententiæ argumenta. Et ad primum dico quod omnia illa teſtimonia intelligenda ſunt de Regno ſpirituali Chriſti, & de vniuerſali eius dominio in ordine ad finem ſupernaturalem.

Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis.

Ad tertium, & vltimum reſpondeo, quod omnis poteſtas tribuenda eſt Chriſto, ſi tamen decens ſit ad finem humanæ Redemptionis: at quod fuerit Rex, & Dominus temporalis totius mundi minimè decuit Chriſtum. nam cum non venerit in mundum niſi tanquam redemptor propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, nullam huius mundi poteſtatem aſſumpſit, niſi quæ illi negotio deſeruiret.

QVÆSTIO XLV.

Quotnam modis possit acquiri dominium?

1 REspondeo, quod tribus modis. Primò, iure gentium per diuisionem rerum à principio post peccatum factam, quando vnicuique occupanti aliquid ex rebus communibus dominium proprium eiusdem rei acquirebatur.

2 Secundò per inuentionem. Nam vt docet S.Thom.2.2.q.66.art. 5. ad 2. sunt quædam inuenta, quæ nullius vnquam fuerunt propria,vt lapilli,& gemmæ, quas maritimum littus procreat, & talium rerum dominium sibi inuentores acquirunt vt habetur in instit.de rerum inuentione, & eadem ratio est de thesauris vetustissimis, & rebus,quę habentur pro derelictis,quarum nullos esse dominos præsumitur.

Tertiò verò modo acquiritur dominium per translationem ab vno in alterum. In cuius tamen gratiam quæritur.

QVÆSTIO XLVI.

Quid sit translatio dominij?

1 REspondeo, quod est transmutatio rei ab vno, qui prius eam legitimè possidebat, in alterum, qui illius incipit esse Dominus legitimus. Ita Sot. lib.4.q.5. art.1.Val.tom.3.d.5.quæst.10.p.3. & Ban.2.2. quæst.2.art.1.& 2.

QVÆSTIO XLVII.

Quot modis transfertur dominium?

1 REspondeo tribus: primò diuina voluntate, quomodo fuit translata terra promissionis à Chananæis in filios Israël, & Regnum Israëlis à Saule Rege Deus transtulit in Dauidem. Ratio huius est, quia cum Deus iure creationis sit Dominus omnium, proculdubiò poterit citra alterius iniuriam dominia transferre.

Secundò voluntate Domini volentis transferre dominium rerum suarum in alterum. Et ratio est,quia cum homo per facultatem liberi arbitrij sit Dominus,potest per eandem facultatem, per quã res possidet, eandem in alterius dominũ trãsferre.

2 Tertiò, & vltimò voluntate legislatoris, & Principis transferentis res ciuium in alios dominos, vel in pœnam alicuius criminis ab ipso commissi, vel in vtilitatem ipsius Reipublicæ. Ratio est,quia cum Princeps possit impios homines propter bonum commune, etiam vita priuare; à fortiori poterit propter bonum ipsius Reipublicæ eosdem omnibus suis bonis spoliare.

QVÆST. XLVIII.

An rerum diuisio iustè, & conuenienter fuerit introducta?

1 AD hoc dico primò, quod iure naturali, & diuino constat, in statu naturæ integræ, non fuisse distincta dominia, sed omnia erant communia.Ratio est, quia rerum diuisio, & certis dominis earundem appropriatio est introducta ad vitanda damna, quæ ex culpa originali orta sunt, nempe ne hominum discordia fructus deficiant,ne ob suas cupiditates,contentiones, & lites circa res, & fructus inter eos oriantur. At in statu naturæ integræ nullum istorum inueniri poterat,ergo. Et est conclusio ab Ecclesia definita in can. Quo iure dist.8.

4 Secundò dico quod rerum diuisio post peccatum originale in natura corrupta licita est, & iusta. Probatur, nam ex multis scripturæ locis constat, licitè aliquid tanquam proprium posse dici: & contrarium est hæresi quorundam, qui vocati sunt Apostolici,vt refert D.August. hæresi 40.& Epiphan. hæresi 61. qui asserebant hominem non posse saluari, nisi viueret instar Apostolorum, nudus ab omni diuitiarum proprietate. Idem docuit Pelag.vt colligitur ex August.epistol. 106. quæ est ad Paulinum. Et est conclusio definita in Conc. Const.sess.8.n.13. & in Conc.Trid.sess.25.in decret.de Reg.c.3.contra Lutherum.

Tertiò, & vltimò, dico quod rerum diuisio non solum conueniens fuit in statu naturæ lapsæ, sed etiam necessaria. Probatur, si possessiones mansissent communes, relictæ fuissent incultæ, quia homines facilè negligunt communia,tanquam parum ad se pertinentia, maximè autem curant propria iuxta illud Aristot. amabile bonum,cuique autem proprium.

5 Tum

5 Tum quia ex harum rerum diuiſione, magis conſeruatur pax, & concordia inter ciues, dum vnus quiſque eſt proprio contentus: frequentius enim iurgia oriuntur inter eos, qui communiter aliquid poſſident. Nam vt habetur. Gen. 13. inter paſtores Loth, & paſtores Abraham orta fuit contentio ex eo quod in communi greges, & poſſeſſiones indiuiſas habebant.

Obiicies, iure naturali omnia ſunt communia, vt habetur ex D. Iſidoro lib. 5. ætymolog. & refertur in d. 1. c. ius naturale, ergo rerum diuiſio vtpotè iuri naturali contraria, & repugnans iniuſta eſt, & illicita.

6 Ad hanc obiectionem Scotus in 4. d. 15. q. 2. Gabr. eadem diſt. q. art. 1. & Alex. Alenſ. p. 3. ſum. q. 27. m. 4. art. 1. dicunt præceptum naturale de poſſidendis rebus in communi fuiſſe quidem ante peccatum in ſtatu naturę integrę reuocatum tamen fuiſſe poſtea poſt peccatum, & in natura corrupta.

Sed hæc ſolutio non placet Soto lib. 4. quæſt. 3. art. 1. ex eo quod ius naturale eſt omnino immutabile, & inuariabile vt habetur expreſsè in cap. non eſt peccatum &c. nam propterea dicimus præcepta decalogi eſſe immutabilia, quia ſunt de iure naturæ: ſi igitur rerum communitas in ſtatu naturæ integræ iure naturali eſſet præcepta, vt docet Scotus, manifeſtè ſequitur quòd etiam nunc perſeueraret, quod eſt falſum.

7 Ad hoc, & alia ſimilia argumenta, quibus Magiſter Sotus, & multi alij Scotum impugnant, facilè reſpondetur diſtinguendo cum Caiet. nempè legem naturalem, & præceptum naturale, ſemper eſſe immobile, vt eſt præceptum prohibens furtum, & homicidium: At verò legem naturalem ſumptam pro conceſſione, vel promiſſione facta per naturam, vt erat ſecundùm mentem Scoti lex prohibens dominiorum diſtinctionem, poſſe reuocari, & de facto reuocatam fuiſſe poſt peccatum in natura corrupta, non enim fuit præceptum, vt omnia eſſent communia, ſed conceſſio.

Ex quo colligitur, quòd quamuis ſimpliciter, & per ſe loquendo melius ſit, res in communi poſſidere potiùs, quàm in particulari, imo Religioſis & aliis, qui volunt tendere ad perfectionem Euangelicam, melius eſt ſic viuere, quàm alio modo: vniuerſo tamen generi humano non expedit res in communi poſſidere, ſed multò melius omnia in pace conſeruantur, dum vnuſquiſque rem ſuam ſeorſum poſſidet, vt ſupra diximus.

8 Dices Luc 14. habetur. Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: ſed idem eſt Chriſti diſcipulus, & Chriſtianus, ergò nefas eſt Chriſtianis aliquid poſſidere vt proprium.

Reſpondeo Chriſtum ibi non loqui de actuali, ac reali abdicatione bonorum, ſed de poſſeſſione per affectum prauum, & inordinatum: debet. n. Chriſtianus illis renuntiare quoad affectum, ita vt illa non diligat, nec concupiſcat amore peruerſo, ſed ordinato, & vt veluti media ad bona ſpiritualia, ſitque paratus omnia dimittere, quotieſcunque ſalus animæ ſuæ ita poſtularet. Quemadmodum Matth. 13. vult relinqui parentes ne ſcilicet illos amet affectu peruerſo. Vnde illorum verborum ſenſus eſt, non poſſe quempiam eſſe Chriſti diſcipulum, niſi renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, relinquendo affectum eorum prauum, & inordinatum.

9 Vel dici poteſt, Dominum ibi agere de illis, qui profitentur perfectionem Euangelicam, vt olim Apoſtoli, & nunc Religioſi.

QVÆST. XLIX.

Quoniam iure facta ſit hæc diuiſio?

1 IN hac quæſt. Illuſtriſſ. Caiet. 2. 2. quæſ. 66. art. 2. ad primum docet diuiſionem rerum in communi, id eſt, quòd res ſint diuidendæ eſſe de iure gentium: diuiſionem autem rerum in particulari, id eſt, quod hic ager ſit meus, & ille ſit tuus, eſſe de iure ciuili.

2 At Scotus in 4. d. 15. quæſ. 2. Valent. tom. 3. d. 5. quæſt. 10. p. 2. Molina tom. 1. de iuſt. d. 20. Bann. 2. 2. quæſt. 62. artic. 1. & 2. Medina. C. de reſtit. quæſt. 1. dub. 2. Petr. Nauar. lib. 3. de reſtit. cap. 2. num. 10. & Arag. 2. 2. quæſt. 62. art. 1. & 2. tenent diuiſionem rerum externarum nec iure naturali, nec iure diuino, ſed iure humano, id eſt iure gentium, & ciuili factam fuiſſe.

Pro cuius tamen deciſione dico primò, certum eſſe aliquarum rerum dominia iure naturali fuiſſe diuiſa, & hominibus ap-

propriata. Probatur, vnuſquiſque iure naturæ habet dominium in ſuum honorem, & famam,& proprias ſuas actiones,& parentes habent dominium paternũ in filios, & vir in vxorem,& familiam, ergò aliquarum rerum dominia iure naturali ſunt diuiſa,& ſingulis hominibus appropriata.

3 Secundò dico quòd rerum externarum diuiſio nullo iure naturali, vel diuino, vel ciuili eſt facta. Prima pars huius dicti,ſcilicet, quòd non ſit facta iure naturali,probatur, quia ſtando in iure naturali,& conſtitutione rerum, omnia ſunt communia, ergò non poteſt fieri,quod eadem bona ex eodem iure ſint particularia, & diuiſa.

Deinde ſi iſta diuiſio eſſet facta mero iure naturali, ſequeretur quod vita Religioſorum, qui in communi viuunt & nihil tanquam proprium poſſident, eſſet contra naturam:conſequẽs autem eſt hæreticum, vt patet ex praxi primitiuæ Eccleſiæ,& vſu Religioſorum, ergo.

Demùm, ea quæ ſunt de iure naturali, per ſe bona ſunt, & illis oppoſita per ſe mala: ſed rerum diuiſio & appropriatio non eſt per ſe bona, nec communio per ſe mala,ergo non eſt de iure naturali.Ita Sot. lib.4.de iuſt.q.3.art.1.Ban.2. 2. q.62.ar. 1. & 2.& Val.tom.3.d.5.q.10.p.2.

Secunda pars ſcilicet quod hæc rerum diuiſio non ſit facta iure diuino,probatur, nam Deus nec fecit diuiſionem illam,neque eam præcepit fieri,imò omnia tradidit hominibus in communi, vt conſtat ex illo Gen.1.creſcite,& multiplicamini,& replete terram,& ſubiicite eam,& dominamini piſcibus, &c.ergo iure diuino non fuit facta rerum diuiſio.

4 Tertia verò pars,quòd nec ſit facta rerum diuiſio iure ciuili,probatur, nam ante omne ius ciuile incepta eſt rerum diuiſio, legitur enim Gen.1.Abel, & Cain habuiſſe bona diuiſa; filij autem Noe Gen.11. iudicarunt expedire, vt Prouincias inter ſe diuiſas haberent.

Tertiò dico quòd prima rerum externarum diuiſio facta fuit iure gentium, ſcilicet ex conſenſu populorum eam diuiſionem conſtituentium, vel approbantium,vt habetur in d.1.cap. Ius gentium eſt,ſedium occupatio,& ff.de iuſt.& iure.l. ex hoc iure dominia diſtincta &c. Hoc tamen non eſt ita intelligendum,quaſi ſit aliquod præceptum apud omnes, ſed quia commune omnium iudicium eſt, vt res fiant propriæ, & diuiſæ inter ipſos homines, vt diſſidia præcidantur,tollatur negligentia,qua ſinguli res multorum communes adminiſtrare conſueuerunt,& pax conſeruetur.

5 Quartò dico quòd primæ rerum diuiſioni plures earundem rerum diuiſiones poſtea iure ciuili acceſſerunt. Probatur, multa lapſu temporum, pluribus ſunt adiudicata legibus Principum,& Regnorum, multæ etiam Reſpublicæ Imperium ſuum, & Regnorum dominia in Reges tranſtulerunt, vt habetur in l. Quod Principi placuit. ff.de conſtit.

Ex quo colligitur, omnem rerum diuiſionem,ſi de nouo fiat,fieri iure ciuili, ſeu poſitiuo, vt docet D. Thom.2.2.q.66.art.2. ad primum. Vnde D. Aug. tract. 6. ſuper Ioan.& refertur d. 8. c. quo iure. Tolle inquit iura Imperatorum, & nullus audebit dicere, hæc villa eſt mea. Ita tenet Valen. tom.3. diſp.5.q.10.p.3.Arag.2.2.q.62.art.1.& 2.& alij.

QVÆSTIO L.

Vtrum omnium rerum facta fuerit diuiſio, an verò aliquæ remanſerint indiuiſæ?

1 AD hoc dico primò, quod omnes iuriſdictiones ſunt ita appropriatæ,& diuiſæ,vt nemo priuatus,ſit,quin alicui non ſubdatur,vt habetur diſp.99.c.nullus,& 25.q.2.c.de Eccleſiaſticis.

Secundò dico quòd facta rerum externarum diuiſione, multa adhuc manent indiuiſa,& communia, vt maria,flumina elementa,littora,piſces,aues,feræ, poteſtates, viæ publicæ, & id genus alia. Et ratio eſt, quia rerum temporalium diuiſio ideò iure gentium,& ciuili introducta eſt,vt iurgia, & diſcordiæ tollerentur, & agri,& poſſeſſiones meliùs colerentur:at verò prædicta rariſſimè poſſunt eſſe cauſa litium, nec indigent hominum cultura,ergo. Ita Valent. tom.3.d.5.q.10.p.3.

QVÆSTIO LI.

Quomodo, & per quos homines facta fuerit rerum omnium diuiſio?

1 RESP.hanc rerum diuiſionem tribus modis legitimè inſtitui,ac introduci potuiſſe.

2 Primò

2 Primò à parentibus primis,& aliis antiquioribus,qui vixerunt circà mundi primordia,vt ab Adamo;& filiis eius ante diluuium. A Noe & filiis eius post diluuium. Nam post diluuium quasi de nouo conditus mundus videtur fuisse.Indicium huius fuisse videtur, quod legitur Gen. 4. quòd Abel offerebat de primogenitis gregis sui, & Cain de fructibus terræ:quòd si sua non essent,nullam mereretur,vel Abel laudem, vel Cain vituperationem. Vnde Epiph. vt refert D. Aug. serm. 113. de tempore dicit. Noe post diluuium distribuisse mundum in tres partes, inter tres filios,& iureiurando illos obligasse, vt nullus eorum partes alterius inuaderet.

3 Obiicies,Adam,& Noe non habuerunt Regiam potestatem,auctoritatémve Reip. coerciuam,sed solum fuerunt patres familias,qui filiis distribuere nisi proprium peculium non potuerunt, ergò prima rerum diuisio non potuit fieri à primis parentibus.

Resp. esse valdè probabile Adamum habuisse à Deo positiuum, & actuale dominium totius orbis,eodem iure,quo fuit solus,primúsque parens humani generis,non enim est verisimile quòd aliquo tempore fuerit mundus absque Principe,qui posset, & vellet malefactores punire.

4 Secundò fieri potuit rerum diuisio,multiplicatis iam hominibus, electóque per eos aliquo in Principem communem,cuius authoritate, bona ad illud vsque tempus communia inter eos diuiderentur.

Tertiò fieri potuit ex communi hominum consensu eo pacto, quo Gen.13. orto iurgio inter pastores Abraham,& pastores Loth. Abraham optionem dedit Loth, vt dexteram,vel sinistram sibi eligeret: vel vt alij Philosophantur, satis erat, tunc consensus tacitus, & quædam non repugnantia, quandoquidem in actu ipso exercito homines diuidebant, & occupabant res, aliis non repugnantibus, imò ad id consentientibus. Et hæc de dominio dixisse sufficiant.

DE FVRTO

DISPVTATIO SECVNDA.

DE hac materia disputant Theologi in 4. d.15.D.Tho.2.2.q. 66. art.3. & Caiet.ibi.Sot. lib. 5. de iust.q.3. art.1.Mol.2.3. de iust.disp.680.Valen.tom.3. disp.5.q.10.p.4.Less.lib.2. de iust.c.12.dub.1. Tol.lib.5.sum.c.15.Ban.2.2.q.66.a.3.Io.Med. C.de rest.q.4.Pet.Nau.lib.3.de rest.cap.1.n. 20.Arag.2.2.q.66.ar.3.Lop.p.2.instr.confess. c.10.Nau.c.17.n.1.Cou. in Reg.peccatum p. 2.§.1.Barth.Med.lib.1.instr.conf. cap. 14. & multi alij. Summistæ verò vt Ang. Sylvest. Tab.Armil. & alij,verbo furtum, & verbo rapina.In cuius tamen notitiam, vt à nomine ipso exordiamur, quæritur in primis.

QVÆSTIO PRIMA.

Vnde dicatur furtum.

1 D.Thom.2.2.q.66.a.3. secutus D.Isid. li.10.Aetymolog.c.6. putat furtum deriuari à furuo, hoc est fusco, seu nigro ob obscuritatem,quia fures tenebras quærunt,vt furentur.

2 Sed verius, ac probabilius multò est, quod docet l. C. in l. p. in principio ff. de furtis, nimirum furtum à ferendo,id est ab auferendo deduci,Græcè.n.fures appellantur feras,à fere, quod ferre,seu auferre significat,quia fur aufert ab alio, & sibi affert, quod fit, contrectando rem alienam, eámque ferendo de loco in locum.

QVÆSTIO II.

Quid sit furtum?

1 Resp. omissa definitione Canonistarum, quæ est nimis longa, & quæ continet multa falsa,mihi videtur commodius posse sic definiri,furtú est ablatio occulta rei alienæ inuito Domino rationabiliter.In qua definitione quinq; sunt partes.

Prima est. (ablatio) quæ ponitur loco generis,quæ latiùs patet quam furtum;qui

enim ab altero aliquid per rapinam accipit, verè aufert, & tamen propriè non dicitur fur, ſed raptor. Et conuenientius furtum dicitur ablatio, quam acceptio, quia furtum non ſolùm eſt acceptio, ſed etiam detentio, & damnificatio rei alienæ, vt qui domum, vel ſata aliena comburit, quæ omnia ſub nomine ablationis continentur.

Secunda eſt (occulta) quæ ponitur ad differentiam rapinæ, quæ non occultè, ſed palam, & apertè, ac per violentiam fit.

2 Tertia eſt (rei alienæ) quia in re propria non poteſt eſſe furtum, niſi alius haberet in ea ius aliquod vel commodati, vel impignorationis. Vnde qui ab alio auferret, quod in eius depoſito erat, etiam ſi eſſet verus Dominus, diceretur furtum committere, quia modo aliquo aufert. Quocirca per rem alienã intelligitur quæuis res exterior, quocunque titulo pertinens ad alterum, ſiue veri dominij, ſiue vſus &c. quæcunque enim talium rerum ablatio, per ſe loquendo eſt peccatum furti.

Quarta eſt (inuito Domino) quia ſi Dominus ſponte dat, qui accipit non dicitur furari.

3 Magiſt. Sot. lib. 5. de iuſt. q. 3. ar. 1. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 1. Arag. 2. 2. q. 66. ar. 3. & plerique alij dicunt particulam hanc (inuito Domino) ſuperuacaneam eſſe, quia eo ipſo quòd res quæ vſurpatur eſt aliena, præſumitur Dominus inuitus, quoniam ignorantia (inquiunt iſti) cauſat inuoluntarium. Rectiùs tamen ab aliis ponitur, quia ſæpè, vel conſanguinei, vel amici rem ſub ſpe ratihabitionis accipimus, quam tamen conſtat eſſe alienam & nihilominùs rei furti non tenemur: ſicut non furantur, qui vt eam ab hoſte ſeruent, militer gerendo rem proximi, rem alienam accipiunt.

4 Quinta, & vltima pars, quæ conſtituit plenam rationem furti eſt (rationabiliter) per quam multæ ablationes à peccato furti excuſantur, quia Domini non cenſentur inuiti rationabiliter. Vnde qui ab amente gladium furripit, ne ſe, vel alium interimat, non peccat, nec furtum committit, dummodò vendat eum, & in vtilitatem amentis conuertat. Nec vxor furatur, quæ abſcondit pecuniam mariti, ne in ludis, vel comeſſationibus prodigat, ac dilapidet, ſi illam in vſum familiæ conuertat. Nec qui vinum effundit, ne Titius inebrietur, vel taxillos proiicit, ne alij ludo illicito ludant. Nec tandem qui in extrema neceſſitate conſtitutus, vel in recompenſationem eius, quod ſibi iure debetur, quando alia via ſuum in iudicio commodè recuperare non poteſt alienum furripit. Quorum omnium ea eſt ratio, quia nulla harum ablationum fit inuito Domino rationabiliter.

5 Obiicies, qui Domino ſciente, & vidente, rem alterius accipit, ſine aliqua violentia, eſt verè fur, & tamen non accipit rem occultè, ergo malè dicitur, quòd furtum eſt occulta acceptio rei alienæ inuito Domino.

Reſpondeo, quando dicimus furtum eſſe occultam ablationem, nomine occulti non ſolùm intelligimus clanculariam acceptionẽ, ſed inuoluntariam reſpectu Domini, nam ſecundum D. Tho. 1. 2. q. 6. a. 8. ignorantia cauſat inuoluntarium, hoc enim eſt, quod eſt de ratione furti, quod. n. Dominus videat, vel non per accidens eſt.

6 Secundò reſpondeo, quòd furtum importat in ſua ratione formali, quòd ſit occulta ablatio rei alienæ inuito Domino, quamuis aliquando contingat, quòd fiat Domino ſciente, & vidente. Ratio huius eſt, quia actus humani ex intentione ſpeciem ſumunt, & fur per ſe intendit occultè rem alienam furripere, cuius indicium eſt, quòd fur ſemper quærit tenebras vt furetur; & quia vult agere contra voluntatem Domini, ob id quærit eius ſcientiam ſubterfugere, ergo eſt verè fur, quamuis furetur coram Domino.

7 Dices, vſura, cambium iniquum, iniuſta emptio, vel venditio, ſunt ablationes iniuſtæ rei alienæ, & tamen non ſunt furta, ergò falſa eſt definitio furti.

8 Reſp. vſuram, cambia iniqua, &c. eſſe quidem iniuſtas ablationes non tamen furta, quia non ſunt ablationes occultæ rei alienæ, eo modo, quo ſumitur hic occultum, pro inuoluntario, quod vocat Ariſt. 3. Ethyc. per ignorantiam, & non conſenſum. Vſura autem, cambia &c. fiunt Domino partim volente, & partim nolente: volente quidem contrahere, & paciſci, nolente autem ſuo iure fraudari. Ex quo fit, vt huiuſmodi contractus voluntarij appellentur, cum tamen furtum prorſus fiat Domino nolente.

Accedit, quòd vſura, cambia, & ſimiles contractus iniqui ſemper habent adiunctam

ctam fraudem,& dolum.At de ratione furti non eſt aliquis dolus,vel fraus.

9 Hinc,qui aliquid accipit, credens Dominum rei fore inuitum, nec tamen eſt, committit furtum formaliter, ac peccat, non tamen committit furtum materialiter. Si verò probabiliter credit Dominum non eſſe inuitum,& Dominus eſt inuitus, committit furtum materialiter, non verò formaliter,ac proinde nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur ex parte acceptionis, ſed ſolum ratione rei acceptæ,quod ex illa extat, aut quantum ex ea factus eſt locupletior.

Hinc,furari aliquid Domino vidente,& non contradicente ex timore, vel ex verecundia peccatum eſt mortale, quia dicitur inuito Domino furtum commiſſum:Si verò poteſt contradicere, & non contradicit, non peccat, quia videtur Dominus conſentire.

QVÆSTIO III.

An qui auſert vxorem, vel filiam alienam committat furtum?

1 QVidam tuentur partem affirmatiuam, quam ſic probant, nam qui etiam furripit ſeruum alterius,verè,& propriè furtum committit, ergò, & qui vxorem,aut filiam alterius accipit.Antecedens eſt per ſe manifeſtum. Conſequentia verò probatur, quia non minùs poteſt miniſtrare filius patri, & vxor marito, quam ſeruus,ergo.

2 At Caiet.2.2.q.66. a. 3. communiter receptus docet vſurpantem vxorem, vel filiam alterius,non committere furtum, ſed alterius ſpeciei peccatum, nam ſi accipit pro concubitu, & hoc fit ipſis reclamantibus,erit raptus; ſi verò fit eis conſentientibus eſt luxuria ſtupri, aut adulterij, aut ſimplicis fornicationis, iuxtà qualitatem tam perſonæ extrahentis,quàm extractæ.

QVÆSTIO IV.

Sed Quid?ſi quiſpiam vxorem,aut filiam alterius ſurriperet,vt alibi venderet, aut alteri traderet,an committeret furtum?

1 SOtus lib.5.de iuſt.q.3.ar. 1. & Molina tom.3.de iuſt.diſp. 681. negant,ea ratione, quia pater non eſt verus Dominus filiæ,neque maritus vxoris, concedunt tamen eſſe plagium,vel captiuitatem.

Sed hæc opinio (pace tantorum virorum ſit dictum) non mihi placet, primò, quia plagium furtum quoddam eſt,vt ipſemet Sotus admittit loco citato,& captiuitas non ſignificat iniuriam factam patri,de qua nunc loquimur, ſed factam mulieri.

Tum quia nomine rei alienæ in definitione furti, vt docet D. Tho.2.2.q.66.art.3. intelligitur quæuis res exterior quocunque titulo pertinens ad alterum, ſiue veri dominij, ſiue vſus &c. id quod etiam ipſe Sotus concedit.

2 Quare dicendum eſt, ablationem filij, aut filiæ, vel vxoris, vt in ſeruitutem redigantur,eſſe verè, & propriè furtum. Ratio eſt, quia parentes priuantur vſibus licitis filij,vel filiæ,& maritus vxoris,ad quos ius quoddam habebant,& ipſæ perſonæ raptæ priuantur libertate ſua. Vnde quando D. Tho. dicit vſurpationem filiæ, vel vxoris non eſſe furtum,intelligitur,cum non vſurpantur ſimpliciter ad vendendum, ſed ſolùm abutendi cauſa,tunc enim dicitur ſpecialiter raptus.

3 Hinc quando ſerua non eſt ſub Domini poteſtate quo ad concubitum,cum talis vſus ſeruæ non ſit Domini, fit, vt qui vſurparet ſeruam alicuius,vt rem haberet cum illa (niſi fortè ex hoc à Domini ſeruitio impediretur,) nullum furtum committeret magis, quàm ſi coiret cum illa in domo Domini,ipſo inuito.

Ad argumentum adductum pro prima opinione patet ex dictis.

QVÆSTIO V.

Quid ſit rapina?

1 NOtandum, Rapinam trifariam ſumi poſſe, vno modo latiſſimè pro vſurpatione eius, quod ſibi non debetur, ſicut ſumpſit Paul.ad Phil. 3. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Et D. Aug.loquens de primis parentibus ait,voluerunt rapere diuinitatem,& perdiderunt fœlicitatem. De qua rapina verba faciens Dauid in perſona Chriſti,Pſalm.68.ait,quæ non rapui,tunc exoluebam in Cruce ſcilicet ac paſſione mea.Et D. Hier. vt refertur d.42.in principio.aliena rapere cõuincitur, qui vltra neceſſaria,ſibi retinere probatur.

2 Se

2 Secundò modò ſumitur, pro vt comprehendit furtum, ac quamcunque iniuſtam acceptionem. Et in hac ſignificatione accepit nomen rapinæ D. Ambr. de bono mortis pro vt refertur 14.q.5. cap. Si quid, dum ait. Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.

3 Tertiò, & vltimò rapina ſumitur propriè, pro vt diſtinguitur contra furtum, & hoc tertio modo ſumitur in præſentiarum, & poteſt definiri ſic. Rapina eſt ablatio rei alienæ manifeſta, & violenta.

QVÆSTIO VI.

An qui alicuius, in eius abſentia per vim domum irrumpit, vt quod intus eſt, iniuſtè accipiat, verè & propriè furtum committat, an vero rapinam?

1 SOtus lib.5.de iuſt.q.3. ar.2.cenſet eſſe rapinam.

2 At verò Franciſcus Victoria ſuper 2.2. q.66.art.4. aſtruit eſſe furtum, cuius ratio eſt, quia ad rationem rapinæ vis illata perſonæ, animúſve eam inferendi requiritur, nec ſufficit vis illata parietibus, aut foribus. Vnde ſi quis noctu domum alterius aggrediatur, animo accipiendi iniuſtè, quidquid in ea inuenerit, paratus vim inferre, etiam ſi neminem intus reperiat, qui reſiſtere poſſit, rapinam committit.

QVÆSTIO VII.

An furtum, & rapina ſpecie diſtinguantur?

1 GAbriel in 4.diſt.15.q.3.ar.1.putat rapinam in ſpecie non diſtingui à furto.

2 At D.Th.2.2.q.66.art. 4. Caiet. ibidem, Sot.lib.5.de iuſt.q.3.ar.2. Nauar.c.17. nu.95. & alij communiter affirmanter reſpondent. Et ratio eſt, quia malitia, per quam vſurpatio rei alienæ eſt contra iuſtitiam, prouenit ex eo, quòd ſit contra voluntatem Domini: contra voluntatem autem Domini dicitur aliquid fieri bifariam, vno modo occultè, id eſt eo ignorante, ac ſine ipſius conſenſu: alio verò modo apertè, & manifeſtè, id eſt Domino vidente, vel ſciente, ſed reclamante, & illata aliqua violentia, vt docuit Ariſt.5. Ethyc.c.1. quæ duo ſpecie, & formaliter diſtinguuntur: ergò furtum quod ex ſua ratione dicit iniuſtam acceptionem, Domino inſcio, ſpecie differt à rapina, quæ in ſua ratione dicit iniuſtam acceptionem Domino conſcio, ac violentiam patiente.

3 Ex quo colligitur primò, quòd fur, & raptor conueniunt, quia vtérque rem alienam inuito Domino vſurpat; differunt tamen, quia fur occultè id eſt abſque Domini conſenſu, & abſque aliqua violentia; raptor verò non ſolùm ſine conſenſu Domini, verum etiam adhibita violentia fit.

Colligitur ſecundò, non eſſe neceſſarium ad rapinam, quòd publicè fiat, vt putat Ang. verb. rapina, cum non ſit de ratione illius, quòd ſit publica alteri, quàm ei, à quo res per violentiam aufertur, vt conſtat ex cap. pœnale 14.q.5.

Nonnulli ſolent diſtinguere furtum à rapina ex eo quòd furtum ſit in nocte, rapina autem ſub luce diei: vel ex eo quòd furtum committitur in abſentia Domini, rapina verò in eius præſentia, quaſi fur nocturnus ſit propriè fur, diurnus verò raptor, & latro.

4 Sed neutra iſtarum diſtinctionum eſt ſufficiens, quia interdum contingit, furtum in die, & in Domini præſentia fit: rapina autem in tenebris & Domino abſente. Si quis enim vi noctu ædes aggrediatur, aut per vim domum alterius irrumpat, paratus vim ferre, etiam ſi nemo ſit intus, rapinam exercet. Si autem in die, Domino præſente, & ob ſuam modeſtiam, vel honorem, aut alia de cauſa tacente bona furripiat nulla vi illata, nec paratus inferre verè, & propriè furtum committit.

5 Vera igitur & propria differentia ſpecifica inter furtum & rapinam, ex eo deſumi debet, quòd furtum latenter, & abſque aliqua violentia inuito Domino ſit, rapina verò violenter. Vnde vltra reſtitutionem rei per vim furreptæ, faciendа eſt diſtincta, ac propria ſatisfactio pro iniuria, violentia, & contemptu illato proximo, vt docet D.Th.2.2.q.66.ar.9.

Ex quo deducimus rapientem non ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, confitendo ſolùm rem proximi iniuſtè furripuiſſe: ſed explicare iure cogitur circumſtantiam mutantem ſpeciem, nempe per vim rem alienam occupaſſe.

QVÆSTIO VIII.

An furtum, ſit peccatum mortale?

1 REſpondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia nemo ſecundùm diuinum iudicium condemnatur niſi ob peccatum mortale; condemnatur autem pro furto vt habetur Zach. 5. ergo eſt peccatũ mortale.

2 Tum quia violare iuſtitiam, ex genere ſuo & ex obiecto eſt peccatum mortale; atqui furtum eſt contra iuſtitiam, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, ergò eſt peccatum mortale.

3 Tum quia, quidquid ex genere ſuo contrariatur charitati Dei, vel proximi, quę eſt vita ſpiritualis animæ, eſt peccatum mortale. Atqui furtum ex genere ſuo aduerſatur charitati proximi, ergò eſt peccatum mortale. Maior propoſitio eſt per ſe nota. minor verò probatur, quia ad charitatem proximi pertinet, vt illi bona velimus, & operemur; per furtum autem homo infert damnum proximo in ſuis bonis, ergò ex genere ſuo aduerſatur charitati, atque ex conſequenti eſt peccatum mortale.

4 Dixi notanter (ex genere ſuo) quia in tribus caſibus furtum quod natura ſua eſt mortale, poteſt fieri veniale.

Primò ex paruitate materiæ, nimirum quando furtum eſt rei exiguæ.

Secundò ex defectu deliberationis.

Tertiò, & vltimò ex defectu iudicij idonei ad peccandum mortaliter. Quæ omnia in omni euentu excuſant à mortali, vt docet D. Thom. 2.2.q. 66. art. 6. ad 3. Caietan. ibidem, & Nauar. c. 17. num. 2.

QVÆSTIO IX.

An furtum ſit grauius peccatum fornicatione?

1 MArtinus de Magiſtris tracta. de temperantia q. 2. tenet furtum eſſe grauius peccatum, & probat, quia furtum contra iuſtitiam, fornicatio contra temperantiam, ergo maiori virtuti opponitur furtum, quàm fornicatio.

2 Communis tamen opinio habet fornicationem eſſe grauius peccatum furto. Ita D. Tho. 2.1.q.1.3.art. 3. Caiet. ibidem. Azor. par. 3. inſt. mor. lib. 5. cap. 12. quæſt. 3. & alij. Ratio huius eſt, quia fornicatio infert damnum homini naſcituro, qui eo ipſo, quod per fornicationem procreatur, ſolet vt plurimum malè educari, & ideò eſt grauius peccatum furto, quod ſolùm infert damnum in bonis temporalibus.

QVÆSTIO X.

Vtrum Rapina ſit maius peccatum, quàm furtum?

1 REſpondeo rapinam eſſe maius peccatum. Ratio eſt, quia furtum & rapina ob id habent rationem peccati, quia fiunt contra voluntatem Domini, & in eis Dominus inuoluntarium patitur, quod ergo eſt magis contra voluntatem Domini illud eſt maius peccatum: ſed rapina magis fit contra voluntatem Domini, quàm furtum, quia violentia quæ reperitur in rapina directiùs contrariatur voluntati, quàm ignorantia, quæ inuenitur in furto, ergò grauius peccatum eſt rapina, quàm furtum.

Tum quia rapina non ſolùm infert detrimentum proximo in rebus ſuis, ſed etiam per violentiam iniuria afficit perſonam, cui aufertur res, ergò rapina eſt maius peccatum, quàm furtum.

2 Obiicies, homines magis verecundantur de furto à ſe commiſſo, quàm de rapina, ergo furtum eſt maius peccatum. Probo conſequentiam, quia teſte Ariſt. 3. Ethyc. verecundia eſt de turpi actu.

Reſp. verum eſt, homines magis verecundari de furto, quàm de rapina: ſed hoc non prouenit ex eo quòd furtum ſit grauius, quàm rapina, ſed quia homines ſenſibilibus inhærẽtes magis gloriantur de virtute exteriori, ſcilicet fortitudine, quæ manifeſtatur in rapina, quàm de virtute interiori quæ tollitur per peccatum, & ideò minùs erubeſcunt de rapina, quàm de furto, cum tamen è contrario magis deberent de rapina tanquam de maiori flagitio verecundari.

QVÆSTIO XI.

An quodlibet furtum ſit peccatum mortale? Perinde eſt, ac ſi quæreretur an dari poſſit furtum, quod ob leuitatem materiæ ſit peccatum veniale?

1 GAbr. in 4. d. 5. q. 3. ar. 1. notab. 5. tenet quodcunque furtum etiam rei minimi

minimæ, modò ex affectu nocendi proximo, aut ex cupiditate poſſidendi rem alienam fiat, eſſe peccatum mortale. ex quo infert nullum furtum ex ſola leuitate materiæ, ſed ſolùm ex defectu deliberationis, vel iudicij idonei ad peccãdum mortaliter poſſe fieri veniale. Et hanc ſuam opinionẽ dicit eſſe D.Tho.2.2.q. 66. artc .6. ad 3. Et certè D.Th.nõnullam præbuit occaſionem, ait. n. animum furandi,& inferendi nocumentum proximo etiam in rebus minimis poſſe eſſe mortale ſicut & in ſolo cogitatu per cõſenſum. Quod confirmat Hier. ſuper epiſt. Paul. ad Tit. c.2. relatus in c.fi.14. q.6. cum ait, fur non ſolũ in maioribus, ſed etiam in minoribus iudicatur.

2 Communis tamen,& vera ſententia eſt aliorum tum Theologorum, tum Canoniſtarum, & Summiſtarum aſſerẽtiũ furtum rei paruæ, etiamſi ex affectu nocendi, aut rei alienæ cupiditate id fiat (dummodò ea cupiditas, animuſq; nocendi ad materiam notabilem non ſe extendat) non eſſe peccatum mortale Ratio eſt, quia in omni materia præceptorum iuſtitiæ, modicitas rei excuſat à mortali etiam in ipſa corporis,& famæ læſione, quæ maior eſt, quàm pecuniæ, vt omnes Doctores tradunt, ergo & in furto Sola modicitias materiæ eſt ſufficiens ad conſtituendum peccatum veniale.

Et confirmatur, parum à ſapientibus pro nihilo reputatur, ergo furtum de re leui etiam habetur pro nihilo, atque ex conſequenti non eſt peccatum mortale.

Dixi notanter (in omni materia præceptorum iuſtitiæ) quia in alijs non eſt hoc ita vniuerſaliter verum, nam in materia fidei, odio Dei, iuramento aſſertorio, & contemptu ſimpliciter, modicitas nunquam excuſat à mortali, benè tamen ſurreptio, aut defectus deliberationis.

3 Et ad argumentum Gabr. deſumptum ex authoritate D.Th. Sotus lib.5 de iuſt.q. 3.ar.3.ad 3 docet accipientem rem minimã ſine animo accipiendi maiora, peccare mortaliter, quãdo dominus quia eſt anguſti cerebri minimis vehemẽter offenditur, atque animo perturbatur, & affligitur, & fortè ad iracundiam concitatur, intelligatque fur dominum illius rei minimæ ſic eſſe affligendum.

4 Sed hæc expoſitio Soti mihi non placet, nec videtur eſſe ad mentem D. Tho. quia quamuis accipere rem minimam animo afficiendi moleſtia proximum ſit peccatum mortale, ſicut qui faceret nutum, vel geſtum, quo ſciret proximũ afficiendum moleſtia, hoc tamen non eſſet peccatum mortale furti. ſed alterius generis ſcilicet odij, inuidiæ, & id genus alia.

Quare hac expoſitione omiſſa dicimus, quòd mens D.Tho. in illo loco eſt, vt reẽtè dicit Caiet. quod ſi fur accipit à domino inuito rem paruam animo furãdi rem magnam, ſi inueniſſet, vel potuiſſet, ſine dubio is peccat mortaliter, quia res illa ratione iſtius animi, & intentionis non eſt leuis, ſed grauis. Secùs autem ſi tantùm habet voluntatem in illa re minima nocendi, & non maiori. Quo etiam ſenſu intelligendus eſt D. Hier. quod colligitur ex verbis eiuſdem Hieronymi cum ait, in furto non quod ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur. Vbi videtur tantum loqui de illis furibus qui res minimas accipientes voluntatem habent maiora ſurripiendi.

5 Vel poſſumus dicere D.Tho. tantùm loqui de eo qui habet animum inferendi proximo nocumentum abſolutè,& ſimpliciter, & non nocumentum limitatum ad huiuſmodi minima, tunc ratione talis animi peccat mortaliter accipiẽdo rem paruã ſicut etiam ſine acceptione habendo talem conſenſum in animo, peccaret mortaliter peccato furti: quemadmodum Religioſus peccaret mortaliter ſi ex contemptu ſimpliciter frangeret ſilentium; non quia minimum, ſed quia præceptum eſt à ſuo ſuperiore.

QVÆST. XII.

An ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale furti quod aliquis habeat animum furandi nihil de notabili, aut paruo cogitans?

1 Caiet.22:quæſt.66.ar.6.ad 3.Cou. lib. 1.var.c.13.nu.2.& Arag.2.2. q.65.art. 6.dub. 2. videntur ſentire quod voluntas furandi abſolutè eſt peccatum mortale, niſi limitetur ad rem minimam

2 Contrarium tamen aſtruit Petr. Nauar. lib.3.de reſt. num. 40. ſcilicet nunquam in indiuiduo dari furtum aliquod, in quo fur non habet voluntatem ſaltem tacitè accipiendi modicum, vel magnum. Et ratio eſt, quia cum quis ſe applicat ad furandum,

dum, vel ſolum intendit rem minimam accipere, & tunc ſolum erit veniale, vel ita furatur minimum, vt paratus ſit, & optet multum furari, ſi detur occaſio, & ſic erit mortale, nec fingi poteſt alius caſus, in quo quis habet animum furandi abſolutè pro vt finxit Caiet. Sed ſine firmo fundamento.

QVÆSTIO. XIII.

An furtum rei magnæ, & furtum rei paruæ ſint eiuſdem ſpeciei?

1 MEd.C.de reſt.q.4.& Nauar.cap. 17. nu.2.dicunt quod licet furtũ paruæ, & magnæ rei in genere naturæ non differant ſpecie, tamen in genere moris ſeu vitij differunt, quia omnis circumſtãtia quæ facit peccatum veniale, mortale, mutat ſpeciem in genere moris vt docet idem Nauar.ca.6.nu. 3. Quocirca licet vnũ furtum in genere entis nõ excedat in infinitum reliquum, excedit tamen in ratione malitiæ, ſecundum Dei imputationem, qui vnum ad pœnam æternã, alterum vero ad temporalem tãtùm dignatur imputare.

2 Contrarium tamen arbitror eſſe dicendum, quoniam non omnis circumſtantia quę auget malitiam actus mutat ſpeciẽ, ſed illa duntaxat, quæ habet per ſe ſpecialem repugnantiam, vel conuenientiam cum ratione. Quocirca magnum, & paruũ non variant ſpeciem, ſed ſolùm augent bonitatem, vel malitiam actus intra eandẽ ſpeciem, atque ex conſequenti furtum rei paruæ, & furtum rei magnæ ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris, quia vtrumque dicit ordinem eiuſdem rationis ad obiectũ diſſentaneum à recta ratione, puta quòd accipitur res aliena inuito domino, & quãuis maior, & minor quãtitas rei furtiuæ ſit ſufficiens ad augendam culpam, non tamẽ ſatis eſt, ac ſufficit mutare ſpeciem peccati in genere moris, vt colligitur ex D.Tho.1. 2.q.18.ar.11. Ita Aragon.2.2.q.66.a.6.& Valent. tom.2.diſp.2.quæſt. 13. p. 4. & tom.3. diſt.5.quæſt.10.par.5.

QVÆSTIO XIIII.

An præceptum de non furando ſit diſpenſabile ſaltem per potentiam Dei abſolutam?

1 HVius quæſtionis partem affirmatiuam aſtruit Scotus 3. ſent d. 37. quæſt.1.quam probat ex eo quod inuenitur Deus ſuper illud præceptum diſpenſaſſe, dicitur enim Exod. 12. fecerunt filij Iſraël ſicut præceperat dominus Moyſi, & expoliauerunt Aegyptios.

2 Ex quo colligit Scotus furtum filiorum Iſraël, quo vaſa aurea, & argentea ab Aegyptiis acceperunt, habuiſſe rationem furti, quia fuit occulta acceptio rei alienæ inuito domino, quæ eſt definitio furti, dicit tamen filios Iſraël in eo facto peccatum non commiſiſſe, quia ex facultate Dei, qui potens fuit in præcepto de non furando diſpenſare, id fecerunt. Hanc eãdem ſententiam ſecutus eſt Okam in 2.ſen. d. 19. qui dicit non ſolùm potuiſſe Deũ in illo præcepto, & in omnibus alijs de calogi diſpenſare. verum etiam contrarium illorum præcipere. Quo facto meritorium eſſet gratiæ in præſẽti, & gloriæ in futuro agere contra decalogi præcepta etiam ſi operatio eſſet odium Dei.

3 Partem tamẽ negatiuam tenet D. Tho. communiter receptus 1.2. quæſt. 100. art.8 ſcilicet vniuerſa decalogi præcepta eſſe prorſus indiſpenſabilia, vſque adeò, vt neque Deus per ſuam omnipotentiam poſſit ſuper illa diſpenſare. Ex quo ſequitur factum illud filiorum Iſraël, quo Aegyptios ſpoliauerunt; furti rationem non habuiſſe, ſicut nec habuit rationem culpæ. Probatur primo ex illo pſal.118. tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, ideſt indiſpenſabiliter.

Secundò probatur authoritate D.Patris noſtri Bernardi in lib. de præcepto & diſpenſatione, vbi ſic ait à Deo non poteſt immutari quidquid de dilectione, humilitate manſuetudine, cæteriſque virtutibus tam in veteri, quàm in nouo teſtamẽto obſeruandum traditur: atqui quodlibet præceptum decalogi pertinet ad aliquam virtutem. ergo in nullo præcepto poteſt Deus diſpenſare.

4 Tertio, & vltimo probatur ratione, præcepta affirmatiua decalogi præcipiunt id quod ex genere bonum, vt colere Deum &c. negatiua autẽ prohibent id quod ex ſe eſt malum: ergo implicat contradictionẽ, quòd ſint diſpenſabilia. Probatur conſequentia, quia ſi eſſent diſpenſabilia, liceret facere quod eſt malum ex genere, quod eſt impoſſibile.

Ex quo colligitur Deum nulla ratione diſpen

diſpenſaſſe in præcepto de non furando cum filij Iſraël eo tempore, quo illis præcepit Aegyptios expoliare. Eſt enim hoc vnum ex illis, quæ in decalogo continentur ſuper quæ vt diximus nullo modo cadit diſpenſatio.

QVÆSTIO. XV.

An filij Iſrael Aegyptios ſuis bonis expoliantes, peccatum commiſerint?

1 MAgiſter ſentent. in 3. diſtinct. 37. exiſtimat ſapientes, & maiores populi non peccaſſe; inferiores autem, & rudiores peccaſſe, quia ex affectu, & cupiditate vſurpādi alienū, bona illa acceperūt.

2 At huius oppoſitum tenet D. Thom. communiter receptus in 2.2.q.66 ar.3. ſcilicet filios Iſraël in eo facto quo Aegyptios expoliauerunt. peccatum furti non commiſiſſe. Probatur, furtum eſt acceptio rei alienæ inuito domino rationabiliter. At filij Iſraël ex mandato Deo, qui iure creationis habet dominium ſuper omnes creaturas, multò perfectiùs, quā quilibet homo particularis habet ſuper rem ſuam, quam poſſidet, Aegyptios expoliarunt, ergo. Nec in hoc facto Deus in furto diſpenſauit, ſicut nec tu quando rem tuam alteri tradis, in furto diſpenſas, ſed eſt ſolùm rem ſuam dare, cui vult; ſicut nec pater qui veſtem filij eo inuito tradit amico, in furto diſpenſat, licitè inuitus filiolus ſpolietur, quia pater eſt verus dominus Veſtis.

Et confirmatur, Exod.12. dicitur, filij Iſraël fecerunt ſicut Dominus præceperat Moyſi. Ex quo loco ſic argumentor. Quod domino præcipente fit, non poteſt eſſe peccatum, quia vt habetur Eccleſiaſt. 15. Deus nemini mandat impiè agere. At filij Iſraël de mandato Dei tulerunt bona Aegyptiorum, ergo non peccarunt.

Ad hoc etiam facit mirabiliter illud Sap.10. Iuſti tulerunt ſpolia impiorum: vbi filij Iſrael Aegyptios expoliantes vocantur iuſti; quod ſcriptura non dixiſſet, ſi in illo facto peccaſſent.

QVÆSTIO XVI.

Ob quam cauſam Dominus iuſſit, vt filij Iſraël expoliarent Aegyptios?

1 REſpondeo hoc factum eſt primò in pœnam propter eorum delicta ſicut ob crimen læſæ Maieſtatis, Princeps vel Iudex priuat criminoſum ſuis bonis, & applicat illa fiſco. Qua etiam ratione terra promiſſionis fuit ablata Chananeis, aliiſq; nationibus ob eorum idololatriā, & delicta, & tradita filiis Iſrael pro laboribus, quos multis annis Aegyptiis impenderunt in operibus lateris, & luti, nullam mercedem ab eis acceperunt, ideò iuſto Dei iudicio factum eſt, vt Aegyptij ab Hebrçis ſuis bonis ſpoliarentur, quod inſinuatur Sap. 10. reddit iuſtis Deus mercedem laborum ſuorum &c. & tranſtulit per mare, ratio eſt D. Th.2.2.q.66.ar.3.

QVÆSTIO XVII.

An poſſit Princeps ſeu Iudex ad imitationem Dei concedere facultatem priuatim creditori, vt bona debitoris ſecretò accipiat?

1 AD hoc primo dico, quod quando Princeps ſeu Iudex publicè poteſt per ſuam ſententiam compellere debitorē ad reddendum debitum venditori, non poteſt illi facultatem indulgere, vt ſecretò de bonis illius ſibi recompenſet. Ratio eſt quia Princeps, ſeu Iudex tenetur ſemper ordine iudiciario procedere, quoties id commodè fieri poteſt.

2 Secundò dico, quod ſi pro certo cōſtat Principi, aut Iudici de mora & debito alicuius, non tamen poteſt iure cogere illum ad ſoluendum circa ſcandalum, & damnū Reipublicę, ſimulque intelligat creditorem licentiam illam iuſtè, & fideliter executurum, poteſt ſtantibus his conditionibus concedere, vt ſecretò bona illius à creditore accipiantur. Ratio eſt, quia vt omnes Doctores tradunt, fas eſt vnicuiq; rem ſuā apud alium detentam, ſecretò accipere, & de bonis illius ſibi recompenſare, quando ſecundùm ordinem iuris eam recuperare nō valet, ergo à fortiori id erit licitum, quando authoritate Principis, aut Iudicis ſeruatis ſupradictis conditionibus, fit.

QVÆSTIO XVIII

Quænam ſumma requiratur, vt furtum ſit mortale, vel veniale?

1 IN qua re antiquiores Theologi, & Summiſtæ vt S. Thom. Scot. Palud. Richard. Alex. D. Bonauent. & alij in ſuis ſcriptis

Digitized by Google

ſcriptis nullam quantiatem aſſignarunt, quæ ſit materia ſufficiens efficere furtum mortale, vel veniale in indiuiduo. Imò nec Illuſtriſſ.Card.Caiet.Ioan.Med Silueſt. & alij quam plures qui noſtris temporibus fuerunt viciniores, aliquid certum circa hoc ſtatuerunt, ſed omnia prudentiæ confeſſoris, & conſcientiæ cuiuſque reliquerunt, vt ex circumſtantijs loci, perſonæ, temporis, & damni illati iudicetur, ſit ne res accepta materia grauis, aut leuis.

2 Pro intelligentia autem huius materiæ, præmittendum eſt, præſentem quæſtionem duobus modis intelligi poſſe, vno modo abſolutè, conſiderando rem furto ablatam ſine reſpectu alicuius perſonæ, à qua res aufertur. Alio verò modo reſpectiuè, habita ratione paupertatis, vel facultatis domini rei acceptæ. Et qnidē loquendo de quantitate furti quantum ad vtrumque ſenſum, dicimus varias eſſe, & maximè diſcrepare Doctorum ſententias.

Nauar. cap.17.n.3. & in cap.fin.14.quæſt. 6.credit ex natura rei materiam notabilem ad conſtituendum peccatum mortale eſſe ſummam duorum regalium, vel iuliorum imò & vnius, & etiam dimidij, non tamen minorem quarta parte regalis, vel iulij in hac regione, & aliis ſimiliter pecunioſis, nec audet damnare eum qui mediū inter quartam partem argentei, & dimidium argenteū non eſſe notabile aſſereret.

3 Ex quo infert, peccatum mortale eſſe vſurpare vnum hædum, caponem, vel vnam gallinam mediocrem in regione vbi dimidium regale valeret, vt in aliquibus regionibus Indiarum ex abundantia earum valet, etiam duodecim ouorum ablationem; & idem (inquit) dicerem de quarta tritici & quarta vini.

Hæc opinio Nauar. (pace tanti viri ſit dictum) non ſolùm nimis arcta, & ſcrupuloſa, ſed etiam ſingularis videtur, quia apud omnes communiter dimidium iulij non habetur pro materia graui: nec eſt credendum quòd Deus infinitæ miſericordiæ pro re tam parui momenti, velit homines æterna morte damnare quos tam pretioſo ſanguine redemit.

4 Bann.2.2.q.66,ar.6.cenſet centum aureorum ſummam ex natura rei, & ex obiecto non facere materiam peccati mortalis benè tamen quando ex tali furto ſpoliatus pateretur aliud graue damnum quia poteſt contingere vt nullum damnum patiatur quis ob furtum centum aureorum, vt eſt videre in Rege, vel magno Principe, ergo talis materia ex obiecto non infert notabile nocumentum, atque ex conſequēti non eſt peccatum mortale, niſi reſpectu talis perſonæ, quæ ex tali furto graue aliquod detrimentum pateretur.

5 Ex quo infert primò, quòd ſi filius furriperet à patre prædiuite quinquaginta aureos, non peccaret mortaliter, & tamen ſi ſeruus ab eodem accipiat vnum ducatū erit peccatum mortale. Ratio huius eſt, quia reſpectu filij non eſt valdè rationabiliter inuitus pater, benè tamen reſpectu famuli, nec filius reſtitutioni erit obnoxius, niſi forte fratribus ſuis cohæredibus notabiliter noceat.

Secundò infert, quod ſi aliquis priuatus Regis, cui committitur diſpenſatio multorum milliarium ducatorum, accipiat ſibi centum ducatos, non eſt (inquit) peccatum mortale, & probat quia Rex ipſe non eſt rationabiliter inuitus in ordine ad talem miniſtrum,

6 Sed hæc opinio falſa eſt, & periculoſa, cum ſit contra communem Theologorum, & Summiſtarum ſententiam, Imò contra rectam rationem; nec eorum argumentum concludit, nam etiam reſpectu Regis, vel alterius quantumlibet diuitis centum, Imò decem aureorū ſumma eſt materia grauis, quia licet talis quantitas vſibus perſonalibus Regis, ſcilicet in victu & veſtitu non notabiliter noceat, tamen ſpectatis omnibus Regis oneribus, ad quæ ſub leuanda notabiliter iuuat illi, & eius rei familiari fit notabilis læſio.

Tum quia licet qui ſurripit à Rege centum aureos non noceat ei notabiliter, aufert tamen ab eo quantitatem notabilem.

7 Corduba in ſumma quæſt.109. & Salon. 2.2.q.66.ar.6.dicunt abſolutè, & ſimpliciter vnum argenteum in his partibus Europæ eſſe materiam ſufficientem peccati mortalis, quamuis apud Indos, vbi eſt magna copia pecuniæ, duos, aut tres argenteos. Petr. Nauar.lib.3.de reſt.num.32. citat pro hac ſententia Couar.lib.1. var. cap.3. num. 12. Sed reuera Couarr.ibi nihil tale affirmat.

Toletus lib.5.ſum. cap.16.num.3. cenſet ſummā vnius, vel duorum Iuliorum ſecundùm ſe à quocunque etiam ditiſſimo ſurri-

Digitized by Google

piatur, esse materiam sufficientem efficere peccatum mortale furti.

8 Med.1.2.q.88.ar.8. & multi alij asserunt non esse furtum mortale, nisi ad summam duorum argéteorum ascendat. Quam opinionem Rebellius li.3.de oblig.c. 15. censet esse veram regulariter in locis pecuniosis: at in aliis locis vbi pecunia non æquè abundat, satis esse censet vnum argenteum.

Nonnulli vt refert Salon.2.2.q.66. art.6. volunt quantitatem notabilem esse medium aureum; inferiorem verò quantitatem esse rem paruam.

Quidam ex recentioribus, quorum meminit Ban.2.2.q. 66. art. 6. distinguunt duplicem materiam grauem, alteram absolutam sine respectu eius, à quo res furto ablata est: alteram verò respectiuam, quæ respicit conditionem ipsius Domini, scilicet an sit diues, vel pauper.

9 Ex quo colligunt materiam grauem absolutè esse vnum Ducatum, vel dimidium, materiam autem grauem respectiuè esse duos, vel tres argenteos, quia respectu Principis erit materia leuis, respectu verò militis materia grauis.

Molina tom. 3. de iust. disp. 685. docet tantum pecuniæ valorem, qui in vno quoque loco satis est ad conducendas operas vnius diei fossoris terræ videri materiam sufficientem ad constituendum furtum mortiferum in ordine ad eos, qui non sunt valdè diuites.

10 Huius opinionis videtur esse Couar. lib.1.var.cap.3. num. 12. vbi ait gallinæ valorem esse notabilem: at gallinæ valor vbique terrarum esse solet tantus, aut ferè, quantum in eodem loco tradi fossori consueuit pro operibus vnius diei.

Sotus lib.5.de Iust.quæst.3.art.3.ad 3. asserit duorum, vel trium aureorum quantitatem esse materiam grauem, quæ per se, & ex natura rei inducit furtum mortiferum, etiam si à Rege accipiatur, licet eos ipse flocci pendeat, quia Rex, & si prædiues sit, pluribus quoque indiget ad sustentationem Regni.

11 Ex quo infertur, summam valoris duorum, vel trium regalium non esse quantitatem notabilem; imò vt Sotus insinuat, nec vnius aurei, nisi à misero surripiatur. Quam sententiam censet esse valdè probabilem Petr. Arag.2.2.quæst.66.art.6.

Sylvest. verb.furtum quæst.2.num.4. affirmat materiam quæ excedit duos vel tres aureos respectu magni Domini esse sufficientem ad cõstituendum furtum lethale.

12 Petr.Arag.2.2.q. 66.art.6.Petr. Nauar. lib.3.de restitut.num.39.& Ioan.Med.C.de rest. q.10. dicunt quod loquendo de furto in communi nulla potest tradi certa, & infallibilis regula sine ordine ad personam, à qua res aufertur. Nam cum furtum sit mortale ex eo quod graue damnum infert & hoc inferri, intelligi non potest, nisi alicui personæ saltem in genere nempe Principibus, diuitibus, communibus personis, vel pauperibus: quia quod respectu vnius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed modicum, & parui momenti, fit vt ad iudicandum quæ quantitas furti sufficiat ad constituendum furtum mortale semper sit habenda ratio personæ & attenta paupertate seu facultate domini, à quo res aufertur, relinquitur id arbitrio boni viri determinandum.

13 Ex quo colligunt, in diuitibus inuitis (etiam si Reges sint) duorum, vel trium, & etiam vnius auri summam esse materiã sufficientem ex natura rei ad effugiendum peccatum mortale furti. In communibus autem personis quatuor, vel quinque regalium. In pauperibus verò vnius, vel duorum. Et hæc secluſis aliis damnis extrinsecis.

Gregorius de Valen.tom.3.disp.5.q.10.p. 6.dicit absolutè peccatum mortale esse accipere tres, aut quatuor argenteos, etiam si à Regibus vel diuitibus auferantur.

Ex quo colligitur duorum argenteorum numerum non esse peccati mortalis materiam, siue à diuite, siue à cõmuni persona auferantur: secus si à paupere.

14 Sed vt ego in tanta Doctorum varietate, quid mihi videatur, explicem, obseruandum est primò ex D.Thom.2.2.q.66.ar. 6.quod furtum eatenus est peccatum, quatenus est contra Charitatem proximi: tunc autem dicitur esse contra Charitatem, quando per furtum infertur nocumentum proximo in suis bonis: igitur quando furatur tantùm, quantum sufficit ad inferendum nocumentum simpliciter domino rei, tunc erit mortale.

Dixi notanter (nocumentum simpliciter) quia si quis pro re exigua sibi furto ablata offenditur, atque animo perturbatur, & affligitur, & fortè ad iracundiam concitatur,

tatur, ex eo quod eſt auarus, & tenax, vel puſillanimis,& anguſti cerebri, non propter hoc illius iactura debet iudicari pro nocumento ſimpliciter, quamuis appareat nocumentum ad hominem propter ſuam extremitatem: ſed illud dicetur eſſe nocumentum ſimpliciter, vt rectè docet Caiet. quod communi animi conceptione attentis circumſtantiis rerum, pro nocumento iudicabitur.

15 Ex quo colligitur,quod ad iudicandum quænam quantitas leuis, aut grauis ſit, vt ex eius ablatione furtum veniale,aut mortale committatur, nulla poteſt dari certa regula, ſed ſtandum eſt Iudicio prudentis viri,qui penſet omnes circumſtantias conditionum, perſonarum, regionũ, locorum, an multa copia auri & argẽti regio abundat, quæ perſona ſit, quæ patitur furtum, an diues,vel minus diues,an pauper, nam ſi apparet ex furto perſonam notabiliter grauari,illud reſpectu iſtius perſonæ iudicabitur furtum mortale.

Secundò eſt etiam obſeruandum, quod quamuis quantitas rei furto ablatæ prima fronte videatur notabilis ſecundùm ſe, tamen non ſtatim erit peccatum mortale, niſi Dominus rei fuerit valdè rationabiliter inuitus, quia in definitione furti,ponitur hæc particula (inuito domino rationabiliter.)

16 His iactis fundamentis dico primò. quod materia quæ ſufficit ad conſtituendum furtum mortale, non debet attendi ſecundum quantitatem rei, quæ furto auferatur,ſed ſecundùm æſtimationem illius. Ratio eſt,quia eadem pecuniæ ſumma plus vno, quam alio tempore valet, imò eadem menſura tritici non variata propter maiorem,vel minorem ipſius copiam, plus vno tempore,vel loco, quàm alio valet.

Hinc auferre Neapoli Caponem,vbi plurimum valet, eſt peccatum mortale, quod non eſt in aliquibus villis,vbi parum æſtimatur, eſt enim veniale.

Secundò dico quod ſecluſo omni alio damno extrinſeco, quod quis incurrit ob furtum ex natura rei, & ex obiecto materiæ notabilis quæ ſufficit efficere furtum mortiferum etiamſi à ditiſſimis auferatur, eſt trium iuliorum ſumma quia communiter omnes homines etiam diuites, & liberales hanc quantitatem non contemnunt: nec ad arbitrium timoratæ cõſcientiæ eſt parui penſi etiam reſpectu Principum, cum ea plura bona notabiliter vtilia comparari poſſint.

17 Hinc qui aufert à magno Domino vnũ vel duos argenteos, non peccat mortaliter. Ratio eſt,quia iſta quantitas ex natura rei, non eſt grauis, & exceſſiua. Tum quia talis perſona ob huiuſmodi furtum, parum,aut nullum nocumentum patitur,nec ſciens de hoc triſtaretur.

18 Tertiò dico quod in ordine ad perſonas mediocres,quæ non ſunt pauperes,nec valdè diuites, quantitas duorum iuliorum ex ſe eſt materia ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale in materia furti. Ratio eſt, quia reſpectu talium perſonarum iſta quantitas eſt grauis,& per ſe moraliter affert illis notabile detrimentum.

Quartò & vltimò dico, quod furari à paupere qui viuit de opere manuum ſuarum vnum argenteum, vel iulium,proculdubiò eſt peccatũ mortale.Probatur, ideò furtum eſt peccatum, quia per ipſum infertur nocumẽtum proximo in bonis ſuis, ſed maius damnum infertur pauperi mercenario qui non habet niſi ſuam mercedem,ex qua ſe,& ſuam familiam alit, ſi ab eo auferatur vnus argenteus,quam ſi à diuite accipiatur vnus aureus,ergo tale furtum eſt peccatum mortale, eſtque talis quantitas in paupere materia grauis.

19 Obiicies,ſi furtum trium argenteorum reſpectu ditiſſimorum hominum eſt peccatum mortale,non infra,ergo ſi quis furriperet tres argenteos minùs vno carolo, non peccaret mortaliter.

Reſpondeo quando dicimus,quod quantitas trium, vel duorum, & etiam vnius, conſtituit peccatum mortale in materia furti, non eſt intelligenda iſta quantitas Mathematicè,ſeu indiuiſibiliter,ſed moraliter parum plus, vel minùs ad iudicium boni viri,attenta paupertate,ſeu facultate ſpoliati, quemadmodum iuſta rerum pretia,quæ non conſiſtunt in indiuiſibili. Itaque cenſebitur etiam peccare mortaliter, qui ſaltem vno,vel altero carolo non abeſt ab hac quantitate, quam diximus ſufficere ad conſtituendum furtum mortale iuxta illam regulam Ariſt. quod parum diſtat, quaſi nihil diſtare videtur.

Obiicies §. gallinarum conſt.de rerum diuiſione,vbi datur actio, & pœna grauis imponitur pro furto vnius gallinæ:non eſt

autem credendum quod pro minori furto, quam mortali actio detur : gallinæ autem pretiũ in ordine ad diuersa loca est vnus, vel duo argentei vel summum : ergo ista quantitas ex natura rei,est per se sufficiens efficere furtum mortale.

20 Respondeo primò in § gallinarum, pro furto vnius gallinæ datur actio, & pœna grauis imponitur,quia præsumitur maiora voluntate furandi fieri. Responsio hæc est summæ Angelicæ, quæ non est contemnenda.

Secundò respondeo cum Soto lib.5. de iust.quæst. 3. art. 3. quod ibi ius ciuile non dicit quòd pro furto vnius gallinæ detur actio, sed gallinarum, & anserum possent puniri sicut de peccato mortali & anserum,& ita si multæ essent meritò & è contra tam parum esse potest, vt ridiculus haberetur,qui de illo ageret in iudicio.

Dices ante Concil.Trident.in aliquibus Episcopatibus per constitutiones Synodales excommunicatio ferebatur pro furto duorum regalium, cum ergo non nisi pro mortali fieri solent, argumentum est,eam quantitatem sufficere.

21 Respondeo non dici in illis constitutionibus,quod pro furto duorum regalium detur excommunicatio, sed quod pro minori non detur. Vnde non benè sequitur. Non fertur excommunicatio pro quantitate minori duobus argenteis, ergò quantitas illa sufficiens est, ad constituendum peccatum mortale. Solùm enim voluerunt Episcopi abusum tollere,ne pro tam parua re,tam tremenda censura, quæ est maxima pœnarum fulminetur, quæ minor esset duorum regalium,non tamen ob id decreuerunt pro illa esse dandam.

Dixi notanter(ante Conc. Trid.)quia in sess.25.c.3.de reformat.statutum est,sententiam excommunicationis non esse ferendam pro furto, nisi res sit magnæ,& notabilis quantitatis. Vnde secundum Salon.2. 2.q.66.ar.6. non debet ferri in simili materia,quia ad minus furtum ad quinquaginta argenteos accedat.

22 Verum,quoniam non potest in hac vita non solùm attingi certò punctum indiuisibile, ad quod si summa valoris perueniat,furtum erit mortiferum,& infrà quod non erit mortiferum, sed neque certa, & infallibilis regula tradi possit, tutius est, etiam in minoribus quantitatibus timere culpã mortalem, atque adeò illas Domino restituere, & ideò cautus debet esse confessarius.

Circa hoc tamen vnum est aduertendum, quòd furtum & si veniale sit, sub tamen reatu veniali restitutio facienda est,si Dominus rei subreptæ velit vt ei restituatur, & non subsit causa iusta quæ à restitutione excuset, quia videlicet qui id commisit longè distat,neque sine multis expensis potest id efficere, & in tali casu restitutio facienda est pauperibus, si præsumptio sit Dominum id ita velle.

QVÆSTIO XIX.

Quotnam sint casus,in quibus furtum,quod ex obiecto est leue,& veniale,efficitur mortale?

1 Respondeo sex. Primus est, intentio furti notabilis,vt cum quis accedit animo furandi notabilem quantitatem,sed quia paruam inuenit, paruam furatur, hic peccat mortaliter, non ratione furti, quia exiguum est,sed ratione animi,quem habet accipiendi maiora. Vnde Hier. super epist. ad Titum c. 2.relatus in c.fin.14.q.6.ait,fur non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur:non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Quare interrogandi sunt pœnitentes, an maiorem quantitatem surripere voluerint, vel maius damnum inferre intenderint.

2 Secundus est paupertas, & indigentia Domini rei accepta. Vnde qui surripit quartam partem argentei,aut vnum panem mendico amplius non habenti pro suo victu illa die, peccat mortaliter. Ratio est, quia licèt quarta pars argentei per se sumpta nullius momenti sit, tamen respectu spoliati, quia ei victum vnius diei aufert,est quantitas notabilis.Vnde vidua illa,quæ in Gazophilacium duo minuta minuta misit,plusquam diuites dedit,quia totum victum suum diurnum misit. Verùm res tam parua esse potest, vt etiam respectu pauperis sit res nullius momenti,atque ex consequenti peccatum veniale, vt qui furaretur pomum, vel quid simile.Imò res surrepta ita potest esse exigua, vt tunc furari nullum sit peccatum, nec mortale,nec veniale,vt si quis duo, vel tria grana fruméti surripit,vel florem in horto alieno accipiat,quod nõ solum in materia furti,sed etiam in detractione dari posse rectè docet

cet Adrian.quodlib.1. d. ad finem.

Aduertant tamen in hoc casu confessarij, quòd eiusmodi pauperibus non satis erit tunc temporis restituere res ablatas, aut earum valorem, sed etiam satisfacere pro iniuria famis, vel laboris, vel fortè etiam ægritudinis, cæteráque damna, si inde subsequuntur resarcire.

3 Tertius est, magna vtilitas, quam ex re furto ablata reportare solebat Dominus ipsius, & damnum notabile quod ob eius iacturam recipit. Vnde qui subulam à sutore, acum à sartore, vel a scriba calamum surripiat, propter quod, & quia alium non habet, desinit in arte sua victum quotidianum pro se, & familia sua lucrari, peccat mortaliter, cum obligatione restituendi, non tantùm rem furto amblata, verum etiam lucrum cessans, ad damnum emergens. Ratio est, quia licet acus, vel subula, aut calamus ex natura rei, & ex obiecto res exigua sit, tamen ratione damni, quod ex eius ablatione sequitur, est materia grauis. Moderanda esset eius æstimatio propter laborem, quem in lucrando subiturus erat, sed non subiuit, quidquid dicat Sotus lib.4.quæst.6. art.3. nisi fortè eius esset ingenij, vt non minus otium, quam labor cum molestia afficeret, tunc enim nihil ratione laboris imminendum erit. Quod intelligitur quando ita inutilis effectus esset ex tali ablatione, vt alteri arti, vel negotio dare operam non posset, quia si potuit, tantùm diminuendum erit de æstimatione lucri cessantis, quantùm in alia arte lucrari potuisset.

4 Quæ omnia vera esse censeo, si qui furatur, scit, aut scire, debet ex illo furto damnum notabile euenturum Domino, nam tunc restituere tenetur id totum damnum, tanquam causa iniusta illius. Si verò bona fide credit alia instrumenta eum habere, tunc cum non fuerit causa iniusta illius, nec peccat mortaliter, nec ad illius damni restitutionem tenetur, sed solum ad restitutionem rei modici valoris acceptæ, vt rectè Molina to.3.de iust. disp. 685.& Rebell. de obligat. lib. 3. quæst. 15. sect.11.annotarunt.

Quartus est rationabilis, & iustus affectus, quem Dominus habet ad rem surreptam. Sunt enim aliquæ res paruæ, & nullius valoris, quas tamen Dominus multum æstimat ob iustam aliquam causam,

& sic eas furari cognito illo iusto affectu Domini, est peccatum mortale.

5 Hinc peccauit mortaliter famulus ille (quidquid dicat Caiet.2.2. q. 66. a. 6.) qui Domino suo opulento surripuit magnum quoddam malum cydonium, quod in horto suo habebat, & multùm illud æstimabat ad suum solatium, vel quia erat primus fructus arboris, quam ille manibus suis plantauerat, vel quia in illo loco fructus ille erat rarus, vel quia statuerat illum offerre amico cui plurimum debebat, & cui sciebat huiusmodi fructum esse gratissimum, & monuerat suos famulos magna se molestia, & perturbatione afficiendum, si illud colligerent, is enim famulus non abstulit rem magnam, & tamen ob molestiam notabilem quam Domino suo intulit, peccauit mortaliter.

6 Dixi notanter (& monuerat suos famulos) quia si bona fide credebat Domino nullam, aut leuissimam molestiam allaturum, acceptione illius rei paruæ, non peccauit mortaliter Nauar.c.17.num.2. Mol.3. de iust.disp.685.

Ex his colligitur quòd aliquando qui paruam rem ab opulento surripit peccat mortaliter, non autem qui eam à mendico, & aliquando è contra, qui à mendico surripit, & non à diuite.

7 Quintus est sacrilegium, ratione cuius furtum rei paruæ fieri potest mortale, vt si quis modicum olei sacri ab Ecclesia suriperet. Rebel. de oblig.lib.3. q. 15. sect.11. Nolo tamen dicere esse sacrilegium furtum modicæ ceræ ex altari, vel exiguæ pecuniæ in confessione ex crumena confessarij surreptæ (quidquid contra hoc obmurmuret Corduba in sum.quæst. 13.) sicut nec mendacium leue in confessione sacramentali prolatum est sacrilegium mortale, vt docet sapientissimus Nauar. cap.18.num.3. licet sit grauissimum peccatum ob irreuerentiam sacramenti, citra tamen mortale.

8 Sextus, & vlt. casus est, notabilis violentia, ratione cuius furtum rei paruæ efficitur mortiferum. Vnde non satis est restituere rem furto ablatam, sed etiam compensari debet violentiæ iniuria, vt cum communi docet supplementum verbo restitutio 1. §. 7.

QVÆSTIO XX.

An huiusmodi furtum paruæ rei, quod diximus esse mortale ratione intentionis, vel indigentiæ personæ, vel damni subsecuti, & iniuriæ molestiæ Domino rei illatæ, &c. sit mortale in genere furti, an verò in alio genere peccati?

1 SIluest. verb. furtum q. 2. & Sotus lib. 5. de iust. q. 3. ar. 3. collocant peccatum istud in genere furti.

2 Alij ex recentioribus volunt solùm illud censeri furtum, quando accipitur aliquid quod ex natura rei est notabile: quando autem accipitur res, quæ à parte rei est exigua, & tamen est mortale ratione adiuncti, scilicet damni dati, vel ratione molestiæ, qua afficitur Dominus rei &c. pertinere peccatũ illud vt mortale ad aliud genus nempe, vel odij vel inuidiæ, vel iniustitiæ &c.

3 At verò Nau. c. fin. 14. q. 6. notab. 7. & 8. Salon. 2. 2. q. 66. ar. 6. & multi alij docent quòd furtum quod ratione indigentiæ personæ, à qua res auferitur est graue, esse peccatum mortale in genere furti, quia est formaliter furtum, cum sit ablatio iniusta rei alienæ inuito Domino, & illa res surrepta in ordine ad spoliatum, vt supponimus est materia grauis, ergo formaliter est furtum mortale. Idémque à fortiori dicerent, quãdo quis parum surripit animo accipiendi magnum. At verò furtum rei paruæ, quod est peccatum mortale ratione iniuriæ, vel damni dati non est peccatũ mortale furti, sed alterius speciei à furto distinctum, quod inter peccata iniustitiæ continetur. Ratio huius est, quia in actibus moralib. propria, & specifica denominatio desumitur ex proprio obiecto: obiectum autem furti non est damnum subsecutum, vel molestia, quæ per huiusmodi rei ablationẽ alicui irrogatur, cum hæc omnia sint per accidens in furto, sed res aliena. ergo quando res ex parte rei, & in ordine ad spoliatum est leuis, licet alia quæ per accidens subsequuntur vt damnum, vel molestia sint grauia, non dicetur peccatum mortale furti formaliter, sed erit peccatum mortale vel iniustitiæ, vel iniuriæ, vel damni dati. Atque hinc est, quod in iure alij sunt tituli de furto, & alij de iniuriis, & dãno dato, quod euidentissimum signum est, ista differre.

4 Hoc idem eadem ratione dici potest de furto, quod ratione sacrilegij euadit mortale. Imò etiam de furto, quod ratione indigentiæ diximus esse mortale, cum peccatum ibi aggrauetur ratione damni, siue nocumenti, quod spoliatus recipit ex ablatione talis rei exiguæ ad vsus sibi notabiliter necessarios.

QVÆSTIO XXI.

An in aliquo casu possit furtum fieri veniale, quod aliaquin foret mortale?

1 REspondeo posse, & hoc ratione diminutionis inuoluntarij ex parte eius, à quo res auferitur. Vnde quotiescunque Dominus rei etiam grauis, non est inuitus quoad rem ablatam, sed solùm quoad modum, quia occultè & non petita priùs à se facultate accipiatur, vel quoad finem, quod videlicet ad ludum, aut ad aliud simile auferatur, non censetur surripiens regulariter peccare mortaliter, & esto peccare possit, ad nullam tamen restitutionem tenebitur etiam sub reatu veniali, vt rectè resoluit Nauar. in c. Non dicatis num. 52. & c. 17. n. 138. Caiet. in summa verb. furtum notab. 2. Molina to. 3. de iust. dispositio. 686.

2 Hinc regulariter à mortali, & à nexu restitutionis excusantur filius surripiens de bonis parentum, nepos de bonis Aui, aut Patrui, vxor de bonis mariti, & quandoque amicus ab amico, & famulus ab hero liberali, ac beneuolo, quando probabiliter sibi persuadent patrem, maritum, vel Dominum rem concessuros, si ab eis peteretur, quod facilius præsumi potest, quando res notabilis non fuerit. Verùm non idem censetur quantitas notabilis in furtis filiorum, vel vxoris, quod censetur tale in furtis externorum, sed maiorem summam requiri, nec hæc quantitas est eadem respectu omnium, sed varia pro conditione status, ætatis, personarum, locorum, & aliarum circunstantiarum, pro vt sapiens iudicabit. Vnde si filius duos, vel tres aureos à parente prædiuite surriperet, non statim putandum est, peccasse mortaliter, præsertim cum parens talis sæpè non sit multùm inuitus: secùs si parenti mechanico, vel cui facultates sunt tenues.

QVAE

QVÆSTIO XXII.

An filius, & vxor peccent mortaliter, qui à Patre, & marito inuitis quo ad modum, aliquid magni valoris accipiunt?

1 SVnt multi qui censent committere peccatum mortale restitutioni obnoxium, etiamsi tantùm accipiant, quantum ex natura rei, & ex obiecto sufficit constituere furtum mortale.

2 Oppositum tamen huius astruit Rebell. de obligat.lib.3. quæst.15. sect.3. & meritò quidem, quia huiusmodi acceptio quantum ad rem non est simpliciter facta inuito domino, solus enim modus clam accipiendi eis displicet vt suppono:quod tunc faciliùs præsumi potest,quando res ad eum finem surriperetur ad quem dominus pecuniam, si peteretur, donasset.

Tum quia circa modum præcisè non datur Iniustitia obligans ad restitutionem eiusdem rei, quamuis interdum possit dari casus,in quo surripiés teneatur satisfacere pro molestia, si quam inde dominus furti conscius recepturus probabiliter credebatur.Ratio huius est,quia vnusquisque(sicut mos est parentum) præsumitur pro conditione sua, & statu indulgere filiis minutiores sumptus, & multò magis maritus vxori. Ex quo fit,vt quo ad res ab illis acceptas non sint patres familias rationabiliter inuiti, nisi res simul sumpta accepta sit ita grauis,vt merito credendus esset paterfamilias quo ad rem inuitus,& tunc nõ solùm filius, & vxor peccaret mortaliter, sed etiam ad restitutionem tenerentur,saltem post mortem parentum, si cohæredes haberet,& antè restituere non valeret, nisi à parentibus super his remissionem obtinuisset,vel ipsi parentes de hoc aduertẽtes dum viuerent dissimulassent. Nauar.c.17.n. 157.Quod est verum quo ad ea,quæ parentes vni filio sine aliorum fratrum præiudicio donare valent.

3 Ex quo de filiis ac vxore dictum est,idẽ proportionabiliter quo ad alios familiares,& personas coniunctas dicendum erit.

QVÆSTIO XXIII.

An Religiosi qui clam notabilem summam accipiunt de bonis Monasterij, mortaliter peccent, & ad restitutionem teneantur?

1 COmmunis omniũ in hac re sententia est peccatum mortale sacrilegij committere, & ad restitutionem teneri. Verumtamen eorũ Prælati ac Religio ipsa nõ erunt cẽsendi magis inuiti circa res ab ipsis acceptas,quam patresfamilias quo ad filios, & vxoré suam,cum non minus subditos diligere debeant,sed magis, nec minùs liberales esse debeant quo ad Christi patrimonium,quod gratis acceperunt.Vnde non debent censeri inuiti quo ad rem acceptam eiusdem valoris, in qua patresfamilias honestæ conditionis,erga suos filios inuiti non censerentur. Quamuis eò grauius sint censendi inuiti quo ad modum quo magis ex suæ Regulæ, vel constitutionum præcepto quisque Religiosus ad huiusmodi clancularias ablationes euitandas tenetur, grauiusque proinde venialiter peccet contra perfectionem voti paupertatis.Vnde Rebel.de oblig.lib.3.q.15.sect.3. ait non esse peccatum mortale sacrilegij contra votum, scilicet paupertatis si furtum non per minima, sed simul factum à Religioso de bonis Monasterij non excedat tres, vel quatuor argenteos.

2 Circa hanc materiã aduerte,quod sicut quando quis inuito domino accipit rem aliquam quo ad solum vsum, quo non consumitur,animo eam reddendi domino post eum vsum,ad sciendũ an talis vsus sit culpa mortalis,attendi debet non ad valorem rei surreptæ,sed ad valorem talis vsus. Ita quando Religiosus sine sui Prælati licentia vtitur re aliqua animo eam postmodum restituendi, ad iudicandum, an peccatum contra votum paupertatis commissum, sit mortale,attendi debet non ad valorem rei in se, quæ vsurpatur, sed ad valorem talis vsus,ac damni, quod ex tali vsu prouenit, vt rectè docet Mol. to.2.de iust. disp.87.

3 Adde Grauitas materiæ furti non est æqualiter sumenda in omnibus rebus, sunt enim res aliquę quæ si à nobis,vel dominis earũ æstimentur, æstimabũtur pretio,quod sufficit ad constituendum peccatũ mortale ex natura autem illarum rerum, aut ex vsu aut permissione dominorũ, accipere illas, non erit peccatum mortale, quod cõtingit in rebus deseruiẽtibus ad cõmunem vsum. In quo genere sunt primo res illæ quæ magno periculo sunt expositæ, vel quæ paruo labore, & industria nascuntur, in quarum ablatione nõ erit peccatum mortale,si auferantur in tanta quantitate, quanta sufficeret cõstituere peccatum mortale in alia

materia, vel in rebus, quæ non essent tanto periculo expositæ, vt v. g. non erit peccatum mortale accipere castaneas, glãdes, nuces Syluestres, & id genus alia in tanta quãtitate, quæ æstimaretur vno ducato in foro. At verò etiamsi res sit exposita periculo, sed tamen magno labore, & industria nascitur, vt sunt vuę, & fruges, non erit absque peccato mortali eas in tanta quantitate accipere: Sed non erit mortale accipere in maiori quantitate, dum sunt in campo, quàm si res illæ iã essẽt domi collocatæ.

4 Hinc, qui deseruiũt mensis dominorum, nõ peccant mortaliter, si deuorent quæ de mensa tollunt. Et ratio est, quia domini huiusmodi rerum non censentur omnino inuoluntarij per ignorantiam, sciunt enim ea omnibus patere, & omnes ex eis sibi accipere.

Tum quia tales res sunt valdè expositæ periculo.

Tum etiam, quia domini istorum nullum ferè damnum ex eo quòd accipiantur, recipiunt, tantò enim minùs hora postea cõsuera comedunt, quantò plus occultè ad comedendum accipiunt. Quod intelligitur, nisi forte cibi integri qui de mensa tolluntur, sint destinati pro stipendio alicuius officialis, tunc enim huiusmodi acceptio esset furtum mortale, quia fit inuito officiali, cui damnum notabile infertur. Ita Ban. 2.2.q.46.ar.6.

QVÆSTIO XXIV.

An quantitas quæ sufficit efficere furtum mortale sufficiat etiam vt Episcopus ferat sententiam excommunicationis contra eos qui furtum commiserunt?

1 Respondeo non sufficere, vt habetur ex decretò Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 3. vbi dicitur quòd excommunicationes pro debitis incertis, vel occultis, non ferantur pro rebus minimis, sed magnæ, & notabilis quantitatis, & quòd non ab alio dentur, nisi à solo Episcopo. Vbi aduerte quòd non est intelligenda ista quantitas notabilis in ordine ad furtum, sed in ordine ad excommunicationem, quamuis enim viginti argentei sufficiant constituere furtum mortale, non tamẽ sufficiunt vt feratur excommunicatio, Et vt rectè aduertit Salon. 2. 2.q.66.ar.6. non debet excommunicatio fulminari pro rebus furtiuis, nisi ad minus quantitas pertingat ad quinquaginta argenteos.

2 Hinc Episcopus qui pro rebus minimis concedit tales excommunicationes peccat mortaliter. Ratio est, quia facit contra grauissimum præceptum Concil. Trident. sess. 25. cap. 3.

Tum quia furtum vnius aurei, quod ex natura rei est peccatum mortale, in foro fori vix puniretur pœna flagellorum, ergo peccatum est, vt in foro Ecclesiastico pro eo excommunicatio feratur. Probo consequentiam, quia excommunicatio cum sit maxima pœnarum, solum est ordinata ad puniendos rebelles in re grauissima.

QVÆSTIO XXV.

An si Episcopus tales excommunicationes concedat, tales excommunicationes sint validæ?

1 Respõdeo esse validas: Ratio est, quia Conc. Trid. totum hoc negotium & examinationem causæ committit arbitrio Episcopi, & conscientiæ eius relinquit. Tum quia licet Episcopus teneatur examinare, & iudicare causam grauissimam, vt non de facili inijciat laqueum animabus: tamen postquam iudicauit, efficitur causa grauissima, atque adeo tali sententiæ non obediens grauiter ratione contumaciæ & rebellionis peccat.

Tum etiam quia sententia Pastoris licet iniusta, timenda est. Sair. lib. 1. de censuris cap. 9. num. 30. Suarez tom. 5. disp. 20. sect. 2. num. 2. & Bann. 2.2. quæst. 66. art. 6.

QVÆSTIO XXVI.

An si tales excommunicationes ex commissione Episcopi à suo Vicario ferantur, tales excommunicationes sint validæ?

1 Ratio dubitationis est, quia Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. disposuit à nemine prorsus præterquã ab Episcopo esse huiusmodi sententias fulminandas. Sed hoc non obstante contrarium est proculdubio affirmandum, & ratio huius est, quia dictum Concilium non dixit, quòd si secùs factum fuerit, sententia sit irrita, & nulla.

Tum

Tum quia cum Vicarius Epiſcopi habeat generale mandatum, ac eandem Epiſcopi poteſtatem in iuriſdictionalibus,& poſſit excommunicare, dubitandum non eſt quin prædictas excommunicationes concedere poſſit, vt in terminis tenet Sair. tract. de cenſur. lib. 1. cap. 9. nu.33.& ita cenſuit ſacra Congregatio Cardinalium ann.1585.vt teſtatur.Ioan.Guttie.li.1.canon. quæſt. cap.11. num.6.

QVÆSTIO XXVII.

An ſi ad inſtantiam Sartoris à quo acus fuit furto ablatus, lata ſit excommunicatio aduerſus eos,qui ſibi aliqua furto abſtulerunt, talis excommunicatio comprehendat eum, qui acum ſurripuit, ex cuius defectu grauis damnum eſt ſubſequutum?

1 SOtus lib.5. de iuſt. q.3.ar.3.tenet eum comprehendere, ductus ea ratione, quia excõmunicatio maior fertur pro furto mortali, ſed illa ablatio acus reſpectu damni ſubſecuti eſt furtum mortale, ergo excommunnicatio lata contra fures, illum comprehendit.

2 Mihi tamen, cum eius bona venia, oppoſitum videtur tenendum,cuius ratio eſt, quia excõmunicatio in eo caſu ſolum fertur pro furto,ſed non quodcunque damnũ illatum habet rationem furti, ſed illud tãtum,quod inuoluit occultam acceptionem rei alienæ inuito domino,quod in caſu poſito nõ reperitur reſpectu dãni ſubſecuti, ergò non incurritur excõmunicatio, nec damnificans poteſt dici propriè fur.

Et confirmatur,qui furaretur rem paruam, ex cuius ablatione ſequitur damnum decem aureorum,non ſuſpenderetur iuſtè ob tale crimen, nec condemnaretur in duplo, aut quadruplo illius damni, ſed tantum rei furto acceptæ vt habetur in §. in duplum &c. quæ omnia ſecùs eſſent, ſi talis illatio damni haberet propriè rationem furti:ergo excommunicatio impoſita contra fures,eum non comprehendit.

3 Et ad argumentum in contrarium adductum reſpondeo, negando minorem nã qui cauſam illius damni dat, iniuſtitiam committit, & tamen propriè non eſt fur, niſi tantùm reſpectu illius rei minimæ, quam clam a domino abſtulit. Vt de ſicut vſura eſt iniuſtitia,& tamen non eſt furtũ, quia fit altero ſciente. & nõ clam: nec eſt rapina, quia non auſertur per vim, ſed eſt quędam ſpecies media inter illas duas,quæ caret nomine: ſic in caſu noſtro,illatio dãni non eſt furtum,ſed dicitur iniuſtitia, atatque ex conſequenti excommunicatio lata contra furantes, tales damnificantes non comprehendit, ſicut non compræhendit vſurarios, nec alios debitores iniuſtitias facientes.

QVÆSTIO XXVIII.

An creditor qui à debitore gratia compenſationis aliquid occultè accipit, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò quod compenſatio locum non habet in depoſitis,nõ enim poſſum, ſi tu debes mihi centum & totidem apud me depoſuiſti, hac via,quod mihi debes compenſare,vt docet Ioann. Medina C. de reſtitu.q.3. Couar. in relect. cap. quamuis pactum par.1.§.4. nu. 9. Et eſt concluſio definita à Gregorio 9. in cap.bona fides in depoſit. vbi ſic habetur. Contra depoſitum compenſationi locus non eſt, vt contractus qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minimè referatur.

2 At Petr. Nauar. lib.3. de reſtitut. num. 191.Leſſ.lib.2.de iuſt.cap.12. num. 60. Et Emanuel Sà in Aphoriſm. confeſſ. verb. depoſitum n.4.non audens condemnare eum, qui aliter rem ſuam recuperare non potés, compenſationem facit, iure enim naturali poteſt quis vim vi repellendo quod ſuum eſt, ſibique debitum accipere. Vim enim rebus meis facit, qui ea iniuſtè retinet.

Tum quia omnia bona debitoris ſemper ſunt ſubiecta, & obligata creditori ſaltem ratione perſonæ, ergo & in depoſitis cadit compenſatio. Vnde dici poteſt prædictum caput, bona fides vel loqui in foro exteriori,vel ſi in foro interiori quando aliter res poterat recuperari ſine depoſiti acceptione. Quod in his videtur valde rationi conſonum.

3 Secundo dico quod quando vterq; cõtrahentium eſt pecuniarum debitor, licet alia honeſtiori via debitum recuperari poſſit, licitum eſt compenſationem facere, v.g.debeo tibi centum ex mutuo,& totidẽ

tu mihi debes ex alio contractu, scilicet emptionis, vel legati. Tunc licet iuridicè possim à te legatum meum, vel debitum petere, nihilominus tamen integrum mihi erit talium debitorum compensationem facere, non soluendo tibi centum dum mihi non soluis, quod debes. Et ratio est, quia in hoc casu nihil à te accipio, sed solùm negatiuè me habeo non soluens, sicut tu mihi non soluis. in quo nec tu rationabiliter conqueri potes, nec officium Iudicis propria authoritate vsurpo.

4 Tertio dico quod quando alter est tantum debitor, & illud per viam iuridicam potest debitum petere, non est licitum occultè accipiendo compensationem facere. Ratio est, quia in hoc casu aufero à te positiuè rem licet mihi debitam, in quo & iudicis officium propria authoritate suscipio, & tu rationabiliter læderis, quia cum possim à te exigendo rem meam habere, dolosè à te non præmonito in rebus tuis manum extendo.

Hinc, qui propria authoritate accipit secretò rem propriam iustè detentam à depositario, quando alia meliori via res haberi poterat, peccat mortaliter. Et ratio est, quia agit contra ordinem * iuris vsurpando officium Iudicis, ad quem spectat reddere vnicuique quod suum est.

5 Tum quia iniuriam facit depositario eum iniustè aggrauãdo quia tenetur restituere, & innoxiũ se ostendere. & sic exponitur periculo bis restituendi. Vnde accipiens tenetur eum indemnem seruare significando illi se rem suam accepisse.

Tum demum, quia datur ei occasio iudicia temeraria admittendi, aut suspicandi de iis, qui non acceperũt, domesticisque sæpè scandalum inde nascitur.

Et idem dicendum est de re accommodata, quia cõmodatarius etiam tenetur de re amissa, vt docet D. Tho. 2.2. quæst. 66. art. 3.

7 Hinc, qui occultè, & dolosè rem suã apud alium iniustè detentam accipit quàm iuridicè recuperare potest, peccat mortaliter. Ratio est, quia facit iniuriam ministris iustitiæ, dum vsurpat rei suæ iudicium iuris ordine prætermisso.

Tum etiam quia iniusto possessori iniuriam facit, ex eo quod ex ignorantia duplex damnum incurrit, vnum quod est perdere rem, alterum quod tenetur eius valorem iterum domino restituere.

QVÆSTIO. XXIX.

An in tali casu hic sic recompensans committat peccatum furti?

1 AD hoc dico primo, quod qui clam rem suam accipit apud alium iustè detentam cum intentione accipiendi proprium, & non damnificandi alterum, nullum furtum committit. Ratio, est quia furtum est ablatio rei alienæ: hic autem accipit quòd suũ est, ergo nõ cõmittit furtũ.

Secundo dico quod talis peccato furti se obstringit ex parte modi, quia hic licet accipiat quod simpliciter suum est, accipit tamen alienum quantum ad detentionem, & obligationis restitutionem.

2 Tum quia hoc ipso quod occultè rem suam accipit, est causa moralis, vt is qui rem possidebat, postea incurrat damnum restituendo rem iterum proprio Domino, cum nesciat apud illum esse. Et licet sic accipiens rem propriã, peccet contra charitatem, non tamen tenetur aliquid furi restituere, tenetur tamen ei insinuare si commodè potest, quòd nihil sibi debetur, vt ille sentiat se non amplius obligatum, tum ne permaneat in peccato, existimando se detinere alienum: tum ne secundo sibi satisfaciat. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 3. articul. 3. Nauar. cap. 17. num. 112. & alij.

3 Tertio dico quod qui clam rem suam accipit ab eo, qui iusto titulo eam detinebat, neque adhuc tenebatur eam reddere, aliquo modo peccato furti se obstringit, quia licet accipiat quod simpliciter suum est, accipit tamen alienum quantum ad custodiam, quatenus iniustè priuat legitimũ detentorem iure quod ad illam retinendam habebat, teneturque restituere ei commoditatem, quam iure poterat ex ea percipere, vt si erat commodata vsq; ad certum tempus, aut locata, tenetur restituere ei vsum rei illius, quo iniustè eum priuauit aut valorem illius, si vsus restitui non possit. Insuper tenetur ei restituere totum lucrum ex eo ei cessans, aut damnum ex eo ei emergens, quod iniustè eam rem acceperit, Præterea tenetur curare, ne is detentor, aut hæres illius iterum illam restituat, arbitrantes periisse, aut disparuisse culpa detentoris. Mol. d. 690.

QVAE

QVÆSTIO XXX.

An qui iureiurando creditori ſuo debitum ſoluere promiſit, ſolutionem ratione compenſationis differre queat?

1 ANgles in ſuis floribus Theologi. quæſt. tract. de reſtitut. tenet non poſſe.

Medina C.de reſtit. q. 3. ad iurantis intentionem rem totam relatam eſt vult.

2 At vero Couar. in relect. c. quamuis pactum p.1.§. 4.nu.9. & Petr. Nauar. lib.3. de reſt.num.44. docent etiam in hoc caſu poſſe recompẽſationem facere, ex eo quod compenſatio eſt quædam ſolutio ſecũdum iura vt habetur in l.Si debitor ff.qui potio.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrùm is, qui non poteſt iuris ordine ſeruato recuperare rem propriam, poſſit etiam de bonis creditoris abſque peccato reſtitutioni obnoxio, ſe recompenſare?

1 REſpondeo poſſe. Ratio eſt, quia per talem acceptionem nulli fit iniuria, non furi, qui ſolum ab eo recipit rem ſuam, & quã illi ex iuſtitia reddere debet: nec Iudici, quia ipſe Iudex vel non poteſt facere ſuum officium, vel non vult, ergo nulla fit illi iniuria.

Tum quia ratio poſtulat, vt in defectu Iudicis, meliori modo quo poteſt vnuſquiſq; ſe indemnem ſeruet, etiam ſi non expectata publica authoritate id faciat, nec in hoc caſu, qui ita ſibi recompenſat, concurrentibus debitis conditionibus, facit contra ordinem, ſed præter ordinem iuris: nec iudicium ſibi vſurpat, ſed potius ius quod ſibi ex iuſtitia debetur, exequitur.

QVÆSTIO XXXII.

Quotnam ſint conditiones, quæ ad iuſtam cõpenſationem requiruntur?

1 REſp. quindecim. Prima eſt, vt debitum pro quo quis ſecretò ſibi recompenſat ſit verè debitum ex obligatione iuſtitiæ, & non ſolum charitatis, vel gratitudinis. Hæc conditio petit vt inquiramus.

QVÆSTIO XXXIII.

An liceat creditori occultè ſe recompenſare pro debito charitatis, vel Religionis, aut alterius virtutis, ſicut poteſt pro debito iuſtitiæ?

1 PEtr.Nau.lib.3.de reſt.n.393.tenet licitum eſſe, ſe recompenſare, ſiue ſit debitum ſi ex iuſtitia, ſiue ex charitate, vel Religionis, vel alterius virtutis, ita vt debens in conſcientia, & ſub reatu peccati teneatur debitum adimplere.

2 Ex quo infert primo, quod exiſtens in graui neceſſitate ab eo qui non vult dare eleemoſynam, etiam ſi ex charitate tantũmodo teneatur, poteſt occultè accipere. Ratio eſt, quia (inquit) ſi alter tenetur dare, alter iuſtè poteſt accipere. Imo cogi poteſt à Iudice ad id præſtandum, quod ex præcepto charitatis, vel alterius virtutis à iuſtitia tenetur.

Secundo infert, quod qui ex voto aliquid promiſit dare pauperib. & poſtea nõ vult dare, pauper qui hoc ſcit; poteſt abſque peccato, & abſque nexu reſtitutionis occultè accipere, imo cogi poſſet ad præſtandum quod ex Religione, & fidelitate ad Deum, etſi non ex iuſtitia obligatur.

3 Contra tamen, & meo iudicio probabilius ſentiunt Nauar.cap.17.n.113. & Cordub. in ſumma q. 3. ſcilicet non licere occultè accipere, niſi quando debitum eſt ex iuſtitia cõmutatiua: ratio huius eſt, quia ſola lex iuſtitiæ ad reſtitutionem obligat. Ex quo infertur quod qui in recompenſam aliquid occultè accipit pro debito charitatis, vel Religionis, vel alterius virtutis à iuſtitia, peccat mortaliter cum obligatione reſtituendi, quod accepit.

Hinc, ſi ego alicui ſemel, aut ſæpius mutuaui, non tamen mihi licitũ erit à mutuatario tantumdem occultè accipere. Ratio eſt, quia quãuis mutuatarius ex honeſtate, antidotalique debito teneatur mihi remutuare, ad id tamen nulla lege iuſtitiæ obligatur, ac proinde cũ debitum legale nõ ſit, non licet ab eo aliquid occultè accipere.

4 Hinc, qui in gratiam alterius beneficiũ, vel penſionem renunciauit, vel hæreditatem relinquit, ſub ſpe quod beneficiarius vel legatarius ſuis cõſanguineis ſubueniet nõ poteſt ipſe, vel cõſanguinei abſque peccato

cato, & nexu reſtitutionis à beneficiario, vel legatario clam quicquam accipere, etiam ſi ingratus ſit, cum ad id in cõſcientia, & ex debito Iuſtitiæ non teneatur.

Hinc, qui amico, vel conſanguineo pauperi aliquid dedit ob amicitiam, paupertatem, vel cognationem, non poteſt ab illo, ſi poſt modum effectus eſt locupletior, aliquid in recompenſam ſibi ſumere. Ratio eſt quia ex quo eleemoſynam gratis nullo pacto, vel obligatione intercedente ex parte accipientis beneficium, dedit, is cui collatum fuit beneficium, ſolum ex honeſtate, non ex iuſtitia rependere tenetur.

5 Hinc, famuli qui gratis dominis ſuis inſeruiunt, & ad lucri, quod illi debeant eis aliquid ob hoc loco mercedis, non poſſunt ex bonis dictam dominorum pro obſequiorum ſuorum ſatisfactione aliquid occultè accipiendo ſe recompenſare. Ratio eſt, quia licet famulis in tali caſu aliqua compẽſatio remuneratoria debeatur ex debito morali, antidotali, ſeu gratitudinis, non tamen ea debetur ex debito Iuſtitiæ, quæ ſolùm ad reſtitutionem obligat.

6 Dixi notanter (ſi gratis dominis ſuis inſeruiunt) quia ſecùs eſſet ſi pacto expreſsè aut tacitè conuento, aut intentione obligandi dominos, illis inſeruirent, quia proculdubio tunc tuta conſcientia poſſent ſe recompenſare, aliquid occultè recipiendo, cum hi peioris conditionis eſſe non debeant, quam cæteri creditores.

Secunda conditio eſt, vt tale debitum ſit liquidum, ac moraliter certum. In dubio enim etiam probabili nefas eſt certa poſſeſſione alterum priuare, cum in rebus dubiis melior ſit conditio poſſidentis. Vnde Prouerbio dici ſolet, quod liquidi, ad non liquidum non eſt compenſatio.

7 Hinc, ſi quis cum non ſit moraliter certus, rem eſſe ſuam, occultè ſibi ſatisfacit, peccat mortaliter, teneturque reſtituere quod accepit. Ratio eſt, quia in dubiis tutius eſt eligendum, & tutius eſt proximum ſeruare indemnem.

Tertia, vt debitum ſit actu, non potentia.

Hinc peccant, & ad reſtitutionem tenẽtur, qui occultè aliquid furripiunt ratione pœnæ. Ratio eſt, quia pœna vt optimè reſoluit Nauar. cap. 17. num. 114. non eſt debita, niſi poſt Iudicis ſententiam.

Quarta, vt non plus capiat, quam ſibi debetur.

8 Quinta, vt id quod in compenſationem accipitur ſit debitoris, & non alicuius alterius, ſi enim acciperet rem apud debitorem depoſitam, aut ei commodatam vel quam furto ſurripuit, & peccaret mortaliter, & ad reſtitutionem teneretur.

Sexta, vt compenſatio quoad fieri poſſit, fiat in re vſu conſumptibili, eiuſdemque ſpeciei cum rebus debitis. Vt ſi debebatur pecunia, fiat in pecunia, ſi triticum, aut oleum, fiat in tritico, aut oleo. In aliis quippe rebus, non facilè ſeruatur æqualitas. Quando autem non ſunt bona eiuſmodi, in quibus compenſatio fiat, fieri in foro conſcientiæ poteſt, in quibuſcunque aliis rebus.

Septima, vt probabiliter credat ad ſuum habendum, nihil ſibi profuturum, etiamſi debitum ab iniuſto poſſeſſore petierit.

9 Octaua, & potiſſima conditio eſt, vt recompenſans ſit moraliter certus, ſe non poſſe authoritate Iudicis ſuum recuperare, vel ob defectum teſtium, ſiue inſtrumentorum, vel probabiliter ob malitiam Iudicis non ſperat Iuſtitiam: aut res eſt modica & ſumptus iudiciales multi, vel ex timore alicuius nocumenti ſibi inferendi, ſi iuridicè petat.

Hinc, ſi Titius cum poſſet commodè via iuridica, vel ſine lite ſuum debitum recuperare, faceret occultam compẽſationem, peccatum mortale committeret. Ius ſibi dicendo propriaue authoritate rem ſibi debitam vſurpando: quia tamen res erat ſibi debita, non peccauit contra iuſtitiam, quia ſolùm tranſgreſſus eſt ordinem à Iure ſtatutum, nec proinde ad aliquam reſtitutionem tenetur.

Nona, ne ex tali recompenſatione damnum alicui ſequatur: nam fortaſſis à domeſticis ſumptum fuiſſe exiſtimabunt.

QVÆST. XXXIV.

An ſi quis in recompenſatione hanc conditionem non obſeruaret, ad reſtitutionem teneretur?

1 SIlueſt. in Roſa aurea caſu 37. & Gabriel in 4. diſt. 15. q 3. tenent partem affirmatiuam.

2 At huius oppoſitum tenet Mol. to. 3. de iuſt. d. 691. vbi ſic ait. Cæterum, ſi ſolum ſequeretur huiuſmodi damnum per accidens

quia

quia videlicet per accidens eſt, quod præſumatur, alium id furto abſtuliſſe, aut alia ſimili ratione, non video efficientem ita compenſationem, peccare contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, & ob id non credo teneri eum ad reſtitutionem.

Decima, vt caueat ſic ſibi recompenſans, ne inde periculum famæ ſibi immineat, quia veriſimiliter æſtimari poteſt, quod fietur, & vt fur diuulgabitur, cum non poſſit probare illam ſibi eſſe debitam ab eo, cui abſtulit, quia ſcriptum eſt: quia fidens conſcientiæ ſuæ, neglexit famam ſuam, nimis crudelis eſt. Ad hanc tamen conditionem ſeruandam, ſolum tenetur lege charitatis propriæ, non verò iuſtitiæ lege.

Vndecima, vt furripiens caueat, ne inde immineat periculum mortis corporalis, vel alterius læſionis magnæ, quia Iudices ſolent huiuſmodi apparentia furta, pœna mortis mulctare, quia hoc eſſet tentare Deum.

3 Duodecima, ne agat contra conſcientiam ſibi dictantem eſſe peccatum mortale, ſic occultè rem ſuam recuperare.

Decima tertia, vt qui ita compenſat debitum, non ſit paratus committere lethale peccatum, periurij, negando compenſationem, ſi de ea ſub iureiurando interrogetur. Quod facile vitari poteſt, reſpõdendo eam non feciſſe, intelligendo quam confiteri teneatur.

Decimaquarta, ne res, quam ita recompenſans furripit, ſit debitori valdè neceſſaria, alioquin enim peccabit contra charitatem proximo debitam.

4 Decimaquinta, & vltima conditio eſt, vt rem ſuam ita recompenſans curet, ne debitor iterum ſibi aut ſuis hæredibus reſtituat, ſi aliquando redierit ad cor, vel aliud damnum incurrat. Cauebit tamen ſi quo honeſto modo debitori, vel eius hæredibus ſignificet, iam illud debitum fuiſſe ſolutum, ad illúdque non teneri. Debet tamen attendere ne ex tali ſignificatione, immineat ei, qui ſibi recompenſauit notabile aliquod damnum, ſi debitor compenſationem ſuſpicetur. Quia tamen ad hoc de iuſtitia non tenetur, quando ſine ſuo notabili damno non poteſt impedire, quo minus debitor iterum reſtituat, vtique quidquid poſtea ſequatur, ad nullam tenetur reſtitutionem ex parte iniuſtæ acceptionis, damniue dati, ſed ſolum ex parte rei acceptæ, ſi denuo facta eſt reſtitutio. Mol. tom. 3. de iuſt. diſ. 691.

His igitur ſeruatis conditionibus, licitè poteſt vti compenſatione.

QVÆSTIO XXXV.

An omnes præfatæ conditiones ſint ad iuſtam compenſationem neceſſariæ?

1 REſpondeo eſſe omnino neceſſarias, quoad effectum, ne peccet mortaliter, non autem quoad reſtitutionem, dummodo pro comperto habeat compenſator rem eſſe ſuam. Ita Sot. lib. 5. de iuſt. quæſt. 3. ar. 3. & communis.

QVÆSTIO XXXVI.

An in caſibus, quibus fas eſt occultè ſpoliare, liceat etiam per vim rem ſuam, vel ſibi debitam recuperare?

1 SOtus lib. 5. de iuſt. q. 3. ar. 3. & Ban. 2. 2. q. 66. ar. 5. tenent non licere, ex eo quod propter commodum priuatum non licet perturbare Rempublicam, neque vim vi repellere, niſi in flagranti delicto. Verum ſi Reſpublica eſſet tam barbara, vt nemo poſſet ius ſuum obtinere, poſſet tunc quis ſine armorum ſtridore, etiam cum violentia aliqua in ſuum ſe ius reſtituere.

2 At verò Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 12. dub. 11. diſtinguit, ſi res tua extet apud alterum in ſua ſpecie v.g. equus, veſtis &c. & non poſſis eam aliter recuperare, non eſt improbabile, poſſe te domum ingredi, & eam auferre: & ſi ille velit impedire, poſſe te etiam armis tueri, habes enim ius recuperandi rem tuam: neque hæc videtur propriè aggreſſio, ſed defenſio. Si tamen res non extet, ſed ille tantum ſit debitor tuus, non potes hoc modo illam vindicare, quia tu non es Dominus rei illius, ſed ipſe: vnde habet ius tibi reſiſtendi, ſi eam vi auferre nitaris, & tu cenſeris aggreſſor, non ille, quia ipſe non detinet rem tuam, ſed tu inuadis rem ipſius. Pro quo.

3 Primò dico quod ſi quis rem ſuam recuperando, vim iniuſto poſſeſſori nõ poſſet inferre, niſi turbando pacem, & tranquillitatẽ Reipublicæ: quia videlicet, is qui poſſidet, eſt vir potens &c. in tali caſu nemini priuatim licebit vim inferre, ſicut neq; cum tali

tali detrimento publico id liceret, cum primo res furripiuntur. Ratio eſt, quia pax Reipublicæ eſt maius bonum cuiuſcunque priuatæ perſonæ, ac proinde Dominus rei non habet tunc ius, vt eo actu amet res ſuas cum tali magno boni communis detrimento. Ita Sotus lib.5. de Iuſt. q.3.ar.3.

4 Secundò dico quod qui per vim, & violentiam rem meam inuadit, integrum erit mihi abſque peccato, & nexu reſtitutionis incontinenter rem meam, aut eius æquiualétem etiam per vim ab eo furripere. Ratio eſt, quia in hoc caſu fur per violentiam rem meam vſurpando, aggreſſor fuit, ergo ex parte mea ſolùm eſt defenſio, atque ex conſequenti ſi mihi non patet via iuridica recuperandi rem meam, poſſum impreſſionem in eum facere vſque ad interfectionem, non modo antequã auferat ſed etiam poſt, ſi nolit relinquere, fugientemque transfigere, ſi tamen res furto ablata ſit tanti ſit grauis.

5 Tertio dico quod qui per violentiam occupauit rem meam, nec reſtat alia via recuperandi, Greg. de Valent. tom.3. diſp. 5.quæſt.10.p.5. ait, licitum eſſe etiam tempore interpellato auferre rem tuam adhibita tali vi, quæ ſolùm furem aliquo modo perturbaret citra mortem, vel vulnerationem, quandocunque poſtea latro vult illam iniuſtè detinere. Ratio eſt, quia tunc dominus habet ius amandi potiùs proprias res, vt ſibi neceſſarias, licet inde ſequatur aliquod detrimentum furi.

Dixi notanter (citra mortem, & vulnerationem,) quia ad tuendas res ſuas cum tanto proximi detrimento ſolum habet quis ius ſuum, cum ei à proximo vis infertur, atque adeo in delicto flagranti, non autem poſt, quando nulla vis infertur.

6 Quartò, & vltimo dico, quod quando quiſpiam Iuris ordine prætermiſſo, aut etiam per vim rem ſuam accipit, licet peccet mortaliter, non tamen ad aliquam reſtitutionem obligatur. Ratio eſt, quia non retinet alienum, ſed ſuum.

Tum quia licet peccet accipiendo, non tamen peccat retinendo.

QVÆSTIO XXXVII.

An excommunicatio lata contra eos, qui furtum commiſerunt, comprehendat eum, qui cauſa compenſationis aliquid furripuit, cæteroſque ſcientes, & non reuelantes.

1 REſpondeo modo pro comperto habetur rem via compenſationis, & pro debito legali fuiſſe ſubtractam, tam furripiens, quam etiam talis recompenſationis conſcij non reuelantes non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, atque ex conſequenti immunes ſunt à tali vinculo excommunicationis. Ratio eſt, quia excõmunicatio non incurritur, niſi ob peccatum mortale: at in caſu poſito nullum committitur peccatũ, vt conſtat, ergo. &c.

Tum quia ex quo ſublator qui eſt principalis non tenetur reuelare, neque etiam talis recompenſationis conſcij, qui ſunt acceſſorij, cum acceſſorium aſſequatur naturam ſui principalis. Ita Molina tom.3. de Iuſtit. diſp.692. Sotus lib.5. de Iuſt. diſp.692. Nauar. in Man. cap.17. num. 114. Arag. 2.2 quæſt.66. art.2. & alij communiter.

QVÆSTIO XXXVIII.

An ſi conſcij ablationis rerum, dubitent de iuſta rerum compenſatione, ſub pœna excommunicationis denuntiare teneantur?

1 REſpondeo ſi ſcientes dubitant probabiliter de iuſta rerum compenſatione, & qui rem tulit admonitus reſtituere nolit, Epiſcopo excommunicanti reſpondere tenentur, etiam ſi ſic recompenſans eis dicat, quod ad recuperandum ſuum tantùm quod iuſtum erat, accepit, niſi ſublator rei tanta fide, & exiſtimatione apud ſcientes eſſet, vt merito ob eius dictum ei credere deberent. Nauar. c. 17. n. 114. Lop. p.2. conſtruct. confe. cap.9. & Petr. Nauar. lib.2. de reſt. num.227.

QVÆSTIO XXXIX.

Sed Quid? ſi Epiſcopus iubeat ſub pœna excommunicationis, vt res reſtituantur, ac reuelentur, etiam ſi retineantur acceptæ in compenſationem debiti legalis, vel ſciant retineri ita acceptas?

1 IN hac quæſtione Roſella verb. fama §.11. cenſet teneri tunc ſic recompenſantem (licet non retineat alienum) reſtitue

ſtituere, & ſimiliter talis compenſationis conſcios denuntiare.

2 Contrarium tamen huius tenendum eſt, ſcilicet etiam in hoc caſu recompenſantem, ac eius recompenſationis conſcios non reuelantes immunes eſſe à tali ſententia excommunicationis, & reſtitutione. Ratio eſt, quia excommunicatio maior eos non ligat, qui ſciunt mortaliter non peccaſſe.

Tum quia, ex quo licitè ſibi ſatisfecit, iam non eſt alienum, ſed ſuum quod retinet.

Tum etiam, quia nemo ſe, neque alium innocentem, qualis eſt iſte ſibi iuſtè recompenſans, tenetur prodere, præſertim ſi vergit in damnum, & præiudicium tertij. Imò ſi vt rectè annotauit Sylueſt. verb. furtum nu.9. mens iubentis eſſet, vt etiam in caſu quo quis ſibi iuſtè recompenſaſſet, id ſibi reuelarent ſententia eius eſſet continens intollerabilem errorem, & ita non ligaret in conſcientia.

QVÆSTIO XL.

Sed Quid? ſi Epiſcopus ſub Cenſura præcipiat ſub hac forma, excommunicamus etiam recompenſantes, qui omnes conditiones iuſtæ recompenſationis non ſeruarint.

1 Sylueſt. verb. furtum quæſt. 5. Med. C. de reſt. quæſt. 11. dub. 2. & Cord. in ſum. quæſt. 11. tenent. ſic recompenſantes, ac eius recompenſationis conſcios excommunicationem incurrere, niſi reſtituant ablatum, & denuntient ſic auferentes, non quod retineant alienum, ſi primam ſeruauerunt conditionem, ſed quia contra iuris ordinem bona vſurparunt, Et Epiſcopus poteſt hos compellere ad ſeruandum iuris ordinem qui eſt de iure diuino, & naturali: iuſtè enim dicit Scriptura, quod iuſtum eſt proſequaris.

2 Nauar. cap. 17. nn. 15. docet quod ſi debitum eſt liquidum, & certum, quamuis deſint ceteræ conditiones iuſtæ compenſationis, mortaliter peccat ſibi recompenſans, ad reſtitutionem tamen non tenebitur, quia licet hic agat contra iuris ordinem, quia quod ſibi debebatur via iudiciaria habere poteſt, non tamen agit directè contra iuſtitiam, ac proinde non erit reſtitutioni obnoxius, nec talis compenſationis conſcij non manifeſtando tali ſententia innodantur.

3 Mihi tamen placet opinio Lop. p. 2. inſtruct. conſ. cap. 9. qui has duas opiniones ſic conciliat. Nam vel ſibi recompenſans probabiliter ſperat, ſi illud reſtituat, vel reuelet ſine vllo incommodo ſtatim, ſe iuſtitiam aſſecuturum, & hoc modo tenetur Epiſcopo excommunicanti reſpondere, quia Epiſcopus poteſt compellere ad ſeruandum iuris ordinem, qui eſt de iure naturali, & diuino, & in hoc caſu vera eſt opinio Sylueſt. Si verò rationabiliter timet, ſi illud reſtituat, vel reuelet, nunquam in poſterum illud debitum recuperaturum, vel non niſi cum magno ſui detrimento, tunc non tenetur ſententiæ excommunicationis obtemperare, quia tunc videtur veniſſe negotium ad caſum, in quo potuiſſet ſibi iuſtè recompenſare.

Tum quia licet hic peccauerit accipiendo, vt puta quia alia via honeſta habere poterat, quod ſibi de Iuſtitia debebatur, nunc tamen retinendo non peccat, quia vt conſtat non habet niſi quod ſuum eſt, neque propter culpam prætermiſſi ordinis tenetur illud reuelare cum periculo probabili amittendi illud, & in hoc ſenſu vera eſt opinio Nauar.

4 Obiicies, Prælatus per modum poenæ poteſt imponere hanc reſtitutionem ob peccatum præteritum, ergo &c.

Reſpondeo non pertinere ad Prælatum punire eiuſmodi peccatum occultũ, quod non pendet in futurum, ſed cõſummatum iam eſt, præſertim poena temporali, cogendo eum, qui ita compenſauit, vt reſtituat quod tuta conſcientia retinet, & præcipiendo vt ſeipſum efficiat carnificem, & executorem eius poenæ.

Tum quia Iudex non poteſt aliquem punire pœna pecuniaria, vel ſimili ob delictum, niſi priùs iuridicè audiatur Reus & conuincatur.

5 Tertio etiam, quia ſententia excommunicationis non infligitur ei ob peccatum præteritum, ſed ob futurum, videlicet niſi velit obedire Prælato, exequendo aduerſus ſeipſum poenam temporalem, quam ei Prælatus ob commiſſum delictum iniungit. Vnde arbitror Prælati poteſtatem ad id non ſe extendere: ac proinde ſi illa eſſet illius mens in eo Prælato continere erro-

rem

rem intollerabilem, neque in foro conſcientiæ obligaret.

QVÆSTIO XLI.

Quiſnam ſit in hoc caſu, qui dicatur conſcius ad effectum, vt denuntiare teneatur?

1 REſpondeo is qui ſcit per viſum, vel alium ſenſum corporeum, vel confeſſionem illius, qui fecit, vel quod habetur pro indubitato, vel ſaltem audiuit ab aliquo fide digno, qui ſciebat illud, vt rectè docet Nauar. in cap. inter verba 11. q. 3. concl. 6. n. 786. & in lib. conſ. conſ. 9. de hæret. num. 9.

Dixi notanter (ab aliquo fide digno) quia à gente parui nominis, & æſtimationis aliquid ſcit, denuntiare non tenetur, quia ſi denuntiaret de leuitatis vitio poſſet à prudentibus notari: vnde tacere omnino debet, quandoquidem in hoc caſu nō cenſetur delictum ſcire, vt optimè annotauit Corduba in ſum. qu. 64. caſu 6. Clauis Reg. lib. 12. cap. 14. & alij.

2 Quod à fortiori procedit, quando intelligit quod Prælatus cui talis denuntiatio fit furore accenſus contra viſitatum indignabitur, vt cum Nau. Cord. & Gutier. reſoluit Roder. tom. 2. de Regular. q. 6. ar. 7.

QVÆSTIO XLII.

An correctio fraterna ſit prius præmittenda, antequam quis reſpondere teneatur literis monitorialibus, vel edictu excommunicatoriis, quibus præcipitur aliquod furtum reuelari?

1 REſp. communis omnium in hac re ſententia eſt, quod in caſu quo conſcius furti, latronem prodere tenetur, antequam denunciet, iuxta ordinem correctionis Euangelicæ eum admonere lege, & iure compellitur, vt Iudicis mandato ſatisfaciat, & ſi fur ſatisfecerit, eum manifeſtare non debet, nec poteſt. Ita tenet D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 4. & 5. vbi ſic ait. Prælato non eſt obediendum contra Domini præceptum ſecundùm illud Actuum 5. obedire oportet Deo magis, quam hominibus, & ideo quando Prælatus præcipit, vt denunciet quod quis ſcierit, intelligendum eſt præceptum ſanè, ſaluo ordine fraternæ correctionis, ſiue præceptum ſit communiter ad omnes, ſiue ad aliquos ſpecialiter, ſed ſi prælatus expreſsè præciperet contra hunc ordinē à Domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens. Hæc D. Thom. Hoc idem ſentit Nauar. cap. 25. num. 46. Lop. p. 2. inſtruct. conf. cap. 10. & Sylueſt. verb. reſt. 2. quæſt. 5.

2 Hoc idem dicendum eſt, quando Domini inquiſitores, & viſitatores præcipiunt vt ſcientes crimina ſtatim referant. Nam intelligenda ſunt huiuſmodi præcepta ſaluo ordine fraternæ correctionis, aliàs non eſt ei obediendum, neque incurreretur excommunicatio, vt cum communi reſoluit eleganter Sair. lib. 11. cap. 4. num. 19.

QVÆST. XLIII.

An ſi occupator rei alienæ admonitus, Epiſcopi mandato ſatisfacere renuit, conſcius illius criminis iuſſus denuntiare, teneatur illud manifeſtare, ſi illud probare non poteſt?

1 REſpondeo non teneri. Et ratio eſt, quia quando præcipitur, vt qui tale crimen ſcit, id per denuntiationem Iudici patefaciat, intelligitur de eo qui ſcit, & probare poteſt, cum fruſtra fieret talis reuelatio, & damnum potiùs, quàm commodum afferret, niſi quando Prælatus is eſſet, qui poſſet prodeſſe, & non obeſſe. Ita tenet Nauar. cap. 17. num. 134. vbi ſic ait. Quando præcipitur, vt qui talem rem ſcit, eam per denuntiationem manifeſtet, intelligitur de eo, qui ſcit, & probare poteſt.

2 Hanc opinionem ſequitur Ang. verb. excommunicatio 3. §. 20. vbi expreſsè docet præceptum Iudicis denuntiare iubentis ſub pœna excommunicationis, quod ſcimus, etiam ſi id probare non poſſemus, eſſe nullum, cum contineat errorem intolerabilem; vnde præceptum quo iubent, vt qui ſciunt, denuntient, limitandum eſt, vt ſolùm procedat de iis, qui quod ſciunt probare poſſunt.

3 Hoc ipſum tenent Cord. in ſum q. 64. caſu quinto. & Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. num. 228. & colligitur expreſsè ex c. plerunque 2. q. 7. Quod Mart. Nauar. in cap. inter verba coroll. 66. num 786. verum eſſe putat, etiamſi eſſet crimen læſæ Maieſtatis, & parricidium, ſolumque obligare vult talis criminis conſcios in hoc caſu ad impedien-

Digitized by Google

pediendum delictum præparatum omni modo possibili,quo id facere potest, puta dicendo Iudici extra iudicialiter,& ei qui prodesse,& non obesse potest:siue monendo eum,cui damnum comminatur, vt curam sui gerat.

QVÆSTIO XLIV.

An in casu, quo Prælatus is sit,qui ait Nauar. potest præcesse, & non obisse, ob delictum probationis teneatur illi vt Patri sub eadem pœna excommunicationis factum denunciare?

1 REspõdeo non teneri.Ratio est,quia de reg.iuris,pœnæ sunt restringendæ, & fauores ampliandi. Vnde censuræ cum sint grauissimæ pœnarum non debent excedere suos casus.At in casu nostro agitur de sententia Iudicis, qua crimen iubetur denunciari, quod intelligitur de denunciatione iudiciali,qua Reus in foro fori possit a Iudice compelli ad resarciendũ damnũ.Ita Lop.p.2.instr. confess.ca.10.

QVÆSTIO XLV.

Quisnam sit,qui in tali casu delictum probare possit ad hoc vt denunciare teneatur?

1 REspondeo is,qui habet vnum testẽ, omni exceptione maiorem id est integrum,quia denunciator in hoc iudicio locum alterius testis tenet, vt optimè resoluit Nau.c.25.n.33.& habetur in c. omnis de testibus.

QVÆSTIO XLVI.

An teneantur Prælati, & Visitatores quando vtuntur inquisitione generali admonere,& exprimere in suis cedulis, & visitationibus se casuum inquirere, quæ probari possunt.

1 ILlustrissimus Caietanus tom.1.opusc. tract.31.in resp.5.ad primum,& Bãnes 2.2.q.70.ar.1. negant ex eo quod præceptũ Prælati intelligitur semper iuxta ordinem iuris naturæ,& diuini, ac proinde non inquirere velle de occultis,quæ nullo modo probari possunt,cum tum iure naturæ,tum iure diuino talia reuelare vetamur. Quod si interrogatus nescit respondere, sibi imputetur, eo vel maximè quod tali discrimini se exponit is, qui perpetrauit delictum, vnde illud inconueniens est per accidens respectu Prælati.

2 Magist.Sotus in relect.de tegen. secreto n.2. q.6.p.2.& Nauar. in ca.inter verba. q.3.concl.6.nu.648.tenent superiores obligari ad id exprimendum,quia alias daretur magna occasio idiotis hominibus reuelandi quæ non debent, quod inconueniens compellantur superiores quantum possunt cauere.

3 Mihi tamen placet opinio Petr.Nauar. lib.2.de rest.nu.154. qui censet opinionem Caietani esse veram, quando huiusmodi edicta publicantur in loco vbi sunt homines,qui hæc omnia sciunt, aut ab alijs facile addiscere possunt. E contra vero opinionem Soti,& Nauarri esse amplectendã, quando huiusmodi inquisitio fit in loco, vbi plerique sunt homines rudes, & idiotæ, nec habent facile homines, à quibus consilium in huiusmodi petere possunt,qui licet à peccato, ob ignorantiam excusentur,superiores tamen neque à peccato, & fortasse neque a damnorum illatorum restitutione sunt liberi.

QVÆSTIO XLVII.

An si Iudex Ecclesiasticus sub censura præcipiat, vt qui verbi gratia tale crimen scit, veniat ad testificandum:is qui illud scit,ad deponendum lege,& iure compellatur, etiamsi illud probare non possit.

1 REspõdeo si Iudex nõ per viã denũciationis,sed post semiplenam probationem coram ipso factam, & ad eam supplendam præcipit sub pœna excõmunicationis statim incurrenda, vt qui illud scit,ad testificandum accedat,procul dubio qui talis delicti est conscius,tenetur id facere,licet admonitio euangelica non præcesserit,nec probare possit.Et ratio est,quia testis non tenetur probare.Nauar.c.17.nu. 135. Quod intelligitur si sine suo graui periculo,& damno in honore,vita,vel rebus id possit efficere, cum tanto enim detrimento non tenetur contra proximum testificari, aut denunciare vt docet Angel. verb. denunciato Paragrapho tertio. Vnde in talibus edictis magna opus est discretione ad discernendum quando iudex Ecclesiasticus nobis præcipit, vt testibus,

& quando vt denuntiatoribus, & in dubio tutius est Episcopum adire, aut saltem viros doctos consulere quid agendum sit. Ita Lop.p.2.instr.conf.c.10.

QVÆSTIO XLVIII.

An in casu, quo quis recompensans, vel eius recompensationis conscij, non tenentur revelare, possint tergiuando respondere se nescire?

1 REspondeo posse, concipiendo intra mentem se nescire aliquid, quod iure dicere teneantur. Ratio est, quia cum in hoc casu iurare non tenentur, nec respondere ad mentem Iudicis interrogantis, possunt tuta conscientia vti verbis æquiuocis, & ea accipere in eo sensu, quem ipsi concipiunt, quamuis in audientis animum alium sensum generent. Vnde in tali casu potest dicere nescio intelligendo vt dicam tibi, vel non commisi, subintelligendo hac nocte, dum dormiebam, vel quid simile. Ita Nauar.c.12.n.8. Valen.to.3.dist.5.quæst.13.p.2. Ban.2.2.q.69.art.2.& alij.

QVÆSTIO XLIX.

An iustè sibi recompensans, comparet dominium earum rerum, quas in compensationem accepit.

1 MEdina C. de rest. q. 11. in partem negatiuam propendit.

2 At huius oppositum, quod tenet Molina tom. 3. de iust. disp. 691. mihi videtur verius atque tenendum. Ratio est, quia cum ea compensatio iusta, & licita sit, iuréque naturali permissa, sanè eandem vim habet in foro animæ, vt si Iudicis authoritate efficeretur, imò audeo dicere in hoc casu interuenire authoritatē diuinam, mediante iure naturali, quod illam permittit, ac licere docet.

Confirmatur, si dominium earum rerum remaneret apud debitorem, sequeretur, quod si facta compensatione res illæ perirent sine culpa illius qui ita recompensauit, non perirent compensanti, sed debitori, quia res si perit, perit Domino: ac proinde posset qui res illas in compensationem accepit, facere iterum aliam compensationem, exigeréque de nouo suum debitum, quod est inconueniens.

QVÆSTIO L.

An si in foro exteriori comprobetur facta compensatio, & ob id compensans condemnetur ad aliquam pœnam, teneatur in foro conscientiæ eam subire.

1 REspondeo non teneri. Ratio est, quia vbi non est culpa, ibi non debet esse pœna, at in nostro casu vt supponimus nulla reperitur culpa, ergo &c.

Hinc si debitor pro comperto haberet, in ea acceptione interuenisse omnes conditiones requisitas ad iustam compensationem, peccaret contra iustitiam, si eum accusaret, vel aliquid in pœnā eius compensationis ab eo acciperet, tenereturque illi in conscientia omnia damna inde ei subsecuta resarcire. Ratio est, quia lex humana non potest, nec debet prohibere in eo casu cōpensationem in se iustam, & licitā, & neque pati, neque iustitiæ publicæ iniuriam. Ita Molina to.3.de iust.disp.691.

QVÆSTIO LI.

An, & quando teneantur conscij delicti ad restitutionem, qui per edicta generalia, & literas monitoriales compulsi detegere veritatem, tacent, & ob id expoliatus suum non recuperat?

1 SOtus lib.5.de iust.q.7.ar.1. Nauar.ca.25.n.44.& Arag.2.2.qu.70.art.1. affirmant, ex eo quòd qui in hoc casu non respondet, inobediens est Iudici, & expoliat eum iure suo, quod habet ad eum iuridicè interrogandum, & partem similiter iure suo priuat, cui per Iudicis edictum, testimonium eius sufficienter applicatum fuit, atque adeò tunc per fraudem se subducens damna omnia quæ damnificatus passus est, restituere tenetur.

2 Alij verò vt Bann.2.2.q.70.ar.1. & Molina to.1.de iust.disp.83. negant, & meritò quidem, quia isti non peccant contra iustitiam commutatiuam, ergo ad nullam restitutionem tenentur. Antecedens probatur, quia non tenentur ad denunciandum, vel reddendum testimonium nisi ex charitate, vel ex iustitia legali, ergo non peccant contra iustitiam commutatiuam. Consequentia est per se nota, antecedens verò probatur, antequam publicarentur literæ

Digitized by Google

literæ monitoriales, non tenebãtur niſi ex charitate denunciare, vel teſtimonium reddere, ſed huiuſmodi literæ excommunicatoriæ ſolum inducunt obligatione iuſtitiæ legalis, ergo non tenebuntur, ſi ex charitate, & iuſtitia legali.

3 Et confirmatur, ſi Princeps, vel Reſpublica iuberet vt omnes diuites ſingulos pauperes alerent, ſi Titius huius præcepti conſcius pauperes non ſuſtentaret, ſecundum omnes, ad nullam reſtitutionem teneretur, quia non peccaret contra iuſtitiã commutatiuam, ſed tantum contra legalem, & contra charitatem proximi, ergo idem dicendum eſt in hoc caſu.

QVÆSTIO LII.

An huiuſmodi edicta lata ad inſtantiam parentum contra furantes, comprehendant etiam filios, & vxores, qui præter caſus licitos aliquid ab eis furripuerunt?

1 AD hanc quæſtionẽ reſponſurus dico primò, quòd ſi huiuſmodi edicta generalia expreſſè dicũr, quod omnes quãtumuis ſanguine, vel amicitia coniuncti authorem furti denunciare compellantur, proculdubio filij, & vxores qui aliquid à parentibus, vel viris rationabiliter inuitis acceperunt comprehenduntur. Ratio eſt, quia huiuſmodi clauſula (quãtumuis &c.) clarè nuntiat mentem Prælati, & eorum ad quorum inſtantiam excommunicatio fertur, eſſe, velle etiam eos obligare.

2 Secundò dico quod ſi verba edicti ſunt generalia. vt v. g. qui ſcit authorem furti, ſub cenſura ad denunciandum veniat, filij & vxores non comprehẽduntur. Ratio eſt quia non eſt credibile voluiſſe patrem, & ſuperiores eos tam grauiter propter eiuſmodi furta pœna excommunicationis, quæ eſt omnium grauiſſima ferire.

3 Tertiò dico quod in caſu dubij, quando non conſtat de eorum mẽte, an ſcilicet voluerint eos ligare, an nõ, ſecuriùs, & ſalubriùs eſt à cẽſura abſolutionẽ petere, præſertim ſi furtum ſit graue. Verum eſt tamẽ grauiorem quantitatem eſſe neceſſariam ad hoc, vt furtum à filio commiſſum cenſeatur peccatum mortale, propter quod excommunicatio incurratur, quàm quæ requiritur in aliis perſonis, cum quicunq; parentum iure præſumatur indulgere filiis clanculariàs iſtas vſurpationes.

4 Quartò & vltimò dico quòd in tali caſu tenebitur filius, ſi habet bona libera reſtituere patri, non minus quam extraneo, vel aliquo modo obtineret à patre remiſſionem, vel ſi nihil horum præſtare poteſt, poſt mortẽ patris, facta diuiſione hæreditatis, ex parte quæ ſibi de iure contingit, alijs fratribus cõpẽſare iure cogitur.

Et ſimiliter vxor ſi habet bona paraphernalia tenebitur reſtituere viro quæ ab eo inuito rationabiliter ſurripuit, ſin minus quando potuerit diſponere de ſua dote.

QVÆSTIO LIII.

An in neceſſitate liceat alienum furripere?

1 PRo cuius intelligentia obſeruandum eſt primo triplicem eſſe neceſſitatẽ ſcilicet communem, grauem & extremam.

Communis eſt illa, quam patiũtur pauperes, qui oſtiatim aluntur.

Grauis eſt illa quam quis patitur indigendo neceſſariis ſuo ſtatui, & ſi non prematur fame, vt qui non habet, vnde debita ſoluat, aut dotem filiabus tribuat.

2 Neceſſitas verò extrema eſt illa, quam patiuntur homines, qui non habent ea quæ ſuæ ſuſtentationi ſunt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria. Vt cum quis aut fame, aut frigore moritur, aut ei imminet vitæ periculum, dum homo incipit periclitari, illabi in malum irremediabile, & poteſt præuenire ne incidat in extremam miſeriam, aut infirmitatem incurabilem, prouidendo ſibi de cibo, aut potu, aut veſtitu, aut alia re ſibi ſimpliciter neceſſaria. Quo iacto fundamento.

Primo dico quòd in extrema neceſſitate, licitè poteſt quis de alienis ſibi ſubuenire abſque vllo peccato furti, quando aliter ſuæ neceſſitati prouidere non poteſt. Ratio eſt, quia extrema neceſſitas vult omnia eſſe communia, non quod per illam ſtatim transferatur dominium, ſed quia vt probè aduertit Na. c. 17. quo ad ius vtendi, communia ſunt.

3 Tum quia dominus rei non poteſt in tali caſu eſſe rationabiliter inuitus, quia ſi præſens eſſet, teneretur ei ſubuenire, vnde talis licitè potuit, & debuit credere dominum permiſſurum: & ita non committit

furtum. vnde Amb. vt refertur 57. dist. dicebat, esurientium panis est, quem detines, nudorum indumentum est, quod recludis, miserorum redemptio est pecunia, quam tu in terra fodis.

Tum demum, quia qui extremè indiget, potius videtur vti iure suo, quàm furari. Vnde abusiua est locutio, dicere licitum esse furari in extrema necessitate: sicut nō rectè dicitur, licitum esse Iudici homicidium facere,

4 Secundò dico quòd in extrema necessitate constitutus non potest licitè sibi necessaria accipere, quia prius petat adiuuari, manifestata sua miseria, vel nisi pro certo habeat se nihil obtenturum, si petat. Si enim probabilis spes sit, posse conuenienti modo petendo (non enim tenentur viri nobiles, & honorati mendicare,) consequi, per donationē vt vel aliter sic suum, non videtur versari in ea necessitate, vt cogatur sumere alienum, & si aliter facit contra debitum ordinem, non puto esse peccatum lethale, si hic ordo non seruetur modo scādalum absit. Ita Less. lib. 2. de iust. ca. 12. dub. 12.

5 Tertio dico quod in extremis constitutus non potest licitè alienum sumere, nisi prius publicum Magistratum adeat, cuius authoritate diuites de superfluis statui, & naturæ ei subuenire compellantur. Quod verum esse censeo in casu, quo id commodè fieri potest. Secùs si periculum sit in morte, quia tunc licet etiam palam, & per violētiā accipere. Sicut si aliquis me inuadit non possum statim propria manu vim vi repellendo illum occidere, si authoritate publica possum commodè illum repellere. Ita Clauis Reg. lib. 9. cap. 14.

6 Quartò dico quòd si quis in extremis positus vellet aliquid sibi necessarium accipere, non posset a domino illius rei prohiberi, quia iure suo vtitur, quare poterit ius suum quod habet, per vim contra resistentem tueri, & sibi ad vitam necessaria per vim quoque accipere, quia in hoc casu perinde se haberet, ac si iniustè ab altero inuaderetur: & si opus sit seruato moderamine inculpatæ tutelæ resistentem occidere. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 12. dub. 12.

Quintò dico quòd talis acceptio facta in extremis non est furtum, quia dominus tenetur consentire, nec circa substantiam acceptionis est rationabiliter inuitus, cuius modus quo sic indigēs accipit, priusquā petierit, suamq; inopiā aperuerit, displiceat.

7 Sextò dico quòd si dominus rei ablatæ est in pari necessitate constitutus, tunc non licet ab illo accipere, quia in pari casu necessitatis, & periculi melior est conditio possidentis.

Septimò dico quòd qui in necessitatibus communibus, & non admodum grauibus versatur, non potest accipere rem alienam, qua indiget. Ratio est, quia cum huiusmodi necessitates creberrimę sint, non sic vrgent, vt diuisio iure gentium facta, debeat violari, alioquin omnia furtis. & latrocinijs plena essent, nec posset inter homines conseruari. Hæc itaque certa sunt.

QVÆST. LIV.

Sed quod controuertitur inter Doctores est, de graui necessitate, An scilicet in graui necessitate constitutus licitè possit necessaria sibi accipere ex rebus alicuius? Vt per grauem necessitatem intelligo non quouis modo grauem, sed valde grauem, & si non extremā?

1 ANg. verb. furtū q. 36. & 37. Silu. ib. q. 5. Med. C. de eleemosyna q. 7. Rod. p. sum. c. 147. Eman. Sà. in Aphorismis Conf. ver. furtū n. 1. & multi alij affirmāt in graui necessitate licitum esse aliena tollere. Ratio est, quia furtum est ablatio rei alienæ inuito domino rationabiliter, sed in graui necessitate dominus est irrationabiliter inuitus, quia deberet consentire, & peccat non consentiendo, ergo in tali necessitate alienum sumere non est furtum. Hoc idem tenet Petr. Nauar. libr. 3. de rest. num. 367. quia putat diuites non solùm præcepto charitatis, sed etiam lege iustitiæ teneri subuenire grauiter indigentibus, posseque è publica potestate cogi ad eis subueniendum, & si in tali casu dare nollent, ipsis etiam nolētibus, accipere possunt. Et hanc opin. tenent esse probabilem Cou. in Reg. peccatum 2. p. §. 1. nu. 3. & Less. lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 12.

2 At verò Sotus lib. 5. de iust. q. 3. ar. 4. Couar. loco citato. Caiet. 2. 2. q. 66. ar. 7. Ban. 2. 2. q. 32. a. 6. & q. 66. a. 7. Valēt. to. 3. d. 5. q. 10. p. 5. & alij cōmuniter docēt, quòd licet diuites de superfluis teneantur facere eleemosynam in graui necessitate constitutis, non

tis, non possunt tamen pauperes ab eis clam, aut apertè bona surripere. Probatur, ex c. Si quis extra de furto dicitur, quòd si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur ieiunare. Et loquitur textus de necessitate quæ non est extrema vt omnes Doctores tradunt, propter illa verba (pœniteat, &c.) ergò in graui necessitate furari, peccatum est.

Nec valet argumentum Petri Nau. diues in casu grauis necessitatis tenetur egenti subuenire, ergò ille potest sua authoritate accipere. Quoniam obligatio illa non est debito iustitiæ, sed charitatis, ad quam nemo inuitus cogi potest. Nam si obligatio esset iustitiæ, ille qui tunc non succurreret, teneretur ad restitutionem, quod nullus admittit.

3 Et hæc opinio mihi videtur probabilior, licèt prima quæ est etiam Syluestri non caret probabilitate. Et ad rationem secundæ opinionis dici potest, caput illud si quis &c. non esse ex decretalibus Pontificum, sed ex pœnitentiali Theodori excerptum. Vel dic cum D. Thom. 2.2. q. 66. ar. 7. ad primum decretalem illam esse intelligendam in casu, quo non erat vrgens necessitas. Et fortè in dicta decretali agitur de iis, qui in debito modo alienum acceperant, cum alia via potuerint suis necessitatibus subuenire.

Obiicies, sæpè viatores accipiunt vuas, & alios fructus, & tamen non peccant, ergo in communi, & graui necessitate, in qua vt plurimum sunt viatores, licet accipere alienum.

4 Respondeo viatores, si accipiunt vuas, & alios fructus ad vendendum, vel foras deferendum peccant, & ad restitutionem tenentur; sed ad comedendum tantùm, non peccant, nec restitutioni sunt obnoxij, si quod accipiunt est in moderata quantitate, quia in hoc casu intercedit tacitus consensus dominorum vinearum, cui fauet communis vsus, & recepta consuetudo omnium locorum, vt post alios docet Couarr. in Reg. peccatum p. 2. §. 2. num. 3. & Salon. 2.2. q. 66. ar. 7. quæ consuetudo iam erat in lege veteri, in qua cuique fas erat accipere fructus, & spicas intra fata, non autem extrahere.

Spec. Conf.

QVÆSTIO LV.

An nobis liceat dum sumus in periculo amittendi honorem, aut famam res alterius accipere sub prætextu extremæ necessitatis?

1 REspondeo non licere. Ratio est, quia bona temporalia sunt media necessaria, ad tuendam vitam non autem ad honorem hominis per se ordinata, honor enim præmium est virtutis. Ita Sot. lib. 5. de iust. q. 3. art. 4. & Salon. 2.2. q. 66. ar. 7.

2 Dixi notanter (regulariter) quia vt benè notat Ban. 2.2. q. 62. a. 7. si alicui esset valde inhonestum mendicare, si aliter nō posset sibi subuenire, licitum esset ei in graui necessitate res alterius sumere, cum animo restituendi cum primùm ad pinguiorem fortunam venerit.

QVÆSTIO LVI.

An periculum amittendi pudicitiam sit sufficiens necessitas, vt puella possit sine peccato alienum sumere?

1 REspondeo negatiuè. Ratio est, quia ad conseruandam pudicitiam medium ordinatum non est res alterius sumere, sed potius Deo se committere, & occasiones proximas peccati tollere, & subire potiùs mortem, quam Deum offendendo illam deturpare. Ita Sot. lib. 5. de iust. q. 3. ar. 4. & Salon. 2.2. q. 66. art. 7.

QVÆSTIO LVII.

Vtràm is dicatur esse in extremis, qui quamuis hoc in loco, & tempore non habeat, habet tamen alibi, vel de proximo se habiturum sperat?

1 RESp. ni propriè censentur esse in extremis, qui cum indigeant victu, & vestitu, nec mendicare, nec vitam suo labore quærere possunt, neque habēt alibi, nec pro certo sperant se habituros in posterum, vt tradit P. Nau. lib. 3. de res. n. 365. Sot. lib. 4. q. 7. art. 1. & Salon. 2.2. q. 66. art. 7.

Dixi notanter (qui nec mendicare possunt) quia qui ostiatim mendicando se alere valent, & solent, non censentur pati extremam necessitatem. Vnde viri nobiles, &

honorati, quibus mendicare est valdè indecorum, quando desunt eis ad vitam tuendam necessaria, illam pati censentur.

2 Dixi etiam notanter (nec alibi habent) quia qui hoc in loco vel tempore indigent, alio tamen in loco habent, vel pro certo sperant se habituros, quamuis hic, & nunc desit eis necessaria sustentatio, simpliciter tamen & absolutè non censentur pati extremam necessitatem, cum non sint pauperes simpliciter, sed poterit vnusquisq; mutuo eis subuenire, tenebunturque cum ad ditiorem fortunam venerint, restituere. Salon. 2.2. q. 66. ar. 7. & Sair. lib. 9. cap. 14.

QVÆSTIO LVIII.

An pauper in extremis constitutus possit tuta conscientia iuri quod habet accipiendi sibi necessaria ad tuendam vitam, renunciare, & subire potiùs mortem, vel quodcunque aliud malum, quàm res alterius sumere?

1 REspondeo non posse, nisi ex iusta causa, & ad virtutem aliquam exercendam, vt cum quis pro amico vellet vitam exponere, quia tunc exercet actum fortitudinis, & amicitiæ, quæ est virtus moralis. Quod est verum in casu, quo pauper occultè, & sine vlla vi, aut perturbatione Reipublicæ potest sibi de necessariis prouidere, quia tunc nullius virtutis causa illam exponeret. Secùs si non posset accipere sibi necessaria nisi publicè, & per vidientiam, quia tunc ei liceret renunciare iuri, quod habet tuendi propriam vitam, & velle potiùs subire mortem, quàm accipere alienum, quandoquidem tunc actú excellentissimæ virtutis nempè pacis exerceret.

QVÆSTIO. LIX.

An mihi liceat in casu similis necessitatis occultè rem alienam accipere, vt subueniam proximo extremam necessitatem patienti?

1 AD hoc dico primò, quod si ego habeo vnde possim sufficienter prouidere extremæ necessitati pauperis: ab aliis accipere non possum. Ratio est, quia alij lege charitatis teneantur pauperē sic indigentē subleuare, ego tamen nō sum iudex ad quem spectat executioni mandare, quæ alij tenentur.

2 Tum quia ius illud, quod de iure naturali habet vnusquisq; assumendi sibi necessaria ad tuendam vitam, solùm competit pauperi sic extremè indigenti, aut alteri non habenti de suo, vnde possit proximi necessitati subuenire, vt docet D. Tho. 2.2. q. 66. ar. 7. ad 3.

Secundò dico quòd si ego sim tam pauper, quod boni viri iudicio sufficienter subuenire non possim pauperi indigenti, tunc fas mihi est de bonis aliorum sumere, vt per eleemosynam proximo extremam necessitatem patienti subuenire possim. Ratio est, quia in hoc casu facio ego, quod alij tenentur, & in quod debent alij consentire. Vnde quando D. Aug. in lib. de mendacio ait, non posse quempiam accipere rem alienam; vt per eleemosynam faueat proximo, intelligendum est, quando proximus solum est in communi, & graui necessitate, vel ipse sufficienter potest de suo pauperi extremè indigenti subuenire.

3 Obiicies, sicut fornicatio prohibetur in decalogo, ita & furtum, sed in extrema necessitate non est licitum fornicari, ergò neque furari licebit.

Respondeo in extrema necessitate licere assumere sibi necessaria, quia tunc res sunt communes, non tamen licere fornicari, quia extrema necessitas nunquam facit mulieres esse communes.

Tum quia illud commune axioma, omnia sunt communia in extrema necessitate, est intelligendum de rebus, quæ sunt fructus, & bona temporalia: modò mulier non est fructus, nec non inter fructus censetur, vt habetur in l. in pecudum ff. de vsuris §. in pecudum Ratio est Panormitani.

4 Tum quia fornicatio non est medium per se ordinatum ad conseruationem vitæ, sicut accipere res alienas est medium per se ordinatum ad vitam seruandam, & ideò in extrema necessitate licet res alterius accipere, quia cuiq; fas est vti medio per se, & iure naturæ ordinato ad aliquem finem, non autem fornicari, quia fornicatio non ordinatur ad conseruationem vitę. Ratio est Rich. in 3. dist. 37. ar. 3. quæst. 2.

Tum quia ad faciendum cōtra Dei præcepta, necessaria est diuina dispensatio, nunquam autem legitur Deum dispensasse super fornicatione, sicut dispensasse

perhi

perhibetur ſuper furto, quando eo iubente filij Iſraël expoliarunt Aegyptios: atque adeò licebit vnicuique in extrema neceſſitate alienum accipere, quia tunc eſt diſpenſatio quædam iuris naturalis, quo tenetur vitam propriam tueri, non autem ſuper fornicatione ſic diſpenſatum eſt. Ratio eſt Almain. in moral. q. de metũ propoſitione 3.

5 Tum etiam, quia fornicatio eſt adeo intrinſecè mala, vt ob nullam circumſtantiam etiam extremæ neceſſitatis efficitur licita: at furtum & ſi ex ſe ſit malum, tamen ſibi prouidere de neceſſarijs, in extrema neceſſitate furtum non eſt, cum furtum eò id ſit peccatum, quia eſt ablatio iniuſta rei alienæ; hæc autem malitia ceſſat, cum quis rem alienam accipit ex conſenſu domini expreſſo, vel interpretatiuo, qualis contingit tempore extremæ neceſſitatis, in quo domini rei furreptæ tenentur conſentire, vt quis ſibi de neceſſariis ad vitam prouideat. Ratio eſt Med. C. de reſt. q. 19.

QVÆSTIO LX.

An cuique liceat Chriſtianos detentos ab infidelibus furari, vt libertati illos reſtituat?

1 Nauar. ca 17. num. 103. diſtinguit inter tempus belli, & tempus treuguæ: nam ſi eſt tempus, in quo inter eos indictum eſt bellum, licitum eſt cuique priuatę perſonę Chriſtianos ſeruos ab infidelibus furari, aut per vim furripere, quoniam tunc quilibet operatur publica authoritate. Si verò eſt tempus treugæ, peccat cum obligatione reſtituendi ipſi infideli non hominem propter periculum animę, ſed eius valorem.

2 At verò Caiet. 2.2.q.66.ar. 8. Greg. de Valen. tom. 3. d. 5. q. 10. p. 6. Arag. 2.2. q. 62. ar. 8. & Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 11. nu. 5. tenent indiſtinctè nulla facta diſtinctione temporis belli aut pacis licitum eſſe cuique Chriſtianos ſeruos in captiuitate detentos à dominis infidelibus ad ſui libertatem adiuuare ſiue occultè ſiue manifeſtè per vim. Ratio eſt, quia tales cũ ſint iniuſtè oppreſſi in libertate, habent iuſtum bellum contra dominios infideles, ergo vnicuique fas eſt eos adiuuare, vt ſuam libertatem recuperent; nec opportet publicam authoritatem aliter hic quærere, quã quòd vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde D. Ambr. in lib. de offic. ait, quod qui non repellit iniuriam à Socio, cum poteſt, tam eſt in vitio quam ille qui facit. Et eſt cõcluſio definita in l. honeſtas. ff de captiuis, & in l. 5. Cod. ne Chriſtianum mancipium & in ca. mancipia d. 54. vbi expreſſe prohibetur ne Chriſtianus ſit ſeruus Iudæi, hæretici, vel pagani, ne filij liberæ ſeruiant filio ancillæ.

QVÆSTIO LXI.

An licitum ſit Chriſtianis rapere ab infidelibus res, quas iniuſtè poſſident, ſicut licet rapere Chriſtianos, quos etiam iniuſtè detinent?

1 Illuſtriſſimus Caiet. 2.2.q. 66.ar. 8. & Petr. Arag. ibidem tenent non eſſe licitum priuata authoritate rapere ab infidelibus res, quas iniuſtè detinent, ſicut licet auferre ſeruum, quia liberatio ſerui habet rationem recuperationis factæ incontinenti, cum homini viuo continuè inferatur violentia perſonalis, dum detinetur captiuus: ereptio autem non habet huiuſmodi rationem, quia occupatio iam tranſiit in rem iudicatam.

2 Oppoſitum autem huius, quod tenent Salon. 2.2.q. 66. ar. 8. Greg. de Valen. tom. 3. d. 5. q. 10. p. 6. & alij quam plures mihi videtur verius, atque tenendum. Ratio eſt, quia ſicut mihi licet etiam per vim auferre rem meam ab alio Chriſtiano detentam, quando via iuridica non poſſum illam recuperare: multò magis id licebit auferre ab infideli, quem non poſſum coram Iudice legitimo conuenire.

Et ad rationem in contrarium adductã reſpondeo, quòd licet in ablationem rerum non inferatur continuò iniuria rei ipſi ablatæ, ſi ſit inanimata, ſicut fit ſeruo iniuſtè detento, continuo tamen infertur iniuria ei, cui res eſt ablata. Vnde ſicut licet cuique Chriſtianum detentum etiam per vim ab infideli eripere, ita & à fortiori licebit res iniuſtè detentas auferre.

QVÆSTIO LXII.

An furripiens modicum multoties tamen ab eodem homine mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione vt certa ab incertis ſeparemus illud primò certum eſt, quod modus accipiendi

aliquid occultè, dum aliàs aceptio placeret domino, si ei innotesceret, est venialis. quòd sæpè filij ob verecũdiã parẽtũ faciũt.

Secundò certum est, quod famuli qui à domino accipiunt panem, vinum, & id genus alia, quibus vescantur sub ratihabitione, quod si adesset, ipsis petentibus daret, quamuis nollet, vt se inscio caperent, non peccant nisi venialiter.

Tertio certum est, quod famuli qui à domino furripiunt cibaria in magna quãtitate animo donandi, peccant mortaliter cum obligatione restituendi. Ratio est, quia in hoc casu non solum modus, sed etiam factum inuito domino fit.

2 Quartò certum est, quod qui minutatim repetitis vicibus exigua furripit, siue cum animo, vel sine eo perueniendi ad summam notabilem, cum illam tamen attingunt, ad restitutionem tenetur.

Quinto, & vltimo certum est, quod qui paulatim ab vno domino rem paruam vsurpat, si à principio habuit animum perueniendi ad materiam notabilem, à principio peccauit mortaliter: cum obligatione restituendi quod accepit, quamuis modicum pro qualibet vice accipiat.

3 Hinc emptores nobilium, qui fraudant dominos suos, quasi singulis diebus furripientes aliquid exiguum: vel venditores mercium, qui tenent mensuram iniustam, aut vendunt vltra pretium rigorosum, vel legitimum, & huiusmodi peccant mortaliter cum obligatione restituendi quod iniustè acceperunt: quamuis exiguum singulis vicibus furripiant, non enim in talibus attenditur id exiguum, quod accipiunt, sed ad totam summam furreptam in fine temporis ad quam fertur sua praua intentio, pro qua in inferno æternaliter punientur. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO LXIII.

Sed tota difficultas est de eo qui paulatim repetitis vicibus ab vno, & eodem domino furripit vnum, vel duos quadrantes, sine intentione perueniendi ad magnam quantitatem, an cum illam attingit, peccatum mortale committat cum obligatione restituendi?

1 SOtus lib. 5. de iust. q. 3. ar. 3. Petr. Nauar. lib. 3. de restitut. num. 51. Valent. tom. 3. d. 5. q. 10. p. 5. Arag. 2. 2. q. 66. ar. 6 Mol. tom. 3. de iust. disp. 688. Salon. 2. 2. q. 66. ar. 6. Med. C. de restit. q. 10. & multi alij dicunt quod qui minutatim ab eodem singulis diebus quid modicum furripit, peccat tantum venialiter, tamen cum valor pecuniæ furreptæ peruenit ad notabilem quantitatem, tunc vltimum furtum præcedentibus accedens, efficitur mortale.

At Nauar. cap. 17. nu. 139. licet consentiat cum Soto quod in hoc casu minimorum furtorum in diuersis vicibus commissorum sub reatu mortali eorum facienda est restitutio, cum peruentum iam fuit ad summam notabilem: tamen negat quòd illud vltimum furtum complens quantitatẽ notabilem, fiat mortiferum, virtute priorum, sed omnia illa exigua prima, & postrema, & inter media furta non fuerunt plusquam venialia.

2 Nec est inconueniens (inquit Nau.) quod ex peccatis venialibus nascatur obligatio restituendi illa furtula venialia sub pœna peccati mortalis, nam etiam ex re commodata, vel credita, quæ accepta sunt sine peccato, oritur obligatio restituendi illa sub mortali. Quam opinionem Lessius censet esse veram in casu quo ille fur aduerteret se iam habere quantitatem notabilem, & non proponeret restituere, tunc enim saltem implicitè haberet animum retinendi alienum in materia notabili. Si tamen non aduerteret se iam habere alienũ in materia notabili, non peccaret mortaliter. Similiter si aduerteret quidem, sed non haberet cõmoditatem restituendi, proponeretq; prima opportunitate restituere, quia talis neque accipit tunc alienum in materia notabili, neque etiam habet animum culpabiliter tale quid retinendi.

3 Cæterum probabilior, ac securior mihi semper visa est prima opinio, nempe quod si à principio carens animo furandi multum, ab vno & eodem domino semel, atque iterum modicum quid furripuit, ex tunc, & non autẽ, tale furtum incipit esse mortale, quando coassumptum cum aliis præcedentibus paruis furtis, incipit esse materia grauis. Ratio est, quia istud postremum furtum, licet exiguum, operatur notabile damnum in virtute furtulorũ præcedentium, sicut gutta postrema cauat lapidem virtute præcedentium: quicunq; autẽ sciens, & aduertens ex actu suo etiam leui proximum passurum notabile damnum, illum

lum facit, verè eſt cauſa efficax talis dâni, & ſic mortale peccatum committit reſtitutioni obnoxium, parum enim refert(ait D. Hieronymus) an vnico actu, vel pluribus, proximum quis interimat,vel ſpoliet, ſiue dânificet,cũ ſemper ſit æquale damnũ.

4 Dixi notanter(ſciens & aduertens)quia qui minutatim multa exigua furta commiſiſſet, quorum eſſet inuincibiliter oblitus,atque ita non aduertens ad furta præcedentia, aliquid aliud furtum committeret, non imputabitur ei hoc ad peccatum mortale, quia ex defectu aduertentiæ,non continuatur moraliter: ſecùs autem ſi aduertit ſe per vltimam iniuſtam acceptionem rei alienæ etiam vnius oboli peruenire ad materiam, quæ in ordine ad ſpoliatum eſt per ſe ſufficiens conſtituere furtum mortale,tunc enim peccat mortaliter, tunc enim peccat mortaliter, quandoquidem ſcienter inferre damnum notabile proximo, peccatum mortale eſt.

5 Hinc, qui paulatim repetitis vicibus accipit ab aliquo vnum, aut duos quatrinos,quam primum peruenit ad quantitatẽ, quæ reſpectu domini rei ſurreptæ eſt grauis, mortaliter peccat, cum obligatione reſtituendi,quamuis à principio animũ furandi notabilem quantitatem non habuerit. Quod puto eſſe verum in eo qui continuato tempore magnis interuallis illam ſummam notabilem aggregaret; non enim dicerem, peccare mortaliter cum obligatione reſtituendi ſub mortali illos famulo,qui modo aliquot exigua furta committerent, & poſt vnum, vel duos menſes totidem,& poſt aliquot alios totidem &c. ita quod in fine trium, vel quatuor annorum peruenirent ad ſummam aliquam,quę ſi ſimul,aut breuiori tempore ſurriperetur adæquaret,aut ſuperaret quantitatem quæ ad culpam lethalem ſufficit modo a principio non habuerint animum ad illam peruenire. Ratio eſt,quia non ſolent homines adeo eſſe inuiti, quod longo tempore, & per minima, ita res, de bonis ipſorum accipiantur,ac ſi ſimul acciperentur,aut breuiori alio tempore Ità enim tenet Naua. cap.17.n.139.& Mol.tom.3.de iuſt.diſp.688.

6 Ex quo colligitur,quod quantitas,quæ ad culpam lethalem ſufficit, ſi ſimul accipiatur,aut intra breue tempus, non ſufficit ſi ſucceſſu temporis accipiatur.

Hinc,ſi furtum manet intra limites peccati venialis, ſub veniali reſtitui oportet ſin autem peruenit ad mortale,ſub mortali reſtituẽdum eſt,quia acceptio, & detentio ſunt eiuſdem rationis:Vnde ſicut quod venialiter accipitur, venialiter detinetur, ita ſub veniali tantum eſt reſtituendum: quod verò mortaliter accipitur, mortaliter detinetur,& conſequenter ſub mortali reſtituendum eſt.

Hinc falſa eſt doctrina Na. aſſerentis ex peccato veniali oriri poſſe obligationem reſtituendi ſub mortali,quia vt optimè notant Pet.Na.lib.3.de reſt.n.52. & Pet. de Arag.2.2.q.66.ar. 6. obligatio reſtituendi ex delicto, & iniuſta acceptione incurri non poteſt,ſub mortali,niſi ex peccato mortali.

7 Exempla verò quæ Na.adducit in cõtrarium, ſ.in commodato, & credito nihil faciunt contra nos, quia commodatum,& pecuniam creditam potius ſoluere, quam reſtituere dicimur;neq; hæc ex delicto,ſed ex contractu debentur vt conſtat.

QVÆSTIO LXIV.

An ſurripiens à pluribus,à quolibet tamen parum,mortaliter peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 IN hac graui quæſtio. quatuor ſunt Doctorum opin.Prima eſt Hieron.Angeſt. in mor. cap. 9. fol. 74. qui putat nec peccare mortaliter ſic ſurripientem, etiãſi perueniat ad materiam notabilem, nec teneri eam reſtituere ſub mortali. Et probat quia iſte ſurripiẽdo à multis modicũ,nulli damnũ notabile infert, quod requiritur ad conſtituendnm peccatum mortale furti.

Hæc opinio falſa eſt, primò quia alioquin nõ peccarent mortiferè quia vtuntur ponderibus,vel menſuris iuſto minoribus, quod eſt contra illud Prou.11. ſtatera doloſa abominatio eſt apud Deũ. Et Deut.25. nõ habebis in ſacculo diuerſa põdera maius, & minus &c. abominatur enim Deus eũ qui facit hoc.Ex quibus ſacræ ſcripturæ locis ſatis colligitur eſſe peccatũ mortale.

Secundò,quia præbet anſam hominibus, vt ex rebus alienis diteſcere ſtudeant.

Tertiò quia eſt contra communem Doctorum ſententiam.

2 Secunda opin.eſt Nau.c.17.nu. 139. qui perſeuerans in ſua opinione conſentit cum Angeſt.in primo,ſcilicet quod omnia talia

exigua furta ſint venialia, inſurgit tamen ex iſtis obligatio reſtituendi ſub mortali, quod ſic à pluribus acceptum eſt.

Tertia opinio eſt Med.C.de reſt.q.10.qui diſtinguit, aut enim hic qui ſurripit minima à pluribus, eſt pauper,aut non. Si eſt pauper,& indigens,non peccauit mortaliter, nec tenetur illud reſtituere.Si verò eſt diues,qui hæc facit, aut aliunde habet vnde competenter viuat, vel ſi egeat, poſſet ſibi laborando ſubuenire, peccat mortaliter,ſi eo animo de agro in agrum, de area in aream,aut de vinea in vineam diſcurrit, vt congreget notabilem quantitatem frumenti, & vini, & ad reſtitutionem ablatorum ipſis ſpoliatis tenetur.

3 Quarta verò opinio, quam ſequor, eſt Soti lib.5.de iuſt.q.3.ar.3.Cord.in ſum.q.70. P.Nauar.lib.3.de reſt.nu.56. Valen.tom.3.d. 5.q.10.p.5.Salon.2.2.q. 66. ar. 6. & aliorum qui docent quòd furari minima à pluribus etiam ſine animo acquirendi magnam quantitatem, cum iam peruentum eſt ad illam,& mortale eſt,& ſub mortali ſic ſurripientem ad reſtitutionem obligat, ſiue ſit diues, ſiue ſit pauper ſecluſa extrema, vel ſaltem graui neceſſitate, modo inuitis dominis id fiat.Ratio eſt,quia omnis quãtitas notabilis furti eſt peccatũ mortale,& ſub mortali reſtituenda, licet non damnificet multùm, ſicut furari decem aureos à Rege Hiſpaniarum, & peccatum mortale eſt, & reſtitutio illorum facienda eſt ſub mortali Regi,licèt non multum damnificet tale furtum Regem Hiſpaniæ.

Tum quia ſi omnes vnius viciniæ propter bellum, triticum ſuum in vnum cumulum aggregarent, proculdubiò ſi quis ex eo communi cumulo magnam quantitatem ſurriperet,& peccaret mortaliter, & ad reſtitutionem teneretur,ergo etiam ſi à ſingulis cumulis ſeorsùm, quid modicum ſurripiendo à quolibet,magnam quantitatem ſurripuiſſet:quia alias ſequeretur poſſe venditores mercium ſine mortali decipere ſingulos emptores in modico defraudando, quod eſt omnino falſum:

4 Nec valet diſtinctio Medinæ,eſſe enim pauperem,ſecluſa extrema, aut graui ſaltem neceſſitate, non tollit malitiam furti, quod commiſſum à diuite eſſet mortale, cum extra hos caſus, nemo ius habeat accipiendi alienum.

Verùm ſententia Medinæ teneri poteſt, primò ſi illius hominis conditio ſit, vt alij teneantur ei ſubuenire, vt rectè annotauit Angel. verb. furtum num. 37. & cum eo Armill.ibid.n.10.

Secundo quando conſtat illos,à quibus accipit,ſi noſſent hominis ſtatum,non fore inuitos circa rei ſubſtantiam, & ſi circa modum inuiti ſint.

5 Et ad argumentum primæ opinionis, quia difficile eſt, multi multa dicunt. Magiſter Sotus lib.5.de iuſt.q.3.ar.3.ad 3.affirmat quòd ſola quantitas ſi per ſe eſt magna ſiue ordine ad nocumentum, ſiue ab vno, ſiue à pluribus accipiatur, eſt per ſe ſufficiens conſtituere peccatum mortale.

Sed hæc reſponſio Soti (pace tanti viri ſit dictum)mihi non placet:quia non poteſt intelligi videlicet,quòd quis mortaliter iniuſtitiam committat, & tamen nulli notabiliter noceat.

Et ideò alij reſpondent,& dicunt quod ſi tunc nulli inferatur damnum notabile,hoc eſt per accidens, quia ſunt plures, tamen per ſe, & ex natura rei talis acceptio eſt illatiua damni notabilis, atque ex conſequenti peccatum mortale reſtitutioni obnoxium.

6 Sed nec hæc reſponſio ſatisfacit, quia licèt acceptio illa ſit ex ſe damnificatiua, ſi tamen de facto non nocet, non inducit obligationem reſtituendi: ſicut qui gladio percutit,quem lædere non potuit niſi leuiter,vel quia erat armatus,vel alia de cauſa non tenetur ad reſtitutionem,vt homicida, quamuis eius actio ex natura ſua erat illatiua mortis.

7 Quocirca Arag.2.2.q.66.ar.6.dicit quòd licet qui à pluribus grandem ſummam accipiunt, nulli in particulari iniuriam notabilem faciant, toti tamen Reipublicæ grauiſſimum irrogant nocumentum, dum ſine labore,& induſtria abſque peccato, & nexu reſtitutionis,licèt aliena ſurripiendo,viuere:nullus. n. eſſet, qui artes, & exercitia honeſta quæreret,ſed omnes furtis, & rapinis aſſueſcerent, ex quo graue damnum, & pernicies Reipublicæ ſequeretur, quare dictamen rectæ rationis dictat id nullo modo eſſe faciendum.

Tum quia, multis inferre paruum damnum,moraliter perinde eſt,ac ſi vni inferas magnum,nam omnia illa parua ſimul iuncta efficiunt vnum magnum,quod eſt illius communitatis.

8 Nec

8 Nec obſtat, quòd ſinguli vix ſentiunt aliquid incommodi, quia & ſi nemo in particulari ſentiat: tamen reſpectu communitatis eſt notabile incommodum, quia tali ſumma poteſt Reſpublica aliquem notabiliter ditare, vel aliquod debitum ſoluere.

QVÆSTIO LXV.

Quomodo in tali caſu facienda ſit reſtitutio?

1 REſpondeo, ſi Domini, facta diligenti inquiſitione, nō inueniuntur, Chriſto qui eſt hæres vniuerſorum in ſuis pauperibus faciēda eſt reſtitutio. Si autem Domini ſunt certi, vnicuiq; debet ſua pars minima reſtitui, quo aduſque quantitas, quæ apud ipſum manet, non ſit notabilis, vt rectè docet Arag. 2.2.q.66. art.6. Quod intellige ſi commodè hoc fieri poteſt, quod ſi non poſſit, quia executio eſt difficilis, vel quia eſt periculum infamiæ, iniungendum eſt illi à confeſſario, vt in opera pia diſtribuat.

QVÆSTIO LXVI.

An iſtis caſibus prædictis teneatur Titius reſtituere omnem ſummam quam eſt furatus, an verò ad vitandum mortale peccatum, ſatis ſit reſtituere partem pecuniæ, quæ ſimul cum alia furtum graue faciebat? Perinde eſt, ac ſi quæreretur, an poſito caſu, quòd ſumma quatuor argenteorum efficiat peccatum mortale, & Titius paulatim ab eodem accipiat vſque ad tres, & tandem accipiat quartum, in quo vt diximus conſiſtit peccatum mortale, teneatur ſub mortali omnes quatuor argenteos reſtituere, an verò ſatisfaciat ſoluendo quartum vt peccatum mortale vitetur, etiamſi reliquos tres retineat?

1 MEd.C.de reſt.q.10.& Cord.in ſum. qu. 70. tenent, hunc obligari ſub mortali totam ſummam reſtituere, quia moraliter loquendo perinde eſt, ac ſi omnes quatuor ſimul accepiſſet, quæ ſumma vt diximus ſatis eſt conſtituere peccatum mortale in genere furti, ſed ſi omnes quatuor ſimul furriperentur, omnes reſtitui deberēt, ergo & in noſtro caſu, nihil enim refert, vt ait D.Hier. paulatim, vel ſimul quemquam interimas, aut ſpolies. Et pro hac ſua opinione Cord. citat Sotum lib.5 de Iuſt.quæſt.3.art.3. ad 3.& in 4.diſtin.22. quæſt.1.art.2.

2 At Petr.Nauar.lib.3.de reſt.n.60.& Mol. tom.3. de Iuſt. diſp.688. probabilius affirmant excuſari à mortali, ſi vnum tantùm argenteum reſtituat. Ratio eſt, quia Titius non tenetur ſub mortali, niſi auferre damnum notabile proximo, ſed ſoluto vno argenteo remouetur damnum notabile, nam vt ſupponimus, tres non conſtituunt materiam grauem in materia furti, ergo &c.

Tum quia Titius ſurripiendo illum quartum argenteum peccauit mortaliter, quia ille cum aliis tribus conſtituebat materiā notabilem, ergo reſtituendo illum, excuſatur à peccato mortali, cum non damnificet notabiliter proximum ſuum.

3 Et confirmatur, ſi furari tria tantum eſt veniale peccatum, ergo totidem retinere aliis reſtitutis, ſolùm erit veniale peccatū.

Et ad argumentum in contrarium adductum reſpondeo, quòd eadem eſt ratio de eo qui omnes quatuor argenteos ſimul ſurriperet, peccaret quidem mortaliter, ſi tamen vnum reſtitueret, cū reliqui tres non conſtituant damnū notabile, non remanet obligatus eos reſtituere, quia obligatio reſtituendi ſub mortali incurri non poteſt abſque mortali culpa, & damno notabili illato proximo.

4 Hic tamen duo notare oportet. Primum eſt, maiorem quantitatem requiri ad conſtituendum peccatum mortale, & obligationem reſtituendi ſub mortali, quando quis à diuerſis minuta furatur, quam quando furatur ab vno, & eodem homine. Ratio eſt, quia diuerſi illi parum læduntur, nec ita curant rerum minutarum reſtitutionem, vt egregiè more ſolito docet Mol. tom.3.de Iuſt.diſp.689. qui addit duplum, aut pluſquam duplum requiri ad lethalem culpam in eiuſmodi furtis multis, factis per minima ex ſingulis, quam in furto facto in bonis vnius & eiuſdem.

5 Secundum quod notari oportet, eſt, quod minor ſumma requiritur ad conſtituendum furtum mortiferum, quando quis ſimul furatur à multis, aut intra breue tēpus, atque animo coaceruandi quantitatem notabilem de bonis aliorum, quam ſi longo tempore à pluribus perſonis modicum quid acciperet ſine animo perueniendi ad ſummam notabilem. Ratio eſt, quia Domini magis ſunt inuti, illis prioribus modis

Digitized by Google

modis furandi,quam his poſterioribus.

Hinc,non facilè condemnaret Mol. culpæ lethalis eum, qui abſque animo coaceruandi ſummam notabilem per minuta intra longum tempus furatus eſſet à diuerſis,à ſingulis tamen modicum,valorem ſex,aut octo iuliorum.Hæc igitur ſunt,quæ erga furtum obſeruanda ſunt.

DE PRÆSCRIPTIONE

DISPVTATIO TERTIA.

DE hac materia diſputant Theologi in 4.diſp.15. D.Tho.in quod libeto 12.qu. 16.art.24.Sotus lib. 4.deIuſt.q.5.ar.4.Tolet.lib.5. ſuæ ſum.cap.26.Ban.2.2. q.62.art.5.Adrian.in 4. in materia de reſt.q. de præſcriptione.Molina tom.1.de Iuſt.diſp. 69. Valent. tom.3. d.5.q.6.p.5.Arag.2.2.q.62.art.5.Leſſ.lib.2.de Iuſt.c.6.dub.14. Med. C.de reſt.q.16. & 17. Couar.in Reg. poſſeſſor de reg. iuris in 6. Lop.p.p.inſtruct.conf. cap.133.Ledeſm.2.p. q.18.ar.1.dub.14.Barth.Med.lib.1.inſtr.conf. cap.14.§.30.Nauar.in Man.cap. 17. num.85. & alij. Summiſtæ verò vt Angel. Sylueſt. Tabien. Armil.& plerique alij verb. præſcriptio,& verb.vſu capio.

1 Et vt ab Etymologia nominis exordiamur, præſcriptio vt Nauar. cap.17.num.85. & Couar.in Regula poſſeſſor.p.1.in principio optimè annotarunt,idem eſt,quod exceptio, eſtque præſcribere id ipſum quod exceptionem agenti,ſeu petenti opponere: in qua ſignificatione vſi ſunt hac voce Inſtitutores Ceſaræi iuris. Vſu autem Doctorum apud Theologos, & Iuriſperitos præſcribere eſt idem, quod acquirere Dominium per continuationem temporis à lege definiti, & hac ſignificatione vſi ſunt ſumi Pontifices in ſacris Canonibus. Idem quoque ſignificat vſu capio,ſi hanc vocem prima ſua origine ſpectemus,quia propriè vſu capere eſt rem aliquam per vſum illius ſibi capere & vendicare.Et vt præfati Authores tradunt,idem eſt præſcriptio,& vſu capio, & ſolùm inter ſe differunt, quod præſcriptio verſatur circa res immobiles, vſu capio verò circa mobiles, & eas quæ vſu conſumuntur, & quia diuturnior tempore præſcribitur res quam vſu capitur: nam in præſcriptione eſt decennium, vel vicennium, in vſucapione autem eſt triennium, vel quatennium. In iure tamen canonico, & apud interpretes iuris vtriuſque vſurpatiſſima eſt præſcriptionis vox pro acquiſitione Dominij, modo, & tempore ad id legitimè requiſitis,qua etiã ſignificatione nos illa in poſterum vtemur, in cuius explicationis gratiam, primò inquirendum eſt.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Præſcriptio?

1 REſpondeo, quod eſt acquiſitio Dominij rerum immobilium per continuationem temporis à lege definiti.

In qua definitione tres ſunt partes.Prima eſt,(Dominij acquiſitio) quia ex præſcriptione aliquis fit Dominus eius, quod ſuum non erat.

Secunda eſt,(rerum immobilium)quæ ponitur ad differentiam vſucapionis, quæ etiam eſt acquiſitio Dominij, ſed rerum mobilium.

2 Tertia eſt, (per continuationem temporis à lege definiti)ad denotandum quod tale Dominium acquiritur, non per emptionem, vel alium contractum,ſed per cõtinuationem poſſeſſionis per ſpatium temporis à lege conſtituti.

QVÆSTIO II.

Quotnam ſint conditiones, quæ communi conſenſu Doctorum requiruntur, vt præſcriptio iure Pontificio ſit legitima?

1 REſp. quinque. Prima eſt vera, & propria poſſeſſio actualis rei præſcribendæ. Nam ſine poſſeſſione ciuili non præſcribitur,vt habet Regula iuris de poſſeſſ. neque vſucapitur lege ſine poſſeſſione ff.de vſucapione. Vnde qui poſſidere non poſſunt ſuo nomine, non poſſunt præſcribere. Et ratio eſt, quia præſcriptio eſt acquiſitio Dominij per poſſeſſionem legiti-

[illegible] ex legis præscripto conti-
[illegible]

[illegible] Religiosi non possunt quidquam [illegible] seu vitiosè, quia nihil possunt [illegible] suo possidere. Quod intellige [illegible] in singulari, non in Monasteria, [illegible] ex Priuilegio, in communi possidere & præscribere.

[illegible] Ecclesiastici præscribere non possunt [illegible] loca religiosa, vt decimarum, [illegible] oblationem: at alia spiritualia [illegible], quæ ea possidere non possunt, etiamsi mala animo transferunt.

Hinc, nec filij familias, nec serui, nec [illegible] capti, nec coloni, nec qui rem precario habet, nec creditores, quibus pignus [illegible] quod commissum est, nec qui Emphyteusim, nec qui in feudi rē accipit: nec cō [illegible], nec qui rem apud se depositam, vel [illegible] datam habent: nec Tutores, nec Curatores, possunt aliquo tempore rem [illegible] acceptam præscribere. Quorum omnium ea est ratio, quia de ratione præscriptionis est possessio ciuilis: hi autem prænominati, aut possidere ciuiliter non possunt, aut non possident nomine suo. Possunt tamen, & si non sibi saltem his, qui per eos possident, præscribere.

Secunda conditio est, vt res, quæ præscribenda est, sit talis naturæ, vt a lege præscribi non prohibeatur. Nam in iure hæc omnia prohibentur præscribi, homo liber, seruus fugitiuus, res vitiosæ, vt furtiuæ, res vi possessæ, res sacræ, res Religiosæ, exemptio ab obedientia superioris, res vsibus publicis deputatæ vt forum, via publica, Pons, ius decimarum, limites Prouinciarum, Episcopatuum, & Parochiarum, res indiuisa communis pluribus. De quibus vide Sylueit. verb. præscriptio, Lessius lib. 2. de Iust. cap. 6. dub. 15. & Molina tom. 1. de Iust. disp. 69.

4 Tertia conditio est, vt res possideatur legitimo titulo, bono, aut probabiliter præsumpto. Est autem titulus actus, quo Dominium trāsferri solet, vt emptio, permutatio, donatio, hæreditatio, & huiusmodi. Hic dicitur titulus bonus seu iustus, quia dat causam sufficientem ad præscribendum, licet ex parte rei non sit iustus, sed præsumptus. Vt qui bona fide rem emit à latrone, quem tamen putabat esse legitimum Dominum rei illius, talis emptio quamuis non sit sufficiens causa ad transferendum Dominium, esto accedat actualis traditio, præsumitur tamen talis, interim dum bona fides adest: & possidere censetur titulo non bono, sed præsumpto.

5 Ad præscribendū igitur non requiritur verus titulus, cum is qui vero titulo aliquid possidet, re vera Dominium, vel quasi Dominium habeat, ac proinde in ordine ad id quod ita possidet, non indigeat præscriptione, sed satis est titulus, qui licet non sit verus, probabiliter tamen talis præsumitur, qui licet ex se insufficiens sit ad transferendum Dominium, sufficiens tamen est ad certo quodam tempore præscribendum rem, quæ ita possidetur. Et hæc conditio solùm necessaria est in præscriptionibus decem, aut viginti annorum, quæ ordinariæ sunt, non autem in præscriptionibus longissimi temporis, nempe triginta, quadraginta, vel centum annorum in quibus sufficit bona fides, Couar. in Regula possessor p. 2. §. 5. Ban. 2. 2. q. 62. art. 5. & alij.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit necessaria ad bonum, seu iustum titulum?

1 REspondeo duo. Primum, vt sit talis actio, quæ trāsferat rei Dominium in habentis potestatem, quando autem non transfert, non est bonus titulus.

Hinc, possidens rem inuentam, non præscribit: quia detentio rei inuentæ nunquā transfert Dominium.

Hinc, vsurarius, fur, & qui scienter à fure emit, & qui habet ea, quæ per sententiam iniustam, vel alio iniusto titulo acquisiuit, nunquam præscribit. Et ratio est quia tales actiones non transferunt verum Dominium rei.

Alterum est, vt in perpetuum transferat, id est sic faciat Dominum rei, vt ipsum non obliget ad restituendum.

2 Hinc, mutuata, locata, impignorata, commodata, & id genus alia, quia non trāseunt in Dominium perpetuum, quia soluenda sunt, ob id non possunt præscribi.

Quarta conditio est continuatio huius possessionis per totum spatium temporis à lege præfinitum, adeo vt nec per horam interrumpatur. Vt si Lex decennium statuit illam continuis decem annis possidere debet. Quare qui finito quinquennio rem

iustè

iustè distraheret, & postea per aliud quinquennium possideret:non præscriberet.

Dixi (iustè) quia si iniustè illa spoliaretur, non desinet illam reuera possidere, cum semper sit verus Dominus.

3 Quinta, & vltima conditio est, vt res possideatur bona fide, id est vt toto tempore præscriptionis possidens non sit rei alienæ conscius,quia vt habetur in Regula iuris, possessor malæ fidei nunquam præscribit.Accipitur autem fides pro conscientia, & existimatione, qua quis rem, quam possidet, iudicat omnino esse suam, pro vt sumitur Rom. 14. cum Apostolus ait omne quod non est ex fide, peccatum est. Est autem bona fides tranquilla conscientia, quod illa res,quam possidet,non sit aliena, quæ debet esse continua,& non interrupta per totum tempus à lege ad præscribendum constitutum: vbi tamen intercedit mala fides, ita interrumpitur præscriptio præcedens,vt si postea accedat bona fides, non potest prior præscriptio continuari, sed opus est de nouo integram præscriptionem ab initio inchoari. Sin autem in medio tempore aduenirет mala fides, si postea cesset ex eo quod apparet fuisse scrupulum,& non malam fidem continuabitur præscriptio, & non interrumpetur. Ita Couar. in Regula possessor p.2.§. 12. n. 2. Sylvest. verb. præscriptio 1. quæst. 3. & alij communiter.

4 Ex quo sequitur possessorem malæ fidei nunquam posse præscribere, & leges ciuiles id admittentes, per sanctiones Pontificias esse omnino abrogatas in vtroque foro, pro vt illas de facto reuocarunt Alex. III. in cap. illo vigilanti. Bonifacius VIII. in illa Reg. possessor malæ fidei. & Innoc. III. vna cum Conc. Lateran.in cap. fin. de præscriptione. Nec audiendus est in hoc Adr.in 4.in materia de rest.quæst.de præscriptione,quem reiiciunt Sotus lib.4. quæ. 5.art.4.Couar.in Reg.possessor.p.2.§.11.n.4. Valent.tom.3. disp.5.quæst.6.p.5.Med. C.de rest.quæst.17.Ban.2.2.quæst.62.art.5. & alij. Et meritò quidem, quia possessor malæ fidei est, qui conscius est, aut prudenter dubitat rem quam possidet, non esse suam; sumitur enim fides hic pro dictamine cõscientiæ,iuxta illud Pauli.Quod non est ex fide, id est conscientiæ inconcors, peccatum est; peccatum autem nemini debet suffragari maximè in perniciem alterius, ergo possessor malæ fidei non potest acquirere Dominium rei alienæ.

QVÆST. IV.

An habens dubiam conscientiam, an res quam possidet sit propria, vel aliena, possit licitè præscribere?

1 Silvest. verb. præscriptio 1. quæst. 3. Couar.in Reg.possessor. p.2.§.7.nu.3. & 4.Valent. tom.3. disp.5. q. 6.p.5. Molina tom.1.de Iust. d. 63. & alij docent dubitationem,qua quis hæsitat,an res quam possidet sit sua,nec ne,non impedire præscriptionem, cum non tollat bonam fidem quæ est fundamentum præscriptionis. Vnde quamuis qui dubitat, non possit bona fide incipere præscriptionẽ, tamen si à principio sine vlla dubitatione incipit possidere, quamuis postea accedat dubitatio, num aliena sit, non tollitur bona fides, nec impeditur præscriptio.

2 Ang.verb.præscriptio num.4. distinguit aut qui ita hæsitat, habet iustam causam dubitandi, aut leuem, & momentaneam,si hanc,non impedit, quin præscribat, sicut qui leuiter dubitat de fide, & non fixè, & deliberatè, non est hæreticus. Si verò habeat grauem, & iustam causam dubitandi non præscribit, quia iura requirunt, non solùm quod possidens non sit in mala fide, sed quod sit in bona:dubius autem rationabiliter,& si non sit in mala fide, non tamen est in bona. Additque hoc esse verum quoad præscriptionem rei, quia respectu fructuum lucrandorum satis est,non habere malam fidem.

Adrian.in 4.in materia de rest.quæst.de præscriptione, & in quod lib.2. duo dicit. Primò, quod possessor hæsitans sit ne res propria,vel aliena,non potest sine peccato possidere illam tanquam propriam,ac subinde nec præscribere.

3 Secundò dicit quod si rem, de qua hæsitat, an sit sua, detineat non vt possessor, sed vt depositarius, donec appareat Dominus rei, quem diligenter proponit inquirere, tunc si post factam diligentiam verus Dominus non inuenitur,non obstante tali dubitatione, potest bona conscientia, & fide continuare possessionem, ac præscribere.

Magist. Sotus lib.4. quæst.5.art. 4. dicit tria.

Digitized by Google

Primo si dubium sit leue, non esse curandum: si verò graue, & iustum, per [illegible], quia sic dubitans iam nō [illegible] & securam conscientiam, [illegible] bona fides, sed læsam, & [illegible].

Secundo dico, quod sic dubitans tenetur [illegible] diligentem inquisitionem, alioquin peccaret mortaliter, nec posset rem [illegible].

Tertio dico, quod si facta diligenti inquisitione maneat dubius, tenetur [illegible] ad dandendum rem illi [illegible] eo de quo dubitat, an sit verus [illegible] Dominus: quod si nullus constiterit [illegible], cum pauperibus.

Huius tamen quæstionis decisione [illegible] est primo quod dubius dicitur, qui est incertus, & habet rationes in [illegible] partem, quarum ratione neutri [illegible] præstat.

Secundo est obseruandum, quòd dubium duplex esse potest, speculatiuum scilicet quod contingit, quoties qui mente, & animo hæsitat de re aliqua quo ad eius qualitatem, & conditionem, nimirum sit ne sua, an non. Et practicum, quod est, cum quis non solùm in genere de rei qualitate, & conditione hæsitat, sed etiam, an liceat ei agere actum illum id est an etiam teneatur illam reddere alteri, vel possit eam retinere. Quæ dubia vt author est Nauar. in prælud. 9. n. 9. ita se habent, vt manente dubio speculatiue, possit cessare practicum, & conscientia esse tota. v.g. dubitat Iurisperitus in genere, an liceat Iurisperitis dubius festis consulere, quod dubium est speculatiuum, & simul cum eo potest habere hoc Iudicium practicum verum, & certum, possum nihilominus hoc die festo hoc consilium petenti dare.

6 His factis fundamentis, dico primò, quod dubitatio momentanea seu vacillans & scrupulosa, qua quis agitatur, an res quam possidet sit sua, an alterius nō interrumpit præscriptionem etiam si huiusmodi scrupulus seu trepidatio sine argumentis sufficientibus multum possidentis animum solliciet. Et ratio est, quia cum huiusmodi dubitatio sit inculpata, non videtur impedire præscriptionem, cum non tollat bonam fidem.

7 Secundò dico quod ad inchoandam præscriptionem non satis est, si quis rem possidere incipiat cum dubio probabili an res sit sua, vel alterius, sed opus est bona fide, qua omnino iudicat ré esse suâ. Et ratio est, quia qui in dubio est an res aliqua sua sit, an non incipit eam possidere, peccat, quia in casu dubij vt habetur ex Reg. iuris, melior est conditio possidentis. Et est conclusio definita in lege bonæ fidei ff. de acquiren. rerum Dominio, vbi dicitur apertè, emptorem bonæ fidei, & non dubiæ præscribere.

Tertio dico, quod ad præscribendum satis est, ac sufficit fides, & moralis certitudo, quod quis rem, quam possidet pro certo existimet esse suam, quamuis Metaphysicè non sit certus. Et ratio est, quia in rebus humanis satis est certitudo illa, quā rei natura patitur, ergo quemadmodum in aliis contractibus humanis requiritur, & sufficit certitudo moralis iuxta rei, & actionis naturam, & qualitatem, ita etiam in præscriptione certitudo ista sufficiet. Ita Molina tom. 1. de Iust. disp. 63. & Val. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. pag. 5.

8 Quartò dico quòd qui bona fide rem possidere, ac præscribere incepit, deinde verò progressu temporis incipit iustè, & grauiter hæsitare, an res à se possessa sit sua an non, nec adhibet diligentiam ad inquirendum verum rei Dominum, non solùm non præscribit, sed etiam peccat contra Iustitiam.

Prima pars constat ex eo quod ad præscribendum requiritur conscientia sana, & illæsa, sed qui iustè, & rationabiliter dubitat, an res sit sua, vel alterius, & non inquirit diligenter, vt deprehendat quis sit verus Dominus illius rei non habet conscientiā sanam, sed læsam, ergo non præscribit.

Secunda verò pars probatur, nam qui probabiliter de re aliqua dubius est, tenetur omni modo possibili inuestigare veritatem, alioquin haberet ignorantiam culpabilem, & exponeret se periculo retinendi rem alienam. Ita Sot. lib. 4. quæst. 5. art. 4. & Molina dist. 63.

9 Quinto, & vltimo dico, quòd qui bona fide rem possidet, & postea probabili coniectura dubitat, sit ne res propria, vel aliena, adhibet tamen moralem diligentiam ad inquirendam veritatem qua facta manet adhuc dubius, an res quam possidet sit sua: si dubium est æquale pro vtraque parte, iustè possidet rem totam integram, nec

per

per talem dubitationem (quidquid dicat Sotus) interrumpitur tempus præscriptionis: quamuis enim is speculatiuè sit dubius de conditione, & qualitate ipsius rei, nimirum sitne sua, vel alterius, moraliter tamen, & practicè certus est, se posse illam possidere, cum sit certus in dubiis meliorem esse conditionem possidentis. Si verò facta morali diligentia dubium non est æquale, sed inclinat magis in fauorem alterius, tunc durante tali conscientia nulla ratione potest præscribere, sed tenetur pro ratione maioris, vel potioris iuris, quod alter habet, restituere illi partem aliquam illius rei, quia tunc melior est conditio alterius non possidentis. Imò si ius possidentis adeò sit tenue, ac leue, vt appareat fere nullum, torũque ius competere alteri, qui non possidet, tunc is qui possidet, tenetur rem totam illi restituere. Ita Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. p. 5. Molina tom 1. disp. 63. Couar. in Reg. possessor p. 2. §. 7. num. 3. & 4. Sylvest. verb. præscriptio 1. q. 3. Eman. Sa in Aphor. conf. verb. præscriptio, Ban. & alij suprà.

10 Obijcies, qui cum dubio verisimili, sit ne res propria, vel aliena, possidet, habet conscientiam latam, sed qui habet conscientiam latam, nõ possidet bonam fidem, ergo cum tali dubio non potest præscribere.

Respondeo eum solùm habere conscientiam latam, qui prudenter dubitans an res sit sua, non statim inquirit diligenter Dominum: at verò qui statim extorto dubio inquirit veritatem, animaduertitque se habere maius, vel non minus ius quam alter nec conscientiam latam habet, nec peccat rem retinendo, quia non obstante tali speculatiuo dubio potest sibi persuadere se licitè possidere rem illam, cum non habeat minus ius ad illam, quam alter, & in dubijs melior est conditio possidentis.

11 Dices, faciens id de quo iustè quis dubitat, an sit peccatum mortale, an non peccat mortaliter. Sed possidens rem de qua prudenter dubitat, an sit propria, vel aliena facit opus, de quo probabiliter dubitat an sit peccatum mortale, ergo peccat mortaliter, & per consequens non præscribit.

Respondeo detinere rem, de qua dubitat, an sua sit, an non, nec curam adhibere, vt inueniatur verus eius Dominus, esse exercere actum, de quo dubitat an sit peccatum mortale, & consequenter peccare mortaliter; at qui possidet rem, de qua dubius est, an sit aliena, adhibuit tamen diligentiam, vt sciret veritatem, & ea facta inuenit se non habere minùs ius ad rem, quam alter, non exercet actum de quo dubitat, an sit peccatum mortale, quia quamuis speculatiuè sit dubius, tamen practicè potest sibi persuadere, se licitè possidere rem, cum pro comperto habeat in dubijs meliorem esse conditionem possidentis.

12 Ex dictis sequitur primò, eum non peccare qui facit contra conscientiam dubiã speculatiuè tantùm, quia nimirum circa conditionem ipsius rei dubitat, an sit propria, vel aliena; sed benè, qui facit contra conscientiam dubiam practicè circa proprium possidendi actum sitne is licitus an non, idque non accidit in proposito.

Secundò sequitur, quod bona fides vt incipiat præscriptio, omnino exigit vt quis pro comperto habeat rem esse suam, non autem bona fides requisita ad continuandam præscriptionem, nam ad hanc bonam fidem satis est, ac sufficit persuasio quod licitè rem possideat, etiam in dubio, num sit sua, eo quòd vt dictum est, melior est conditio possidentis. Vnde Couarr. in Reg. possessor. p. 2. §. 7. numer. 3. & 4. docet bonam fidem requisitam ad continuandam præscriptionem non interrumpi nisi per malam fidem, scilicet per opinionem, qua quis credit rem quam possidet esse alienam, atque adeò quod illicitè possideatur.

QVÆSTIO V.

An qui bona fide præscriptionem incepit, & postea ex ignorantia, & conscientia erronea dubitat, stante tali dubio, rem retinere, & præscribere possit?

1 AD hoc dico primò, quod durante tali inscitia, & conscientia erronea peccat rem illam detinendo. Et ratio est, quia qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

Secundo dico, quòd stando in solo iure naturali, communibusque legibus præscriptionis licet mala illa fides, ac error practicus in mente sufficiat, vt peccatum sit continuare possessionem cum ea conscientia

Digitized by Google

ſcientia vulnerata, non tamen ſatis eſt ad interrumpendam præſcriptionem. Ratio eſt, quia cum hoc ſolùm proueniat ex errore, inſcitiaue in exiſtimatione illa practica, cum tamen ex natura rei, exiſtente illo dubio ſpeculatiuo licitè continuari poſſit poſſeſſio, durum mihi videtur affirmare conſcientiam erroneam tollere ius, quod quis, ea ſecluſa verè, & realiter habebat. Vnde quamuis durante tali conſciẽtia erronea peccet, ea tamen depoſita, is qui poſſidet, præſcriptionem continuare poteſt.

Dixi notanter (ſtãdo in ſolo iure naturali. &c.) quia in lege ciuili, ſi fur. §. 1. ff. de vſucap. huius oppoſitum definitum eſt, ibi enim ſic dicitur. Si quis id quod poſſidet, non putet ſibi per leges licere vſucapere, dicendum eſt (etiam ſi erret) non procedere tamen eius vſucapionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in iure erranti non procedat vſucap. Ita Mol. to. 1. de iuſt. d. 63. & Couar. in Reg. poſſeſſor p. 2. §. 8. num. 5.

QVÆSTIO VI.

An ignorantia poſſeſſorem malæ fidei efficiat, ac proinde præſcriptionem impediat?

1 MEd. C. de reſt. q. 17. docet, quamuis ignorantiam inculpatam tam facti, quam iuris clari, vel obſcuri ſufficere ad præſcribendum in foro conſcientiæ.

2 At Cou. in Reg. poſſeſſor. q. 2. §. 7. cum quibuſdam aliis, quos citat, tenet ignorantiam iuris inuincibilem, licèt non ſufficiat ad præſcribendum intra tempus, quo cum titulo præſcribitur, ſufficere tamen ad præſcribendum intra tempus, quo ſine titulo præſcribi ſolet. Ratio ipſius eſt, quia cum eiuſmodi ignorantia malam fidem non inducat, certè quamuis titulum vitioſum reddat, ſufficiẽs tamen erit ad præſcribẽdũ rẽ tanto tẽpore, quãto, ſi nullus interueniſſet titulus cũ ſola bona fide præſcriberetur.

3 Pro huius tamen quæſtionis deciſione dico primò, quòd ad hoc vt quis ſit poſſeſſor bonæ fidei, & præſcribere poſſit, nõ ſufficit ſi credat ſuum eſſe, quod poſſidet, niſi rationabiliter id ſibi perſuadeat. Si. n. ex ignorantia craſſa, vel affectata id credat, minimè cenſetur poſſeſſor bonæ fidei, & per conſequens nec poteſt præſcribere, ſed ad reſtitutionem tenebitur. Ratio eſt, quia præſcriptio cuius poſſeſſio abſque culpa lethali cum tali fide peragi non poteſt, iure canonico reprobatur. Ita Med. C. de reſt. q. 17. & Mol. d. 64.

Secundò dico quòd iuris clari ignorantia non ſufficit ad præſcriptionem rei, etiã ſi ſit omninò inculpata. Et ratio eſt, quia in iure ciuili (cuius authoritate eſt præſcriptio introducta) definitum eſt iuris ignorantiã ad præſcriptionem non ſufficere. Ita habetur expreſsè in l. nunquã. ff. de vſucapionibus, & in l. ita iuris. ff. de iuris, & facti ignorantia, & tradit egregiè Mol. diſt. 64.

4 Tertiò dico quòd error inducens bonam fidem omninò ſufficientem ad præſcribẽdum regulariter eſt error facti, modo probabilis ſit, vt expreſsè habetur in l. citata iuris. ff. de iuris, & facti ignorantia. Cuius verba ſunt. Iuris ignorantia in præſcriptione negatur prodeſſe conſtat. Et in l. 2. §. ſi à pupillo ff. pro emptione, ſancitur, cum qui à pupillo ſine tutoris authoritate aliquid emit, ſi ignorauit pupillũ eſſe, poſſe id præſcribere, quia ignorantia fuit facti: ſecùs autem ſi ſciret eum pupillum, ignoraret tamen neceſſariam eſſe Tutoris authoritatem: tunc enim eſſet iuris ignorantia quæ præſcriptionem impedit.

5 Quartò, & vlt. dico, quòd ignorantia, vel error iuris valde obſcuri, & valdè dubij præſcriptionem non impedit. Et ratio eſt, quia quando ius aliquod eſt valdè obſcurũ, ſ. de quo vtrinque ſint multorũ ſentẽtiæ, prudẽter poſſumus in praxi vtramlibet ſequi, perinde ac ſi ius planũ eſſet. Ita Nau. lib. 1. conſ. 6. tit. de off. Iudicis. Sylueſt. verb. præſcriptio. §. 4. Mol. d. 64. & alij.

QVÆSTIO VII.

An ſi finita præſcriptione legitima, dominus rei inueniatur, is qui poſſidet, iure præſcriptionis poſſit illam in foro conſcientiæ retinere.

1 ADrianus in 4. in materia de reſtitut. quæſt. de præſcriptione, Roſell. verb. præſcriptio §. 14. Raymund. in ſua ſumma, & multi alij quos citat Sylueſt. verb. præſcriptio 1. §. 13. dicunt, quòd licèt quis bona fide poſſideat rem toto tempore à lege præſcripto, quoties tamen ſcuerit eam eſſe alienã, etiãſi tempus legis ſit elapſũ, tenetur in cõſciẽtia, eã vero domi-

no reſtituere,etiam ſi in foro fori ſibi fuerit adiudicata.Ratio Adriani eſt, quia fundamentum præſcriptionis eſt bona fides, qua ceſſante corruit præſcriptio;ceſſat autem bona fides , quando poſſidens credit rem,quam poſſidet alienã fuiſſe, quam ſuã eſſe putauerat , ergo reſtituere tenetur.

2 Alij arbitrantur poſſidentem teneri ad reſtitutionem rei legitimè præſcriptæ,ſi titulo gratioſo eam comparauit,vt per viam donationis,legati,aut ſucceſſionis ex teſtamento, vel ab inteſtato,non autem ſi titulo oneroſo,vt quia emit, aut permutatione acquiſiuit.

3 Communis tamen, tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia docet poſſeſſorẽ bonæ fidei legitimo præſcriptionis tempore elapſo, tuta conſcientia rem tanquam propriam poſſidere , ità vt quamuis poſtea ſciat non fuiſſe ſuam,non teneri illam priori domino reſtituere. Et ratio eſt, quia ſicut Princeps iuſtè poteſt impedire trãſlationẽ,dominij inalios inuitis propriis dominis quãdo ad bonum cõmune,& vtilitatem publicam expedit;ità quoq; poteſt transferre dominium in alios , quando ad bonum commune expedierit, ſed expedit maximè ad bonum commune, vt poſſeſſor bonæ fidei,interuenientibus certis quibuſdam conditionibus , quas ſummi Pontifices apponunt, rem quam poſſidet,præſcribat, dominiumqne illius conſequatur,ergò non ſolùm in foro exteriori , ſed etiam in foro conſcientiæ per præſcriptionem legitimum transfertur dominium.

Maior propoſitio per ſe conſtat. Minor verò probatur ex l. 1.de vſucapion.&c.vbi ſic habetur. Bono publico introducta eſt vſucapio ſeu præſcriptio,ne diu,& ferè incerta eſſent dominia rerum , cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium.

4 Et eſt concluſio definita à ſummis Põtificibus.ſ. Alexandro iij cap. vigil. Bonifacio viij. in illa Regula poſſeſſor malæ fidei Innocentio iij. cum Conc. Lateranenſi in cap.fin.de præſcrip. vbi cõſulti. an poſſeſſor malæ fidei præſcribat,& ſit tutus in conſcientia,reſponderunt,negatiuè: ſimulque afferunt illum qui bona fide poſſidet, iuſtè præſcribere. Hoc idem docuit S.Tho. quodlib. 12. q. 16. 2. 24. vbi ſic ait. Si quis præſcribat,bona fide poſſidẽdo,nõ tenetur ad reſtitutionem , etiam , ſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem : quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua,& illã alteri dare, & concedere.Idem tradit Scot in 4. d.15. q. 2.Valent. tom.3.d.5.q. 6. p.5. Mol.tom.1. de iuſt.d.61. Cajet.in ſum.verb.præſcript.Couar.inReg. poſſeſſor.p.3.§.2.nũ.1.& 2.& alij cõmuniter

5 Et ad argumentum Adriani reſp. bonã fidem toto tempore ad præſcribendum cõceſſo , antequam dominium priuilegio legis acquiratur,eſſe fundamentum præſcriptionis : cognitionem vero ſuperuenientẽ poſt rem præſcriptam, & dominium illius comparatum , quod res illa ante præſcriptionem fuerit aliena,quam ſuam eſſe putauerat nihil obſtare præſcriptioni iam peractæ, neque illam reuocare.

QVÆSTIO VIII.

An in caſu quo dominus non fuit negligens in re ſua inquirenda , & recuperanda, qui bona fide durante toto tempore ad præſcribendum præſcripto eam poſſedit , ſit tutus in conſcientia, quamvis elapſo præſcriptionis tempore reſciuerit alienam eſſe eam rem quam poſſidet?

1 ADrian.in 4.quæſt.de præſcriptione, Med.C.de reſtitut.q.18. Roſel.verb. præſcriptio, Angles in 4. ſentent. tractatu de dominio & nonnulli alij dicunt duo. Primò,quod quãdo is aduerſus quem præſcribitur,fuit negligẽs negligentia mortali in repetendis ſuis bonis, & præſcribens bona fide , & titulo habuit poſſeſſionem, tunc peracto præſcriptionis tempore ad reſtitutionem non tenetur.

2 Secũdò dicunt quòd quando prior dominus toto præſcriptionis tempore à lege definito fuit iuſtè impeditus, vel ignorãtia inculpabili , vel alio iuſto impedimento, quo minus rem ſuam ab alio poſſeſſam repeteret , tunc poſſidens licet in foro exteriori præſcribat,in foro tamen animæ, etiam finita præſcriptione, ſi fuerit rei alienæ conſcius ad reſtitutionem tenebitur, dummodo tamen res conſumpta non ſit,ſi verò res vſu conſumpta ſit,ſolũ tenetur ad id quo factus eſt ditior. Et probant , quia acquiſitio rei alienæ per præſcriptionem introducta eſt lege ciuili ad puniendum negligentiã domini, qui tanto tempore rẽ

ſuam

ſuam neglexit, vt habetur in c.vigil. ergo quando dominus in re ſua inquirenda non peccauit mortaliter, non eſt puniendus pœna tam graui, quàm eſt rei propriæ amiſſio.

1 Huius etiam opinionis videtur eſſe D. Thom. in quodlib.12. quæſt. 16.ar. 14.Scot. in 4.d.15.q.2.Gabr.ibidem quæſt.14.ar.3.Caſ. lib.2.de leg.pœnali.c.5. & Conrad.de contractib. dum aſtruũt legem præſcriptionis fuiſſe introductam in pœnam negligentiæ domini, cuius res illa erat.

4 Contraria tamen, & vera ſententia tãquam orthodoxa fides, eſt amplectẽda,nẽpè,eſto nulla adſit negligẽtia ex parte eius aduerſus quem præſcribitur, ſi tamen res præſcribatur interuenientibus conditionibus omnibus ad legitimam præſcriptionem requiſitis,eum,qui illam præſcripſit eo ipſo legis priuilegio comparare dominium illius,quamuis poſtea tranſacto præſcriptionis tempore inueniat rem quam poſſidet fuiſſe alterius. Ita enim tenent Illuſtriſſ. Caiet. in ſum.ver.præſcriptio. Sot. lib.4.q.5.art.4.Leſſ. lib.2.de iuſt.cap.6.dub. 17.Molina tom.1.de iuſt. diſp.61.Ban.& alij communiter.

Et ratio huius eſt,quia ſi negligentia lethalis eſſet neceſſaria,vt lex præſcriptionis in foro animæ vim haberet, rarò tunc accideret,vt per præſcriptionẽ transferrentur dominia,cum prodigalitas in negligendis propriis bonis temporalibus ex ſuo genere non ſit mortalis culpa, niſi fortè per accidens ob aliquam circumſtantiam ſit peccatum mortale, vt ſi eiuſmodi bonis familia ſuſtentanda ſit.

5 Tum quia leges ciuiles ſolum reddunt cauſam legis iuſtæ præſcriptionis, ne rerũ dominia diu maneant incerta, & vt via litibus præcludatur,nihil verò de punienda negligentia prioris domini meminerunt;& licet aliquam negligentiam reprehendant, ea tamen tanquam cauſa acceſſoria, & vt finis legis minus principalis adducitur, quo ſecluſo lex præſcriptionis etiam tunc temporis vim habet.

Et vt rectè notat Felinus, ibi non ſumitur negligẽtia pro culpa propriè,ſed pro nuda & ſimplici negatione inquiſitionis rei ſuæ,ſiue culpabilis ſit, ſiue non.

Tandem eſt concluſio definita à Gelaſio Papa, & Conc.Tolet. 16.q.3.& in Can. Aug.ſi virgo 14.q.vnica, & de præſcriptione can.ſanctorum.

6 Et ad argumentum in contrarium adductum reſpondeo negando maiorem propoſitionem, & ratio negationis eſt, quia nec ſolùm, nec principaliter in pœnam negligentiæ prioris domini introducta eſt lex præſcriptionis, ſed propterea maximè ne rerum dominia diu, & ferè ſemper maneant incerta,& vt ſit finis litium, & firmior pax in Republica.

QVÆSTIO IX.

An res furtiuæ præſcribi poſſint tempore ordinario?

1 SOtus lib.4. de iuſtitia, & iure q.5.ar. 4.affirmat poſſe.

2 Sed hoc non obſtante cõcors eſt Theologorum ſententia, Molinæ tom.1. de iuſt. diſp. 75. Medina C. de reſtitut. quæſt. 16. Salon.2.2.quæſt.62.de dominio,& omnium recentiorum, rem vitioſam,quæ per furtũ, aut vim eſt acquiſita, præſcribi non poſſe à fure.vel ab eo qui per vim poſſeſſionem occupauit, ſed etiam à quocunq; alio,qui bona fide ab eis eam emit, aut quocunq; alio iuſto titulo bona fide eam poſſedit.Ita habetur Inſt.de vſucap.§.furtiue & in l.vitia de acquirenda, & retinenda &c. vbi dicitur quòd vitium reale quale eſt, rem eſſe furtiuam, vel vi poſſeſſam deſcendit in omnem ſucceſſorem. Quod eſt intelligendum de præſcriptione longi temporis,triennij, decennij, aut viginti annorum.de qua ſola ibi fit ſermo; ſecùs autẽ de præſcriptione longiſſimi temporis triginta, aut quadraginta annorum iuxta l. omnes,& l. ſicut in rem C.de præſcriptione triginta annorum:fundamentum huius eſt quia hęc præſcriptio tringinta,aut quadraginta annorum titulum non requirit, ſed tantùm bonam fidem, quæ ſi adſit hæredi latronis,aut ementi à latrone, ſpacio triginta, vel plurium annorum facit,vt res illa præſcribi poſſit. Vndè quando leges dicunt rem furtiuam eſſe inpræſcriptibilẽ loquuntur de præſcriptione vſitati, vel lõgi temporis: poterit tamen præſcribere longiſſimo tẽpore triginta, vel quadraginta annorum, ſi toto illo tempore accideret latronem habere bonam fidem, quandoquidem vt habetur in l. omnes de præſcriptione, omnis actio poſt triginta, vel

quadraginta, annosextinguitur. quæ lex iustissima est, nō pœnalis, neque innixa falsæ præsumptioni. sed tribuens ius in conscientia, ne rerum dominia diu maneant incerta, & sic sit finis litium & contentionum in Republica.

3 Hinc qui emit rem furtiuam bona fide si spatio triginta annorum eadem, bona fide illam possideat, si postea inuenit fuisse alienam, ad nullam restitutionem tenetur.

Hinc emens à fure breuiarium, & possessum viginti nouē annis, tenetur emptor restituere, quia res furtiua non nisi triginta annis præscribi potest.

4 Hinc, qui à minori rem emit, quem sui iuris esse arbitrabatur, eámque rem tempore legitimo præscriptionis bona fide possedit, ad restituendam illam non tenetur. Et idem iudicium ferendum est de eo qui per tempus immemorabile decimas bona fide non soluit. Quia licet in iure Pōtificio cautum sit, vt vnusquisque soluat decimas Ecclesiæ, tempore tamen quadraginta annorum cum titulo, vel sine titulo tempore, de cuius initio non sit memoria, non solum clericus, sed etiam secularis exemptionem à decimis præscribere potest. Ita Molina disp. 75. & Couar. lib. 1. var. cap. 17. num. 10.

5 Est autem hic considerandum. quòd licet fur, & hæres ipsius, & qui ab illo rem emit, non possint præscribere rem furtiuā tempore ordinario, scilicet decem, aut viginti annorum, sed solùm tempore longissimo triginta, vel quadraginta annorū; fructus tamen rei furtiuæ possunt præscribere tempore ordinariò, ita vt si quis rem furto ablatam per decem, aut viginti annos possedit bona fide, tuta conscientia potest præscribere fructus illius, vt habetur expressè in l. bonæ fidei emptor ff. de acquirendo rerum dominio vbi dicitur Qui non potest præscribere propter rei vitium, fructus tamen rei faciet suos. Perinde est, ac si diceret, is qui non potest præscribere tēpore ordinario, s. decem aut viginti annorum rem vitiosā. s. vi, vel furto ablatam, fructus tamē illius facit suos temporis vsitati præscriptione. Ita Bannes & Salon. 2. 2. q 62. de dominio.

6 Hinc, si Titius furatus est vrbem aliquā, filius hæres illius non potest tuta conscientia sibi præscribere vrbem illam, quam bona fide recipit, tanquam rem verè patris sui, nisi spatio longissimi temporis; nempe triginta, vel quadraginta annorum durante eadem bona fide illam possideat. Ceterum vrbis vsitato tempore. s. decem, aut viginti annorum fructus faciet suos, postquam possederit spatio vsitati, & longi temporis.

QVÆSTIO X.

An latro in aliquo casu possit habere bonam fidem, & per consequens præscribere?

1 REspōdeo posse. Et ratio est, quia potest in aliquo euentu sine culpa sua obliuisci rem suam esse furtiuam: sed hoc est de rarò contingentibus, de quo vide Sylvest. verb. præscriptio 1. §. 8. & 2. §. 12. Couar. in Reg. possessor p. 2. §. 9. & Salon. 2. 2. q. 62. tract. de dominio.

QVÆSTIO XI.

An qui succedit in re, possit complere præscriptionem apud anteriorem possessorem legitimè inceptam, neque consummatam, computando sibi annos anterioris possessoris?

1 PRo huius quæstionis decisione obseruandum est primo illum solū successorem appellari vniuersalem, qui simpliciter, & propriè est hæres alicuius, siue ex testamento, siue ab intestato: item siue solus sit hæres illius, siue simul cum aliis. Qui verò eo pacto hæredes sunt personā defuncti repræsentant. Legatarij verò, & ij hæredes qui legatariorum potius, quàm hæredum rationem habent: itemque quicunque alij siue viuis siue defunctis, in re aliqua succedunt, quocunq; titulo siue oneroso, vt emptionis, permutationis &c. siue lucratiuo vt donationis, legati &c. dicuntur successores particulares. Ita Moli. d. 65.

2 Quo posito dico primò, quòd si successor vniuersalis bona fide acquisiuit rem furtiuam à testatore mala fide eam possidēte, qui eam inuasit, eam licitè non præscribit, etiam si velit computare præscriptionem à tempore quo ipse bona fide cœpit possidere, idque siuè talis res immobilis sit, siue mobilis. Et ratio est, quia successor vniuersalis personam defuncti repræsentat, illique succedit in omnibus oneribus, eáque de causa quasi vna omnino reputatur possessio defuncti, & hæredis,

&

Digitized by Google

ſio defuncti, & hæredis, & quia illa vna poſſeſſio habuit vitioſum initium, tota poſſeſſio iuris fictione vitioſa reputatur, Et eſt concluſio definita in l. cum hæres. ff. de diuerſ. & temp. præſcrip. l. ſi mala fide C. communia de vſu cap. & §. diutina Inſt. de vſucap.

Dixi notanter (ſucceſſor vniuerſalis) ad deſignandum quòd qui ſuccedit in aliqua parte furtiua bona fide, poteſt præſcribere dummodo toto tempore à lege præſcriptionis ſtatuto, ſit bonæ fidei poſſeſſor, & currat per ſpatium triginta, aut quadraginta annorum. Ita Sylueſt. verb. præſcriptio 1. q. 18. & Mol. d. 65.

3 Secundò dico quòd quando quis bona fide inchoauit præſcriptionem, nec cõſũmare potuit, eò quòd prçuentus eſt morte, vt ſi ceſſit ius alteri illius rei, ſiue is ſit particularis, ſiue vniuerſalis ſucceſſor, tunc ſucceſſor eius in illa potent ſibi computare tempus, quo ſuus prædeceſſor poſſedit eam ad ſuam conſunmandum præſcriptionem. Ita enim expreſſè definitur in l. 19. tit. 29. partit. 3. & l. 1. tit. 5. 1. lib. 2. & tradit egregie Mol. d. 65.

4 Tertiò dico quòd ſi ſucceſſor rei furtiuæ, rem cum bona fide per hæreditatem adierit, ſi eadem bona fide alteri vendit emptor illius, bona fide ſpatio triginta, aut quadraginta annorũ eã præſcribere poteſt nõ vtendo acceſſione temporis poſſeſſionis teſtatoris, qui præſcribere non potuit. Imò ſi emptor emit à ſucceſſore, vel hærede vniuerſali vendente mala fide, ſi bona fide emerit, non interdicitur poſſe præſcribere, quia vt eleganter notat Sylu. licet mala fides teſtatoris noceat ſucceſſori, non tamen nocet ementi ab hærede. Ita Mol. diſt. 65. & Lop. p. p. inſt. confeſſ. ca. 133.

5 Quartò, & vltimò dico quòd hæres bonæ fidei, ſuccedens teſtatoris bonam fidem habenti, tuta conſcientia præſcribere poteſt v.g. teſtator bona fide poſſidebat equũ domi inuentum, hic non habet titulum, ſed bonam fidem, tamen eius hæres quando bona fide eam poſſidet, quia titulo ſucceſſionis eam poſſidet tuta conſcientia præſcribere poteſt. Ita Lop. p. p. inſtr. conſ. cap. 133.

QVÆSTIO XII.

Quandũ ſit tempus legitimum præſcriptionis?

Spec. Conſ.

1 AD hoc dico primò, quòd loquendo de bonis ſecularium, tempus præſcriptionis rerum mobilium cum bona fide & titulo inter præſentes eſt triennium, & inter abſentes quatriennium.

At vero in bonis immobilibus ſecularũ cum bona fide, & titulo inter præſentes eſt decennium: inter autem abſentes vicennium Quod ſi quis poſſideat bona fide, ſed ſine aliquo titulo, vt potè ſine contractu ſaltem putatiuo inter præſentes requiritur trecennium, inter abſentes quadricennium

2 Secundò dico, quòd loquendo de bonis Eccleſiaſticis mobilibus, tempus præſcriptionis cum bona fide, & titulo inter præſentes eſt triennium, & inter abſentes quatriennium. Quod eſt verum etiam ſi bona fuerint Romanæ Eccleſiæ. (Dixi notãter de bonis Eccleſiaſticis mobilibus cum titulo) quia res mobiles ſine titulo præſcribuntur ſpatio triginta annorum, tum aduerſus Eccleſias particulares, tum aduerſus Eccleſiam etiam Romanam. Ita Couar. in Reg. poſſeſſor p. 2. §. 2. nu. 5. & lib. 1. var. c. 4. num. 3. & 4. & Molina to. 1. de iuſt. diſt. 69.

3 Tertio dico quod loquendo de bonis immobilibus Eccleſiæ alterius ab Eccleſia Romana, ſiue cum titulo, ſiue ſine titulo, ſiue inter præſentes, ſiue inter abſentes, tẽpus præſcriptionis eſt quadricennium, vt docet Molina d. 72. Hoc autem priuilegiũ extenditur ad loca pia, vt ad Monaſteria, hoſpitalia, & ad legata, & donationes ad pias cauſas, contra quæ non currit præſcriptio, niſi ſpatio quadraginta annorum. Et quia hoc priuilegium conceſſum eſt ſolum Eccleſiaſticis, & pijs locis, idcò clerici, & eorũ bona non gaudent hoc priuilegio, ſed inter perſonas priuatas hac in parte computantur. Ita Couar. in Reg. poſſeſſor p. 2. §. 2. num. 3. & Molina d. 72.

4 Aduerſus autem Eccleſiam Romanam neceſſarium, eſt tempus centum annorum vt habetur in capit. ad aud. capit. iam nobis &c. & tradit Molina diſp. 72. & Couar. in Reg. poſſeſſor p. 2. §. 2. nu. 6. de Reg. iuris in 6. Quamuis modo de conſuetudine Italiæ contra Eccleſiam Romanã nullo tẽpore præſcribatur, vt ait Salon. 2. 2. tract. de domino quæſt. 5. ar. 7.

Dicit autem vnum Sylueſt. verb. præſcriptio q. 7. §. 6. quem alij ſequuntur, quod ſi res alicuius hominis priuati deueniat ad Eccleſiam, & contra priuatum præ-

ſentem anni quinque ſint exacti, non requiri vlterius ſpatium triginta quinque annorum ad complendam præſcriptionem contra Eccleſiam, ſed ſufficiunt viginti, quia quinque priores contra priuatum continent dimidium tempus neceſſarium.

5 Obſeruandum eſt autem quòd hi præſentes cenſentur, qui in eadem Ciuitate commorantur, ſiue res præſcribenda in eadem ſit Ciuitate, ſiue non: eos vero cenſeri abſentes, qui in diuerſis Ciuitatibus degunt. Ita Ang. 2.2.q.62.ar.8.

QVÆSTIO XIII.

Quantum ſpatium temporis requiratur vt conſuetudo præſcribat contra legem?

1 ANgel. verb. conſuetudo nu.8. & 9. Sylueſt. ibidem nu.6. & Nauar. li.1. conſ.1. titulo de conſuetudine ſecuti Pano. in c.vlt. de conſuetud. nu.11. tenent requiri ſpatium decem annorum, vt conſuetudo legem ciuilem aboleat: quadraginta vt legem canonicam. Ducuntur hi in eam ſententiam, quia ad introducendam conſuetudinem ius ciuile requirit longum tempus. C. quæ ſit longa conſuetudo. Atqui longum tempus eſt, ſpatium annorum. C. de præſcriptione longi temporis, ergo cõtra legem ciuilem requiruntur decem anni. Quòd verò contra legem eccleſiaſticam requirantur quadraginta anni, ex eo probatur, quòd contra Eccleſiam non procedat præſcriptio niſi ſpatio quadraginta annorum.

2 Alij verò rectius docent non requiri certum tempus, vt conſuetudo legẽ aboleat. Et ratio eſt, quia vt conſuetudo vim legis tollat, ſolùm requiritur, vt paſſim lex illa non ſeruetur, quando occurrit ſeruanda. ſciente Principe & non contradicente, cũ poſſit. Dũ enim ſcit ſuã legem non ſeruari, & tacet, cum poſſet punire tranſgreſſores, cenſetur conſentire vt non ſeruetur, ac proinde videtur tollere à lege vim obligandi, & hoc modo conſuetudo dicitur tollere vim legis, nempe quia Princeps permittens conſuetudinem, implicitè videtur tollere legis obligationem. Ex quo fit, vt paruo tempore lex abrogetur per conſuetudinem, etiam ſi antè recepta fuerit, quia ad conſuetudinem inducendam ſufficiunt duo actus, vt docet Sylueſt. verb. conſuetudo nume.6. Eman. Sa in aphor. confeſſ. eodem verb. nu.5. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. c.6. dub.14. quam conſuetudinem ſi conſtaret Principem ſcire, & diſſimulare, ceſſaret lex obligare.

Sententia tamen Angeli poſſet recipi in euentu, quo non conſtat breuiori tempore conſuetudinem Principi innotuiſſe, quia tunc probabile eſt, requiri decem annos, & hos ſatis eſſe ad tollendam legem ciuilem.

QVÆSTIO XIV.

An autem ſufficiat contra legem Eccleſiaſticam, controuertitur inter Doctores.

1 NAu. loco ſupra citato, & alij multi conueniunt, hos ſufficere contra legem Eccleſiaſticam, nondum receptam.

QVÆSTIO XV.

An verò ſufficiat contra receptam, maior eſt difficultas.

1 QVibuſdam placet non ſufficere. Alij verò vt Leſſ. & Eman. Sa. non improbabiliter tenent, ſufficere. Et ratio eſt, quia nuſquam ius aliquod diſtinguit inter legem Eccleſiaſticam, & ciuilem hac in parte: ergo ſi contra legem ciuilem receptam ſufficiunt decem anni, etiam contra eccleſiaſticam vſu receptam. Tum quia ſi decem anni ſufficiunt vt Princeps ſecularis tacitè conſentiat, vt ſua lex careat vi obligandi: cur non ſufficiant Principi Eccleſiaſtico? præſertim cum eius ſit curare, ne ſubditi peccent, neue aſſiduis angantur ſcrupulis, qui ex huiuſmodi interminatis obligationibus naſci ſolent. Hæc de præſcriptione dicta ſufficiant.

DE

DE RESTITVTIONE IN GENERE.

DISPVTATIO QVARTA.

DE hac materia disputant Theologi in 4.d.15.D.Th.2.2.q.62. ar. 1.& Cae.ib.Sotus lib.4.de iust. qu.6.a.1.Greg.de Val.to.3.d.5.q. 6.p.1.Arag.2.2.q.62.ar.1.Less.lib.2.de iust.c. 12.dub.1.Molina to.3.de iust.disp. 35. Ban.2. 2.q.61.ar.1.Pet.Nauar.lib.1. de rest.n.1. Salon.2.2.q.62.art.1.Lop.p.p.instr. conf.ca.91. Couar.in Reg.peccatum deReg.iuris in 6. Rebell.lib.2.de restit.Mart.Nauar.c.7.nu.6. Summistæ vero vt Angel.Sylvest.Tab.Pisanel.Armilla, & alij verbo restitutio. Et vt à nomine ipso exordiamur. Quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Vnde dicatur restitutio?

1 REspondeo restitutionis nomen Ciceronianum esse, Doctores omnes testantur,& in sua generali significatione, restitutio idem est, quod quædam redditio,siue ex iustitia,& debito hæc fiat, siue ex gratia,liberalitate,& hoc modo dicitur quis restitutus in pristinam sanitatem beneficio medicinæ.Vnde Cicero Roma eiectus,se Reipublicæ restitutum dicebat.Sed scholastici de iustitia disputantes strictiùs vtuntur hoc nomine, vt significet actum iustitiæ commutatiuæ, quo resarciuntur iniuriæ illatæ in bonis proximi. Vnde restitutio importat redditionem illius rei, quæ iniustè ablata est.

QVÆSTIO II.

Quid sit restitutio?

1 REspondeo, quod est actus iustitiæ commutatiuæ, quo vnicuique redditur, quod ab eo ablatum,vel acceptum est. In qua definitione quatuor sunt particulæ. Prima est (actus iustitiæ) quia cum iustitia sit virtus, cuique tribuens, quod suum est,vt docet D.Isidor.li.2. etymolog. ca.9.restitutio huius virtutis actus est, vt constat.

Secunda particula est (commutatiuæ) quia huius virtutis est constituere æqualitatem inter datum, & acceptum, & inter damnum,& compensationem,quod fit restitutione.

2 Tertia particula est(quod ab eo ablatum est) quæ ponitur ad significandum, quod quidquid iniustè aliquis ab altero abstulit in bonis personæ,famæ,vitæ,& rebus,tenetur illud restituere.

Quarta,& vltima particula est (vel acceptum est) quæ ponitur ad includendum etiam redditionè debiti ex cõtractu licito scilicet emptione,venditione,&c.

QVÆSTIO III.

Vtrum restitutio sit idem quod satisfactio?

1 SCotus in 4.d.14.q.2. tenet restitutionem à satisfactione differre, ex eo quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ:satisfactio vero iustitiæ punitiuæ, seu vindicatiuæ,quæ est species iustitiæ distributiuæ. Et probat quia satisfactio est pars pœnitentiæ,pœnitentia autemest quædam vindicta quam sumit peccator de seipso, affligens se ieiunis,&c.iuxta illud Aug.in lib.de vera & falsa pœnitentia ca.8.pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se,quod dolet commisisse.

2 Oppositum tamen huius, quod tenet omnifcius D.Tho.communiter receptus in 3.p.q.85.ar.3.est verius, atque probabilius, videlicet tam restitutionem,quam satisfactionem ad iustitiam commutatiuam pertinere,vtraque enim fit secundum æqualitatem rei ad rem,in quo commutatiua iustitia,à distributiua distinguitur;quia sicut restitutio fit secundùm æqualitatem rei ab

Digitized by Google

alio acceptæ,cum re eidem debita, ſic ſatisfactio recompenſat iniuriam alteri illatam ſecundùm æqualitatem rei ad rem. i. iniuriæ illatæ cum obſequio impenſo, vel pœna aſſumpta, ad recompenſandam iniuriam;tantùm.n.debet eſſe huiuſmodi obſequium,vel pœna,quantum requiritur ad iniuriæ compenſationem:ita peccator ſatisfaciens Deo pro peccatis, & offenſis, nihil aliud agit,quam ſatisfacere, & placare Deum pro iniuria ipſi illata, ergo ſatisfactio, quæ eſt pars pœnitentiæ pertinet ad iuſtitiam commutatiuam.

Ex qua doctrina colligitur quòd reſtitutio & ſatisfactio ſolùm conueniunt in genere,quia vtraque ad iuſtitiam commutatiuam ſpectat,differunt tamé in ſeptem.

3 Primò differunt,quia reſtitutio propriè fit ſolis hominibus,quia re vera Deus non patitur aliquod detrimentum noſtris offenſis, & per conſequens non poſſumus propriè aliquid ei auferre, nec etiam aliquid eidem reddere, quod ſibi accreſcat (bonorum enim noſtrorum non indiget,) & ideò reſtitutio quæ eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, non poteſt dici propriè in ordine ad Deum. At verò ſatisfactio non ſolùm hominibus,ſed etiá Deo,eique præcipuè fit, quoniam licet peccemus in proximum,quem æquè ac noſmetipſos diligere tenemur,ex quo aliquo modo ei ſatisfactio debeatur,propriè tamen, & principaliter in ſolum Deum peccatur,dicente Diuo Aug.li.22. contra Fauſtum ca.17.peccatum eſſe factum,vel dictum, vel concupitum contra legem Dei, & Regio Propheta pſ.50.tibi ſoli peccaui,&c.non enim proximi læſio eſſet peccatum, niſi Deus prohiberet.Ratio eſt Soti li.4.de iuſt.q.6.ar.1.

4 Hinc,in ſatisfactione fit compenſatio iniuriæ Deo illatæ, non impendendo aliquid Deo offenſo,ſed ſolùm ſoluendo pœnam pro pœna temporali,quæ iudicio diuino ſolui debebat. At in reſtitutione fit compenſatio reddendo homini tantumdē, quantum ab eo acceptum,ſeu ablatū erat.

5 Secundò differunt,quia ſatisfactio non poteſt fieri ſine Dei gratia,vt D.Th. probè animaduertit in materia de ſatisfactione, & tradunt Doctores omnes in 4.d. 15. At verò reſtitutio legitimè fit ſine gratia Dei, imò ſine humana amicitia, quod ſatisfactioni repugnat.Ratio eſt.D.Bonau.in 4.d. 15.q.4.art.2.

6 Tertiò differunt, quia reſtitutio verſatur circa res exteriores ablatas, vel læſas, in quibus æqualitatem talem conſtituit, vt qui rem alienam accepit, vel iniuſtè per furtum, vel rapinam, vel alio modo iuſtè per depoſitum,vel alium contractum tantum in re, vel in valore teneatur reddere, quantum accepit. Satisfactio vero verſatur circa actiones, & paſſiones, quibus vnus infert alteri iniuriam,vt verberando, vel contumeliis afficiendo,alter verò patitur,in his conſtituēdo talem æqualitatem, ſecundum quam qui compenſat iniuriam, tantùm pœnæ debet aſſumere,vel tantum obſequij alteri præſtare, quantum requiritur ad ſatisfactionem pro iniuria,vel compenſationem. Ratio eſt D.Tho.in 4.diſt.15. quæſt.1.ar.5.

Hinc ſatisfactio propriè nō eſt, niſi vbi crimen iniurioſum fuit commiſſum.Reſtitutio verò etiam nulla interfuit ablationis culpa, vt contingit in contractu mutui,vel depoſiti,

7 Quartò differunt, quia per reſtitutionem non remittitur peccatum, quod in ablatione, vel retentione rei alienæ committitur, ſed tantum ab eo ceſſatur, non detinendo ampliùs rem alienam, quo adhuc facto reſtat prętereà pro curāda apud Deum remiſſio patrati anteà peccati in acceptione,vel retentione iniuſta rei alienæ.Per ſatisfactionem verò propriè remittitur peccatum quo ad reatum pœnæ tēporalis remiſſa culpa per actū cōtritionis.

8 Quintò differunt, quia ſatisfactio eſt, vel poteſt eſſe pars Sacramenti pœnitentiæ,loquendo de ea, qua pro peccatis,quibus Deum offendimus,ſatisfacimus per opera pœnalia nobis à confeſſario iniuncta. Sed reſtitutio non eſt pars huius ſacramenti,ſed præambulum neceſſarium ad illam,cum ſit diſpoſitio, vt quis à peccando deſiſtat.

9 Sextò differunt,quia ſatisfactio pro vt eſt ſacramenti pœnitentię pars,fit arbitrio ſacerdotis virtute clauium.Reſtitutio verò fit ſecundùm æqualitatem rei ad rem.

10 Septimò,& vltimò differunt, quia reſtitutio non fit in purgatorio,ſed ſolùm in præſenti vita, vel ab ipſo debitore, vel ex ipſius mandato, ab eius hæredibus. At verò ſatisfactio fit in purgatorio. Vnde per dilationem reſtitutionis ſine culpa defuncti factam, non detineri animam in

purga

Digitized by Google

purgatorio, detinetur tamen ob dilationem satisfactionis, id est, eleemosynarum, sacrificiorum, &c. sine culpa defuncti factam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum restitutio sit actus solius iustitiæ commutatiuæ?

1 ILlustrissimus Caiet. 2.2.qu.62.ar.2. & Petr.Nauar.li.1.de rest.c.2.nu.8.existimant restitutionem esse actum etiam iustitiæ distributiuæ. Et probant, quia si Dux belli facit contra iustitiam distributiuam in distribuendis spoliis militibus minùs merentibus, plura tribuendo, quam magis merentibus, tenetur ad restitutionem, ergo restitutio est actus etiam iustitiæ distributiuæ.

2 Communis tamen omnium Theologorum sententia fatetur, restitutionem tantum esse actum iustitiæ commutatiuæ, & ex ea tantùm oriri obligationem restituendi. Probatur. Iustitia, quæ constituit æqualitatem rei ad rem est commutatiua: atqui restitutio vt sit legitima debet fieri secundùm æqualitatem rei ad rem, ergo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ.

Tum quia iustitia distributiua commune inter priuatos diuidit, at is qui restituit non diuidit commune inter priuatos, sed priuatim, & proprium damnum recompensat, ergo restitutio commutatiuæ, & non distributiuæ iustitiæ actus est. Ita Sot. libr. 4.quæst.6.artic.1. Couar. in Reg. peccatum. p.2.in principio Salon.2.2.quæst.62.artic.1. Syluest.verb.restitutio.3.quæst. 2. Cordub. de tract.quæst.3.concl.1. & est expressè sententia D. Thom. 2. 2. quæstione. 62. artic.1.

3 Nec obstat argumentum in contrarium, quia si frangens iustitiam distributiuam tenetur ad restitutionem, non est per se loquendo ratione iustitiæ distributiuæ, quia simul ibi offenditur, seu frangitur iustitia commutatiua, vt in exemplo allato patet, quia vnicuique militi non tantum tribuitur, quantum exigit iustitia commutatiua, scilicet secundùm æqualitatem laboris ad mercedem.

QVÆSTIO V.

Vtrum restitutio sit de necessitate salutis?

1 IN hac quæstione Græci, vt refert Sot. lib.4.qu.6.art.2. negant restitutionem esse necessariam ad salutem. Vnde pro furto, & rapina non iniungunt satisfactionem, aut restitutionem, sed oleo vngunt raptorem, & furem, quem astringunt vt aliquam pecuniæ portionem confessario tribuat. Huius opinionis Erasmus aliquando fuisse fertur.

2 Hoc tamen non obstante, oppositum, quod communis Theologorum schola fatetur, tenendum est: quod adeò certum, & firmum est, vt nulli iam liceat de oppositio aliquid etiam opinatiuè asserere, vt definitur ab Alex.iij. in c. sicut dignum de homicidio. Pro cuius tamen quæst. intelligentia.

3 Primò dico quòd restitutio externa necessaria est ad salutem, si facultas suppetit. Probatur, conseruare iustitiam, est de necessitate salutis iuxta illud Ps.14. Domine, quis habitabit, &c. qui operatur iustitiam, sed ad seruandam iustitiam necessaria est restitutio rei ablatæ, est enim restitutio resarcitio æqualitatis violatæ, ergo restitutio est de necessitate salutis.

Deinde, qui non restituit, cum suppetit facultas, voluntariè nocet & facit iniuriam proximo, nam impedit illum à possessione, & vsu rei suæ: at ad nostram salutem necessarium est, vt nemini voluntariè noceamus, aut iniuriam faciamus. ergo restitutio necessaria est ad salutem. Vnde August. in epist.54.ad Maced. & refertur in ca. Si res 14.q.6.ait. Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: quòd si autem veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et est conclusio defensa in multis sacræ scripturæ locis, s. Ezech.33. Leuit.6. Exod.22. Tob.3. Rom.8. & Luc.19. &c.

4 Secundò dico quòd restitutio non est ad salutem necessaria, si non suppetit facultas, propositum tamen restituendi est necessarium. Probatur, quia nemo obligatur ad impossibile. Quod autem propositum restituendi tunc sit necessarium, patet, quia ad remissionem peccati requiritur contritio, vel saltem at-

Digitized by Google

tritio coniuncta cum ſacramento, quę eſt nolitio peccati, cum propoſito emendæ, in quo continetur implicitè propoſitum reſtituendi.

QVÆSTIO IV.

An reſtitutio neceſſaria ſit ad ſalutem, neceſſitate medij, idèſt ita neceſſaria, vt niſi ablata reſtituantur, negetur vllo modo obtineri ſalus, quamcunque demum ob cauſam contingat reſtitutionem prætermitti?

1 GAbr. in 4. diſt. 15. quæſt. 2. concl. 1. & Mercat. tract. de reſt. cap. 1. tenent reſtitutionem eſſe neceſſariam ad ſalutem de neceſſitate medij ſimpliciter, vt fides, gratia, Baptiſmus &c. Et probant, quia ſicut ex illo Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis, colligitur poſt peccatum pœnitentiam eſſe neceſſariam ad ſalutem, neceſſitate medij; ita etiam, & reſtitutio eodem modo neceſſaria erit cum de ea dicat D. Auguſt. pro vt refertur in cap. cum tu de vſuris, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

2 Contrariam tamen ſententiam meritò Doctores communiter affirmant. Pro quo.

3 Primò dico quòd reſtitutio in re, non eſt ita neceſſaria ad ſalutem, vel ex natura rei, vel ex Dei ordinatione, vt ſine ea impoſſibile ſit potentia Dei ordinaria conſequi ſalutem. Probatur, illud eſt neceſſarium neceſſitate medij, ſine quo nemo poteſt ſaluari, etiam ſi inuincibiliter illud ignoret, vel inculpabiliter illud omittat. At ſine reſtitutione in re, poteſt quis conſequi remiſſionem peccati, quando, ſcilicet non habet, vnde reſtituat, vt diſertis verbis docet D. Auguſt. epiſt. 54. ad Maced. & refertur can. 1. 14. quæſt. 6. ergò reſtitutio non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij.

4 Secundò dico quòd reſtitutio etiam in voto non eſt vt medium ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium; ita vt ſine ea gratia Chriſti eſſe non poſſit, niſi remotè, & quodámodò indirectè ratione pœnitentiæ, & contritionis, quæ eſt, & fuit omni tempore neceſſaria neceſſitate medij, ad conſequendam gratiam, ad quam pœnitentiam diſponit reſtitutio ſaltem in voto, ſeu propoſito; certum enim eſt, veram pœnitentiã eſſe nõ poſſe, niſi vel reſtituat, vel reſtituere proponat tempore opportuno. Vnde poſt peccatum primi parentis, quia ſola Dei per Chriſtum gratia eſt medium neceſſarium ſimpliciter ad obtinẽdam vltimam ſalutẽ, quæ ſicut in radice, cauſa, ac medio neceſſario eſt in gratia iuſtificante, ob id ea dũtaxat quæ hanc nobis gratiam producunt qualis eſt fides, Baptiſmus & Pœnitentia poſt peccatum commiſſum, ſunt nobis neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij.

5 Et ad argumentum in contrarium adductum reſpondeo, particulam illam (niſi) non ſemper arguere medij neceſſitatem, nam & de Sacramento Euchariſtiæ dicitur Io. 6. niſi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: & tamen illud vt omnes Doctores tradunt, non eſt neceſſarium neceſſitate medij, ſed præcepti diuini obligantis, ſolum adultos.

QVÆSTIO VII.

An reſtitutio ſit ſub præcepto?

1 RAtio dubij eſt, quia licet conſtet reſtitutionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, non ſtatim ſequitur eſſe aliquod præceptum de illa: gratia enim, & prædeſtinatio neceſſaria ſunt ad ſalutem, non tamen ſunt ſub præcepto.

2 Hoc tamen non obſtante, oppoſitum omnino tenendum eſt, ſcilicet eſſe aliquod ſpeciale præceptum de reſtitutione, Probatur: omnę peccatum mortale eſt contra aliquod ſpeciale præceptum; ſed non reſtituere, cum ſuppetunt vires eſt peccatum mortale vt cõſtat, ergo reſtitutio cadit ſub aliquo præcepto.

3 Deinde actus ſpecialis virtutis neceſſariæ ad ſalutẽ cadit ſub aliquo ſpeciali præcepto: ſed reſtitutio eſt actus ſpecialis iuſtitiæ commutatiuæ, ergo reſtitutio eſt ſub præcepto. Minor conſtat ex dictis: Maior vero eſt D. Th. 2. 2. q. 2. ar. 5. vbi hoc argumento probat eſſe aliquod ſpeciale præceptum de fide, quia credere eſt actus ſpecialis virtutis neceſſariæ ad ſalutem.

QVÆSTIO VIII.

Quonam mandato reſtitutio ſit præcepta?

1 IN hac quæſt. duæ extant opiniones. Prima affirmat præceptum reſtituendi eſſe principaliter negatiuum, & ſecundariò

Digitized by Google

dario affirmatiuum. Ita Scot.in 4.distinct. 15.q.2.Richard.ibid.d.15.q.4.ar.5.Ioan.Med. C.de rest.q.2.Pet.Nauar. lib.1.de rest.c. 1.n. 17.Couar. in Reg. peccatum, de Reg. iuris in 6.& alij.Et videtur esse D.Tho.2.2. q.62. art.8. ad primum vbi ait quod præceptum de restitutione facienda, quamuis secundum formam sit affirmatiuum,implicat tamen negationem, qua prohibemur rem alterius detinere.

2 Secunda verò opinio docet esse principaliter affirmatiuum, & secundariò negatiuum. Sic Caiet. in sum.verb. rest. cap. 6.Sot. lib. 4 quæst.6. art.2. Valentia tom.3. distinct.5. quæst.6.p.2. Salon.2. 2. quæst.62. art.2.& Nauar.cap. 17. nu.54. Pro quo.

3 Primò dico quòd præceptum restitutionis aliquo modo est affirmatiuũ.Probatur, præceptis affirmatiuis, præcipiuntur actus virtutum,sicut negatiuis prohibẽtur actus vitiorum: sed præcepto restituendi præcipitur actus virtutis Iustitiæ commutatiuæ, nempe reddere quod est alienum, ergo est sub præcepto affirmatiuo.

4 Secundo dico, quod præceptum restitutionis aliquo modo est etiam negatiuum quia eo ipso,quo præcipimur rem alienam vero domino restituere prohibemur retinere rem alienam,& ita qui præcipit hanc affirmationem,restitue, simul præcipit hãc negationem,ne detineas alienum.

5 Tertiò dico,quod præceptum restitutionis quatenus est affirmatiuum non obligat semper,& ad semper,sed pro loco,& tempore opportuno:quatenus verò est negatiuum obligat semper,& ad semper, i. omni tempore, i. vt bona aliena nunquam detineamus. sed secundum animi præparationem habeamus hunc actum,alienum quod detineo, quam primum potero, restituam, quæ animi præparatio habenda est,semper & executioni mandanda cum primum opportunitas fuerit sub mortali.

6 Quartò dico, quod præceptum restitutionis principaliter est affirmatiuum. Probatur.verba quibus præceptũ restitutionis proponitur affirmationem continent, reddite(inquit Apos.)omnibus debitum;ergo.

Tum quia præceptum restitutionis violatur per omissionem, quod est proprium præcepti affirmatiui,ergo principaliter est sub præcepto affirmatiuo.

Tum quia non obligat pro omni tempore, quo res aliena retinetur, aut reddita non est, sed solùm quando est opportunitas restituendi iuxta rationabilem voluntatem creditoris.

Tum demum, quia præceptum restitutionis,non potest seruari, nisi per actũ positiuum,ergo principaliter est affirmatiuũ.

7 Quintò dico, quòd præceptum restitutionis, & si aliquo modo distinguatur à præcepto furti, quia tamen in sua ratione formali includit negationem, quo prohibemur rem alienam inuito Domino detinere, reducitur ad septimum Decalogi præceptum.Non furtum facies,quia in illo vt rectè annotauit D.Tho. 2.a.q. 62. art.8. prohibetur omne nocumentum in bonis proximi;eiusdem enim rationis est,furari, & detinere alienum inuito Domino. Vnde hoc ipso, quo præcipitur, non furaberis, præcipitur etiam,vt non detineas, si potes reddere: & consequenter vt restituas,quia actus restitutionis est necessarius, ad non detinendum alienũ.Vnde Innocent. III. in cap. Sæpè de rest.ait, non multum interest quò ad periculum animæ, iniustè detinere,ac inuadere alienum. Vbi Glossa ait, pro eodem reputant iura, auferre & detinere iniustè.

8 Sextò & vltimò dico, quod peccatum, quod quis committit ob defectum restitutionis,quando commodè fieri potest,vnum solùm est non duplex, vt malè opinatur Sotus lib.4.quæst.6.art.1.& 2.& qu.7.art.4. quia peccata propriè distinguuntur pro diuersitate virtutum, quibus opponuntur, non autem pro diuersitate præcepti affirmatiui,aut negatiui,cui aduersãtur. Omissio autem restitutionis rei alienæ,qua peccatur contra præceptum affirmatiuum de restituendo, & retentio eiusdem qua peccatur contra negatiuũ præceptum de non retinenda re aliena, vni & eidem virtuti Iustitiæ commutatiuæ aduersantur, ergo non duo, sed vnum solùm in non restituendo peccatum perpetratur, quod peccatum tandiu durat,quandiu durat commoditas restituendi, vt probè Adrian. in 4. tract. de restitutione obseruauit..

QVÆSTIO IX.

An qui solùm peccant contra Iustitiam, teneantur ad restitutionem?

1 ILlustrissimus Caiet. in summa verbi restitutio c.1.existimat incurrere obligationem

gationem reſtituendi,etiã eum, qui peccat ſolùm cõtra charitatẽ.Ex quo infert,teneri etiam eos ad reſtitutionẽ,qui cum poſſent ſine ſuo proprio incommodo dãnum proximi impedire, non impediunt, etiamſi ad illud non teneantur,niſi ex lege charitatis.

2 Communis tamen, & vera ſententia eſt aliorum, tum Theologorum, tum etiam Canoniſtarum, & Summiſtarum, qui omnes vnanimi conſenſu docent eum ſolùm qui peccat contra Iuſtitiam non autem contra charitatem, vel aliàs virtutes à Iuſtitia, obligari ad reſtitutionem. Ita Sot. lib.4.q.7.art.3.Nauar. cap.17.nu.11. Couar. in Reg.peccatum p.2. §.3.num.5. Arag.2.2. q.62. art.7.Valent. tom.3.d.5. q.6.p.3. Med. C. de reſt. q.9.& Petr. Tolet. lib.2.de reſt. cap.1.num.12.Hoc idem ſenſit Caietan.ſibi contrarius 2.2.q.62.art.7.vbi ait,conſidera, quando quis poteſt, & tenetur impedire furtum, rapinam, fraudem, & diſcernes, quãdo tenetur ad reſtitutionem, & quãdo non,vt D.Thom. dicit in litera, quòd hoc ſolum accidit, quando alicui incumbit ex officio.

QVÆSTIO X.

Quæ nam ſit ratio, ob quam ex ſola violatione Iuſtitiæ inſurgit obligatio reſtituendi & non ex tranſgreſſione aliarum Virtutum, à Iuſtitia?

1 GReg.de Val.tom.3.d.5.qu. 6.p.3. arbitratur eam eſſe rationem, quia qui ſolùm contra charitatem omittit impedire damnum proximi, nec peccat contra præceptum affirmatiuum Iuſtitiæ per omiſſionem, nec contra præceptum negatiuum Iuſtitiæ agit per commiſſionem, & ideò ad reſtitutionem non obligatur.

Sed hæc ratio Valent.non ſatisfacit,quia non aſſignat cauſam, quare ex ſola violatione Iuſtitiæ oriatur obligatio reſtituendi vt patet, ſed ſolùm non peccare contra Iuſtitiam.

2 Mart. Nauar. cap. 17. num. 11. ait alios Doctores non reddidiſſe rationem diuerſitatis,ſe autem nouam reddere, quia leges charitatis, & aliarum virtutum a Iuſtitia non ordinantur per ſe. & directè circa actus externos vt docet S.Tho. 2.2.q.58. art. 8. Sed circa interiores.I ex autem Iuſtitiæ ſpecialis directè verſatur circa actus exteriores, ac proinde per ſe, & directè ordinatur ad auferendum aliquid ab alio, quod inducit reſtituendi obligationem.

Sed nec hæc ratio Nauar. mihi placet, quia virtus Religionis verſatur circa actus exteriores,nam ſecundùm D. Thom. communiter receptum, Religio ex eo differt à virtutibus Theologicis, quia Theologicæ cultum Dei exibent internum; At Religio externum.

Deinde virtus Temperantiæ circa actus externos verſatur, vt ieiunium &c. & tamen eorum violatio obligationem reſtituendi non inducit.

Poſtremo,falſum eſt,quòd Iuſtitia principaliter verſatur circa actus externos, ceteræ verò circa internos, omnis enim virtus principaliter conſiſtit in actibus voluntatis interioribus,nam bonitas,& malitia moralis præcipuè eſt in actu interiori, in exteriori autem ſecũdariò,&extrinſecè.

3 Petr.Nauar.lib.2.de reſt.cap.2.n.15.putat obligationem reſtitutionis oriri ex violatione Iuſtitiæ, quia hæc per ſe, & directè verſatur circa bona vtilia,vt ſunt commutationes rerum temporalium pretio æſtimabilium,& conſequenter,qui hanc legem violat vltra pœnitentiam pro peccato, quod commiſit damnificando tenetur bonum vtile reparare,cum tamen ceteræ virtutes non directè in æqualitate bonorum temporalium,& vtilium ſeruandæ verſentur, ſed vel in colendo Deum, vt Religio, vel diligendo,vt charitas: & cum acceſſorium ſequatur ſuum principale, ideò ſi ex talium virtutum violatione proximus dãnificetur, nullo iure cogimur huiuſmodi damnum rependere,ſed peccatum eſt mortale ſine vlla reſtitutionis obligatione.

4 Ceterum hac in re, mihi placet ratio Sylueſt.verb.reſt.3.q.6. quia ſcilicet nullus eſt obnoxius reſtitutioni,niſi qui eſt cauſa efficax inæqualitatis:at ad ſolam Iuſtitiam commutatiuam ſpectat inducere æqualitatem inter datum,& acceptum, inter dãnum,& compenſationem, ergo.

Hinc miles qui in bello iuſto pugnans, hoſtes, ex odio, vel vindicta vulnerat, vel occidit,peccat contra charitatem,quia tamen non peccat contra Iuſtitiam commutatiuam, non tenetur ad reſtitutionem.

Hinc Iudex qui ex odio,vel rãcore malefactorẽ ad ſuſpendium condẽnat per iuſtã ſentẽtiã & iuſtã cauſã:quantumuis peccet

contra

contra charitatem, quia non peccat contra huiusmodi Iustitiam, non tenetur ad restitutionem.

5 Hinc qui non succurrit extremè, aut grauiter indigenti, quantumuis peccet contra misericordiam, vel charitatem, non tenetur postea transacta necessitate quicquam restituere, quia non peccat contra Iustitiam.

Hinc, qui malo animo impedit proximũ à consecutione alicuius boni, ad quod nõ habet ius in re, nec ad rem, peccat quidem mortaliter contra charitatem, proximum illicitè damnificando, sed quia non infert damnum iniustè per vim, metum, aut dolum, ad nullam restitutionem tenetur.

QVÆSTIO XI.

Ex quibus capitibus nascatur obligatio restitutionis?

1 REspondeo ex tribus.
Primò ex parte rei alienæ acceptæ.
Secundò ex parte acceptionis eiusdem.
Tertiò, & vlt. ex parte rei acceptæ, & rei acceptionis simul.

Acceptio rei alienæ est duplex, scilicet iusta vt in mutuo deposito &c. & iniusta vt in furto, rapina, &c.

2 Nomine rei alienæ acceptę, nõ solùm intelligitur res ipsa, vt in se est, sed etiã fructus, quos res illa suaptè natura producit; nã fructus qui ex industria accipiẽtis nascuntur, sicut non computantur in re, ita nec obnoxij sunt restitutioni.

Nomine autem iniustæ acceptionis intelligo non solùm furtum, sed etiam damnum quoduis per homicidium, aduiterium, stuprum, infamiam, siue alio modo illatum contra Iustitiam commutatiuam.

3 Exemplum primi capitis, quando scilicet insurgit obligatio restitutionis ratione solius rei acceptæ, est, cum quis rem furatam apud se retinet, quam à latrone pro fideli habito bona fide eam comparauit.

Exemplum secundi, scilicet solius rei acceptionis, & primò in casu quo acceptio est iusta, vt cum quis mutuò rem alienam accepit, quam modò apud se non retinet.

4 Exemplum iniustæ acceptionis, vt si per vsuram rem alienam habuit, & eam ampliùs apud se non habet.

Exemplum vtriusque hoc est, tam ex parte rei acceptæ, quam ex parte iniustæ acceptionis, est, vt cum qui sciens, ac prudens rem alienam accepit, acceptamque apud se retinet.

QVÆSTIO XII.

Quænam sit differentia inter obligationem, quæ insurgit ratione rei acceptæ, & obligationem, quæ procedit ratione acceptionis eiusdem?

1 REspondeo, magnam esse differentiam, nam qui tenetur ex parte acceptionis rei alienæ, manet semper obligatus, etiamsi res debita depereat sine culpa accipientis, vt contingit in mutuo furto &c. Quando verò tenetur tantùm ratione rei acceptæ, restituere tenetur. si res illa extat in se, vel in suo effectu, & valore: si verò sine sua culpa pereat, non tenetur, vt patet in deposito. Ratio huius est, quia cum teneatur solùm ratione rei acceptæ, fit, vt cessante causa obligationis, cessat ipsa obligatio. Vnde qui bona fide emit equum furtiuum, quia tenetur solùm ratione rei acceptæ, & non ratione iniustæ acceptionis, si equus apud emptorem pereat, ad nullam restitutionem tenetur.

QVÆSTIO XIII.

Quotnam modis possit res aliena ab aliquo possideri?

1 REspondeo tribus, scilicet bona fide, mala fide, & dubia fide.

Ille dicitur possessor bonæ fidei, qui sana mente, bonoque animo possidet rem alienam, credens probabiliter esse suam, quia nescit esse latronem, à quo eam emit, vel quia putat talis rei iustum titulum se habere.

2 Possessor malæ fidei est omnis ille, qui cum sciat rem esse alienam, possidet eam, vt propriam multo dominio rationabiliter.

Possessor autem dubiæ fidei est ille, qui prudenter dubitat, an res, quam possidet, sit sua, an non.

QVÆSTIO XIV.

Quotnam in restitutione sint præcipuè considerandа?

1 REspondeo quatuor.
Primò res ipsa restituenda.

Secun-

Secundò expensæ factæ pro conseruatione rei, vel melioramento, vel ornaméto.

Tertiò fructus, qui ex huiusmodi re aliena percipi possunt.

Quartò, & vltimò lucrum, quod Dominus potuisset percipere, & damnum quod passus est ex rei alienæ priuatione.

2 Expensæ sunt in triplici differentia quædam sunt necessariæ, quædam vtiles, & quædam voluptuariæ, seu vt alij dicunt voluptuariæ.

Necessariæ sunt, quæ nisi fierent, res periret, vel deterior fieret, vt reficere domum, quæ minatur ruinam, curare infirmum, cum ægrotat, & alia huiusmodi.

Vtiles sunt, qtæ meliorem rem faciunt. & deteriorem esse non sinunt, vt si domui puteum, cisternam, cubiculum, vel tabernam adiungit.

Voluptuariæ verò, seu voluptuariæ sunt, quæ ex natura sua fructum rei, non augent sed pulchriorem, seu aptiorem rem efficiunt ad capiendam ex illa voluptatem, vt sunt viridaria, picturæ, structuræ fontium, ac balneorum ad solam recreationem, his similia.

3 Fructus dicuntur, qui supersunt, deductis expensis factis in ipsorum fructuum productione, collectione, & conseruatione, quæ semper diffalcantur etiam in malæ fidei possessore.

Fructus sunt in triplici differentia, alij sunt naturales, alij purè industriales, alij verò mixti.

Fructus naturales sunt, quos natura producit, nulla, aut modica industria concurrente, cuiusmodi sunt fœtus animalium, poma, pira, & id genus alia.

4 Purè industriales sunt, qui ex artificio, & negotiatione acquiruntur, ex eo, quod non proueniunt ex re, sed ex hominis industria percipiuntur propter rem.

Mixti denique sunt ij, qui partim ex te, partim ex industria gignuntur, vt caseus, segetes, vinum &c. quæ dicũtur naturales, in quantum producuntur à natura: & industriales, in quantum in alia specie eis vtimur ex industria. Vnde si plus versatur circa illos de industria hominis, dicuntur industriales vt caseus, oleum, vinum, pannus &c. Si verò plus de natura, dicuntur naturales vt poma arborum, &c. Quando vero dubitatur sint ne magis industriales, quam naturales, aut è contra in foro exteriori Iudicis arbitrio, sicut in foro animæ boni viri Iudicio terminandum erit, si quidem contraria circa easdem res arbitria Doctorum inueniuntur, lana enim, lac, & vuæ collectæ à Bartholo, & Baldo industriales reputantur, è contrario verò naturales à Theologis, quorum opinio vt probabilior, ac verior tenenda est.

5 Ex quo colligitur bifariam posse rem aliquam fructificare. Vno modo ex se absque industria, & labore habentis, aut saltem cum modica industria vt agri ex se fructiferi, & alia huiusmodi vt animalia, Oues, armenta. Alio verò modo ex industria hominis, vt pecunia, quæ ex se non parit, nisi mediante negotiatione.

6 Postremò est etiam obseruandum, quod duplex est interesse, scilicet lucri cessantis, & damni emergentis, Interesse lucri cessantis est quando homo impeditur ab aliquo bono alioquin euenturo, v.g. à lucro, quod feciſſet si pecunia sibi restituta fuisset. Interesse verò damni emergentis est, quando homo amittit aliquid de bonis habitis, vt si v.g. quis parabat ædem ruinosam reficere, & alius ab eo surripuit pecunias, quibus hoc efficere debebat, si posteà domus ipsa corruit, id dicitur damnum emergens, quod est duplex, scilicet in re & extra rem.

Inter damni emergentis in re, vel circa rem, est interesse intrinsecum quod prouenit immediatè ex re, v. g. mutuaui tibi frumentum, quod valebat decem, reddendum in mense Maij, quod non reddidisti, nunc autem valet viginti, quod si statuto tempore tradidisses, tantumdem habuisse modo illud plus, quod valuit, puta decem, quod cessaui lucrari, dicitur lucrum cessãs.

7 Inter esse verò damni emergentis extra rem, quod alio nomine dicitur damnum extrinsecum, quod prouenit non ex ipsa re, sed propter ipsam rem. Exempli gratia, vendidisti mihi fœnum, vel granũ, & quia non tradidisti tempore conuento, serui mei, & equi mei fame perierunt.

QVÆST. XIV.

Vtrùm possessor bonæ fidei ad aliquam restitutionem teneatur?

1 AD hanc quæstionem dico primo quod quicunque habet rem alienã nescions

nesciens probabiliter eam esse furtiuam, quandiu durat bona fides,non peccat, nec tenetur ré illã, vel fructus inde perceptos restituere.Ratio est,quia in hoc casu ignorãtia iusta eam excusat.Ita Sot.li.4.q.7.a.2.

2 Secundo dico, quòd si quis rem alienam possidens bona fide,eam interim consumpsit,vel alienauit,si ex eo non est effectus ditior,nihil restituere tenetur, etiamsi postea rem illam furtiuam esse sciat, quia res ita consumpta, perinde se habet ac si apud verum dominum periisset.Ratio est,quia hic solum tenetur ratione rei acceptæ, quæ cum non amplius apud illum extet,nec in se,nec in suo effectu.i.valore, cessat quoque cum ea eius obligatio. Ita Nauar.c.17.nu.7.

3 Tertiò dico, quòd qui bona fide rem alienam habet,putans esse suam, cum primum nouerit esse alienam, tenetur eam domino restituere, idque tantummodo ratione rei acceptæ.Ratio est,quia nemini licet retinere rem alienam inuito domino.

Tum quia cognito quòd sit res furtiua, si vlterius detineat, habita restituendi opportunitate,iam incipit esse possessor malæ fidei,&obligatur non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ detentionis, quæ æquualet iniustæ acceptioni. Vnde si interim pereat, quamuis casu,tenetur ad restitutionem, quia censetur esse in mora.

Tum quia, qui habet plus,quam debet habere, tenetur ex iustitia restituere illi, qui habet minus, quàm debet habere de suo:sed qui habet rem alienam habet plus, quam debet habere,ergo tenetur illam restituere.

Tum demum,quia dominium illius rei, nunquam fuit à vero domino deperditum, & proinde res illi restituenda est.

4 Quartò dico,quòd qui equum à latrone bona fide emit,& deinde durante eadẽ bona fide,eodem pretio, vel minoris vendidit, vel inutiliter illum consumpsit, vel ludo perdidit,vel alteri dono dedit, ad nihil domino tenetur, quia ex eo non est effectus ditior.

5 Quintò dico,quòd qui bona fide equũ à latrone dono accepit, & deinde eadem bona fide illum vendidit, quam primùm nouit illum fuisse furtiuum, tenetur pretium illud suo domino restituere, quia in eo factus est ditior:nisi forte illum insumpserit in vsum, & largitiones,ita vt ex eo non sit factus locupletior:quod intelligitur in casu, quo talia impendia facere de suo non decreuerit, si enim iam statuerat, quamuis illius rei pretium non habuisset, iam pepercit rebus suis,quas impendisset: & sic censetur factus ditior. Vnde tenetur quatenus rebus suis insumendo aliena,pepercit, quia ex eo quod est ditior factus manet quodammodo res aliena saltem in effectu,vel in valore, & pretio ac proinde tenetur quantum extat de pretio,apud ipsum restituere vero domino. Vnde dicitur pretium succedere loco rei.ff.de pet. here. l.Si & rem.

6 Sextò dico, quod qui bona fide rem alienam alteri donauit,non donaturus aliã similem,vel dissimilem,si hanc non habuisset,si nihilo factus est ditior,nihil restituere tenetur,etiam si postea rem illam furtiuam esse deprehendat. Secùs est, si aliam ex suis erat donaturus, quia tunc pepercit rei suæ,donando alienam.

7 Septimò dico,quod qui bona fide possedit rem ad alterum spectantem toto tẽpore ad eam præscribendã requisito, concurrentibusq; aliis conditionibus ad præscriptionẽ necessariis, eo ipso efficitur dominus illius,usque ad quem dominium illius attinebat,illud amittit, eaque de causa is bonæ fidei illius possessor non tenetur deinceps eam restituere, quamuis postea comperiat fuisse rem alienam.

8 Octauò & vlt. dico, quòd si possessor bonæ fidei,postquam deprehendit rem esse furtiuam,inuincibiliter ignorauit se teneri restituere id,ex quo factus fuerit ditior,illudque bona fide consumpsit, ita vt in instanti,quo cessat ignorantia probabilis,nihil plus habeat in bonis, quàm habiturus esset, si ea res,ad se non deuenisset, ad nullam tenetur restitutionem.Ratio est, quia in hoc casu non tenetur ratione rei, quia non extat,nec in se,nec in suo valore, neque ratione consumptionis, quia in ea consumptione nulla culpa interuenit.

QVÆSTIO XV.

An qui bona fide vendidit rem alienam maiori pretio quam emit à fure, teneatur illud incrementum pretij domino restituere?

1 Illustriss.Caiet.2.2.quæst.62.art.6. Sot. lib.4.quæst.7.art.2.Ban.2.2.q. 62.art.6. Tolet.

Tolet.in sum. lib. 5. cap.17.Arag. 2.2.q.62. art.2.Sylvest. verb.rest.3.q.7. Nauar. cap.17. num.8.& plerique alij dicunt, debere illud incrementum restituere quia in illo incremento factus est locupletior,sicut si a fure dono accepisset rem alienam, & postea vendidisset, deberet restituere totum pretium,quia in eo factus est ditior,pari ergo ratione,si minoris emit,& pluris vendidit, tenetur restituere illud incrementum.

2 At Molina tom.3.de Iust.disp.721.Nauar. sibi contrarius in addit.fin.lege 24.Pedraza in sua Summula, & nonnulli alij sentiunt non esse obligatum ad restituendum hoc pretij incrementum, quia illud non est fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ lucrum.

Tum quia licet in illo factus sit locupletior,non tamen proinde in eo Dominus passus est aliquod damnum quia Dominus fortasse nunquam vendidisset tanti.

3 Pro resolutione tamen huius quæstionis dico primò, quod si emptor rei furtiuæ vendidit pluris, quam valet,tenetur ex Iustitia illud incrementum restituere, non Domino rei, sed emptori, quia non Dominus, sed emptor in eo incremento est defraudatus.

4 Secundò dico, quod si illud pretij incrementum prouenit ex propria industria illius, qui eam rem à fure emit bona fide, non tenetur illud restituere Domino vt v. g si quis emit bona fide à fure iusto pretio, postea verò eam meliorem factam industria sua pluris vendidit, quia eam transtulit in alium locum vel reseruauit in aliud tempus, quando pluris valebat, tunc enim non tenetur restituere illud incrementum, quia non est fructus rei, sed suæ industriæ pretium super re tamen aliena.

5 Tertiò, & vltimò dico, quod si incrementum illud pretij prouenit ex reipsa, quæ mutatur in qualitate, seu melioratur in eodem, vel alio loco processu temporis, tunc restitui debet Domino, quia est fructus rei,& non industriæ solius, & quamuis bona fide vendiderit,si tamen apud me remanet huiusmodi incrementum pretij tanquam fructus rei alienæ restitui debet Domino,si verò consumptum fuerit,id solùm debeo restituere, in quo ex illo augmento factus sum ditior cum damno Domini.

QVÆSTIO XVI.

An possessor bonæ fidei,si culpabiliter rem alienam durante bona fide destruxerit, restituere teneatur?

1 Nauar. cap. 17.num.7. absolutè existimat teneri.

Sot.lib.4.quæst.7.art.2.hoc idem astruit, si magna culpa destrueret.

Adrian. in 4.in materia de restit.fol 151. censet hoc esse verum, etiam si per leuem culpam faceret,

2 At verò Molina tom.3.de Iust.disp. 720. Petr.Nauar.lib.3.de rest.cap.4.nu. 185. Rebell. p.2. de obligat.lib.2.quæst.4. & multi alij dicunt quod si res furtiua bona fide periit, nihil restituere tenetur, etiamsi per magnam eius culpam pereat, vt si ex professo eam in ignem proiiciat. Ratio huius est, quia nulla culpa quantumnis grauis, nisi sit contra Iustitiam commutatiuam ad restitutionem obligat: is verò qui per ignorantiam inuincibilem arbitratur destruere quod suum erat,non peccat contra Iustitiam nec alteri, præterquam sibi per illud prodigalitatis peccatum nocere intendit,ergo in casu posito nihil restituere tenetur,nisi quantum ex illa fortè se inueniret locupletiorem.

Deinde in casu posito, nulla est obligatio restituendi ex parte iniustæ destructionis, eò quod in ea destructione nullum iniustitiæ peccatum commisit excusante eum ignorantia inuincibili, quod talis res esset alienа;sed solùm ratione rei acceptæ, ergo si res non extet,neque in se, neque in suo effectu,& valore,ad nihil restituere tenetur.

3 Hinc qui bona fide, hoc est per ignorantiam probabilem lites materialiter iniustas mouerunt, vel contractus vsurarios, vel bellum materialiter iniustum gesserunt quantumcunque deprædando, occidendo damnum aliis intulerint, etiam ex odio, vel rancore, pro damnis proximo illatis nihil tenentur restituere, quia omnia ista bona fide consumpserunt nec ex eis facti sunt ditiores.

QVÆ

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm possessor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos restituere? v. g. Titius emit bona fide à latrone agnum, vel oues, deinde deprehendit omnia esse furtiua, tenebiturne vna cum agno restituere fructus illius, & vna cum ouibus agnos, lac, & caseos quos ex illis percepit?

1 AD hanc quæstionem dico primò, quòd possessor bonę fidei, deductis laboribus, & expensis, tenetur restituere vero domino vna cum re furtiua, omnes fructus illius, quos apud se retinet. Ratio est, quia fructus rei, & res ipsa moraliter loquendo pro eodem reputantur: sed res aliena est restituenda, ergo & fructus rei furtiuæ.

Tum quia accessorium sequitur naturam sui principalis, sed fructus est per se accessorium rei, ergo quotiescunque res restituendae est, & fructus eius. Et est conclusio definita in l. certum. C. de rerum vindic. & in l. illud. ff. de petit. hæred.

2 Secundò dico, quòd possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus rei alienæ perceptos, & eadem bona fide consumptos. Probatur, si possessor iste teneretur restituere fructus bona fide consumptos, id esset, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniquæ acceptionis: non primum, quia supponimus bona fide fructus esse consumptos: nec secundùm, quia etiam supponimus bona fide rem emisse, ergo nulla ratione tenetur restituere. Et est conclusio definita in l. in pecudum fructu. ff. de vsuris, & iust. de rerum diuis. §. in pecudum, vbi dicitur, fructus pecudum continuò efficiuntur possessoris bonę fidei.

3 Tertiò dico, quòd possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus consumptos, si tamen ex illis factus est ditior. Probatur, dominus rei contra possessorem bonę fidei ius iustitiæ habet ad fructus naturales extantes, ergo & ad consumptos, tenet cõsequentia, quia fructus consumpti cũ reddãt possessorem ditiorem, in isto maiori lucro, tãquã in effectu, ac virtute extãt, ergo &c.

Tum quia res suo domino fructificat, ergo eius sunt fructus naturales, eidemque restituendi, quantum possessor bonæ fidei factus est ditior. Et est conclusio definita in l. certum. C. de rerum vindicat. & l. eos §. item veniunt &c. vbi habetur quod possessor bonę fidei tenetur fructus rei furtiuæ restituere, in quantum factus est locupletior. Ita Caiet. 2. 2. q. 62. a. 6. Sot. li. 4 qu. 7. a. 2. Couar. li. 1. var. c. 3. n. 6. & in Reg. peccatum de reg. iuris in 6. Petr. Nauar. li. 3. de restit. c. 4. n. 190. & alij.

4 Quartò dico, quòd possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus industriales mixtos, quos ex re furtiua percepit, quantùm ex eis effectus est locupletior, id est æstimationem eorum, pro vt erant præcisè fructus rei, siue extent, siue consumpti sint, vt si ex vuis alienis vinum bona fide confecit, non ad valorem vini, sed vuarum præcisè, quæ sunt fructus naturales tenebitur. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 4.

5 Quintò dico, quod possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus, quos ob suã negligentiam, non percepit, quemadmodũ ad id obligatur possessor malæ fidei. Et ratio est, quia cũ inde nõ sit factus ditior, non tenetur ratione rei acceptæ: & cũ non fuerit causa iniusta dãni domino obuenẽtis (sicut possessor malæ fidei iniusta detẽtione) nõ tenetur ratione iniustæ acceptionis, vt docet Ban. 2. 2 q. 62. ar. 6. & alij.

6 Sextò dico, quòd possessor bonæ fidei non tenetur restituere lucrum, quod propria industria ex re aliena sibi comparauit: v. g. habet quis pecunias in deposito, si eis negotietur, & lucretur, non tenetur quicquam lucri restituere, dummodo non sit in mora reddendi depositum, & dominus ob eius dilationem non patiatur aliquod damnum emergẽs, aut cessans lucrũ.

Hinc qui per contractum vsurarium acquisiuit mille, & deinde cum illis mille iustè lucratus est centum, quam primùm deprehendit contractum fuisse vsurarium, tenetur restituere mille, illa verò centũ, quæ cum prædictis mille lucratus est, restituere non tenetur. Et ratio est, quia tale lucrũ non est ex re aliena, sed ex industria, cum pecunia ex se non fructificet, nisi adsit negotiatio hominis, ac proinde illa centum, quæ ex pecunia vsuraria acquisiuit, non pecuniæ, sed industriæ personæ debẽt adscribi.

7 Septimò dico, quòd possessor bonæ fidei tenetur restituere lucrum indirectum ex re aliena acquisitum. v. g. si quis erat vsurus re propria, & aliena vtatur, tunc

quantum ex propriis bonis erat consumpturus, restituere tenebitur, verbi gratia, accepisti equum bona fide à fure tanquã dono datum, qui postea periit apud te, nihil teneris restituere, nisi inquantum factus es ditior, hoc est nisi, si equum illum non habuisses, necessariis tamen casibus indiguisses emere, vel conducere equum; quia igitur in his sumptibus quos insumpsisse, in emendo, vel conducendo equo factus es ditior, horum sumptuum valorem restituere teneris. Secùs vero si eo in vsibus non necessariis vsus es, ad quos alium non emisses, vel locasses, quia tunc nihil pro vsibus restituere teneris, quia in his non es effectus ditior.

8 Hinc, qui bona fide dono accepit à latrone vestem eleganté, quam durante eadem bona fide consumpsit ea se vestiendo, cum tamen alias solum lanea fuisset vsurus si sericam, & elegantem non accepisset, solùm tenetur restituere æstimationem illius vestis vilioris, qua vsurus esset, si elegantem non accepisset. Et ratio est, quia in eo factus est ditior.

9 Hinc qui in bello, quod probabiliter putabat iustum, res alienas surripuit, quàm primum deprehendit bellum fuisse iniustum, non tenetur restituere ædes quas incédit, animalia quæ occidit, segetes quas vastauit, quia omnia ista bona fide consúpsit, nec ex eis factus est ditior: sed solùm quantùm spectat ad spolia, quibus est vsus, tenetur id restituere, quod domi suæ consumpsisset, si spoliis illis non fuisset vsus: & vlteriùs restituat id, quod extat apud se ex ipsis spoliis,

10 Hinc qui bona fide accepit à latrone agrum, quem postea nouit fuisse furtiuum, non solùm tenetur cum agro restituere fructus extantes, sed etiam illos, quos suis vsibus consumpsit, in quibus nisi tales fructus habuisset, alia sua bona consumpsisset deductis tamen expensis, atq; laboribus. At si illos fructus ideò consumpsit, quia illius agri donatione, vel acquisitione factus ditior, statú mutauit, splendidiusq; vixit, tunc nihil præter agrum, & fructus extantes tenetur restituere, si quidem ex alienæ rei acceptione non factus est ditior. Quorum omnium ea est ratio, quia ex quo aliquid est omnino restituendum, natura restitutionis exigit vt quantum fieri potest restituatur integrũ: ad integritatẽ autẽ rei spectat, quidquid illius est, ideſt omnis fructus & vtilitas, quas res illa suaptè natura producit, vt v.g. qui tenetur restituere oué, vt integrum restituat, debet vna cum oue restituere lac, & cętera, quę ex illa percepit, & in illis factus est ditior.

Octauò dico, quod fructus, & effectus vtiles rei alienæ possunt vsucapi à bonę fidei possessore spatio triennij transacto cũ bona fide. Et ratio est, quia quemadmodum lex præscriptionis reddit liberum ab onere restituendi possessorem rei alienæ toto tempore assignato à lege ad præscribendũ bona stabilia, ita similiter lex vsucapionis reddit immunem possessorem bonæ fidei toto tempore assignato ad vsucapiendum bona mobilia: atqui fructus sunt bona mobilia: ergò qui illos possidet, toto illo tẽpore ad vsucapiendum res mobiles à lege præscripto, non tenetur illos restituere. Ita Petr. Nauar. lib. 4. de restit. nu. 39. Sylvest. verb. fructus q. 2. & Ban. 2.2.q.62. ar. 6. vbi ait hãc esse communem opinionem Theologorum, & Iurisperitorum.

12 Nonò, & vltimò dico, quod qui bona fide accepit à latrone res, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, & id genus alia, quæ functionẽ habent, non tenetur ad eorum restitutionem, etiam si eis factus sit ditior, dummodo ex illa datione fur non efficiatur inhabilis ad restituendum. Et ratio est, quia in hoc casu non tenetur ratione acceptionis vt constat: nec ratione rei acceptæ, quia iam consumpsit illã, ergo nulla ratione tenetur.

Tum quia fur poterat donare aliam pecuniam, vel aliud frumentum, cuius erat dominus, ergò & ipsa furtiua, Probo consequentiam, quia non magis manet subiecta restitutioni pecunia furto ablata, quã quæ erat propria furis, ergò cum fur non reddatur impotens ad restituendum vero domino, poterit quiuis ab eo accipere dono pecunias, vel panem emere, &c.

Dices, ergò si quis pro certo habet hãc pecuniam, vel hoc frumentum esse furtiua fas ei erit ea dona accipere à latrone.

1 Respondeo licere, dummodò ipse latro habeat aliunde, vnde restituat vero domino. Ita Ban. 2 2.q.62.ar.6. P. Naua. lib. 3. de restit. & cap. 4. n. 222. & Salon. 2.2.q.62.ar.6.

2 Secundò respondeo, & meo iudicio verius, quod si pro comperto habeo pecuniam hanc in individuo esse furtiuam

&

& accipio, illam, teneor ad restitutionem ratione iniquæ acceptionis; secus si bona fide eam accepi, & durante eadem bona fide eam expendi, quia tunc ad nullam restitutionem tenetur.

QVÆST. XVIII.

Vtrùm inuitatus ad splendidum conuiuium de gallinis furtiuis, ibique bona fide prandeat, teneatur postea cognita veritate restituere quantum in eo consumpsit.

1 AD hanc quæstionem respondet Bannes 2. 2. q.62.ar. 6. & dicit, quod si ille qui inuitauit, non est effectus impotens ad soluendum, ex eo quod Titius v.g. præsit cum illo, Titius non tenetur ad aliquá restitutionem, si bona fide comedit.

2 Contrariam sententiam tamen amplexari debemus, scilicet quòd inuitatus ad prandium ab amico, in quo res magni pretij consumpsit, si bona fide accessit, quia nesciebat omnia illa esse furtiua, non tenetur restituere integrum valorem ciborũ, quos sumpsit, sed quantum lucratus est, idest quantum ipse domui suæ in sua cœna expendisset, si ibi non comedisset, quia in eo factus est ditior: adeò vt si nihil erat domi consumpturus, nisi quartam vini, & libram panis, ad horum tantum valorem tenetur, etiam si quod lautè comedit apud amicum, æstimaretur quatuor, vel quinque ducatis. Reliqui verò qui mala fide comederunt, restituere debent, quantum consumpserunt. Ita Tolet. lib. 5. cap. 17. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 6. & alij communiter.

3 Auerte tamen, quod si id, in quo factus est ditior, plus valeat, quam cibi, quos bona fide comedit, non tenetur restituere totum, in quo inde factus est ditior, sed solum, quod alieni valoré adæquat, v.g. si ad prandium alienorum leguminum bona fide inuitatus fuisti, ratione quorum splendidum conuiuium seruasti, quod domui tuæ cœnaturus fueras, non teneberis ad totum valorem tui splendidi conuiuij, sed leguminum illorum duntaxat restituendũ, quæ prandisti.

QVÆSTIO XIX.

Sed quid? si æque dubitatus an possessor bonæ fidei ex re aliena, eiusue fructibus, sit factus ditior, an non?

1 RESpondeo non esse iudicandum factum ditiorem. Ratio est, quia in æquali dubio melior est conditio possidentis. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 3.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm redditus percepti ex locatione rei alienæ v. g. domus &c. sint domino restituendi?

1 NAuar. c. 17. nu. 25. Lop. p. p. instruct. Confess. q. 101. & Sylues. verb. fructus in principio, & verb. rest. 3. q. 9. censent eum, qui torquem aureum a non domino emptum, sæpiùs locauit, non teneri restituere pretium locationis domino torquis: quia putant huiusmodi authores fructus ex locatione esse merè industriales.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium, quod astruunt Molina to. 3. de iust. disp. 719. Petr. Nauar. li. 4. de rest. c. 1. n. 51. Rebell. par. 2. de obl. li. 2. q. 5. & multi alij, quorum ea est ratio, quia fructus locationis non solùm sunt puræ industriæ, sed etiam rei, atque adeò mixti id est partim industriales, & partim naturales, cum non pro mera industria, vel labore locandi, sed magis pro vsu rei soluantur, eiusdem verò est vsus rei, ac pretium eius, cuius est vtile dominium, siue vsufructus.

3 Et confirmatur, nam si pensio locationis esset fructus meræ industriæ, ergo liceret mutuare cum pacto, vt ex domo data in pignus, mutuans redditus percipiat, non computando eos in sortem, quia si sunt merè fructus industriales omnes debentur mutuanti, & ita nihil accipit vltra sortem, quod teneatur restituere, sicut latro non tenetur restituere, quod lucratus est pecunia furtiua ex negotiatione, quod est à veritate alienum.

4 Hinc qui iniustè domum alienam retinet valentem quingentis aureis vltra domus restitutionem, tenetur etiam restituere fructus decem vel plurium annorum, cum re vera illi sint partim naturales

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm emens equum furtiuum à latrone, teneatur statim cognita rei veritate suo domino eum restituere?

1 REspondeo eum, qui bona fide emit equum alienum, credens probabiliter illum esse venditoris, qui non erat, si postea venit in cognitionem, quod sit furtiuus, teneri restituere eum vero domino, etiam cum iactura pretij. Et ratio est, quia rei furtiuæ nullus dominiũ verum acquirit.

Tum quia si dominus equi comperta rei veritate conueniat emptorem coram iudice, compelletur, eum domino reddere, etiã non recuperato pretio; at forum exterius quando non fundatur in falsa præsumptione, semper est iustum, & obligat in co scientia, ergo. Ita D. Thom. 2.2. quæst. 62. ar. 6. Sot. lib. 4. de iust. quæst. 7. ar. 2. Couar. in Reg. peccatum de Reg. iuris in 6. Bart. Med. lib. 1. instruct. conf. cap. 14. num. 31. & alij.

QVÆSTIO XXII.

An emens bona fide rem alienam, quam postea eadem bona fide alteri vendidit, & deinde cognouit rem illam fuisse furtiuam, teneatur emptorem suum seruare indemnem, restituendo ei pretium?

1 IN hac quæstione tres sunt opinion. Prima est Soti lib. 4. quæst. 7. ar. 2. Pet. Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. n. 206. Mart. Ledes. 2. 4. quæst. 18. ar. 6, & aliorum, qui docẽt pretium esse restituendum emptori, in casu quo ei imminet periculum amittendi rem, & pretium simul ipsius, appetente vero domino, & rem suam postulante.

2 Ex quo inferunt, quod si emptor ille secundus non comparet, nec vllum sit periculum, quod ab illo sit res à domino auferenda, tunc ille qui bona fide illi vendiderat, licet tunc deprehendat esse furtiuã ad nullam restitutionem tenetur, quia à domino rei liber est, postquam nec rem habet, nec factus est per eam ditior, & alteri nullum dedit damnum.

3 Secunda opinio est Arag. 2.2. q. 62. art. 6. Ioan. a Penna in suis manuscriptis sup. 2. 2. D. Tho. & Salonij 2.2. q. 62. ar. 6. qui absolutè astruunt pretium esse restituendum emptori, & hoc siue maneat ei periculum perdendi rẽ illam, & pretium eius, siue nõ; imò affirmant ad hoc teneri, etiamsi talis venditor bonæ fidei non possit postea pretium, quod dedit latroni recuperare.

4 Tertia verò opinio est Nauar. c. 17. nu 8. & 9. Sylvest. verb. restitutio 3. q. 7. Couar. in Reg. peccatum de Reg. iuris in 6. Io. Med. C. de rest. q. 10. Lop. lib. 1. de cõtract. cap. 47. Barthol. Med. lib. 1. instruct. cõf. cap. 14. & aliorum qui dicunt talem venditorẽ non teneri ad contractum rescindendum, sed licitè posse sibi pretium retinere, dummodo alteri vendat eodem, vel minori pretio, quàm emit, quia in hoc casu nihil aliud quàm quod suum est, habet, licet si pluris vendidit, quam emisset, ad illud plus restituere teneretur, quia quoad illud, alienum retinet:

5 Cæterum secunda opinio mihi videtur verior, & tenenda videlicet quod ille qui à latrone rem emit bona fide, etiamsi alteri durante eadem bona fide vendidit, si deinde rescierit esse furtiuam, licet domino rei non maneat obligatus, quia ex tali venditione non est factus ditior, tamẽ quia talis tenetur emptorem suum seruare indemnem cum sciat per talem venditionem nullum in suum emptorem transtulisse dominium iure cogitur in conscientia suum ei restituere pretium. Et ratio est, quia iure naturæ tenetur venditor emptorem suum seruare indemnem, reddereq; illi venditionem certam, atque securam.

Tum quia pretium, quod venditor accepit, non est suum, ergò tenetur illud restituere. Consequentia est nota, & antecedens probatur, accepit illud pro re, quæ non est sua, ergo nec ipsum pretiũ est suũ,

Tum quia ille venditor nullo titulo potest rei venditæ pretium retinere, non titulo venditionis, quia talis venditio fuit nulla, nec titulo rei propriæ, cum id pretiũ ex re aliena proueniat, ergò nullo titulo, & per cõsequẽs tenetur illud restituere.

Tum quia non potuit venditor transferre in emptorem dominium rei alienę: ergò nec emptor voluit transferre in venditorem dominium pretij.

Tum quia, si apud talem venditorem remaneret res ipsa, aut fructus eius, proculdubio tẽneretur ad restitutionem ergò & pretium, quod pro illo habuit, restituere tenetur. Patet consequentia, quia pretiũ succedit loco rei.

Tum demum, qui vendit alteri rem vitiosam, tanquam bonam, vbi constiterit de vitio, tenetur eo animo esse, vel ad tollendum vitium, vel ad rescindendum contractum, sicut si Titius auricalcum pro aureo emisset,

[illegible], sicut si Tutor auricalcū pro auro [illegible] dat, & ille eadem bona fide illud [illegible] ignorans, & putans esse aurum, [illegible] pupillo tenetur Tutor, quia [illegible] ratione accepit rei falsitatē, [illegible] illud aurum restituere, vel rescindere [illegible] ut omnes Doctores tradunt, [illegible] ratione, quia venditor iure [illegible] tenetur indemnem emptorem, & [illegible] rescindere tuam venditionem: atqui [illegible], esse alienum, est quoddam [illegible].

7 [illegible] Nau. esse solum verum extrinsecum, rem verò intrinsecè non esse [illegible] quod intrinsecus esse in auricalco, quod [illegible] verum habet.

[illegible] Nau. nihil facit ad [illegible] verum intrinsecum, quando re vera tale [illegible] meritò sit inutus, reddendo [illegible] tum, tunc [illegible] ac proinde [illegible] emptor reddito pretio.

[illegible] quoque argumento occurrit [illegible] emptori tuto illum venditorem [illegible] si redderet alienum de [illegible] pretium dicens rem alienam [illegible] tuta conscientia [illegible] de eius.

9 [illegible] solutis vires argumenti [illegible], quia licet opinio Nau. sit vera in [illegible] actionem cedere, emptori [illegible], quia numquam superesset fur, qui primo eam vendidit, a quo emptor secundo pro alienam sibi datam, recuperare [illegible]. At si frustranea esset talis [illegible], vt quia primus venditor rei [illegible] mortuus est, aut egenus, tunc verum [illegible] secunda opinio, quam nervosè defendit Arag. 2.2.q.62.a.6.

QVÆSTIO XXIII.

An qui emit bona fide rem alienam à latrone [illegible], possit tuta conscientia [illegible], & latroni rem illam [illegible], vt priorem pretij datam recipere?

1 IN hac quæst. Caiet. 2.2.q.62.ar.6. Sot. l. 4.q.7.a.2. Mol. to.3. de iust. disp. 222. Io. Med. C. de rest. q.10. Couar. in Regula peccatum p.2 nu. 3. de Reg. iuris in 6. Barthol. Med. lib.2. instruct. cons. ca.14. nu 21. & multi alij affirmant in tali casu restitutionem faciendam esse vero domino, nec esse licitum rescindere contractum cum latrone reddendo ei rem alienam, vt recuperet suum pretium.

2 Tolet. lib.5.c.17.n.12. Nauar c.17.num.9. Arag. 2.2.q.62.a.6. Val. to.3.d.5.q.6.p.4. Lop. p.p. instr. conf. c.95. Salon. 2.2.q.62.a.6. Petr. Nauar. lib.2. de restitut. c.4.nu. 195. Sylvest. verbo restitutio 3.qu.7. & plerique alij docent, posse emptorem tuta conscientia rescindere contractum cum latrone, & rem illi reddere, vt ab eo suum recuperet pretium, quo se seruet indemnem, si aliter ipsum recuperare non potest. Quam opinionem censet esse veram Lessius lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 3. quando contractus rescinditur ex contentis vel non ita diu, postquam est inutus, quia non censetur notabilem iniuriam domino facere, rem ipsius tantisper contrectando.

3 Pro cuius tamen decisione dico primo, quòd qui bona fide rem emit, vel cepit a latrone, non potest tuta conscientia a domino rei pretium, quod ille dedit exigere. Et ratio est, quia nullum ius habet in dominum, cum sine domini culpa ad ipsum peruenerit. Ita Aragon. 2.2. quæstion. 62. artic. 6.

4 Secundo dico, quod si fur non comparet, aut mortuus est, tenetur possessor rei illius domino restituere, etiam sine recuperatione pretij. Vnde rectè aduertit Caiet. 2.2.q.62.a.6. ementem rem furtiuam, etiam si bona fide eam emat, esse in periculo amittendi rem, & pretium eius. Vnde vnusquisque debet esse cautus, ne quid furtiuū emat, ne se huic criminis exponat. Ita Salon. 2.2.q.62.ar.6.

5 Tertiò dico, quòd qui rem alienam titulo donationis, vel alio gratioso nomine accepit, statim ac scit ad alterum pertinere, ad illam domino vero restituendam obligatur. Ratio est, quia tenetur ratione rei acceptæ, quæ apud ipsum est, non furi, cum non sit eius ergo vero domino, nam restitutio quæ facienda est ratione rei accepta, debet fieri illi, cuius res est.

6 Quarto dico, quòd emptor bonæ fidei potest rem alienam restituere, quando est verisimilis coniectura, quòd sit vero domino reddēda, aut ipse dabit operā vt tuto res vero domino reddatur. Ratio est, quoniā in eo euentu dominus rei irrationabiliter esset inuitus, quòd id ita fieret, ac proinde nihil de eo esset tūc curādum.

Tum quia eo modo consuleretur honori latronis, nihilque dominus periclitaretur ex eo, quod res latroni redderetur, vt per illum fieret restitutio proprio domino. Ita Petr. Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. num 194.

7 Quinto dico, quòd si emptor bonæ fidei absque proprio detrimento potest restituere vero domino, & restituat latroni, de quo non est certus, quòd restituet, peccat saltem contra charitatem. Ratio est, quia vnusquisq; tenetur prospicere proximo, & rebus eius, ne pereant, maximè si id potest facili negotio præstare iuxta illud Ecclesiast. 17. mãdauit dominus vnicuique de proximo suo. Ita Bannes 2.2. quæst. 62. ar. 6.

8 Sexto dico, quod verissimilis est opinio eorum, qui dicunt, quod peccat contra iustitiam, qui sine suo detrimento potest rem alienam vero domino restituere, & restituit latroni, à quo illam accepit, de quo non est certus, quod restituet. Et ratio est, quia reddens rem alienam latroni, videtur esse manifestus cooperator cum latrone ad iniustam rei alienæ acceptionem, & retentionem, ergo tenebitur restituere vero domino.

Et confirmatur, si quis pallium proximi de torrente eriperet periturum, si postea sic ereptum iterum proiiceret in torrentem, proculdubio peccaret contra iustitiam, ergo, & qui rem alienam latroni redderet, peccaret contra iustitiam. Probo consequentiam, quia vtriusque eadem est ratio. Ita Ban. 2.2.q.62.a.6.

9 Septimò dico, quòd si emptor rescindit contractum cum latrone, & hoc bona fide quia putabat id esse licitum, non tenebitur postea ad vllam restitutionem faciẽdam vero domino. Ratio est, quia hic non tenetur ratione iniustæ acceptionis, quia bona fide emit: neque ratione rei acceptæ, quia eam bona fide transtulit in latronem recuperato suo pretio, neq; enim tenebatur scire subtilitates iuris, præsertim cum res in se sit adeo abstrusa, vt multi viri docti, examinatis aliorum rationibus, hodie existiment id esse licitum: ergo nulla ratione tenetur. Ita Salon. 2.2.q.62.a.6. Sot. lib. 4. q. 7. ar. 2. & alij.

10 Octauò dico, quòd probabilis, & in praxi tutior est opinio Soti, & aliorum qui negant esse licitum rescindere contractum cum latrone, sed potius asserunt teneri ad restituendam rem vero domino, etiam cum iactura pretij, Ratio est, quia talis emptor cognita semel rei veritate, non potest vendere rem illam alteri, vt pretium recuperet, quoniam res aliena est, ergò neque eam latroni reddere potest, vt recuperet pretium ab eo. Probo consequentiam, quia dominus rei tantum damnum patitur si res tradatur latroni, ac si venderetur alteri: imò videtur, quòd maius detrimentum patiatur, si traditur latroni, ergò non potest rem illam ei tradere.

11 Nono & vltimò dico, quòd longè probabilior est opinio Nauar. Tolet. & aliorũ qui astruunt esse licitum emptori rescindere contractum cũ latrone, reddẽdo ei rẽ alienam, vt recuperet suum pretium, etiã si sciat latronem rem illam nunquam esse restituturum. Et ratio est, quia contractus, quo latro rem vendidit, fuit ipso iure nullus, eo quòd latro dominium rei in emptorem transferre non potuit: ergò nec emptor pretium, quod pro illa dedit, transtulit in latronem, ergò poterit iustè pretiũ datum repetere quandoquidem illius pretij dominum à se non abdicauit.

Tum quia in pari casu innocentiæ, vnusquisque ius habet sibi magis consulendi, quam alteri, ergò talis emptor non tenetur rei dominum seruare indemnem, cum æquali suo detrimento.

12 Tum quia emens rem alienam bona fide, nullo iure tenetur cum notabili suo incommodo reducere eam in meliorem statum quam sit is, in quo erat, quando sibi fuit vendita; sed quando sibi fuit vendita erat in manibus latronis, ergò quando periculum sibi imminet, nisi eam reddat latroni, pretium amittendi non tenetur eã tradere domino cum tanto illo suo detrimento, sed tuta conscientia poterit eam reducere in manus latronis.

Et confirmatur, nam qui inuentam rem alienam in loco publico sibi assumeret, & deinde aduerteret eam sibi futuram esse occasionem alicuius mali notabilis, posset reponere eodem loco, nec tenetur cum tãto suo damno, ac incommodo seruare, vt domino restituatur; ergo idem dicendum est in casu nostro, cum vtriusque sit eadem ratio.

13 Tum quia, qui timet aliquod graue dãnũ, si rem quã à latrone emit, ei nõ restituat vt si timet vulneratũ ab eo ri, non tenetur

rem

rem illam restituere vero domino, sed licet ei reddere in manus latronis, vt Sotus [illegible] restituat: ergo pari ratione [illegible] amittere pretium, atq; id pretium sit magnum, poterit illam reducere ad [illegible] latronis.

Tum quia natura restitutionis exigit, vt res in tanta positione reponatur, sed tempore, quo res rem alienam emit, res illa erat in potestate latronis: ergo satis erit ad satisfaciendum præcepto restitutionis, si ei prior reponat rem emptam in manu latronis, a quo illam accepit.

14 Tum quia latro principaliter tenetur facere restitutionem. hal eque tus petendi rem illam, vt restituat, ergo qui tradit rem latroni, vt ipse restituat alunde præcepto de restituendo satisfacit. Huius opinionis videtur esse D. Thom. 2.2.q.66 ar.3. ad 2. vbi sic ait. id quod est per rapinam ablatum, est rapientis, non simpliciter, sed quoad detentionem. ex quo loco sic colligo argumentum.

Latro hal et ius ad rem furtiuam cõseruandam vero domino, ergo emptor potest illi reddere: nec reddendo fit particeps [illegible] quia reddere rem latroni, est medium ordinatum, tum ad conseruandũ emptorem indemnem, tum ad restituenda rem vero domino, cum ipse latro, qui principaliter restitutioni est obnoxius, possit postea prout tenetur, ré domino restituere.

Tandem videtur esse conclusio definita in l. in furtis de rest. spoliat. vbi habetur, qui ad prædo secundum iuris rigorem est restituendus, ergo.

QVÆSTIO XXIV.

An Titius qui emit rem alienam bona fide, & eandem bona fide perfacturus, vendidit illam Antonio, teneatur postea comperta veritate, restituere vero domino pretium eius, quando ipsa non potest res ipsa restitui, vel possit illud sibi retinere?

1 IN hac quæstione, vnum est certum, alterum vero controuersum.

2 Primum est certum, teneri Titium in casu posito facere, quantum in se est, vt Antonius qui bona fide emit ré alienam, nullum patiatur damnum, ita sanè, quod si verus dominus rei inuenerit illam apud Antonium, vel sit probabile periculum, quod inueniet, tenebitur Titius rescindere venditionem cum Antonio, restituendo illi pretium acceptum, vel esse paratus vt rescindat, si opus fuerit. & ratio huius est, quia iure naturæ tenetur venditor seruare indemnem emptorem.

QVÆSTIO XXV.

Sed tota difficultas consistit, quando Antonio nullum imminet periculum amittendi rem illam, & pretium simul ipsius, & Titius retinet pretium rei alienæ, quam vendidit. An videlicet teneatur illud pretium vero domino restituere, vel potius teneatur rescindere contractum cum Antonio, vt rem ipsam restituat vero domino?

1 ILlustrissimus Caiet. 2.2.q.62.ar.6. Sot. lib.4 quæst.7.ar.2.Coua.in Reg. peccatum 3 p.num. 3. & multi alij tenent in hoc casu Titium non obligari rescindere contractum cum Antonio, nec restituere pretium, sed acceptum posse illud sibi retinere, nisi in illo factus sit ditior. Vnde si tãti vendidit, quanti emit, ad nullam tenetur restitutionem: si autem pluris vendidit tenebitur restituere illum excessum, in quo factus est ditior. Ratio est, quia in casu posito, neq; tenetur ex parte iuris quæ acceptionis, quia bona fide accepit, neque ex parte rei acceptæ, quia iam bona fide trãstulit à se talem rem nec in ea factus est ditior, ergo nullo modo tenetur.

2 Mihi sanè non placet hæc sententia, sed opposita, quæ docet Titium in hoc casu teneri, vel ad rescindendum contractũ cum Antonio, vt rem ipsam domino suo restituat, vel saltem si id non possit ad restituendum pretium illius vero domino. Moueor autem ex eo quod, illo contractu venditionis Titius non transtulit dominiũ rei alienæ in Antonium, ergo neque ipse acquisiuit dominium pretij, & per consequens tenetur illud restituere.

Tum quia si Titius retinet rem furtiuã, nec comparet latro, cum quo rescindat venditionem factam, tenetur cum primum nouit esse rem alienam, restituere illam vero domino, ergo & tenebitur restituere pretium, si rem illam vendiderat. Probo consequentiam, quia res ipsa, & pretium eius moraliter pro eodem computantur.

3 Tum quia Titius, qui bona fide emit

rem furtiuam, habet intentionem dandi pretium vero domino rei, ergo reuera non transfert dominium pretij in furem venditorem, ac per consequens fur nullo iusto titulo potest retinere pretium illud, si quidem non acquirit, eius dominium, quemadmodum non acquisiuit dominium rei quam vendidit.

Tum quia si emptor bonæ fidei, qui postea rē illam alteri vendidit, cum primùm illam nouit furtiuam, tenetur restituere excessum pretij, si pluris vendidit, quam emerit, ex eo quod in illo factus est ditior. ergo & tenebitur restituere totum pretiū iustum, quod pro illa accepit. Patet consequentia quia in toto illo factus est ditior. Quod sic ostendo, nam quando vendidit rem illam, vendidit alienum, ergo pretium, quod pro re illa accepit, non potest illud habere, atque adeo si retinet, efficitur ditior, ex eo quod habet magis, quam debet habere.

4 Tum quia emptor bonæ fidei, cum primum deprehendit rem emptam fuisse rē alienam, tenetur illam restituere vero domino, ergo venditor tenetur seruare suum emptorem indemnem, restituēdo ei pretiū, quòd si non fuerit possibile, vero domino tenebitur restituere tale pretium.

Tum demum, quia qui bona fide rem alienam possidet, & eadem bona fide durāte, illam consumit, & si non teneatur ad illius rei restitutionem, quia bona fide cōsumpta est, tenebitur nihilominus statim ac scit fuisse furtiuam restituere fructus illius existētes, sed pretium rei in casu posito est veluti fructus illius, ergo tenetur illud restituere vero domino. Ita Ban. & Salon. 2.2.q.62.ar.6.& Ioan. à Penna in suis manuscriptis.

Et ad argumentum in contrarium adductum respondeo, quod Titius in casu ibi posito tenetur rem illam domino restituere, non ex parte iniustæ acceptionis, sed ex parte rei acceptæ, quoniam & si non habeat rem alienam apud se materialiter, habet tamen effectiuè, id est eius valorem, cuius dominium non potuit acquirere ex tali venditione rei alienæ.

5 Dices, si Titius durante bona fide rem alienam consumpsisset, vel alteri donasset, vel fuisset illi sublata, proculdubio ad nullam restitutionem teneretur, cum ex inde non sit factus ditior: ergo, pari ratione, si durante eadem bona fide illam vendat, ad nihil restituendum tenetur, nec ad rescindendum contractum, cum in hoc casu, secundo emptori, vel donatario, vel furi nullum imminet periculum, nec ad restituendum pretium vero domino, cum ex eo non sit factus ditior.

6 Respondeo diuersam esse rationem, quia quando res aliena perit apud Titium nullem possessorem, vt puta quia illam alteri dono dedit, vel fuit ei sublata, nihil ipsius manet apud Titium, & ita nihil tenetur restituere: at quando illam vendidit manet apud ipsum pretium illius, quod pro eodem reputatur cum ipsa re, ac proinde tenetur rescindere contractum cum suo emptore, vt rem illam domino suo restituat, quod si fieri nequeat, tenetur eius valorem domino restituere.

QVÆSTIO XXVI.

Quid? si emptor cognita rei veritate, cam statim domino reddat, tenebiturne Titius ei restituere pretium?

2 REspondeo non teneri, si ex illa redditione Titius incurrit damnum, non valens recuperare pretium, quod pro illa dedit, quod re vera recuperasset, si rē illam sibi venditam primo venditori restituisset. Verum si illa momentanea restitutio non fuit causa efficax, ob quam Titius nequeat pretium à se datum recuperare, tenebitur pretium, quod accepit eidem restituere. Ratio est, quia vendendo rem alienam, ei causam damni dedit, & ipse sua redditione Titio inconsulto, ei damnū non intulit. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 14. dub. 5.

QVÆSTIO. XXVII.

Quid dicendum de eo, qui bona fide emit rem alienam, & deinde deueniens in cognitionem huius, non inuenit dominum?

1 CAietan. Sot. Molina, & Couar. locis supra citatis dicūt, quod si facta diligenti inquisitione, dominus rei non cōparet, res est expendēda in vsus pauperū.

2 At vero Nauar. cap. 17. num. 9. Aragō. 2. 2. quæst. 62. ar. 6. Tolet. lib. 5. cap. 17. Valent. tom. 3. disput. 5. q. 6. par. 4. & multi alij existimant satis esse, ac sufficere, si res reddatur latroni, vt suū pretiū recuperet. Et hæc secunda opinio mihi magis placet.

QVAE

QVÆSTIO XXVIII.

[illegible] non comparat, vel si [illegible] pretium recipiat?

1 RIspondeo in hoc casu debere eam [illegible] in eleemosynam pro tali [illegible] si facta donatione pauper [illegible] dominus, licet esset, quia [illegible] rem illam bona fide in [illegible] expendit, erogando eam [illegible] quia ipse dixit, [illegible] mihi fecisti, mihi fecisti. Lanss Reg.c.2.nu.20.

QVÆSTIO XXIX.

[illegible] esse [illegible] emit, [illegible] quid restituere?

1 RIspondeo posse. Ratio huius est, quia [illegible] utiliter gerit negotium domini [illegible] quam petere expensas moderatas, nisi ex ea veritatem habuerit quia tunc teneretur compensare fructus ei experis, & pretio & si in hoc casu res pereat, aut ea amittatur sine sua culpa ad nullam teneretur restitutionem. Quod est verum, quando modico pretio Titius eam emit animo vt eam traderet domino illius, quia videbat, quòd ipse ita illam emeret. Dominus nunquam tam recuperaturus, aut non nisi tali pretio intendendoque agere vtiliter negotium domini eius rei, illa ita emit. Quod licitum esse affirmat Aug. c. 1 apud Gratian. 14. q. 5. Iis verbis. Lapidem emere non licet, nisi ea intentione, vt cum est ablata, restituatur. Tale autem dominus non solum in conscientia, sed etiam in exteriori foro tenetur soluere pretium emptori actione negotiorum gestorum. Secus autem quando alteri domino rem suam erat habiturus, & sine pretio, tunc enim nihil vtilitatis talis emptione domino attulit, nec vtiliter eius negotium egit, ac proinde nec dominus rei aliquid Tatio restituere tenetur. Ita Medi. to. 2. de rest. disp. 21. Petr. Nauar. c. 17. nu. 181. Barthol. Med. lib. 1. instruct. confes. c. 1. s. 21. & alij.

2 Dixi, [illegible] tius in proprium suum commodum emit, non potest pretium repetere quia neque nomine venditionis (non enim domino rem suam vendere potest) neque nomine gestionis negotij, quia non eius causa emit.

QVÆSTIO XXX.

Quænam sint, quæ constituunt possessorem in malæ fidei?

1 RIspondeo quatuor. Primũ est ignorantia crassa aut supina, qua emptor rei furtiuæ ignorabat eam esse talem, vt qui tempore belli emit a milite calicem aut missale, aut a pannoso latinum argenteum, quia vt probè aduertit Host. talis ignorantia malam fidem nõ tollit, sed potius inducit; quare a restitutione, & a culpa non liberat, quia si de hoc non cogitauit, debuit tamen cogitare. Vnde similiter tenetur, sicut qui fciens, & prudens emit rem alienam.

Secundum est dubietas, quando talis possessor incipit dubitare rationabiliter, An res quam possidet sit sua, vel aliena, & de inquirenda veritate parum, vel nihil est sollicitus.

Tertium est negligentia magna, vel simplicitas fatua ad cogitandum, An res a se possessa ad se pertineat, an non.

2 Quartum, & vltimum est ignorantia iuris, qua emptor credit sé esse furtiuam, emptionẽm tamen talis rei arbitratur esse licitam. Ratio est, quia prohibitio non emendi alienum, cum a iure naturali trahat originem, eius ignorantia non excusat.

QVÆSTIO XXXI.

An possessor malæ fidei ad aliquam restitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd possessor malæ fidei tenetur restituere domino rem iniustè acquisitam, si eam habet, aut valorẽ eius, si illã non habet, quia vendidit, aut eam consumpsit, vel violẽter fuit ablata, vel perijt etiam casu fortuito. Ratio est, quia iniustè expoliauit dominũ re sua, vel damnum ei intulit, ac proinde tenetur ad huiusmodi damni restitutionem.

Tum quia qui iniustè detinet semper est in mora: ei autem, qui est in mora, etiam

casus fortuitus imputatur vt habetur in c.decimæ 16.q.1.& tradit Nauar. c.17.n.10. Couar.in Reg.peccatum p.2.§.6.n.1.Sot. li. 4.q.7.ar.2.Arag.2.2.q.62.ar.6. Petr.Naua.li. 3.de rest.n.200.& alij.

2 Secundo dico, quod possessor malæ fidei non solùm tenetur rem restituere,sed etiam fructus non tantùm naturales, quos res fructifera ex se producit,sed etiam industriales mixtos,ex ea perceptos,tam extantes,quàm consumptos, deductis tamen expensis, & quos dominus verisimiliter erat percepturus.v.g. Titius sciens,ac prudens emit vineam a latrone &detinuit per annum,iste tenetur reddere fructus , quos in potestate domini fecisset, quamuis ipse sua negligentia nullos perceperit. Ratio huius est , quia ex consensu omnium , fur ipse ad hoc obligatur , ergo & possessor malæ fidei,qui velut fur iniustè rē habuit, & detinet inuito domino, & est caussa efficax talis damni. Et est conclusio definita in c.grauis de rest.spol.vbi.Cœlest.iij.Romanus Pontifex sic ait.Non tantùm fructus a nouo , & violento possessore percepti, sed ij quos si eos possidere fuisset licitum, possessores veteres percepissent, reddendi sunt.Ita Cou.in Reg.peccatum.p.2.§.6.n.4. de reg.iuris in 6.Med.C.de rest.quæst.6.& Petr.Nauar.li.4.de rest.nu.41.

3 Tertiò dico,quòd possessor malæ fidei non solùm restituere tenetur rem ipsam cum fructibus, sed etiam totum damnum emergens, & lucrum cessans, quod dominus rei toto hoc tēpore passus est.v. g.Titius scienter emit à latrone equum locationis,& detinuit per annum , iste tenetur non solùm equum domino reddere , sed etiam illud , quod dominus lucratus fuisset , & si aliquod detrimentum domino euenit ex mora restitutionis ipsum resarcire tenetur.Ita Cou.2.p.Reg. peccatum §. 6.& Med.C.de rest.q.9.

Hinc qui mala fide vendidit lignum violatum,nihil dicens emptori,non solum tenetur de ruina domus ad cuius ædificium fuit emptum , sed etiam tenetur soluere pensionem , quam dominus percepisset , si domus non corruisset.

4 Hinc qui surripuit mille aureos à Caio, qui postea vt suo solueret creditori, compulsus fuit domum vendere intempestiuè, minoris, quàm valebat, aut sumere pecuniam sub vsuris , tenetur non tantùm reddere mille,quæ iniustè accepit , sed etiam vsuras,quas Caius contraxit,vel illud pretiū, quod perdidit de iusto valore domus.

5 Hinc possessor malæ fidei , qui omisit soluere tempore conuento, ob cuius dilationem euenit damnum creditori,vt si non tradidit frumentum à se emptum emptori, quod valebat quinque, & postea valet decem,quòd si tradidisset,emptor ex illo postea decem habiturus erat,quia consideratur illud plus,quod valuit, quod est interesse lucri cessantis vnde decē, & nō quinque tantum tenebitur postea soluere, quia ex mora emptor quinque omisit lucrari. Quorū omniū ea est ratio , quia si mutuatarius,vel commodatarius tale interesse,& damna soluere tenetur , multò magis fur, qui non debet melioris esse conditionis, ad eadem tenebitur.Ita Nau.c.17.nu.26.

6 Quartò dico,quòd possessor malę fidei tenetur ad supradicta,siue apud se,rem habeat,siue non;parum enim refert , cum vt supponimus fuerit in causa,vt dominus re sua priuaretur : licèt obligatio restituendi fructus quos res mala fide possessa in potestate domini fecisset, non duret nisi vsq; ad rei desitionem,cum ipsa non fructificet domino,nisi quandiu extat,quare si res illa pereat,abūdè restituētur fructꝰ,quos dom. fuisset percepturus,si pretium rei restituatur,in cuius æstimationē, fructuū quoq; in cuius potētia existētiū, ratio haberi solet.

7 Quintò,& vltimo dico, quòd qui rem alienam emit,ignorantia admodum crassa, quòd esset aliena,ita quòd boni viri arbitrio non excusetur à culpa Theologica, eā ita accipiendo,ad ea omnia tenetur,ad quę quatuor dictis præcedentibus,est explicatum,incipientem possidere rem alienā mala fide teneri. Dicitur autem ignorantia crassa , quando emens tenebatur cogitare rem esse furtiuam,vt qui tēpore belli emit calicem,vel missale,& huiusmodi à militibus:vel erat rumor, quod erat res furtiua: is enim ad restitutionem tenetur , ac si scienter emisset : ignorantia,seu negligentia crassa æquipollet dolo, qui nemini debet patrocinari.

Hoc idem dicendum est , quando est ignorantia crassa iuris, vt si sciat probabiliter esse alienam,sed tamen putat non esse restituendam , ignorantia enim , quæ à iure naturali trahit originem non excusat. Ita Petr.Nauar.li.3.de rest.nu.182.

QVAE

QVÆST. XXXII.

[illegible] mortua fidei, an mancipium debitor ex [illegible] soluat in tempore statuto, teneatur [illegible] extrinsecum?

1 In hac quæstione Sylvest.verb.restitutio 3 q. 9. nil certi concludit, quamuis in partem negatiuã videatur declinare.
2 Sed hoc tam obiiare dico cum Nauar. cap. 17. num. 211. & Lop. lib. 2. de instruct. Cont. cap. 22. quod in foro conscientiæ tenetur talis malæ fidei possessor seu mancipius debitor soluere extrinsecum interesse damni ex sola omissione soluendi subsecuti: scilicet animalia mortua ex sola omissione traditionis fœni vel ordei, etiamsi promissio de soluendo huiusmodi damnum non præcesserit.

Hanc tamen nota, quod quando dies apposita est obligationi, non requiritur monitio vt debitor constituatur in mora, & in mala fide, vt habetur in cap. vlt. de locat. Quia dies pro homine interpellat. Sed si dies non sit opposita, secus: nisi moratus, vt cum Panorm. refelluat Lop. loco cit. Vide Sylvest. verb. oblig. & verb. mora.

QVÆSTIO XXXIII.

[illegible] malæ fidei teneatur restituere [illegible] usufructuale, id scilicet quod [illegible] aliena per negotiationem emendo, & [illegible] est?

1 Respondeo non teneri. Et ratio est, quia huiusmodi lucrum non nascitur ex re aliena, vt fructus eius, cum pecunia ex se sit sterilis, sed ex labore, & industria sua, circa rem tamen alienam, & ideò non censetur in hoc lucro damnum fecisse Domino, sed solum in re aliena: nisi tamen ex carentia rei alienæ Dominus pateretur aliquod damnum, vel emergens, vt si Dominus propter carentiam rei suæ coactus est rem emere carius, vel vilius vendere: vel damnum lucri cessantis, vt si definauerat pecunia qua careat, negotiari ob lucrum, tunc enim teneretur huiusmodi possessor malæ fidei restituere tam iustam æstimationem damni emergentis, quam lucri cessantis, deductis tamen, periculis, laboribus, & expensis subeundis in lucro acquirendo. Ita P. Nau. lib. 4. de rest. n. 40.
2 Hinc si latro furatus est mille, & illis negotiatus, lucratus est centum, non tenetur ista centum reddere, sicut nec lucrum ex illa pecunia furtiua in ludo acquisitum, cum hoc lucrum industriæ sit, & laboris, non rei alienæ, quæ ex se non fructificat.

QVÆSTIO XXXIV.

An malæ fidei possessor teneatur restituere fructus perceptos, si Dominus res nullos erat ex ea re fructus percepturus?

1 SOtus lib. 4. de Iust. quæst. 7. ar. 2. Cou. in Reg. peccatum de Reg. iuris in 6. pag. 2. §. 6. nu. 3. & Petr. Nauar. lib. 4. de restitutione nu. 44. censent possessorem malæ fidei fructus non extantes, sed iam consumptos, non teneri Domino restituere, quãdo aliàs Dominus eos nõ percepisset, si rem habuisset propter negligentiam suam, vel alia de causa, nisi ex illis factus sit ditior; secùs si extant.

Huic sententiæ accedit Lop. subdubius p.p. instr. conf. cap. 91. etiamsi tutius esse dicat eos restituere, non quidem integrè, sed ad boni viri arbitrium.
2 At vero Molina tom. 3. de Iust. disp. 725. Less. lib. 2. de Iust. cap. 12. dub. 17. & Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 5. probabilius putant in foro conscientiæ teneri eum ad hos fructus restituendum, etiam si consumpti sint, deductis tamen expẽsis, & laboribus.
3 Pro huius tamen quæstionis decisione, dico primò, quod probabilis est opinio Soti, & sequacium, qui dicunt possessorem malæ fidei teneri in foro conscientiæ restituere non solum fructus, quos ex re aliena percepit si extant, sed etiam si consumpti sunt, dummodo eos probabiliter Dominus percepturus fuisset; sin autem Dominus ex re sua nihil percepisset, tunc fructus naturaliter ex re aliena perceptos vsurpator tenetur restituere, si extant, vel ex inde factus sit ditior, quia nimirum alias rebus proprijs pepercit, quia tenetur ratione rei acceptæ: si verò non extant, nec ex eis ditior effectus est, nec Dominus alias percepisset, ad nullam restitutionem tenetur. Et ratio est, quia in hoc euentu Dominus nullum passus est damnum, nec minus habet, quam habere debuisset.

4 Secun

Digitized by Google

4 Secundò dico, quod probabilior est aliorum opinio, qui docent teneri hunc malæ fidei possessorem restituere fructus ex re aliena perceptos, & consumptos, quos tamen Dominus rei non erat percepturus, si rem habuisset, etiam si exinde nō effectus sit ditior. Ratio est, quia res suo Domino fructificat, sicut si perit, sine culpa habentis, Domino perit.

Tum quia, & si agrum illum Dominus non erat ob suam negligentiam culturus, nec ex eo vllos fructus alias percepturus, tamen quia fructus percepti, sunt fructus fundi, etiamsi consumpti sint, deductis expensis, & laboribus debent restitui.

5 Tertiò demum, quia eo ipso quod semel in rerum natura extiterunt, tanquam fructus rei illius, Dominium illorum pertinuit ad Dominum rei, & qui illos ab eo puncto detinuit, neque eos ipsi restituit, iniuriam illi intulit, damnumque proinde iniustum illi dedit, qui eos consumpsit: vnde ex parte iniustæ detentionis, ac accessionis tenetur illi ad illorum restitutionem. Et hæc opinio mihi valde placet, & ita eam tenet intelligendo de fructibus quo licitè Dominus rei ex vsu rei suæ licito, & honesto, percepturus fuisset.

6 Argumentum autem in contrarium adductum falsò supponit in eo casu non fuisse Domino damnum illatum ob omissionem restitutionis fructuum de Iustitia faciendæ antè consumptionem, alioquin etiamsi extarent in se, vel in suo effectu, nec restituerentur, nullum damnum inferretur Domino, nec minùs haberet, quam habere debuisset. Vnde cum lege Iustitiæ commutatiuæ antè consumptionem eos restituere teneatur, profectò id omittendo contra Iustitiam commutatiuam peccant, damnumque Domino intulit, quod resarcire iure compellitur.

QVÆSTIO XXXV.

An possessor bonæ, vel malæ fidei possit detrahere expensas, quas fecit in re aliena?

1 Ad hoc dico primò, quod possessor bonæ fidei in vtroque foro potest sibi retinere omnes expensas necessarias, atque etiam vtiles factas in re aliena bona fide vt habetur in lege: Si a Domino §. frustra. ff. de petit. hæred. & l. plane & l. vtiles. ff. eod. tit. Idem dicendum est de expensis voluntariis, vt si in re aliena suis impensis ædificauit, pinxit, vel aliud adiunxit ornamentum, habet enim ius exigendi ex Iustitia æstimationem huiusmodi ornamēti, quando restituit rem, vel amouendi illud, si commodè potest sine detrimēto rei, quod si sine detrimento rei remoueri non potest, tenetur Dominus rei in conscientia soluere iustam æstimationem expensarum, vt recipiat rem suam, vel saltem vendere illam rem tali possessori iusto pretio. Ita Molina tom. 3. de Iustitia disp. 725.

2 Secundo dico, quod possessor malæ fidei in vtroque foro potest deducere expensas necessarias, quæ factæ sunt in colligendis, & conseruandis fructibus. Ratio est, quia omnes has expensas facturus erat Dominus ipsius rei, si ergo alius fecit, potest illas deducere.

3 Tertiò dico, quod possessor malæ fidei, non potest in foro exteriori repetere expensas vtiles, quas fecit in re aliena, quantumuis ex his expensis res facta sit melior, & maioris pretij vt colligitur ex lege planè. ff. de petit. hæred. Permittitur tamen, eas abradere absque detrimento status prioris rei. At verò in foro conscientiæ absolutè potest huiusmodi expensas vtiles retinere, ex quibus res facta est maioris æstimationis. Quod intellige quando res aliena non ipsi possessori malæ fidei, sed ipsi Domino facta est vtilior, vel maioris pretij, nam si domui alienæ nobilis cum expensis adiunxisti tabernā, hæc in nullā vergit Domini vtilitatem, & ideò etiam expensas in eo factas non potest retinere.

4 Quartò, & vltimò dico, quod possessor malæ fidei potest deducere, & retinere expensas voluntarias solùm in foro conscientiæ per subtractionem ornamentorū, illæso semper manente statu, quem res antè adhibitas expensas habebat: sicut potest in conscientia fur ab annulo furato detrahere gēmam restituto annulo, vel si furatus est aurum, ex quo fecit damnum proximo, poterit retento annulo propter valorem artificij tantundem auri Domino restituere. At verò loquendo in foro exteriori absolutè non potest huiusmodi expensas in Iudicio repetere. Ratio huius est, quia nullus debet ditari cum damno alterius, sicut ditaretur Dominus rei, si res meliorata eidē restitueretur, non deductis expensis, & laboribus

melio-

meliorantis. Ita Petr. Nauar.lib.4. de reſt. num.31. Couar. in Reg. peccatum de Reg. iuris in 6.Molina tom.3. de Iuſt.diſp.725.& Med.C. de reſtitutione quæſt.6.

5 Hinc, cautè legendus eſt Sylueſt.verb. furtum,quæſt.16. qui ait,quod ſi res venit ad manus proprij Domini cum melioramento,non poteſt poſſeſſor malæ fidei eas petere,quia (inquit) dolo facit,qui petit, quod neceſſe habet, reſtituere. Ex quo infert, poſſe Dominum eas retinere.Hoc inquam falſum eſt, quia ſi vt ipſe etiam fatetur, poteſt poſſeſſor malæ fidei detrahere expẽſas etiam vtiles factas in re aliena, contra Iuſtitiam agit Dominus, qui cum illo melioramento ſibi retinet cum ex reſtitutione locupletior fiat,& pluſquam ſibi debetur,accipiat.

QVÆSTIO XXXVI.

An poſſeſſor malæ fidei poſſit deducere laborem, & induſtriam adhibitam ad neceſſarias,vel vtiles expenſas?

1 MErcad.de reſtitut. cap.14. & Petr. Nauar.lib.4.de reſt.cap.1.num.43. negant ex eo fundamento, quia contra Domini voluntatem ſunt poſita, imo contra Iuſtitiam.

2 At Couar.2.p.Reg. peccatum §.6.num.2. & Rebell.p.2.de obligat.lib.2.q.3.probabilius affirmant, & meritò quidem, quia ſi poſſeſſor malæ fidei per alios apponeret induſtriam, ac laborem,eiſque mercedem ſolueret, proculdubio eiuſmodi expenſas poſſet deducere, ergo ſi per ſeipſum hæc omnia facit, ſimilem mercedem in foro conſcientiæ, tam bonæ, quam malæ fidei poſſeſſor poterit exigere.

Tum quia ſublator rei alienæ, poteſt deducere expenſas neceſſarias, vel vtiles, quas fecit in re aliena vt dictum eſt, ergo & induſtriam, & laborem ſimiliter neceſſarium,cum vtriuſque eadem ſit ratio.

3. Nec argumentum in contrarium ad ductum quicquam valet, quia ſi valeret, nec expenſas vtiles poſſet poſſeſſor malæ fidei deducere,quia pari modo contra domini voluntatem ab eodem ſunt factæ.

QVÆSTIO XXXVII.

An qui emit mala fide rem alienam, poſſit tuta conſcientia reſcindere contractum cum venditore tradendo illi rem illam, vt pretium datum pro ea recuperet,an verò teneatur Domino reſtituere?

1 IN hac quæſtione quatuor ſunt apud Doctores certa, & vnum controuerſum. Primò certum eſt, quod ſi poſſeſſor malæ fidei poſſet à fure pretium recuperare alia via, quam rem tradendo, tenetur eam domino reſtituere, & ſe indemnem ſeruando, Iuſtitiam cum vtroque ſeruare: cum Domino rem ei reddendo, cum fure, ſe recompenſando de damno, quod eſt ab eo paſſus.

2 Secundò certum eſt, eum qui mala fide rem alienam titulo gratioſo accepit, non ſatisfacere præcepto reſtitutionis tradendo rem illam latroni,vt ſuum pretium recuperet, ſed teneri omnino illam Domino reſtituere.

Tertiò certum eſt, quod qui mala fide ſciens rem eſſe furtiuam, illam emit, non poteſt in conſcientia recipere à Domino pretium, quod pro ea venditori dedit.

3 Quartò,& vltimò certum eſt, quod qui mala fide emit à latrone, non poteſt licitè cum venditore reſcindere contractum tradendo ei rem alienam, quoties ſcit vel probabiliter ſibi perſuadet furem non eſſe reſtituturum rem illam vero Domino.Hæc itaque certa ſunt apud omnes,nec indigẽt probatione.

QVÆSTIO XXXVIII.

Sed tota difficultas conſiſtit de eo, qui non valens alia via ſuum pretium recuperare, probabiliter dubitat, ſicut communiter eſt timendum, An ſi reſcindatur contractus, res ſit reſtituenda vero Domino?

1 NAuar.cap.17.n.84. Tolet. lib.5.cap. 17. & multi alij tenent poſſeſſorem malæ fidei reſtituere rem alienam eidem venditori, vt pretium datum recuperet, quo ſe ſeruet indẽnem, ſi aliter ipſum recuperare non poteſt: ſi autem hoc non poſſet, tunc reddere Domino tenetur, ipſum autem latronem exhortari debet, vt pretium ſibi reſtituat.

At verò Ban.2.2.q.62.art.6. Petr. Nauar. lib.3.de reſt. num.200. Salon.2.2.q.62.art.6. Med.C.de reſt.q.2.dub. 2. & q.20. & multi alij affirmant, hunc qui ſcienter,vel dubiè rem

Digitized by Google

rem alienam emit, non posse cum latrone rescindere contractum, & rem furi tradere, sed tenetur omnino rem Domino restituere, etiam si pretij pro ea dati iacturam pati debeat. Et hæc sententia mihi videtur verior, atque tenenda, ducor, quia talis malæ fidei emptor efficitur socius furis, & furti particeps, ergo tenetur ad restitutionem sicut ipse fur, qui non potest se seruare indemnem, sed propriis expensis tenetur restituere rem alienam vero Domino.

Tum quia reddens rem alienam latroni, videtur manifestè, & positiuè concurrere cum fure ad damnum proximo inferendum, ac proinde non solùm peccabit, sed etiam ad damnum, subsequutũ tenebitur.

2 Dices in cap. in literis de restit. spoliat. & in lege p.§. eum qui ff. vi, & vi armata, habetur restituendum esse prædoni, quod ab eo ablatum est.

Respondeo, id verum esse in foro externo, quando non constat apertè, eum, à quo accepit, latronem fuisse, non verò quoad forum conscientiæ, vbi veritas constat. Suadet tamen charitas, vt si vero Domino rem restituat, certiorem faciat latronem, ne fortè per ignorantiam, iterum restituat, vel in peccato perseueret.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrùm res mala fide possessa, sit restituenda secundùm optimum statum rei, id est secundùm maiorẽ summã, qua valuit toto tẽpore moræ, an verò secundùm statum quem nunc habet vel habuit quando res accepta est?

1 NAuar. cap. 16. num. 10. & 26. Couar. in Reg. peccatum par. 2. §. 6. num. 2. Lop. p. p. instruct. Cont. cap. 95. Rebell. p. 2. de obligat. lib. 2. quæst. 6. Sylvest. verb. restitutio 3. q. 7. & verb. furtum num. 20. & multi alij docent rem esse restituendam secundùm maiorem valorem, quem habuit postquam fuit mala fide possessa.

2 Nonnulli verò dicunt, quod licet ista sententia cõmunis sit, scilicet quod res mala fide possessa restituenda est secundùm maiorem valorem currẽte in toto tempore moræ de rigore iuris, tamẽ de æquitate si res furtiua tempore ablationis erat à domino vendenda, & non seruanda in aliud tempus, vbi plus posset valere, si postea valeat magis, vel non, in valore quo valebat tẽpore quo vendẽda erat soluenda est.

3 Pro huius tamen quæstionis intelligẽtia dico primò, quod si res furtiua erat eadem numero, siue sit res, quæ ex genere suo recipit functionem id est vsu consumptibilis, siue non, siue meliorata, siue deterior effecta, si sit immixta, tenetur possessor malæ fidei eandem numero rem Domino restituere. Ratio est plana, quia rei furtiuæ nunquam acquiritur Dominium, nec latro rem illam vendendo transferre potest Dominium in emptorem, cum sit aliena: ergo cùm eius Dominium penes Dominum semper maneat, potest Dominus rem suam extantem, & immixtam repetere, & eam possidens tenetur tum ex parte rei acceptæ, tum ex parte iniustę acceptionis restituere. Quod si res eadem in specie, vel vt dicunt Logici eadem numero res restitui non potest propter periculum infamiæ, vel alia iusta de causa, tunc satis est, ac sufficit restituere eius valorem, & Dominus hac tali satisfactione debet contentari. Ita Nauar. cap. 17. num. 24. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 12. num. 2. Med. C. de rest. q. 6. & Petr. Nauar. lib. 3. de rest. num. 214.

Secundò dico, quod si res iniustè possessa eadem numero extat, tum in bonitate tum in valore immutata, & immixta possessor malæ fidei eandem restituendo satisfacit præcepto restitutionis, & Dominus rei, talis satisfactionis tenetur esse cõtentus. Ratio est plana, quia hoc modo iniustitia ad æqualitatem reducitur, tantùm reddendo Domino læso, quantum ei ablatum fuit. Ita Med. C. de rest. quæst. 6. propositione prima.

5 Tertiò dico, quod si res iniustè ablata est de numero eorum, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura, vt pecunia, vinum, oleum &c. & est permixta cũ rebus propriis latronis, ita vt ab illis discerni nequeat, non tenetur possessor malæ fidei eandem rem numero Domino restituere, sed sufficit reddere æquiualentem. Ratio est quia ex mixtione Dominium amittitur & transfertur in latronem cum mixtione facta, non sit maior ratio, cur potiùs hæc pars, quam illa censeatur aliena. Vnde ex tali mixtione perit obligatio realis, solumque manet personalis. Ita Sylvest. verb. restitutio 3. q. 6. & verb. vsura 6. q. 1. Med. C. de restitut. quæstion. & Petr. Nauarr. lib.

Digitized by Google

lib. 3. de reſt.n.216.& lib.4.num.6.

6 Quartò dico, quòd ſi res furtiua apud iniuſtum poſſeſſorem perit,etiam ſine culpa ſua,nempe caſu fortuito,eius valor reſtituendus eſt domino , quamuis nullum detentor lucrum perceperit , quia præſumitur non ita penes dominum periiſſe, cum eã ante interitum alienare potuiſſet, vel alio modo à morte liberare.

Tum quia,qui mala fide contrectat , & retinet rem alienam,ſemper eſt in mora à die receptionis,vel iniuſtæ retentionis , & ſuo damno perit;mora enim ſeu culpa trahit ad ſe periculum ſecundùm iura. Quod intellige , niſi iniuſtus rei illius detentor moram purgauerit,offerendo rem proprio domino , quando ille accipere eam potuit antequam periret,aut deterior redderetur, tunc nõ imputaretur iniuſtè rẽ illam illuc vſque detinéti, quidquid al ſque ſua culpa deinceps circa eam rem eueniret. Ita Nauar.cap.17.num.26.Med.C.de reſt. quæſt.3. cauſa 6.P.Nauar.lib.4.de reſt.numer.12. & alij.

7 Quintò dico,quòd ſi res malè accepta pereat,eodem modo apud furem, quo eſſet alias peritura apud dominum , ſicut apud furem,nec ante eius interitum dominus rem illam alienaſſet, aut aliquam vtilitatem accepiſſet,talis fur nihil reſtituere tenebitur.Ratio eſt plana, quia in hoc caſu fur nil damni intulit domino, quod ille aliàs paſſurus non fuiſſet.Ita Nauar.ca. 17. nu.80.Couar. in Regula peccatum de Regul.iuris in 6.p.2.§.6. num.1. & 2. Lop.p.p. inſt.Conſ.c.c.129.& Pet.Nauar.de reſt.li.4. c.1.nu.17.

Hinc,qui furatus eſt dolium vini, quod in manu furis mutatum eſt in acetum, quod alioquin etiam mutandum erat apud dominum , nec ante tempus illud mutationis , dominus vinum illud vendidiſſet, ad nihil aliud reſtituendum domino talis fur obligabitur , quàm reſtituere dolium aceti.

8 Hinc,ſi equus v.g.ſurreptus certò conſtat , quòd à domino ante eius interitum non vendendus , ſed potius apud dominum perindè erat periturus,quia nimirum ægrotabat , ſi dum eſſet penes iniuſtum poſſeſſorem ſine eius culpa periit,nihil tenetur pro eo reſtituere domino. Quorum omnium ea eſt ratio,quia in his, & ſimilibus caſibus nihil minus,quàm debebat habere dominus habet fructus tamen reſtituere tenebitur,ſi quos ex illa percepit,aut percepiſſet dominus rei. Inter eos autem computa valorem vſus rei illius,ſi vſus fuit aliquis re illa;aut ſi dominus rei illius priuatus fuit vſu eiuſdem rei,tenebitur quippe reſtituere domino rei , quantùm æſtimabitur vſus , quo illum reipſa priuauit; & denique totum lucrum ceſſans,ac damnum emergens.

9 Sextò dico,quòd ſi ante tempus , quo res erat peritura,dominus rem illam vendidiſſet, vel donaſſet , aut exinde vtilitatem aliquam accepiſſet, ſi res poſtea perit in manu iniuſti poſſeſſoris, etiam ſine eius culpa , tunc in eo caſu fur tenebitur reſtituere valorem , quem dominus ex eius alienatione accepiſſet,ratio eſt,quia in hoc caſu poſſeſſor malæ fidei verè intulit damnum domino rei , vnde vt hæc iniuſtitia ad æqualitatem reducatur,facienda eſt reſtitutio iuxta rei valorem.

QVÆSTIO XL.

Sed quid?ſi apud furem pereat tardiùs, quàm fuerat apud dominum peritura?

10 AD hoc reſpondetur quod ſi ante tempus , quo res erat peritura in manu domini , apud iniuſtum poſſeſſorem perear,ſiue cum culpa,ſiue ſine eius culpa, fur rei valorem reſtituere non tenebitur. v.g.pallium Petri cras erat comburendum, quod tamen Titius hodie ſurripuit : vnde Titius fuit in cauſa , quod pallium non ſit combuſtum modò ſi hodie ante tempus combuſtionis Titium illud deſtruat nihil reſtituere tenebitur,quia nihil damni intulit Petro, quod aliàs paſſurus non eſſet:ſecùs autem ſi facto incendio , Titius pallium penes ſe retineat ſi poſtea deſtruat, ad reſtituendum eius valorem tenetur.Ratio eſt, quia vbicunque res ſalua conſiſtit, domini eſt,& ei debetur,poſtquam liberata eſt ab illo incendio. Vnde clapſo periculo illo, cum non eſſet peritura apud dominum,ſi in manu furis pereat, etiam ſine eius culpa ad reſtituendum eius valorem obligabitur.

11 Tum quia,quando periculum tranſiit, ſi res extet , rurſus incipit domino valere, quia ipſius manſit , ergo & ſi caſu pereat, fur tenetur,cũ fuerit in mora,ſi enim reſtituiſſet,

tuiſſet,quando debebat,Dominus eam ſaluam recepiſſet, neque apud eum petiſſet.

Obiicies, fur ſemper eſt in mora; ſed mora trahit ad ſe periculum, ergo furi & non Domino perire debet.

12 Reſpondeo,licet fur ſemper ſit in mora, tamé Dominus non eſt damnificatus,quia vt ſupponimus equus ille erat eodem modo apud Dominum periturus, nec tempore intermedio Dominus ex eo aliquam vtilitatem erat habiturus.

13 Dices, ergo ſi quis ſciret Titium, decreuiſſe furari equum à Caio, poſſet ipſe præuenire, equum illum furripiendo abſq; culpa dicens quod reuera nullum damnũ intulit Caio, quia equus ille alioqui erat periturus in manu Domini, quod eſt falſum,ergo.

14 Reſpondeo, noſtrum aſſertum non intelligitur in eo euentu, quo res per iniuriam eſſet ab eo auferenda;ſed quando caſu,vel naturaliter certo erat peritura.Ratio huius eſt, quia dum ab alio deſtrueuda eſſet per iniuriam, damnum patitur Dominus, & ita qui præueniendo faceret, ipſe totale damnum efficeret.Vnde,& ſi damni non ſit cauſa, ſine qua non, quia vt ſupponimus alius erat illud facturus: nihilominus ſi verè ad iniuſtam actionem concurrit, tenetur de damno. At quando caſu fortuito,vel naturaliter peritura eſſet iuſtè ille priuandus eſt ea,nec poteſt eſſe rationabiliter inuitus: ac proinde non poteſt dici illius damni cauſa.

15 Septimo dico,quod ſi res furtiuaextat,& deterior facta eſt, aut in pretio diminuta, cuius deteriorationis, aut diminutionis fur cauſa non eſt,& Dominus erat rem illã vſque tunc ſeruaturus, ſatisfacit præcepto reſtitutionis fur,reddendo rem ſic deterioratam. Ratio eſt, quia hoc modo iniuſtitia ex furto orta ad æqualitatẽ reducitur,quia Dominus tempore intermedio nullum dãnũ paſſus eſt,Ita Med. C.de reſt.q.6.con.3.

16 Octauo dico,quod ſi res extat,deteriorata tamen, & in pretio diminuta, ſiue ex negligẽtia iniuſti poſſeſſoris,ſiue non,quæ alioquin apud Dominum deteriorata, aut diminuta non fuiſſet, tenetur iniuſtus poſſeſſor non ſolùm rem illam reſtituere, ſed defectum valoris ſupplere, aut æſtimationem rei ſoluere ſecundùm illum ſtatum, quem apud dominum habitura fuiſſet,quia vt dictum eſt, inæqualitas hoc modo ad æqualitatem reducitur. Et electio manet penes Dominum, vt vel accipiat rem ipſam,e uſque detrimẽti æſtimationẽ,aut totã æſtimationẽ rei pro tempore, quo plus valuit. Ratio verò electionis eſt, quia nec debet cogi, vt rem ſuam recipiat abſque compenſatione maioris illius valoris, qui ad ipſum pertinebat, nec item vt æſtimationem rei ſuæ, & non rem ſuam recipiat.

17 Nono dico quod ſi res vſu non conſũptibilis extat melhorata apud poſſeſſorẽ malæ fidei,cum extante melioramento res illa reſtituenda eſt vero Domino,deductis tamen laboribus & expenſis, ſi quas fecit rem ipſam augendo, quia non eſt æquum, vt Dominus rei locupletetur cum damno alterius.Quod intellige,ſiue Dominus rem illam ſic melioraturus eſſet,ſiue non, ſemper enim hoc debetur Domino ratione rei acceptæ. Ita Couar. in Reg. peccatum de Reg. iuris in 6. p. 2.§. 6. nu.2.Petr.Nauar. lib.4.de reſtitution.numer.31. Med.Cod.de reſtitut.q.6.& Sylueſt.verb.expenſæ quæſt. 4.& verb.furtum quæſt.16.

18 Decimo dico, quod qui furripuit equum, qui tempore quo illum accepit,valebat centum,tempore autem quo fur vendidit, valuit tantùm quinquaginta, tunc ſi Dominus equum illum ſtatim erat venditurus, non ſatisfacit præcepto reſtitutionis fur, reſtituendo illi quinquaginta, ſed reſtituere debet centum,quia in centũ nocuit Domino. Si vero Dominus ſeruaturus erat ad illud tempus quo equus fuit venditus, tunc latro ſolum tenetur reſtituere quinquaginta, quia hoc caſu non damnificauit Dominum, niſi in quinquaginta. Quod ſi Dominus decreuerat illum ſeruare in aliud tempus, in quo ob bellum repentè exortum valuit centum quinquaginta,& poſſeſſor malæ fidei antè illud tẽpus vendidit quinquaginta,tenebitur latro reſtituere ei centum quinquaginta, quia in centum quinquaginta læſus eſt Dominus. Sin autem Dominus decreuerat ſeruare equum illum in annum ſequentem,& latro ſimiliter ſeruauit illum, venditurus in annum ſequentem, in quo non valuit niſi quinquaginta, tunc ſatis eſt, ac ſufficit reſtituere illi eundem equum, vel æſtimationem, qua valuit temporis venditionis quia ſic in nihilo damnificatur Dominus ex quo habet, quod habiturus

habiturus erat, tempore, quo ſtatuerat illum vendere. At verò ſi Dominus erat ſeruaturus illum in aliud tempus, in quo propter abundantiam equorum, non valuit niſi quadraginta, poſſeſſor autem malæ fidei non expectauit illud tempus, ſed ſtatim vendidit accepitque quinquaginta, tunc latro tenetur reſtituere illi quinquaginta. Et ratio eſt quia pretium rei, & res ipſa in genere moris pro eodem computantur, ſicut etiam & vtilitas rei ſecundum ſe, aut ex occaſione temporis tribuenda eſt rei, ergo ſicut res ipſa reſtitui debet Domino, ita etiam & vtilitas rei eidem reſtituenda erit.

Tum quia ſi latro tantùm reſtituat quadraginta, alia verò decem ſibi retineat, percunctor, quo titulo poſſit illa ſibi retinere? certe nullo: nam nec ratione rei, quia erat aliena, & omnis vtilitas rei, ſecundùm ſe, aut ex occaſione temporis eſt Domini ipſius: ratione venditionis quia fuit iniqua & ipſo iure nulla, cum ergo nullo iuſto titulo poſſit illa retinere, tenetur illa neceſſariò reſtituere. Ita Salon. 2.2. quæſt. 62. ar. 6. Quod puto eſſe verum, modo vtilitas illa ex re percepta extet, aut exinde poſſeſſor malæ fidei factus ſit ditior, quia hac ratione tenetur ex parte rei acceptæ: ſecùs autem, ſi vtilitas, & melioramentum non extet, nec exinde latro effectus ſit ditior, cum in hoc caſu non teneatur ratione damni illati, quia Dominus non eſt damnificatus niſi in quadraginta. Et ita tenet Petr. Nauar. lib. 4. de reſtitut. num. 44

QVÆSTIO XLI.

Sed quid? ſi equus non eodem modo eſſet periturus apud Dominum, quo periit in manu furis. An tunc teneatur eius valorem Domino reſtituere. v. g. equus apud Dominum fulgure, vel incendio periiſſet: at verò in manu furis periit tempeſtate, vel ob defectum cuſtodiæ, vel quia eum malitiosè occidit?

1 PEtrus Nauar. lib. 4. de reſtit. num. 23. exiſtimat tunc liberari furem a reſtitutione, quando abſque furis culpa, & eodem modo apud Dominum peritura fuiſſet. Et citat pro hac ſua opinione Med. C. de reſtitut. quæſt. 6. & Couar. in Reg. peccatum 2. p. §. 6. num. 1.

2 Sed verius, ac probabilius multo eſt quod docet Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 6. ſcilicet furem ad nihil teneri, ſi apud Dominum res erat eodem modo peritura, quo ad interitus veritatem, licet ex diuerſa cauſa pereat, verbi gratia ex incendio, vel cum culpa, cum apud Dominum tempeſtate, vel ſine culpa eſſet peritura. Ratio huius eſt, quia ſi equus teſte experientia erat reuera apud Dominum periturus, fur in nihilo Dominum damnificauit, illum furripiendo, vel occidendo, quia hoc facto nil minùs creditor læſus habet, quam alioqui habiturus fuiſſet, non enim ſua culpa, vel innocentia facit maius eſſe damnum Domini. Si tamen Dominus equum ſuum venditurus erat, & periit in poteſtate furis, ſiue ex culpa, ſiue ſine culpa eius, nemo dubitat, quin fur in foro conſcientiæ reddere teneatur æſtimationem equi ſecundùm valorem, quem equus habuiſſet, quando Dominus eũ vendidiſſet, quia hoc modo inæqualitas ad æqualitatem reducitur. Eandem ſententiam tenet eſſe probabilem Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 12. dub. 15. modo eam peremerit eo loco, & tempore, quibus alioquin apud Dominum periiſſet. Et probat ex eo fundamento quia res illa in eodem ſtatu conſiderata, Domino nullius eſt pretij, nam eo loco certo eſt peritura, ergo etiamſi poſſeſſor malæ fidei eã perimat, non cenſetur irrogare damnum Domino rei, vt ſi comburat ſegetes, quas videt mox eluuione euertendas, ſi interficiat equum, quem alius erat ſurrepturus. Et adem ratione ſi occidat eum, qui certiſſimè paulo poſt moriturus erat, vel ex infirmitate, vel iuſta ſententia Iudicis, etſi peccet mortaliter, ad nullam tamen reſtitutionem tenetur.

3 Aduertere tamen debet, quod ſi poſſeſſor malæ fidei rem vendidit, vel eam conſumendo factus eſt ditior, tenetur ad id, vnde factus eſt locupletior, etiamſi apud Dominum fuiſſet peritura. Et ratio eſt, quia pretium, & illud augmentum bonorum furis ſucceſſit in locum rei ſurreptæ, ita vt res cenſeatur extare in ſuo effectu, & æquipollenter, ergo hoc totum Domino rei eſt reſtituendum.

4 Obiicies, non habetur pro certo Titium damnum illud Domino intuliſſe ergo ſaltem non tenetur in integrum reſtituere.

5 Reſpõdeo, ſi moraliter non eſt veriſimile

ac certum dominum rei venditurum fuisse rem illam, tunc iuxta dubij quantitatem restituendum est illi, plus, vel minus pro vt prudens confessarius arbitrabitur. Ratio est, quia illa incertitudo minuit æstimationem damni. Ita Molina t.3.de iust d.725.

6 Dices, ergò vnicuique fas est à diuitibus surripere ea, quæ propter abundantiam, vel negligentiam apud se interire sinunt, quia similiter in hoc casu nullum eis damnum datur.

7 Resp. quandiu enim diuites hæc inter res suas seruant, non ea habent pro derelictis, ac proinde si quis ab eis inuitis ea surripit peccat cum obligatione restituendi quod accepit.

QVÆSTIO XLII.

Sedquid? si dubium sit, An aliquam vtilitatem ex præditis dominus foret percepturus ex re sua, quam Titius ab eo abstulit?

1 REspondeo. in hoc casu teneri Titiũ ad restitutionem. Ratio est, quia in pari dubio melior est conditio innocentis in eiusque fauorem inclinandum. Ita Rebell.p.2.de obligat.lib.2.q.6.

QVÆSTIO XLIII.

An eadem res numero per furtum ablata, si extat necessariò sit domino restituenda, an vero satis sit aliam æquè bonam restituere?

1 IN hac quæstione Cou.in Reg. peccatum p.3.ad initium nu.2.non satis esse affirmat.

2. Petr.Nauar.lib.4.de rest. num. 5. in ea sententia est, vt dicat etiamsi absque rationabili causa fur nolit eandem rem numero restituere, modo aliam æquè bonam, restituat, eum non peccare pluſquam venialiter, quantumuis dominus inuitus sit.

3 Sayrus lib. 10.Clau.Reg.cap.3.nu.11.tenet quod possessor malæ fidei potens eandem numero rem restituere, aliam æquè bonam restituat, non peccat contra iustitiam, quia hoc modo sufficienter damnum illatum ad æqualitatem reparatur; peccabit tamen contra charitatem, si dominus instaret, petendo rem suam eandem numero, & sublator sine iusta causa nollet eam restituere ob scandalum, quod dat proximo iræ, & afflictionis.

4 At vero Rebel.p.2. de oblig.lib.2. q. 5. censet possessorem malæ fidei peccare non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, qui cum posset restituere eandem numero rem, aliam æquè bonam restituit, & meritò quidé quia dominus. Ius iustitiæ commutatiuæ habet ad eandé numero rem suam sibi reddendã, ergò si ei inuito eadem absque rationabili causa nõ redditur, non tantum charitas, sed etiam iustitia commutatiua violatur: ac proinde potest esse interdum peccatum mortale iuxta quantitatem iniuriæ, quæ esset tunc notabilis, quando dominus notabilem peculiarem affectionem ad eandem numero rem haberet. Quod intellige quando eadem numero res potest restitui absq; periculo probabili corporis, vel famæ, vel nisi aliqua vrgens causa intercedat, quæ iuxta prudentis arbitrium affectioni domini anteponenda erit; ipsa tamen peculiaris affectio cum sit pecunia æstimabilis, vltra redditionem alterius rei æquiualentis, ad quam non ita affectus forte est, peculiarem insuper satisfactionem exigit, vt Rebell.loco cit.annotauit.

QVÆSTIO XLIV.

An qui accipit rem vsu comsumptibilem permixtam de manu furis gratuito, vel contractu oneroso, teneatur eam restituere, si inde fur efficitur ex eo minus idoneus ad soluendum?

1 COrduba lib. 1. quæstionarij q. 39. Med. C. de rest. q. 10. & multi alij existimant talem teneri ad restitutionem, & probant quia per talem acceptionem fur efficitur inhabilis ad restituendum, ergò qui accipit, iniustè accipit, & per consequens ad restitutionem tenetur. Antecedens supponitur vt certum; consequentia verò probatur, nam si quispiam latroni cõsuleret, ne restitueret creditoribus, iniquè ageret & si consiliũ fuit efficax ad restitutionẽ teneretur, ergo pari modo si rem permixtam de manu furis accipio ex quo ille fit ad soluendum minus idoneus, cum sit causa efficax, ob quam fur nõ restituat.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium, quod tenet Pet. Nauar. lib. 3. de rest.num.219. ducor, quia si tenetur ad

resti

restitutionem, id esset ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, sed neutrum istorum est, ergò ad nihil tenetur. Maior propositio per se constat Minor verò probatur, nam primò non tenetur ratione rei, quia vt supponimus, res illa est furis, in eiusque dominio existens: nec etiam ratione iniustæ acceptionis, quia qui dedit, spontè, & voluntariè dedit, ergò nullo modo tenetur.

Tum quia creditor iuris licet sit inuitus, non est tamen rei Dominus, sed tantùm habet actionem personalem contra furem; qui vendit, aut donat, si ergò Dominus rei non est rationabiliter inuitus, non potest dici iniusta acceptio.

Tum etiam, quia illa venditio, vel donatio valida est ex parte rei, cum res sit donatoris, vel venditoris, ergò verè transfertur dominium in accipientem, atque ex consequenti ad restitutionem non tenetur, cum res verè sua sit.

3 Fateor tamen peccare eum contra charitatem, qui sciens furem esse inhabilem ad soluendum suis creditoribus, rem ab eo accipit: nisi fortè magni sua interesset rem illam habere, quia tunc nec contra charitatem peccaret, cum suo vtatur iure, rem illam sibi comparando, lege enim charitatis vnusquisque magis potest suæ indemnitati consulere, quàm alienæ. Quod intelligitur in euentu, quo res illa non esset realiter hipothecata creditoribus, quia tunc verè esset actio iniuriosa, & planè contra iustitiam ageret sic accipiens, quia læderet Ius, & actionem, quam creditores habent non solùm ad personam, sed etiam ad rem.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis patet responsio ex dictis, illa enim acceptio non est iniusta, cum Dominus rei non sit rationabiliter inuitus; ipse verò comparando rem illam, vtitur iure suo.

QVÆSTIO XLV.

An dubitans, an res sit aliena, possit tuta conscientia eam emere?

1 AD hanc quæstionem dico primò, quòd qui emit rem, de qua est dubius tempore emptionis, sitne furtiua, necnon, eam emit, vt suo Domino restituat, non peccat, tenetur tamen quærere diligenter pro qualitate rei, & quantitate dubij verum illius Dominum, interim verò dum non comparet verus Dominus, retinere, poterit; inuento autem vero Domino, tenebitur rem illam ipsi restituere, accepto pretio, quod pro illa dedit.

Prima pars huius dicti, scilicet quod hic emptor non peccet, probatur, quia talis est actus charitatis commendatus in iure canonico. Rapina 14.q.5.

Secunda pars, quòd scilicet teneatur diligenter quærere Dominum, & eam illi restituere patet, quia aliter se exponeret periculo retinendi alienum inuito Domino, quod est furtum.

2 Tertia verò pars, quòd scilicet hic possit deducere pretium, quod pro illa dedit. Probatur, nam nemo tenetur curare aliena commoda, vel vitare aliena damna cum proprio detrimento. At in casu posito iste emptor curauit bonum veri Domini illius rei, vitauitque illius damnum, ergò potest illud accipere, & Dominus in conscientia tenetur illud restituere, cum rem eius vtiliter gesserit. Ita Bann.2.2. quæst.62.ar.6.Couar.in Reg.peccatum p. 3. num. 4. & Med. C. de restitut. quæst.10.

3 Secundò dico, quòd qui emit rem à latrone animo restituendi vero Domino, illo post diligentem inquisitionem factam, non inuento, tenetur illam, vel illius valorem in vsus pauperum distribuere. Ratio est, quia habet alienum, quod ex parte rei conuertendum est in pios vsus, cum sit Dominus omnino incertus: poterit tamen in hoc casu pretium, quod pro illa dedit sibi retinere, sicut illud à vero Domino accipere potuisset.

4 Tertiò dico, quòd qui tempore emptionis dubius an res sit furtiua, eam emit propriæ vtilitati consulens, non præmittens moralem diligentiam circa inquisitionem Domini, peccat contra iustitiam, & ad eius restitutionem ratione iniquæ acceptionis, & ratione rei acceptæ obligatur. Ratio est, quia hic euidenter se exponit discrimini contrectandi rem alienam inuito Domino, ergò peccat cõtra iustitiã iuxta illud Eccles.3. qui amat periculum, peribit

in illo. & eſt concluſio definita in l. bonæ fidei ff.de acquirendo rerum dominio.

6 Quartò dico, quod qui tempore contractus,dubius, ſitne res aliena,an non, in ſuum proprium commodum eam emit, nõ poteſt rem illam alienare, nec reſcindere contractum cum latrone, ſed tenetur illã vero domino reſtituere etiam cum iactura pretij.Ratio eſt, quia moraliter eadem eſt ratio de mala fide,& dubia fide,ſed qui emit mala fide,tenetur rem illam cum ſuis fructibus vero domino reſtituere, ergo & qui dubia fide emit. Ita Salon.2.2.quæſt.62. ar.6. & Med.C.de reſt.ar.6.Quod eſt valde notandum ab argentariis, & bibliopolis, qui facilè poſſunt coniectari ex conditione vendentium, & ex aliis circumſtantiis rem eſſe furtiuam, & nihilominus paruitate pretij,& ſpe lucri res furtiuas emunt; ſunt enim iſti obligandi ad inquirendos veros dominos.

6 Dices,in dubiis melior eſt cõditio poſſidentis, ergò qui emit dubia fide, poterit domino non comparente rem emptam ſibi retinere.

Reſpondeo regulam iſtam Iuris eſſe intelligendam de eo qui bona fide à principio intrauit in poſſeſſionem rei furtiuæ, cui poſtea ſuperuenit dubium quòd ſit res aliena,tunc enim melior eſt conditio poſſidentis; non autem de eo, qui mala fide, vel dubia rem furtiuam comparauit.

7 Quintò dico,quòd qui bona fide emit, aut alio iuſto titulo cœpit rem bona fide poſſidere, & deinde antequam eam diſtrahat,aut conſumat,dubitare incipiat,an illa res ſit aliena, tenetur adhibere competentem diligentiam, vt ſciat,an ad alium pertineat:quòd ſi deprehenderit eſſe furtiuam debet illam domino reſtituere, ſi autem non facit diligentem inquiſitionem in inquirendo domino,exponit ſe euidenter periculo retinendi rem alienam inuito domino. Ita Ban.2.2.quæſt.62.ar. 6.

8 Sextò dico, quod qui à principio bona fide rem furtiuam occupauit, & poſtea dubitat rationabiliter an ſit aliena, ſi moralem diligentiam adhibuit, nec comperire potuit eſſe aliena, tunc tuta conſcientia poteſt illam retinere, neque ad vllam reſtitutionem tenetur, eſtò dubius maneat, an ſua ſit. Ratio eſt, quia in dubio melior eſt conditio ipſius, qui bona fide poſſidere cæpit.Ita Salon.2.2.quæſtion.62.art.6.

9 Septimò dico, quòd ſi bonæ fidei poſſeſſor incidit in dubium probabile, an res ſit ſua,vel aliena,& poſt debitam diligentiam à ſe factam ad indagandã veritatem, non inuenit quicquam certi, poteſt tunc bona fide tali re vti, & ſi vendidit, cenſetur vendidiſſe in bona fide. Ratio eſt,quia cum dubio illo ſpeculatiuo,an ſua ſit, ſtat vera, ac firma opinio practica,ac moralis, quod licitè cum eo ſpeculatiuo dubio poſſit eam rem totã perinde ſibi ad eam vtendum retinere, eamq; alteri vendere, ac ſi certò eſſet ſua.Ita Mol.to.3.de iuſt.diſp.721

10 Octauò dico, quòd ſi facta diligentia competenti adhuc manet dubius, ſi vult alteri vendere,aut donare rem illam,tenetur emptori, aut donatario rei conditionem exponere dicens ſe eſſe dubium, an furtiua ſit.Ratio eſt, quia vendens iure naturæ tenetur manifeſtare vitium rei, ex quo emptori poteſt incõmodum euenire: venditor autem eo animo eſſe debet,vt cognita rei veritate pretium rei venditæ domino reſtituat. Ita Salon. 2. 2. q. 62. ar. 6. Couar.in Reg.peccatum p.2.§.12.num.4.& Io.Med.C.de reſt.q.10.Hoc tamen eſt contra Sylueſt.verb.reſt.3.q.7.vbi ait quod abſolutè poteſt vendere. Verum eſt tamen quòd ſi facta morali diligentia nulla reliqua eſt ſpes decidendi in dubiũ illud, poterit homo abſolutè vendere,ſicut ipſemet iam bona fide poſſidet.

11 Nonò dico, quod qui bona fide emit rem alienam,& facta morali diligentia de veritate inquirenda, adhuc eſt dubius, & magis inclinat, quòd ſit res furtiua, quàm ſua, tenetur facere diligentem inquiſitionem, quiſnam ſit verus dominus, quem ſi inuenit, cum fructibus etiam conſumptis in integrum reſtituere tenetur: ſin autem inuenerit dominum, non tamen ita certũ tenetur eam cum altero, de quo dubitat diuidere plus vel minus pro ratione dubij qui ſi ſit perſona nota, ei ſua pars eſt tribuenda.ſi verò ſit ignota, pauperibus. Ita Caiet.2.2.q.62.art.5.Sot.lib.4.quæſt.7. art.1. & alij.

12 Decimò dico, quòd qui rem alienam emit, aut alio titulo accepit dubitans an eſſet Titij, ſi poſtea comperiatur non eſſe quidem Titij, ſed cuiuſdam alterius, ſanè cum aduerſus dominum illius, non peccauerit contra iuſtitiam, neque iniuſtè illam retinuerit, non tenetur Domino, niſi

quo

id, quod ex re illa, & ex fructibus illius remanet, & quantum ex non existentibus locupletior fuerit effectus. Ita Mol. t. 3. de iust. d. 723.

Vndecimo & vltimò dico, quòd qui à principio rem cum dubio probabili, an esset sua possidere incepit, alterum à possessione rei spoliando, iure cogitur rem totam cum fructibus âtiquo possessori restituere, cuius vtpotè antea possidentis melior erat conditio, esto dubium esset æquale, an esset res sua, vel aliena: acceptio enim rei cum dubio æquali non sufficit ad constituendum possessorem bonæ fidei.

QVÆSTIO XLVI.

Sed Quid? si post illam bonæ fidei possessionẽ factus dubius, an res esset sua, vel aliena, neglexit veritatem indagare, & deinde elapsa ea opportunitate iam effectus est impotens ad eam sciendam?

1 QVidam hunc à vinculo restitutionis simpliciter absoluunt, quia adhuc dato eo manet dubius, non solum an res sua sit, sed etiam an debuisset constare esse alienam, si diligentiam, more humano adhibuisset.

2 At Molina tom. 3. de iust. disp. 721. Rebel. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 5. & multi alij probabilius volunt hunc teneri restituere partẽ valoris eius rei, maiorem, vel minorem, pro quantitate probabilitatis, quæ erat eam rem esse alienam Et ratio est, quia per tale dubium, accedente ea negligentia culpabili, ad sciendum an esset aliena, efficitur possessor malæ fidei, atque adeò ad restitutionem tenetur, non quidem in integrum, quia non constat alienam esse, sed adhuc est dubius, an sit ipsiusmet possidentis, sed quantum æstimabitur damnum, quod ex ea culpabili negligentia indagandi veritatem domino est secutum,

QVÆSTIO XLVII.

Vtrum Christiani qui emunt bona Christianorum capta à Turcis in bello, vel qui recuperant ea vi, vel arte restituere ea dominis tenentur?

1 IN hac quæstione nonnulli tenent partem affirmatiuã, ea ducti ratione, quia ex parte Turcarum bellum est iniustum. Tũ quia Christiani in bello capti a Turcis nõ efficiuntur eorum legitimi serui, ergo nec eorum bona in bello capta fiunt Turcarum.

2 Huius tamen oppositum mihi videtur verius, atque tenendum, Ducor, quia vsu & more receptũ est, vt bona mobilia capta in bello iusto, vel iniusto fiant capientiũ vt docet D. Th. in l. 3. de regim. Princip. cap. 11. Vict. in resc. de iure belli num. 51. & Couar. in Reg. peccatum de reg. iuris in 6. par. 2. §. 11. nu. 1.

Tum quia bona mobilia amissa in huiusmodi bello, habentur pro derelictis.

3 Tum quia videtur tacitus esse Principum consensus, vt spolia sic in bello capta fiant capientium, vt hac via Christianorum animi magis contra Turcas accendantur, & vt audaciores fiant ad pugnam, & certamen incundum.

Tum demum, quia in Hispania more introductum est, vt capta à Mauris si diebus tribus continuis ea possideantur, fiunt capientium.

Ad argumenta verò in contrarium adducta patet ex dictis.

DE PERSONIS, QVAE ad restitutionem obligantur.

QVÆSTIO XLVIII.

Quotnam sint personarum genera, quæ ex actione iniusta ad restitutionem obligantur?

1 REspondeo, quòd excepto executore, sunt nouem, scilicet Mandans, consulens, consentiens, laudans, receptans participans, tacens, Non obstans, & non manifestans. Ratio huius est, quia non solùm qui per se abstulit rem, aut damnum iniustè intulit vinculo restitutionis obstringitur, sed etiam hi qui iniustæ actioni cooperantur, ei auxilium, vel consilium, vel fauorem præbendo, qui à viris doctis dicúntur complices, socij, participantes, causæ minus principales, & non causæ damni illati iuxta illud Roman. 1. digni sũt morte, non solum, qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Vnde est illud facientem, & consentientẽ par pœna constringit. 2. q. 1. c. notũ sit Quibus simile

eſt illud. Qui cauſam damni dat,damnum dediſſe videtur cap. ſi culpa §. ſine de iniur.& damno dato.

2 Inter hos autem qui ad damnum proximi concurrunt eſt magna differentia, nã quinque obligantur ex genere ſuo , & cõmuniter ad reſtitutionem nempè mandans conſentiens,receptans, participans,& non obſtans,cum ſcilicet ex officio obſtare tenetur,& poteſt; quia communiter iſti ſunt cauſæ efficientes iniuſtæ actionis, iuxta illam Regulam iuris. Si tua culpa damnum datum eſt , iure ſuper his te ſatisfacere oportet.Alij verò quatuor ſcilicet conſulens laudans , tacens , & non manifeſtans,non ſemper ſunt reſtitutioni obnoxij ſimpliciter,& ex ſuo genere, quia non ſemper ſunt cauſæ efficaces, vt iniuſta actio fiat.

Secundò differunt, quia ſex primi concurrũt poſitiuè,ſcilicetverbo,aut opere:Alijverò tres poſteriores cõcurrũt negatiuè.

Tertiò differunt , quia ſex primi ſunt cauſa iniuſtæ actionis directè influendo, ſcilicet in effectum. Tres verò poſteriores dicuntur cauſa indirectè, quatenus videlicet non impediunt damnum proximi,quãdo id efficere poſſunt ac tenentur.

QVÆSTIO XLVI.

Quidnam requiratur ad inducendum vinculum reſtitutionis?

1 REſpondeo requiri omnino , vt qui cum fure ad iniuſtam rei acceptionem , aut retentionem concurrit , ſit cauſã natura ſua efficax,& in effectu damnificãs & in hoc omnes conueniunt. Sed dubia,& difficilis eſt apud ſcribentes quæſtio.

QVÆSTIO L.

Quænam ſit dicenda cauſa ſua , natura efficax & in effectu damnificans

1 NAuar.c.17.n.17.Sylueſt. verb.reſt.3. q.6.Arag.2.2.q.62.a.7. & multi alij abſolutè docent eum omnem,& ſolùm eſſe cauſam efficacem damni , & teneri ad reſtitutionem , ſine quo damnum illud iniuſtum non fieret,quod genus cauſæ appellat Ariſtoteles cauſam ſine qua non.

2 Ex qua doctrina Sylueſt.infert tria.Primò ſi Titius intulit damnum proximo, quod tamen ſine Caio non intuliſſet , tunc vterque ad reſtitutionem totius damni obligatur, etiam ſi Caius nihil de re illa accepiſſet. Ratio huius eſt,quia vterque verè fuit cauſa efficax totius damni. Titius quidem tanquam cauſa principalis , Caius verò tanquam cauſa ſine qua non.

Secundò infert , quòd quãdo Titius damnum illud intuliſſet ſine Caio,ratione tamen Caij fuit illatum maius,tenetur Caius ad illum exceſſum, & augmentum dãni , quod ex ſuo adiutorio fuit illatum.

3 Tertiò infert, quòd quando Titius per ſeipſum totum illud damnum feciſſet,etiãſi Caius non adiuuiſſet,ad nihil tenetur Caius,niſi fortè ad eum aliquid de re furtiua perueniſſet. Ratio eſt , quia Caius in hoc caſu non eſt cauſa illius damni illati, cum ſine eo Titius damnum illud commiſiſſet.

4 Sed hæc iſtorum opinio (pace tantorum virorum ſit dictum) falſa eſt,quia ex illa ſequeretur primò,quòd ſi dominus qui habet famulos ad omne malum paratiſſimos,vni illorum, præciperet, vt inimicum occideret, & ipſe id faceret,ad nullam teneretur reſtitutionem, ſi quidem quod iſte fecit,alius famulus erat facturus.

Secundò ſequeretur , quòd ſi famulus videret dominum parantem ſe ad necem inimici, quem certiſſimè erat occiſurus,etiam ſi ipſe præueniendo dominum,inimicum occideret,ad nihil teneretur.

5 Tertiò ſequeretur , quòd ſi vſurarius per ſeipſum,& ſine miniſterio famuli exercuiſſet vſuram,famulus qui ei in illa miniſtrauit, & eius negotia exercuit , ad reſtitutionem non teneretur,quia non eſt cauſa ſine qua non , cum ſine ipſo dominus exercuiſſet vſuram.

6 Quartò ſequeretur , quòd ſi tali ſocio non miniſtrante, nec adiuuante vſurarium alius adiuuiſſet, quamuis vſurarius ſine aliquo ſocio nõ potuiſſet exercere vſuram, non teneri iſtum ſocium qui iuuit reſtituere, quia non eſt cauſa, ſine qua non , cum eo non miniſtrante,alius vſurario adminiſtraſſet. Quæ omnia ſunt prorſus à veritate aliena,ergo.

7 At Caiet.2.2.q.62.ar.7.Sot. lib.4.q.7.ar. 3.Couar. in Reg.peccatum de reg. iuris in 6.p.2.§.12.n.2.Med.C de reſt.q.7.Petr. Nauarr.lib.2. de reſt.num.10. Valentia tom.3. d.5.q.6.p.3.Salon.2.2.q.62.ar.7. & multi alij rectiùs docent eum omnem eſſe cauſam

effi

efficacem iniuſtæ actionis, & teneri ad reſtitutionem,qui influit, & moraliter concurrit ad actum,quo infertur damnum,faciendo nimirum quidpiam alicuius momenti,quod conducat, & iuuet ad efficiẽdum illum actum, quo proximo nocetur, etiamſi abſque eius opera, damnum illud fuiſſet aliàs illatum. Ratio huius eſt, quia quemadmodum in naturalibus, eſt vera cauſa, quicunque reuera aliquo concurſu,& quaſi influxu ſuo, moraliter confert in effectum, etiam ſi ſine ipſo effectus ille fuiſſet ſecutus,vt quando duo ignes eidem combuſtibili applicantur, licèt vnus ſine alio ſufficeret comburere, vterque tamen dicitur vera cauſa combuſtionis,quiavterque reuera illud combuſſit.Ita in moralibus quicunque influit,& cõcurrit ad actionem iniuſtam,etiamſi illa ſine ipſo alioqui eſſet, futura, modò ad eam reuera concurrat, & efficiat aliquid notabile ad ponendam eam in re, eſt cauſa efficax illius.

Tum quia obligatio reſtitutionis non deſumitur ex eo quòd à Titio, & non à Caio fuiſſet furtum commiſſum, ſed ex eo, quòd à Titio fuerit verè perpetratum, ſiue aliàs fuiſſet à Caio commiſſum, ſiue non:ergo, quicunque reuera concurrit ad damnum,& illud verè efficit,eſt cauſa efficax illius,etiã ſi non ſit cauſa,ſine qua nõ.

Tum quia, qui ſcandalum dat, verè eſt cauſa ſcandali, & eſt in culpa iuxta illud Matth.18. Væ homini illi, per quem ſcandalum venit;&tamen eo non ſcandalizante,ſcandala eſſent in mundo, quandoquidem teſte eodem Euangeliſta, neceſſe eſt, vt veniant ſcandala.

Tum quia, ſi Titius Antonium occidit, vel furatur, quem Caius ſtatim occidiſſet, vel furatus fuiſſet,non ob id excuſatur Titius ab homicidio,aut furto,quiaverè cauſa vtriuſque delicti fuit.

Tum quia, ſi dominus præciperet ſuis famulis,vt inimicum ſuum occiderent, & eorum aliquis præueniens alios id faceret non eſt dubium, quin eſſet is vera cauſa homicidij,non obſtante quod aliquis aliorum id fuiſſet facturus, ſi ille non feciſſet.

Et confirmatur, video hominem in extremis laborantem,& do illi eleemoſynam quam ſi ego non dediſſem, alius daturus fuiſſet,nõ propterea deſino ego verè exercuiſſe actũ miſericordiæ, quia alius dediſſet.

8 Tandem, conditiones ad effectum requiſitæ, quæ ab Ariſtotele appellantur conditiones,ſine quibus non,ſic ad effectũ concurrunt,vt ſine illis effectus non fieret, & tamen ſecundùm omnes non ſunt verè cauſa ipſius effectus,v.g.approximatio ignis,neceſſariò requiritur, vt lignum comburatur,& tamen non eſt verè, & propriè cauſa cõbuſtionis, ergo cauſa ſine qua nõ, non eſt verè,&propriè illius actionis cauſa,ſed ea duntaxat,quæ concurrit,& influit in effectum.Vnde optima regula erit,ſi dicamus,quòd quotieſcunque aliquo poſito, quod influit in effectum, ſequitur talis effectus,& eo ablato,vel non ſequitur, vel ſi ſequitur alio modo ſequitur, ſine dubio cauſa eſt efficax illius effectus.Et ratio eſt, quia ex quo deficit ille ſolitus modus, ex defectu illius, ſignum eſt euidens habuiſſe influxum in illo effectu, & non ſolum eſſe cauſam,ſine qua non.

Hinc, licèt Titius occideret,vel furaretur, ſed non eodem modo, aut tempore, quo Caius occidit,vel furatus fuit,proculdubio Caius eſt verè cauſa damni,concurrit enim ad illum actum, quia licèt Caius non occidiſſet,Titiusfuiſſet occiſurus,quia tamen Titius non tam citò, aut non cum tanta atrocitate occideret, Caius verè eſt cauſa illius occiſionis.verb. gr. ego lethali morbo laboro, quo pro certo ſum moriturus, ſi Titius accederet, & vulnus mihi infligeret de ſe lethale, certè erit irregularis,& homicida,quia licèt eo vulnere ablato,eſſem moriturus,non tamen ita citò, vel eo prorſus modo, ſi verò ex hac vita migrarẽ eodem prorſus modo, vulnus ſuperueniẽs non eſſet cauſa dicẽda,quia ſine illo eodẽ prorſus modoſequeretureffectus.

9 Hinc,qui conſiliũ dedit ei,qui in præcinctu erat, vt occideret, ex quo conſilio occiſor,nec ad occidendum motus eſt,nec ad citiùs,vel acriùs id faciendum, proculdubiò conſulens non eſt cauſa homicidij, nec ad vllam reſtitutionem tenetur.

10 Hinc ſi Titius decreuerat furtum committere, etiam ſi meum conſilium, vel imperium non accederet, & tamen ego illi conſiliũ præbeo,aut iubeo,vt furetur,vnde Titius animum ſuum amplius firmat,& ob meum conſilium,vel imperium, quod ſtatuerat exequitur;iã ego reus ſum furti, ex quoTitius ex meo cõſilio,vel imperio motus fuit ad furãdum,quia licèt Titius alio-

consilio, vel imperio motus fuit, vnde tãquã causa motiua cõcurro ad illud furtũ.

Hinc qui alicui consuleret, vt occideret inimicum, quem tamen non proposuerat occidere, aut erat dubius, aut non ita paratus, proculdubio hic teneretur tanquam cooperator criminis ad restituendum, etiamsi non defuissent alij, qui idem ei consilium dedissent, quia talis consultor verè influit, & reuera concurrit suo iniquo consilio ad illud homicidium.

21 Hinc, si Titio ambulanti in nocte, occurrant latrones, quibus scalam fenestræ admouentibus, scalam teneret, vt illi securius ascenderent, proculdubiò Titius verè est complex, ac socius, & causa efficax illius furti, quia sic scalam tenere cooperatio est ad illud furtum; secus autem si non teneret scalam, vt illi melius ascenderent, sed illam casu, vel nil de furto cogitans tenuit, quia tũc cum non fuerit vera causa moraliter influens in illud furtũ, ad nullam teneretur restitutionem.

22 Hinc, famulus vsurarij, qui tantum accipit, vel tenet vsurariam pecuniam, non tenetur ad aliquid restituendum, quia id moraliter loquendo, non est aliquid efficere, quod per se pertinet ad iniustam acceptionem vsuræ. Secùs verò si tanquam vsurarij procurator, seu agens conuenit inter dantem, & recipientem, aut literas de tali contractu ad eum firmandum conscribit, aut conscribi curat, quia tunc ad restitutionem tenetur, quia hic famulus verè aliquid efficit, quod ad contractum vsurarium pertinet. Oppositum tamen huius tenent Nauar.cap.17.nu.266.Caiet.2.2.q.62. ar.7. Val.tom.3.disp.5.q. 6. p. 3. & Sylvest. verb.vsura 7.q.4 quia accipere, & conseruare pecuniam vsurariam pro hero vsurario moraliter est aliquid conferens ad iniquam acceptionem, & retentionem talis pecuniæ. Sed de hoc infra in materia de vsura amplius dicemus.

Hinc, si plures æquè consulerent rapinã, alioquin non rapturo, t alique consilio motus sit ad rapiendum, singuli in solidum tenentur ad restitutionẽ, etiamsi quilibet eorum, per se sufficeret ad mouendũ, reliquis non consulentibus, quamuis nemo eorum teneretur, si rapinam consulerent ei, qui alioquin rapturus erat, remoto eorum consilio, vt post alios tradit Couar. 2. p. Reg. peccatum §.12.nu.1.

23 Dices, illa est vera causa, qua posita, ponitur effectus, & qua remota, remouetur effectus; ergo si executor absque suo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio æquè benè damnum erat illaturus, tuum consilium, consensus. imperium, &c. non potest dici causa damni.

24 Respondeo non esse de ratione causæ vt illa non posita, non poneretur effectus, sed tãtum, vt illa posita sequereretur effectus, cum stet, dari plures causas eiusdem effectus, quarum quælibet sine altera ad effectum illum sufficeret, vt patet si duo simul deferant lignum: vterque erit causa talis delationis, cum tamen neuter sit causa sine qua non, quia quocunq; eorum semoto ab altero fuisset delatum.

Hinc, si quispiam firmiter decreuerat furari centum, & ex meo iniquo consilio, fuit motus ad furandum ducenta, non teneor omnia integrè restituere, sed illa cẽtum dũtaxat, quorum ablationis ego extiti causa.

QVÆSTIO LI.

Sed quid? si post diligentem inquisitionem quis probabiliter dubitet, An sit causa efficax damni?

1 REspondeo in hoc casu ad nullam restitutionem teneri. Ratio est, quia secundùm Regulam Iuris, in dubio æquali, melior est conditio possidentis; nec proinde exponit se periculo peccandi non restituendo, quia cum eo dubio speculatiuo, stat certitudo practica, quod licitum sit non restituere, iure possessionis.

DE EXECVTORE.

Quid nomine executoris intelligatur?

QVÆSTIO LII.

1 REspondeo eos omnes, qui immediatè influunt ad damnum.

QVÆSTIO LIIII.

Vtrùm executor delicti semper ad restitutionem tenetur?

1 REspondeo teneri, esto si ipse exequens, nõ exequeretur damnũ, alius eodem

eodem prorsus modo, ac tempore idem damnum illaturus fuisset. Ratio est, quia exequens non solum est causa principalis, sed etiam proximè, & propriè damnum efficiés, Vnde si plures totum damnum pariter, & æquè exequerentur, omnes, & singuli in solidum restituere tenerétur, esto quilibet illorum illud sine aliis foret exequuturus.

De iubente, seu mandante.

QVÆSTIO LIV.

Quid nomine iubentis intelligatur?

1 REspondeo intelligi eum omnem, qui suo imperio, seu mandato causa est iniustæ acceptionis, damnue iniustè dati.

QVÆSTIO LV.

Quot modis possit quis iubere?

1 REspondeo duobus. Primò expressè, vt si dominus expressè dicat, vade, & occide &c. Secundò tacitè, seu implicitè, vt si dicat, vindictam ex tali opto. non eris mihi gratus, nisi aliquid dignum meritis feceris: aut non appareas coram me, donec aliquid noui de te audiam, & huiusmodi: Vnde famulus mandatum vltionis coniicit.

QVÆSTIO LVI.

An iubens dãnum fieri, ad illius restitutionem teneatur?

1 REspondeo teneri, etiam si nihil vtilitatis inde percipiat. Ratio est, quia iubens ex genere suo causa est præcipua, & quæ potissimum mouet ad inferendum damnum; quod si esset homicidium, vel clerici percussio, etiam incurreret censuram & irregularitatem; nec refert quod modo mandans sit in statu gratiæ, quia etsi excommunicatio non contrahatur nisi ob peccatum mortale, non tamen oportet, vt illius peccatum tũc committatur, sed sufficit commissum esse, & effectum eius ex vi illius postea fieri.

Dixi notanter (ex genere suo) quia per accidens, & ex circumstantia potest euenire, vt præcipiens ad nullam teneatur restitutionem, & hoc in duobus casibus.

2 Primò si damnum in re non sequatur.

Secundò si mandatarius non ex vi mãdati, sed ex alia causa, & occasione furtũ committat, vel damnum inferat, tunc iubens non esset obligatus ad restitutionem rei, & si clericum occidat, nullam irregularitatis, vel excommunicationis notam incurreret, quia suo mandato nihil operatur ad furtum, vel damnum faciendum, & ideò non tenetur ad restitutionem, cum illud damnum ex sola mandatarij culpa proueniat.

3 Hinc tyranni, qui per se non spoliant sed aliis id iubent, secuto damno, ad restitutionem illius obligantur, quia suo imperio sunt causa efficax illius damni.

QVÆSTIO LVII.

Quid? si Titius paratus est furari, & in prætinctu operis est & ex meo imperio mouetur non ad inferendum damnum simpliciter, sed ad inferendum libentius, celerius, atrocius, & animosius, vel alio loco?

1 REbell. p. 2. de oblig. lib. 2. de rest. q. 14. & Aragon. 2. 2. euæst. 61. ar. 7. secuti Palud. Gabr. Marsi. Adria. Aug. Syuest. & D. Antonin. dicunt quod teneor restituere non integrè, sed quãtum ex illa maiori firmitate, vel acceleratione ad arbitriũ boni viri creuit damnum illatum Quorum sententiam Less. lib. 2. de iust. cap. 13. dub. 2. arbitratur esse probabilem, tum propter Doctorum authoritatem; tum quia ego in hoc casu non tam sum causa substantiæ damni quam modi, vel circumstantiæ, cũ qua mandatur executioni, vt quod fiat, hoc tempore, hoc loco, hoc instrumento, hoc modo, ergò non teneor substantiam damni restituere.

2 Dices. ego meo consilio, vel imperio sum causa totius actionis indiuiduæ, vt hic & nunc fit, ergo &c.

Respondeo, & si sim causa totius actionis, vt hic, & nunc fit, tamen quia illa actio quatenus illatiua damni erat iam parata in exequente, & omnino secutura, non videor circa eam quicquam efficaciter operatus, nisi inducendo nouas circumstantias, quæ non pertinent ad substantiam

Digitized by Google

vtrum hoc celerius fiat an tardiùs, atrocius, an absque tanta atrocitate, hic, an alibi, hoc an illo instrumento, hac, an illa actione indiuidua: nam qui est causa, vt differatur homicidium in crastinum, est causa cur sit alia actio indiuidua damnosa, & tamen ad nihil tenetur, ergo.

3 Sed verius, ac probabilius multo est oppositum, quod cum Caiet. Soto Valen. Pett. Nauar. & plerisque aliis supra docuimus.

QVÆSTIO LVIII.

Sed Quid? si mandans sit dubius an mandatarius suo imperio motus sit ad damnum inferendum annon.

1 REspondeo in hoc casu teneri moralem diligentiam adhibere, vt sciat veritatem; si vero facta diligenti inquisitione adhuc dubitet rationabiliter, tunc nihil tenetur restituere, quia ex Reg. iuris ceteris paribus in casu dubij melior est conditio possidentis. Aragon. 2.2. quæst. 62. art. 7. Med. C. de restit. quæst. 7. Petr. Nauar. lib. 3. de restitut. num. 26. Salon. 2.2. quæst. 62. art. 7. & alij. Est tamen contra Mol. tom. 3. de Iust. disp. 730.

QVÆSTIO LIX.

An mandans alicui, vt delictum, vel damnum faciat, teneatur ad restitutionem, si mandatum reuocauit, antequam illud mandatarius exequeretur?

1 LEssius lib. 2. de Iustitia cap. 13. dub. 8. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. nu 27. Syl. verb. mandatum, quæst. 4. & alij communiter fatentur mandantem ad restitutionem in hoc casu non teneri, si reuocatio mandati peruenit ad notitiam mandatarij antè executionem facti, etiamsi mandatarius non obstante tali reuocatione mandati nõ destiterit damnum inferre. Quod putant esse verum, siue expresè fiat hæc reuocatio, hoc expressis verbis, scilicet per Epistolam, vel per internuncios, siue tacitè, vel implicitè, per signa ei significando ne vllo modo exequatur mandatum, vt si reconcilietur, & pacem ineat cum eo, cui mãdauerat damnum, seu iniuriam inferre, vel si contrahat cum eodem affinitatem ex aliquo matrimonio contracto cum suo consanguineo, vel consanguinea. Ratio huius est, quia post reuocationem mandati factam, quæ innotescat mandatario, si ille nihilominus obstinato animo velit damnum inferre, hic amplius non dicitur facere nomine mandantis, aut eius authoritate, nec virtute præcepti eius, sed potiùs ex proprio arbitrio, & peruersa sua voluntate, atque adeò mandans non poterit amplius dici causa illius damni, nec ad restitutionem eius tenebitur, sicut teneretur, si antequam mandatario innotescceret huiusmodi reuocatio, mandatarius damnum inferret, quia tunc verè inferret authoritate & nomine mandantis.

2 Ex qua doctrina inferunt, eum immunem esse ab irregularitate, vel ab excommunicatione, qui cum mandasset Clericum occidi, antè maleficium patratum, mandatum suum reuocauit, dummodò reuocationem hanc notam fecerit illi, cui hoc antea mandauit.

3 Contrariam tamen sententiam tenent Aragon. 2.2. quæst. 62. art. 7. & Ban. ibidem, vbi dicunt quod, & si mandans se retractet & reuocet mandatum, nihilominus si ex tali mandato, illatum sit damnum tenebitur ad restitutionem. Et ratio est, quia dãnum illud sequitur ex iniusto eius præcepto, & pœnitentia ipsa non debet eum à restitutione eximere: parũ enim refert, quòd quis reuocet præceptum, si per illud, damnum quod per iniustum mandatum fuit positum, non aufertur. Quorum sententiam falsam esse censeo in casu, quo mandatum nihil admixtum habet praui consilij, quia scilicet nihil habet, vnde mandatarius ad illud damnum, inferendum moueatur, præter mandantis præceptum, sed mandatarius post mandati reuocationem, sola sua malitia, aut sola Spe lucri tale mandatum fuit executus, tunc mandans ad nullam restitutionem tenetur. Secùs verò si mandatũ admixtam habet rationem aliquam à mãdante mandatario propositam, vnde mandatarius secluso imperio mandantis, motus fuit ad id damnum iniustum proximo inferendum, quia tunc mandans teneretur id damnum resarcire, eo quod verè per id consilij admixti cooperatus est ad damnũ ita iniustè illatum, quando executioni fuit mandatum, & in hoc sensu vera est opinio Aragon.

QVAE

QVÆSTIO LX.

An mandans teneatur ad restitutionem damni secuti in mandatario ex casu fortuito?

1 REspondeo eum teneri ad quodcunque damnum, etiam quod accidit ex casu fortuito, si tamen verisimile potuit contingere, vel probabiliter potuit cogitare euenturum in mandatario, & damnum huiusmodi sequatur ex vi mandati, quod alias non sequeretur.

Hinc, mandauit Titius occidi Caium, & mãdatarius errore deceptus occidit Paulum putans esse Caium, tenetur Titius restituere totum damnum secutum ex occisione Pauli, quia licet non mandauerit necem Pauli, nec voluerit, nec cogitauerit eum esse occidendum, satis est, vt ad id teneatur, quod verisimiliter potuit cogitare, quod similia damna immediatè solent sequi ex huiusmodi mandatis.

2 Dixi notanter (immediatè) quia si aliunde damnum sequitur, quamuis illius occasione, non tenebitur ad restitutionem, vt si Titius iussisset famulis suis occultè domũ alterius comburere, & à ministris Iustitiæ, comprehensus fuisset Caius tanquam incendiarius, non tenetur Titius Caio iniustè patienti damnum restituere, sed is qui eum iniustè accusauit, aut Iudex qui Iuris ordine non seruato eum condemnauit.

Hinc mandauit Titius solùm vulnerari Caium, & non occidi, mandatarius tãmen vulnerando, & percutiendo casu eum occidit, tenetur Titius resarcire damnum secutum ex occisione Caij, quia secuta est mors ex eius imperio periculoso.

3 Hinc mandatarius cum vellet occidere Caium, casu fortuito ab eo se defendente occisus est, tenetur mandans ad damnum secutum ex nece mandatarij quia verisimiliter potuit timere, ne ab eo se defendente occideretur. Tum quia in hoc casu mandans non solum nolentem inducit ad inferendum damnum, sed etiam eum quodammodo iniuriosè cogit, cum præceptum vim quasi coactionis habet Rebell. pag. 2. de obligatione lib. 2. quæst. 14. & alij.

QVÆSTIO LXI.

An si amicus præcipiat amico pauperi, super quem nullam habet superioris authoritatem, vt furetur, vbicunque possit etiam extra casum necessitatis, & diues fiat, si huiusmodi pauper mandatum exequatur, mandans teneatur ad restitutionem furti ab eo facti?

1 REspondeo huiusmodi præcipientem non teneri ad restitutionem ea ratione qua præcipit, quia non habet authoritatem præcipiendi, eo quod nullum ius superioritatis in eum habet, quamuis ex alio capite, scilicet ex ratione mali consilij ad restitutionem obligari poterit, pro vt causa esse poterit, quòd alter ad furandum ex eius consilio moueatur.

QVÆSTIO LXII.

An sit liber à restitutione mandans, si post maleficium patratum, mandatario iubeat, vt restituat?

1 REspondeo si ex eius iniquo imperio iniuste illatum sit damnum, non liberatur à restitutione, nisi cum effectu mãdatarius restituat. Ratio est, quia sicut non tenetur præcipiens furtum, ex solo præcepto, nisi quando alter ex eius præcepto verè, & realiter rem auferat, ita etiam nec deobligatur à restitutione ex solo imperio de restitutione facienda, nisi alter eius consilium secutus, verè furtum restituat, quo non restituente, ipsemet præcipiens ad restituendum tenetur, par enim est vtriusque ratio. Molina tom. 3. de Iust. disp. 736.

QVÆSTIO LXIII.

An si Titius paratus esset furari, & in præcinctu operis esset, aliquis ei diceret, abi ergo & fac, secuto effectu præcipiens ad aliquã restitutionem teneretur?

1 REspondeo, si Titius qui ita erat in præcinctu & paratus ad nocendum non est subditus, non tenetur tunc præcipiens ad restituendum, quia non est causa efficax, quæ ad restitutionem obligat. At si est subditus, tenetur, non quia præcepit, quia aliundè ille decreuerat damnum inferre, sed quia, non impediuit, quandoquidem superior tenetur impedire subditum ne aliis noceat. Vnde si Dominus cum obstare posset, diceret, fac quoduis, & permitte

Digitized by Google

mitteret, non obstaret, atque ex consequenti ad restitutionem totius damni teneretur.

QVÆST. LXIV.

An ratum habens maleficium nomine suo factum ad restitutionem teneatur?

1 NAuar.cap.17.n.135.& cap.27.nu.233. Sylvest.verb.rest.3.q.6. Ang. verb. furtum nu.20.Tab. ibid.nu.16. & multi alij respondent affirmatiuè,& probant ex Reg. ratihabit. de Reg. iuris in 6. vbi dicitur: ratihabitionem retrotrahi,& mandato cõparari:sed mãdans damnũ fieri ad restitutionem tenetur, ergo, & ratum habens.Et confirmatur ex cap. cum quis de sententia excommunicationis, vbi habetur incidere in excommunicationem ipso iure eum,qui percussionem Clerici suo nomine factam ratam habet.

2 Oppositum tamen huius, quod tenent Molina tom.3.de Iustitia disp.729. Less.lib. 2.de Iustitia ca.13. dub.3.Med.C.de restitutione qu.7. & Rebell.par.2. de oblig.lib.2. q.14.est verius,atque tenendum. Probatur, Vt aliquis sit restitutioni obnoxius, oportet vt sit causa,vel cõcausa efficax alicuius iniustæ actionis; At ratum habens non est nec concausa damni anteà illati, eo quòd id quod posterius est tempore, non potest esse causa efficax præcedentis effectus, ergo si per talem ratihabitionem nec impeditur alter à restitutione, nec mouetur ad continuandam retentionem,ad nullam restitutionem tenetur.

3 Nec refert,quod nomine tuo sit factum quia inde tantum sequitur voluntatem ratum habentis delictum fuisse causam finalem,&ideò illud feciſſe,vt sibi gratificaretur, quia putabat tibi gratum futurum:sed hoc non sufficit, vt tu censearis causa efficax, & voluntariè concurrens ad damni illationem; finis enim non mouet voluntariè, sed naturaliter ex parte sua. Imò verò quamuis sciat aliquos nomine tuo dãnum aliquod iniustè alteri daturos,nec tamen impedias, esto commodè possis,peccabis quidem contra legem charitatis,non tamen contra Iustitiam, ac proinde ad restitutionem non teneberis:(quidquid dicat Molina) nisi vel ex officio maleficium impedire tenearis, vel concursum causæ consentientis præstes, vt si præsens sis, ac taceas,cum tui necessarij tractant de committendo delicto, quod tibi gratum futurum putent, ex qua taciturnitate ad delictum perpetrandum moueantur.

4 Et ad argumentũ Nau. respondeo quod ratihabitio comparatur mandato,non quidem quantum ad effectum restituendi,sed benè quo ad malitiam peccati, & Iudicialem punitionem,&ita si ratum habeas homicidium Clerici tuo nomine factum, idque signo externo declares, ex eodẽ puncto,quo ratum habuisti,eris ipso facto excommunicatus, & irregularis, cap. cum quis de sententia excommunicationis in 6.

5 Illud tamen aduerte, quod vt ratihabitio prædictos effectus habeat, necesse est, eum cuius nomine patratum est maleficium in eo statu fuisse tempore quo delictum fuit commissum, vt potuerit illud præcipere. Secùs autem si maleficium factum fuit alterius nomine,aut suo,cum esset infans, aut furiosus, qui mandare non possunt, ob quod excommunicationis, aut irregularitatis pœna imponitur, esto is, postea ratum habeat nomine ipsius illatũ esse tale delictum. Molina tom.3 de Iustit. disp.729.& Nauar. cap.27.& num.233.

DE CONSVLENTE.

Quid nomine consulentis intelligatur?

QVÆSTIO LXV.

1 REspondeo nomine consulentis intelligitur non solùm qui consilium dat,sed etiam qui hortatur, rogat, incitat, instruit, dirigit vtilitatem ac commodum proponit, vel aliud simile, vnde alter ex suo consilio mouetur ad damnum alteri iniustè inferendum, alioquin non facturus aut exinde augetur eius voluntas, aut certius,aut citius, aut libentius, vel atrociùs id faciat.

QVÆSTIO LXVI.

An cõsulens ad aliquam restitutionẽ teneatur?

1 REspondeo, qui suo consilio mouet, auget, confirmat, vel accelerat voluntatem alterius ad furandum, vel occidendum,secuto effectu tenetur in solidum

totum damnum reſtituere. Probatur, ille tenetur ad reſtitutionem, qui complex in actione iniqua, verè ad illam concurrit, & in ea aliquid efficit, quod per ſe pertinet ad talem actionem. At qui ſuo conſilio aliquid horum præſtat, verè concurrit ad illam iniquam actionem, ergo.

Deinde in Iure, conſiliarius, & conſentiens pari pœna puniuntur, vt præcipuus delinquens, vt habetur ex cap. notum ſit 2. qu. 1. ergo conſiliarius, & conſentiens non minùs erunt reſtitutioni obnoxij, quam delinquens. Vnde Alexand. III. cap. Sicut dignum de homicidio voluntario, ait. Qui ſuis iniquis ſuggeſtionibus præbuit conſilium Regi, vt occideret ſanctum Epiſcopum Cantuarienſem, ita ſeuera pœna eſt puniendus, ſicut & ille qui occidit.

Quæ doctrina intelligitur primò quando conſiliarius aliqua ratione vtitur, vnde executor mouetur ad damnum inferendũ alioquin non facturus: nam ſi ſola conſulentis authoritate conſilium nitatur, pro vt aliquando contingit, tunc ſufficiet antè perpetratum delictum conſilium reuocare. Rebell. pag. 2. de oblig. lib. 2. quæſt. 14.

Secundò intelligitur, quando conſilium datur in facti ſpecie occurrenti ſecùs ſi in communi.

Hinc lectores qui docent, vel reſpondent in genere, quáliter inimicus aggredi debet, non peccant, nec irregulares efficiuntur, ſi ex tali reſponſione aliquis permotus ſit ad committendum homicidium, quod ſecùs eſſet, ſi in facti ſpecie tale reſponſum dediſſent.

3 Hinc, conſiliarij Regis non ſolùm peccant mortaliter, verum etiam ad reſtitutionem tenentur, qui conſilium dant, vt Lex iniuſta ſtatutumue iniuſtum condatur: vel qui conſilium dant, vt tributum iniuſtum imponatur, vel vt bellum iniuſtum inferatur, aut vt aliquid aliud iniuſtum fiat.

Dices, quomodo ſcietur, quando conſiliarius eſt cauſa mouens, vel augens animum delinquentis.

4 Reſpondeo id cognoſci poſſe ex teſtimonio, & dictis eius, cui conſilium datum fuit, & ex aliis coniecturis, maximè ex circunſtantia temporis, quia ſi ſtatim dato prauo conſilio, ſecutum eſt damnum, ſignum eſt euidentiſſimum, conſilium illud mouiſſe, inflammaſſe, vel acceleraſſe delictum: ſi verò facto magno interuallo, verìſimiliter iudicari poteſt non illatum fuiſſe damnum illud ex illo conſilio, quia licèt quando datum fuit, inflammaſſet voluntatem, illo tamen medio tempore, piè credendum eſt fuiſſe mutatum, & accidiſſe deinde delictum illud ex alia cauſa, vel ex ſola malitia eius qui illud commiſit.

QVÆSTIO LXVII.

Sed quid? ſi conſiliarius dubius ſit, an fur ſuo prauo conſilio motus ſit, vel non?

1 REſpondeo in hoc caſu inquirere debet diligenter, an ex ſuo conſilio motus ſit, nec ne. Sin verò facta diligenti inquiſitione, adhuc res ſit dubia, an ex cõſilio damnũ illud euenerit tunc declinandum eſt in fauorem conſulentis, nec obligandus eſt ad reſtituendum, quia talis obligatio eſt odioſa, odioſa autem ex Reg. iuris oportet reſtringere.

QVÆSTIO LXVIII.

An qui conſuluit furtum, vel delictum in dãnum proximi, ſi reuocet conſilium antè factum, etiamſi nihil perſuadeat, teneatur ad reſtitutionem?

1 PRo huius quæſtionis deciſione, obſeruandũ eſt primò, quòd dupliciter poteſt dari conſilium, ex quo ſequitur alterius damnum. Vno modo ad indicandam veritatem, vt verbi gratia ſi aliquis contractus ſit licitus, an non: ſi poſſit aliquid ab alio accipere, nec ne, quando nimirum petitur in re aliqua præſertim dubia ab aliquo conſilium, & conſulens ad indicandam veritatem dicit, quòd licitè poteſt facere. Secundò verò modo poteſt dari conſilium de delicto committendo, vel de inferendo damno alteri, indicando ei modum, vel rationem faciendi cum vtilitate, vel commodo, quod poteſt reportare, Quo poſito.

2 Primò dico, quòd ſi primo modo detur conſilium, certum eſt conſulentem non teneri ad reſtitutionem, ſi poſtquam nouit illicitum eſſe, quòd vt licitum conſuluit, anteà factum reuocet conſilium datum, & ei notificet reuocationem, etiamſi nihil perſuadeat. Ratiò eſt, quia qui à me conſilium petiuit, non fuit motus ex meo conſilio,

filio vel saltem rationabiliter moueri non potuit ad aliquid faciendũ, nisi quia à me intellexit illud esse licitum, sed postea reuocando consilium, dicendo veritatem, scilicet id esse illicitum, sufficienter tollo omne id, per quod rationabiliter moueri possit ad id faciendum, vnde sequeretur proximi damnum, & ideo si post reuocationem id velit facere, intelligens id esse illicitum, totum id suæ culpæ, & iniquitati, & non meo consilio imputandum est. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO LXIX.

Sed tota controuersia inter Doctores consistit, de secundo modo consulendi, quando nimirum datur consilium de delicto committendo.

1 AZor.tom.3. Instit. moral. lib.4.cap. 11.q.2.& Petr.Nauar. lib.3. de rest. num.27. citans pro se Med.C. de rest.qu.7. sentiunt talem qui sic reuocauit antè factum consilium, non teneri ad restitutionem damni. Et probant, quia præcipiens committit furtum, si antequam illud fiat, reuocet mandatum,& notificet illud mandatario, non tenetur ad restitutionem, si damnum postmodum sequatur, ergo pari ratione dicendum est de consulente.

Tum quia quando fecit, quod potest, vt consilium priùs euertat, vel ostẽdit omnibus consideratis esse iniquum,& non sequendum, non videtur executor ipsius cõsilio moueri, sed sua malitia. Hanc opinionem censent esse probabilem Less. lib.2.de Iustit.cap.13.dub.3. & Salo.2.2.qu.62. ar.7.

2 Sed dicendum est cum communi sententia Doctorum, qnod si consulens diffuasit, ita vt is, cui datum est consilium, mutauerit voluntatem, & postea alia de causa motus, furtum committat, ad nullam restitutionem tenetur, quia in hoc casu non est causa efficax illius furti. Secùs autẽ si alienam capiat motus ex eius consilio priori, quamuis postea oppositum consuluerit, semper tenetur consulens ad restitutionem, quia vere ex consilio fuit causa efficax illius damni.

Tum quia ostensione commodi, vel honoris voluntatem furis ad furtum perpetrandum permouit, & hæc motio manet, quandiu fur eadem ratione incitatus, conceptum delictum vult perficere ergo cum sit causa istius praux voluntatis, etiam est causa effectus eius scilicet dãni subsecuti.

3 Tum quia occultum nocendi artificium patefaciendo, veluti armis, & auxiliis furi rem instruxit, vt furetur, sine quibus tãquam causa sine qua non potuisset furari. Sicut qui amenti præbet arma, vt quempiam occidat, tenetur, nisi reipsa abstulerit, ne illis alicui noceat.

Tum demum, quia qui tale cõsilium dedit, debebat præuidere mala, quæ inde sequi poterant, & non fore postea in sua potestate impedire, quin consilium illud exiret in opus.

Hinc est irregularis, qui consilium fœminæ dedit, vt faceret abortum, indicando ei certam rationem, & artem, qua fœtum excluderet: & postea pœnitentia ductus reuocauit consilium, & nihilominus fœmina ab huiusmodi facinore nequaquam abstinuit vtens modo, & arte sibi indicatis. Et ratio est, quia eius consilium fuit causa efficax huius damni.

4 Et ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo, esse magnam differentiam inter mandantem fieri delictum, & consulentem, quòd mandans si antè factum reuocet mandatum, & notificet alteri, non obligatur ad restitutionem, nec contrahit irregularitatem propter homicidium postea factum à mandatario, qui verò consulit alteri homicidium, vel delictum vt non obligetur ad restitutionem, nec irregularitatem incurrat, non satis est, vt reuocet consilium, sed requiritur primò, vt persuadeat ei, ne id faciat, ita vt certò vel probabiliter credere possit, eius animum esse mutatum. Vel secundò si id non persuaserit, vt moneat secretò eum, contra quem huiusmodi delictum consuluerit, vt sibi caueat. Vel tertiò, vt tam longum tempus interceserit, vt verisimiliter credi possit, eum talis consilij esse oblitum, ita vt si postea committat delictum, non ex vi consilij, sed ex alia assumpta occasione iudicandus sit commisisse. Ratio autem discriminis inter vtrumque est, quia mandatarius vt talis est, non exequitur mandatum nomine proprio, vel arbitrio proprio, sed solùm nomine, & authoritate, & in gratiã mandantis, sed postquam est reuocatum mandatum & ei notificatum, id mandatarius non potest facere nomine, & authoritate mandantis, sed tantùm proprio arbitrio.

trio,& ideò ei tantùm imputatur. At verò is,cui consilium datum est vt talis est,non facit delictum, vel damnum nomine, vel authoritate, vel in fauorem consulentis, sed potiùs nomine proprio, vel arbitrio proprio,licet motus alterius consilij.Vnde consulens quasi veneno voluntatem eius inficit; ex quo sequitur,vt consulens liberetur ab onere restituendi damnum, non satis esse, vt reuocet consilium, nisi conetur tollere animum eius propensum, & inclinatum ad inferendum tale damnum, vel nisi alio modo ex parte sua quantum fieri potest, impediat ne sequatur tale damnum. Molina tom. 3. de Iust. disp. 730.

QVÆSTIO LXX.

Quid? si Titius praunm consilium alicui dedit vt proximo suo damnum inferret, sed id illi non potuit persuadere, post multum verò temporis, ex eo consilio permotus, & inflamatus damnum illud intulit, ad restitutionem teneatur?

1 REspondeo teneri. Et ratio est, quia reuera Titius suo prauo consilio ad id damnum inferendum moraliter concurrit, quando damnum fuit illatum, licet à principio non persuaserit, qui postea ex illo fuit inductus ad tale damnum inferẽdum.Ita Rebell. p.2.de obligat. lib.2. q.14.

QVÆSTIO LXXI.

An consulens homicidium, si reuocando consilium nihil persuadeat, teneatur monere eum secreto contra quem huiusmodi delictum consuluit, vt sibi caueat?

1 REspondeo teneri. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.Sed tota difficultas consistit.

QVÆSTIO LXXII.

Qua lege ad id teneatur?

1 NOnnulli arbitrantur eum obligari quidem lege Iustitiæ ad reuocandum consilium: sed reuocato consilio non cogi lege Iustitiæ monere secretò eum contra quem homicidium consuluit, sed tantùm lege charitatis,si commodè potest.

2 Alij verò probabilius aiunt ad id esse obligatum lege Iustit. vt post Innoc. Abb. Ang. & alios resoluit Azor. tom. 3. Instit. mor. lib.4.cap.11.quæst. 3.

QVÆSTIO LXXIII.

An consulens fieri furtum,vel delictum in damnum alterius, si post factum,consulat eirestitutionem facere,eo ipso liberetur ab onere restituendi, etiamsi nolit, restituere?

1 REspondeo non liberari, nisi ille cui id consuluit,verè, & realiter restituat. Ratio est, quia qui consuluit, duos læsit, & furem ipsum, in quo iniquam voluntatem furandi causauit, & dominum rei, à quo furem subtraxit, ergo tenetur vtrique satisfacere, & furi,dando operam, vt habeat voluntatem restituendi, & Domino spoliato, vt res sua actu ei restituatur,nam Donsini damnum non resarcitur ex eo solùm, quod fur habeat voluntatem restituendi, si non restituat.

2 Et confirmatur, sicut furtum est consilio verbi gratia Titij efficaciter patratum, sic etiam reipsa debet restitutio fieri consilio ipsius;donec autem restitutio ad effectum per furem deducatur, Titius non est liber ab onere restituendi.

QVÆSTIO LXXIV.

An qui furi parato rapere centum ab altero consulat, vt rapiat ducenta, teneatur restituere solum centum,an verò ducenta?

1 ADrian. in 4.in tract. de restitutione censet hunc obligari ad ducenta, & probat quia consulens suo consilio mutauit priorem voluntatem iuris, & nouam furandi ducenta causauit; vnde cum eius consilium feratur in totam summam ducentorum, videtur ad totius furti restitutionem obligari.

2 At Med.C. de rest.qu. 8. Couar. in Reg. peccatum de Reg.iuris in 6.§.12.n.4. Petr. Nauar.lib.3.de rest.num. 60.Salon.2.2.q.62. art.7.& multi alij dicunt hunc casum posse contingere dupliciter. Primò quando fur cui datur tale consilium, ita erat paratus ad furandum centum, vt quantum ad id impertinens fuerit consilium de furandis ducentis, quia ob tale consilium nulla

nullatenus fuit motus ad furandum illa centum, quæ furari decreuerat, nec eius voluntas audacior, tutior, promptior, aut firmior quo ad hoc eſt facta, & tunc cõſulens nõ tenetur reſtituere niſi centũ, ad quę ſolùm furanda dedit cauſam. Secundò modo pòteſt id contingere, quando propter huiuſmodi conſilium animus furis maior, firmior, aut promptior effectus fuerit ad furandum illa centum, quæ decreuerat, & eum concepit nouum animum furandi alia centum, & tunc conſulens tenetur ad reſtituendum totam ſummam ducentorum, quia cauſam dedit totam ſummam furandi.

QVÆSTIO LXXV.

Ex qua culpa teneatur ad reſtitutionem damni ſecuti malè conſulens, ſiue in contractibus, ſiue in delictis?

1 CIrca hoc Gabr. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. dub. 2. ſenſit nullum propter malum, ſeu nociuum conſilium datum, ſiue in delictis, ſiue in contractibus teneri ad reſtitutionem damni ſecuti, niſi propter dolum, quando ſcilicet conſilium eſt fraudulenter datum ex odio, vel animo nocendi, vel ſciendo eſſe nociuum. non autem ſi dedit conſilium malum ex ignorantia, & negligentia etiam præcedente ex lata culpa.

2 At Sylueſt. verb. reſtitutio. 3. qu. 6. Nauar. cap. 17. num. 132. Med. C. de reſt. qu. 7. & alij, communiter aſſerunt conſulentem malo, vel nociuo conſilio ſiue in delicto, ſiue in contractu, vel quaſi contractu, teneri ad reſtitutionem damni, ſiue ex dolo, ſiue ex lata culpa, ſiue aliquando etiam ex leui, & leuiſſima.

3 Pro huius tamen quæſtionis intelligentia, dico primò, quòd qui conſulit alteri delictum, quod vergit in damnũ alterius, tenetur ad reſtitutionem damni faciendã, non ei cui conſuluit, ſed ei contra quem datum eſt conſilium, non ſolùm ſi fraudulenter, ſeu ex dolo id conſuluit, ſed etiamſi ex lata culpa procedente ex craſſa quadam ignorantia, vel negligentia id conſuluit, nã in conſulendis delictis, præſertim illis, quæ ſunt contra legem naturæ ſemper interuenit dolus, vel ſaltem lata culpa, quæ æquiualet dolo, vel fraudi ſecundùm iura, & ideò nomine delicti, vel maleficij, quod conſuluit, tenetur ad reſtitutionem, nam ſi conſuluit homicidium, tanquam homicida ad id tenetur, ſi verò conſuluit furtum, tanquam fur &c. Quod autem talis non teneatur conſulto, ſed ei contra quem datum eſt conſilium, damnum quod paſſus eſt recompenſare, probatur, ille cui conſulitur delictum, voluntariè, & ſponte illud committit, nec ad id cogitur, ſicut mandatarius à mandante, ac proinde ſi inde aliquod damnum patitur, ſuæ culpæ imputari debet, & non conſulenti, quia conſultus ſciebat, vel ſcire debebat huiuſmodi conſilium eſſe prauũ, & ſibi non expedire, alioquin ex improbitate ſua commodum reportaret, vt ſcilicet poſſet obligare conſulentem ſibi reſarcire damnum.

Secundò dico, quod qui conſulit circa contractum, vel quaſi contractum dicens licitè ſe poſſe obligari ex tali contractu, vel quaſi contractu, ſi malum conſilium fuit ſiue ex dolo, ſiue ex lata culpa, ſeu negligentia culpabili, non eſt dubium, eum teneri in conſcientia ad reſtituendum omne damnum, quo propter tale conſilium, tam is, cui conſuluit, quam is, contra quem datum eſt conſilium, paſſi ſunt, ſi talis verò ſit, vt ex officio cõſilium dederit, vt Aduocatus, Medicus, Confeſſarius &c. quia iſte ex ſua culpa, malo conſilio dato veram cauſam damni vtrique dare dicitur.

4 Tertiò dico, quod ſi talis conſultor ſpõtè ſe ingerit ad dandum conſilium, non ſolùm tenetur ex dolo, & lata culpa, ſed etiã ex leuiſſima, ſicut depoſitarius ſe ſpontè offerens. At verò ſi non ingerat ſe, tunc poteſt contingere dupliciter. Primò ſi ex officio, & mercede conductus, vt Aduocatus, Medicus &c. in quo caſu, non tenetur ex leuiſſima, ſed lata, & leui, quia conſilium huiuſmodi eſt in bonum, & gratiam vtriuſque partis, tam dantis, quam recipientis conſilium. Secundò cum conſulens gratis conſilium dederit, & tunc tenetur ſolùm ex dolo, & lata culpa, non autem leui, & leuiſſima. Ita Molina to. 3. de Iuſt. diſp. 730.

Hinc qui dolo, vel fraude docet falſitatem aliquam ſiue in materia fidei, vel morum, ſiue in arte aliqua, vel ſcientia non ſolùm peccat contra Iuſtitiam & ad reſtitutionẽ tenetur damni diſcipulo illati, vel aliàs ſubſecuti; verum etiam ad ſe retractandum, proximumque ab eo errore reducendum, vt poſt Caiet. Med. Petr. Nauar

Digitized by Google

uar. & alios reſoluit Rebell. p.2. de oblig. lib.2.quæſt.14.ſect.4.

Hinc,ſi quis non inſtruendo,nec conſulendo,ſed tantùm ob oculos ponendo cõmodum delicti alteri, alioqui etiam non peccaturo, occaſionem peccandi mortaliter præbet,peccat quidem contra charitatem,non tamen contra iuſtitiam, ſi modò vis, metus, dolus, aut fraus procul abſit, nam ſi aliquid iſtorum intercederet,iam ad reſtitutionem teneretur, vel ſi ad inferendum damnum proximo,etiam ſecluſa fraude,vi,aut metu,induceret.

5 Quartò dico, quòd inexpertus, vel idiota ſiue ad conſulendum ſe offerat, ſiue rogetur,ſi abſque dolo,& fraude conſulat, quod optimum ſibi videtur (quidquid dicat Aragon.) non tenetur ad reſtitutionem damni, quia in hoc caſu petens conſilium à tali,vel eius conſilio acquieſcens ſibi imputare debet culpam damni ſecuti, quia cum haberet viros doctos,à quibus de veritate,quam quærit,poſſet edoceri,imperiti,& idiotæ conſiliis acquieſcere voluit,in quo facto virtualiter errare voluiſſe videtur. Secùs eſſet, ſi talis imperitus fraudulenter,& dolosè malè conſulat.Ita Mol.to. 3.de iuſt.diſp.730.Petr.Nauar.li.3.de reſt.n. 25.Sylueſt.verb.conſilium q.7.& Med.C. de reſt.q.7.

6 Quintò,& vltimò dico,quòd ſi Titius, qui conſilium eſt ſecutus, probabiliter ignorat damnum, quod alteri dedit, iniuſtum eſſe,ductus,merito, doctrina, & authoritate conſulentis,non peccauit,nec ad reſtitutionem tenebitur, niſi ex eo effectus fuerit ditior:is verò qui fraudulenter tale conſilium dedit, tenebitur in ſolidum totum damnum reſtituere,quia verè eſt cauſa efficax talis damni.Ita Mol.to.3. de iuſt. diſp.730.

QVÆSTIO LXXIV.

An liceat,alteri conſulere minus malum, hac intentione vt à maiori malo ab ſineat? verbi gratia eſt quis paratus occidere Petrum, dubium eſt, vtrùm ſit nobis licitum conſulere illi mutilationem?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione duæ extant Doctorum opiniones,prima eſt Soti lib.6.de iuſt.q.6.ar. 5. Caiet. in ſumma verb.tyrannus,Nauar.c.14. num.40. Arag.2.2.q.62.a.7.Ledeſm.2 de iuſt.c.13. dub. 3.Petr.Nau.lib.3.de reſt.n.29.Valent. tom.3. d.1.q.10.p.7.& diſp.5.q.21.p.4.Saloníj 2.2.q. 62.a.7. & aliorum aſſerentium id eſſe licitum.Imò Adrian. in quodlib.1.q.2. ait, fatuum eſſe de hoc dubitare. Et Rebell.p.2. de oblig.lib.2.q.14.ſect.7.addit fas tunc eſſe,iuuare malefactorem ad minus malum, vt ſi fur equum furari intenderet, non ſolùm ei ſuadere poſſes, vt ouem potiùs ab eodem domino ſurriperet, ſed etiam ad eius comprehenſionem adiuuare, quia ea comprehenſio ex parte tui non eſt furtum, cum non fiat inuito domino, ſed ex præſumpta eius voluntate, cuius rem vtiliter geris, dum rem pretioſiorem viliori redimis.Huius tamen ſententiæ fundamentum illud eſſe videtur, quia Gen. 19. Loth conſuluit minus malum,vt maius malum euitaret, nam cum viri Sodomitæ vim facere voluiſſent viris,quos Loth exceperat, dixit Loth, ne quæſo faciatis hanc rem peſſimam, habeo hic duas filias educam eas ad vos,ipſis abutimini. Vnde Aug.lib.q. ſuper Exodum c. 15. vbi de coniuge adultera loquens ait, ſi facturus eſt, quod non licet, puta vel vxorem occidere, vel dimittere, iam faciat adulterium, & nõ homicidium. Et D. Chryſoſtom. hom. 27. ad populum Antiochenum videtur dicere,aſſueto iurare per Deum, eſſe conſulendum vt iuret per caput ſuum, ne iuret per Deum. Et D. Gregor. vt refertur in diſtinct. 12. cap. nerui ait, inter duo mala, minus eſt eligendum, ergo & minus malum conſulendum.

2 Secunda verò opinio eſt Illuſtriſſimi Caiet.2.2.q.78.ar.4.& q.93.art.8.Soti cap.3. ad Romanos, qui ſunt ſibi contrarij in locis ſupra citatis, Sylu. verb. matrimonium 7.q.5.nu.9. & aliorum qui affirmant id non eſſe licitum,imò dicunt eſse erroneum, & periculoſum dicere oppoſitum:fundamentum horum eſt, quia non ſunt facienda mala,vt eueniant bona, vt Paulus ad Ro.3 ait, ſed mutilare eſt malum, ergo non licet conſulere mutilationem, vt eueniat iſtud bonum ſcilicet vt euitetur homicidium.

Tum quia nemini licet inducere aliquẽ ad peccandum; ſed conſulere minus malum eſt inducere ad peccandum,ergo.

3 Pro huius tamen quæſtionis deciſione dico primò, quòd non eſt licitũ conſulere

minus malum alteri, qui omnino non eſt paratus, nec pro certo ſtatuit maius malum committere, vt abſtineat à maiori malo. Ratio huius eſt, quia cum ille non ſit paratus committere maius malum, ſine ratione induceretur ad patrandum minus malum.

Secundò dico, quòd conſulere minus malum parato ad faciendum maius, ſiue tale conſilium ſit peccatum, ſiue non, nullã tamen inducit obligationem reſtituendi, ſi ex huiuſmodi conſilio alter permotus fuit ad faciendum minus malum. v. g. erat paratus fur ad rapiendum centum Titio, ego autẽ conſului, vt tantùm raperet quinquaginta, & ea ille furatus eſt, non teneor Titio quicquam reſtituere, quia ſiue ſic cõſulendo peccem, ſiue non, vtiliter negotiũ illius geſſit, & meritò mihi gratiam debet pro hoc beneficio.

4 Tertiò dico, quòd quando aliquis eſt paratus ad faciendum maius malum, licet nobis conſulere illi, vt non tam gauiter peccet, non conſulendo vt minus malum faciat. v. g. parato ad furandum centum ſcutos, licet mihi illi dicere, non fureris tot ſcutos, ſine eo quòd dicam alia, quia in hoc caſu non conſulo minus malum, ſed ſolum auerto illum à graui malo, & hoc licitum eſt, imò vt ait Caiet. fungimur in hoc, officio bonorum Angelorum, qui homines ſibi commiſſos ſæpiſſimè auocant à grauiſſimis peccatis.

5 Quartò dico, quòd parato ad faciendum furtum maius ex bonis alicuius proximi, non licet nobis conſulere, vt furetur minus ex bonis alterius proximi. Ratio eſt, quia hoc eſſet inducere alium ad damnũ inferendum alteri, ad quod non erat paratus.

Tum quia damnum maius vnius tertij, non eſt præcauendum cum damno alterius proximi.

6 Quintò dico, quando vtrumque malum ſcilicet tam maius, quàm minus eſt malum intrinſecè, non licet conſulere malefactori minus malum, vt à maiori abſtineat. Ratio eſt, quia non licet petere, quod alius ſine peccato præſtare non valet; ſed mutilare ſine peccato fieri non poteſt, ergò non poſſum ab eo, ſi ſit in præcinctu iam ad occidendum, petere, vel conſulere, vt tantum mutilet.

Tum quia, quod ego non poſſum eligere ſine peccato, nec alteri illud conſulere poſſum; atqui ego non poſſum minus malum eligere, vt maius euitem in meipſo, ergò neque illud alteri conſulere.

7 Sextò & vltimò dico, quòd quando res eſt ex ſe indifferens, licitum eſt cõſulere alteri parato ad faciendum maius malum, vt illam faciat, quamuis ego ſciam quòd non ſit facturus, niſi malè. Ratio huius eſt, quia cum res ſit indifferens, non conſulo malum, ſed rem indifferentem. Vt ſurripuit quis mihi medicinam vitæ meæ ſimpliciter neceſſariam, non poſſum illam recuperare, niſi emam ab illo, licitum eſt mihi dicere, accipe pecuniam, & da mihi medicinam, quia in toto hoc, quod dico, ſolùm rem indifferentem dico, & quam ipſe poteſt benefacere, ſi velit nimirùm capere pecuniam animo reſtituendi, & vt ſuæ neceſſitati ſubueniat, licèt ille ex malo animo peccet; nam apud Hier. c. 41. legitur, quòd cum Iſraël vellet interficere viros, obtulerunt ei theſauros dicentes, noli interficere nos, quia theſauros habemus in agro.

8 Reſtat ergò pro complemento huius quæſtionis, vt argumenta primæ opinionis diſſoluamus, & ad primum de Loth reſpondetur, quòd peccauit, nec opus eſt Loth in hominibus excuſare peccatũ, cum dicat ſcriptura, quòd ſepties in die cadit iuſtus.

Sed fortè quiſpiam ſcire cupiet An in hoc facto Loth excuſari poſſit à peccato.

9 Illuſtriſſ. Caiet. affirmat Loth in hoc facto non peccaſſe, quia non obtulit filias animo recompenſandi malum malo, ſed placandi populum furentem, credens quòd populus non acceptaret oblationem, ſed ea ſubmiſſione placatus deſiſteret ab incepto; & probat ſuam ſententiam teſtimonio D. Petri in ſecunda ſua Canonica c. 2. dicentis quod Deus iuſtum Loth à luxurioſa conuerſatione eripuit; quæ verba de Loth verè dici non poſſent, ſi in illa oblatione filiarum peccaſſet.

At verò Sot. lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. ar. 5. Arag. 2. 2. quæſt. 78. ar. Lop. 2. p. inſtruct. conf. cap. 84. & Nicol. de Lyra ſuper Gen. cap. 1. dicunt Loth in illo facto peccaſſe, niſi fortè ex ignorantia excuſetur. Ratio eorum eſt, quia vt pater tenebatur filiarum pudorem ſeruare, nec decebat ipſum illo medio vti ad placandum populum.

Huius

Digitized by Google

Huius opinionis videtur esse. D. August. relatus in cap. quod ait dist. 14. vbi dicit non esse tribuendum consilio, quod fecit Loth, sed perturbationi mentis, quæ eius culpam extenuauit.

10 Et ad testimonium adductum ex Canonica Petri respondent, Loth verè iustum appellari, etiam si in illo facto peccauerit; Tum quia ante illud iustus fuit; Tum quia eius peccati creditur egisse pœnitentiam, quod satis est, vt iustus dicatur.

Cæterùm mihi placet responsio Caiet. affirmantis vt diximus prostitutionem illam fuisse hyperbolicam, non animo vt res ita fieret, sed ad declarādam sceleris, quod viri Sodomæ attentabant, immanitatem, quomodò dicere solemus, quando aliquid ægrè ferimus, me potiùs interfice, quam illi noceas, vel hoc facias.

Ad illud D. Aug. respondeo, quòd loquitur permissiuè, non autem consulendo. D. autem Chrisost. fuit primæ opinionis.

11 Ad illud D. Greg. respondeo, quòd Greg. solùm dicit inter duo mala, quando ambo caueri non possunt, & alterum est faciendum, tunc eligendum est minus malum ab eo qui est constitutus inter illa duo mala, quia tunc obligatio maioris mali euitandi habet suam vim in illo homine sic constituto: hinc tamen non sequitur, vt licitum sit minus malum alteri consulere, quia ille alius sciens, & volens peccat, & proinde tenetur euitare tam maius, quàm minus, & ideò nobis non licet parato ad occidendum, vel adulterandum, aut ad mutilandum, consulere, vt tantùm mutilet, aut fornicetur, vel tantùm percutiat, vel pugnis, aut alapa cædat, quia ipse nihil horum, potest benefacere.

QVÆSTIO LXXVII.

An parato me occidere, possim sine peccato illi consulere, ne me occidat, vt manum mihi amputet, vel pugnis, aut baculo me cædat?

1 AVthores qui primam opin. amplectuntur, respõdent affirmatiuè ducti ea ratione, quia licet brachium, vel manum periculo exponere pro tuenda vita totius corporis.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium, ducor, quia nunquàm possum licitè alteri consulere, id quod ipse non potest benefacere; at nullus potest sine peccato manum alteri abscindere, vel pugnis cædere, ergò non licet.

3 Et ad argumentum in contrarium adductum respondeo, quod est dispar ratio de exponente manum periculo, vt totum seruet, quia pro bono totius ratio dictat, debere nos exponere periculo partem, & pro bono totius Reipublicæ exponere ciuem, sed nemini fas est consulere alteri, vt peccet, & vt faciat, quod non potest licite facere.

QVÆSTIO LXXVIII.

An constitutus in extremis possit sine peccato consulere vsurario nolenti gratis mutuare, vt mutuet sub vsuris?

1 SOtus, Nauar. Arag Valent. Less. & cæteri qui primam opinionem, vt probabiliorem sectantur, dicunt posse.

2 At verò alij secundæ opinionis, quos sequor, tuentur partem negatiuam, & meritò quidem, quia nemini licet consulere alicui, vt peccet; at mutuare sub vsuris est peccatum vt constat, ergò non licet. Vnde in tali casu licitè possum consulere, vt mutuet simpliciter, licèt sciam eum non mutuaturum nisi sub vsuris, quia inducendo absolutè, vt mutuet, suadeo rem, quam vsurarius, si vult, potest benè facere; non autem possunt ei dicere, vt mutuet ad vsuram, quia hoc modo consulo rem, quæ est peccatum ex genere, & quam vsurarius non potest benefacere.

QVÆSTIO LXXIX.

An liceat inducere furem, vt furetur paruum à diuite, potiùs, quàm magnum à paupere, in casu, quo fur adhuc est dubius, à quonam istorum furaturus sit?

1 LESS. lib. 2. de iust. c. 13. dub. 3. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 14. sect. 4. Pet. Nauar. lib. 3. de restit. num. 32. & Salon. 2. 2. q. 62. ar. 7. tenent id esse licitum, & probant, quia in hoc casu dues non est rationabiliter inuitus, aut læsus, cum lege charitatis teneatur leuem iacturam propriam magno damno proximi postponere.

2 Hoc tamen non obstante oppositum est verius. Et ratio est, quia consulere vt

quispiam inferat minus damnum prædiuiti, ad præcauendum damnum pauperis, multò grauiùs est consulere rem, quæ est intrinsecè mala, ergò non licet.

Tum quia non licet noeere vni, ad euitandum alterius nocumentum, aut causam præbere, vt latro subdubius ad istum, quamuis opulentum damnificandum determinetur, sic enim causa est efficax, cur hic innocens in particulari damnificetur, atque ex consequenti ad restitutionem tenetur.

QVÆSTIO LXXX.

Sed quid? si ego conseruo gemmam pretiosissimam Caij, & pecuniam Titij, & furi parato ad furandam gemmam, dico ne furetur gemmam: Ecce pecuniam, hanc accipe, & sis contentus. vtrùm tunc liceat mihi ex bonis Caij, cuius est gemma, tantam pecuniam accipere, quantam furi dedi, vt restitua Titio?

1 REspondeo. quòd licet accipere ex bonis Caij, cuius erat gemma, vt Titium seruem indemnem, cuius pecuniam furi dedi. Ratio est, quia reuera vtiliter gessi negotium Caij, cuius erat gemma, & ideò debeo ex bonis eius Titium indemnem seruari.

Hinc, si ex bonis Caij, non possum restituere Titio, tum teneor restituere ex bonis meis. Et Ratio est, quia teneor Titium seruare indemnem.

DE CONSENTIENTE.

QVÆSTIO LXXXI.

Quid hoc loco nomine consentientis intelligatur?

1 REspondeo, nomine consentientis intelligitur, qui adiuuat, fauet, approbat, vel suffragatur.

QVÆSTIO LXXXII.

An consentiens iniquæ actioni, ad aliquam restitutionem teneatur?

1 PRo resolutione huius quæstionis notandum, quòd consensus duobus modis se habet, aut enim est simplex consensus: & complacentia quædam voluntatis, aut est simul consensus, & causa effectus. v. g. agitur de bello iniusto ineundo vocat Rex Magnates, & Proceres sui Regni, ad quos ex officio spectat de his rebus agere, vt consulat, an bellum illud expediat, consentiunt omnes in illud, horum consensus non dicitur tantùm consensus, sed etiam causa, quia ex eorum consensu pendebat negotium: audiunt tamen hoc plerique de media plebe, & placet eis, & dicunt, fiat, horum consensus non est causa, sed tantùm consensus, & complacentia quædam voluntatis, ac proinde ad restitutionem non tenentur, quia hi, licèt mortaliter peccent, consentiendo in actionem iniustam, nullum tamen damnum exterius inferunt, cum eorum voluntas non fuerit causa efficax, & in effectu damnificans, restitutio autem non ex peccato simpliciter, sed ex damno iniustè causato, quod in casu posito non inuenitur, ortum habet.

2 Ex qua doctrina colligitur Regula vniuersalis in hac re, quòd quotiescunque interuenit solùm consensus, & complacentia, non autem causa nullam obligationem inducit restituendi, quia non influit tunc in effectum, nec aliquid operatur, quod per se pertinet ad actionem iniustam. At verò si est simul causa, & consensus, tunc ad restitutionem obligat, quia verè tunc influit in effectum, & ad actionem iniustam moraliter concurrit.

Hinc, qui consentit, vt damnum iniustè alicui inferatur, ita vt sine eius consensu, & authoritate illud non fieret, tenetur sic consentiens in integrum totum damum resarcire. At si damnum, vel eo non consentiente sequeretur, peccaret quidem contra charitatem suam, authoritatem, seu consensum præstando, ad nullam tamen restitutionem teneretur, quia non est damni causa.

3 Hinc, si Titius exequi vellet iniustum aliquod damnum, quod inferre non posset absque consensu Caij, tunc si Caius ad id suam authoritatem, ac consensum daret, vt id fieret, peccaret mortaliter, & quia per talem consensum est causa damni iniusti, quod ex eo consensu fit, teneretur illud restituere. Vnde prouerbio dici solet, satis excoriat, qui tenet pedem.

QVEA

QVÆSTIO LXXXIII.

Quid ſentiendum ſit, quando in capitulis, vel collegiis, multorum ſuffragiis eſt facienda aliqua electio, vel ferenda ſententia?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi plurimùm confert, vt ex omnium ſuffragatorum conſenſu res exequatur, ſiue palam, ſiue ſecretò ſuffragia ferantur, tam primi, quàm vltimi qui ſuffragia, vel actionem iniuſtam præbent, non ſolùm peccant contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ac proinde ad iuſtitiam tenentur. Ratio huius eſt, quia omnes cauſa ſufficiens, & efficax ſunt damni ſecuti. Ita Salon. 2. 2. q. 62. art. 7.

2 Secundò dico, quòd ſi res ſecretis ſuffragiis decernitur, & aliqui contra æquitatem ſuffragantur, contra charitatem, & contra iuſtitiam peccant, & tenentur in ſolidum damnum reſarcire. Et ratio eſt, quia non eſt maior ratio, ſiue potior ratio antecedentium, quàm conſequentium ſuffragatorum, quando neſciri poteſt, quinam fuerint vltimi in ſecreto ſuffragio ferendo, nam ſi verè eſſet ſecurus, qui fuerint vltimi, cum illi vltimi nihil ad rem facerent, nullam reſtitutionem tenerentur facere ei, cui per ſuffragia prima eſt damnum illatum. Ita Molina to. 3. de iuſt. diſp. 736. & Petr. Nau. lib. 3. de reſt. n. 33.

3 Tertiò dico, quòd ſi ſuffragia publicè ferantur, & maior numerus ſuffragatorum ſufficit ad electionem faciendam, vel ſententiam ferendam, tunc vltimi ſcientes expletum iam eſſe numerum requiſitum, votaque præcedentium præualuiſſe, & quòd eorum vota non prodeſſent, conſentiunt tamen aliis iniuſto facinori, ob humanum reſpectum, peccant mortaliter, reſtitutionis tamen laqueo non tenentur. Et ratio eſt, quia in iſto caſu talia vota non inferunt damnum, cum iam præcedentibus ſuffragiis ſit iam illud commiſſum; niſi qui poſteriùs iniuſtè ſuffragia tulerunt, cum prioribus iniquæ ſententiæ ſe ſubſcripſerint, quia in hoc caſu non minùs, ac Reliqui cauſa ſunt executionis iniuſtæ, ex quo ipſi ſuis votis, & ſuffragiis facultatem, & authoritatem dant executioni iniuſtæ, eorumque nomine, id quod decretum eſt, executioni mandatur. Vel niſi fortè omnes priùs ad iniuſtè ſuffragandum tanquam totius damni concauſæ conſpiraſſent, vt poſt Caiet. & alios reſoluit P. Nau. lib. 3. de reſt. n. 33. contra Cordubenſem. Vel tandem ſuis votis auxerunt iacturam dedecoris, ac infamiæ, quatenùs in electione ad prælaturam, vel beneficium maius dedecus, & maior infamia eſt, aliquem excludi maiori ſuffragiorum numero, quàm minori, quia tunc tenentur id damni augmentum illi reſtituere, quatenùs concauſæ iniuſtæ illius fuerunt. Ita Mol. tom. 3. de iuſt. & iure tract. 2. diſput. 732. & alij.

4 Quartò dico, quòd quando vltimi, quia vident vota priorum præualuiſſe iniuſtæ actioni conſentiunt, non hac ratione, quia diſſentiendo ſciunt eorum vota non prodeſſe, ſed quia ſimpliciter illud eis arridet, & eſt idem eorum animus, tunc tenentur omnes in ſolidum reſtituere, quia in tali caſu omnes ſunt pariter conſentientes, & vt vna cauſa adæquata ad illud damnum inferendum concurrunt. Ita Salon. 2. 2. q. 62. art. 7.

5 Quintò dico, quòd quando ſuffragia publicè feruntur, & vltimi ſuffragantes ſunt tantæ authoritatis, vt eorum qui priùs ſuffragia tulerunt, ſententiã mutare queãt, tunc tenentur iuxta æquitatem ſuffragari, & prioribus contradicere, aliàs tenentur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia vnuſquiſque vouentium tenetur quantùm poteſt ex officio, iniuſtæ ſententiæ, aut electioni reſiſtere, qui autem non debitè ſuffragatur, iniquitati conſentit, & ſe habet vt non obſtans, tempore, quo obſtare, iure, & lege iuſtitiæ compellitur. vnde ad reſtitutionem ſicut alij, tenetur. Niſi fortè ipſis nouiſſimis adeſſet probabilis timor maioris mali, puta bonorum, vel corporis, tunc non tenetur contradicere ſub pœna obligationis ad reſtitutionem.

6 Sextò dico, quòd quando ſuffragia ſecretò feruntur, & ignorat quiſque, aut non eſt omninò certus, quid alij fecerint, vel facturi ſint, & nihilominùs iniuſtè ſuffragatur, nõ ſolùm peccat contra charitatem, verum etiam contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem in integrum obligatur. Ratio huius eſt, quia in hoc caſu vnius cuiuſque ſuffragium verè eſt cauſa illius damni.

7 Septimò dico, quòd quando vltima vota non ſunt cauſa executionis rei, quoad ſubſtantiam, ſunt tamen cauſa, vt citiùs, vel

actius actio iniusta exequeretur, tunc ad restitutionem in integrum, sicut & alij tenentur. Ratio huius est, quia tunc nouissimorum vota variant modum actionis, atque ex consequenti ad damnum illatum moraliter concurrunt. Ita Salon.2.2.quæst. 62.art.7.

7 Octauò dico,quòd quando primi suffragantium vident omnes posteriores planè decreuisse perperam suffragari,tenentur resarcire damnum,si inde aliquid sequatur, si ipsi etiam consentiant, & suffragia in idem damnum ferant.Ratio est,quia reuerà cum in suffragio ferendo præcedant, verè sunt concausæ efficaciam dantes eiusdem damni.

Nonò dico,quòd qui posteriùs sua vota, vel suffragia conferunt, ius habent confirmandi antecedentium vota,si aliquo modo consentiunt actioni iniustæ, præter peccatum mortale, quod committunt consentiendo, maximam causam præbent damni secuti, vnde sicut & cæteri in solidum ad restitutionem tenentur.

Decimò & vltimò dico,quòd qui in capitulum, aut senatum conueniunt ad suffragium,sententiamve ex officio ferendam, si humano respectu suffragari omittant,aut subticeant,vel sine rationabili causa à loco suffragandi se absentent, attendentes, aut attendere debentes id in causa esse, quòd aliquid iniustè fiat.dum ea ratione prævalent suffragia eorum, qui quærunt quæ sua sunt,non quæ Iesu Christi,& peccant mortaliter,si id omittunt,& restituere tenentur damna, quæ ex eorum suffragiorum defectu sequuntur.Ratio huius est,quia ex officio tenentur tunc impedire ea damna,tanquàm partes totius conuentus,cuius suffragij ad id est tributum. Nec excusantur,si ideò consentiunt,quia non habent tempus congruum ad deliberandum.Ita Mol.d.732.

QVÆSTIO LXXXIV.

An qui post furtum, vel homicidium nomine suo factum, consentiat, illud ratum habendo, ad restitutionem teneatur?

1 NAuar.in Manua.c.17.num.133.absolutè affirmat, eo fundamento,quia in iure, qui ratum habet delictum, æquiparatur mandanti C. ratihab. de Reg. iuris in 6. sed mandans tenetur ad restitutionem, ergò & ratum habens.

Med.C.de restitut.q.7.censet hunc ad id teneri post Iudicis condemnationem.

At verò Tabiensis verb.furtum nu.16.& verb.rest.n.24. dicit hunc ad nullam restitutionem teneri,nisi ipsa ratihabitio causa sit alienum detinendi, aut pro damno dato non satisfaciendi.

2 Pro huius tamen quæstionis decisione dico primò,quòd si is, qui nec mandatum, nec consilium dedit, ratum habet maleficium nomine suo factum,postquàm sciuit, ad nullam restitutionem tenetur.Ratio est, quia is non est causa delicti, ac proinde damni causam non præbuit, eo quòd post delictum iam factum,consensum præstitit, non anteà.

Tum quia licèt in pœnis ratihabitio in vtroque iure retrotrahatur, & mandato æquiparetur.hoc tamen non videtur habere locum in debito restituendi. Ratio est, quia obligatio restitutionis originem trahit ex damno illato,& qui ratũ habet delictum iam patratum,nullius damni est causa,quandoquidem causa præcedit effectum.

Secundò dico,quòd per solam ratihabitionem non contrahitur obligatio restituendi in foro conscientiæ, nisi ratum habendo det nouam causam damni,nimirum ne restituatur,quod est ablatum,aut ne resarciatur damnum datum. Ratio est clara, quia aliàs per solam ratihabitionem, nec realiter, nec causaliter damnificatur proximus.

DE ADVLATORE.

QVÆSTIO LXXXV.

Quid nomine adulatoris intelligatur?

1 REspondeo,intelligi eum omnem,qui laudãdo,vel maletactorem,vel maleficium, incitat, procurat, vel prouocat alium ad inferendum damnum proximo.

QVÆSTIO LXXXVI.

An adulator,qui per adulationem inducit aliquem ad inferendam iniuriam proximo, ad restitutionem teneatur?

1 REspondeo, eum, qui adulando, seu laudando aliquem de furto, vel de damno dato.s.quòd sit strenuus, & ex hoc indu

inducit eum ad faciendum malum, quod alias non feciſſet: vel detrahendo, & irridendo ad hoc inducit, vt v. g. ſi quis dicat alteri tu es puſillanimus, vel timidus, vel nihil vales, ſi patiaris te ita tractari; valdè enim dedecet ſtatum, conditionem, & honorem tuum, niſi vlciſcaris; vel irridet aliquem de verberibus, ita vt ſua adulatione, ſeu detractione, & irriſione ſit cauſa illius damni, teneri ad reſtitutionem damni dati per eius adulationem, ſeu detractionem, vel irriſionem. Ita Arag. 2.2.q. 62.ar.7. Nau. c.17.n.132. Salon. 2.2.q. 62. art.7. Petr. Nauar. lib.3.de reſt.c.4.par.1.n.37.& alij.

Hinc, ſi quis exprobraret merito adulterium vxoris, quo irritatus, & pudore affectus maritus, eam, vel adulterum occideret, teneretur iſte ad reſtitutionem, cùm, ſua detractione ſit cauſa efficax huius damni, vt poſt alios eleganter reſoluit Nauar. cap. 17.num.132.

Hinc, ſi quis contraheret amicitiam cum Titio, vel offerret ei munera, hoc ſolo animo, vt Titius iniuſſus iniuriam ſibi illatam vindicaret, ad reſtitutionem totius damni teneretur. Ratio huius eſt, quia illum ad malum per adulationem induxit.

2 Hinc, ſi poſt patratum maleficium, taliter quis malefactorem laudaret, quòd ob eius adulationem efficaciter impediretur reſtitutio, quam aliàs malefactor erat facturus, pro culdubiò hic ad reſarciendum damnum illatum per eius adulationem teneretur. Nec ab obligatione reſtitutionis excuſabitur, quòd non fecerit animo incitandi illum ad peccandum, ſi modò attentis circunſtantiis probabile erat illud futurum: quamuis inaduertentia interdum, ac bona fides adulatorem excuſare poterit, vt pulchrè reſoluit Rebell. p.2.de oblig. lib.2.q.14.ſect.6.

DE RECEPTANTE.

QVÆSTIO LXXXVII.

Quid nomine receptantis intelligatur?

1 REſpondeo, intelligi eum, qui refugium, vel ſecuritatem malefactori præſtat, ex quo ad inferendum iniuriam mouetur, vel poſt illud patratum ad non reſtituendum inuitatur.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An qui recipit malefactorem, ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 PRo reſolutione notandum, duobus modis poſſe quempiam apud ſe malefactorem recipere. Vno modo formaliter, alio verò modo materialiter. Ille dicitur malefactorem recipere formaliter, qui illum recipit, quatenus malefactor, & vt ſecurus malè agat, & vt in ſuis delictis permaneat. Ille autem malefactorem materialiter recipit, qui licèt illum recipiat, quia malefactor eſt, tamen non ignorat, aut talem eſſe dubitat, aut licèt certo ſciat talem eſſe, non tamen ea de cauſa recipit, quatenùs malefactor eſt, ſed ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis. Quo poſito.

2 Primò dico, quòd qui ante patratum delictum, tacitè, vel expreſsè ſe offert paratum ad receptandum malefactorem, vt punitatem maleficij euadat; ex quo illius animus ad malefaciendum mouetur, tenetur in ſolidum totum damnum reſtituere, tãquam vera cauſa illius, etiamſi alij eſſent à malefactore inuenti, qui eum receptarét Ita Leſſ. lib.2.de iuſt.cap.13.dub.3.

Secundo dico, quòd qui bona fide recipit malefactorem, ignorans quòd ſit malefactor, nihil tenetur in conſcientia reſtituere, ſi quidem nulla ratione dici poteſt cauſa damni inde ſubſecuti. Imò etiam ſi dubitet, an ſit malefactor, ad nullam reſtitutionem tenetur, dubietas enim in hoc caſu non tollit bonam fidem, cum nemo cenſeatur malus, niſi probetur.

3 Tertiò dico, quòd qui recipit malefactorem etiam cognitum, non formaliter, ſed materialiter, hoc eſt, non quia malefactor eſt, ſed quia amicus, vel cognatus ipſius eſt, vel quia domui ſuæ ſolet hoſpitio recipere quoſcunque aduenientes, vt ſtabularius, nihil tenetur in conſcientia reſtituere. Ratio eſt, quia talis, nec cooperatur maleficio vt ſic, nec eſt cauſa iniuſtæ acceptionis, aut detentionis, ſed per ſe loquendo facit potiùs actum charitatis, ergò ad nihil tenetur.

Tum quia, quando in Bulla Cœnæ Domini fulminatur excommunicatio contra fautores, & receptatores, hæreticorum, vt benè notat Caiet. in ſumma verb. excommuni

municatio, non intelligitur de illis, qui materialiter causa pietatis, vel necessitatis hæreticos recipiunt, sed tantùm pro vt sunt hæretici vt scilicet in hæresi maneant, & foueantur; ergò idem iudicium ferendum est de illo, qui recipit malefactorem materialiter, quòd ad nullam restitutionem teneatur.

4 Quartò dico, quòd qui scienter recipit malefactorem formaliter, post peccatum commissum, etiamsi nihil participet de præda, nec antea se obtulerit ad recipiendum eum in domum suam, tenetur, in solidum restituere damnum. Ratio est, quia sic recipiens verè concurrit, cũ delinquenti partrocinium, & defensionem præstet, vt scilicet non capiatur, sed securus in delictis permaneat, ergò ad restitutionem obligatur.

Dices, talis receptans in hoc casu, non est causa damni, cum illud iam sit illatum, ergò ad nihil tenetur.

Respondeo, licèt talis recipiens non sit causa iniustæ acceptionis, est tamen causa saltem iniustæ detentionis.

5 Obicies, recipere malefactorem sæpè est actus charitatis, tunc scilicet quando malefactor fugit lictores iustitiæ, vel aduersarium, à quibus nisi esset, qui eum exciperet in domum suam, occideretur; sed ex actu charitatis nullus debet obligari ad restitutionem, ergò.

Respondeo, hoc argumentum solùm probare eum qui recipit malefactorem in casu necessitatis, ne ab aduersariis occidatur, delictum tamen non defendat, non peccare, nec ad restitutionem teneri, quia ita malefactorem occultando, neminem iniuria afficit, etiamsi illum à ministris iustitiæ liberet, si modò ex officio eum capere nõ teneatur, quia sicut fas est illi fugere, ita aliis ad fugam eum adiuuare. Quod intelligitur, quandò non potest sine morte malefactoris fieri restitutio, nam qui spolia restituere potest sine morte latronis & illa occultat, proculdubiò ad restitutionem tenetur, cum nullus habeat ius occultandi, aut detinendi rem alienam nisi in quantum est hoc necessarium ad tuendam propriam, vel alienam vitam, aut famam, & honorem, quæ sunt altioris ordinis, quam res furtiua. Vnde spolia illa vero domino, tacita persona furis, restituere debet, vbi autem immineret sibi periculum aliquod, si ipse restitueret, illa per tertiam personam restituere tenetur.

6 Quintò, & vltimò dico, quòd quando securitas promissa malefactori nõ est causa delicti, tunc recipientes ad nullam restitutionem tenentur. Et ratio est, quia in hoc casu non sunt causa damni.

Hinc, excusantur ab onere restitutionis, qui recipiunt domui suæ filios familias, vel seruos, vt epulentur, & ludant, etiam si constet sumptus illos, quos faciunt, fieri ex furto, nimirum ex bonis parentum, vel dominorum, si probabile sit eosdem sumptus futuros, etiam si non reciperentur ab eis domui suæ.

7 Hinc, non excusantur ab hoc onere restitutionis cauponarij, & alij id genus homines recipientes pecunias furto ablatas à seruis, vel filiis familiàs, quandocunque pro comperto habent, vel probabiliter credunt esse res furtiuas.

Hinc qui pro fure, aut Principem, vel Iudicem intercedunt, quo minus in expensis condemnetur, vel malè ablata restituere compellatur, factum excusando, & malefactorem defẽdẽdo, vt aduocati, & procuratores passim facere solent, ad restitutionem obligantur. Et ratio est, quia qui talia agunt, sunt iniustæ detentionis causa. dicitur enim in Can. qui aliorum 24. quæst. 3. qui tales defendit, damnabilior eis, qui errant, efficitur. Quod intelligitur, quando certum est, non esse aliam restituendi viam, & esse aduersus furem plenam, aut semiplenam probationem, ita vt in iudicio suum delictum iure confiteri compellatur.

8 Hinc, eadem ratione non excusantur Magnates à peccato, & à restitutionis laqueo, cum famuli, eorum potentiæ fidentes, damna inferunt, alioquin non facturi & ipsi id aduertunt, & dissimulant.

DE PARTICIPANTE.

QVÆSTIO LXXXIX.

Quid nomine participantis intelligatur?

1 REspondeo intelligi eum omnem, qui tanquam præcipui exequentis minister in crimine participat, comitando, astando, intercedendo, explorando, aliisue modis audaciam, aut auxilium ad ipsum maleficium præstando.

QVAE

QVÆSTIO XC.

An quando multi simul concurrunt ad iniustũ damnum inferendum, teneantur singuli restituere in solidum?

1 PRo clariori notitia huius materiæ, quæ est grauissima, valdeque necessaria,& de qua Doctores multa dicunt,obseruandum est primò, quod vt intelligatur quontùm quiuis participantium in damno dato restituere teneatur intuẽdum est ad effectum,damnumuè iniustè datum, atque in illo est attendendum, quãtùm illius sua causa causalitate attigerit. Et quidem si totius damni fuit causa,totalis, totalitate effectus, licet partialiter, partialitate causæ, quia scilicet alij,cum eo ad idẽ damnum inferendum concurrerint,tenetur in solidum ad totius damni compensationem, seu ablati boni restitutionem saltem in defectum aliorum. Si verò sua causalitate solùm attingit partem damni dati, ita quòd aliarum partiũ ipse nullo modo fuit causa,quia eas sua causalitate non attingit sed alij fuerunt soli illarum causæ, tunc ipse solùm tenetur restituere eam partem damni, quam sua causalitate attigit, siue ad illam concurrerit totaliter totalitate causæ, quia nimirum ipse solus fuit causa eius partis damni, siue partialiter solùm partialitate causæ, quia videlicet alij cum eo causa etiam fuerunt eius partis damni.

Secundò summoperè est obseruandum an opus in quo quis participat sit malum ex genere,an non: nam si est tale,non excusatur vlla ex causa à peccato, & à grauamine restitutionis,qui in eo participat,& peccatum est contra iustitiam commutatiuã.Si verò non est malum ex genere,rationabili ex causa, excusari potest ab vtroq; Vnde quandò opus non est malum intrinsecè,sed solùm, quia ordinatur ab agente ob malum finem, si ad idem opus aliqua iusta de causa quispiam cooperaretur non diceretur cooperari, consentiréve peccato, nisi ad eumdem finem cooperaretur,vt post alios resoluit Rebell.p.2. de oblig.lib. 2.q.14.sect.7.

Tertiò est etiam obseruandum, eos dici obligatos in solidum, qui obligantur in totum: eos verò qui obligantur pro rata seu parte, non obligari in solidum,Decem igitur esse obligatos in solidum, est singulos eorum obligari in totum, seu integrũ, ita vt vno deficiente,aut non soluente, reliqui tenentur in solidum, ad totius damni compensationem. Quibus iactis fundamentis.

3 Primò dico quòd nullus tenetur ad restitutionem, nisi damnum ex eius cooperatione iniusta, influxúue iniusto verè sit secutũ.Vnde esto Titius ex sua parte sufficientem causam iniustam dederit alicuius delicti.si effectus iniustus inde non est secutus, quamuis contra iustitiam peccauerit,ad nullam tamen restitutionem tenetur.

4 Secundò dico, quòd quando duo cõcurrunt ad idem damnum indiuiduum, si eorum iniustè concurrit, alter verò iustè, tunc is solùm qui iniustè cooperatur,tenetur ad illius restitutionem, non autem qui iustè v.g.Titius iniustè volebat inferre ingens damnum Caio,ego autem non aliter valens impedire huiusmodi malum, quam illi suadendo, vt potiùs minus aliud illi eidem inferat, id illi suadeam, quin & ipsum ad id minus malum in bonis fortunæ inferendum auxilium præbeam, negotium Caij, cui damnum infertur, ea in parte agendo, ad nullam restitutionem teneor, quia licèt Titius ad tale damnum iniustè cooperetur, ego tamen non cooperor iniustè. Similiter si duo cooperentur ad eundem effectum iniustum,vnus tamen eorũ excusetur iusta ignorantia,quòd sit iniustus, & alter non item, tunc is solùm tenetur id damnum restituere, qui ab iniustitia non excusatur, non verò is, qui probabili ignorantia laborat. Ita Mol.to.3. de iust. disp.736.

5 Tertiò dico, quòd si plures mutuo cõsensu, & ex proposito vt melius possint & securiùs damnum inferre, simul concurrunt ad vnam & eandem iniquam actionem, ità vt quilibet indifferenter sit causa totius damni compensationem seu ablati boni restitutionem, vt quando plures ex æquo concurrunt ad effringendam vnam domum, ad auferendum idem pondus, & ad aliquid furandum &c. Ratio huius est, quia in hoc casu quilibet est causa, seu concausa totius damni, quamuis non solus, qui enim vnà cum aliis effectum quempiam facit, verè ipsum facit, & cum non sit potior ratio vnius, quam alterius, omnes ad rei restitutionem integrum

obligantur. Ita Val. tom.3.diſt.5.q.6.pag.3. Caiet. in ſumma verb. reſtitutio cap. 1. Aragon.2.2. quæſt. 62.art.7. & alij.

6 Quartò dico,quod ſi plures non ex propoſito, & mutuo conſenſu, ſed caſualiter, & fortuito ſimul res diuerſas accipiunt, aut damnificãt in diuerſis partibus,vt quãdo plures vineam ita vindemiant, vt vnus vnũ racemum, alius alium ſurripiat(quidquid repugnet Sotus lib. 4 quæſt.7. art.3.) nullus tenetur in ſolidum, ſed quilibet pro parte, quam intulit. Et ratio eſt,quia tunc vnuſquiſque ſolùm eſt cauſa partis damni, quam ipſe per ſe dedit, non autem totius, aut partis, quam alius fecit, ſiquidem vt ſupponimus nullus alterum mouit, ad alicui damnum inferendum, vel vt citius,aut alacrius faceret, cum quilibet, etiam ſi ceteri non deeſſent, partem prædæ rapuiſſet: ſocius enim dicitur criminis, non qui tantùm adeſt, dum crimen committitur, ſed qui criminoſo auxiliatur.

Dixi notanter(ſi res diuerſas accipiant, aut damnificent in diuerſis partibus,)quia ſi totum damnum fiat à ſingulis immediatè,ita vt omnium actiones per modũ vnius totum effectum indiſtincte,& indiuiſibiliter operantis cõcurrant,etiamſi ad id cauſaliter, & ſine mutuo conſenſu conuenerint, tenentur in ſolidum totum damnum reſarcire. Vt ſi v. g. duo domum alienam comburãt,aut hominem occidant,quilibet illorum tenetur in ſolidum ad totius damni compenſationem,etiamſi vnus non mouerit, vel animauerit alium, imò potiùs doleat,quòd ſocius acceſſerit, quia totum damnum ſolus inferre volebat. Ratio eſt quia licèt omnes partialiter concurrerint partialitate cauſæ, totalitate tamé effectus concauſæ fuerunt iniuſtæ totius illius dãni.Ita Nau.c.17.nu.20.Sylueſt.verb.reſt.3.q. 6.Med.C.de reſt.q.7.& 8.Cou.in Reg. peccatum p.2.§.12. Val.to.3. d.5.q.6. p.3. Petr. Nauar.lib.3. de reſt. num.54.& in hoc Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XCI.

Sed tota controuerſia conſiſtit de militibus,qui concurrunt bello iniuſto ad diripiendam vrbem, An ſinguli in ſolidum ad reſtitutionem teneantur?

1 NAuar. cap.17. num. 20. & 130. Sot. lib.4. de Iuſtit. quæſt.7.art.7. Ban. 2.2.q.40.art.1,Sylueſt.verb. reſtitutio 3.q.6. Ang.verb. bellum num.10.Petr. Nauar.lib. 2.de reſt. num. 54. & plerique alij docent, quòd quando multa millia militum ad bellum iniuſtum concurrunt ad diripiendam vrbem, vt contigit, Duce Borbonio in Romana direptione anno à Chriſto nato 1527.tempore Caroli V.Imperatoris,etiam ſi poſſet, non teneri ſingulos ad reſtitutionem in ſolidum, ſed quidquid ad eos peruenit, & ad damnum, quod fuit illatum, quod ſine illorum ope alioquin illatum nõ fuiſſet,tenentur reſtituere, quod ſi nihil ad eos peruenit, vel per eorum operationem non fuit illatum damnum non teneri ad quicquam.Solus tamé Dux reſpectu totius dãni exercitus, & Tribunus reſpectu dãni illati à ſuis ſubditis,& Rex reſpectu totius exercitus,quorum conſilio,imperio, & occaſione totum illud damnum infertur, tenentur in ſolidum.

At Caiet.2.2.quæſt.62.ar.7. Molina tom. 3.de Iuſtitia diſp.734.Rebell. p.2. de oblig. lib.2.quæ.14.ſect.7.Lop.p.p.inſtruct. Conf. cap.98.& multi alij abſolutè docent, omnes, ac ſingulos milites in bello iniuſto mala fide bellantes teneri in ſolidum totum damnum per tale bellum illatum reſtituere, & non tantum ad quod vnuſquiſque abſtulit. Ratio horum eſt, quia vnuſquiſque cauſa eſt efficax totius damni,omnes enim milites quaſi vna manus,& communi conſilio ſe mouent ad illud inferendum, & vnus totam vrbem expoliare non poterat, nec Dux ſine militibus, nec vnus miles ſine alio diripuiſſet. Vnde cum quilibet cauſa ſit damni facti per alium quemlibet, ſinguli in ſolidum reſtituere tenentur.

Tum quia cum omnes ſimul concurrerint ad damnum, non eſt maior ratio, quòd vnus fuerit cauſa, ſine qua non totius, vel partis, poſtquam indiſcriminatim non magis auxilio horum militum, quam aliorum Dux Borbonius ad diripiendam vrbem vſus fuerit.

Dictum eſt notanter (mala fide) nam ſi bona fide pugnarent, licet à parte rei eſſet iniuſtum, ſolum ratione rei acceptæ, tenerentur reſtituere illud,in quo in præda facti fuiſſent ditiores.

3 Ex his duabus opinionibus, hæc poſterior mihi videtur verior atque tenenda.

Primò

Primò, quando omnes milites erant neceſſarij ad illud damnum inferendum.

Secundò, quando ex mutua conclamatione illatum eſt damnum.

Tertiò, quando non omnes erant neceſſarij, tamen tenẽtur in ſolidum, ſi vno animo, vno conſenſu ſimul concurrant ad dãnum inferendum, quia ex his, quinam iudicabuntur neceſſarij ad furtum, vel damnum inferendum, vel aliqui, vel omnes, ſi omnes, iam patet omnes teneri in ſolidum, ſi aliqui, qui nam ſunt iſti?

Quartò, & vltimò, quando omnes erant parati defendere dominos, & domini ſine ipſis non iuiſſent, aut non tantùm damnum intuliſſent, vel læſi propter eorum præſentiam non auſi fuiſſent ſe defendere, & aliter ſe defendiſſent.

4 Recipi tamen poſſet opinio Nauar. primò, quo ad militum famulos, qui licet nomine participantium in crimine ſignificẽtur, ſunt tamen cauſæ in eo genere minus principales, quas ſuprà ab onere reſtitutionis immunes eſſe declarauimus, præter id, quod ad ipſos peruenit, vel damnum, quod ipſe per ſe intulit.

Secundò recipi poteſt in caſu, quo poſtquam exercitus Borbonij erat ſufficiens ad victoriam, & ad prædam diripiendam, aliqui non neceſſarij ſe adiunxerunt, nam tunc hi poſtremi debent reſtituere id præcisè, quod acceperunt, & partem eius dãni quod ſine eorum ope illatum non fuiſſet, & ad id damni reſarciendum, quod ipſi per ſe perpetrarunt, & ſi nullam cauſam damni dederunt, & nihil ad eos peruenit, ad nihil tenentur, quamuis peccauerint mortaliter, quia fecerunt contra charitatẽ.

QVÆSTIO XCII.

Ex qua doctrina colligitur, quid ſit dicendum de illo caſu ordinario, quo plures in vineam alterius ingreſſi, omnes fructus eius furripiunt, ita vt vnuſquiſque non niſi vnum, aut alterum racemum accipiat. An peccent mortaliter, teneanturque in ſolidum ad reſtitutionem?

1 AD hoc dico primò, quod quando plures perrexerunt ad diripiendos fructus vineæ, vel horti, ita quòd mutuus comitatus fuerit cauſa damni cuiuſcumque eorum, vel nullus id aggrederetur, niſi nixus communi defenſioni, vel quia non præualerent ad damnum inferendum, niſi omnes ita coniuncti id aggrederentur, tũc ſinguli eorum peccarunt mortaliter, cum onere reſtituendi in ſolidum totum damnum, caſu quo alij non reſtituant, quia ſinguli ſunt cauſa totalis totius damni.

Secundò dico, quod ſi tales prædicti vindemiatores vineæ ita concurrunt, vt vnus excitet, & moueat alios ad furtum, tunc vnuſquiſque peccat mortaliter, & in ſolidum tenetur illud reſtituere. Ratio eſt, quia vnuſquiſque cauſa eſt efficax totius damni.

2 Hinc, ſi duo latrones vineam alienam diriperent, & vnus eſſet ita magis animoſus altero, vt etiam ſine ſocio illam aggrederetur, alter verò ita timidus, vt ſine ſocio non auderet, tunc primus in ſolidum, ſecundus verò partem tantùm, quam accepit, reſtituere tenetur. Ratio eſt, quia primus eſt cauſa totalis totius damni: Secundus verò minimè, ſed tantùm partis, quam per ſe intulit.

Tertiò dico, quod ſi tales huiuſmodi nec ſe inuitarunt adinuicem, nec animo ſe inuicem defendendi iuerunt ſimul, & ſimul vineam ingreſſi nullo eorum cooperante ad furtum partiale alterius, licet fortè ei præbuerit occaſionem malo exemplo, dum pariter eſt ingreſſus, tunc nullus eorum tenetur reſtituere, niſi id quod accepit. Ratio eſt, quia nullo modo concurrit ad partes alterius.

3 Quartò dico, quod ſi tales furantes ſeorſum neſcierunt, nec ſcire debuerunt dãnum ab aliis illatum, tunc quandiu durat talis ignorantia, ſi eſt tamen inuincibilis, nullus peccauit mortaliter ſurripiendo ſingulas vuas: ſi tamen poſtea in notitiam veritatis deuenerint, ſcilicet in damni notabilis ab aliis illati, tenebitur vnuſquiſque quantum accepit in ſe, vel in æquiualenti reddere, & non reddendo peccat mortaliter in ipſa ſolùm retentione, non autem in ipſa vſurpatione.

4 Quintò, & vltimò dico, quòd ſi quilibet furando ſeorſum, & ſigillatim videat alios quam plures ſingulas vuas accipere, & ſit magnum damnum ſecuturum, tunc licet Magiſter Sotus lib. 4. de Iuſt. quæſt 7. art. 3. velit non eſſe peccatũ mortale, quia vnus non eſt cauſa efficax furti alterius, ſed tantùm ſui, quòd ob modicitatẽ materię ſolũ

pecca

peccatũ veniale eſt;ſcientia enim nihil facit,cum ſemper ſit verum,quòd furari rem minimam ſit peccatum veniale;nihilominus tamen alij probabilius, & verius docent eſſe peccatum mortale, quia quilibet eorum in cauſa fuit,quod illatum fuit notabile damnum, atque ex conſequenti tenetur ſub mortali ad reſtitutionem, non tamen ſinguli in ſolidum, ſed vnuſquiſque tantum pro ſua parte. Ita Petr. Nauar.lib. 3.de reſtitutione num.146.& 61.Med.C. de reſt. quæſt. 10. Corduba tract. de caſibus conſcientiæ quæſt. 70. Sot. ſibi contrarius lib.5.quæſt.3.ar.3.Gabriel Vaſquez l.2.diſp. 146.cap.2.& alij.

Et ad fundamentum Soti reſpondeo,quod quamuis verum ſit, quod furari rem paruam non eſt mortale; hoc tamen intelligitur quando illud minimum non eſt cauſa inferendi damnum notabile.

5 Hinc, ſi lata eſſet poſtea ſententia excommunicationis contra tales vaſtatores, tunc quilibet eorum ſub mortali,& pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ teneretur,vel reſpondere, vel reſtituere id tantum quod accepit.

Recipi tamen poſſet opinio Soti in caſu quo furtum eſſet ita exiguum, quod Iudicio prudentum eſſet quaſi nihil,vt furtum vnius floris &c. præſumeretur enim tunc paruam illam rem non inferri contra domini voluntatem, propter paruum nocumentum.

QVÆSTIO XCIII.

An comitantes latronem non animo eum adiuuandi, ſed potiùs impediendi damnum, teneantur aliquid reſtituere, ſi alter videns plures in comitatu, & timens mortem aufugit, equo ſuo relicto quem fur poſtea ſurripuit?

1 REſpondeo in hoc caſu communis eſt ſententia, quod comitantes tenentur in ſolidum totum damnum reſtituere. Et ratio eſt, quia licèt bona intentione pergerent;imprudenter tamen,& ſic verè fuerunt cauſa, quòd dominus iniuſtè re ſua ſpoliaretur, dum ſuo comitatu domino timorem incutierint, quo non auſus fuit rem ſuam defendere. Secùs autem eſſet,ſi ipſi,dominum certiorem facerent,ſe comitari eum tantùm vt impediant damnum, aut vt pacem inter eos concilient: nam tunc non ipſi, ſed domino rei eſſet damnum imputandum.Ita Arag.2.2.q. 62. ar.7.Sylueſt.verb.reſt.3.q.6. & alij.

2 Cæterùm mihi placet reſponſio Molinæ to.3.de iuſt.diſp.736.vbi ſub diſtinctione ſic ait.Si comitantes aduerterunt, aut aduertere debuerunt ex ſuo comitatu potuiſſe ſequi damnum nec moralem,ac debitam diligentiam adhibuerunt, ne illud eueniret, proculdubio ad reſtitutionem tenentur.Ratio eſt,quia verè eo comitatu fuerunt cauſa efficax illius damni. Secùs autem ſi ex circunſtantiis concurrentibus ad id attendere non debuerunt, aut ſufficienter adhibuerunt diligentiam, ne inde damnum ſequeretur, quia tunc ſicut abſque ſua culpa acceſſerunt, ita quoque ad nullam reſtitutionem tenentur.

QVÆSTIO XCIV.

Quid? ſi dubium ſit, an poſitiuè, & efficaciter concurrerit ad damnum, an non,hic ad aliquid reſtituendum tenetur?

1 REſpondeo,non teneri. Et ratio eſt quia in æquali dubio melior eſt conditio poſſidentis, vt habetur de Reg. iuris in 6.

Tum quia obligatio reſtituendi eſt odioſa: odia autem ſunt reſtringenda ſicut fauores ſunt ampliandi. cap: odio de Reg.iuris in 6. Vnde ſolum ad id obligatur,quando certus eſt moraliter,quòd ſuo conſilio,vel laude efficaciter alios permouerit.D.Th.2.2.q.62.ar.7.Petr.Nauar.l.3.de reſt.n 53.& Sylu.verb.bellum q.6. in principio, vbi dicit eſſe communem ſententiam.

2 Quod procedit in omni euentu, quo quis hæſitat, An cauſa damni fuerit; ſi enim poſt diligentem inquiſitionem, adhuc dubitat,ad nihil tenetur.

3 Addit autem Salon.2.2.q.62.ar.7.quod ſi is,de quo ambigitur, an ſuo conſilio efficaciter permouerit, eſt diues, & qui damnum pertulit, pauper, deberet confeſſarius eum ad aliquid ei reſarciendum obligare, quia tunc dubitationi coniungitur neceſſitas alterius. Quod tamen eſt intelligendum de congruo, & ex quadam æquitate, non autem de iuſtitia, vt

commu

communis Theologorum, & Summiſtarum ſchola teſtatur.

QVÆSTIO XCV.

Quid dicendum de Titio, qui cum vellet occidere inimicum, induxit Caium, vt ipſum comitaretur, & adiuuaret, qui tandem ob patratum homicidium ad multas pœnas fuerunt condemnati? An Titius omnes illas pœnas, & alia damna reſtituere teneatur, quæ Caius inuitatus paſſus eſt?

1 REſpondeo non teneri, ſibi enim imputare debet Caius huiuſmodi damna, eo quod ſpontè voluit eſſe ſocius homicidij, ſcienti enim, & volenti non fit iniuria.

2 Hinc Princeps non tenetur reſtituere damna, quæ patiuntur milites in bello iniuſto, niſi quando eos Princeps, aut vi coëgit ad bellum, aut dolo aut mendacio perſuaſit eis bellum eſſe iuſtum. Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. num. 278. Sylueſt. verb. bellum quæſt. 10. & alij communiter.

QVÆST. XCVI.

Quid? ſi Titius aliquos amicos, aut famulos mitteret diſtrictis gladiis ad aggrediendum Caium, animo ſolùm terrendi illum, & ridendi, ſi ex eo ſecutum ſit damnum, illud reſtituere teneatur?

1 REſpondeo teneri, niſi adhibeat diligentiam debitam, ne damnum notabile fieret. Nauar. in Man. cap. 17. num. 140.

QVÆSTIO XCVII.

Quid? ſi Titius ſtatuerat inferre damnum proximo hinc ad dies octo, & iuſſione, aut rogatu Caij, illud ſtatim intulit. An teneatur Caius totum illud damnum reſarcire?

1 REſpondeo teneri. Et ratio eſt, quia in hoc caſu Caius ad id totum iniuſtè influxit, cooperatúſque eſt vt fieret, ſtatim. Ita Mol. tom. 3. de iuſt. diſput. 736. Petr. Nauar. lib. 3. de reſtitut. nu. 60. & alij quam plures.

QVÆSTIO XCVIII.

An vſurariorum cooperatores, & coadiutores ad aliquam reſtitutionem teneantur?

1 AD hanc quæſtionem dicemus infra, in tract. de vſuris. Vide Azor. p. 3. inſt. moral. lib. 4. c. 19. q. 7.

QVÆSTIO XCIX.

An Chriſtiani captiui remigantes in triremibus Turcarum contra Chriſtianos, peccent, & ad reſtitutionem teneantur?

1 NAuar. cap. 27. num. 63. fatetur ſe eos excuſare neſcire à peccato, & obligatione reſtituendi, quia remigando, cooperantur Turcis in actione ex ſua natura mala; excuſat tamen eos ab excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini contra præbentes auxilium Turcis aduerſus Chriſtianos.

Rectè tamen excuſantur à Petr. Nauar. lib. 3. de reſt. cap. 4. nu. 62. Azor. p. 3. inſt. moral. lib. 4. c. 15. q. 2. Rebell. p. 2. de oblig. q. 14. ſect. 7. & aliis. Ratio iſtorum eſt, quia remigare eſt opus ex ſe indifferens ad bonum, & malum, quo infideles ſi volunt, poſſunt benè vti, quòd ſi malè, ipſis imputetur, non remigantibus.

2 Tum quia non remigando, imminet eis periculum mortis: cum tanto autem periculo nemo tenetur lege charitatis defendere bona, aut vitam alterius, peccarent autem ſi abſque rationabili cauſa remigarent, ſi cum poſſent damnum proximi vitare, quod infideles volunt Chriſtianis inferre, illud non vitarent. Secùs autem eſſet, ſi infideles imperarent Chriſtianis, vt arma contra alios Chriſtianos proiicerent, ac pugnarent, hoc enim etiam metu mortis, non liceret, quia eſt opus ex natura ſua malum.

Non negamus tamen, ſanctius eos facturos, ſi potiùs morti ſuccumberent, ſicut ſanctioris eſt conſilij, propter virtutem continentiæ ſubire mortem, quam nubere, licèt neutrum ſit ſub præcepto; lege tamen charitatis interdum tenerentur mori potiùs, ſi videlicet ex eorum remigatione ſtragem notabilem probabiliter Reipublicæ Chriſtianæ euenire præuiderent, aut

aut præuidere deberent, aliter non euenturam.

3 Hinc, licitum est famulæ parare, & ministrare Domino iubenti cibos, quibus de præcepto est fracturus, ne ex domo expellatur, & stipendio sibi iure debito priuetur, aliáve simili de causa, vt optimè docuit Caiet. 2.2. quæst. 147. art. 1. & sustentandæ deferre caudam dominæ suæ euntis ad fanum idoli, vt ex Abul. 3. Reg. 8. & Lyran. 4. Reg. 5. resoluit Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 14. sect. 7. quod etiam ex facto Naaman Syri per Elisæum approbato ibidem confirmatur.

4 Hinc, licitum est famulo graniter vapulaturo, vel incursuro aliquod graue damnum, si ab habente facultatem imperandi iubeatur deferre munuscula, vel literas concubinæ domini sui, vt crastina die ad domum ipsius veniat. Quorum omnium ea est ratio, quia non tenetur cum tanto periculo desistere ab opere, quod non est intrinsecè malum, sed medium, & indifferens, quod non ob malum finem, sed ad suam redimendam vexationem ordinat: nulla tamen ratione ei licet etiam ob euitandam mortem, illam inducere, vt Domino suo rem turpem petenti consentiret, cum id sit ex sua natura malum.

QVÆSTIO C.

Quænam ex prædictis causis, sit principalis, teneatúrque primo loco restituere?

1 DOctor Angelicus D. Th. 2.2. q. 62. ar. 7. ad 2. tenet causam principalem esse præcipientem. Secundò exequentem; alias verò causas non refert, sed solùm addit, & consequenter alij per ordinem, Quibus verbis insinuat tertio loco esse consulentem, quarto consentientem, &c.

2 Corduba in summa casuum conscient. q. 70. Med. l. 1. instruct. conf. c. 14. §. 30. & Rebell. p. 2. de obl. l. 2. q. 14 sect. 7. dicunt quòd principalis quo ad debitum restituendi totum, censetur is, qui alios ad malum induxit, in solam ipsius gratiam, alioquin non illud facturos, siue consulens, aut adulator, siue alius existat, nam si alius non in gratiam solius inducentis, sed ad suam quoque voluntatem explendam damnificaret, iam non solus inducens teneretur. Pro decisione tamen.

Primò dico, quòd si acceptio fuit lucrosa, id est aliquid positiuè ablatum est, vt pecunia, vestis &c. tunc primo loco, & ante omnes alios is tenetur restituere, ad quem res furtiua peruenit. Ratio est, quia hic obligatur ratione rei acceptæ, quæ obligatio est summa. Quod intelligitur, siue res extet in specie siue non, nam si est consumpta, percunctor, vel est consumpta bona fide ab eo, qui probabiliter reputabat esse rem alienam, & sic non tenetur, nisi quantùm ad id, quòd factus est ditior: vel mala fide sciens, vel dubitans esse rem furtiuam, & sic primo loco tenetur restituere, quia cum ex ea, lucrum deportauerit mala fide, perinde est, ac si eam apud se haberet. Couar. in Reg. peccatum par. 2. §. 12. num. 3. de Reg. iuris in 6. Molina tom. 3. de iust. disp. 737. Less. li. 2. de iust. c. 13. dub. 5. Ban. 2.2. q. 62. ar. 7. Med. C. de rest. q. 8. Petr. Nauar. li. 3. de rest. n. 73. & Arag. 2.2. q. 62. ar. 7. Quod est verum, nisi is, qui illicitè habet rem illam de mandato alterius damnum illud intulerit, atque in stipendium, & salarium pro labore, & in obsequium mandantis impenso id ab illo acceperit, nam tunc mandans etiam ante hunc tenetur id restituere, tanquam principalior causæ.

4 Secundò dico, quòd si acceptio fuit damnificatoria, vt destructio domus, incendium, conculcatio seminum, &c. tunc primo loco tenetur is qui coegit, vel fraude induxit, vel qui imperauit, cur alter nõ fuit ausus contradicere, vt si Princeps subdito, dominus seruo, Prælatus inferiori, pater filio, maritus vxori, aut alius quiuis, qui habet vim coactiuam respectu exequentis, imperet, vt occidat, spoliet, vel si quis persuadeat id esse licitum, vel conuitiis impellat. Et ratio est, quia iubens in hoc casu se habet, vt causa principalis, executor verò vt instrumentalis.

Tum quia iubens iniustè, suo imperio coniecit alterum in obligationem restitutionis.

Dixi notanter (qui habet vim coactiuam, quia si iubens respectu exequentis talem vim coercitiuam non habet, tunc iubens non est causa principalior exequente, sed potius è contra, exequens tenetur primo loco, quia tunc tale imperium non habet vim præcepti, sed consilij, cum nullo modo cogat exequentem timore aliquo saltem

Digitized by Google

ſaltem rationabili ad ita iniuſtè damnum inferendum.

5 Addit autem Petr.Nauar. lib.3. de reſt. num. 101. eum cuius nomine illatum eſt damnum, non ita teneri primo loco, quia executor, & alij qui ad delictum concurrerunt,tenentur ſuas portiones refundere, & ſi minores,& dat exemplum, vt ſi verbi gratia damnum ſit ſex argenteorum, is qui iuſſit ſuo nomine fieri damnum, tenebitur reſtituere dimidium, executor duo, laudator vnum,cuius ratio eſt,quia omnes iſti verè concurrunt ad damnum inferendum,ergo etiam concurrere debent ad reſtitutionem. Hanc opinionem cenſet eſſe probabilem Leſſ. lib.2.de Iuſt.cap.13.dub. 5. maximè quando executor ſtipendium accepit pro damno illato, tunc etiam ſuo nomine feciſſe videtur.

6 Tertiò dico quòd ſi executor damnum intulit proximo, iuſſus quidem ab alio,attamen iuſſio nō fuit ſola principalis cauſa,quaſi executor ſolùm negotium iubentis agere intenderit, ſed ſimul ipſe,alia de cauſa permotus voluit id damnum inferre quaſi agens ſimul ſuum negotium, tunc quia iubens ille non fuit principalis cauſa, executor ipſe,ſuum negotium agens, proculdubio executor contribuere tenetur cum iubente ad reſtitutionem,cuius damni pro rata magis, & minùs ſecundum maiorem,& minorem rationem cauſalitatis, & influxus cuiuſque eorum in genere cauſæ principalis. Ita Leſſius lib.2.de Iuſt. & Iure cap.13.dubitat.5.& alij.

7 Quartò dico, quod ſi executor nomine omnium intulit damnum, omnes ſimul teneri primò loco, quia illorum cauſa factum eſt, & illi in hoc conſentiendo vt ſuo nomine fieret, tacitè cenſentur etiam onus reſtitutionis in ſe ſuſcipere: executor autem, quatenus executor. Secundò loco, quamuis conſideratus vt vnus illorum, quorum nomine factum eſt,tenetur primò loco.Itaque ſi ipſe totum reſtituerit, cæteri tenentur ei ſuas partes reficere,ita tamen vt ipſe quoque pro ſua rata in compenſationem veniat, non vt executor, ſed vt vnus illorum, quorum nomine perpetratum eſt delictum.

8 Quintò dico, quòd quando nullus ad iniuſtam actionem concurrit, cuius imperio ſit damnum illatum, tunc executor tenetur in ſolidum ante alios reſtituere,eoque reſtituente, manent ceteri omnes ab onere reſtitutionis liberi, ita vt neque ipſi executori, qui in ſolidum reſtituit, quicquam refundere teneantur, cum inter cōcurrētes ad damnum iniuſtum ſolus executor cenſeatur cauſa præcipua, cui perinde reſtituendi onus incumbit. Et ratio eſt, quia qui eſt cauſa naturalis, & per ſe ipſum operatur,eſt magis reſtitutioni obnoxius,quam quicunque alius,qui non per ſeipſum operatur, ſed eſt cauſa moralis in actione: Sed executor eſt cauſa naturalis, & per ſeipſum facit effectum, cæteri verò omnes, qualis eſt conſulens, conſentiens, adulator,non obſtans, vituperans, recipiens,ſunt cauſa moralis, ergo executor tenetur primo loco reſtituere.

Sexto dico,quod conſiliarius, vel inducens magis ad reſtitutionem obligatur, quam conſentiens, vel receptans,vel adulator,vel vituperans. Ratio eſt, quia in ordine ad damnum iniuſtè datum magis habet rationem cauſæ.

Septimò dico, quod inter cauſas cooperantes, magis obligantur, quæ ad delictum concurrunt poſitiuè, quam quæ negatiuè. Et ratio eſt, quia magis influit in effectum cauſa poſitiua, quam negatiua.

9 Octauò dico, quòd in cæteris cauſis minùs principalibus,quæ cum cauſa principali ad damnum iniuſtè dandum concurrunt,non eſt ſeruandus talis ordo,qualis ſeruatur inter principalem,& ſecundariam,ita vt vna ſoluente, reliquæ maneant liberæ:ſed in defectum principalis omnes hæ cauſæ ſcilicet conſulens, conſentiens, recipiens, non impediens &c. tenentur æquè primò, ſic tamen, vt iuxta proportionem concurſus cuiuſque earum, vna ad plus, alia ad minus teneatur. Et ratio eſt, quia quæuis iſtarum non concurrit ad dānum tanquam inſtrumentum alterius, vel alterius nomine, ſed quæque per ſe in ſuo ordine, adulator enim non ſeruit conſentienti:,vel cōſulenti, nec eius nomine agit, nec è contra: ergo iuſtum videtur, ſi iubens, & executor non reſtituant, vt omnes iſtæ cauſæ minùs principales, nulla autè aliam, teneantur contribuere ad reſtitutionem eius damni pro rata, arbitrio boni viri iuxta maiorem influxum,ac cauſalitatem cuiuſque ad id damnum. Quod ſi aliquæ earum non contribuant,vel quia nolunt,vel quia non poſſunt, reliquæ contri

tribuere tenentur totum damnum. Ratio eſt,quia ſemper vnuſquiſque eorum tenetur reſtituere damnum in ſolidum, caſu, quod aliunde non ſit ei integra reſt. Ita Molina tom.3. de Iuſtitia diſp.737.

Nonò, & vltimò dico,quòd vbi plures ad eandem iniuſtam actionem concurrunt in eodem genere cauſæ tenentur reſtituere vno altero non expectato, verbi gratia duo conſulentes,duo conſentientes, etiãſi non ſimul tempore concurrerint in delicto, ſed vnus alteri acceſſit. Verum ſingulos ad minorem reſtitutionem obligari, omnes tamen ſimul coniunctos ad maiorem non obligari, quam tenetur vnus, ſi totum damnum ſolus inferret, dummodò non magis, nec ad minus damnum moueant:Secùs verò ſi magis moueant. Vnde quia regulariter multi comitantes maiorem ſolent præbere audaciam ad damnum perpetrandum, quam vnus,ad maiorem quoque reſtitutionem tenebuntur, quam vnus. Ita Rebell. pag.2. de obligat. lib.2.quæſt.14.ſect 7.

QVÆSTIO CI.

An quando plures ſunt cauſæ damni, & ad reſtitutionem obligantur in ſolidum, ſi vnus illorum totum domino reſtituat alij qui etiam in ſolidum tenebantur ad reſtituendum, teneantur de neceſſitate ſalutis ad refundendum illi qui reſtituit eam partem,quam ipſi tenebatur domino reſtituere?

1 IN hac graui quæſtione tria ſunt certa, alterum verò controuerſum inter Doctores.Primò certum eſt,quòd quando multi obligantur non in ſolidum, ſed per partes,vno ſuam partem reſtituente,cæteri ſimiliter ſuam refundere tenentur.Ratio eſt, quia cum eodem modo ad damnum ſint cooperati, æqualiter tenentur ad eius reparationem, ac proinde æquis partibus.

2 Secundò certum eſt,quòd quando plures tenentur in ſolidum, & vnus illorum totum damnum integrè reſtituit,alij minimè tenentur ad reſtituendum quicquam ei qui paſſus eſt damnum. Ratio eſt, quia is iam habet totum,quod debet habere;& reſtitutio ad nihil aliud ordinatur, quàm vt quiſquam habeat, quòd habere debet. Vnde quando dicimus multos obligari in ſolidum, non eſt ſenſus, quòd omnes teneantur totum reddere complexiuè, ſeu copulatiuè, ſed diuiſiuè in defectu aliorum, qui principaliter ad reſtitutionem obligantur.

3 Tertio certum eſt, quòd ſi is qui accepit totam prædam reſtituit, ſiue ſit præcipuus, ſiue inductus ab aliis, tunc cæteri, neque ipſi neque verò domino tenentur aliquid refundere. Ratio eſt,quia iam domino in integrum ad æqualitatem ſatisfactum eſt; & qui rem accepit,eſt principalis, & ex reſtitutione facta nihil in ſuis bonis habet minùs, quam debet habere,cum totum,quod reſtituit ſit alienum Et in his omnes conueniunt.Controuerſia igitur tota eſt.

QVÆSTIO CII.

An ſocij criminis pro rata ei teneantur reſtituere, qui primus totum damnum domino reſtituit?

1 GAbriel in 4. diſp. 15. quæſt.2. art.3. dub.2.in vniuerſum dicit quod vno reſtituente cæteros obligari ad reſtituendum illi ſuas portiones.

2 Illuſtriſſimus Caiet.2.2.q.62. art.6. Sot. lib.4.de Iuſt.q.7. art.3.& Med. C.de reſtit. q. 8. negant id in vniuerſum eſſe verum, quoniam ſi is qui iuſſit, aut induxit alios ad actionem iniuſtam, primò totum reſtituit, cæteri nihil tenentur ei refundere, quia iubens, vel inducens in cauſa fuit,vt reliqui damnum inferrent, atque adeò vt incurrerent obligationem reſtituendi.

3. Ang. verb.furtum q. 16. tenet quòd ex Iuſtitia tales ſocij nihil alteri tenentur reſtituere, quia turpitudo delicti reddit illũ indignum,& incapacẽ vt ei cæteri aliquid reſtituant, ſed debent dare pauperibus.

4 Pro cuius tamen deciſione dico primò, quòd quandò res ablata æqualiter diuiſa, adhuc extat apud ſocios furti,aut certè ab illis mala fide conſumpta eſt, tunc vno reſtituente in totum, ſiue is ſit præcipuus, & qui cæteros induxit,ſiue non tenentur cæteri refundere illi ſuas portiones,quas ſinguli acceperunt. Et ratio eſt,quia alij nullo iure poſſunt retinere rem, quàm acceperunt, ergo de neceſſitate ſalutis debent illam reſtituere, & non priori domino, quia vt ſupponimus eſt iam ſeruatus indemnis,ergo ei qui primò reſtituit.

Tum

Tum quia ille qui in integrum perſoluit vero Domino pro omnibus ſuccedit in locum prioris creditoris ſpoliati, eiuſque perſonam repræſentat, vnde omnia illius iura, ſunt primò reſtituentis.

Tum quia in hoc rectè eorum negotiũ geſſit, ac proinde ipſi ratum habere tenentur, & ſatisfacere.

Tum demum, quia is qui primò reſtituit, eſſet peioris conditionis, quam alij, cum tamen fuerit melioris conſcientiæ. Ita D.Thom.2.2.quæſt.62.art.7.

5 Secundò dico, quòd ſi res furto ablata apud vnum ſolùm extet, aut in ſuum commodum mala fide conſumpta ſit, tunc manent omnes deuincti, ad reſtituendum hoc ordine, vt in primis, & antè omnes, teneatur ille, qui accepit, eo verò non reſtituente, ſecundò loco teneatur, qui fuit cauſa principalis, qualis eſt mandans, & qui per ſeipſum, vt cauſa Phyſica, & naturalis damnum totum ſolus intulit. Quod ſi neque is reſtituat, vel quia non vult, vel quia non poteſt, reliqui contribuere tenentur totum damnum, quia ſemper vnuſquiſque eorum tenetur reſtituere damnum in ſolidum in ordine ad Dominum, qui paſſus eſt damnum, in euentu, quòd aliunde non ſit ei integra reſtitutio. Ita Salon.2.2.q. 62.art.7.

6 Tertiò dico, quod ſi principalis in crimine, qui nihil de præda accepit, reſtituit nihilominus verò Domino, qui rem illam accepit, tenetur ei in integrum reſtituere. Ratio eſt, quia ille qui reſtituit, acquiſiuit ius quod habebat dominus exigendi à ſingulis partem, & ita tenetur qui prædã accepit ei reſtituere, ſicut & vero Domino.

7 Quartò dico, quòd ſi ille, qui Domino damnum reſtituit, fuit præcipuus tanquã Dux alios ad iniquitatem mouens ſocij ab omni reſtitutione deobligantur. Et ratio eſt, quia ſocij nullam habent obligationẽ reſtitutionis in ordine ad Dominum, quia vt ſupponimus abundè eſt ei ſatisfactum, nec in ordine ad illum, qui reſtituit, quia nihil ab eo acceperunt, nec exinde effecti ſunt in aliquo ditiores.

Tum quia, quia eſt præcipuus in crimine tenetur ſocios indemnes ſeruare, quia eſt cauſa efficax damni reſpectu aliorum.

Tum demum, quia ipſe qui reſtituit, dum alios induxit, vſus eſt iuri ſuo cedere. Ita Caiet.2.2. quæſt.62.art.6. Couar. in Reg. peccatum §.12. num. 4.de Reg. iuris Sylueſt.verbo reſtitutione 3.q. 6 Arag.2.2. quæſt.62.art.7. Cord. in ſumma caſuum q. 151.Ban.2.2.q.62.art.7. & alij.

Magiſter autem Sotus lib.4. de Iuſtitia quæſt.7. art. 3. ait quod ſi author criminis non inferret damnum, niſi conſtitutus alijs ſocijs, tunc tenebuntur ſocij ei de aliqua portione, licet non integrum.

8 At verius eſt quòd diximus, quia ipſe author criminis etiam perſuaſit ſocijs, vt ſe comitarentur, & illi niſi inducti, & tracti non ſe aſſociaſſent, & ita tenetur illos ſeruare indemnes. Secùs autem ſi ſocij ſponte ſeſe ſceleri obtulerunt, quia tunc ſinguli eorum pro ſua ratione iuxta proportionem concurſus cuiuſque eorum, primò reſtituenti, reſtituere tenentur.

Hinc, ſi famulus ex præcepto Domini aliquem interficiat, domum incendat, aut rem alterius in mare proiiciat, in quibus caſibus ex damno illato nil commodi ſumitur, Domino reſtituente, famulus liber manet à grauamine reſtitutionis. Ratio huius eſt, quia cum Dominus fuerit ei cauſa iniquitatis in ipſum debet totum damnum refundi.

9 Quintò dico quòd ſi ex damno illato nihil manſit penes ſocios, nec ex ſcelere patrato facti ſunt in aliquo ditiores, ſi vnus ex inductis, & minùs principalis totum reſtituit, cæteri etiam minùs principales tenentur ſuas portiones refundere primò reſtituenti. v. g. decem æquè principaliter ſuccenderunt domum, aut conculcarunt ſegetes alienas, & vnus in ſolidum reſtituit, alij pro rata eidem reſtituere tenentur, non ſolùm ex vi gratitudinis vt ait Caiet.2.2.quæſt.62.art.6. ſed etiam ex Iuſtitia; author autem criminis tenebitur ſingulis compenſare, quæ contribuerunt. Prima pars patet, quia ius quod habebat dominus exigendi a ſingulis ſuã portionem, tranſlatum eſt in eum, qui pro ſociis ſatisfecit, ergo poteſt ab illis repetere, quod nomine illorum Domino cedit quodque ipſi dare debuiſſent. Secunda verò pars etiam patet, quia author criminis qui alios induxit, debet ſeruare cæteros indemnes. Ita Aragon.2.2.quæſt.62.art. 7. Couar. in Reg peccatum pag.2.§.12.nu. 4 de Reg. iuris in 6.& Salon.2.2. q.62.a.7.

10 Sextò, & vltimò dico, quod quando multi concurrunt ad dandum dãnum illoque æqualiter participandũ aut ex mutuo

consensu sponte concurrunt ad delictum aliquod omnium nomine patrandum, ita quòd nec fuerunt inducti, nec inducentes alios ad malum, omnes æqualiter contribuere tenentur ad id damnum restituendum, quia omnes æqualiter sunt causæ principales talis delicti. Si verò vnus eorum in integrum totum restituit, reliqui tenentur suas portiones illi refundere. Ratio est, quia soluendo successit in ius, quod Dominus habebat in singulos. Vnde sicut æqualiter debuissent soluere, ita tenebuntur suas portiones ei refundere, qui ius domini in se transtulit loco aliorũ soluendo.

11 Nauar. c. 17. num. 20. Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. p. 3. Less. lib. 2. de iust. cap. 13. & plerique alij volunt hoc esse limitandum, vt videlicet sit verum, quando is qui totum restituit, sic fuit à cæteris adiutus, vt sine illis non intulisset damnum. Secùs si sine illorum auxilio idem fecisset. Et probant, quia quando qui primò restituit, nisi adiutus ab aliis non erat facturus, tunc alij præstando ei auxilium, concausæ fuerunt damni, tenentur ergò suas portiones pro rata huic iam restituenti restituere, sed quando sine illis idem fecisset, tunc non fuerunt concausæ damni respectu illius, ergò non tenentur reliqui quicquam primo restituenti resarcire.

Sed hoc non obstante, oppositum videtur nobis probabilius videlicet, quòd quãdo plures æqualiter concurrunt ad damnum, siue quilibet illorum esset illud facturus sine sociis, siue non: nihilominùs quilibet illorum tenebitur restituere pro rata ei, qui totum restituit. Ratio est, quia & si sine sociis adiuuantibus ille qui primo restituit, illud fuisset facturus, nihilominùs socij vno animo concurrentes ad faciendam iniuriam, sicut sunt inuicem socij criminis, ita debent esse inuicem, & æqualiter socij restitutionis, constituerunt-que omnes inter se implicitum pactum societatis, vt omnes tenerentur ad commoda, vel incommoda.

QVÆSTIO CIII.

Quid? si cum Titio, ac Caio, Seius concurrat ad furtum trecentorum aureorum, illis verò suas partes restituere nolentibus, totum restitueret Seius: postea verò Titius velit quod debet restituere, Caio adhuc nolente restituere?

1 REspondeo teneri Titium ad dimidiam partem furti id est centum quinquaginta aureorum. Et ratio est, quia summa centum aureorum, quam Caius surripuit, ac restituere non vult à Titio, & Seio erit soluenda, si ambo à principio restituere conueniissent: ergo pari modo postea fieri debebit. Caius tamen Titium, ac Seium indemnes quoad suam partem seruare tenebitur. Rebell. p. 2. de obligat. lib. 2. q. 14. sect. 7.

QVÆSTIO CIV.

An pluribus in solidum obligatis, possit qui passus est damnum, gratis obligationem vni remittere, & totum ab alijs exigere?

1 PRo cuius quæstionis decisione, obseruandum est primò, quòd aliud est remittere ius, & actionem, quam habet iniustè læsus, repetendi suum debitum, ac pœnam in iudicio, aliud vero remittere obligationem restituendi id quod ratione damni iniustè à multis concausis dati in foro conscientiæ debetur. Quo posito.

2 Primò dico, quòd quando læsus cui facienda est restitutio multos habet debitores in solidum obligatos, potest in iudicio conuenire ditiores, remittendo pauperibus actionem. Ratio est, quia quando sunt plures debitores, qui tenentur in solidum, libera electio est creditoris, ita vt quem maluerit, conuenire possit. Vnde si vni remittat hanc actionem iudicialem, alij tamen conueniri possunt. Ita Caiet. 2. 2. q. 62. ar. 6. Mol. to. 3. de iust. disp. 738. Less. lib. 2. de iust. c. 13. dub. 8. & Arag. 2. 2. q. 62. ar. 7.

3 Secundò dico, quòd si læsus extra iudicium debitum remittat ei, qui principaliter, & primo loco ad restituendum obligatur, cæteri qui secundo loco tenentur liberi manent omninò à restitutione. Ratio est, quia hæc remissio est instar solutionis, atqui soluente eo, qui primo loco tenetur, reliqui manent eo ipso in conscientia deobligati, iure enim naturali, & diuino sublato principali, tollitur accessorium Mol. t. 3. disp. 738. Sylu. verb. rest. 3. n. 6. Med. C. de restit. q. 8. & Less. lib. 2. c. 13. dub. 8.

Hinc, si iniustè expoliatus remittat omnem obligationem ei qui primo loco restituere tenebatur, peccat contra iustitiam, si in foro iudiciali petat, vt qui secundo loco

loco tenebantur illud refundere, illud ipſi refundant, ac proinde ſi ita ab eis aliquid habuerit, tenetur id illis reſtituere. Ratio eſt, quia obligatio ſecundarij, ſeu minùs principalis dependet ab obligatione eius, qui principaliter, & primo loco reſarcire illud tenetur, quare ceſſante ea obligatione, ex eo quòd formaliter, aut virtualiter ſatisfecit, remittente illi expoliato eam obligationem, ceſſat quoque obligatio minùs principalis, qua in illius defectum eidem expoliato tenebatur: ac proinde ſi aliquid hoc modo ex eis extorſerit, illud in conſcientiæ foro reſtituere tenebitur.

4 Tertiò dico, quòd ſi iniuſtè expoliatus remittat debitum alicui ex minùs principalibus, qui ſolùm in alterius defectum reſtituere tenentur: non ideo liberatur principalis à reſtitutione facienda ipſi ſpoliato. Ratio eſt, quia obligatio principalis authoris, non pendet ab obligatione minùs principalis, ſed è contra: quo fit, vt vno ex minùs principalibus ſoluente, tenetur ei principalis ex integro, ſublato enim acceſſorio, iure naturali non ſtatim aufertur principale.

Quartò, & vltimò dico, quòd quando plures, qui ad reſtitutionem tenentur, ſunt æquè principales, aut æquè minus principales, ſi vni perfecta fiat remiſſio, non ideò cæteri ſunt liberi à ſuarum partium reſtitutione. Ratio eſt, quia obligatio vnius non pendet ab altero, ſed omnes æquè mediatè, vel immediatè ſe habent ad damnum. Ita Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 738. Arag. 2. 2. quæſt. 62. art. 7. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 13. dub. 8. & alij.

QVÆSTIO CV.

Queres, quomodo huiuſmodi reſtitutio fieri debeat, verbi gratia Petrus, Franciſcus, & Antonius intulerunt damnum triginta aureorum, & Antonio fit remiſſio, dubitatur nunc, quantum ſit reſiduum, ad quod reſtituendum in ſolidum obligantur Petrus, & Franciſcus?

1 REſpondeo, remittente iniuſtè expoliato omnem obligationem Antonio, Petrus, & Franciſcus tenentur refundere ſuas partes, nempe vtérque ſeorſim decem. Quod ſi Petrus nolit, vel non poſſit reſtituere aliquid, Franciſcus non tenebitur ad totam portionem Petri, ſed duntaxat ad dimidiam partem nempe ad quinque. Vnde in vniuerſum, vt reſtitutionem faciat, non tenebitur niſi ad quindecim, non autem ad viginti, vel triginta. Ratio eſt, quia læſus nec potuit, nec debuit remittere obligationem Antonio in præiudicium Petri, & Franciſci, ergo ſi remiſit, conſequenter Petrus, vel Franciſcus non tenetur reſtituere reſiduum, niſi detracta illa parte, quam ſoluere debebat Antonius. Ita Sot. lib. 4. de iuſt. q. 7. ar. 3. Caiet. 2. 2. q. 62. ar. 6. Arag. ibidem, art. 7. Med. C. de reſtit. q. 8. & alij.

DE TACENTE.

QVÆSTIO CVI.

Quid nomine tacentis hoc loco intelligatur?

1 PAlud. in 4. d. 14. q. 2. art. 3. arbitratur nomine tacentis intelligi eum omnem, qui ſcit, vbi res furtiua eſt abſcondita, & non reuelat.

2 Veruntamen D. Tho. 2. 2. quæſt. 62. art. 7. Sot. lib. 4. q. 7. ar. 3. Nau. c. 17. n. 122. Cord. in ſumma caſuum q. 66. Bart. Med. lib. 1. inſtr. conf. c. 14. §. 30. & cæteri omnes aliter explicant ſcilicet quòd tacens ſit, qui ex iuſtitia tenetur loqui, præcipiendo, conſulendo, rogando, & clamando, & tacet.

QVÆSTIO CVII.

Quanam ratione cognoſci poſſit aliquem obligari ex iuſtitia?

1 REſpondeo, quando ratione alicuius officij, vel mercedis alicui incumbit aliorum damna impedire, quales ſunt Reges, & Principes in ſuis Regnis, Duces, & Comites in ſuis terris, Magiſtratus, Prætores, ac alij iuſtitiæ miniſtri in Republica, Cuſtodes montium, Syluarum, hortorum, vinearum, ſaltuum, ſtagnorum &c. qui vt talibus cuſtodiam adhibeant, ſtipendium accipiunt: œconomi reſpectu bonorum dominorum ſuorum, Patres, & Tutores, & Curatores reſpectu ſuorum filiorum, pupillorum, & minorum: famuli quibus commiſſa eſt cuſtodia domus, vt ianitores, Medici, Aduocati, cæterique conducti, ſeu ſtipendiati, qui ſcilicet ſpeciali obligatione tenentur operam dare, & ſollicitudinem

Digitized by Google

adhibere, vt aliorum prospiciant vtilitati, & damnorum euitationi.

QVÆSTIO CVIII.

An qui loquendo, potest damnum alterius impedire, & non impedit, ad restitutionem teneatur? verbi gratia videt quis vicini domum à latronibus impeti, aut à furibus perforari, & potest sine suo, vel alterius detrimento prohibere furtum, si clamet, & non clamat. An teneatur restituere damnum proximo?

1 IN qua re, vnum est certum, & extra controuersiam positum, alterum verò dubium. Primò certum est apud omnes, quòd qui ex officio, aut speciali obligatione tenetur loqui, vt damnum proximi impediat, & sine magno suo incommodo, aut periculo tacet, ad restitutionem damni secuti in proximo tenetur. Et ratio est, quia est causa, sine qua non, illius damni, quod lege iustitiæ, & ex officio prohibere tenetur.

Dixi notanter (sine magno suo incommodo &c.) quia lex charitatis, & iustitiæ non habet vim obligandi cum tanto nostro detrimento, quia sicut nos, ita, & nostra plus licet diligere, quàm aliena.

Ex quo sequitur, tria requiri, vt omittens facere aliquid dicatur contra iustitiam peccare. Primò, quòd possit illud facere. Secundò, quòd teneatur id de iustitia. Tertiò, & vlt. quòd actu non faciat.

2 Hinc peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur Principes, Magistratus, Prætores, Duces belli, cæterique iustitiæ ministri, qui videntes committi furta, homicidia, iniusta monopolia, & similia damna, sine aliqua iusta causa tacent. Et ratio est, quia ex officio tenentur huiusmodi mala prohibere.

Hinc, eodem fundamento consiliarij Regis, si non prohibent bellum iniustum, aut peculiare damnum, cum possent sine suo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris, erunt restitutioni obnoxij.

Hoc ipsum dicendum est de illis, qui per modum contractus sese ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob eam causam accepturi, vt custodes montium, syluarum, vinearum, & nemorum, nam ex officio, ac proinde lege iustitiæ commutatiuæ, tenentur custodiam præstare, vnde si omittant, ad restitutionem damni secuti tenentur. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO CIX.

Sed tota difficultas est de eo, qui solùm lege charitatis tenetur impedire damnum proximi, & tacet. An videlicet teneatur ad restitutionem?

1 ILlustrissimus Caiet. in summa verb. restitutio cap. 1. tenet eum qui sine damno suo, aut periculo potest clamando, vel reprehendendo impedire damnum proximi, & non impedit, teneri ad restitutionem, etiam si sola lege charitatis, & non ex officio obligetur, fundamentum huius opinionis est, quia talis omissio est causa indirecta damni in proximum secuti, ergò ad restitutionem obligat. Vnde Alex. iij. in cap. sicut dignum de homicidio voluntario ait. Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, occidit.

2 Sed in contrarium concors est Theologorum, & Summistarum sententia, D. Th. 2.2.q.62.ar.7. Caiet. sibi contrarius ibidem. Soti lib.4.quæst.7.ar.3. Arag. 2.2. q. 62. ar.7. Med. C.de restit q.10. Nauar. cap.17.num.18. & 136. & aliorum dicentium, quòd licèt peccet contra charitatem proximo debitam, ad restitutionem tamen minimè tenetur. Et ratio est, quia obligatio charitatis non inducit obligationem restituendi, quando violatur, sed solùm obligatio iustitiæ, alioqui is qui est causa indirecta mortis alicuius, non dando ei eleemosynam, sicut ex misericordia, & charitate obligatur, teneretur posteà ad restitutionem, quod est omnino falsum, vt cum communi resoluit Med. C.de restit.q.9.

3 Et argumenta, quæ pro opinione Caietani adducta sunt, & adduci possunt, facilè solues, si dixeris illa solùm probare, quòd is qui verbo, terrore, consilio, aut alio quouis modo potest nocumentum proximo suo imminens impedire absque eius periculo, & non impedit, est reus furti, vel homicidij coram Deo ratione violatæ charitatis: sed non obligatur hominibus restituere, quia non peccat contra iustitiam, quæ sola violata ad restitutionem obligat.

Digitized by Google

QVÆSTIO CX.

An qui verbo tenus potest damnum proximi impedire, & tamen non impedit, quia illam odit, ad restitutionem tenetur?

1 CAiet. in summa verb. restitutio. Ang. verb. furtum §. 26. & Rosel. verb. restitutio n. 3. dicunt obligari ad restitutionem, quando ex odio aut malitia tacet.

2 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Nauar. c. 17. n. 18. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 7. Med. C. de restitut. q. 9. & aliis communiter. Et ratio est, quia odium, vel animi maluolentia quamuis augeat malitiam peccati, non tamen obligationem restitutionis inducit, quia efficaciter ad damnum proximi non concurrit, cum solùm in animo tale desiderium maneat.

Tum quia odium, iustitiæ non repugnat, sed charitati, cuius violatio ad restitutionem non obligat, id enim proprium est vinculi iustitiæ, vt omnes Doctores tradunt. Vnde solùm is, qui tacet, obnoxius est restitutioni, qui ex iustitia, vel ex officio sine eius graui damno potest nocumentum proximo imminens impedire, & non impedit.

3 Verumtamen si mutus aliqua ratione positiue se haberet, significans siue verbis, siue signis se taciturum, quo animus furantis dubitans, aut timens firmatur, ac determinatur, qui alioquin timore ne manifestaretur, non auderet furari, non esset à restitutione immunis. Ratio est, quia esset causa positiua damni, habens rationem consulentis, aut adiuuantis. Ita Petr. Nauar. libr. 3. de restitution. num. 132.

QVÆSTIO CXI.

An pretio corruptus à latrone, vt taceat ad restitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui accipit pecuniam a latrone, ne suo clamore impediat ipsius furtum, in conscientia restituere non tenetur, nisi fortè pecunia accepta esset pars furti, quia tunc ratione rei acceptæ, teneretur illam restituere. Ita Sot. lib. 4. de iust. quæst. 7. ar. 3. Nauar. cap. 17. num. 21. Less. lib. 2. de iust. cap. 13. dub. 10. & Salon. 2. 2. quæst. 62. ar. 7. Quod limitat Syluest. verb. restitutio 2. num. 6. nisi res furtiua transisset in dominium furis, puta quia est pecunia, & mixta taliter cum alia latronis, vt discerni non possit, quo casu transit in dominium furis, & recipiens non tenetur restituere, nec peccat, si fur habet vnde soluat: alias sic, nisi bona fide illam consumpsisset, nec exinde factus esset ditior, quia tunc ad nihil teneretur, secùs si extat, vel factus est ditior, quia postquam fecit, tenetur illam Domino restituere.

2 Secundò dico, quòd probabilis est opinio. Nauar. cap. 17 num. 21. & Magistri Soti lib. 4. q. 7. ar. 3. dicentium quòd nec etiam tenetur restituere, quod fur ab alio surripuit, si ex officio ei clamare non competit. Et ratio est, quia iste non magis obligatur ad impediendum damnum, post acceptam pecuniam quàm antea, sed antea non tenebatur, ergò nec postea obligatur.

Tum quia qui recipit illud pretium à latrone, non est iniurius ei qui passus est damnum: sicut non est iniurius si precibus sibi persuaderi finit, ne furtum impediat. Imò etiam si interrogatus esset posteà priuatim a Domino, nunquid vidisset, & respondet se non vidisse, ad nullam restitutionem tenetur: secùs autem si interrogaretur à Iudice in iudicio, tunc enim si veritatem negat, ad restitutionem tenetur, vt docent Nauar. & Sot. vbi supra, at huius oppositum tenet Ban. 2. 2. quæst. 70. art. 1.

3 Tertiò, & vltimò dico, quòd longè probabilius mihi videtur contrarium, quod tenent Petr. Nauar. lib. 3. de restitut. num. 132. Salon. 2. 2. quæst. 62. a. 7. & Less. lib. 2. de iustit. cap. 13. dub. 10. quia in hoc casu antequam furtum sequatur, qui accipit pecuniam vt taceat, non solùm non impedit, sed etiam positiuè concurrit, & cooperatur furto, quia mediante tali pacto & conuentione animus furantis animatur, sine quo, vel non fecisset, vel non tam audaciter, & securè fecisset. Aliud enim est non impedire, aliud aliquo signo animare, & securiorem reddere: accipiendo autem pretium, videtur spondere securitatem. Quòd si solùm non impediret, vel si latro post furtum iam factum, daret pretium alicui, vt taceat, vera est opinio

Nauar.quia tunc recipiendo vt taceat,tantùm eſt tacens, non autem cooperans.

QVÆSTIO CXII.

An qui clamare volentem contra fures,vt impediat furtum,pretio inducit ad tacendum, ad reſtitutionem damni proximo illati teneatur? v.g. videt Titius damnum inferri proximo,& paratus eſt illud impedire,Caius verò ſuadet ei, vt damnum illud non impediat,& ita Titius non impedit. An teneatur Caius damnum illud reſtituere?

1 MArt.Nauar.cap.17.nu. 140. Med.C. de reſt.quæſt.9. & Azor. p. 3. inſt. mor.lib.4.cap.15. quæſt. 3. volunt teneri ad reſtitutionem eum, qui inducit paratum illud damnum impedire, non autem teneri eum qui tacet, & probant, quia is qui impedit,iniuſtè agit contra eum, cuius bona ſurripiuntur.

2 Petr.Nauar.lib. 3. de reſt. num. 136. tenet neque eum qui tacet, neque eum qui inducit, teneri ad reſtitutionem.Quòd autem qui tacet quamuis peccet contra charitatem,non teneatur ad reſtitutionem patet, quia non tenetur ex officio,ac proinde lege iuſtitiæ huiuſmodi malum prohibere. Quòd autem nec qui induxit teneatur, probat, quia cum is qui tacet, non teneatur ex iuſtitia clamare, nec is qui inducit, ne clamet, contra iuſtitiam peccet, non enim expoliatus aliquod ius habet, quo minùs diſſuadens alteri auxilium prohibeat,nec diſſuaſus vllam vim patitur,ſcienti enim,& volenti non fit iniuria.

3 At verò Rebell.par.2. de obligat. lib.2. quæſt.14. ſect.8. mediam opinionem tenet, ſcilicet eum teneri ad reſtitutionem, qui per vim, metum,aut fraudem, aut mendacium impedit alterum, qui ex ſola charitate impedire volebat, non autem qui ſeclusa vi, ac fraude impediret, diſſuadendo videlicet per leues preces,oblatámque occupationem, vel pecuniam. Prima pars probatur,quia per reſtitutionem debet reparari omnis læſio contra iuſtitiam commutatiuam, ergò qui per talia media, quæ ſunt contra iuſtitiam eſt cauſa, quòd proximus priuatur bono, quod alter vult ei conferre tenetur ad reſtitutionẽ faciendam illius damni conſecuti ex iniuſtitia, quam ab altero paſſus eſt. Secunda verò pars probatur,quia inducens non facit aliquid contra iuſtitiam commutatiuam, ergò non tenetur ad reſtitutionem. Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur, nam qui alicui ſuadet vt furtum illud non impediat, nullum ius aufert ab expoliato, quia totum illud ius poſitum eſt in voluntate alterius, qui ex ſola lege charitatis vult damnum impedire, & ille voluntariè impedit: quapropter poterit talis inducens peccare mortaliter, ſi prauo animo id facit, quia tamen non agit contra iuſtitiam, ad nullam reſtitutionem tenetur.

Quare ſententia Nauar. recipi poteſt primo in caſu,quo is qui induxit,aut is,qui inductus eſt, tenebatur ex officio, ac lege iuſtitiæ damnum impedire.

Secundò, quando is qui induxit,mediis contra iuſtitiam ideſt mendacio, & fraude fecit alterum tacere; tunc enim expoliatus patitur inuoluntarium, & iniuſtum, & etiam qui taliter eſt inductus, ne clamaret, ac proinde ad reſtitutionem tenetur.

DE NON OBSTANTE.

QVÆSTIO CXIII.

Quid nomine non obſtantis hoc loco intelligatur?

1 PAlud.in 4.d.15. q. 2. art. 3. docet non obſtantem eſſe eum, cuius culpa in purgando prouinciam, furta, & homicidia committuntur, ſicut tenetur paſtor,ob cuius culpam lupus oues comedit.

2 At concors eſt omnium Theologorum, & Summiſtarum ſententia, nomine non obſtantis intelligi eum omnem, qui non præbet auxilium ad impediendum damnum proximi, cui obuiare ex iuſtitia incumbit.

QVÆSTIO CXIV.

Quanam ratione cognoſci poſſit, aliquem obligari ex iuſtitia?

1 REſpondeo, quando quis ex contractu, vel quaſi contractu, ex officio, vel pacto, vel iuramento obligatur impedire proximi damnum.

QVAE

QVÆSTIO CXV.

An qui omittit impedire damnum, quod ſine ſuo periculo, vel incommodo poteſt impedire, ad reſtitutionem teneatur?

1 ET quidé certum eſt quod qui ex officio & mercede obſtare debet, & ex negligentia non obſtat, damnum præuiſum impediendo, occaſionem auferendo rumorem ſedando peccat mortaliter, & ad reſtitutionem damni illati obligatur. Ratio eſt, quia eſt cauſa damni, quod ex officio, & ſpeciali obligatione iuſtitiæ prohibere tenetur. Quod intelligitur quando ſine eius graui damno ſcilicet in honore, aut vita, aut rei familiaris poteſt impedire, & non impedit, alias enim non tenebitur lege iuſtitiæ cum tanto diſpendio. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO CXVI.

Sed dubium eſt de iis, qui ſolùm ex charitate obſtant, cum poſſint ſine ſuo damno. An ad reſtitutionem teneantur?

1 CAier. in ſumma verb. reſt. c. 1. affirmat eos, qui commodè poſſunt impedire damnum, & non impediunt, teneri ad reſtitutionem, etiam ſi ex officio, ac proinde lege iuſtitię non incumbat.

2 Angel. verb. furtum §. 26. & Tab. verb. reſtitutio §. 15. docent quòd priuati homines tenentur reſtituere, quando non impediunt damnum dolosè, ac animo nocendi ex malitia, cum ſine periculo poſſint, & ex charitate teneantur.

Verum contraria ſententia eſt communis, & certa. Et ratio eſt, quia vt diximus nemo obligationem incurrit, ex tranſgreſſione legis charitatis, niſi ſimul intercedat violatio legis Iuſtitiæ commutatiuę, qualis non interuenit, quando quis ex officio ſuo non tenetur malo proximi obuiare, ſed tantùm communi charitatis lege. Quod autem ex odio, aut animo nocendi fiat, quamuis referat ad augendum peccatum, non tamen ad reſtitutionem, cum efficaciter non noceat; ergo ſolùm is, qui obſtare omittit, ad reſtitutionem tenetur, qui ex ſpeciali officio, & mercede conductus malo proximi obuiare tenetur, vt rectè docet D. Th. 2. 2. q. 62. a. 7. Sot. lib. 4. q. 7. a. 3. Nau. c. 17. n. 18. & 136. Val. t. 3. d. 5. q. 6. p. 3. Med. C. de reſt. q. 9. & Petr. Nau. lib. 3. de reſt. nu. 131.

3 Hinc, Principes, Magiſtratus, & alij iuſtitiæ miniſtri, quibus ex officio incumbit malos homines à Prouincia expellere, videntes latrones multa mala facere, & ex culpabili quadam negligentia ſe retrahunt eos tolerando, & mala permittendo, tenentur de omni damno. Ratio eſt quia reditus ſunt quaſi ſtipendium ſibi deputatum, vt iuſtitiam ſeruent. Niſi eorum qui paſſi ſunt damnum, vtilitas exigat diſſimulare, ne ſcilicet maiora damna eueniãt, qualiter euenirent, ſi minora non permittantur, tunc enim ipſe læſus, cuius vtilitas per præfatos diſſimulantes realiter procuratur non eſt in eorum diſſimulatione rationabiliter inuitus.

Hinc, Epiſcopi, & domini temporales qui negligunt corrigere ſuos officiales malè ſuis officiis vtentes, & ob id officiis eos non priuant, tenentur reſtituere omnia dãna, quia tenentur huiuſmodi mala impedire, non ſolùm ex charitate, ſed ex iuſtitia: ſi enim tantùm charitas eos obligaret, & diſſimularent, peccarent ſolùm mortaliter. Ita Nauar. cap. 25. num. 34.

QVÆSTIO CXVII.

Sed vtrum idem ſit dicendum de Prælato Regulari?

1 RESpondeo, quod non, niſi de conſenſu capituli Monaſterij id faciat, vt optimè reſoluit idem Nauar. de Reg. commen. 2. n. 62.

QVÆSTIO CXVIII.

An qui tenentur ex officio damnum proximi impedire, teneantur ad id etiam cum periculo vitæ?

1 RESpondeo non teneri. Et ratio eſt, quia nemo tenetur cum periculo probabili ſuæ vitæ, aut ſtatus ſeruare perſonam, aut ſtatum alterius particularis, ſed benè ſecundùm Nau. ſententiam, tenetur vitam propriam exponere pro bono cõmuni Reipublicæ, aut pro vita ſpirituali fratris, quando ille eſt in extrema neceſ-

tate, à qua aliter deliberari non poteſt. At furta, & homicidia huius, aut illius talia non ſunt, & ita vitam ſuam pro illis exponere non tenetur.

QVÆSTIO CXIX.

An Iudex non condemnans reum, teneatur non ſolùm reſtituere damnum, quod Reus intulit, verum etiam pœnam, quàm ſubire debuit, ſi Iudex iuſtam ſententiam tuliſſet? loquimur de pœna pecuniaria, non autem de corporali?

1 IN qua re conuenit inter omnes, iudicem qui ſecundùm allegata, & probata Reum minimè condemnat, teneri reſtituere damnum illatum parti læſæ, nimirum totum illud damnum, quod Reus in conſcientia ſoluere tenebatur, nimirùm impenſas, & alia huiuſmodi. Et ratio eſt, quia Iudex agit perſonam publicam, & ex iuſtitia tenetur iuſtam ſententiam ferendo, parti læſæ ſatisfacere. Verùm difficultas conſiſtit in hoc.

QVÆSTIO CXX.

An Iudex non rectè iudicando, teneatur ſolucre pœnam, ad quam per iuſtam ſententiam Reus fuiſſet comdemnatus?

1 SOtus lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. artic. 6. Arag. 2.2. quæſt. 62. ar. 7. Valen. to. 3. d. 5. q. 11. p. 4. Ban. 2.2. q. 62. ar. Sylu. verb. Iud. ex 1. q. 11. & verb. pœna q. 2. 8. Ang. ibidem, q. 18. vbi citat D. Tho. 2.2. quæſt. 67. ar. 4. ad 3. & multi alij tenent eum obligari.

2 Contrariam autem ſententiam tenuiſſe video Nauar. cap. 25. n. 51. Azor. p. p. inſt. mor. lib. 5. cap. 8. q. 5. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 13. dub. 10. & alios. Pro quo,

3 Primo dico, quòd ſi poſt latam, & pronunciatam iuſtam ſententiam contra Reũ, Iudex non applicat pœnam pecuniariam in lege poſitam, & quam ſoluere debet fiſco, vel parti læſæ, ſed illam iniuſtè remittit, tenetur in conſcientia ad illius reſtitutionem. v. g. profert Iudex iuſtam ſententiam contra hæreticum, cuius bona ſecundùm legem debent applicari fiſco, & ipſe Iudex illa applicat alteri, vel illa iniuſtè remittit, tenetur in cõſcientia talia bona fiſco reſtituere. Ratio eſt, quia fiſcus, vel pars læſa cui pœna illa ſecundùm legem venit applicanda, poſt ſententiam datam, & promulgatam iam habet ius acquiſitum ad talem pœnam, & eſt verus dominus illius, ergò ſi ſibi non reddatur, fit ei iniuria, atque ex conſequenti qui illam infert committit furtum, & ad reſtitutionem tenetur.

4 Secundò dico, quòd quando Iudex, aut alij iuſtitiæ miniſtri ex ignorantia inuincibili relaxant pœnam, quam reuerà non debebant relaxare, non peccant, nec ad illius reſtitutionem tenentur, etiamſi poſtea cognoſcant ſe erraſſe. Probatur, iſti non tenentur ratione iniuſtæ acceptionis, quia laborant ignorantia inuincibili, nec ratione rei acceptæ, quia illa pœna apud alios manet, ergò nullo modo tenentur. Deberet tamen confeſſarius huiuſmodi tales admonere, ne in poſterum id faciant, cum ſit in præiudicium tertij.

Tertiò dico, quòd quando Iudex, aut alius iuſtitiæ miniſter, in rebus nullius penſi, pœnam diſſimulat, non tenetur ad illius reſtitutionem Et ratio eſt, quia expedit bono communi, vt leuia delicta nonnunquam impunita relinquantur.

Tum quia id videtur facere ſuperioris, ac ſupremi Principis licentia, qui delinquentes in rebus leuibus mulctare nunquam ſunt ſoliti, eſſet enim ſummũ ius, & ſumma iniuſtitia velle leuia omnia punire.

5 Quartò dico, quòd probabilis eſt opinio Nauar. & aliorum affirmantium, quòd Iudex qui per iniquitatem iuxta acta, & probata non condemnat Reum ad ſoluendam pœnam, qua ſecundùm leges mulctandus eſſet, peccat quidem mortaliter, ad reſtitutionem tamen minimè tenetur. Ratio eſt, quia pœna nunquam in conſcientia debetur, niſi poſt latam ſententiam Iudicis.

Tum quia fiſcus, vel pars cui pœna illa à lege, & iuſta ſententia venit applicanda ante delicti condemnationem, non habet ius acquiſitum in illam, ergò donec Reus criminis condemnetur, nihil ipſi fiſco, vel parti læſæ de iuſtitia debetur.

Tum demùm, quia Iudex non tenetur ex officio, & lege iuſtitiæ ferre iuſtam ſententiam contra Reum, vt fiſcus vel pars læſa mulctis ditetur, ſed ſolùm vt damna impediantur: quoniam leges pœnales nõ ſunt factæ, vt Princeps, vel Reſpublica ex

pœnis

Digitized by Google

pœnis locupletetur, ſed vt leges ſeruentur, & ſubditi officium præſtent.

6 Quintò dico, quòd verosimilior eſt opinio Soti, & aliorum qui dicunt quòd Iudex qui iniuſtè delinquenti pœnam ex lege fiſco, vel accuſatori, aut parti læſæ applicandam remittit in conſcientia tenetur illam reſtituere. Ratio eſt, quia Iudex ex iuſtitia commutatiua ratione ſui muneris, & officij tenetur huiuſmodi pœnam fiſco, vel accuſatori, aut parti læſæ adiudicare, ergò ſi per iniquitatem id non facit, peccat cõtra iuſtitiã, atque ex conſequenti pœnam illam, ſeu potiùs damnum pecuniarium fiſco, aut accuſatori, aut parti læſæ reſtituere tenetur.

Tum quia Iudex, eſt cuſtos iuſtitiæ propter quod ius ſuum vnicuique reddere debet, ſed fiſcus, vel accuſator petendo applicari ſibi pœnam à lege impoſitam, petit ius ſuum, ergò ſi Iudex iniuſtè non condemnat reum ad pœnam, quam meretur, expoliat fiſcum, vel accuſatorem iure ſuo, ergò ad reſtitutionem tenetur.

Sextò dico, quòd quando Iudex, aut alij iuſtitiæ officiales tenentur reſtituere pœnã pecuniariam, quam iniuſtè delinquenti relaxant, tenentur illam ipſo facto abſque Iudicis ſententia reſtituere. Ratio eſt, quia ad id tenentur, non tanquam ſoluentes pœnam, ſed vt ſoluentes debitum, quod per iniquitatem contraxerunt; ad debitũ autem contractum ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè vnuſquiſq; in conſcientia tenetur, non expectata Iudicis ſententia.

7 Septimò dico, quòd quando pœna iniuſtè remittitur, Iudex non tenetur ad integram pœnam, ſed ad qualem, qualem. Ratio eſt, quia quamuis fiſcus, vel pars læſa iam habeat ius in illam acquiſitum, & ſit in potentia, etiam proxima ad eam ſaltem poſt latam ſententiam, attamen quia nondum pecuniã illam actu habet, ſed eſt adhuc illa in ſpe, poteſtque multis modis impediri, attento quòd ſæpè remitti ſoleat pars talis pœnæ, in arbitrio boni viri iuxta circumſtantias actus decernere an Iudex teneatur ſemper ad reſtituendum in integrum, an verò aliquando ſatis ſit partem aliquam reſtituere. Vndè ſi certiſſimum erat Reos condemnandos eſſe ad totam pœnam, quaſi ad integrum tenebitur: ſi verò dubium erat, ad qualem, qualem. Ita Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 739.

8 Octauò, & vltimò dico, quòd quando Iudex, ac quilibet alius iuſtitiæ miniſter tenetur reſtituere pœnam, quam contra iuſtitiam remiſit, reſtitutio iſta non eſt facienda pauperibus, ſed illis, quibus huiuſmodi pœna per leges erat applicanda ſcilicet fiſco, vel accuſatori, aut parti læſæ, quia iſti habent ius acquiſitum in illam, ſuntque certi illius pecuniæ domini; reſtitutio autem, quæ fit pauperibus, facienda eſt, quando nullus apparet dominus. Ita Salon. 2.2. qu. 67. ar. 7.

QVÆSTIO CXXI.

An confeſſarius non obligans pœnitentem ad reſtituendum, teneatur loco illius reſtituere?

1 NAuar. cap. 17. num. 22. Petr. Toletan. lib. 3. de reſtitut. num. 124. & multi alij dicunt quòd ſi confeſſarius ex ignorantia, negligentia, vel lata culpa non monet pœnitentem, vt reſtituat, quòd reſtituere tenetur, debet reſtituere loco pœnitentis, & probant, quia cum confeſſarius ex obligatione ſui officij teneatur obligare pœnitentem, vt reſtituat, conſequenter ſi ſcienter, vel lata culpa negligenter non obligauerit, tenetur ipſe reſtituere, aut procurare vt pœnitens reſtituat.

2 Rebell. p. 2. de obligat. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 8. Valen. tom. 3. d. 5. p. 3. Eman. Sà in aphor. conf. verb. reſtitutio nu. 2. & plerique alij, docent ad id non teneri. Et ratio eſt, quia nulla lege iuſtitiæ eſt obligatus ad conſulendum bono creditoris, cui pœnitens reſtituere debet, nam inter confeſſarium, & creditorem pœnitentis nullus eſt contractus, vel quaſi quo ad id ſe obligauerit, ſed ſola lege charitatis eius bono debet conſulere. Pro deciſione tamen,

3 Primò dico, quòd ſi confeſſarius per incogitantiam, aut ex ignorantia non craſſa prætermittit reſtitutionem præcipere, vel quia exiſtimauit probabiliter pœnitenti, quia erat vir doctus id curæ eſſe, ad nullam reſtitutionem tenetur. Et ratio eſt, quia cum confeſſarius gratia tantùm pœnitentium audiat confeſſiones, non tenetur niſi de lata culpa. Ita Naua. in Manuali c. 17. n. 22. & alij.

Secundò, dico, quòd confeſſarius qui omittit ex malitia, vel lata culpa admonere pœnitentem vt reſtituat, in caſu, quo ad id tenetur, peccat mortaliter. Ratio eſt,

quia agit contra charitatem proximo debitam, iuxta illud Eccleſiaſt. 17. vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo; qui autem agit contra charitatem peccat mortaliter, ergò.

4 Tertiò dico, quòd confeſſarius, qui ex lata culpa, aut dolo iniungit pœnitenti, vt reſtituat, & tamen non tenetur, vel mandat vt reſtituat vni, quod alteri debet, ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia cum confeſſarius ex officio, atque adeò ex iuſtitia teneatur conſulere ſaluti pœnitentis, & doctrinam tradere pœnitenti neceſſariam, conſequens eſt, vt omnia damna ex tali damnabili omiſſione ſecuta, ei ſicut veræ cauſæ efficaci imputentur.

5 Quartò dico, quòd confeſſarius, qui tacitè, vel expreſsè per commiſſionem eſt cauſa quo minùs pœnitens reſtituat dicendo nullum eſſe reſtitutionis debitum, cum reuera ſit debitum, vel contractum quempiam eſſe licitum, qui eſt illicitus, tunc ſi ignorantia ſit craſſa, vel conſiderandi negligentia ſit grauis, omnia damna inde ſecuta reſarcire tenetur. Ratio eſt, quia confeſſarius ratione ſui muneris tenebatur hoc ſcire, & in conſulendo, vel reſpondendo hunc errorem, vel negligentiam vitare, & non fecit, ergò cenſetur cauſa damni ſubſecuti. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſtitia cap. 7. dub. 7. Rebell. par. 2. de obligat. quæſt. 14. ſect. 8. & Azor. par. 3. inſtitut. moral. lib. 4. cap. 16. quæſt. 7. Imò ſi leui culpa cõfeſſarius id dixerit ratione deceptionis, & peccati contra iuſtitiam, ad reſtitutionem tenebitur, ſi ſe tanquam peritum, & ſufficientem oſtenderet, cum ſaltem dubitaret ſe talem eſſe.

Lata culpa in hac materia eſt, cum confeſſarius aduertit, aut aduertere debet aliqua in re dubium eſſe, quod interrogare, aut ampliùs conſiderare oportet, & nihilominùs eam diligentiam omittit.

6 Quintò dico, quòd ſi loquamur de his, qui ratione muneris, & officij, habent curam animarum, vt ſunt Epiſcopi, & Parochi, verſimilis, & in praxi tuta eſt opinio Nauar. Et ratio eſt, quia cum iſti ſint ſuperiores, & ex officio teneantur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire ne aliis damnum inferant (ob id enim accipiunt decimas, & prouentus Eccleſiaſticos, ſicut Princeps, & Magiſtratus ſæculares tributa, & veſtigalia) ac proinde tenentur curare, vt rem ablatam reſtituant; moraliter enim pro eodem reputatur, damnum inferre, & datum nolle reſarcire; quòd ſi efficere negligant ex culpa lata tenentur damnum ſecutum reſarcire.

Dices, confeſſarius qui curam habet animarum, ſtipendium accipit pro audiendis confeſſionibus, ergò etiam tenetur de leui culpa.

Reſpondeo iſtud ſtipendium non niſi per modum eleemoſynæ, & ſuſtentationis accipitur, & ſicut gratis datur, ita ſine noua obligatione ad maiorem diligentiam accipi videtur.

7 Sextò dico, quòd ſi loquamur de cæteris confeſſariis, qui ex officio ad curam animarum non tenentur, vt ſunt Religioſi, verſimilior eſt ſecunda opinio, videlicet hos non teneri ad reſtitutionem damnificato, etiam ſi ex malitia, vel certè lata culpa, ſeu craſſa ignorantia reſtitutionem pœnitentibus non imponant. Et ratio eſt, quia confeſſarius non tenetur ex officio temporalibus creditorum bonis proſpicere, cum ab eis mercedem non accipiant, nec eorum gratia officium habeant, ſed ſolùm ad procurandum bonum pœnitentis. Vnde quamuis ipſi quidem pœnitenti teneatur confeſſarius ius ex officio iniungere reſtitutionem, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione iuſtitiæ, quam habet erga creditorem, ſicut ſuperior tenetur, ſed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur ſaluti ſpirituali eius conſulere. Quare ſi id negligant, peccant quidem contra iuſtitiam in ordine ad pœnitentem, non autem in ordine ad creditorem.

8 Septimò, & vltimò dico, quòd etiam eſt probabile, Epiſcopum, Prælatum, & Parochum doloſè, vel ex lata culpa non obligantem pœnitentem ad reſtituendum, ad nullam reſtitutionem teneri. Et ratio eſt, quia vt optimè annotauit Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 9. dub. 13. eorum obligatio qua ex iuſtitia, media ſua gubernatione populo ſunt aſtricti, ſolùm videtur eſſe in ordine ad ſpiritualia.

QVÆSTIO CXXIII.

An Cuſtodes Syluarum, montium, fluminum, lacuum, paſtuorum, vrbium, & aliarum rerum, non denuntiando, aut accuſando delinquentes, teneantur in conſcientia reſtituere damnum.

damnum, quod poterant prohibere & non prohibuerunt?

1 AD hoc dico primò, quod si lignorum scissio, aut venatio, iniustè est prohibita, & exactio vectigalium iniqua, custodes iurati, aut sola fide astricti ea custodire, non prohibentes, aut non manifestantes, quos inueniunt damnum inferentes, nec peccant, nec tenentur aliquid restituere. Ratio est, quia qui ista interdicunt, peccant contra Iustitiam, ergo similiter custodes hęc impedientes peccabunt, nec iuramentum in tali casu obligat, cum non sit vinculum iniquitatis. Arag. 2. 2.q. 62.art.7.& alij.

2 Secundò dico, quòd si prohibitio est legitima, custodes huiusmodi aliquando cum venantibus, aut piscantibus, aut ligna cædentibus in locis communibus prohibitis possunt dissimulare, & non tenentur ad restitutionem, quando nimirum id faciunt propter extremam, vel vrgentem necessitatem, vt suæ inopiæ succurrant, moderatéque accipiant, & quantùm sua necessitas exigit. Ratio est, quia charitas id exigit, contra quam nulla promissio, aut iramentum obligat. Ita Salon. 2.2. quæst. 62. art.7.

3 Tertiò dico, quòd si res est parui momenti, & custodes semel, aut bis dissimulant, nec peccant, nec ad restitutionem tenentur. Ratio est, quia Dominus Syluæ, nisi barbarus sit, & aggrestis id debet ratum habere. Arag. 2.2. quæst. 62. art.7.

4 Quartò dico, qnòd custodes qui extra hos casus non accusant, aut denuntiant delinquentes peccant mortaliter nec absolui possunt sine firmo proposito nunquam id amplius permittendi. Ratio est, quia sunt periuri. Tum quia infideliter se gerũt in re graui, quam lege Iustitiæ seruare tenẽtur.

5 Quintò dico, quod custodes qui non denuntiant ligna prohibita scindentes, & piscantes, venantes tempore, vel cum instrumentis prohibitis, aut merces prohibitas transferentes, tenentur restituere omnia damna subsecuta, verbi gratia ex rebus quæ venduntur, vel ex vno loco ad alium transportantur, debetur certum vectigal a lege impositum, ex eo vero quòd custodes dissimulant, non soluitur: vel ex negligentia custodis sunt pauci cuniculi in nemore, vel penuria lignorum in sylua ex quo fiet, quòd si dominus velit, vel vendere, vel locare syluam suam, minùs pretium accipiet, quòd non accidisset, si custos prohibuisset, tenetur custos tunc illa damna restituere. Ratio est, quia isti custodes ad manifestandum huiusmodi delinquentes tenẽtur ex speciali Iustitiæ vinculo, nimirum debito sui officij: quare si deficiunt in officio, tenentur ad restituendum damna quæ inde sequuntur, quod delinquentes non manifestant, quamuis ipsi delinquentes qui intulerunt hæc damna, aliquando non teneantur in conscientia illa restituere, nisi post Iudicis condẽnationem, tamen custodes quia ratione stipendij peculiari obligatione se obstrinxerunt reddere Dominum indemnem tenentur in conscientia ad hæc; nisi in aliquo casu, consuetudine, vel patientia Principis scientis, ac dissimulantis receptum sit, vt non tam seuerè munus suum exequantur, vel id non esse contra intentionem domini rationabiliter præsumatur.

6 Sextò, & vltimò dico, quod omnia supradicta intelliguntur de custodibus mercede stipendiatis, quibus ex officio incumbit custodire huiusmodi res: nam de his, qui per vices suas, vt mos est in quibusdã Ciuitatibus, nulla mercede accepta efficiuntur custodes, quia isti non tenentur custodire, nisi sicut ipsa communitas talia loca custodiret. Vnde si transgressores, id est qui cædunt ligna piscantur, &c. in delicto non deprehensi tenentur restituere damnum, tenebuntur tales custodes, quando verò illi in conscientia ad nihil tenentur nec tales custodes ad aliquid restituendum erunt obligati.

QVÆSTIO CXXIV.

An Custodes, vel alij Iustitiæ officiales non denuntiantes delinquentes, tenantur in conscientia soluere pœnam, ad quam fuissent per iustam sententiam condemnati?

1 D Tho. 2.2.q.67.art.4. Sot. lib. de Iust. q.6.art.6. & lib.5.q.4.ar.4. Arag. 2. 2.q.62.art.7. Petr. Nauar. lib.3.de restitut.c. 4.n.142. Med. C.de rest.q.12.. & 15. Salon. 2. 2.q.62.art.7. Sylvest. verb. Iudex 1.q.11. & verb. pœna qu. 28. & plerique alij tenent eos obligari ad soluendam pœnam, quam accusati incurrissent.

2 At

Primò dico,quòd quando pœna imposita contrauenientibus non est pecuniaria vt amissionis mercium &c. Sed est pœna corporalis, vt capitis, flagellorum, exilij, triremium &c. tunc qui tales transgressores dissimulat,non tenetur subire pœnam, ad quam condemnarentur delinquentes si ipse eos accusasset. Ratio est, quia non debet esse Iudex & actor in seipsum, sed solùm tenetur restituere damnum, si quod fortè ex eius dissimulatione sequitur, vel Reipublicę vel alicui priuato,in cuius vtilitatem, id officium suscepit. Molina tom. 3.de Iustitia disp.739.

3 Secundò dico,quod quando custos, aut quilibet alius Iustitiæ minister, solùm ea dissimulat, ex quibus nullum sequitur dānum,quia nimirum nullum habent tributū annexum,sed duntaxat est pœna pecuniaria imposita iis qui talia agunt.tūc qui tales leges violant, illa efficiendo peccant quidem mortaliter,aut venialiter pro materiæ qualitate, ac quantitate; ad soluendam tamen pœnam minimè tenentur. Ratio est, quia qui eo modo leges transgrediuntur, non tenentur luere pœnam, nisi post Iudicis sententiam.

4 Tertiò dico, quòd custodes, qui postquàm delinquentes in delicto deprehenderunt,liberos illos dimittunt,aut pœnam contra iustitiam relaxant, tenentur illam compensare iis,quibus de lege erat applicanda. Ratio est, quia illa apprehensio æquiparatur condemnationi, aut processui, in quo delictum est sufficienter probatum: sed Iudex qui Reum conuinctum de crimine, non condemnat ad pœnam, qua secundùm leges esset puniendus, tenetur in conscientia illam compensare,quia fiscus, aut alius, cui talis pœna de lege,aut cōsuetudine debetur, ius habet iam acquisitum ad illam, ergò si non fert sententiam, expoliat fiscum,aut alium iure suo,ac proinde tenetur de damno dato. Possunt tamen huiusmodi custodes remittere delinquenti partem pœnæ, quæ sibi per leges applicanda esset.

5 Quartò dico,quòd verisimilis est opinio Nauar. & aliorum asserentium eos non obligari.Ratio huius, non est illa eiusdem Nauar. quia pœna nunquam in foro conscientiæ debetur, nisi post Iudicis sententiam,non enim custodes tenentur ad eam, vt soluentes pœnam; sed vt soluentes debitum, quod non accusando, vel non denuntiando iniustè contraxerunt: sed quia custodes huiusmodi non tenentur accusare ex iustitia commutatiua vt Dominus, vel Respu. ditetur mulctis,sed solùm vt damna impediantur,& tributa iusta soluantur: officium enim illorum nō est mulctas procurare, sed vectigalia recipere, & res suæ custodiæ creditas indemnes præstare.

6 Quintò dico quòd verisimilior est sententia D. Thom. & aliorum affirmantium quòd custodes,qui non accusant,nec indicant delinquentes, qui rationæ sui delicti deberent luere pœnam eam in conscientia compensare tenentur. Ratio est, quia custodes aliique ministri publici ex officio,ac proinde ex Iustitia tenentur accusare, aut denuntiare delinquentes, curareque tenentur,vt pœnæ illis impositæ executioni mandentur,ob id enim tale munus suscipiunt,& conceditur eis stipendium,ergo iniuriam faciunt fisco, aut accusatori, aut parti læsæ, quibus pœnæ illæ per legem sunt applicatæ, dum sua dissimulatione negligunt comprehendere, aut accusare delinquentes ac eiusmodi pœnas executioni mandare, eosque priuant commodo, quod ex solutione eiusmodi pœnarum, erant habituri.

Tum quia dum constat de delicto,& iuridicè potest illud probari, Domini habēt à Iure,quasi ius acquisitum ad pœnam pecuniariam, vnde qui eiusmodi delinquentes non accusant, nec denuntiant, quando ad id ex officio tenentur, impediunt Dominos contra Iustitiam commutatiuam ab illo commodo ac emolumento, ad quod erant in proxima potentia, ac proinde tenentur de damno secuto.

7 Sextò,& vltimò dico,quòd quando custodes tenentur soluere pœnam pecuniariam,quàm contra iustitiam Reis dimittūt, tenentur illam ipso facto sine alia Iudicis condemnatione restituere. Ratio est, quia ad eam non tenentur quasi soluentes pœnam, sed vt soluentes debitum, quod sua dissimulatione, & culpa contraxerunt, vt suprà diximus de Iudice: debitum autem contractum, siue per negotium, siue per iniquitatem in conscientia soluendum est ipso facto, nec est ad id expectanda Iudicis sententia.

Obiicies, Reus, qui est causa principalis non tenetur in conscientia soluere pœnam

Digitized by Google

nam antè latam ſententiam, ergò neque cauſa acceſſoria, qualis eſt cuſtos.

Ad hoc argumentũ, quod Medina fatetur eſſe inexpugnabile, nihil aliud reſpondet, niſi quòd aliquando cauſa acceſſoria tenetur ad reſtitutionem, quando principalis non obligatur.

Sed hæc reſponſio (pace tanti viri ſit dictum) non mihi placet, quia præſupponit falſum, nempe cauſam acceſſoriam teneri ad reſtitutionem, manente principali agente ab omni debito reſtitutionis immuni, cum acceſſoria ſolùm obligetur in defectum principalis.

Quare iſta reſponſione dimiſſa Azor.p. 3.inſtit.mor.lib.4.c.5. qu. 4. aliter reſpõdet, dicit enim quòd cuſtos in caſu poſito non eſt acceſſoria cauſa, ſed principalis, quia non tenetur pœnam reſundere eadem obligatione, qua tenetur Reus, ſed per ſeipſum obligatur ex vi contractus, pacti, vel iuramenti, quo ſe adſtrinxit communitati, vel Principi ad denuntiandum, & ita non accuſando vel denuntiando peccat contra Iuſtitiam, quia ea conditione, & lege eſt ad tale officium aſſumptus, vt denuntiet delinquentes. At verò delinquens non eſt ratione alicuius officij obligatus ad ſoluẽdam pœnam, niſi poſt condemnationem: imò ſæpè contingit, quòd aliquis teneatur ad aliquid ſola lege charitatis, & miſericordiæ, & tamen ille cui, ex officio incũbit prouidere vt illud fiat, peccabit contra iuſtitiam, ſi diſſimulet, verbi gratia ſi Princeps tempore maximæ penuriæ in Repub. non prouideat ſi opus fuerit, quòd diuites de ſuperfluis pauperibus ſuccurrant, ipſe peccabit contra iuſtitiam, quamuis diuites non faciendo Eleemoſynam, non peccent niſi contra charitatem, & miſericordiam.

Salon.2.2. qu.62. art.7. reſpondet Reum concurrere ad illam pœnam, quam ſubire deberet, paſſiuè, & ita quomodocunque liberetur ab ea, non teneri illam compenſare, quia non tenetur Reus agere in ſeipſum: cuſtodes verò & alios iuſtitiæ miniſtros concurrere actiuè, & ideò teneri illam ſoluere.

9 Accedit, diſparem eſſe rationem de Reo & cuſtode, quia Reus ſolùm tenetur ad id in pœnam, quæ non debetur antè latam ſententiam; cuſtodes verò quia ea lege ſunt pretio conducti, vt denuntient, non tenentur pœnam ſoluere in pœnam ſui proprij delicti, quo cum Reo diſſimularunt, ſed ex eo, quòd ſua culpa omittendo pœnã illam executionis mandare, vt ex officio, & ratione ſtipendij tenebantur, fuerunt cauſa iniuſta indirecta quòd fiſcus, & accuſator emolumẽto eius pœnç priuarentur, quibus de iure, ac conſuetudine applicandæ erant.

Dices pœna non eſt debita niſi poſt condemnationem criminis.

1 Reſpondeo, hoc eſſe verum in Reo, qui lege Iuſtitiæ non ſe obligauit ad pœnam ſoluendam, niſi poſt condemnationem; non tamen in cuſtode, qui ratione ſtipendij, pacti, vel iuramenti ſe adſtrinxit ad denuntiandos eos qui delinquunt, vt debita ab eis pœna exigatur.

QVÆSTIO CXXV.

An Cuſtos, aut alius Iuſtitiæ miniſter peccet, & reſtituere teneatur pretium quod accepit, vt non accuſet, aut denunciet?

1 CAietan. in ſumma verb. reſtitutio cap.4. Sot.lib.4. de Iuſt. q.7. art.3. Petr. Nauar. lib. 3. de reſt.nu.143. Salon.2.2 quæſt.62.art.7.Valent.tom.3. diſp.5.q.6.p.5. Cord.in ſumma caſuum q.66.Sylueſt.verb. reſtit.3. q. 5. & multi alij affirmant teneri recipientem reſtituere pretium antè omnem repetitionem & condemnationem Iudicis.

2 At verò Tolet.lib.5. cap.21. & 59.Ban.2. 2.q.62.ar.5.Nauar.cap.17.n.30.& cap.25.nu. 45 Roder. in ſumma p.2.c. 40. & plerique alij docent nullam faciendam eſſe reſtitutionẽ, ſi cuſtos recipiẽs pretium, ea de cauſa nõ accuſauit, nec denuntiauit. Pro quo,

Primò dico, quòd ſi cuſtos nihil promittendo, recipit pretium liberaliter datum, tanquam motiuum, vt non accuſaret, vel denuntiaret delinquentes, iuſtè poteſt illud retinendo, poſtea accuſare, vel denuntiare, vt rectè docet Rebel.p.2.de obligat. lib.2.quæſt.14.ſect.8.

3 Secundò dico, quòd ſi cuſtos ob pretium datum non accuſare, vel non denuntiare promiſit, tenetur danti, reddere pretium contractum reſcindere antè eius adimpletionem. Et ratio eſt, quia talis promiſſio eſt de peccato patrãdo. In malis autem promiſſis fides reſcindenda eſt cap. in malis 22.quæſt.4.

4 Tertiò dico quod probabilis eſt opinio Toleti,

Toleti,& aliorum, qui dicunt quod cuſtos qui pro non accuſando, vel denuntiando pretium accepit, ſi opus fuit conſummatũ antè Iudicis ſententiam non tenetur illud reſtituere. Et ratio eſt,quia quamuis opus prauum ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam rationem formalem, qua offenſa Dei eſt, nullius ſit valoris;materialiter tamen conſideratum pro vt attenditur ab his, qui talia opera exercent, eſt quædam actio humana,liberè facta,habẽſque annexa,laborem,damna,pericula,& alia multa,quæ indantis vtilitatem, vel in detrimentum accipientis pretium cedunt;ex quo fit, vt ſit pretio æſtimabile ex natura rei, ſicut reliquæ actiones humanæ,quæ ideò ſunt vendibiles, & pretio æſtimabiles, quia ſunt conducibiles vitæ humanæ,ergo accipiens pro illo pecuniã non tenetur illã reſtituere, niſi fortè illud extorſiſſet ab inuoluntariis iniuſtam vexationem redimentibus.

3 Quartò & vltimo dico, quòd veriſimilior eſt ſententia Caietani, & aliorum affirmantium, quòd cuſtos qui aliquam pecuniam accipit,vt non accuſet,aut denuntiet, tenetur pecuniam acceptam reſtituere.Et ratio eſt,quia qui accipit aliquid per contractum ipſo iure nullum tenetur illud in conſcientia reſtituere, quia per talem contractum non transfertur dominium; ſed quando datur pretium cuſtodi, vel alteri miniſtro publico, vt non denuntiet delinquentes,quos lege Iuſtitiæ accuſare, vel indicare tenetur, eſt contractus ipſo iure nullus, vt habetur expreſſè in lege generaliter ff.de verb.ſignific. ergò cuſtos tenetur pretium acceptum reſtituere.

QVÆSTIO CXXVI.

An delinquens teneatur reſtituere pœnam pecuniariam fiſco debitam,quando ipſe pretio cuſtodem induxit, vt taceret?

1 REſpondeo teneri. Et ratio eſt, quia ipſe ſuo prauo conſilio fuit cauſa efficax illius actionis iniquæ; ſed primò loco tenetur ipſe cuſtos, qui eſt executor, & per conſequens principalis.

QVÆSTIO CXXVII.

Sed quid? ſi cuſtos petit pecuniam, promittens ſe non patefacturum delinquentes?

1 BArth.Med.lib.1.inſtruct.confeſſ.cap.14.§.30.cenſet in hoc caſu ſolùm cuſtodem teneri ſoluere pœnam, non eum, qui pecuniam ſoluit.

2 Contrarium tamen quòd docet Petr. Nauar.lib.3.de reſtitut. num.143. eſt verius atque tenendum, ſcilicet offerentem etiã à cuſtode rogatum, & dantem pecuniam eodem fine, vt taceat,teneri ad reſtituendam pœnam. Ratio eſt,quia offerens verè eſt cauſa cooperans illius damni illati à cuſtode, ſi enim ille pecuniam petitam nõ dediſſet, cuſtos contra iuſtitiam tacendo, nulli nocuiſſet, ergo oblatio illa pecuniæ, verè eſt cauſa efficax ilius damni.

QVÆSTIO CXXVIII.

An Cuſtos,aut quilibet alius Iuſtitiæ miniſter poſſit conuentionem facere circa pœnam incurſam,antè tamen Iudicis condemnationẽ?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi cuſtos aut alius Iuſtitiæ officialis, cui ex vi contractus eſt conuentio interdicta cõuentionem facit circa pœnã antè Iudicis condemnationem peccatum mortale committit, & ſi iuramentum præſtitit eſt periurus.

Secundò dico,quod ſi cuſtos,aut publicus alius miniſter contra legis prohibitionem eam conuentionem facit antè Iudicis ſentẽtiam, ex quo alij miniſtri iniuſtè priuantur emoluméto aliquo, quòd illis erat euenturum, tenetur illud in conſcientia reſarcire.Ratio eſt,quia cauſa ſaltem indirecta eſt eius damni, non ſeruando, quod ex officio, atque adeò ex Iuſtitia ſeruare tenetur. Molina.t.3. de Iuſtitia diſp.740.

2 Tertiò dico, quod ex natura rei ſecluſa prohibitione,cuſtos,aut alius miniſter publicus licitè poteſt conuenire cum delinquente pro pœna incurſa antè omnem Iudicis condemnationem. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd quis contra legem crimen committit,pro quo pœnaeſt ſtatuta,is cui talis pœna venit applicanda,acquirit ius ad illam,quod quidem ius eſt pecunia æſtimabile,& tantùm valet,quantum æſtimabitur damnum inde illi ſubſecutum, pro vt ita erat in ſpe,quia regulariter vix tertia pars præſcriptæ pœnæ ad publicanum peruenire ſolet, vt in mercium amiſſarum interce

Digitized by Google

terceptione euenit,vbi pars occultari,pars ab ipſis etiam miniſtris iuſtitiæ in diſpendium ſubtrahi, pars etiam plerumque remitti ſolet : ergo ſi publicanus ad quem pœna expectat,delinquenté cõprehendat, & cum eo circa eam pœnam conueniat, licite quantum eſt ex natura rei accipit iuſtum pro ea pretium. Molina tom. 3. de iuſt.diſp.740,

QVÆSTIO CXXIX

An cuſtos non denuntiando,teneatur reſtituere vectigalia, quæ illi tenebantur,qui merces deferebant?

1 QVidam vltra pœnam à lege taxatam,volunt cuſtodes teneri ad reſtituendum etiam vectigalia.

2 Contrariũ tamen,quod tenet Rebel.p.2. de obligat.lib.2. q. 14. ſect. 8. mihi videtur verius,quia ſub diſiunctione alterum , non vtrumque Princeps ſiue publicanus poteſt habere.nimirum tributum,aut merces ipſas in pœnam non ſoluti tributi. Vnde ſatis eſt,vt ex duplici illo intereſſe , illud tantùm quòd maius eſt,eligat.

QVÆSTIO. CXXX.

An cuſtos qui ſe abſcondit, vt libere alij merces de vno Regno in aliud contra leges transferant , ad reſtitutionem teneatur , ſi poſtea ex inſidijs , delinquentes capiat , & pœnas ab eis exigat?

1 IN qua re conuenit inter omnes , cuſtodem qui ſe occultat, vt ſic inuitentur homines ad transferenda vetita,ad nullam reſtitutionem faciendam teneri his, quos in delicto capiunt. Et ratio eſt , quia non tenetur ex officio conſulere bona delinquentium, aut eos à pœnis releuare, ergò non tenetur ſe eiſdem manifeſtare,vt pœnas euadant.

Tum quia non eſt cauſa directa cur alij leges tranſgrediantur,ſed ſolùm indirecta contra charitatem debitam illis,ſi abſcondendo ſe,vel peccatum, vel damnum proximi per ſe intenderet , & non contra iuſtitiam.Quod autem in dubium vertitur id eſt.

QVÆSTIO CXXXI.

An qui ita ſe occultat,peccet mortaliter?

1 MEdina C. de reſtitut. quæſt. 12. & Azor.p. 3. inſtit. mor. lib. 4. c. 15. quæſt. 6. abſolutè affirmant eum mortaliter peccare,quia cum poſſit,& teneatur ex officio prohibere damnum , vel delictum non prohibet,ſed contra charitatem vtitur fraude cum illis, vt liberiùs peccent , quò faciliùs in delicto aliquos deprehendat.

2 Sed verius , ac probablius multo eſt contrarium,quod docent Nauar.c.17. num. 114.& Rebell.p.2.de obliga.lib.2.q. 14. ſect. 8. quorum ſententiam veram eſſe puto in caſu , quo cuſtos non intendat per ſe peccatum, vel damnum proximi , ſed id facit vt meliùs res,quæ ſuæ cuſtodiæ ſubduntur, cuſtodiantur, rariuſque delinquentes peccent dum ſemper timét,ne fortè à latitantibus comprehendantur , nec finit eos inferre damnum notabile in huiuſmodi locis prohibitis ; fas enim eſt iuxta Sotum de ratione tegendi ſecret.m.2.q.2.concl. 4. præbere ea ratione materiam minoris mali ad euitandum maius.Quo genere vtitur Deus Optimus Maximus , cum plura peccata permittit , quo maiora bona indè reſultent.

Idque confirmari poteſt ex facto Heliæ 3.Reg.cap.8. qui prophetas Baal ad ſacrificium idolorum prouocabat , vt tandem populum ad veram Religionem pertraheret.

De non Manifeſtante.

QVÆSTIO CXXXII.

Quid hoc nomine intelligatur?

1 PAlud. in quarto, diſtinctio.15.quæſt. 2.ar. 3. docet nomine non manifeſtantis intelligi Iudicem qui de ea re , de qua cognouit manifeſtare debet ius partium.

2 At cæteri omnes vnanimi conſenſu aliter explicant ſcilicet quod non manifeſtans ſit,qui ratione officij,vel ſtipendij tenetur manifeſtare malefactorem , & non manifeſtat.

Vtrum

QVÆSTIO. CXXXIII.

Vtrum non manifestans maleficium ad restitutionem teneatur?

1 REspondeo eum,qui ex officio, contractu, pacto , vel iuramento facto homini, sine eius periculo tenetur manifestare maleficium, & non manifestat,teneri restituere in solidum. Ratio est , quia cum eo fine accipiat stipendia , vt maleficium manifestet , agit contra iustitiam commutatiuam id non manifestando , & ideo de damno subsecuto tenetur.

Dixi notanter (qui ex officio) quales sunt Principes , Magistratus , & officiales qui ex officio tenentur conseruare iustitiam,aliàs si ex officio non tenetur,peccat quidem mortaliter,cum faciat contra charitatem , non tamen tenetur ad restitutionem. Quidquid Caiet. in summa verb. restitutio , particula non manifestans , contradicat.

2 Hinc,famuli, quibus ex speciali officio incumbit res domesticas custodire , si ob notabilem ipsorum culpam,eorum domini damnum patiantur, obnoxij erunt restitutioni.Imò pro tali custodia stipendium accipiunt,tenentur etiam de leui , quia talis contractus est in vtilitatem vtriusque partis. Secùs autem erit de alijs famulis, quibus ex speciali officio istarum rerum custodia non incumbit, tales enim licèt peccent contra fidelitatem , non impediendo damna dominorum , non tenentur tamen ad restitutionem , quia non peccant contra iustitiam, cuius violatio solùm inducit obligationem restituendi.

3 Hinc , si Titius videat bona sui vicini diripi a latronibus, & sine suo graui damno , posset illos manifestare , si rogetur a parte, an viderit bona sua furari , respondeat amphibologicè , quòd non , etiam-si ex malitia , & maleuolentia id faciat peccat quidem contra charitatem proximo debitam, non tamen tenetur ad restitutionem , si ex aliquo debito seu officio , sibi non incumbebat manifestare. Ratio huius est,quia obligatio restitutionis ex sola violatione iustitiæ oritur.

Hinc , Notarij qui requisiti , non manifestant legata pia,vel alia debita , peccant mortaliter , & ad restitutionem tenentur. Ratio est,quia ex officio eis incumbit manifestare.

QVÆSTIO CXXXIV.

An si testis,qui iuridicè interrogatus,non manifestat eum, qui accepit alienum , vel detinet, teneatur ad restitutionem damni secuti ex tacita veritate?

1 SOtus lib.5.de iust.quæst.7.art.1.Arag. 2.2.quæst.70.ar.1.Val.tom.3.dist.5. qu. 14.p.1.Med.C.de restit. quæst.9. Azor. p. 3. inst.mor. lib.4.ca. 15. quæst. 8. & multi alij dicunt,teneri. Ducunturque hi in eam sententiam , quia per præceptum Iudicis habet pars læsa ius in testem vocatũ, vnde si tacet veritatem , expoliat partem iure suo , nocetque illi cum iniuria ; qui verò nocet cum iniuria , tenetur omnia damna inde secuta restituere. Quod limitant, nisi sciret in confessione,vel in ordine ad confessionem , vel nisi immineret periculum status , vel propriæ personæ , vel rerum, quia tunc ad nullam restitutionem teneretur , vel si ideò tacet veritatem , quia non interrogatur iuridicè, quia tunc non tenetur ex iustitia Iudici respondere , licèt in hoc vltimo casu contra charitatem peccet , si ex occultatione veritatis damnum proximo sequatur.

Ex quo inferunt,custodes nocturnos Ciuitatis,dum interrogati a Iudice, an sciant delictum commissum de nocte,& ipsi sine suo periculo negant , excusando , & cooperiendo criminosos, ad restitutionem totius illius damni teneri.Et idem putant esse dicendum, quando sub pœna excommunicationis tenetur quis manifestare, nam non manifestando præter excommunicationem , quam incurrit,ad restitutionem damni secuti in proximum ex tacita veritate læsum obligatur.

2 Sed verius videtur quod ait Ban. 2.2 quæst.70.ar.1.non teneri:fundamentum huius est,quia testis etiam iuridicè interrogatus non tenetur manifestare eum , qui alienum tulit, nisi ex charitate , vel ex iustitia legali. Probatur , ante mandatum Iudicis non tenebatur nisi solùm ex charitate reddere testimonium , sed mandatum Iudicis solùm inducit obligationem iustitiæ legalis , ergò post mandatum tenetur solùm ex charitate,& ex iustitia legali.

3 Et confirmatur, ſi Rex præciperet in aliqua neceſſitate vrgente Reipublicæ, vt quilibet ciuis proficiſceretur ad bellum, ille qui non proficiſceretur ad bellum, non peccaret contra iuſtitiam commutatiuam, nec etiam teneretur reſtituere damnum, quod ſecutum eſt, ex eo, quòd ipſe non militauit. At Iudex non poteſt ampliùs obligare ad teſtificandum teſtem, quàm Rex ad militandum, ergo.

Obiicies c. Qui cum fure de furtis, vbi habetur quòd ille etiam eſt fur, qui, quærente poſſeſſore, non indicat.

4 Reſpondeo, quòd eſt intelligendum quantùm ad culpã, quæ includitur in peccato contrario charitati, & miſericordiæ: ſicut explicatur etiam illud dictum Ambr. paſce fame morientem, quia ſi non pauiſti, occidiſti: hoc eſt, imputabitur tibi ad culpam mors alterius ſcilicet contra charitatem, non contra iuſtitiam.

QVÆSTIO CXXXV.

An ſi teſtis in iudicio tacent veritatem, teneatur reſtituere pœnam, ad quam condemnaretur Reus, ſi ipſe veritatem dixiſſet loquor de pœna pecuniaria.

1 SOtus li. 1. de iuſtitia, & iure q. 6. art. 6. cõcluſione quarta abſolutè affirmat. Azor. p. 3. inſt. mor. li. 4. c. 15. q. 8. idem aſſerit. quando teſtis ex vi contractus, pacti, vel iuramenti tenetur ad detegendam veritatem.

2 Attamen Nau. c. 25. n. 51. & Salon. 2. 2. qu. 62. art. 7. & q. 70. art. 1. probabilius negant. Ratio huius eſt, quia ſi teſtis ad aliquid teneretur, non teneretur niſi ad eam pœnam ad quam teneretur Reus: Reus autem non teneretur ad pœnam legis, niſi actu condemnetur, etiamſi medius contra iuſtitiam ab illa ſe liberet, ergo nec teſtis.

QVÆSTIO CXXXVI.

Quid ſi teſtis non ſe offert vltrò ad teſtificandum ſed potiùs dolosè ne in teſtem vocetur ſe occultat, aut aliò ſe confert, cum tamen ſciat rei veritatem, & partem læſam graue detrimentum pati ex tacita veritate?

1 REbell. p. 2. de obligat. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 8. docet eum non ſolum mortaliter peccare, ſed etiam ad reſtitutionem teneri.

2 Sed veriùs, ac probabiliùs multo eſt, quod tenent Nau. c. 25. n. 44. Ban. 2. 2. q. 70. 2. 1. & Azor. par. 3. inſt. mor. l. 4. c. 13. q. 2. nempè eum peccare quidem contra charitatem, quia cum poſſet ſine ſuo periculo proximo grauiter indigenti ſuum teſtimonium denegat, non tamen obligari ad reſtitutionẽ, quia vt diximus teſtis etiam iuridicè interrogatus non tenetur ex iuſtitia commutatiua manifeſtare veritatem. Sed ſolùm ex charitate, vel ex iuſtitia legali.

QVÆSTIO CXXXVII.

An Reus legitimè rogatus à Iudice, verbi gratia, hæreticus, aut Reus læſæ Maieſtatis negat delictum, & ob id non condemnatur ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur, ſi eſſet ſuum crimen confeſſus, pœnam illam reſtituere teneatur?

1 SOtus lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6. & Alph. de Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. 8. & 9. putant eum obligari, & probant, quia Reus legitimè in iudicio rogatus, tenetur ex iuſtitia dicere veritatem, ergo ſi eam denegat, peccat contra iuſtitiam, & per conſequens ad reſtitutionem damni ſubſecuti tenetur.

2 Mihi verò contraria ſententia longè verior cum aliis videtur, ſcilicet Reum qui legitimè interrogatus à Iudice negat veritatem, non teneri compenſare pœnam, ad quam teneretur, ſi confeſſus fuiſſet. Et ratio eſt, quia nemo tenetur ſoluere pœnam ante Iudicis ſententiam, vt docet D. Thom. & cum eo Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3. quia aduerſatur iuri naturali, quòd idẽ homo ſit agens, & accuſator, & proditor ſui ipſius. Secùs verò ſi poſt latam ſententiam, dum confiſcantur eius bona, aliqua occultaret, quia in hoc caſu peccaret peccato furti, cum poſt condemnationem criminis fiſcus habeat ius acquiſitum ad bona illius. Ita Nauar. cap. 18. num. 49. & cap. 23. num. 66. Arag. 2. 2. quæſt. 62. art. 3. Sylueſt. verb. hæreſis 1. quæſt. 8. & Ban. 2. 2. quæſt. 62. art. 2.

QVÆSTIO CXXXVIII.

An famulus deputatus ad custodiendam domum, ne quis noctu intret, exiens, teneatur ad restitutionem si quispiam ex conseruis eueat ad diripienda bona extraneorum?

1 MAg. Sotus lib. 4. de iustitia quæst. 7. art. 3. affirmat.

2 Mihi sanè non placet hæc sententia, sed opposita, quam tenet Arag. 2. 2. q. 62. art. 7. moueor autem ex eo quòd illud officium non obligat eum ex iustitia in ordine ad extraneos, sed tantùm in ordine ad suum dominum, & domesticos illius.

QVÆSTIO CXXXIX.

An famulus, qui videt alterum conseruum aliqua furari, teneatur furem detegere ei à quo rem accepit?

1 AD hoc dico primò, quòd si est spes emendationis, non licet statim furem denuntiare domino, sed tenetur illum secretò admonere, vt restituat, alias peccaret contra fraternam charitatem, proximum suum iniustè infamando.

2 Secundò dico, quod si ex secreta admonitione nulla apparet spes emendationis, & damnum est notabile, & nō aliter, quàm indicando, vitari potest, tunc tenetur famulus sub reatu mortali illum manifestare domino, qui potest prodesse, & non obesse, idest qui potest debitum recuperare sine magno furis damno, & eius infamatione. Et ratio est, quia lege charitatis tenemur potiùs euitare damnum innocentis, quàm damnum nocentis.

QVÆSTIO CXL.

An verò ex officio, atque adeò ex iustitia ad id teneatur, non conuenit inter Doctores, sunt enim qui aiunt, alij verò negant?

1 EGgo igitur, vt rem paucis absoluam, quatenùs ad rem nostram pertinet, dico sic, si fur, qui bona domini inuadit est extraneus, tunc vnusquisque famulus ex officio famulatus, ac proinde ex iustitia tenetur custodire domum, ne extranei illam inuadant. Quòd si negligat, omnia damna ex negligentia, vel taciturnitate eius domino illata restituere tenetur, iuxta illud Hieronym. super lib. Prou. c. 29. Non fur solùm, sed ille reus tenetur, qui furti conscius quærenti possessori non indicat. Si verò fur est domesticus, id est vnus de cōseruis, non tenetur famulus lege iustitiæ illum prodere, nisi famulus talis sit, v. g. magister domus, aut alius cui ex officio custodia domus, aut rerum incumbit, quia tunc ex officio, & lege iustitiæ tam ab externis, quam ab internis tenetur bona domini illæsa custodire. Do exemplum. Præpositus cellæ vinariæ, vinum secretè surripit, vidente eo, qui curam gerit de vestibus, & quia huic non incumbit custodia vini negligit hoc Domino pandere, sed dicit, mihi sufficit furtum non approbare, de cætero nolo parare maleuolos in domo, hic talis nisi excuset modicitas materiæ, vel periculum vitæ, aut honoris, vel status peccat mortaliter, non tamen tenetur ad restitutionem, quia non contra iustitiam peccat, sed contra charitatem.

QVÆSTIO CXLI.

Quid? si Titius emit bona fide equum à fure, & eâdem bonâ fide retinet, & Caius sciat esse equum Antonij, An teneatur Antonio reuelare?

1 REspondeo, quamuis post secretam admonitionem simpliciter, & ex natura rei tutius sit domino reuelare, vt Antonius equum suum recuperet: si tamen negligit hoc domino pandere, ad nullam restitutionem tenetur, quia non obligatur ex officio crimen detegere.

QVÆSTIO CXLII.

Sed Quid? si excommunicatio feratur contra eos, qui sciunt, quis fecit tale furtum, vt reuelent?

1 AD hoc dico primò, quòd si excommunicatio fulminatur per modum denuntiationis id est, vt qui scit, veniat ad denuntiandum, tunc qui scit, tenetur priùs admonere furem, vt restituat, qui si restituit, non tenetur denuntiare, si autem non vult restituere, & qui scit potest probare delictum, & tamen negligit reuelare, incidit in excommunicationem. Nau. c. 17. n. 134.

2 Secundò dico, quòd si excommunicatio fulminatur per modum testificationis, id est, vt qui scit, veniat ad testificandum, si adsint indicia probabilia, seu infamia, aut

semi

ſemiplena probatio, hoc eſt, vnus teſtis omni exceptione maior, id eſt integer, tunc ſciens tenetur teſtificari, & dicere veritatem, quamuis non fecerit correctionem fraternam, nec poſſit delictum probare, vt recte docet Nau.c.17.n.134. ad nullam tamen reſtitutionem tenetur, ſi ob tacitam veritatem Dominus dammificatur. Et ratio eſt, quia qui ſcit non tenetur ex iuſtitia commutatiua reſpondere Iudici etiam iudicè interroganti, ſed ſolùm ex charitate, vel ex iuſtitia legali, cuius violatio nullam obligationem reſtituendi inducit. Ban. 2.2.q.70.art.1.

QVÆSTIO CXLIII.

An omnes iſti ſcilicet tacens, non obſtans, non manifeſtans, teneantur in ſolidum?

1 REſpondeo teneri. Et ratio eſt, quia ſinguli eorum ſunt cauſa, ſine qua non, totius damni, quod ſufficit in cauſa permiſſiua. Ita Leſſ.lib.2.de iuſt.c.13.dub.11.

QVÆSTIO CXLIV.

Vtrùm inter has cauſas ſit aliquis ordo?

1 QVæſtio eſt, cuius meminit Pet. Nauar.lib.3.de reſtit.num.148. reſpondendum eſt ergò iuxta mentem eius affirmatiuè, nam primo loco tenetur non obſtans, vt Princeps, Magiſtratus, & alij iuſtitiæ officiales, qui ex iuſtitia damna ciuium propulſare tenentur. Secundò loco non manifeſtans. Tertiò, tacens ceu non reprehendens.

Hinc, ſi committatur delictum in domo Titij, præſente Principe, & non obuiante, & ſimiliter præſente eo qui præeſt cuſtodiæ domus, & non proclamante, ſi Princeps ſoluit totum, liber eſt cuſtos, nec tenetur Principi ſuam partem contribuere, cum reſpectu illius ſit cauſa minus Principalis.

2 Oppoſitum tamen huius tenet Leſſ.lib.2.de iuſt.cap.13. dub.11. vbi ait, Cuſtodem prius teneri ad reſtitutionem, quàm Principem, qui eſt cuſtos vniuerſalis, quia hic adhibetur, vt illius defectum ſuppleat, eiuſque negligentia eſt cauſa propinquior damni, quàm negligentia Principis. Quod eſt probabile.

3 Eſt autem notandum, quod hi omnes ſuprà dicti, qui negatiuè, & minus principaliter ſunt cauſa damni, non tenentur illud reſtituere, niſi in defectum eorum, qui poſitiuè illud damnum dederunt: vnde ſi illi alij reſtituant, cuſtodes reſtituere non tenentur: ſi verò cuſtodes in illorum defectũ illud reſtituant, cauſæ principales reſtituere cuſtodibus tenentur quod loco illorum reſtituerint. Et ratio eſt, quia ſicut cauſa poſitiua eſt potior, magiſque influit in effectum, quam negatiua, ita etiam priorem locum obtinet in reſtituendo.

4 Tum quia cauſa poſitiua animat aliquo modo malefactorem, cauſa autem negatiua minimè, ſed ſolùm non impedit. Quòd ſi contingeret tranſgreſſorem attenta ſuperiorum, vel cuſtodium præterita negligentia animari, tunc cauſa negatiua ad inſtar cauſæ poſitiuæ, & cum poſitiuis, & non poſt illas ad reſtitutionem teneretur. Si verò plures negatiuè concurrant, quilibet in ſolidum tenebitur, altero deficiente, alius, vel omnes ſimul contribuendo pro rata, & æqua portione, ſi ſint plures in cauſando, vel ei qui primò ſoluit. Leſſ.lib.2.de iuſt. c.13.dub.12.

QVÆSTIO CXLV.

An omnes iſti, quibus ex officio, & ratione mercedis, vel pacti iuſti aut iuramenti incumbit impedire damnum proximi, teneantur de leuiſſima culpa, vel leui, aut lata?

1 ADrian. in quarto, tractat. de reſtitutio. eos obligat de leuiſſima culpa.

2 At concors eſt omnium Theologorum opinio, eos ſolùm teneri de leui culpa. Ratio eſt, quia omnes iſti munus ſuſcipiunt in vtilitatem vtriuſque partis, ergo tenebuntur ad reſtitutionem, ſicut infra dicemus de conductore. Ban. 2.2.q.62.ar.7. & alij.

Quid ſit reſtituendum.

QVÆSTIO CXLVI.

Quidnam ſit reſtituendum?

1 REſpondeo omne alienum, ſi extet, ipſum in ſpecie eſſe reſtituendum, quia illius rei Dominium non eſt à Domino tranſlatum: niſi Dominus velit eſſe alia

re contentus. Si autem non potest, pretium, vel æstimationem eius: quod contingit in tribus casibus.

Primò, quando res consumpta est, vel alienata, quia tunc restitutio debet fieri in pecunia, aut æquivalenti.

Secundò, quando res est deterior effecta, quia tunc tenetur ad valorem, vel rem cum valore supplente defectum, restituere, pro vt Dominus elegerit.

2 Tertiò, & vltimò, quando sine notabili iactura in suis bonis externis, aut in suo honore, aut fama, non potest res aliena eadem numero restitui, quia tunc satis est æquivalens restituere. Vnde si res restitutione facta à debitore sequeretur aliquod maius incommodum, quam sit retentio ipsa, tunc restitutio debet fieri per confessarium, dummodò persona restitutioni obnoxia in notitiam non veniat, quia vt dixi, si adest periculum maioris mali, debet secretò restituere æquivalens.

Illud tamen hoc loco est aduertendum, quòd si confessarius, vel alia quælibet persona non restitueret, debitor ab obligatione restitutionis non esset immunis. Vnde optimum consilium erit, vt confessarius diploma à creditore accipiat, in quo confiteatur se accepisse tantùm pro solutione eius, quod sibi debebatur à tacita persona, quæ tenetur restituere, & illud pœnitenti tradat.

QVÆSTIO CXLVII.

An fur teneatur resarcire damna, quæ passus est Dominus ob rem sibi contra iustitiam ablatam, & retentam?

1 REspondeo teneri. Ratio est, quia eorum fuit causa efficax, verbi gratia, furatus sum pecuniam a mercatore, qui tenebat eam expositam negotiationi, vel ad reficiendam domum minantem ruinam, & ob id cessauit lucrari, vel domus eius corruit, aut compulsus, fuit, vt suæ necessitati subueniret, pecuniam sub vsuris accipere, teneor in conscientia huiusmodi damna resarcire.

QVÆSTIO CXLVIII.

An iniustus rei alienæ detentor teneatur restituere impensas, quas furtum passus, fecit in quærenda re sibi furto ablatâ?

1 REspondeo teneri, dummodò non sint excessiuæ, sed tales, quales vir prudens in simili negotio facere debuisset. Ratio est, quia earum fuit causa efficax.

QVÆSTIO CXLIX.

An qui bona fide possidet rem alienam, restituere tenetur fructus perceptos?

NOtandum, nomine fructuum, hoc loco intelligi, qui colliguntur ex re fructifera, vt ex prædiis, domo &c. deductis iustis expensis requisitis ad rem conseruandam, vel ad colligendos, vel conseruandos ipsos fructus, & deducta etiam iusta æstimatione laboris in fructibus colligendis, & in rei cura. Quo posito,

1 Primò dico, quod possessor bonæ fidei naturales fructus, si extant restituere Domino tenetur. Ratio est, quia si fructus extant, Domini sunt, non possessoris, res enim suo Domino fructificat; quare sicut rem suam Dominus iure potest petere, sic etiam fructus extantes, quia comitantur rem, cuius sunt fructus.

Secundò dico, quòd possessor bonæ fidei, non tenetur restituere fructus, quos consumpsit bona fide, & in nullo factus est ditior. Ratio est, quia hic nec rem habet, nec dolo desit possidere, nec aliquid ex eis nunc habet. Vnde si absque culpa rem, vel fructus suos amisit, restitutionis reus non est. Quòd si in aliquo factus est ditior, ratio dictat, vt id restituat, quia in eo adhuc tanquam in effectu, sine fructu, res manet.

2 Tertiò dico, quòd possessor bonæ fidei tenetur restituere etiam fructus industriales, si extant, cum hoc tamen, vt possessor bonæ fidei detrahat tantundem, quantum industria, & cultura meretur, consumptos verò restituere nullo iure compellitur, quia eos fecit suos, nisi indè ex eis factus sit ditior, quia tunc id tenetur restituere.

Quartò, & vltimò dico, quòd si possessor bonæ

Digitized by Google

bonæ fidei ſpatio triennij fructus ſiue naturales, ſiue induſtriales bona fide poſſidet, eorum plenum, & irreuocabile dominium acquirit. Ratio eſt, quia vt cæteræ res mobiles, ita etiam fructus continuo triennio vſucapiuntur, vt habetur in l. ſequitur §. fructus. ff. de vſucap.

QVÆSTIO CXLIX.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus rei alienæ?

1 AD hoc dico primò, quòd poſſeſſor malæ fidei tenetur ad reſtituēdum omnes fructus perceptos ex re aliena, tam extantes, quàm conſumptos, vt habetur definitum in l. certum eſt. Cod. de rei vindic.

2 Secundò dico, quòd poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere omnes fructus, quos Dominus percepiſſet, ſi poſſediſſet, adhibita ab eo non ſolùm communi hominum cura, & diligentia, ſed etiam ſingulari, quantumuis poſſeſſor hos fructus non perceperit incuria ſua, vt habetur in l. Si nauis. ff. de rei vindicat. §. generaliter. Quorum omnium ea eſt ratio: quia in his omnibus fructibus fur, vel poſſeſſor malæ fidei damnum fecit Domino. Ita Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 6. n. 3.

QVÆSTIO CL.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus perceptos, qui apud ipſum abſque vlla ſua culpa perierunt caſu quo periiſſent quoque apud Dominum?

1 COuar. in Reg. peccatum p. 2. §. 6. nu. 3. negat.

2 Alij verò affirmant, & merito quidem, quia eo ipſo quòd iniuſtè rei alienæ detentor fructus percepit, fuerunt domino debiti, ergò iniuſtè eos retinuit, & fuit in mora reſtituendi: ei autem qui eſt in mora, etiam caſus fortuitus imputatur vt habetur in cap. decimæ 16. quæſt. 1. quare & ſi apud ipſum caſu perierint, debet eorum valorem rependere.

QVÆSTIO CLI.

An qui mala fide alienum torquem detinuit, & ſæpiùs locauit, teneatur in conſcientia reſtituere Domino penſiones quas in eius locatione percepit?

1 NAuar. c. 17. nu. 25. negat, ductus ea ratione, quia putat huiuſmodi penſiones eſſe fructus induſtriæ.

2 Contrarium tamen arbitror eſſe dicendum, quoniam ſecundùm leges penſiones ex locatione rei perceptæ, nomine fructuum rei connumerantur: quia in eis plus operatur natura rei, quam induſtria hominis. Et idem dic de penſionibus perceptis ex vectura nauium, vel iumentorum &c.

QVÆSTIO CLII.

Quid? ſi Dominus nunquam fuiſſet torquem locaturus, teneatur tunc iniuſtus rei detentor reſtituere fructus, quos percepit?

1 RESpondeo teneri. Et ratio eſt, quia ſatis eſt, ſi percipere potuiſſet, habita ratione communis hominum induſtriæ, & diligentiæ.

QVÆSTIO CLIII.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus, quos ex re aliena potuiſſet percipere, ſed incuria ſua non percepit?

1 RESpondeo teneri, in caſu quo Dominus erat percepturus, vel percipere potuiſſet, communi diligētia adhibita, quia in illis etiam damnum intulit Domino.

QVÆSTIO CLIV.

Sed quid ſi Dominus eius ſua quoque negligentia nullos fructus erat percepturus?

1 COuar. in Reg. peccatum p. 1. §. 6. nu. 3. negat aliquid tunc Domino eſſe reſtituendum, quia nec ratione rei acceptæ, cum nullos acceperit fructus, nec ratione iniuſtæ acceptionis, quia vt ſupponimus nihil ex re accepit.

2 Alij verò Doctores non minoris nominis docent, debere poſſeſſorem malæ fidei

reddere æſtimationem fructuum, qui communi diligentia hominum percipi potuiſſent. Azor.p.3.inſt.mor.lib.4.c.4.

QVÆSTIO CLV.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus, quos Dominus ex turpi vſu rei ſuæ percipere potuiſſet?

1 Respondeo non teneri. Ratio eſt, quia huiuſmodi fructus potiùs ex culpa hominis proueniunt, quàm ex reipſa, vt habetur in l. fructus 1. ff. de rei vindic.

QVÆSTIO CLVI.

An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus, quos ſola ſua induſtria ex re aliena acquiſiuit? v.g. ex pecunia furtiua, ludo expoſita lucram ſibi acquiſiuit?

1 Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia non ſunt fructus rei, ſed ſolius induſtriæ.

QVÆSTIO CLVII.

An poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei poſſit deducere expenſas quas fecit in re aliena?

1 Notandum, quod nomine impenſarum intelliguntur omnes ſumptus, quos fecit poſſeſſor in re aliena, quam poſſidet: & ſunt triplices, neceſſariæ, vtiles, & voluptuariæ, ſeu voluntariæ.

Neceſſariæ ſunt, quæ ſi factæ non fuiſſent, res periiſſet, vel in deterius abiiſſet. Vt cum quis ædificium refecit, quod minabatur ruinam, vel iumenta pauit &c.

Vtiles ſunt, quæ meliorem rem faciunt, & deteriorem eſſe non ſinunt. Vt cum quis domui alienæ puteum, ciſternam, cubiculum, vel tabernam adiunxit, vel ſeruum alienum artificium docuit.

2 Voluptuariæ verò ſunt, quæ tantùm cauſa ornatus, & voluptatis fiunt. Vt ſunt viridaria, horti, picturæ, balnea &c. Quo poſito.

Primò dico, quòd poſſeſſor bonæ fidei tuta conſcientia poteſt repetere, & ſibi retinere omnes expenſas, non ſolùm neceſſarias, verum etiam vtiles, atque voluptuarias, vt habetur in l. ſi à Domino, vel à patre §. Fructus. ff. de petit. hæred. l. planè, & l. vtiles ff. de petit. hæred.

3 Secundò dico, quòd poſſeſſor malæ fidei poteſt in vtroque foro deducere, & retinere omnes expenſas neceſſarias, quas fecit gratia quærendorum, colligendorum, & conſeruandorum fructuum rei alienæ. Ratio eſt, quia omnes has expenſas facturus erat Dominus ipſius rei, ſi ergò alius fecit, poteſt illas deducere, vt habetur in l. ſi a Domino, vel à patre §. fructus ff. de petit. hæred.

Tertiò dico, quòd malæ fidei poſſeſſor in foro conſcientiæ poteſt deducere, & ſibi retinere impenſas vtiles, ex quibus res facta eſt maioris æſtimationis, vt habetur in l. planè ff. de petit. hæred. Quod tamen intelligitur quando res aliena, non ipſi poſſeſſori malæ fidei, ſed ipſi Domino facta eſt vtilior, vel maioris pretij.

4 Quartò, & vltimò dico, quòd malæ fidei poſſeſſor poteſt tuta conſcientia deducere impenſas voluntarias, ſi poteſt commodè abſque vllo rei alienæ detrimento, quia rei Dominum minimè lædit, & ſolùm quod ſuum eſt, ſumit, quamuis in foro exteriori nequit eas repetere. Ita Couar. in Reg. peccatum p.2.§.6.num.3.

Hinc, ſi Titius aureum ſurripuit, & ex eo confecit annulum, cui adamantem affixit, poterit tuta conſcientia ſibi adamantem reſeruare.

QVÆSTIO CLVIII.

An ſi Titius mutuauit Caio centum aureos hac conditione vt Caius teneretur illos infra ſpatium vnius anni reſtituere, Titius autem intra id tempus incidit in magnam neceſſitatem ex ſolum ratione quia non habuit ſuam pecuniam, teneatur Caius hoc damnum Titio reſtituere?

1 Respondeo non teneri. Ratio eſt, quia Caius nullam iniuriam intulit Titio, cum ipſe volens, & ſciens gratis mutuauerit per totum illud tempus.

Tum quia Caius non accepit prædictam pecuniam cum illo onere. Aragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 4.

QVÆ

Digitized by Google

QVÆSTIO CLIX.

An qui accepit ab alio, mutuo mille ducatos ſoluendos intra annum, quos tamen ex iuſta cauſa non ſoluit, nempe quia non potuit, teneatur in conſcientia reſtituere damnum, quod mutuans ob dilationem ſolutionis incurrit?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi mutuatarius non ſoluit pecuniam mutuatam tempore conuento, quia ſimpliciter non habet, nec habere poteſt, vnde ſoluat, tunc ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio huius eſt, quia contra rationem eſt, vt qui fecit totum, quod potuit pro ſolutione eius, quod debet, ad aliquid aliud præter pecuniam mutuatam obligetur. Ita Arag. 2.2.q.62.ar.4.

2 Secundò dico, quòd ſi mutuatarius non ſoluit pecuniam, quam debet tempore præfixo, non quia ſimpliciter non poteſt, ſed quia non poteſt ſine magno ſuo detrimento. Vt ſi v.g. non poſſet illam reddere, niſi intempeſtiuè vendat domum minoris, quam valet, & tamen poſt tempus decretum ſoluere poterit totum, quod debet abſque vllo damno, & tunc certum eſt, quòd tenetur de damno, quod ſequitur mutuanti ob dilationem ſolutionis, nulli enim fas eſt ſeruare ſe indemnem cum damno alterius. Vnde ſi vult retinere domum, tenetur ad damnum, quod per hoc infert mutuanti: Ita Arag. 2.2.q.62.ar.4.

Quantum eſt reſtituendum.

QVÆSTIO CLX.

Quantum eſt reſtituendum?

1 RESpondeo tantum, quantum ſatis eſt ad æqualitatem, vel debiti vel damni dati compenſandam, ita vt ſi quantitas debiti vel damni eſt certa, tantundem eſt reſtituendum; ſi verò eſt incerta, tantum reſtitui debet, quantum vir prudens penſatis omnibus circunſtantiis rei, loci, temporis, & perſonæ iudicabit. Ratio eſt, quia reſtitutio requirit, vt inæqualitas ad æqualitatem reducatur: at reſtituendo id quod à Domino ablatum eſt, & damnum illatum, reducitur inæqualitas omnis ad æqualitatem ergo &c. D Th. 2.2.q.62.art.3. & 4. Sot. lib.4.q.6.art.4.& 5. Valent. tom.3. d.5.q.6.p.6. Arag. 2.2.q.62.art.3. Nauar.c.17. num. 27. & alij.

QVÆSTIO CLXI.

An qui nocet proximo in re, quæ adhuc eſt in ſpe, teneatur ad reſtituendum valorem illius, perinde ac ſi eſſet in re? v.g. qui conculcat ſegetes in herba, teneaturne reſtituere pretium, quo valent tempore conculcationis, an verò pretium quo valerent, ſi peruenirent ad meſſem?

1 SOtus lib.4.de iuſt.q.6.a.5. & Arag. 2.2.q.62.art.2. dicunt, quòd ſi ex animo nocendi, & conſulto damnum dedit in integrum reſtituere tenetur, ſin autem caſu, & non ex intentione nocendi arbitrio boni viri.

2 At Greg. de Valent. tom.3.d.5.q.6.p.6. Leſſ. lib.2.de reſt.cap.12. dub.19.& Lop. p. p.inſt.conf.cap.102. abſolutè tenent in hoc caſu faciendam eſſe non æqualem reſtitutionem, ſed aliquam prout ſapiens arbitrabitur, ſi non planè certò res ſperatur, & poterat modo aliquo, vel aliquibus impediri. Pro quo,

Primò dico, quòd qui omnino inuoluntariè, & ſine culpa damnum dedit, nihil in conſcientia tenetur reſtituere. Ratio eſt, quia vbi nulla eſt culpa in nocendo, nulla eſt reſtitutionis obligatio, pro vt eſt definitum in cap. Si ſua culpa de iniuriis, & damno dato. Vbi ſummus Pontifex requirit aliquam culpam in eo qui tenetur ad reſtituendum damnum illatum.

3 Secundò dico, quòd qui conſultò per iniuriam, vel indirectè dans operam rei illicitæ, vel non adhibens diligentiam debitam dedit damnum proximo, tenetur ad aliquid reſtituendum, non quantùm res illa, in qua nocuit, valeret, ſi ad perfectionē peruenirſet, ſed quantùm iudicaretur valere tempore quo illatum eſt damnum, v.g. occidit quis directè, vel indirectè infantem ſeruum, nō tenetur reſtituere pretium, quo valeret in ætate perfecta, ſed quantùm æſtimaretur tempore occiſionis. Item qui occidit pullum equinum valentem decem, non tenetur reſtituere centum, quo erat valor illius, ſi ad perfectam ætatem peruenirſet, ſed decem, quo valet tempore occiſionis.

Digitized by Google

4 Tertiò & vlt. dico, quòd qui consultò per iniuriam, vel per negligentiam domino damnum dedit in eo quod nó est in re, sed solùm in spe habet suam perfectionem, vt si quis v.g. segetes agri alterius conculcet, tenetur in integrum restituere, quantùm segetes illæ, in quibus nocuit, valerent tempore messis, si vsque ad illud tempus peruenissent, deductis tamen expensis, quæ faciendæ erant in illis, quousque ad actum peruenissent. Et ratio est, quia valor mercium magis sumitur ex communi hominum æstimatione, & consuetudine, quam ex rebus ipsis, vt Salon. 2.2.q.62.ar.4.& Ban. ibid. optimè annotarunt; hæc autem communis consuetudo est, vt animalia vendantur pretio, quo æstimantur in præsenti: segetes autem iuxta valorem, quem habebunt tempore messis, deductis expensis faciendis in illis.

Cui facienda est restitutio.

QVÆSTIO CLXII.

Cui facienda sit restitutio?

1 REspondeo, quòd simpliciter, ac regulariter loquendo restitutio facienda est Domino rei. Ratio est, quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, per quam constituitur æqualitas inter eos, qui inæqualia habent: hæc autem inæqualitas constitui non potest, nisi res ablata restituatur illi, à quo ablata est, ille enim est, qui minùs habet de suo, & de eo, quam habere debet, illi ergo & non alteri communiter facienda est restitutio.

Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus non tenetur quis restituere rem ablatam vero Domino.

2 Primus est, quando is, à quo res fuit ablata, non est Dominus, est tamen iustus possessor illius rei, vt commodatarius, depositarius, pignoris creditor, conductor rei, locator, curator, tutor, dispensator, procurator, custos, thesaurarius, vestis fingendæ sartor, vestis lauandæ lotor &c. hi enim omnes licèt non sint Domini rei, habent tamen ius ad rem retinendam, & custodiendam.

3 Hinc, qui à supradictis aliquid aufert, & Domino reddit, non solùm peccat mortaliter contra charitatem proximo debitam, verum etiam contra iustitiam. Ratio huius est, quia cum isti licitè rem illam possideant, & ea vtantur, iniuriam eis facit, qui rem illam eis aufert, dum iniustè eos possessione, & vsu rei priuet: & sic tenetur restituere eis omnia damna etiam lucri cessantis, eis ex tali iniusta rei ablatione, ac detentione subsecura: inter quæ computa expensas, quas isti in ea re inuestiganda fecerunt. Molina tom. 3. de iustit. disp. 741.

4 Hinc, si depositarius, vel commodatarius pecunia sibi deposita, vel commodata, erat absque Domini detrimento negotiaturus, & ex ea centum lucraturus, tunc qui ab eis talem pecuniam surriperet, teneretur depositario, vel commodatario, & pecuniam depositam, vel commodatam, & centum aureos quod est interesse lucri cessantis restituere, & non Domino, quia Dominus negotiaturus non erat. Ita Petr. Nauar. lib. 4. de rest. num. 5. & Med. C. de rest. q. 1. dub. 2.

Secundus, quando Dominus rei ex hac vita migrauit, tunc enim est restituenda res hæredi, qui dominium repræsentat.

5 Tertius, quando post factam moralem, & competentem diligentiam, ignoratur Dominus cui facienda est restitutio, tunc enim res debet distribui pauperibus pro salute Domini.

Quartus, quando res est ablata à pupillo, vel minore, qui est sub tutore, vel Curatore, tunc enim est restituenda non pupillo, vel Minori, qui est Dominus rei, sed tutori, vel Curatori, qui habet curam, & administrationem bonorum pupilli, vel minoris, sine cuius consensu bona illa alienari non possunt.

6 Quintus, quando sunt ablata aliqua in bello iusto, nam cum hæc iure gentium fiant capientium, non sunt restituenda dominis, à quibus fuerunt ablata, quia ipsorum dominium amiserunt. Idem dicendum est, si edicto aliquo Iudicis sæcularis, vel Ecclesiastici, ille à quo bona ablata sunt, priuaretur iure habendi, possidendi, & hæreditandi huiusmodi bona, vt solet fieri in crimine hæresis, & læsæ Maiestatis, tunc enim bona ablata, essent fisco, & non Domino spoliato restituenda.

7 Sextus, quando restitutio grauiter noceret ei, cui debet fieri, vt furioso esset restituendus suus gladius, cum periculo

ne

Digitized by Google

ne se, vel alium occidat, vel si pecunia esset restituenda ei, quem scimus vsurum esse ad fornicandum, Ratio huius est, quia restitutio non ad perniciem, sed ad vtilitatem domini rei ablatæ, vel detentæ facienda est, saluo nimirum ordine etiam charitatis erga illum, Vndè in tali casu teneretur differre solutionem debiti vsque ad congruum tempus, quo cessabit periculum damni, & interim res aliena deponi debet apud aliquem fideliter restituenda.

8 Septimus, quandò dominus rei scitur, sed est ita absens, vt ei commodè fieri restitutio non possit, quia tunc non ipsa facienda est restitutio, sed expectandum: & si nulla est spes quòd sit rediturus debet fieri Christo, qui est hæres vniuersorum, quia tunc perinde est, ac si dominus esset incertus.

Octauus, & vltimus casus est, quando absque magno suo detrimento, vel periculo mortis, vel alterius grauis damni non potest quis restituere vero domino, quia tunc satis est restituere ei, à quo abstulit, quia esset inæqualitas ad tantum damnum illum obligare, vt compensaret proximo, multò minus damnum.

QVÆSTIO CLXIII.

An qui accipit aliquid ab eis, qui sui iuris non sunt, teneatur eisdem restituere?

1 REspondeo, non teneri, sed potiùs ijs qui curam ipsorum habent. v. g. si rapuit aliquid à seruo, famulo, filio familias, vel minori, Monacho, vel ab vxore. quod erat domini, patris, Tutoris, Prælati, viri, non ipsis, sed dominis, aut patrifamilias, Tutori, seu monasterio, aut viro debet restituere. Verum est tamen, quod in foro animæ potest restitui filio, Monacho, ac minori &c. in casu quo malè vsuri non præsumuntur, & res est parui valoris; vel estò sit res ponderis, creduntur tamen in vtilitatem Patris, Monasterij, & cæterorum eam rem insumpturi. Secùs verò si rem à se restituendam in vsus profanos consumpturi forent. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 11. sect. 2.

2 Si tamen dicta restitutio de facto fieret Monacho, vel filio familias, vel aliis dissipantibus, non habentibus liberam bonorum administrationem, valida esset in conscientia. Ratio est, quia satis est, quòd rem reponat in pristino statu.

QVÆSTIO CLXIV.

An sit peccatum reddere debitum vero domino, quando in sui, vel alterius perniciem illud petit?

1 AD hoc dico primò, quòd non est peccatum reddere debitum vero domino petenti, vt sibi, vel alteri priuato damnum spirituale, vel temporale inferat, quando ex dilata solutione, simile, vel grauius damnum ipsi debitori imminet, quia creditor ei minatur mortem, nisi reddat ei debitum. Et ratio est quia in tali casu damnum illud, quod sequitur ex restitutione debiti nullo modo est ei voluntarium, quia qui debitum illud soluit, non intendit dànum alterius, nec tenetur cum tanto suo incommodo alterius damnum euitare in pari enim casu tenetur quis sibi pòtiùs, quam alteri consulere.

Dixi notanter (priuato) quia si malum quod imminet ex subita solutione sit alicuius personæ publicæ, à qua bonum totius Reipublicæ dependet, tunc quouis damno, & periculo debitoris differenda est restitutio, quia bonum commune cuique priuato iuri est præferendum.

2 Secundò, dico, quòd si ex præcepto Iudicis debitor constringitur reddere debitum domino, qui illud petit, vt sibi, vel alteri noceat, non est peccatum tunc reddere debitum, si Iudex certior factus de animo creditoris, id præcipiat. Ratio est, quia in tali euentu, damnum, quod ex solutione debiti sequitur Iudici, non reddenti imputabitur.

3 Tertiò dico, quod si dominus petit suum debitum, vt cum meretricibus, ac malis hominibus prodigat, & ex retentione debiti nullum sequitur inconueniens, peccatum est mortale, tunc reddere debitum. Ratio est, quia lege charitatis vnusquisque proximũ suum sicut seipsum diligere tenetur iuxta illud Eccl. 17. vnicuique mandauit Dominus de proximo suo. Et Prou. 24. erue eos qui ducuntur ad mortem.

Et confirmatur ratio ob quam debitor tenetur statim restituere, ea est quia eius dilatio est in detrimentum domini,

At in casu nostro si restitutio statim fieret potiùs est in damnum eius, vel alterius, ergò non est statim facienda, sed expectandum tempus opportunum; cessante siquidem causa restitutionis, cessare & restitutio debet,

4 Dices, Parochus tenetur subdito petenti in Paschate Eucharistiam ministrare, quamuis sciat eum esse in peccato mortali occulto, quia subditus ius habet ad eam, etsi petendo peccet. ergò tenetur debitor soluere debitum petenti ob malum finem.

Respondeo, simpliciter loquendo, iste subditus non habet ius petendi Eucharistiam sed habet ius ne a Parocho infametur, aut ne confessio eius reueletur, quòd ex publica Eucharistiæ denegatione sequeretur.

5 Quartò dico, quòd si dominus petit suum debitum, vt sibi, vel alteri damnum corporale, vel temporale inferat v.g. vt se, vel alterum occidat, mutilet, aut aliis in bonis externis noceat, & debitor sine suo graui damno potest debitũ detinere, & si nõ detinet, sed reddit peccat mortaliter. Et ratio est, quia reddendo cooperatur peccato proximi, ergò peccat mortaliter.

6 Tum quia bonorum corporis, scilicet vitæ & salutis homo non est dominus, ac proinde cum illa periclitantur, vnusquisq; tenetur impedire, etiam renuente ipso creditore, quia in hoc casu non est inuitus rationabiliter. Vnde si velis teipsum, vel alium occidere, aut mutilare, teneor si absque meo detrimento id possum, te ligare, & in vincula, si opus fuerit conicere.

7 Quintò dico, quòd si dominus petit pecuniam ad solicitandam puellam non paratam, & dilata solutione per aliquod temporis spatium, non fiet talis puellæ solicitatio, tunc reddere talem pecuniam, peccatum est mortale. Probatur ex illo testimonio Ecclesiast. 17. vnicuique mandauit dominus de proximo suo, sed in hoc casu debitor potest absque suo graui incommodo euitare scandalum proximi, ergò lege charitatis tenetur illud euitare, retinendo debitum, quandoquidem ex hoc efficaciter impeditur scandalum.

Sextò, & vltimò dico, quod quando dominus iuridicè, vel quasi iuridicè idest importunè petit pecuniã alteri accommodatam, vt cũ meretricibus prodigat, ludat, aut alio modo citra alterius iniuriam expẽdat, non licet mihi pecuniam illius detinere, sed teneor restituere. Ratio est, quia dominus petendo suam pecuniam in hoc casu vtitur iure suo; vtenti autem iure suo, res sua restituenda erit. Vnde si pergis fornicari, non possum absque iniuria te ligare, aut aliquam vim inferre, ne pergas ad fornicandum, sed solùm possum vti correctione fraterna; ita pari ratione non licet vi pecuniam detinere, quam scio ludo, ebrietatibus, meretricibus, & aliis id genus vitiis esse consumpturum, quia actionum spiritualium homo dominus est.

8 Nec obstat quòd nemo ius habeat peccandi, & proinde nec ius habere videatur ad petendam suam pecuniam, vt cum scortis expendat. Nam licèt non habeat ius peccandi, habet tamen ius in rem suam quo iure ex malo fine concepto non expoliatur.

Obiicies, vnicuique mandauit dominus de proximo suo Ecclesiast. 17. ergò tenetur depositarius detinere rem proximi, etiamsi dominus instanter petat, ne reddendo, dominus ipse sumat occasionem peccandi.

9 Respondeo, hoc esse intelligendum, quando id sine maiori damno proximi fieri potest, modò si depositarius non reddit domino petenti rem suam, vt cum scortis prodigat, grauius damnum ei infert, priuando eum sua libertate, quam sit pecuniæ dissipatio: secùs autem esset, si dominus peteret rem suam, vt sibi vel alteri in corporalibus noceret, quia tunc damnum corporale longè maius malum est, quàm quòd priuetur ad tempus, vel semper sua libertate.

Dices, quando dominus instanter petit rem suam in suum damnum spirituale, debitor potest, imò tenetur illam ei restituere, ergò eadem ratione quando rem illam petit in damnum spirituale alterius.

10 Respondeo disparem esse rationem, nam quando ipse dominus petit debitum, vt cum meretricibus prodigat, iam fornicatus est in corde suo: at verò puella pudica solicitanda nondum peccauit. Vnde retentio debiti est medium efficax ad impediendum damnum spirituale puellæ, nõ autem ipsius creditoris.

11 Tum quia, quando duo præcepta concurrunt, potiùs habenda est ratio patientis iniuriam, quam inferentis.

Tum

Digitized by Google

Tum demum,quia qui sibi in his nocet, liberè, & voluntariè vult nocere, & in re sua,cuius est Dominus. At verò qui in his vult alteri nocere, nocet in re, cuius non est Dominus.

Hinc, qui tempore iusti belli debet magnam copiam pecuniæ iniusto Principi, non potest absque peccato illam statim restituere, quãdo eam ad arma dum exercitum perit,sed retinere tenetur,vt cõgruo tempore sine alterius iniuria reddatur.

12 Hinc,Clerico,aut Cardinali volenti per Simoniam comparare sibi beneficia Ecclesiastica, pecunia debita non est restituenda,sed commodius tempus expectandum.

Hinc peccant nũmularij,qui Ecclesiasticis beneficia, aut Ecclesiasticas dignitates comparare volentibus eas mutuant. Ratio est, quia cum huiusmodi mutuatio sit voluntaria, non potest absque peccato fieri quando pro comperto habetur, quòd ad hunc finem pecunia quæritur.

13 Hinc, qui reddit gladium furioso, qui petit eum,quo se,vel alium interficiat,peccat mortaliter. Et ratio est, quia quisque lege charitatis si potest sine suo graui incommodo tenetur liberare proximum suum ab aliquo graui damno: sed in hoc casu qui habet gladium furiosi, potest huiusmodi damnum impedire,non restituendo pro eo tempore gladium, ergò reddendo peccat.

Et confirmatur,si furiosus iam gladium suum in manu propria haberet, vt sibi vel alteri noceret, proculdubio teneretur vnusquisque qui sine suo graui damno id posset gladium illum de manibus illius arripere:ergo à fortiori tenebitur non dare,quando illum in sua potestate haberet.

QVÆSTIO CLXIII.

An in casu, quo est peccatum reddere debitum,sit peccatum contra charitatem tantùm, an verò sit etiam contra Iustitiam?

1 MOlina tom.3.de Iustitia disp.755.& Tolet. lib.5.cap.25. tenent tantùm esse peccatum contra charitatem.

2 At verò Ban.2.2. quæst.62.art.5.Sot. lib. 4quæst.7.art.1.& Salon.2.2.quæst.62. art.5. docent esse peccatum contra Iustitiam,& teneri ad restitutionem damni subsequuti. Pro quo.

3 Primò dico, quod qui sine proprio dãno potest retinere pecuniam, & non retinet:sed dat Domino,quem certò nouit illa abusurum citra alterius iniuriam, peccat tantùm contrà charitatem. Ratio est, quia Dominus qui pecuniam suam profundit, non peccat contra Iustitiam vt de se constat, ergò neque qui talem pecuniam ei reddit,vt illam cum scortis expendat.Probo consequentiam, nam accessorium sequitur naturam principalis.

Secundo dico,quòd qui reddit gladium petenti,vt damnum corporale sibi inferat, peccat tantùm contra charitatem. Et ratio est, quia qui seipsum occidit, non peccat contra Iustitiam, vt constat ergò neque qui gladium reddit,peccabit contra Iustitiam. Probo consequentiam, nam multò minor ratio iniuriæ apparet in hoc, quam in illo.

4 Tum quia,vbi nulla est iniuria,ibi nulla est iniustitia, sed in hoc casu qui reddit gladium ei qui vult se occidere,nullam ei facit iniuriam,quia scienti, & volenti non fit iniuria; quamuis tanta posset esse passio petentis,vt efficeretur actus penitus inuoluntarius, & indeliberatus, & tunc esset peccatum contra Iustitiam, & in hoc sensu vera esset opinio Soti.

5 Tertiò dico,quòd probabilis est opinio Soti, & aliorum,qui tenent eum, qui absque suo graui incommodo potest retinere gladium, nec retinet, sed dat Domino, quem pro comperto habet illo abusurum in alterius perniciem,atque iniuriam,peccare contra Iustitiam.& teneri ad restitutionem damni subsecuti. Et ratio est, quia qui reddit gladium occidere volenti, est causa positiua homicidij subsecuti, ergò peccat contra Iustitiam. Consequentia est nota;antecedẽs verò probatur a simili, qui vendit venenum ei, quem scit male vsurũ: vel vendit arma tempore iniusti belli, vel exhibet alteri instrumenta,quibus nocebit peccat contra Iustitiam, & tenetur ad restitutionem vt constat ex lege si pignore ff.de furtis;sed iste non magis cooperatur iniustitiæ,quam ille qui reddit gladium ei qui alteri nocere intendit, ergo sicut iste est causa positiua dãni propter quod obligatur ad restitutionem,ita & ille.

Et confirmatur ex illa Reg. in cap. de iniuriis, & damno dato, vbi dicitur, quòd si tua culpa damnum datum est,aut iniuria

irrogata

irrogata, aut irrogantibus opem forsasse tulisti, iure te super his satisfacere oportet. Sed qui sine suo detrimento potest in hoc casu retinere gladium,& non retinet, reuera fert opem homicidæ, ergò peccat contra Iustitiam, atque ex consequenti ad restitutionem obligatur.

6 Quartò,& vltimò dico,quòd verisimilior est opinio Molinæ,& aliorum qui putant tantùm esse peccatum contra charitatem. Ratio huius est, quia qui id soluit, non id intendit, nec eo fine soluit,vt damnum proximo sequatur, sed solùm vt debitum ex Iustitia adimpleat; quòd autem sciat petentem velle illo in iniurtam proximi abuti, non est soluentem cooperari ad iniustitiam illam,sed eam non impedire differendo solutionem cum sine suo graui damno id possit, ad quod solùm lege charitatis, & non lege iustitiæ tenetur.

QVÆSTIO CLXIV.

An qui accipit ab aliquo rem non suam, bona tamen fide possessam, teneatur vero Domino eam restituere?

1 AD hoc dico primò, quòd si res est dubia sitne quod accepit furtiuum an non,tunc ei,à quo illud accepit,est restitutio facienda.Ratio est,quia in rebus dubijs tutior pars est eligenda: tutiusque est illi restituere, quia cæteris paribus tutior est possidentis conditio, Sotus. lib. 4. quæst.7. art.1.

2 Secundò dico, quòd si pro certo habeo rem esse furtiuã,sed hoc probari nõ potest tunc tali bonæ fidei possessori teneor rem illam restituere. Et ratio est, quia cum ille iusto titulo rem illam possideat,nullo iure ab eo auferri potest,nec ipsemet possessor durante eadem bona fide tenetur illam in conscientia restituere. Ita Petr. Nauar. lib.4. de restitut.n. 22. Contrarium tamen arbitror esse dicendum, quoniam iste non possidet eam iustè nisi per ignorantiam, & præsumptionem iustæ possessionis,ac proinde totum ius suum in ignorantia veritatis fundatur, ergò si pro certo scio, rem esse furtiuam, non furi, sed verò domino teneor restituere, modo absque scandalo, damno, aut aliqua molestia mea, aut alterius id efficere possim, quia non teneor rem proximi mei vtiliter cum iactura, & detrimento meo gerere iuxta charitatis præceptum, proximus namque sum egomet mihi.

3 Tertiò dico, quòd si probari potest in Iudicio rem esse furtiuam, tunc admonito prius dicto possessore, scilicet rem esse alienam, teneor in conscientia rem illam verò domino restituere. Ratio est, quia cognita rei veritate, iam incipit esse possessor malæ fidei, & in mora, si rem illam accipiat sine animo restituendi eam vero Domino.

Quartò,& vltimò dico,quòd si est verisimile, quòd fur restituet rem illam proprio domino, tunc licitum est rem restituere furi, quia rem in pristinum statum reponit. Ita Sot.lib.4. quæst.7.art.1. Caiet. 2.2.quæst.62.ar.5.& Molina tom.3. de Iustitia disp.741.

QVÆSTIO CLXV.

An qui surripuit aliquid de manu furis, quòd iniquè sustulerat, teneatur illud eidem restituere?

1 DOctor.Nauar. cap.17.num. 29.simpliciter docet non domino, sed furi faciendam esse restitutionem. Huic opinioni fauet Caiet.in sum.verb.restitut.

2 Alij verò è contrario non illi, sed Domino,à quo fur surripuit,esse restituendam & probant,quia illi facienda est restitutio, cui damnum est illatum; at damnum est illatum vero domino, ergo illi,& non furi erit facienda restitutio cum hac ratione vtriusque Domini scilicet,& latronis causa vtiliter geratur. Ita Sot.lib.4.q.7.. art.1. Ban.2.2.q.62.art.5. Valent. tom.3. d.5.q.6.p. 4.Med.C.de rest.q.1.& Aragon.2.2.q.62.ar. 5.Quam opinionem veram esse puto, si intelligatur in conscientia, quando in secreto fieri potest, agendo causam vtriusque scilicet domini,& occupatoris iniusti;nam absolutè vt optimè notat Caietanus non licet,nisi publica potestate etiam prædonem spoliare.

5 Recipi posset sententia Nauar.in casu, quo probabiliter creditur latronem fore restituturum rem illam vero domino:verũ quia hoc regulariter periculosum, & dubium est, melius, & securius est, semper rem vero domino restituere quando autem dominus rei non comparet (quidquid dicas

Digitized by Google

dicat contra Syluest. verbo restitutio 4. quæst.3.) tutius est restituere rem illam in opera pia pro salute spirituali Domini.

Obicies cap. in literis de rest. spolia. &c. vbi habetur prædonem in sua possessione tuendum esse.

4 Respondeo caput illud intelligendum esse in foro exteriori quando apertè non constat,aut incontinenti apertè non probatur, eum a quo res accepta est, fuisse prædonem, licet reuera prædo sit.

Sed est obseruandum, quòd si restituis vero Domino teneris primò procurare ne furis persona prodatur.

5 Secundò teneris aliqua bona via tam latronem admonere, quam verum dominum ne bis rem iterum procuret, & ne alter,si fortè redierit ad eor, iterum restituat, ignorans restitutam illi iam esse Tum etiam ne idem innocens rei detétor in peccato perseueret, credens se adhuc teneri eam rem restituere.

QVÆSTIO CLXVI.

An qui bona fide rem alienam accepit à fure titulo oneroso, scilicet per emptionem, debeat semper vero rei domino restituere?

1 NAuar. cap.17. num. 9. docet posse talem emptorem reddere rem furi, vt recuperet suum pretium, nec teneri reddere eam Domino.

2 At Sot.lib.4.q.7.art.2.& Med.C. de rest. q.3.sentiunt debere omnino talem emptorem restituere rem vero domino,nec posse illam reddere furi ad recuperandum suum pretium,quod pro ea dedit.

3 Ex his duabus opinionibus, prima quæ est Nauar. mihi videtur probabilior vnde gratia clarioris resolutionis dico primò, quòd si fur non comparet, vel non vult reddere pretium,tunc tenetur qui rem illã emit, reddere vero Domino.

Secundò dico,quòd si dominus rei non cõparet, quia est mortuus sine hæredibus, vel abiit in longiquum, tunc potest furi reddere, vt pretium quod pro ea dedit, ab eo recuperet.

4 Tertiò dico,quòd si dominus rei comparet, tunc verisimilius est posse furi reddere ad recuperandum suum pretium quod pro illa dedit.Et ratio est,quia quisquè habet ius procurandi potius bonum suum proprium, quam bonum æquale proximi.

Quartò,& vltimò dico,quòd si nec dominus rei, nec latro a quo suum pretium recuperet, compareat,tunc qui emit,tenetur rem pro anima defuncti in vsus pios conuertere.

QVÆSTIO CLXVII.

An Titius qui bona, vel mala fide accepit aliquid à latrone,quod furto sustulerat,vt illud traderet Caio, qui non est verus dominus, teneatur illud dare vero domino, an verò Caio, cui fur mandauit?

1 NAuar.ca.17.num.9. & 29 existimat posse,& debere restituere Caio.

At huius oppositum defendit Pet.Tolet. lib.4.de restitut.num.19.Pro quo.

2 Primò dico, quòd si Titius sciens rem esse furtiuam, illam accepit, tunc tenetur in conscientia etiam cum amissione stipendij transportationis restituere vero domino,& sibi debet imputare quod rem furtiuam mala fide transportandam acceperit.

3 Secundò dico, quod si Titius ignorans rem esse furtiuam, illam transportandam accepit, tunc si sine suo graui damno, & sui stipendij amissione poterit restituere domino, sub mortali peccato vero restituere tenetur,admonito tamen latrone,ne bis fiat restitutio. Secùs autem si sine suo detrimento, & suæ mercedis amissione rem domino restituere non potest, quia tunc in cõscientia sufficiet restituere Caio. Et ratio est, quia nemo lege charitatis tenetur subuenire Domino, cum tanto suo detrimento.

QVÆSTIO CLXVIII.

An bona ablata à personis Ecclesiasticis sint eisdem restituenda,an verò Ecclesiæ?

1 VNum est hic apud Doctores certũ, & alterum controuersum. Primò certum est quod si bona ablata sunt patrimonialia, vel quasi patrimonialia vt sunt fructus beneficij, tum eis restitui debent, etiamsi prodigi, vel dissipatores existant, non quidem ea ratione Nauarri, quia isti sunt legitimi dispensatores (putat enim ipse

ipſe Eccleſiaſticos non habere dominium fructuum ſuorum beneficiorum, ſed eſſe merè diſpenſatores) ſed ea potius ratione, quia horum omnium veri iunt domini, licèt peccent contra charitatem in vſus prophanos eos erogando.

QVÆSTIO CLXIX.

Quod autem in dubium vertitur eſt de bonis furtim ablatis, quæ non ſunt fructus beneficij, ſed bona ipſius Eccleſiæ.

1 NAuar. cap. 17. num. 29. affirmat, quod quâdo beneficiarij non ſunt ſuſpenſi, nec eis adiutor datus, tunc eis facienda eſt reſtitutio, quia nemo re, cuius habet adminiſtrationem, ob prodigalitatem priuata authoritate priuari poteſt, aliàs liceret à quocunque priuata authoritate res auferre à male expendente, vel non reſtituere quod debetur, quòd eſt abſurdum.

2 At Illuſtriſſimus Caiet. 2.2. qu. 62. art. 5. & in ſum. verb. reſtitutio cap. Rebell. par. 2. de obligat. lib. 2. quæſt. 11. ſect. 1. Med. lib. 1. inſtruct. conf. cap. 14. §. 33. Salon. 2.2. quæſt. 62. art. 5. & plerique alij docent non eis, ſed Eccleſiæ, quæ verè domina eſt, reſtitutionem eſſe faciendam, conuertendo reſtituenda in vtilitatem Eccleſiæ, adhibita tamen cautela, ne alia inconuenientia ſequantur. Et ratio eſt, quia ſicut fas non eſt, dare furi alienum, quando veriſimiliter creditur fur nõ reſtituturus illud vero domino, ita pari ratione cum Eccleſia huiuſmodi bonorum domina ſit, non Eccleſiaſtici, quoties quis probabiliter credit Eccleſiaſticos eſſe dilapidaturos ea, nõ poteſt eis abſque peccato illa reſtituere, quia in hoc caſu perinde eſſet, ac ſi daret gladium furioſo volenti ſe, vel alterum occidere, ſed tenetur, vel differre eorum reſtitutionem vſque ad opportunum tempus, vel ad Papam, aut ſuperiorem talium Eccleſiaſticorum recurrere, vt prouideat, vel emere bona immobilia eiuſdem valoris, quæ non tam facilè diſſipari poſſunt, vel alio congruo modo in vtilitatem Eccleſiæ conuertere, cuius bona ſunt.

QVÆSTIO CLXX.

An debitor reſtituens creditori ſui creditoris, quod debet, ſit à reſtitutione immunis?

1 IN hac quæſtione vnum eſt certum, & aliud de quo merito poſſumus dubitare. Hoc primum extra controuerſiam eſt, omnibus ſcilicet quod quando vtrumque debitum eſt liquidum, & iam actu, & ex eadem cauſa debitum. Vt ſi Caius mihi mutuaſſet centum aureos, quos mutuo à Titio accepiſſet, licitum eſt in conſcientia, debitum quod Caio creditori meo debeo, ſoluere Titio eiuſdem creditori.

QVÆSTIO CLXXI.

Quæſtio igitur eſt, quando ex diuerſa cauſa debitum eſt contractum.

1 BArth. in l. ſolutum. ff. de pigno. negat id eſſe licitum.

Auguſtin. verb. ſolutio. §. 13. & Sylueſt. ibidem. quæſtion. 4. dicunt licitum eſſe in foro conſcientiæ, non tamen iudiciali.

2 Med. Cod. de reſtitution. quæſtion. 3. cauſa 5. in foro conſcientiæ negat licere, quando res eſt debita in ſpecie, ſeu vt dicunt Dialectici in indiuiduo, vt ſi hoc pallium, hic liber debeatur: licere tamen, ſi ſit debita in genere: verbi gratias certa quantitas pecuniæ, tritici, olei &c.

3 Mihi autem magis eorum probatur ſententia, qui cenſent, quòd ſiue res debita ſit in genere, ſiue in indiuiduo, ſine cauſa vrgente, & rationabili non licet in conſcientia creditori creditoris mei ſoluere, quod meo debeo, ſi ex diuerſa cauſa debitum ſit contractum. Ratio huius eſt, quia meus creditor ius habet, vt ego illi reſtituam, ergo iniuriam ei facio, ſi eidem non reſtituo. Iuſta autem cauſa huius ſolutionis eſſe poteſt, ſi creditor mei creditoris ſuum debitum via iuridica recuperare non poteſt, tunc enim ſi quod debeo Caio eſt occultum, fas eſt mihi ſoluere Titio creditori creditoris, cui ego debeo.

DE RESTITVTIONE FACIENDA quando Dominus est ignotus.

QVÆSTIO CLXXII.

Quis sum sit, & dicatur verè Dominus incertus, & ignotus?

1 REspondeo, quando facta legitima diligentia pro rei qualitate, & quantitate ad eum cognoscendum, & tunc nec ipse, nec aliquis eius hæres inuenitur. Dixi notanter (pro qualitate, & quantitate rei) quia maior diligentia, & in pluribus locis, & longiori tempore est adhibenda, quando res est magni momenti, quam dum parui. Et ratio est, quia alias culpabiliter esset ignotus ex parte eius, qui rem alienam habet, & verificatur de illo, noluit intelligere, vt benè ageret.

2 Hinc, non censentur bona incerta ea, quorum hæredes saltem post sufficientem inquisitionem cognosci possunt, vt docet eleganter Nauar. cap. 12. num. 92.

Hinc, sacra, & religiosa incerta bona dici non possunt, quia licet nullius hominis sint, sunt tamen Dei, non solùm, illo titulo generali, quo omnia sunt eius, iuxta illud Psal. 23. domini est terra, & plenitudo eius: sed etiam alio speciali Ecclesiastico.

3 Hinc, ea quæ in nullius bonis sunt, & ea quæ habentur pro derelictis, quæ sunt primi occupantis, non dicuntur propriè bona incerta, quia alicui non debentur.

QVÆSTIO CLXXIII.

Cuius expensis facienda sit hæc legitima indagatio veri domini?

1 REspondeo si res restituenda bona fide acquisita est, facienda est expensis eius ad quem ea bona pertinebant: sin autem habetur per iniquam acceptionem, expensis eius, qui tenetur restituere.

QVÆSTIO CLXXIV

Quando Dominus est incertus, & ignotus, cui facienda sit restitutio?

1 AD hoc dico primò, quòd quando dominus in particulari, & in vniuersali est incertus, & ignotus, tunc res illa siue ex contractu, siue ex delicto sit debita, danda est ad animæ ipsius salutem Christo in suis pauperibus. Et ratio est, quia nemo potest retinere alienum, sed debet illud restituere vero domino, aut eo non comparente, nec in seipso, nec in hæredibus, habentibus vicem veri domini; at ex iuris Canonici dispositione, ac recepta vbiq; terrarum consuetudine à superioribus approbata, pauperes supplent vicem veri domini, ergò illis facienda est restitutio.

2 Tum quia quando dominus particularis non comparet, vniuersali domino id est Christo, qui est hæres vniuersorum facienda est restitutio, quod fit, si pauperibus res illæ erogentur, dicit enim Christus in Euangelio, quandiu feciſtis vni de his fratribus minimis, mihi feciſtis.

3 Cum demum, quia ius naturale dictat, vt eiusmodi bona restituantur in bonum, & vtilitatem spiritualem domini, quod fit, si distribuantur pauperibus, Ita D. Tho. 2.2. quæst. 62. ar. 5. Caiet. ibidem. Sot. lib. 4. quæst. 7. ar. 1. Valentia tom. 3. d. 5. quæst. 6. p. 4. Nau. cap. 17. n. 92. Couar. in relec. Reg. peccatum p. 3. §. 1. nu. 2. de Reg. iuris in 6. Less. lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 6. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 5. & alij.

Hinc, cautè legendus est Petr. Nauar. lib. 4. de rest. num. 47. vbi tenet debita ex contractu posse tanquam adespota, post factam debitam diligentiam Domini retineri; oppositum autem huius in praxi tanquam magis piam, & dictamini rectæ rationis consentaneum iudico sequendum.

4 Secundò dico, quòd quando ignorat dominus in particulari, cognoscitur autem in communi, v. g. incertum est. An res sit Titij, vel Caij. vel Sei, certum tamen est, esse vnius eorum, tunc non pauperibus, sed illis tribus, vt pro ratione dubij, inter se diuidant vel sortes mittant, erit restitutio facienda; tamen fine illorum consensu nihil est de eiusmodi bonis agendum, ne vero domino iniuria fiat, neque vnius remisso in hoc casu, scilicet Titij liberabit à parte restituenda Caio &c. Quod si dissentiant, esse authoritate Iudicis depositò tradenda, vel in vsus pauperum distribuenda,

vt

vt vero domino ſpiritualiter proſint, quando nulla eſt ſpes diſcernẽdi dominum. Qui ſi mortui fuerint, illorum hęredibus, & his deficientibus, pauperib. reſtituere oportebit. Ita Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1. Ban. 2. 2. q. 62. ar. 5. Mol. tom. 3. de iuſt. diſp. 745. & Arag. 2. 2. quæ. 62. ar. 5.

5 Tertiò dico, quòd facta inter illos de communi conſenſu diuiſione pro ratione dubij circa eam rem vt diximus, eſto poſtea compareat dominus, reliquos non teneri quicquam ei reſtituere, quod in compenſationem pro iure tunc dubio de communi conſenſu acceperunt, etiam ſi aliquis eorum, ad quem verè non attinebat. eam totam obtinuerit, quia ſorte ei contigit. Et ratio eſt, quia fuit quaſi vendicatio iuris dubij, quod in illa re prætendebat pro eo quod in compenſationem ita accepit quicquid rei veritas tunc haberet, aut temporis progreſſu deprehenderetur. Ita Pet. Nauar. lib. 4. de reſt. nu. 63. & Mol. tom. 3. de iuſtitia, & iure tract. 2. diſp. 745.

Quartò dico, quòd quando exercitus communi nomine Ciuitatẽ aliquam iniuſtè eſt deprædatus, tunc ſi ignoti ſunt domini, tunc illi Ciuitati, vel eius curam gerenti, ideſt Magiſtratibus facienda eſt reſtitutio, vt ipſi in bonum commune totius Ciuitatis ea diſtribuant. Ita Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1.

6 Quintò dico, quod quando dominus in particulari, & in vniuerſali ignoratur, ſcitur tamẽ locus, vbi perpetratũ eſt latrocinium, tunc non eſt facienda reſtitutio pauperibus eiuſdem loci, quia cum det pauperibus, vt elemoſyna proſit domino ad ſalutem, hæc vtilitas, vbique faciat illam eleemoſynam, ipſi prouenit. Quamuis ſit optimum conſilium ſi res reſtituenda ſit alicuius momenti, eligere pauperes eiuſdem loci, quia poteſt contingere, vt inter illos exiſtant aliqui hęredes, & conſanguinei ipſius domini, non tamen eſt de neceſſitate rigoroſa ſatisfactionis, ſed ſatis eſt, ac ſufficit eligere pauperes alterius loci, ſi tamen bona incerta reſtituenda maximi momenti forent, conſultius eſſet, ea alicui Monaſterio, vel hoſpitali tradere ſub ea conditione, vt ſi aliquando eorum dominus cõpareat, eidem ea reſtituantur. Ita Rebell. par. 2. de obligat. lib. 2. quæſt. 11. ſect. 3. Sot lib. 4. quæſt. 7. ar. 1. Lop. p. p. inſtr. conſ. cap. 137. & Salon. 2. 2. quæſtione 62. ar. 5.

7 Sextò, & vltimo dico, quod qui vſuras exercens, aut minutatim vinum carnes, oleum, & id genus alia aliquibus ad ſuam tabernam venire ſolitis vendens, plus iuſto eos defraudauit, tenetur exceſſum iuſti pretij illis reſtituere, à quibus eum accepit, ſi probabiliter ſciat, à quibus eum habuerit, & eiſdem ad ſuam tabernam venientibus vilius vendere, vt ſic damnum paſſos meliori modo, quo poteſt, recompenſet. Ita Caiet. 2. 2. q. 62. ar. 5. & Petr. Nauar. lib. 4. n. 67. & 71.

8 Hinc, ſi Titius plus iuſto vendidit triticum communitati, quæ deinde ex eo panem conficit, & vendit tanto pretio, vt poſſit totam eam ſummam quam ſoluit pro tritico extrahere, tunc Titius non tenetur exceſſum iuſti pretij reſtituere communitati, ſed ipſis ciuibus, qui emendo panem plus iuſto fuerunt defraudati, & ad quorum nomen triticum fuit venditum. Vnde tenetur in eodem loco panem minus iuſto vendere, quia cum ferè idem ſint qui tunc veniebant ad emendum, & qui modo veniunt, iam poteſt præſumi multos damnum paſſos eſſe recompenſandos. Ita Pet. Nauar. lib. 4. de reſt. num. 7.

QVÆSTIO CLXXV

Quid nomine pauperum hoc loco intelligatur?

1 REſpondeo per pauperes intelligimus non ſolum perſonas pauperes, ſed etiam Moneſteria, Xenodochia, & Eccleſias ornamentis, luminarib. ædificijs & alijs ſimilibus indigentes, aut alia opera pia, vt promiſſis dicendis ac ſimilibus iuxta Medinam C. de reſt. q. 3. Imò ſecundum Nauar. c. 17. n. 93. pauperes intelliguntur eſſe non ſolum mendici, ſed etiam alij, quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt, quales ſunt multi nobiles, qui a ſtatu deciderunt, & ægrè admodum ſuſtentantur, licet ob verecundiam petere, vel recipere eleemoſynam non ſoleant, quibus diſtributio fieri poteſt abſq; titulo eleemoſynæ, ne confundantur, vt etiam tradit Rebell. par. 2. de oblig. quæſt. 11. ſect. 1.

QVAE

QVÆSTIO CLXXVI.

An talium bonorum distributor teneatur pauperioribus, & melioribus, erogare, an verò sit satis dare indigentibus?

1 LEdesm.2.q.18. art. 5. tenet restitutionem faciendam pauperioribus, & magis indigentibus, quia si ratio distributionis est paupertas, vbi erit maior paupertas, erit restitutio facienda tanquam in hac parte digniori, sicut fit de beneficiis.

2 Arbitror tamen contrarium esse affirmandum cum Petr.Nauar.lib. 4. de rest.n. 59.Cord.de casib.conscientiæ quæst.72.Roder.par.2.sum.cap 41.& Sylvest.verb.rest.8. quæst.3. quoniam licet melius esset eligere pauperiores,& ex his meliores,non tamen est necesse,siue ad peccatum vitandum,vel restitutionis obligationem non incurrendam, sed satis esse veros pauperes eligere. Ratio est, quia eiusmodi bona solum ex dispositione iuris Pontificij debentur pauperibus:at in iure nulla lex reperitur, quæ decernat pauperioribus,& melioribus esse elargienda,sed pauperibus, ergo satis est, in foro conscientiæ, si verè pauperibus distribuantur.

QVÆSTIO CLXXVII.

An qui post factam distributionem incertorum compareat verus Dominus, teneatur postea eadem ei iterum restituere?

1 AD hoc dico primò, quod qui non facta prius debita diligentia ad inquirendum dominum rei alicuius,pro qualitate, & quantitate rei, illam distribuit pauperibus, aut in aliud opus pium illam insumpsit,tunc postea Domino comparente,tenetur ei iterũ restituere.Ratio est quia cùm vsque ad talem diligentem, & moralem inquisitionem non debeat Dominus iudicari incertus,& ignotus, fit vt iniustè fuerit spoliatus.Caiet.2.2.q.62.art.5.ad 3.

Secundò dico, quòd si facta prius sufficienti inquisitione ad indagandum Dominum rei,rem illam distribuit pauperibus, tunc restitutione facta, si postea Dominus compareat,ad nihil amplius tenetur, quia bona fides non patitur, vt semel exactum, vlterius exigatur.

2 Tum quia neque ratione rei acceptæ tenetur ei quicquam restituere,vt quæ neque in se neque in pretio extet, nec ratione iniustæ acceptionis,quia facta sufficienti diligentia, vtiliter, ac prudenter gerens negotium eius, ad quem res spectabat, illam distribuit. Nec pauper ipse cui ea bona erogata sunt, tenetur quicquam restituere, etiam si ad pinguiorem fortunam venerit, & Dominus inueniatur, non enim ei mutuo data sunt illa bona,sed eleemosyna,veráque donatione, si tamen simpliciter, & absolutè erat pauper, & non ad tempus.Ita Molina tom.3. de iust.disp.746. Sot.lib.4.quæst.7.art.1.Bann. 2 2. quæst.62. art.5.Tolet.lib.5.cap.23.Petr.Nauar.lib.4.de rest.num.56.& Arag.2.2.q.62.art.5.

3 Tertiò dico, quòd si res restituenda est magni momenti, & Dominus facta morali inquisitione, non inuenitur nec in seipso, nec in suis hæredibus, tunc optimum consilium est, rem illam apud Iudicem Ecclesiasticum, vel Ciuilem deponere, vel de eius mandato iuxta prouinciarum mores, & consuetudinem pro salute spirituali Domini in opera pia distribuere, quia restitutione facta, tutus manet in vtroque foro, etiamsi deinde Dominus appareat.Ita Salon.2.2.quæst.62. art.5. Sot. lib. 4.quæst. 7. art. 1. & Aragon.2.2.quæst. 62.art.5.

QVÆSTIO CLXXVIII.

Sed quid? si adhuc in potestate pauperis extarent in specie, quæ ei in eleemosynam distributa sunt?

1 PEtr.Nauar.lib.4. de restitut. num 57. & Henriq.Enriq.de indulg.ca.34. tenent rem semel debitè pauperibus distributam, non debere Domino postea comparenti restitui, etiamsi in sua specie extet. Et probant primo quia dum applicata est pauperi, tenetur in vtilitatem Domini restituta, & Dominus tenetur hanc restitutionem ratam habere. Secundò, quia per hanc distributionem transfertur dominium.

2 At verò Molina tom.3.de iust.disp.746. & Less.lib.2.de iust.cap.14. dub. 6. docent esse restituendam vero Domino, nisi tempus præscriptionis decurrisset.Et ratio est, quia licet bona fide possideat, tamen ea impli

implicita conditione distributio videtur facta, vt si dominus rei appareat, eidem reddere teneantur, si res extet in se, vel in suo effectu, idest valore, quia nimirum ex ea pauper effectus est ditior, non tamen si alienasset, aut consumpsisset eam bona fide, etiamsi existeret in manu illius, cui à pauperibus alienata fuit.

3 Restat nunc, vt argumenta in contrarium adducta soluamus. Et ad primum respondeo, quod non tenetur dominus habere ratum, nisi donec rem suam inueniat, quia cum hac implicita conditione debet fieri distributio videlicet, vt si dominus compareat, ei restituatur.

Ad secundum, negatur transferri dominium, nisi postea possideantur tempore necessariò ad præscribendum.

QVÆSTIO CLXXIX.

An pauper qui bona aliqua incerta apud se habet, possit tanquam vnus è numero pauperum, sibi retinere, vel suis cognatis & amicis, vt pauperibus dare?

1 IN hac quæstione D. Tho. 2.2. quæst. 32. ar. 9. & Caie. 2.2. q. 62. ar. 6. absolutè tenent id posse fieri.

2 Magister Sotus lib. 4. de iust. quæst. 7. ar. 1. non audet id absque graui salis concedere, quia si hæc licentia fieret, statim vnusquisque accipiet ansam fingendi pauperiem pro ratione sui status. Igitur vt hoc fiat sine peccato hæc quatuor consuluit obseruanda.

Primò, vt necessitas, indigentia debitoris sit patens, & manifesta.

Secundo, vt non sint alij pauperiores & indigentiores, nam isti sunt in eleemosynis præferendi.

Tertiò vt sumat id quod sibi tantum omnino necessarium est, reliqua verò aliis pauperibus distribuat.

Quartò, & vltimò, vt hoc non faciat sine authoritate Episcopi, aut de consilio periti, & prudentis confessarij: Pro maiori tamen resolutionis notitia.

Primò dico, quòd si restitutioni obnoxius est simpliciter pauper, potest pro se, & suis tanquam verè pauperibus totum, aut aliquam partem capere. Et ratio est, quia cum ipse, & sui non sint deterioris conditionis, quam alij pauperes, potest sibi ipsi, & suis, si verè pauperes sunt, non minus quam aliis applicare, vel totum, vel partem iuxta indigentiam, quam patitur, imò potiori iure potest illud sibi retinere, cùm melior sit, & potior conditio possidentis, præsertim si non interceßit delictum in debito contrahendo. Quod si delictum interceßit, meretur quidem ea re priuari, tamen paupertas est sufficiens ratio, cur possit illi per confessarium, vel etiam propria sua authoritate applicari. Dixi notanter (simpliciter pauper) quia si pauper esset, pro loco, & tempore, non posset sibi vt pauperi totum, vel partem horum bonorum retinere, quamuis posset restitutionem differre, vt suæ interim, aut suorum cognatorum indigentiæ succurrat.

Pro loco pauper est, qui alibi bona habet. Pro tempore, qui nouit artem, vel industriam, qua facile sibi necessaria ad statum comparare potest, vel aliundè ea proximè expectat; spes enim habendi in proximo facit illum diuitem simpliciter, licet pro tempore sit pauper. Ita Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1. Less. lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 6. Arag. 2. quæst. 62. ar. 5. Petr. Nauar. lib. 4. de rest. num. 53. & alij.

4 Hinc Nauar. in Man. cap. 23. num. 123. & de oratione cap. 7. num. 34. concludit scholasticos pauperes, qui propter omissionem horarum canonicarum amiserunt fructus beneficiorum, satisfacere, si sibi ipsis tanquam veris pauperibus eos distribuant, saltem ex consilio confessarij.

Secundò dico, quòd si necessitas non est ita euidens, & manifesta, non potest tuta conscientia totum, vel partem eiusmodi bonorum sibi retinere, sed tenetur petere ea in eleemosynam sibi applicari à Prælato, Parocho, vel prudenti Confessario. Ita Mol. tom. 3. de iust. disp. 747.

5 Tertiò dico, quòd qui eiusmodi bona incerta pauperibus distribuit, non debet eis iniungere onus orandi, vel alia opera pia faciendi pro domino eorum bonorum, esto illa tenens sibimet ea applicet, quia non est textus, nec ratio, quæ id probet, quamuis æquitas postulet vt pro ipso orent, & de consilio admonendi sint. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. quæst. 11. sect. 2. Mol. tom. 3. de iust. d. 747. & Petr. Nauar. lib. 4. de rest. nume. 68.

Quartò, & vltimò dico, quòd quando restitutioni obnoxius, qui cum esset verè pauper, sibi totum, vel aliquam partem ex his

his,quæ debebat, applicuit, verè sit eius Dominus, neque veniens ad pinguiorem fortunam tenetur id amplius restituere. Ita Sot.lib 4.quæst.7.ar.1.Lop.p. p.instr. Conf. cap.104.& alij.

QVÆSTIO CLXXX.

Sed Quid? si post sufficientem diligentiam adhibitam verus dominus appareat, an teneatur is qui eiusmodi bona sibi debito modo applicauit, eadem ei integrè restituere?

1 PEtr. Nauar. lib. 4.de rest num. 57. & Henric. Henriq. de indulg. c. 34. nnm. 8. tuentur partem negatiuam etiamsi illa bona in sua specie extent quia alioquin non fuisset eleemosyna facta pauperibus, nec dominus spiritualiter profuisset.

2 Contrarium tamen est omnino amplectendum cum Molina tom. 3. de iust. disp.746. Less.lib. 2.de iust.cap.14.dub.6.& alus. Vnde,qui facta morali diligentia ad indagandum dominum, bona incerta sibi tanquam pauperi applicauit,tunc si postea dominus compareat,nihil tenetur ei restituere, si bona illa nec in se,nec in suo pretio, vel valore extent. Ratio est, quia qui bona fide rem alienam consumpsit,non tenetur,nisi quatenus factus est ditior.Secùs autem si adhuc extant in se, vel in suo valore, quia tunc ratione rei, tenetur domino cognito ea restituere.

QVÆSTIO CLXXXI.

Sed Quid? si per iniquitatem eiusmodi bona in eius potestatem deuenerint?

1 REspondeo adhuc non teneri (quidquid Med.lib.1.instr.Conf.cap.14.§. 33. fine ratione contradicat) modò vt dixi,nec in se, nec in suo pretio apud se extent. Et ratio est,quia hic non tenetur, nec ratione rei acceptæ,cùm apud se nihil habeat; nec ratione iniustæ acceptionis quia eius culpa per voluntatem restituendi, & post factam diligentiam, & inquisitionem eius ad quem pertinent, & restitutionem sibi tanquam pauperi factam absterſa est. Ita Molina tom.3.de iust. disp.747.& Less. lib.2.de iust.cap.14.dub.6.

QVÆSTIO CLXXXII

Quanam authoritate sint bona prædicta erogãda pauperibus?

1 D.Thom. in.4.dist. 15.q. 1. ar. 5. & in opusc. 21. ad Ducissam Brabant.c. tenet talem restitutionem faciendam esse per arbitrium Episcopi, aut domini Ciuitatis. Hoc idem sentit Palud. ibidem q. 2. ar. 4. vbi ait per manus Episcopi,vel superioris,& ipsius consilio,ac authoritate esse pauperib. & in pios vsus conuertenda.

2 Richard. in 4. d.15.quæst. 4. ar. 5. ad 2. dicit quod licet erogari debeant pauperibus authoritate ordinarij, qui est pauperum pater, vbi est consuetum per ordinarium talia fieri : addit tamen quod per ius scriptum non interdicitur illi,qui restituere tenetur,erogare pauperibus per seipsum si hoc faciat fideliter,& de cõsilio bonorũ.

Scotus lib .4.de iust.quæst.7.ar.1. ad 3.ait quod licet in rebus magni pretij consulendus esset Episcopus aut confessarius, id tamẽ nõ esse de necessitate salutis affirmat.

3 Scotus in 4.dist.15.quæst.2.ar. 4. asserit non esse ordinariè necessariam authoritatem Episcopi, aut confessarij sed posse vnumquemque debitorem authoritate propria & per se rem ignoti Domini pauperibus restituere. Eandem opinionem sequuntur Nauar. cap.16.num.92.Medina.C. de rest.quæst.3.Val.to.3. dist.5. quæst.6.p.9. Petr.Nauar. lib.4.de rest.nu. 52. Arag. 2. 2. quæst.62.ar.5.Tole.lib.5.cap.23. Salon. 2. 2. quæst.62. ar. 5. & alij, qui omnes vnanimi consensu affirmant regulariter Episcopum alicui prohibere non posse,ne per seipsum sine suo consilio, aut sine consilio sui confessarij restituat. Ratio est, quia cum eiusmodi bona ex iure potius humano, quam naturali eroganda sint pauperibus, nullo autem iure humano stabilitum est, vt requiratur authoritas Episcopi,vel confessarij in istis restituendis ; vbi autem non est lex diuina, nec Ecclesiastica, sequenda est ratio naturalis, ratio autem naturalis magis dictat,vt persona quæ tenetur sic restituere pauperibus per seipsum magis,quam per aliam efficiat, cum enim ipse sit debitor, conuenit, vt per seipsum suam conscientiam exoneret.

4 Potest tamen, & expedit aliquando

alicuius boni,& prudentis viri,& maximè confeſſarij ſui conſilium in hac re ſequi, quia facilè amor proprius in hoc negotio decipit, abſolutè tamen non eſt neceſſarium,nam ſufficit,vt prudenter fiat.

Dixi notanter(regulariter,)quia in quatuor caſibus Epiſcopus poteſt circa horum bonorum reſtitutionem ſe intromittere.

Primò, quando reſtitutioni obnoxius moritur nullo hærede relicto.

Secundò, quando is qui debet reſtituere, non vult id facere, & contra eum in iudicio agitur, & tunc Epiſcopus poteſt ſe intromittere.

Tertiò,quando is qui tenetur reſtituere, malè diſtribueret,puta amicis, qui non indigent,& huiuſmodi,tunc enim Epiſcopus tanquam pauperum pater poteſt ſe intromittere, & curare, vt iterum diſtribuat. Imò ſi interueniente etiam conſilio Epiſcopi malè diſpenſaret, vtérque peccaret, nec ab obligatione reſtitutionis eſſet immunis, quia nec Epiſcopus poteſt vſurpare aſſumptum diſtribuendi prædicta bona, niſi quatenus benè fiat.

5 Quartò,& vltimò, quando huiuſmodi bona incerta ab eo qui eſt, aut fuit manifeſtus vſurarius poſſidentur, nam tunc ex iuris diſpoſitione,reſtitutio fieri debet per Epiſcopum vt habetur in c.quamquam de vſuris in 6.Et hic caſus quartus eſt certus, reliqui vero in iure non habentur,ſed ſola doctorum authoritate recenſentur.

QVÆSTIO CLXXXIII.

An conſuetudo aliquorum Epiſcoporum,qui in conſtitutionibus Synodalibus reſtitutionem horum bonorum ſibi ſoliti ſunt reſeruare, ſuſtineri poſſit in aliquo caſu?

1 GAbr.in 4.diſt.15. q. art. 2. & Angel. verb.reſt.2.§.14. abſolutè negant.

Sylueſt.verb.reſt.8.q.6.& Ban.2.2. q. 62. art. 5. dubitant an leges, & conſtitutiones illæ iuſtæ ſint.

2 At concors eſt omnium Doctorum ſententia,defendi poſſe intelligendo de abſolutione à peccato, quod commiſerunt non reddentes pauperibus debita incerta, quia hoc peccatum dilationis poteſt ſibi Epiſcopus reſeruare: vel poteſt Epiſcopus ſe intromittere,& prohibere poteſt confeſſariis ab ipſis non exemptis, ne abſque conſilio ſuo de huiuſmodi bonis nihil diſponant, ſed diſpoſitionem ipſi remittant, vt melius ea diſpoſitio fiat, & euitentur abuſus,& ſcandala, quæ euenire ſolent, dum confeſſarij aliqui per imperitiam malè aliqua circa ea bona conſulunt,aut cupiditate iubent ea ipſis tradi, licet teſte Nau. prohibere non poſſit parti, vt ſi per ſe, ſi velit,non reſtituat,neque vt ſuam conſcientiam pro vt debet exoneret.

QVÆSTIO CLXXXIV.

Quo iure huiuſmodi bona, quorum Dominus diligenter quæſitus non apparet, ſint reſtituenda pauperibus, iure naturali, an verò tantùm poſitiuo?

1 DThom.in 4.diſt.15.q.1.ar.5. Arag.2. 2.q.62.art.5.Roder.p.2. ſum. c. 41. concl.8.Sylueſt.verb.reſt.8.q.2.& multi alij docent debita incerta non ſolum iure humano, ſed etiam naturali eroganda eſſe pauperibus.Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe Caiet.2.2.q. 62. art. 5. & clarius in ſumma verb.reſtitutio cap.4.

2 Alij vero Doctores non minoris nominis,affirmant eiuſmodi bona incerta ex ſola diſpoſitione iuris Pontificij, pauperibus applicanda eſſe. Ratio huius eſt,quia ſtante iure naturali, & iure gentium,eiuſmodi bonorum facienda eſſet reſtitutio Reipublicæ, cuius Dominus ciuis erat,quia iure naturæ bona ciuium ordinantur ad bonum Reipublicæ, ſicut bonum partis ad bonum totius, ergo ſi facta diligenti inquiſitione Dominus omnino ignoratur, Reſpublica habet ius ad bona illius,ſed quia ſummus Pontifex in terris eſt Chriſti Vicarius, ad quem ſpectat totius Reipublicæ Chriſtianæ curam gerere, iure, & meritò potuit hæc bona quaſi communia Reipublicæ,in pios vſus, & pauperum neceſſitates, in bonum, & vtilitatem ſpiritualem veri Domini applicare, maximè cum eiuſmodi bona ſint velut ſuperflua,& vacantia,& ita ad pauperes quodammodo pertinent, iuxta illud Luc.11.quod ſupereſt &c.

3 Ex quo ſequitur,quod iure naturæ pauperes eiuſmodi bonorum dominium non habent, ac ſi creditorum eſſent hæredes, ſed dum ipſis diſtribuuntur,quaſi creditoribus ſoluuntur. Vnde per diſtributionem ipſum verum dominium acquirunt, quaſi

Papa

Papa tunc dominum illorum nomine veri domini tribuat.

Hinc, cùm eiuſmodi incerta diſpoſitione iuris Pontificij elargienda ſint pauperibus, nullus poteſt priuata ſua authoritate conuertere illa in alios vſus.

4 Argumenta quæ contra hanc noſtram ſententiam adducuntur, probant quidem iuri naturali conſentaneum eſſe, vt bona incerta in vſus pauperum diſtribuantur, non tamen probant id iure naturæ eſſe debitum. Ratio huius eſt, quia ius naturale ſolùm dictat huiuſmodi bona eſſe de neceſſitate reſtituenda, non tamen dictat, cui ſint eroganda, ſed ex iure Pontificio conſtitutum eſt, vt reſtituantur pauperibus.

Tum quia fieri poteſt, vt eiuſmodi bona incerta ſint infidelium, qui extra eccleſiam ſunt mortui, quibus nihil prodeſſet, ſi pauperibus elargirentur.

Tum demum, quia fieri poteſt compoſitio cum ſummo Pontifice ſuper incertis. etiam per furtum, & vſuram, vel alia media iniuſta acquiſitis, vt ea liceat tuta conſciétia retinere: quod ſignum eſt, non eſſe iure naturæ pauperibus debita, ſed tantùm iure poſitiuo.

QVÆSTIO CLXXXV.

An pro huiuſmodi bonis, quæ diſtribuenda ſunt pauperibus authoritate ſummi Pontificis poſſit fieri compoſitio, ita vt habentes eiuſmodi bona incerta ſatisfaciant, cum minore ſolutione applicata piis operibus?

1 REſpondeo poſſe ſummum Pontificé iuſta de cauſa compoſitionem bonorum incertorum facere, ita vt facta tali compoſitione tutus ſit debitor in conſciétia ab obligatione reſtituendi reſiduum ſibi remiſſum, non quidem ea ratione, vt putat Sotus, quia bona incerta fiunt Reipub. alioquin nunquam deberent reſtitui domino comparenti. Nec etiam ex eo præcisè vt vult Naua. quia Pontifex adminiſtrator bonorum, quæ pauperibus ſunt diſtribuenda, quia non ſecundum voluntatem præſumptam pauperum, ſed potius dominorum ignoratorum, quibus per ſe debentur, & pro quibus dantur, facienda eſt reſtitutio: Sed quia, cùm legibus iam ſancitum ſit, quod eiuſmodi bona incerta diſtribuantur in eleemoſynas pauperum, conſequenter ſummus Pontifex, iuſta de cauſa, poteſt in huiuſmodi legibus diſpenſare. Vnde ſicut ipſe tanquam pater pauperum habet adminiſtrationem generalem omnium, quæ debentur pauperibus, ita poteſt applicare in alia opera pia, & condonare aliqua, iuſta de cauſa, qualis eſt recuperandi pro illis, quòd aliàs non recuperarentur vel tardè. Ita Couar. in Reg. peccatum. p. 2. §. 1. n. 3. de Reg. iuris in 6. Petr. Nau. lib. 4. de reſt. n. 79. Valen. to. 3. d. 5. q. 6. p. 7. Sot. li. 4. de iuſt. q. 7. ar. 1. Ban. 2. 2. q. 62. ar. 5. Med. Cod. de reſt. q. 3. cauſa 11. Lop. p. p. inſtr. conf. c. 138. & 139. & alij communiter.

QVÆSTIO CLXXXVI.

An Epiſcopus poſſit facere compoſitionem cum his qui ſunt ſuæ Diœceſis?

1 REſp. poſſe, vt cum D. Ant. & Sylueſt. optimè reſolunt Rebell. p. 2. de obli. li. 2. q. 11. ſect. 3.

QVÆSTIO CLXXXVII.

An ſi facta legitima compoſitione, præter ſpem appareat is, ad quem ea bona attinebant, teneatur debitor illi reſtituere, ac ſi compoſitionem non feciſſet?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione tres ſunt opiniones Doctorum.

Prima eſt Molinæ, to. 3. diſp. 748. qui tuetur partem affirmatiuam, quia nec Papa intendit, nec debuit conſentire, quod apparentibus dominis, quorum talia bona erãt, non reſtituantur, neque enim apparens dominus iure ſuo dominio priuatur ad rehabendum quæ ſua ſunt.

2 Secunda opinio eſt Ban. 2. 2. qu. 62. art. 5. & Rebell. par. 2. de obl. li. 2. q. 11. ſect. 3. aſſerentium, quod ſi poſt factam legitimam compoſitionem verus dominus rei comparet, non tenetur debitor in conſcientia aliquid ei reſtituere, cum in eius vtilitatem bona verſa ſint.

Tum quia ſi ſummus Pontifex poſt factam inquiſitionem veri domini eiuſmodi bona applicaſſet pauperibus, non teneretur ille, qui reſtitutioni erat obnoxius ei quicquam reſtituere, ergo neque ſi ſummus Pontifex ipſimet alia iuſta de cauſa

applicauerit, alias ipse Pontifex omnino falleret ipsos debitores.

3 Tertia verò opinio est Cordubæ lib.5. sui quæst. q. vltima de indulg. & Lop. p.1. instruct. conf. cap. 137. qui tenent, quod cõparentibus postea dominis horum bonorum post factam legitimè compositionem debitores tenentur illis restituere ea duntaxat quæ extant in se, vel in suo valore, in quantum debitores ex eis bona fide facti sunt ditiores, non autem id quod stante bona fide consumpserunt, neque ex inde ditiores euaserunt. Hæc opinio posterior mihi videtur probabilior.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An si præmissa debita diligentia Dominus non comparcat, possit inuentor rem inuentam tuta conscientia sibi retinere, an verò teneatur eam pauperibus erogare?

1 IN hac re, quæ controuersa est inter Doctores, duæ celebres sũt opiniones.

Prima asserit res inuentas posse tuta conscientia inuentorem sibi retinere, etiam si diues sit, si post factam idoneam diligentiam earum Dominus non comparet. Quam vt probabilem defendit Sotus lib.5. de iust. q. 3. art. 3. ad secundum, valdeque probabilem putat Med. in sua instruct. Conf.c. 14. §. 33. eandémque amplexantur Lop.2.p.instruct.Conf.c.2.Ledesm.2.4.q.18. art.5.Sarmient.6.select.cap.10.Ban.2.2.q.66. art.5. Roder.p.2.sum.c.41. concl.5.Arag.2.2. quæst.66.art.5.Emanuel Sà in Aphor.Conf. verb.Thesaurus num.4.Salon.2.2.q. 66. art. 5.& cum Mercato P. Nauar. lib. 4. de rest. num.75.quamuis num.33. dicat se dubitandò loqui, veritus contrariam, quam vt communem, magisque securam etiam ipse Sotus, ac fere omnes citati simpliciter sequuntur, fundamentum huius opinionis est, quia hæc bona eo ipso quo per idoneam inquisitionem Dominus non comparet, habentur pro derelictis, ergo iure naturæ fiunt primi occupantis.

Tum quia, debita incerta solùm ex Iuris Pontificij dispositione debentur pauperibus: at nulla est lex in iure, quæ hæc inuenta applicet, ergo sunt ipsius inuentoris.

Tum demum quia super huiusmodi bonis, nunquam solet fieri compositio cum summo Pontifice vt testatur P. Nauar. lib. 4.de rest.num.71.quod non leue argumentum est, ea non esse necessario pauperibus largienda.

2 Quod tamen limitant primo dummodo inuenta non sint sacra, & Religiosa bona, etiamsi ignoretur cuius Ecclesiæ sint, illa enim non sunt inuentoris, sed tradenda sunt in manu Prælati, vt ea in vsus Ecclesiæ conuertat, quia vt habetur de Reg. iuris. Quod semel Ecclesiæ fuit, non est in vsus profanos conuertendum.

Secundò limitant, nisi is, qui aliqua bona inuenit sit Religiosus, quia ratione voti solennis paupertatis, nihil potest sibi acquirere: posse tamen Monasterium, quod habet bona in cõmuni sibi inuẽta retinere.

3 Tertiò, & vltimò limitant, nisi post factam idoneam diligentiam Dominus compareat intra tempus ad præscribendum à iure requisitum, quia tunc talis inuentor tenetur ea bona Domino inuento restituere. Ratio est, quia vsque ad tempus præscriptionis dominium rerum inuentarum manet penes earũ dominũ; eo autem expleto, si dominus diligẽter quæsitus non apparet, transit ad dominium inuentoris.

At verò alij ferè omnes docent bona inuenta post sufficientem diligentiam adhibitam pauperibus, vel aliis piis operibus esse eroganda, nec posse ab inuentore retineri, quamuis si inuentor esset pauper, posset sibi tanquam pauperi totum, vel partem horum bonorum cum consilio confessarij retinere vt de iniustè acquisitis dictum est. Ratio huius est, quia huiusmodi bona non carent Domino, licet ignoretur, ergo furtum committit, qui sibi ea bona propria authoritate vsurpat.

4 Tum quia bona incerta, etiam secundum authores primæ opinionis sunt restituenda pauperibus, ergo etiam inuenta. Probatur consequentia, quia vtriusque eadem est ratio, siquidem certò constat hæc, & illa Dominum habere, licet quis ille sit, ignoretur, alioquin si postea compareret, nullo iure, ei reddenda forent, quod tamen nec aduersarij admittunt. Ita tenent D.Th. 2.2.q.6.art.5.ad 3.& Cai. ibidem Nau c.17. n.170 & 171. Val. to.3.d.5.q.10.p.3. Less. lib.2. de rest.c.14.dub.6. Rebell.p.2.de oblig.lib. 2.q.11.sect.1.Sylu.verb.inuentum n.2.vbi dicit omnes Canonistas ita sentire Cou. in Reg. peccatum p.3.§.1.nu.2. qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi hæc Magnatibus,& alij communiter.

Et

Digitized by Google

Et hæc secunda opinio mihi videtur in praxi sequenda.

Primò quia est ferè communis apud antiquos.

Secundò, quia magis fauet pietati.

3 Tertiò, quia passim apud pios est consuetudo, vt in vsus pauperum hæc impendantur, quæ consuetudo videtur vim legis habere.

Quartò quia hæc videtur esse Domini voluntas, vt sic ei bona sua; & si nō corporaliter, saltem spiritualiter prodesse possint.

Quintò, quia est magis cōsētanea rationi.

Sextò, & vltimò, quia videtur esse expressa sententia D. Aug. lib. 50. hom. 5. & in ser. 21. de verb. Apost. & Canonizata 14. q. 5. c. si quid dicentis, si quid inuenisti, & non restituisti, rapuisti.

QVÆSTIO CLXXXIX.

An res inuentæ infidelium, vel in peccato mortifero morientium sine hæredibus, sint in vsus pauperum erogandæ?

1 AD hoc dico primò, quòd si Dominus harum rerum adhuc viuit, quantumcunque infidelis, & improbus sit, vtilis est ei ad conuersionem eleemosyna de suis rebus pro eo facta iuxta consilium Danielis datum Nabuchodonosori cap. 14. peccata tua eleemosynis redime.

2 Secundò dico, quòd si Dominus harum rerum in hæresi, vel extra charitatem defunctus esse creditur, in hoc casu etiam in vsus pauperum, vel in alia opera pia expēdi debent, quia ea, & non alia domini morientis voluntas præsumpta esse censetur, quæ non minus, quam expressa operari debet. Rebell. p. 2. de oblig. q. 11. sect. 1.

QVÆSTIO CXC.

An inuentor rei amissæ possit pro inuentione petere, & accipere pretium à domino rei?

1 COu. in Reg. peccatum p. 2. §. 3. n. 3. affirmat posse aliquid petere, & accipere licitè.

2 Alij verò asserunt nihil posse pretij loco petere, vel accipere. Pro quo,

Primò dico, quòd quotiescunque præcedit pactum, seu promissio de dando aliquid loco præmij inuentori, tunc non solum est licitum accipere, sed etiam exigere. Et ratio est, quia pactum, & promissio de iure naturali, & diuino in conscientia obligat.

Hinc, si Dominus rei promissum non seruat, inuentor in conscientia poterit sibi aliquid loco promissi pretij retinere.

Secundò dico, quòd quotiescunque est consuetudo dandi aliquid inuentori pro inuentione, licitum est inuentori illud accipere, & exigere. Ratio est, quia ista consuetudo est laudabilis, & habet vim legis.

3 Tertiò, quòd licitum est inuentori aliquod præmium petere dūmodo non vi, aut minis exigat, sed tantum precibus, & suasionibus petat. Ratio est, quia preces non causant inuoluntarū, ergo si Dominus rogatus aliquid dat, donatio est voluntaria.

Quartò dico, quòd inuentor pro labore, & impensis, quas fecit in re inuenienda, potest tuta conscientia iustam compensationem accipere. Ratio est, quia hæc non tenebatur inuentor facere ex iustitia.

4 Quintò dico, quòd has casibus exceptis, non est licitum inuentori aliquid petere, & exigere pro inuentione rei deperditæ. Ratio est, quia inuentor lege iustitiæ tenetur rem inuentam Domino restituere.

Sextò, & vltimò dico, quòd quando dominus rei, quia aliter non potest rem suam recuperare, aliquid inuentori tribuit, non peccat, quia redimit suam vexationem, inuentor autem petendo, & accipiendo peccat contra iustitiam, ac proinde ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia donatio nō est voluntaria, sed propter vexationem, à qua ex iustitia inuentor tenetur desistere.

Vbi facienda est restitutio.

QVÆSTIO CXCI.

Quo loco, & quibusnam expensis facienda sit restitutio Domino absenti?

1 AD hoc dico primò, quod qui tenetur restituere ratione solum rei acceptæ abundè satisfacit, restituendo in loco, vbi res reperitur, nec propriis expensis tenetur rem ad creditorem mittere, sed potius creditoris, v. g. emi bona fide equum à latrone, postea verò intelligo rem esse alterius, tamen dominus dissat, non teneor rem propriis expensis ad locum creditoris mittere, quamuis emerim in loco, vbi ipsius Dominus erat, sed satis est, ac sufficit ei significare, quomodo velit eam sibi trāsmitti, rem interim seruando. vel deponendo in loco tuto, vel ipsius expensis ad eum

Digitized by Google

mittere,si magis expediat. Quando autem maiores expensæ sunt ad id necessariæ, quam res ipsa principalis valet,nec spes est quod seruata, tandem ad dominum deueniat, aut dominus significet, quid de illa fieri velit,tunc tradi potest, ac debet pauperibus pro anima illius ad quem spectat. Quod si possessor bonæ fidei propriis expensis rem mittit ad creditorem,tunc creditor cuius negotium vtiliter ea in re agitur, tenetur eas soluere. Ratio est, quia possessor bonæ fidei per restitutionem non debet damnum reportare.

3 Secundò dico, quod si possessor bonæ fidei cognita rei veritate, quod videlicet res sit aliena, eam secum in remotiorem locum detulit, propter quam distantiam dominus rei damnum incurrit, tunc tenetur sumptibus suis eam domino deferre, deductis tamen ijs, quos dominus feciſſet, si à priori loco non discederet. Ratio est, quia tunc possessor bonæ fidei incipit esse in culpa & in mora, & dominus rei damnum ex alterius culpa sentire non debet.

3 Tertiò dico, quòd si detentor rei alienæ ignorantia inuincibili, vel bona fide, quia fortè sibi opus erat aliò migrare, & tutum non erat rem illam in priori loco relinquere,sed propter bonum domini secum rem detulit,tunc expensis creditoris facienda est restitutio.Ratio est. quia cùm debitor inculpabilis in hoc casu sit, sine culpa damnum sentire non debet. Ita Mol. tom.3. de iust.d.752. Less.lib.2.de rest. cap. 15. dub.8.& Rebel.p.2.de oblig. lib.2. q. 13. sect.2.

4 Quartò dico, quod qui ratione delicti vel ratione iniustæ acceptionis, vel retentionis & moræ obnoxius est restitutioni,nec est in loco,vbi est dominus, tunc propriis sumptibus rem illam creditori mittere tenetur. Ratio est,quia iustitiæ lex postulat,vt dominus rei, in re sua recuperanda indemnis seruetur,quando damnum prouenit ex culpa debitoris, ita tamen vt si dominus rei de loco migrauit, & secum erat rem sibi furtim ablatam portaturus ad locum,in quem migrauit,& in re transferenda erat sumptus facturus, tunc iure posset debitor tantum de suis sumptibus deducere,& exigere, à Domino, quantum is erat expensurus in re sua eo transferenda. Ratio est, quia sicut creditor in restitutione illi facienda, grauari non debet, ita non erit releuandus ab expensis, quas alioquin facturus fuerat,

5 Hinc, si Titius iniustè spoliaret Caium in via,auferens ab eo magnam copiam tritici, vel olei, quam, cum impensis in Siciliam transferebat, abundè satisfaceret,si Titius restitueret rem alienam deductis illis impensis, quas alioqui erat dominus rei facturus. Ratio est, quia licet Caius in hoc casu seruari debeat indemnis, lucrari tamen non debet ex furto rei suæ, lucraretur autem, si Titius rem suis propriis expensis in Siciliam mitteret,non deductis illis, quas Caius alio qui facturus erat.

Hinc, si Caius casu, vel singulari industria rem suam sine vllis impensis erat portaturus in Siciliam, tunc Titius esset condemnandus vt mitteret rem ad locum vbi est dominus rei cum suis impensis. Ratio est, quia cum Titius in culpa fuerit in accipienda re, sibi imputare debet impensas quas facit.

6 Quintò & vltimò dico, quòd si debitum est contractum ex delicto quodam per modum pœnæ,non tenetur debitor ad domicilium creditoris solutionem deferre, etiam si lata sit sententia Iudicis.Ratio est, quia nemo tenetur esse executor contra seipsum, sed sufficit pati, & humiliter sustinere exactionem & cum petatur, soluere.Ita Roder. p. 2.sum. cap. 43. concl.3. & Pett.Nauar.lib.4 de rest.nu.9.

QVÆSTIO CXCII.

Cuius expensis facienda sit restitutio, quando est debitor ex contractu,vel quasi contractu?

1 ILlustrissimus Caietan.2.2.quæst.62.ar. 5.& in sum.verb.rest.cap.4.& 5.ait faciendam esse restitutionem impensis creditoris.

Sylvest. verb. restitutio 4.q.4.& Con. in Reg.peccatum p.1.nu. 7.de Reg. iuris in 6. tenent fieri debere restitutionem impensis eius, qui primo discedit ex loco solutionis vel rem aliò transtulit.

2 At Sapientiss.Nau.c.17.n.41.docet restitutionem esse faciendam in loco, de quo expressè, vel tacitè ex mutuo contrahentium consensu conuentum est,quod si nullus fuit conuentus, illic restituendum est alienum,vbi coram Iudice competente petetur. Pro quo.

Primò

3 Primò dico,quod quando reſtitutio eſt debita ex contractu, & debitor bonæ fidei qui non fuit in mora ſoluendi, quia nondum aduenit tempus ſolutionis migrauit à loco, vbi à creditore rem alienam accepit tunc aduenientе tempore ſolutionis, ſuis expenſis reſtitutionem debiti ad domicilium creditoris mittere tenetur. Ratio eſt quia qui ante ſolutionem locum mutat quantùm ad hoc,ex eo tempore in mala fide eſſe incipit, & ex alia parte creditorem ſuum indemnem ſeruare tenetur.Et eadem ratione ſi creditor in caſu poſito receſſit à loco ſolutionis præſcripto, tunc debitor,ſuis expenſis mittere debitum non tenetur, ſed expenſis creditoris. Sot. lib.4. de iuſt.q.7.ar.1.

4 Secundò dico,quòd ſi vterque ſcilicet tam creditor, quam debitor ante tempus ſolutionis conuentum,migrauit à loco ſolutionis, tunc vtriuſque expenſis pro ratione diſtantiæ facienda eſt reſtitutio.Molina tom.3.de iuſt. diſp. 752.

Tertiò dico, quòd ſi creditor qui ante tempus ſolutionis præfixũ, migrauit à loco contractus, non mittit nuntium in tempore ſolutioni deſtinato,debitor iure, nec mittere ſolutionem, neque damnum ex non ſolutione ſecutum reſtituere tenetur, ſed ſufficit paratum ſe oſtendere, quando ab eo petetur. Sylueſt.verb. mora. q. 1. & Lop.p. p. inſt. conf.c.108.

5 Quartò dico,quòd ſi debitor bona fide credit probabiliter creditorem, qui ſe ante tempus ſolutionis abſentauit, expenſas in miſſione faciendas non perſoluturum, neque ex iuſtitia, neque ex charitate ad debitum mittendum creditori obligatur, cum debitor nullo modo expenſas illas ſoluere teneatur,ſed ſatis eſt, ac ſufficit ſi in loco vbi rem alienam accepit, eandem reſtituat, creditore de hoc certiore facto. Ita Petr.Nauar. lib.4.nu.8.

5 Quintò, & vltimò dico, quòd ſi debitor bona fide probabiliter exiſtimat creditorem tales expenſas ſoluturum, & minores expenſæ fierent, quam ſi creditor nuntium pro eo mitteret, tunc lege charitatis ad mittendum illud obligatur iuxta illud Eccleſ. 17. vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo.

QVÆSTIO CXCIII.

An depoſitarius quando in alium locum remotiorem domicilium tranſtulit,teneatur propriis expenſis depoſitum ad dominum mittere?

1 MEd.C.de reſt.q.2. dub.3. Angles in flor. theol. quæſt.in 4. tract. de reſt.& Carbo in materia de reſt. q. 78. dicto 7. negant.

2 Sed contrarium quod aſtruit Petr. Nauar.lib.4.de reſt.num.18.eſt verius, ſcilicet teneri in hoc caſu depoſitarium ſuis expenſis rem depoſitam repræſentare in eo loco, vbi eam cuſtodiendam accepit, cum expenſarum illarum cauſa efficax fuerit ipſe depoſitarius, vnde ipſi, & non deponenti expenſæ imputari debent.

QVÆST. CXCIV.

An quando aliquis mutuo dedit in vno loco, & præter ſpem in alium migrat, teneatur mutuatarius ſuis expenſis mutuum ad illum mittere?

1 IN qua re conuenit inter omnes, quod ſi mutuans pecuniam mutuatam ſecum aſportaturus non erat, tunc non tenetur mutuatarius propriis expenſis mutuatum domino mittere,cum mutuans ſine vſura ad id mutuatarium obligare non poſſet, ſed abundè ſatisfacit,ſi in loco vbi mutuum accepit,domino reſtituat.

QVÆSTIO CXCV.

Sed difficultas eſt,quando mutuator pecuniam erat ſecum portaturus ad locum, ad quem commigrauit, niſi ad alterius inſtantiam mutuaſſet?

1 IN hac quæſtione certum eſt primò, quod ſi mutuator pecuniam ſecum deportãdo expenſas aliquas erat facturus, tunc mutuatarius nullo modo tenetur propriis expenſis mutuatum ad illum tranſmittere, ſed expenſis veri domini. Et ratio eſt, quia ſicut mutuator non debet reportare damnum ex mutuo, ita neque lucrum.

2 Secundò etiam eſt certum, quòd ſi

Digitized by Google

mutuatarius fuit in mora reſtituendi,quãdo dominus ex loco mutui receſſit, tunc tanquam poſſeſſor malæ fidei tenetur propriis expenſis pecuniã vero domino tranſmittere : poſſet tamen mutuatarius defalcare expenſas, quas dominus ad illam aſportandam feciſſet:æquiparatur enim moroſus debitor quodammodo iniuſto poſſeſſori, & occupatori : id quod procedit etiamſi non admoneatur à creditore vt declarat Greg.IX.ca.vlt.de locato,& conducto.Ita Caiet.2.2.q.62.ar.5.Petr.Nau.li.4.de reſt.n.12.Roder.p.2.ſum.c.43.concl.5.&Syluеſt.verb.mor.q.1.& 4.

QVÆSTIO CXCVI.

Sed tota controuerſia conſiſtit,quando mutuatarius non eſt in mora ſoluendi,& dominus quando mutuauit erat ſine expenſis pecuniam portaturus, aliò diſcedens nunc verò eam ſine expenſis exportare non valet ?

1 Med.C.de reſt.q.2.dub.3.Pet.Nauar. li.4.de reſt.c.3.n.17.Rode.p.2.ſum. c.43.& Salon.2.2.qu.62.ar.5.putant mutuatarium in caſu poſito teneri propriis expenſis mittere mutuatum domino.Et ratio eſt, quia cum mutuatarius ad vtilitatem ſuam mutuo acceperit, ſicut dominus rei non poteſt portare lucrum ex mutuatione, ita nec debet recipere damnum. Vnde ſi pecunia illi tranſmittenda eſt,deductis expenſis,quas ipſe in ea transferenda facere cogeretur,ad alias tenetur mutuatarius.

2 Sed oppoſitum,quod tenent Molina to. 3.de iuſt.diſp.752.Rebell.p.2.de obl.li.2.qu. 13.ſect.2. & Leſſ.lib.2.de iuſt.c.15. dub.8.eſt verius,atque tenendum, ducor, quia ſicut de iuſtitia mutuatarius nõ tenetur ſoluere mutuatum ante tempus ſolutioni præſcriptum, ita nec etiam tenetur ſoluere mutuanti damnum emergẽs, aut lucrum ceſſans ob futurum eius diſceſſum,quando in pactum deductum non fuit, vt de tali intereſſe ante moram teneretur : ac proinde non videtur obligari ad ſoluendas illi expenſas, quas fecerit in recuperanda ſua pecunia,ac tranſportanda in locum,in quẽ migrat:fortaſſis enim mutuatarius non acciperet id mutuum cum eo onere,mutuãſque ſibi debet imputare, quia id non deduxit in pactum.

QVÆSTIO CXCVII.

Cum quantis expenſis teneatur debitor domino abſenti tranſmittere debitum ?

1 IN qua re conuenit inter omnes, quod in reſtitutione quæ ex contractu, vel quaſi contractu prouenit,vt in mutuo, depoſito,&c.non eſt facienda reſtitutio cum maioribus expenſis, quam res principalis reſtituenda,valet.

QVÆSTIO CXCVIII.

Sed difficultas eſt,quando reſtitutio eſt debita ratione delicti, vt ex furto, rapina,vſurâ, damno dato, &c.

1 DOctor ſubtilis in 4.diſt.15.tenet nõ eſſe maiorem ſumptum faciendum in mittendo, quam valor rei mittendæ valeat,ſed expectandam eſſe domini præſẽtiam,quem ſi credit non reuerſurum, parentibus, & iis deficientibus pauperibus eſſe reſtituendam.

Valentia to.3.diſt.5.q.6.par. 8. & Lop.p. p.inſtr.Conf.c.108.dicunt teneri debitorem mittere cum quocunque ſuo damno,etiam ſi oporteat eum in miſſione plus inſumere quam res valeat.

2 Caiet.2.2.q.62.ar.5.ad 3.Petr.Nau.l.4.de reſt.n.2.Rebell.p.2.de oblig.lib.2.q.13. ſect. 2. & plerique alij affirmant poſſeſſorem malæ fidei teneri ſuis expenſis mittere, etiamſi expenſæ in quadruplum excedant rem,quæ reſtituenda eſt, quando minoribus expenſis tranſmitti nequit. Ratio eorum eſt, quia qui ex parte iniuſtæ acceptionis reſtituere tenetur, ſeruare debet omnino indemnem illum, cui ex eo capite reſtituere tenetur, ita vt nullum omnino detrimentum illi, ex tali delicto maneat.

At verò Molina t.3.de iuſt.diſp.752.Arag. 2.2.q.62.art.5.Leſſ.li.2.de iuſt.c.15.dub.8.Salon.2.2.q.62.art.5. & multi alij docent non eſſe mittendam, ſi expenſæ adæquant valorem debiti,aut parum deficiunt. Pro quo.

3 Primò dico, quod ſi res reſtituenda modica eſt,reſpectu eius, cui mittitur, aut in ordine ad sũptus,quos in eius miſſione inſumere oportet, & Dominus lõgè diſtat,

tunc

tunc satis est rem illam pauperibus erogare, aut insumere in aliis operibus piis pro ipsius anima, quia in hoc casu perinde esset, ac si talis dominus non extaret.

Secundò dico, quòd si res restituenda magni momenti est, suntque multæ expensæ in missione faciendæ, quæ maiores, vel æquiualentes, aut paulo minores futuræ sunt, quàm res ipsa valet, si Spes aliqua est Dominum rediturum ad locum vbi restitutio ei fieri posset, aut significaturum, quid ea de re fieri vellet, neque talis est persona, de qua probabiliter crederetur, contentum fore vt id traderetur pauperibus, tunc seruanda est pro tempore, & creditori per Epistolam renuntianda, aut certè tribuenda est alicui hospitali, aut loco pio, cum onere, vt si Dominus redierit illi traderetur, si contentus non esset insumptum esse in iis operibus piis pro ipsius anima. Ita Molina tom.3.de Iustit.disp. 752. Nauar.cap.17.num.29.& Sylvest. verb. restit.4.quæst.4.

4 Tertiò dico, quòd si res restitutioni obnoxia magni valoris est, & creditor valdè ea indiget, tunc mittenda est, cum quocunque damno debitoris, etiamsi oporteat eum in vectura plus expendere, quam res principalis valeat. Ratio est, quia fraus possessori malæ fidei in damnum proprij domini fauere non debet. Ita Less.lib.2.de Iustitia cap.15.dub.8. Valent. tom.3.disp.5. quæst.6. pag.8. Med. C. de restit. quæst.2. dub.3.& Rebell.pag.de oblig. lib.2. quæst. 13.sect.2.

Dices, ergo tenetur ad amplius, quam res restituenda valeat: at hoc est contra naturam restitutionis, quæ æqualitatem inter damnum, & compensationem requirit.

5 Respondeo, verum est teneri ad ampliùs non quidem vt dominus inde ampliùs accipiat, quam amisit, sed quia id est necessarium tanquam medium vt debita fiat restitutio, nam medium, & finis pertinent ad idem genus præcepti.

6 Quartò & vltimò dico, quòd si res mittenda est expensis debitoris, & expensæ excessiuæ, & nimiæ sunt, ita vt attento statu alioqui honesto debitoris eius detrimentum ob talem missionem censeatur ingens, atque adeò maius notabiliter, quam sit damnum creditoris, tunc cum tanto suo damno non tenetur rem illam vero domino transmittere, sed potest pauperibus aut aliis piis operibus largiri pro anima illius ad quem spectat. Et ratio est, quia licet possessor malæ fidei teneatur suis expensis alteri restituere, non tamen cum tantis, vt si magna inæqualitas: esset autem magna inæqualitas si ad restituendum mille, expendere deberet duo, vel tria millia, cum hac ratione facilè quispiam ex restitutione in magnam pauperiem deuenire posset, & à suo statu cadere, quòd nullus Theologorum dixit.

Tum quia irrationabilis esset domini voluntas, si cum tanto damno, ac sumptu debitoris, vellet rem suam sibi restitui. Ita Molina tom.3.de Iustitia disp.752. Aragon. 2.2.quæst.62.art.5.Sotus lib.de Iustit.quæst. 7.artic.1.Syluester verb.restitut.4. quæst.4. Salon.2.2.quæst.62.artic.5.& alij.

QVÆSTIO CXCVI.

An qui in India mutuauit mille aureos ea conditione, vt certo tempore elapso posset eos petere à mutuatario in India, vel vbicunque terrarum inueniretur, an postea in Sicilia repertus, teneatur soluere integros mille aureos, an verò possit deducere cambia, vel sumptus quibus mutuatarius pecuniam ex India in Siciliam deportauit?

1 Azor.tom.3.Inst.moral. lib.4. cap.32. existimat facere soluendo integros mille aureos, non deductis expensis, quibus facta fuit eorum translatio.

2 Oppositam sententiam docent Nauar. in Manu, cap 17.num.43. Lop.p.p. instruct. conf. cap. 108. & Petr.Nauar.lib.4.de rest. num. 15. scilicet posse mutuatarium deducere cambia, aut expensas, quas ex India in Siciliam mutuatum deportando soluit. Ratio est, quia aliàs iste contractus esset vsurarius, quoniam is qui mutuo dedit, ex vi mutui extorquet lucrosam obligationé, scilicet vt vbicunque eos voluerit, eo in loco restituere teneatur, fieri enim potest, vt in loco vbi ob penuriam pluris æstimàtur aurei, petat; vt ergo iustificetur contractus, non debet libertas adimi mutuatario soluendi in India, vbi accepit: & ita vbicunque petantur, satisfacit soluendo eos integros mille aureos, siue in India, siue in Sicilia, defalcatis expensis quæ mutuator erat facturus, si in Sicilia pecuniam habere voluisset.

QVAE

QVÆSTIO CC.

Cuinam res pereat, quando abſenti miſſa, caſu fortuito, vel malitia portarij ad eum non peruenit?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi debitor mittit rem debitam per eum, quem ipſemet creditor ei aſſignauit, ſiue res reſtituēda, ſit creditoris, ſiue debitoris, ſi res perit, vel caſu, vel ex culpa internuncij, ipſi creditori perit. Ratio eſt, quia tradere illā viro ab ipſo aſſignato, quantumcunque infideli, idem eſt, ac ipſimet Domino tradere: habet enim vim in his regula illa 72. Iuris, qui per alium facit, per ſeipſum facere dicitur.

Secundò dico, quòd ſi ipſemet debitor ſuo proprio motu mittit rem debitam per eum, & qui communiter habetur fidelis, & res eſt in indiuiduo debita, nec eius dominium tranſlatum eſt in debitorem, ſed apud creditorem manet, cuiuſmodi eſt cōmodatum, conductum, depoſitum pignus, res legata in ſingulari, & caſu fortuito, vel malitia internūtij perit, creditori perit. Ratio eſt, quia debitor in hoc caſu nō tenetur niſi ad fideliter agendum circa illam cum Domino ipſius, at quando per nuntium communi opinione fidelem habitum mittit rem illam Domino, fideliter agit cum Domino illius, ergo ad nihil aliud tenetur.

Tum quia ſublata culpa, res ſi perit in damnum proprij Domini perire debet.

2 Tertiò dico, quòd ſi debitor mittit rem debitam per nuntium infidelem, vel de cuius fidelitate meritò poterat ſuſpicari, ſiue res ſit debitoris, ſiue ipſius creditoris tunc ſcilicet perit debitori, & non creditori, cui mittebatur, eius interitus imputari debet, cùm culpa debitoris tunc pereat.

Quartò dico, quòd ſi res eadem numero, quæ fuit accepta, reſtitui debet, & tranſmittens eſt malæ fidei poſſeſſor quia iniuſtè eam accepit, vel in mora culpabili reddendi fuit tunc, ſi perit, perit mittenti, eſto ſine eius culpa caſu fortuito pereat, dummodo non fuiſſet ſimiliter apud Dominum peritura. Ratio eſt, quia poſſeſſor malæ fidei tenetur ſeruare creditorem indemnem ab eo damno, quod ex iniuſta acceptione, ſiue retentione ſubſecutū fuit.

3 Quintò dico, quòd ſi res reſtituenda non eadem numero debetur, ſed in genere vel ſpecie, vt pecunia mutuata, aut res alia quæ functionem admittit, ſi perit etiā ſine culpa debitoris, debitori perit, & non creditori, atque adeò in foro conſcientiæ adhuc ad eius reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia creditor ad quem pecunia mittitur, nondum in eius Dominium tranſit, quandiu ei cum effectu non ſoluitur, quare ſemper debitor manet obligatus in genere, genus autem perire non poteſt.

4 Sextò dico, quòd ſi conuentum fuit vt debitor rem reſtituendam per certū nuntium tranſmitteret, ipſe verò per alium, cuius fidelitatem expertus fuerat mitteret qui tandem cum ea aufugit, nō manet debitor ab obligatione, qua creditori tenetur immunis. Ratio eſt, quia faciendo contra formam pacti, in culpa fuiſſe conuincitur.

Septimò, & vltimò dico, quod ſi conuentum fuit, vt debitor non mitteret rem, niſi per eum, qui certum ſignum oſtenderet, quidam vero caſu audiens fraudulenter eodē ſigno oſtenſo rem accepit à debitore, tunc debitor qui ita agendo nullam commiſit culpam, ſed pacti formam ſeruauit à reſtitutione liberatur.

Quomodo faciēda eſt reſtitutio.

QVÆSTIO CCI.

Quonam modo facienda ſit reſtitutio?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi delictū quo res ablata eſt, eſt publicum, publicè facienda eſt reſtitutio, vt aliorum offenſio, & ſcandalum quo affecti ſunt è medio tollatur: quod ſi de facto reſtitutio ſecreto fiat, nulla eſt obligatio iterum reſtituendi publicè, ſed aliter occurrere ſcandalo, tenetur. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi publicè, non ex Iuſtitia, ſed ex charitatis præcepto ſcilicet ædificationis oritur, quæ nullam reſtituendi obligationem inducit.

Secundò dico, quòd ſi delictum eſt ſecretum, ſecretò, & occultè per tertiam perſonam facienda eſt reſtitutio, vt debitoris fama ſeruetur. Tum quia qui per aliū facit, per ſeipſum facere videtur.

2 Tertiò dico, quòd in caſu, quo delictū eſt occultum, expedit vt reſtitutio fiat per confeſſarium cui detectum eſt peccatum in

con

confessione, videat tamen debitor, vt fidelis is sit, per quem restituit, ne si ille restituere omittat, teneatur ipse iterum restituere, neque de quocunque est id facile fidendum esto concionator, aut confessarius sit. Vnde in hoc casu optimum consilium est, vt persona intermedia, per quam restitutio fit, sumat a creditore Chirographum receptionis, quo confiteatur se accepisse a persona, per quam restitutio est facta, talem aut talem summam, quæ sibi in satisfactionem est tradita, tacito tamen nomine eius, qui abstulit, aut iniustè detinuit, vt sic restituens in sinistram opinionem creditoris non incidat,

3 Quartò & vltimò dico, quòd qui restitutionem, etiam per tertiam personam facere non potest, sine graui detrimento famæ, vel vitæ propriæ, potest differre restitutionem, quousque inueniatur aliquis, per quem fieri restitutio sine eo detrimento possit, aut quousque tempus, & opportunitas aduenial, in quibus cessat dictum inconueniens. Ratio est, quia res inferioris ordinis non sunt restituendæ cum detrimento superioris ordinis: atqui fama, & vita sunt superioris ordinis, quam bona forunæ, ergo &c.

De tempore, quando facienda est restitutio.

QVÆST. CCII.

Vtrùm homo teneatur statim restituere?

1 REspondeo teneri. Ratio est, quia licet præceptum restituendi sit propriè & formaliter affirmatiuum, intrinsecè tamen, & fundamentaliter est negatiuum, scilicet ne detineas alienum inuito domino, ratione cuius reducitur ad septimum decalogi præceptum, non furtum facies: & sic quemadmodum statim, ac pro semper tenemur non furari, ita etiam semper, ac pro semper, atque adeò statim tenemur non retinere alienum, sed illud vero Domino restituere.

2 Et confirmatur, retentio rei alienæ inuito Domino rationabiliter, est veluti quædam continuatio furti, cum non multum interfit, quo ad periculum animæ, iniustè detinere, ac inuadere aliena, vt habetur in cap. sæpe de rest. spoliat. vbi Glossa aduertit, quòd pro eodem in Iure reputatur auferre, & detinere iniustè: at nunquam licet furari, ergo nec licet detinere alienũ, sed statim tenemur illud restituere.

3 Dixi notanter (Domino rationabiliter inuito) quia sicut non omnis acceptio rei alienæ est furtum, vt cum quis in extremis positus vt sibi subueniat, aliquid accepit, sed quando fit Domino rationabiliter inuito: ita neque quæcunque rei alienæ retentio peccatum est, sed quæ fit Domino illius rationabiliter inuito. Et ideo quando non adest opportunitas restituendi, Dominus non est rationabiliter inuitus, ac proinde quando non adest opportunitas, non obligat hoc præceptum, quando autem adest, statim obligat.

4 Sed vnum hic aduertendum est, quod illa particula (statim) quantum ad actum internum, seu præparationem animi, & voluntatem restituendi, intelligitur more mathematico, id est pro puncto indiuisibili. quam primum enim quis recordatur se obnoxium esse restitutioni, tenetur statim animum restituendi habere data opportunitate, ad hoc vt exeat à peccato. Quantum verò ad executionem restitutionis, illud statim non Mathematicè, quasi in instanti, sed moraliter, & ciuiliter intelligendum est, id est loco, & tempore opportuno, non enim tenetur media nocte à lecto surgere, vel mensam, aut Missam inchoatam relinquere, vt restituat debitum, quod tunc recolit, sed satis est, tunc habere animum restituendi, cum primum habuerit tempus opportunum quo transacto incipit esse in mora, ac subinde in culpa.

QVÆSTIO CCIII.

Quando, & quoties peccet de nouo, qui longo tempore detinet alienum?

1 REspondeo in multis. Primò peccat quoties retentor alieni actum positiuum facit, quo deliberat, & statuit non restituere, dicendo, nolo rest. Ita Caietan. 2.2. quæst. 66. art. 3. ad 3. Tolet. lib. 5. cap. 24. Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 1. Cord. in sum. q. 68. Lop. p. p. inst. conf. cap. 113. Rebell. p. 2. de obligat. lib. 2. quæst. 17. sect. 2. Ban. 2.2. quæst. 62. art. 8. & alij.

Secundò peccat de nouo, quoties de nouo

Digitized by Google

nouo rem alienam consumere, vel alienare, aut vti decernit in præiudicium Domini. Ita Caietan. 2.2.quæst.66. artic.3. ad 3. Sotus lib. 4. quæst. 7. artic. 1. & Ban. 2.2. quæst 62 artic.8.

2 Tertiò peccat de nouo, quoties habens rem alienam formaliter id est sciens esse alienam, vtitur re illa in suam propriam vtilitatem aliquo casu pretio æstimabili, aut illam alienat, vel consumit, quamuis de restitutione non cogitet. Ratio est, quia furtum non solùm est acceptio rei alienæ, verum etiam fraudulenta contrectatio illius inuito Domino. Ita Sotus lib.4. quæst. 7.artic.1.Caietan. 2.2.qu.66.art.3.ad 3.Nau. cap.17. num. 55.Ban.2.2. quæst.62.artic.8.& Lop.p.p.instr.conf.cap.113.

3 Quartò peccat nouo peccato, quoties Dominus legitime id est tempore, & loco debito petit rem suam, & debitor qui habet modum, non restituit. Et ratio est, quia nouam illi infert iniuriam. Ita Salon.2.2.quæst. 7. artic. 1. Corduba in summa qu.68. Ban. 2.2. qu.62.art.8.& Lop. p.p.instruct.conf. cap.113.

4 Quintò peccat de nouo, quoties retentor alieni, videt suum creditorem graui necessitate premi, & non reddit tempore, & loco debito. Et ratio est, quia qui in hoc casu non restituit, nouam creditori iniuriã nouumque damnum infert. Ita Sot. lib.4. de Iustitia qu.7.artic.1.Ban.2.2.qu.62. art.8. Corduba in sum. qu.68. Lop.p.p. instruct. conf.cap.112.& Salon.2.2.q.62.art.8.

5 Sextò peccat nouo peccato, quoties occasio commoda se offert restituendi, & sciens,& volens non restituit, esto se gerat negatiuè nullum scilicet volitionis, aut nolitionis actum exercendo, aut ex quadam negligentia notabili non curat aduertere. Ratio huius est, quia omissio præcepti pro tempore, quo obligat, est nouũ peccatum, sed præceptum restituendi obligat, quando est opportunitas, ergo tunc non restituere, est nouum peccatum.

Et confirmatur, fur nouo præcepto tenetur restituere, sicut qui alium læsit in fama, vel honore nouo præcepto tenetur satisfacere, & sicut qui peccauit, nouo præcepto tenetur pœnitentiam agere. Ita Tolet.lib.5.cap.24.Aragon.2.2.qu.62. artic. 8.Nauar. cap.17. num.55. Can. in relec. de pœnitentia p.p.instruct.conf. cap.113. Roder.p.2.sum.cap.44.& Salon.2.2.q.62.art.8.

Septimò,& vltimo nouè peccat quoties habens alienum, ita se implicat negotiis, aut tales facit expensas, quibus verisimiliter efficitur impotens ad restituendum. Ratio huius est, quia reddens se ita inhabilem eo ipso actu, vel virtute vult non restituere. Ita Azor p.3.Inst.mor. lib.4.cap. 34.& Salon.2.2.quæst.62.artic.8.

6 Ego igitur vt rem paucis absoluam, quatenus ad rem nostram pertinet, dico primò, quòd is, qui retinet alienum animo non restituendi, est in statu actualis peccati mortalis, nisi ex paruitate materiæ excusetur: quod perseuerat toto eo tempore quo non reddit alienum iuxta illud D. Aug. 54. ad Macedonium non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Estque huiusmodi peccatum eiusdem speciei cum ipsa prima iniusta acceptione. Ratio est, quia non restituendo continuò lædit proximum, ipsum impediens à possessione, & vsu rei suæ, vel debitæ.

7 Secundò dico, quòd qui habet alienum, vt liberetur à peccato, quod cõmisit alienum iniustè occupando, tenetur statim, ac nouit se habere alienum, habere firmum propositum restituendi quam primum cõmodè poterit, & habita opportunitate cum effectu illud restituere. Ratio est, quia quandiu homo est in proposito furandi, est in peccato morrali, sed quandiu homo retinet alienum animo non restituendi, est veluti in proposito furandi, pro eodem enim in iure reputantur, furari, & detinere iniustè vt probè aduertit D.Tho. 2.2.quæst.62.ar.8.ergo.

Tertiò dico, quòd qui iniustè rem alienam detinet à primo instanti, in quo iniustè rem illam occupauit vno tantùm, & eodem peccato continuato peccat, quo ad vlque per specialem actum voluntas renouetur.

8 Quartò dico quod si habet propositum retinendi alienum multo tempore mortaliter peccat, & tenetur confiteri tale propositum, etiamsi postea ad se reuersus statim restituat. Et ratio est, quia obiectum talis propositi est notabile damnum proximi.

Quintò dico, quòd qui sine iusta causa diutius differt rem alienam restituere, magis peccat, quam qui citius restituit. Ratio est, quia maius nocumentum & iniuriam Domino infert.

Tum

Digitized by Google

Tum quia peccatum tanto eſt grauius, quanto eſt diuturnius: & tandiu differre poteſt reſtitutionem, vt de nouo mortaliter peccet; vel præcedens mortale ita augeatur, vt illa circumſtantia ſit de neceſſitate confeſſionis.

9 Sextò dico, quod non quæcunque mora in reſtituendo eſt peccatum mortale, nam ex leuitate materiæ peccata ex genere mortalia fiunt venialia, verbi gratia poteſt quis commodè reſtituere, ſed ceſſante graui neceſſitate Domini, cuius benè conſcius eſt detentor, differt ſciens, & volens reſtitutionem per octo, aut quindecim dies, non videtur eſſe mortalis culpa, quia (teſte Ariſtotele) quòd paruum diſtat, nihil diſtare videtur. Secùs autem ſi continuatio maior ſit, & Dominus ſit rationabiliter inuitus. Et ratio eſt, quia peccatum continuatum licet ſit vnum in genere naturæ, nec differat à ſeipſo ſpecie, niſi noua ſe offerat circa illud malitia, differt tamen in genere moris, quantum ad grauitatem, circumſtantia autem, qua notabiliter augetur peccatum eſt neceſſariò confitenda.

Hinc, qui alienum retinet per multum tempus, cum commodè reſtituere poſſit, non ſatisfecit ſuæ conſcientiæ, ſi ſolùm confitetur ſe alienum occupaſſe, ſed explicare etiam debet quanto tempore illud reſtituere diſtulerit. Et ratio eſt, quia huiuſmodi retentionis continuatio aggrauat peccatum notabiliter.

10 Septimò, & vltimò dico, quòd qui alienum retinet, toties peccat nouum peccatum, quoties per ſpecialem actum renouat propoſitum retinendi alienum iniuſtè, cõtra illud præceptum negatiuum, non detineas alienum inuito domino, quod contingit in tribus caſibus.

Primo quando habens alienum expreſſe renouat propoſitum retinendi hoc modo, nunc ita decerno non reſtituere, ac ſi nunquam determinaſſem non reſtituere, quia ſi ſimpliciter determinat non reſtituere ſine hac reflexione potius debet dici continuatio prioris propoſiti, quam actus nouus, ac peccatum mortale diſtinctum ab ipſa continuatione peccati.

Secundo quando habeat alienum vult reſtituere, & poſtea pœnitentia ductus decernit non reſtituere, quoties igitur hoc propoſitũ repetit, & renouat, toties nouum peccatum committit.

11 Tertiò & vlt. quando qui habet alienum aduertit aut debet aduertere ſe habere alienum, non ſtatuit firmiter data opportunitate illud reſtituere, aut oblata tali opportunitate cum effectu non reſtituit, de nouo peccat mortaliter, quamuis non proponat illud non reſtituere. Et ratio eſt, quia ſi dato loco, & tempore debito & aduertens, aut debens aduertere ſe habere alienum, non decernit firmiter illud reſtituere, aut actu non reſtituit, ſaltem indirectè de nouo conſentit iniuſtæ detentioni, & per conſequens nouum peccatum committit. Roder. p. 2. ſum. c. 44. Cord. in ſum. q. 68. Tole. lib. 15. c. 24. Lop. p. p. inſt. conf. c. 113. & alij.

Dixi notanter (quando aduertit, aut aduertere debet) quia non quolibet momento cogitat homo de hac re, vt quando dormit &c. ſed quando aduertit, aut aduertere tenetur ſe habere alienum inuito domino, quod contingit, quando retentor alieni vult confiteri, aut vult condere teſtamentum, aut vult aliquas magnas expenſas facere, quibus veriſimiliter redditur inhabilis, vt reſtituat. In his enim, & ſimilibus caſibus tenetur aduertere, ſe retinere alienum, & habere propoſitum reſtituendi oblata opportunitate, alias nouum peccatum committit.

12 In aliis autem caſibus à ſupra citatis authoribus allatis, exiſtimo cum Arag. 2. 2. q. 62. ar. 8. Roder. par. 2. ſum. c. 44. Leſſ. li. 2. de iuſtitia c. 12. dub. 5. & Sayro li. 10. tract. 5. c. 5. non eſſe regulariter, & per ſe nouum peccatum, ſed nouam circunſtantiam aggrauantem illud. Et ratio eſt, quia hæc omnia in voluntate abſoluta detinendi alienum, & reſtituendi includuntur, & quandiu iſta voluntas non renouatur per aliquem nouum, & ſpecialem actum vt diximus, non fit nouum, & diſtinctum peccatum, qui rem alienam accipere, retinere, vti, & deſtruere, cenſentur eiuſdem rationis, & ſpeciei moralis, ergo quando hæc ſimul concurrunt, eſt vnum peccatum continuatum.

QVÆSTIO CCIV.

An grauius peccet, qui per annum variis vicibus furatur mille, quam qui tantundem per totum annum detinet.

1 Palud.

1 PAlud.in 4.dist.15.quæst.2.ar. 6. putat grauius peccare, qui mille aureos per totum annum retinet. Et probat, quia qui continuò detinet alienum, semper est in peccato,qui vero repetitis vicibus peccat,interrumpit illud, & per aliquod spatium dimittit,ergo.

2 Petr.Nauar.lib.4. de rest. n. 18. reputat continuo detinentem magis id est intẽsius peccare, quia eodem semper numero peccato delinquit. At extensiuè plus peccat, qui pluribus actionibus furatur,quia plura peccata committit, & ei respondet maior pœna, & ita tenetur confiteri se decies, aut vicesies furatum esse.

3 Alij vero vt Sot.lib.4.quæst.7. art.4.Salon.2.2.quæst.62.ar.8.Lop. p. p. instr. conf. cap. 113. & Lud.Carbo tract. de rest.q. 79. concl.4.rectius docét grauius peccare eum qui pluribus actionibus furatur per annũ mille, quam qui mille aureos per totum annum retinet. Et ratio est, quia prior ille tot peccata distincta committit, quot vicibus furatur: posterior vero non committit nisi vnum peccatum in specie, & si sua continuatione reddat illud grauius.

QVÆSTIO CCI.

Quomodo gerere se debeat confessarius cum eo qui debet restituere magnam pecuniæ summam & non vult illam simul restituere,cum possit commodè.sed per partes tantummodo, scilicet vnam partem hoc mense,aliam alio?

1 REspondeo, regulariter non esse absoluendum. Et ratio est, quia qui perseuerat in statu peccati mortalis, non est absoluendus, debitor autem qui sine magno suo detrimento potest simul,& statim restituere, & non vult, manet in statu peccati mortalis, regulariter ergo non est absoluendus,Nec confessarius potest hanc licentiam concedere debitori paulatim restituendi sine creditoris licentia, quando debitor in totum, & statim restituere potest iuxta Nauar.c.17.n.66.Sot.lib.4.q.7. ar. 4. & communem.

QVÆSTIO CCII.

Sed Quid? si confessarius præfatam dilationem concedat, & debitor per partes restituat. An tunc confessarius creditori ad aliquid tenetur?

1 REspondeo ad nihil teneri. Et ratio est, quia ob huiusmodi dilationem datam nullum sequitur creditori detrimentum, sed potius commodum ex quo res suas hac via recuperet,quas alioqui nõ absolutè, vel non tam cito recuperasset.

QVÆSTIO CCIII.

An si debitor nunquam aliter sit restituturus nisi per partes,confessarius possit eum inuito creditore absoluere?

1 NAuar cap.17. num. 65.Sylvest. ver. restitutio 5.quæst.5. Armil. ibidem §.3,4.& Petr.Nauar.lib 4.de restitut. num. 68.affirmant,posse,& debere confessarium illum absoluere. Et probant. quia sic vtilius creditoris res agitur.

2 Alij vero vt Med.C.de rest.quæst.5.dub. 3.Sot.lib.4.quæst.7.ar.4.Cord.in sum.quæst. 68.Roder.p.2.in sum.cap.44. conc.4. Molina to.3. de iust.disp.756.& Cosm. Philiar. de officio Sacerd. tom. 2.lib.6.cap. 28. negant posse illum absoluere, ducunturque hi in eam sententiam,quia qui sine magno suo incommodo potest totum restituere statim, & non restituit inuito creditore est in statu damnationis,ergo indignus est, vt sacramentaliter absoluatur,& si pœnitens ob id iret in desperationem, sibi imputetur:Pro quo tamen.

3 Primò dico,quod simpliciter loquendo si debitor sine magno suo detrimento potest omnia simul restituere, & non vult peccat mortaliter successiuè restituendo, & non est absoluendus, nisi de creditoris voluntate rationabiliter præsumeretur talis dilatio, & ratio est, quia retinet alienum inuito domino, qui in talem dilationem, vel modum soluendi non tenetur consentire,quando debitor potest in integrum statim restituere.

Secundò dico,quod si confessarius probabiliter credit,quod negata dilatione nũquam,vel non ita vtiliter creditor habiturus est suum debitum, potest talem dilationem concedere stantibus his quatuor.

Primò si creditor ex huiusmodi dilatione detrimentum aliquod notabile non patiatur.

4 Secundò si debitor nolit omnia simul restituere, ob aliquod commodum inde sibi proueniens.

Tertiò

Tertio si confessarius probabiliter credat, quod negata dilatione debitor recedet desperatus, & facilè statuet, nec paulatim restituere.

Quarto si putet debitor se ita satisfacere, alias paratus simul restituere, si cogitaret eo modo non satisfacere. Ratio huius est, quia creditor hoc ratum haberet, si sciret debitoris animum.

5 Tum quia tunc confessarius viliter agit negotium vtriusque, & non absoluendo nocet vtrique, ergo melius est, vt absoluat. Quod procedit siue debitum sit ex delicto vt ex furto, rapina, vsura, damno dato &c. siue ex contractu, aut ex quocunque alio titulo absque delicto, vt ex mutuo &c.

QVÆSTIO CCVIII.

Vtrum restitutioni obnoxius sit absoluendus non præmissa reali restitutione?

1 MErcat. cap. 16. de rest. docet non esse absoluendum.

2 Illustrissimus Caiet. in sum. verb. restitutio cap. 6. Armil. eodem verb. n. 34. & Cosm. Philiarch. tom. 2. de offic. Sacerd. lib. 6. cap. 28. dicunt quod is qui semel tantum confessus, & absolutus cum proposito statim restituendi, & tamen non restituit, si iterum accedat ad confessionem, non est absoluendus, nisi prius restituat, si commodè potest. Et ratio huius est, quia confessarius cauere debet probabile periculum peccandi in pœnitente.

Mart. Ledesm. 2. 4. q. 18. ar. 8. putat hanc opinionem Caietani esse probabilem, non tamen necessariò, semper esse ita faciendũ.

3 At vero Nauar. cap. 17. nu. 59. Med. lib. 2. instr. conf. cap 11. reg. 1. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 8. Petr. Nauar. lib. 4. de rest. n. 77. & plerique alij censent posse licitè absolui, dummodo doleat se hactenus non restituisse, & firmiter statuat se restituturum non enim quia semel est iussus restituere, aut concubinam dimittere, statim est absolutionis beneficio priuandus, sed expectare opportet patienter semel, aut iterum, & deinde iudicandum de propositi veritate. Pro quo.

4 Primo dico, quod restitutioni obnoxius, non est ordinariè absoluendus, nisi prius restituat. Et ratio est, quia confessarius curare debet, ne pœnitens remaneat in periculo peccandi.

Secundo dico, quod quando pœnitens in vna, aut altera confessione, & sæpius accedit cum impotentia ad tunc restituendum, non est reiiciendus à confessore ex eo quod non restituat statim, esto non semel antea fuerit iussus restituere, suaque negligentia non restituerit; semper enim curare debet confessarius, vt pœnitens faciat, quod potest, si tunc aliquid commodè facere potest.

Hinc, qui sua culpa non soluit decimas Ecclesiæ, non obstante Conc. Trid. potest absolui, si tempore confessionis impotens est ad restituẽdum. Et ratio est, quia Conc. Trid. non prohibet absoluere, nisi eum, qui pro tunc tenetur restituere, quique peccat non restituendo Nauar. cap. 17. nu. 5.

5 Tertio dico, quod opinio Mercat. recipi potest in quatuor casibus. Primò cum quis in articulo mortis, constitutus, potens restituere non restituit, quia qui in eo articulo potest restituere vel aliam peccandi occasionem vitare, non facit, iure præsumitur nõ habere verũ propositũ faciẽdi.

Secundo in manifestis vsurariis, qui vt habetur in cap. Quia in omnibus de vsuris, ante absolutionem debent restituere, vel dare idonea in cautionẽ de restituẽdo.

Tertio in raptoribus publicis, & violatoribus Ecclesiarum, vt habetur ex c. 1. de raptoribus.

6 Quartò, & vltimò recipi potest de alio quocunque publico peccatore, qui ære alieno tenetur; quia vt ait Mercat. non est absoluendus, nisi vel cum effectu restituat, vel se componat cum creditore, alioqui grande esset scandalum, si hic accedere ad sacramenta videretur.

QVÆSTIO CCIX.

An qui ter, vel quater, aut aliquoties promisit eidem confessario, vel diuersis statim restituere, & non fecit, si iterum ad confessionem sacramentalem accedit, debeat absolui antequam actu restituat?

1 REspondeo regulariter non esse absoluendum, sed cogendum esse restituere, si potest ante absolutionem, etiã si dicat se firmã habere voluntatẽ restituẽdi. Ratio huius est, quia qui sic promisit multoties in præcedentibus confessionibus, nec præstitit, prudenter credi potest nec

modo reſtituturum, ſed ad priorem culpam redituruin, ſiquidem ex præteritis facile eſt futura conicere. Vnde ſi dixerit pœnitens confeſſario, Pater hac vice verè reſtituam crede mihi, nam mea intereſt, reſpondeat illi confeſſarius, credo quidem quarè dum es in hoc firmo propoſito, vade & reſtitue, & poſtea accede, impendeturque tibi abſolutio. Sint igitur conſtantes confeſſarij ad denegandam huiuſmodi perſonis abſolutionem, cum non ſint minus iſti in ſtatu peccati mortalis, quam illi, qui actu ſunt in propoſito occidendi.

2 Dices, confeſſarius debet credere pœnitenti in his quæ dicit pro ſe, & contra ſe, cum ipſe ſit in illo foro reus, actor, & teſtis.

Reſpondeo ſanè ita eſſe, ſed debere nihilominus confeſſarium cauere, ne mora pariat delictum, ſicut antea peperit, & timere, ne ſicut antea accepta abſolutione reſtituere neglexit, ita nunc faciet, quod prudenter timebit cum ex præteritis futura coniicere liceat, ac proinde non eum abſoluat, niſi præmiſſa reali reſtitutione. Et ideo dicit Barth. Med. quòd ſi latro accedit ad confeſſionem, & dicit ſe non poſſe reſtituere, non debet ſtatim confeſſarius illum abſoluere, ſed debet illum interrogare, an habeat duo pallia, & ſi dicat quod ſic, iubeat ei, vt vendat vnum eorum, & ſi dicat habere ſolum vnum pallium idque pretioſum, dicat ei vt vendat illud, & ſit contentus alio viliori, & quod ſupereſt, reſtituat, & ſi dicat ſe habere liberos replicetur ei, non debere illos ſuſtentari alienis bonis, ſi aliter poſſunt ſuſtentari. Si autem qui accedit ad confeſſionem cum debitis ſic implicatus, fatetur ſe iuſtè illa contraxiſſe, ſed aduerſante fortuna, ſine culpa in illam impotentiam incidit, mitius, & æquius pro vt inferius amplius dicemus, cum illo agendum.

3 Hinc, cautè legendus eſt Angles in floribus 4. ſent. quæſt. de reſt. qui dicit putare probabile debere abſolui illum, qui promiſit ſapius reſtituere, & non fecit, dummodo de præteritis doleat, & poſt obtentam abſolutionem ſtatim reſtituere proponat. Sed profectò fallitur, quia qui multoties reſtituere proponens, non reſtituit, iure coniici poteſt, non eſſe reſtitutionem fācturum, & tunc temporis, etiamſi ſit in gratia, non erit abſoluendus, quoniam eſſet relinquere illum in peccandi periculo.

QVÆSTIO CCX

Hinc colligitur quid ſit dicendum ad illam quæſtionem, qua quæritur. An licitè poſſit abſolui, qui habet animum non reſtituendi in vita, ſed ſolum in articulo mortis?

1 REſpondeo non poſſe. Et ratio eſt, quia quilibet quando poteſt, tenetur ſtatim ſub mortali reſtituere; at hic cum poſſit in vita reſtituere nō reſtituit, ergo eſt in peccato mortali, & per conſequens incapax abſolutionis.

QVÆSTIO CCXI

An qui commodè in articulo mortis poteſt reſtituere, non vult tamen ipſe reſtituere ſtatim, ſed illud mandat ſuis hæredibus, vt quam primum reſtituant, abſolui poſſit?

1 REſpondeo non poſſe. Et ratio huius eſt, quia talis animi affectus eſt depraua tus, cum quilibet ſub mortali teneatur ſtatim dum viuit reſtituere, ſi poteſt: ergo à fortiori tenetur id præſtare vicinus morti, cum in tali ſtatu poſitus diligentius debeat ſuæ ſaluti conſulere.

Tum quia, qui in tali articulo conſtitutus, & potens non vult reſtituere, dum viuit, ſed poſt mortem per manus hæredūm apertè oſtendit, quod non habet firmum & abſolutum propoſitum reſtituendi, ſed conditionale tantum, ſcilicet ſi moriatur.

Tum quia, ſi ipſe cuius potiſſimè intereſt non conſulit animæ ſuæ reſtituendo, multò minus id præſtabunt hæredes. Vnde caueant Confeſſarij præſertim Magnatum apud quos hoc multum viget habent enim de more, vt Auus committat reſtitutionem patri, pater filio ille ſuis ſucceſſoribus, & hoc modo nunquam, aut raro fit reſtitutio quod non accideret, ſi confeſſarij munus ſuum fideliter exequerentur, non abſoluendo, niſi actu reſtituerint.

2 Poteſt tamen accidere, vt ad abſolutionem ſufficiat in teſtamento relinquere reſtitutionem, nimirum, quod aliqua cauſa ex his, quæ à Doctoribus ſolent legitimæ, & ſufficientes reputari ad excuſandum ab ſtatim

Digitized by Google

ſtatim reſtituendo, concurrerent, vel quia in illo periculo ideo omiſit ipſe reſtituere, quia probabiliter putat heredem, vel teſtamentarium melius eſſe facturum, & niſi hoc crederet, ipſe per ſe reſtitueret, vt docet Nau.c.17.nu.66. Sot.lib.4. q. 7. ar. 4. Arag. 2.2.q.62.ar.8. Sylueſt.verb.reſt.5.q. 7. Petr. Nauar. lib. 4. de reſt.num.72. & alij.

QVÆSTIO CCXII.

An pœnitens teneatur ſemper in hac materia confeſſario obedire?

1 AD hoc dico primo, quod regulariter obedire tenetur, etiam ſi confeſſarius non ſit dono ſcientiæ præditus, propter reuerentiam confeſſori debitam.

2 Secundo dico, quod ſi pœnitens aliquo iuſto impedimẽto tenetur, quo minus poſſit reddere quod debet, & confeſſarius iubeat, vt ſtatim reſtituat, non tenetur tunc confeſſario parere, ſed citra mendacium, poteſt confeſſarium vt ab illo beneficium abſolutionis obtineat, verbis amphibologicis decipere, dicens ego libenter faciam, quod iubes, ſubintelligendo, ſi ad id inuenero me reſtitutioni obnoxium.

3 Tertiò dico, quod ſi confeſſarius iubet reſtitutionem, & pœnitens parere ei renuit, quia vult plenius edoceri à viris doctis circa ea, quę in hoc negotio facere tenetur, tunc confeſſarius debet illum abſoluere, quia in hoc caſu ad obtinendam abſolutionem ſufficit, vt pœnitens ſtatuat id facere, ad quod tenetur.

De Cauſis, Quæ omnino vel ab ſtatim reſtituendo, excuſant.

QVÆSTIO CCXIII.

Quæ, & quotnam ſint cauſæ, quæ omnino, vel ad tempus à reſtitutione excuſant?

1 RESpondeo ſexdecim. Prima eſt impotentia debitoris. Secunda damnum temporale, vel ſpirituale. Quarta ceſſio bonorum. Quinta remiſſio creditoris. Sexta ſolutio facta creditori ſui creditoris. Septima Religionis ingreſſus. Octaua rei debitæ interitus. Nona excõmunicatio creditoris. Decima Iuris, aut Iudicis authoritas. Vndecima Compoſitio. Duodecima Compenſatio. Decimatertia Præcriptio Canonica. Quartadecima ignorantia. Quintadecima dubium. Sextadecima, & vltima incertitudo creditorum. De quibus breuiter dicendum eſt.

QVÆSTIO CCXIV.

An impotentia reſtituendi excuſet debitorem à reſtitutione?

1 RESpondeo excuſare, quando ſcilicet debitor nihil omnino habet in bonis, nec aliunde ſperat probabiliter, & commodè aliquid acquirere, quod poſſit reſtituere. Ratio eſt, quia nullus ad impoſſibile obligatur. Nauar.cap.17.num.56. Sot. lib.4. q. 7. art. 4. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 8. Val. tom.3.d.5.q.6. p. 7. & Mol. tom. 3. de iuſt. d.754.

QVÆSTIO CCXV

An cum vitæ periculo teneatur debitor reddere alienam, domino exiſtente in eodem periculo? v. g. ſi duo eſſent in extrema neceſſitate, nec eſſet niſi vnius panis, quem aliter ante neceſſitatem acceperat ab altero, teneatur reddere domino & mori?

1 IN qua re ſunt duæ opiniones. Prima affirmat, quia in pari neceſſitate, præferri debet creditor.

Tum quia res eſt illi debita ratione contractus præcedentis, & ita ratione acceptionis.

Tum etiam, quia extremè patitur, ſicut debitor. Sic Scot. in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. Rich. ibidem q.4. Ang.verb.reſt. 3. num. 3. Roſell.eod.verb.1.nu.1.Sylu. ibid.5.n.1. Armil.n.26.Nau.c.17.n.61. & Med.C. de reſt. q. 3.

2 Secunda negat, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia.

Tum quia in pari neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis.

Tum demum quia ius naturale conſumendi quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitam præferri debet iuri ciuili, quo debitor ex contractu tenetur rem creditori reddere. Ita tenet D. Thom.2.2.quæſt.31.a. 3.ad 3.Caiet. ibid. q.62. ar.5. ad 4. Sot.lib.

4. q. 7. ar.1. Bann.2.2. quæſt.62.ar.8.Tolet. lib.5.cap.24. Pro quo.

3 Primo dico, quod ſi debitor eſt in extrema neceſſitate, & non dominus, tunc non tenetur debitor reſtituere cum periculo vitæ. Ratio eſt, quia extrema neceſſitas quidquid eſt in ſua poteſtate, facit ſuũ.

Secundo dico, quod ſi ambo ſunt in extrema neceſſitate, tunc debitor non tenetur reſtituere, ſed ſibi potius ſubuenire poteſt, quam creditori, etiam ſi per iniuriam rem illam occupauerit. Ratio eſt, quia in extrema neceſſitate deſinit res eſſe propria alicuius, & fit communis, nec tunc eſt meum, aut tuum, ſed vel primi capientis, ſi à nullo poſſideatur vel eius qui actu rem poſſidet, ac proinde non tenetur ſe expoliare, ſeque mori ſinere, vt alteri ſuccurrat.

Tum quia in pari caſu extremæ neceſſitatis melior eſt conditio debitoris poſſidentis, quamuis ſi vellet dare, & reddere poſſet.

4 Tertio dico, quod ſi alter eſſet perſona publica, ex cuius ſalute tota penderet ſalus Reipublicæ, tunc enim teneretur dare, ſicut teneretur obire, & mortem oppetere pro bono totius Reipublicæ, vt egregiè declarat Caietan.2. 2. q. 31. ar. 3. ad 3.

QVÆSTIO CCXVI.

Sed dices, An in tali caſu liceat alicui priuato rapere panem ab alio inferiore exiſtente in æquali neceſſitate, vt ſubueniat iſti homini Reipublicæ valde neceſſario?

1 REſpondeo non licere. Ratio eſt, quia licet teneatur lege charitatis ex re ſibi neceſſaria ſubuenire potius perſonæ publicæ, quam ſibi ipſi, ille alius priuatus non eſt tamen Iudex, qui executionem illius pro libito ſuo in alium facere poſſit, vnde peccaret authoritatem illam vſurpando. Ita Ban.2.2.q.62.ar.8.

2 Obicies, ille tenetur dare, ergo alius poteſt ab illo rapere.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia ille non tenetur ex iuſtitia, ſed ex charitate, & pietate, & ideirco non poteſt compelli. Verum eſt tamen, quod ſi Iudex præciperet, vt in tali caſu perſona illa priuata ſuccurreret perſonæ publicæ, & illa nollet, iam tunc poſſet puniri tanquam inobediens, & auferri ab illo panem, vel ipſum tradere hoſtibus pro ſalute totius Reipublicæ, vt rectè docet Caiet. 2.2.q.31.ar.3. ad 3.

Quartò, & vltimò dico, quod ſi creditor ſubtractione illius rei incidit in extremam neceſſitatem, tunc tenetur debitor illi reſtituere. Ratio eſt, quia accipere aliquid ab alio, quo ille extremè indiget, eſt poſitiuè illum occidere.

Tum quia in pari cauſa neceſſitatis melior eſt conditio poſſidentis, præſertim doni, vt docet Leſſ. lib. 2. de iuſt. c.16. dub. 1.

QVÆSTIO CCXVII.

Quid? ſi Titius promitteret tali die reſtituere, & deinde eodem die fortaſſis inueniretur in extremis; teneretur ne tali die reſtituere?

1 REſpondeo minime. Ratio eſt, quia iure naturali exceptio facta intelligitur extremæ neceſſitatis: ſi tamen iuramento promitteret, etiam in extrema neceſſitate reſtituere, tunc tale iuramentum eſſet validum, & obligatorium, quia eſſet de re, quam cum merito facere poſſet, ſi vellet, iuxta Sotum lib.4.quæſt.7.ar.1.

QVÆSTIO CCXVIII.

An in caſu extremæ neceſſitatis, teneatur debitor potius ſubuenire parentibus ideſt patri & matri, quàm creditori æqualiter penclitanti, quando vtriſque ſubuenire non poteſt.

1 ILluſtriſſimus Tolet. lib. 5.ſum. ca.24. tenet creditorem eſſe præferendum, quia habet maius ius ad rem ſuam, quam habent parentes, qui non poſſident rem alienam.

2 Sotus lib.4.de iuſt.q.7. ar. 1. docet hoc aſſertum eſſe problema, ideſt vtrumque eſſe probabile.

3 Alij vero vt Salon 2. 2.quæſt. 62. ar. 5. Valent.tom.3.diſt.3.q.8.p.1. Lop.p. p. inſtr. Conſ.cap.114.& Ban.2.2.quæſt.62.ar. 8. dicunt potius ſubueniendum eſſe parẽtibus. Ratio huius eſt, quia debitum quod ex virtute pietatis debetur, eſt iuri naturali coniunctius, maius, & antiquius, quam illud quod ex virtute iuſtitiæ commutatiuæ debe

debetur vt colligitur ex D.Tho.2.2. q. 101. art.3.& ex 3.sent.d.34.q 1.art.2.ad 8.sed parentibus debetur ex pietate.vt in illo casu illis subueniatur, ergo in extrema necessitate illis potius, quam creditori subueniendum est.

QVÆSTIO CCXIX.

Sed quid?si creditor,& liberi, aut vxor debitoris æqualiter periclitarentur?

1 TOlet.lib. 5. cap. 24. docet creditorem esse præferendum.

Sotus lib.4.de iust.q.7.art. 1. ait vtrumque esse probabile.

2 At Salon.2.2.q.62.art.5. Valent.tom.3.d. 3.q.8.p.1.Lop.p.p.instruct.Cont.cap. 114. & multi alij tenent oppositum,& merito quidem, quia hi etiam sunt quasi alter ego,& vna quasi caro, & quod possum mihi præstare, possum & illis, nam ne fame pereant,possum rapere è domo diuitis necessaria ipsis, sicut possum & mihi, quia & iure naturali, & ex virtute pietatis teneor ad illos,quod tamen non teneor creditori. Hoc idem sentit Tolet. de septem peccatis mortalibus cap.39.reuocans id,quod dixerat lib.5.cap.24.

QVÆSTIO CCXX.

Sed vtrum in casu posito possim etiam præferre creditori fratrem, vel insignem amicum qui vitam suam pro mea,periculo obiecit?

1 SOtus lib.4.q.7.art.1. Tolet.lib.5.c.24. & Lop.p.p.inst.conf. c.114.negant.

2 Alij vero vt Salon.2.2.q.62. art. 8. Less. lib.2.de iust.c.16.dub.1. & Ban.2.2.q.62.art. 8. probabilius affirmat. Ratio huius est, quia frater est mihi coniunctus in primo gradu consanguinitatis, ergo ex debito pietatis in extrema necessitate,fas est mihi præferre fratrem creditori æqualiter periclitanti.

De amico etiam insigni probatur, quia talis meritò apud prudentes pluris æstimatur quam frater, iuxta illud Prouerb. 27.melior est vicinus propè, quam frater longè, ergo illi,cuius ope viuimus potius debemus subuenire, quam creditori. Huius sententiæ fertur fuisse sapientissimus Victoria.

QVÆSTIO CCXXI.

An qui in extrema necessitate positus, aliena rapuit, veniens ad pinguiorem fortunam ad restitutionem teneatur?

1 SCotus in 4. dist. 15. quæst. 2. Valent. tom.3.disp.5.q.7.p.7. Salon. 2. 2.q.62. art.5.Sylvest. verb.rest. 5. q. 2. & alij affirmant acceptum ante extremam necessitatem, & in illa consumptum esse restituendum, si pinguior fortuna superuenerit: quod autem in extrema necessitate acceptum, & consumptum fuit,nunquam esse restituendum.

2 At verò Nauar.cap.17.n.61.& 62.Toler. lib.5.c.24.Medina Cod. de rest.q.3.& multi alij absolutè docent in omni euentu, vbi res aliena consumpta est in extrema necessitate, est Domino à consumente restituenda,si postea ad pinguem fortunam venerit. Pro quo.

Primò dico,quod si existens in extrema necessitate accipit solum sibi necessarium ad vitæ conseruationem, resque accepta vsu consumptibilis est, & exigua,tunc ad restitutionem, etiamsi postea ad pinguiorem fortunam venerit, non tenetur. Ratio est, quia in hoc casu præsumitur dans donare omnino voluisse, aut eleemosynam fecisse illi,vt fieri solet pauperibus.

3 Secundò dico, quod si res consumpta in extrema necessitate maioris est æstimationis, & constitutus in extremis simpliciter est inops, quia nec ibi,nec alibi habet, vnde soluat, nec in spe proxima bona habet, tunc transacta necessitate, ad nullam restitutionem tenetur.Ratio est,quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quoad vsum; & in rebus vsu consumptibilibus, vsus non distinguitur à dominio, ergo verè dominium illius habuit. Ita Sot.lib.4.q.7.art.1.& Less.lib. 2. de iust. cap.16.dub.1.

4 Tertiò dico, quòd si in extremis constitutus non est omnino pauper, quia quamuis hic, & nunc non habeat vnde soluere possit,alibi tamen habet vel proximè sperat probabiliter habere, vt verbi gratia est miles stipendiatus,qui licet modo extremam necessitatem patiatur, post annum tamen recuperabit, tunc obnoxius manet ad restituendum, quod pro

ſua extrema neceſſitate inſumpſit. Ratio eſt, quia in hoc caſu ſatis eſt, ſi quis hoc creditò mutuet, vnde ſuæ neceſſitati occurrat, ſola enim abſoluta neceſſitas ius in tali caſu accipiendi alienum facit.

Tum quia extrema neceſſitas non transfert dominium rei alienæ, ſed tantum tribuit ius vtendi, pro vt opus eſt, vt periculum euadat, & cum minimo domini damno, ergo non aufert vinculum reſtituendi, ſi ditior euaſerit.

Tum quia alter non tenetur eam dare, niſi quatenus opus eſt, vt ſuæ neceſſitati ſubueniat: ſed ad hoc ſufficit, vt rem illi mutuet, vel vendat, cum obligatione ſoluendi, cum ad lautiorem fortunam venerit. Ita Nauar. cap. 17. n. 62. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 16. dub. 1. Sotus lib. 4. quæſt. 7. ar. 1. Tolet. lib 5. cap. 24. Couar. in Reg. peccatum par. 2. §. 1. num. 3. & Med. Cod. de reſt. quæſt. 3.

5 Hinc, ſi latrones comminentur inferre mortem alicui, niſi centum det, & ille vero ſciat certo in loco, Titium certam auri maſſam depoſuiſſe, illam ſumere, & latronibus dare poterit, verum periculo ſuperato ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia tantum ius accipiens acquirit, quantum dominus rei transferre tenebatur: at dominus tunc non dare, ſed mutuare tantum tenebatur, hoc enim erat ſatis ad euitandam mortem; & ille quamuis ibi non habeat illos aureos alibi tamen habuit, vt optimè declarat Adrian. in 4. in materia de reſt.

6 Quartò dico, quod ſi res in extrema neceſſitate accepta non eſt vſu conſumptibilis, tunc tranſacta tali neceſſitate, & veniens ad pinguiorem fortunam tenetur eam reſtituere. Ratio eſt, quia dominium ſeu proprietas non eſt neceſſaria ad ſubueniendum neceſſitati, ſed vſus, vt affirmat Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1. Ban. 2. 2. q. 62. ar. 6. Valent. tom. 3. d. 3. q. 9. p. 4. Nau. cap. 17. nu. 62. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 16. dub. 1.

Hinc ſi aliquis vt fugiat mortis inſidias, equum alienum ſurripuit, periculo tranſacto, equum ſuo domino reddere tenetur. Ratio eſt, quia talis mors per ſolam equi accomodationem vitari poteſt.

Hinc ſi aliquis in maximo frigore veſtem alienam accipiat, tranſacta neceſſitate veſtem ſuo domino reſtituere tenetur. Ratio, eſt quia in hoc caſu, vt eius neceſſitati ſubueniat, ſola veſtis mutuatio ſufficit, non enim extrema neceſſitas ius tribuit ad amplius, quàm opus ſit, vt periculum euadat; ſi quid ergo ſuperſit reſtituendum.

7 Quinto dico quod qui debitum ante, contraxit, & poſtea in extremam neceſſitatem incidit, ceſſante illa neceſſitate, & veniens ad meliorem fortunam ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia debiti obligatio non eſt extincta, ſed conſopita ob illã neceſſitatem. Et quidem loquendo de debito iuſtè contracto, ex quo debitor acquiſiuit dominium vt ſi accepit mutuum vel emit agrum &c. res eſt manifeſta, quia cum illius rei habuerit ante dominium, conſequenter ſi illud in illa neceſſitate cõſumpſit, id quod ſuum erat conſumpſit, ergo ſi ad lautiorem fortunam veniat, à reſtitutione non liberatur. Ita Salon. 2. 2. q. 62. ar. 5. Greg. de Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 7. P. Nauar. lib. 4. de reſt. num. 24. & communis.

QVÆSTIO CCXXII.

Sed quæſtio dubia eſt, quando per contractum non eſt tranſlatum dominium, vt in commodato, precario, conducto, & in extrema neceſſitate res conſumpta eſt.

1 PEtr. Nauar. vbi ſupra num. 26. tenet ſic conſumptum in extrema neceſſitate non eſſe poſtea reſtituendum, niſi conſumens re, vel ſpe ſeu facultate propinqua dives ſit. Ratio eſt, quia in hoc caſu non tenetur ratione rei, quia vt ſupponimus, conſumpta eſt; nec ratione acceptionis, quia eum iure ſuo conſumpſit; nec ratione contractus, quia iſti contractus non obligant re pereunte, niſi culpa contrahentium pereat: at in noſtro caſu, res abſque culpa eã conſumentis perit. Hanc opinionem cenſet eſſe probabilem Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 16. dub. 1. Sed hoc non obſtante.

2 Sextò dico, quod qui debitum iniuſtè ante neceſſitatem contraxit, nimirum ex furto, rapina &c. & poſtea in extrema neceſſitate conſumpſit, tranſacta illa neceſſitate ad pinguem fortunam veniens reſtituere tenetur. Ratio eſt, quia obligatio iam ante contracta per neceſſitatem ſuperuenientem non eſt extincta, ſed ſopita: quare ceſſante illa neceſſitate reuiuiſcit. Ita Scotus in 4. diſt. 15. quæ. 2. Sylueſt. verb. reſt. 5. num. 2. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 16. dub. 1.

Septimò

Digitized by Google

Septimò, & vltimo dico, quod probabilis est eorum sententia, qui dicunt eum qui in graui necessitate existens consumpsit rem alienam, non teneri postea ad restitutionem si ille est simpliciter indigens, nempe quia nullibi habet, vnde soluere possit, nec spem vllam habet proximè habendi. Ita tenet Ang. verb. furtum nu.37. Syluest. ibidem.q.5. Petr. Nauar. lib.4.de rest.nu. 26. Less. li.2.de iustitia c.16.dub.1.& multi alij. Sed verius est, per hanc necessitatem non extingui debitum, neque rem alienam maioris æstimationis posse consumi sine obligatione restituendi, quando ad pinguem fortunam venerit.

QVÆSTIO CCXXIII.

An si Titius in extremo periculo, dum fugit hostem, vtatur equo alieno, & contingat equum perire, teneatur equi æstimationem reſundere?

1 REspondeo, si quando Titius accepit equum, non erat probabile periculum interitus equi, non tenetur soluere pretium. Ratio est, quia interitus censetur fortuitus sed solum tenetur pro vsu, si ille sit diuturnus, vel cum magno Domini damno. Si verò erat periculum, arbitror teneri ad æstimationem equi si intereat. Ratio huius est, quia Dominus in hoc casu non tenebatur absque illo onere equum concedere, ergo nec Titius sine tali onere eum accipere potuit, non enim plus iuris potuit Titius sibi in re alterius vendicare, quam alter tenebatur concedere.

QVÆSTIO CCXXIV.

An restitutioni obnoxius teneatur cum probabili periculo famæ, vel vitæ restituere? v. g. quia scitur peccatum illius occultum, aut de eo non leuis suspicio orietur, aut interficietur, &c.

1 SCotus in 4.dist.15.q.2.Caiet.2.2. q.62. ar.8.& in sum.verb.rest.c.6.Nauar.c. 17.n.89.Arag.2.2.q.62.ar.8.Petr. Nauar.li.2. de rest.n.400.& li.4.nu.46. & plerique alij volunt nullum teneri cum vitæ, aut famæ periculo restituere, licet id posset, si vellet, cum laude, & merito. Ratio huius est, quia vita, & fama ex genere suo sunt altioris ordinis, quam bona, iuxta illud Eccles.41. curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi, & magni. Et Prouerb.22. melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Vnde Aristot.4.Ethic.c.3.affirmat honorem esse maximum bonorum externorum: quod ipsum docuit S.Thom.2.2.quæstio. 119. artic.1.

Ex quo inferunt, eum qui habet alienum, & non inuenit personam, per quam fideliter, & secreto restituat, licitè differre potest restitutionem, quousque talem inueniat, & hoc propter famæ conseruationem, quæ est bonum altioris ordinis quam pecunia.

2 Alij verò vt Sotus lib.4.q.6.ar.3.& q.7. ar.2.Tolet.lib.5.c.27.Valen.to.3.d.5.q.6.p.7. Couar.in Reg.peccatum p.1. nu.6.de Reg. iuris in 6.Lop.p.p.instr.conf.ca.116. Roder. p.2.sum.c.45.& multi alij dicunt quod, & si regulariter, & per se loquendo, qui non potest restituere debita, siue iustè, siue iniustè contracta sine detrimento propriæ vitæ, vel notabilis infamiæ, quamdiu illud detrimentum probabiliter timetur, liber sit à restitutione, tamen per accidens, potest contingere casus, in quo teneatur quis bona temporalia restituere cum detrimento famæ, imò & vitæ, vt quando res restituenda est ingens aliquod patrimonium, & infamia mediocris, vel minima. Quamuis enim fama ex natura sua sit bonum altioris ordinis, quam bona externa, est tamen bonum temporale & pecunia æstimabilis, & tanta potest esse res restituenda, vt famam debitoris longè superet quoad æstimationem. Sicut pluris æstimatur ingens massa plumbi, quam parua argenti. Nec enim præstantia eiusmodi bonorum more metaphysico, sed morali, quoad vsus, commoditatesque humanas hic considerandæ est: qua etiam ratione D. August. famelico melior est panis, quam canis, licet quoad naturæ perfectionem, melior sit canis, quam panis.

Quo fit, vt si attentis circunstantiis, infamia adulteræ nō esset valdè magna, quia nimirum esset alioqui forte suspecta, nec adeo Illustris, damnum autem filiorum legitimorum insigne, vt puta Regnum, Ducatus, Principatus, Marchionatus, vel Comitatus, quod deuolueretur ad filium adulterinum, siue spurium, omisso filio

legitimo, teneretur adultera, non obstante periculo vitæ vel famæ reuelare proprium crimen, vt filios legitimos seruet indemnes. Ratio huius est, quia Regnum famæ, vel vitæ Reginæ præualet. Quod est valde probabile, licet oppositum quod defendit Scotus, mihi videatur verius, atque sequendum.

QVÆSTIO CCXXV.

An cum detrimento rei familiaris teneatur homo restituere debita iustè, vel iniustè cõtracta? v. g. Titius habet bona, vnde restituat, sed id efficere non potest, quin incurrat extremam, vel grauem necessitatem, aut saltem magnum detrimentum, & iacturam sui status, & bonorum, quia videlicet cogetur vendere agrum, vel domum pretio vilissimo, &c.?

1 IN hac graui quæstione, vt certa ab incertis seiungamus, dico primo certum esse apud omnes, quod in extrema necessitate positus non tenetur ea bona restituere, quibus ipse vt suæ necessitati consulat, opus habet siue, illa fuerint iustè, siue iniustè acquisita. Et ratio est, quia in extrema necessitate omnia sunt communia saltem quantum ad vsum ex iure naturæ, cui ius gentium, quo rerum diuisio facta fuit derogare non potest

2 Secundo certum est, quod si vterque scilicet tam debitor, quam creditor simul in extrema necessitate existunt, tunc debitor ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est quia cum in casu extremæ necessitatis omnia sint communia, melior est conditio possidentis.

3 Tertiò certum est, quod quando creditor patitur æquale, aut quasi æquale detrimentum, nisi fiat sibi statim restitutio, tunc ex communi omnium sententia, siue ex furto debitum sit ortum siue ex contractu, tenetur debitor cum iactura sui status, ac veniendo in grauem necessitatem statim restituere. Ratio est, quia extra extremam necessitatem, res non sunt communes, sed retinet creditor dominium rei suæ, & in pari necessitate potius est ius veri domini quam alieni.

Hinc si creditor sit mendicaturus quia quod sibi debetur, non soluitur tenetur potius debitor etiam bonæ fidei illam indigentiam pati, & restituere, etiamsi alias mendicaturus sit, quam creditor. Et ratio est, quia in pari casu necessitatis. (præter extremam) potior est conditio creditoris Hæc itaque certa sunt apud omnes.

QVÆSTIO CCXXVI.

Tota igitur difficultas est, quando debitor incurrit graue damnum, vel in statu, vel in bonis temporalibus, si statim restituat: creditor vero ex dilatione solutionis, nullum vel leue. An in hoc casu teneatur debitor cum tali detrimento restituere?

1 IN hac quæstione tres sunt opiniones Prima est asserentium, quod qui per iniquitatem accipit, vel retinet alienum, tenetur statim restituere, etiam si cadere debeat à statu suo, imo etiam si mendicare debeat, vt integrè restituat. Sic Adrian. in 4. in materia de rest. & Medina Cod. de rest. q. 6. dub. 1. & 2.

Ex quo inferunt nobilem teneri ad vendendum omnia sua, vt restituat. debereque proprio labore victum quærere: artifices teneri ad vendẽdum omnia etiam instrumenta suæ artis, & seruire, alicui, vel mendicare.

2 Secunda opinio est in alio extremo, quæ affirmat non teneri debitorem restituere cum notabili iactura sui status, vel rerum, ita quod redigatur in graue necessitatem, siue iustè, siue iniustè statum, & bona sua acquisierit. & retineat Ita Nau. c. 17. nu. 56. 57. & 58. Tole. lib. 5. c. 24. Syluest. verb. rest. 5. q. 3. Cosm. Philiar. tom. 2. de offi. Sacerd. lib. 6. ca. 28. & multi alij.

3 Tertia vero opinio, quæ est media, ait eum qui per latrocinia, & fraudes, aliaue via iniusta acquisiuit statum, in quo est, vel iustè acquisitum postea lusibus, luxuris & contractibus illicitis, & prodigalitate perdidit, teneri cum iactura sui status, & cum maximo suo incommodo, citra mendicitatem tamen restituere. Cæterum si citra iniuriam acquisiuit statum, & citra culpam suam licitè negotiando debita contraxit, tunc cum iactura sui status non tenetur ad restituendum statim, sed tenetur solum moderari sumptus, & pompam, vt quam cito potuerit, soluat cum maiori sua commoditate. Sic Caiet. in sum. verb. restitutio cap. 6. Sot. lib. 4. quæ. 7. ar. 4. Ban.

Digitized by Google

2.quæſt.62.ar.8. Valen. to.3. diſt.5 quæſt. 6.p.7.Cord. in ſum. quæſt. 68.Lop.p.p. inſtruc.conſ.ca.114.& cap.18.Petr.Nauar lib. 4.de reſt.nu.41 Arag.2.2. quæſt.62.ar.8.Roder.p.2.ſum.cap. 45. Barth. Med. lib. 1. inſtruct conſ.ca.14. §.53.& Salon. 2. 2. quæſt. 62.ar.8.Pro quo.

4 Primo dico,quod ſi debitor reſtituendo paſſus grauе damnum ex eo ſolum, quod res reſtituenda eſt ingens, non ideo poteſt in toto, vel in parte reſtitutionem differre. Ratio eſt, quia hoc non eſt pati damnum in rebus ſuis, ſed reddere alienum vero domino alias melioris conditionis eſſent.qui multum furarentur aut multum inuſtè detineret quā qui parum furarentur, paruumve inuſtè detinerent, ſicq; ex maiori ſuo delicto commodum reportarent, quod eſt abſurdum. Ita Sot.li.4. q. 7.a.4.Nau. c.17.n.56.Tole. li.5. c.24.Arag.2. 2.q.62.ar.8.Valen.tom.3.d.6.q.6.p.7.& Ban. 2.2.q.62.ar.8.

5 Secundo dico, quod ſi debitor patitur grauе damnum ex eo ſolum, quod ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſat illi magnum lucrum, non ideo liberatur ab onere ſtatim reſtituendi. Ratio eſt, quia lucrum ceſſans non habet locum niſi in re propria quæ alio tempore carius vendenda erat, aut ex qua vtilitas aliqua erat accipenda, non autem in re aliena inuito domino,detenta.

Tum quia hoc non eſt detrimentum pati in rebus proprijs,ſed nō lucrari ex alieno inuito eo,ad quem ſpectat. Ita Salon.2. 2. quæſt. 62.a. 8.Sot.lib.4.q.7.art.4. & alij.

6 Ceterum mihi videtur diſtinguendum, nam ſi illud lucrum quærit vt paulatim alios creditores ſatisfaciat, quibus nequit ſimul reſtituere, tunc enim charitas exigit vt creditor conſentiat in debiti dilationem hoc commodo poſſit, quia contra rationem eſt, quod ſibi ſtatim reſtitui cum tanto aliorum creditorum detrimento, quod dilata ſolutione poſſet vitare. Si verò non eo fine,& neceſſitate lucrat,non licet vt optimè docet Molina tom. 3. de iuſt.tia , & infra dicetur ſecundo diſput. 154.

7 Tertio dico , quod ſi debitor qui iuſtè bona acquiſiuit, non poteſt ſine magno detrimento ſui ſtatus , aut bonorum ſuorum reſtituere ſtatim ſuo creditori, poteſt illi differre, quando dilatio non multum creditori nocet , ſiue debita fuerint contracta iuſtè per infortunia,ſiue iniuſtè ſua prodigalitate. Ratio eſt , quia ipſe creditor tenetur ex charitate auertere graue eiuſmodi damnum à debitore , ſi cum nullo , aut paruo detrimento ſuo facere id poteſt , concedendo ei adhuc ſolutionis dilationem, ergo etiam poteſt debitor eam differre : tenetur tamen citra notam paupertatis ſtatum minuere , & reiectis ſuperfluis,&quæ ſunt ad ſolam pompam retinere ſibi neceſſaria ad ſtatus ſui decentiam , vt reſtituere paulatim poſſit. Ita Caie. in ſum.verb.reſt. c. 6.& 2.2.q.62. ar.6.Sot.lib.4.q.7.a. 4. Valen. tom.3.d. 5.q. 6. par.7. Petr. Nauar. lib. 4. de reſt. num. 42.Ban.2. 2. quæſtion.62.ar.8. Lop.p.p.inſt. Confeſſ.cap.118.Roder.par.2. ſum. cap. 45. Nauar.ca.17.num. 56. Arag. 2. 2. quæſt. 62. ar.8.Cord.in ſum. quæſt.68.Coſm. Philiar. de offi.Sacerd.tom.2.lib.6.cap.28. Salon.2. 2.quæſt.62.ar.8.& alij

Magnum autem damnum hic cenſetur,ſi duplo maius ſit,quam creditoris,vt optimè declarat Lop. loco citato,illud vero paruū damnum creditoris de iuſtitia à debitore ſoluendum quoque erit, niſi expreſsè, vel implicitè à creditore remittatur;nec enim tale damnum propter debitorem de iuſt. ſed ex charitate pati tenetur , vt benè notat Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. q. 17. ſect.4.

8 Hinc,non tenetur Comes vendere Comitātum,vt reſtituat quod debet , nec nobilis tenetur aliis ſeruire , aut manibus laborare , ſed tantum ad parcius viuendum , & ad ſumendum ſolum neceſſaria ſibi , & paulatim , vt ſic commodè ſuo tempore reſtituere poſſit. Ratio eſt, quia in hoc caſu creditor rationabiliter tenetur conſentire in dilationem , contra enim æquitatem, & charitatem faceret , ſi vellet ſibi cum tanto alterius detrimento ſtatim ſatisfieri.

Tum quia cadere à ſtatu, eſt magna infamia,& propter vitandam infamiam , integrum eſt,creditore non egente , reſtitutionem differre,vt docet Sot lib.4 q. 7. ar. 4.Cord.in ſum.q.68.Roder.p. 2. ſum.c. 45. Lop.p.p.c.118. Sylu.verb.reſt.5.q.4.& alij.

9 Hinc , ſi vus adulterinus qui bona fide poſitus eſt in ſtatu nobili, & deinde venit in cognitionem,quod eſt ſpurius,nō tenetur reſtituere bona legitimo cum iactura ſui ſtatus , cum iuſtè & bona fide illum

acquisierit, sed tenetur solùm minuere statum citra notam paupertatis. Ratio est, quia Dominus non est rationabiliter inuitus, non enim velle debet Dominus propter paruum suum commodum ita grauiter debitorem incommodare.

Hinc, qui bona fide magnam auri copiam comparauit, & hoc modo durante eadem bona fide effectus est nobilis, si deinde certò ei constat aurum illud fuisse furtiuum, quod non potest restituere nisi descendendo ab illo statu, non tenetur cũ tali detrimento restituere, sed solum statum minuere. Ratio est, quia nemo tenetur restituere, quandiu dominus nõ potest iure esse inuitus circa detentionẽ; at in hoc casu creditor non potest iure esse inuitus, ergo.

10 Hinc, non tenetur Iurisperitus, vel Medicus vendere libros, quibus sibi, & suæ familiæ victum pro ratione sui status, & conditionis congruẽtem cõparat & deinde turpiter, & subito mendicare, aut manibus victum laborando quærere, aut artifex suæ artis instrumenta pro restitutione eorum quæ debet quando libri, vel instrumẽta sunt ipsius debitoris ab ipso propria pecunia, vel industria comparata, & necessaria illis, ad transigendam vitam, quia non valet alia aptiori via sibi, & suis necessaria comparare, sed illis vti potest, vt sic paulatim colligere, vnde restituat. Ratio est, quia in hoc casu tenetur dominus ex charitate dilationem concedere, æquùm enim est, vt creditor permittat differri restitutionem, quæ suo debitori tam est damnosa, cum id sine suo graui detrimento facere possit. Ita Nauar. cap. 17. nu. 59. Med. C. de rest. q. 5. dub. 1. Aragon. 2. 2. q. 62. ar. 8. Cor. in sum. q. 68. Ban. 2. 2. q. 62. art. 8. Petr. Nau. lib. 4. de rest. c. 4. n. 45. Valent. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 7. & Salon. 2. 2. qu. 62. art. 8.

11 Hinc, qui non potest statim soluere centum aureos, nisi domum, vel agrum vendat multo minoris, quam valet, non tenetur statim restituere, sed potest differre solutionem. Et ratio est, quia in tali casu rationabiliter consentire debet creditor in dilationem; quod est verum non solùm quando debet ex contractu, sed etiam quando ex delicto, vt eruditè declarat Ioan. Med. Cod. de rest. q. 6. dub. 4. Petr. Nauar. lib. 4. num. 41. Valent. tom. 3. d. 5. q. 6. part. 7. Cord. in summa quæst. 68. Bart. Med. lib. 1. inst. conf. cap. 14. §. 53. Nauar. c. 17. nu. 57. & Less. lib. 2. de Iustitia cap. 16. dub. 1.

12 Quartò dico, quòd si debitor bonæ fidei ex restitutione statim faciẽda patitur iacturam totius status, potest differre solutionem, etiamsi creditor alias ob dilatã solutionem passurus sit damnum notabile, dummodo illud non patiatur de præsenti, & talis debitor paratus sit illud damnum pendens in futurum resarcire. Vt v. g. si hinc ad annum creditor indiget pecunia nunc sibi debita ad satisfaciendum suis creditoribus, & quia non est suo tempore soluta, compulsus fuit accipere pecuniam sub vsuris, tunc satis est, si debitor paratus sit huiusmodi vsuras soluere tempore suo, postquam solutionis earum causa fuit. Ita Lop. p. p. instruct. conf. cap. 118. Roder. p. 2. sum. cap. 45. & multi alij.

13 Quintò dico quòd si creditor citra iacturam status, damnum notabile patitur de præsenti ob dilatam solutionem, quia nimirum patitur in familia notabilem indigentiam, si damnum huiusmodi æquale, aut ferè æquale est cum iactura amissionis status debitoris, tunc talis debitor tenetur cum iactura etiam sui status, si aliter non potest hoc damnum graue, & præsẽtaneum creditoris tollere, restitutionem facere. Ratio est, quia extra extremam necessitatem cæteris paribus, scilicet in paribus status iacturis, vel indigentiis, melior est conditio creditoris quam debitoris.

Tum quia quando creditor patitur necessitatem parem (citra extremam) potest rationabiliter inuitus esse, quòd debitor ei non restituat: cum ex ordine charitatis possit sibi potiùs, quam debitori velle consulere. Ita Sot. lib. 4. q. 7. ar. 4. Val. t. 3. d. 5. q. 6. p. 7. Lop. p. p. inst. conf. c. 118. Roder. p. 2. sum. c. 45. Lud Carb. tract. de rest. q. 87. & alij.

14 Sextò quòd si debitor bonæ fidei restituendo statum mutaret cum duplo dispendio, quam creditor de præsenti patitur, tunc cum iactura sui status non tenetur statim restituere. Ratio est, quia possessor bonæ fidei non tenetur restituere cum maiori detrimento, quam sit rei restituendæ valor, vnde satis est in tali casu si debitor resarciat damnum, quod creditori ex dilatione accreuit, vt affirmat Lop. p. p. inst. conf. c. 118. Ledes. 2. 4. q. 16 a. 5 & alij.

15 Septimò dico, quòd quando status est iustè acquisitus, sed conseruatur bonis omnibus alienis, vt contingit in filio vsu-

rarij

rarij, qui bona fide hæreditatem à patre accepit, non tenetur debitor ſtatim reſtituere cum detrimento proprij ſtatus, aut ſuarum rerum, ſi ſit aliqua certitudo moralis quod in tempore opportuno reſtituet omnia ſine tanto ſuo detrimento iuxta illud Matth. 18. Patientiam habe in me, & omnia reddã tibi. Ratio eſt, quia Dominus in tali caſu irrationabiliter eſſet inuitus, poterit tamen retinere neceſſaria ad conſeruandum mediocriter illum ſtatum; ita ſanè vt poſſit paulatim reſtituere.

16 Dixi notanter (ſi ſit aliqua certitudo moralis &c.) quia ſi tales ſunt circunſtantiæ, vt niſi modo fiat reſtitutio, nunquam fit factura, tunc enim ſi res iniuſtè ablata eſt ſtatum reſtitui debet, etiamſi magni ſumptus cum detrimento proprij ſtatus, ac rerum eſſent faciendi, vt docet Ban. 2.2.q. 62. art. 8. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 16. dub. 1. Ledeſma 2.4.q.108.art.5.& Lud.Carb.tract. de reſtitutione quæſt.87. & 88.

17 Octauò dico, quod qui ex iniuſtè acquiſitis vt ex furto, aut vſura, aut rapina, aut iniuſtis extorſionibus, & exactionibus rei alienæ ſtatum acquiſiuit, cum iactura talis ſtatus, tenetur ſtatim integrè reſtituere, quamuis creditor ſimilem iacturam non patiatur. Ratio eſt, quia hoc modo non eſt de ſtatu ſuo cadere, ſed in ſuum ab illo deſcendere, qui nõ erat ſuus, nam proprius ſtatus non ex alieno, ſed ex ſuo comparari debet ita Caietan. in ſum. verb. cap. 6. Sotus. lib. 4. qu. 7. art. 4. Cord. in ſum. q. 68. Ban. 2.2. qu. 62. ar. 8. Petr. Nauar. lib. 4. de reſt. num. 43. Arag. 2.2. quæſt. 62. art. 8. Barthol. Med. lib. 1. inſtruct. conſ. cap. 14. §. 33. Lop. p. p. inſtruct. conſ. cap. 118. Salon. 2.2. qu. 62. art. 8. Roder. p. 2. ſum. cap. 45. & alij.

Verum eſt tamen, quòd in hoc caſu poterit debitor reſeruare ſibi, & ſuis alienata ſimpliciter neceſſaria, vt parcè viuat ſecundùm conditionem ſui ſtatus priſtini, quem antea habuit. Et ratio eſt, quia reſtitutio nunquam obligat deuenire in extremam neceſſitatem, & paupertem.

18 Obiicies, dimittere ſtatum ſemper eſt quædam infamia: ſed cum probabili periculo infamiæ nemo tenetur ſtatim reſtituere: ergo.

Reſpondeo, quando paſſim ſcitur ſtatum illum rapinis, vſuris, & ſimilibus fraudibus eſſe acquiſitum, nulla eſt infamia ab illo deſcendere, ſed potiùs bonam famam conciliat, malamque abſtergit.

19 Nono dico, quod quando res iniuſtè acquiſita in ſpecie extat, & debitor non extremè indiget, illam ſtatim reſtituere tenetur, etiamſi ſtatum deponere cogatur. Ratio eſt, quia tunc differri poteſt reſtitutio, quando debitor in re propria patitur damnum; at verò quando res aliena extat, ſi illam reſtituat, nullam in re propria detrimentum patitur: nullus enim ex alieno, & cum alterius damno locupletari poteſt. Ita Aug. in Florib. 4. ſentent. in materia de re. Lud. Carb. de reſt. qu. 87. & 88. & alij.

Hinc nobiles qui villas, aut alienas poſſeſſiones iniuſtè detinent, ne ſtatim reſtituendo a magnitudine ſtatus, & familiæ cadant, & eorum confeſſores huius rei conſcij ſunt in ſtatu damnationis, quia de alienis non debent tam pompaticè viuere.

20 Decimò dico, quod quando res reſtituenda ex iniuſta acceptione modica eſt, & creditor ex dilata ſolutione parum dãnificatur, non tenetur debitor cum detrimento totius, vel medietatis ſui ſtatus rẽ illam reſtituere. Ratio eſt, quia in tali caſu rationabiliter conſentire debet creditor in dilationem. Ita tenet Roder. pag. 2. ſum. cap. 45. Lop. par. p. inſtruct. conſ. cap. 118. & alij.

Vndecimò dico, quòd qui ſtatim reſtituendo, non poteſt omnibus creditoribus ſatisfacere, adeſt tamen verisimilis Spes, quod poſt breue tempus integrè omnibus reſtituat, licitè poterit in hoc caſu reſtitutionem differre. Ratio eſt, quia tunc charitas exigit, vt creditor permittat dilationem, ſi commodè poſſit, quia contra rectam rationem eſt, vt velit ſibi ſtatim reſtitui, cum tanto aliorum creditorum incommodo, quòd dilata ſolutione poſſet vitari, vt expreſsè colligitur ex lege fin. cap. qui bonis cedere poſſunt, & tenet Petr. Nauar. lib. 4. de reſtitutione num. 52. Medina C. de reſt. qu. 5. dub. 2. Cord. In ſum. q. 68. & Aragon. 2.2. q. 62. art. 8.

21 Duodecimo dico, quod qui ſtatum ſuũ iuſtè acquiſitum, retinet partim alienis bonis, partim propriis, ſiue aliena bona ſint acquiſita bona fide, ſiue mala, non tenetur ſtatim reſtituere, ſi Dominus ex ſolutione parum iuuaretur, debitor autem notabiliter damnificaretur in ſtatu ſuo, aut in propriis bonis, vt quia oporteret eum

ad

ad ſoluendum domum, aut poſſeſſionem aliquam vendere notabiliter minùs iuſto pretio vt ſi debet mille, & vt reſtituat cogatur domum valentem duo millia, pro mille vendere. Et ratio eſt, quia æquitas naturalis dictat, vt etiam iniuſti poſſeſſoris graui iacturæ compatiatur creditor, quando id ſine graui ſuo detrimento facere poteſt, vt egregiè ſuo more declarat Nauar cap.17.num.63.Lop.p.p.c.117.& alij.

22 Tertiò decimò & vltimò dico, quod qui non tenetur cum totali iactura ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, debet tamen in ſumptibus ſe reſtringere diminuendo quantum poteſt ſuum ſtatum intra limites decentiæ ſtatus, quæ non cõſiſtit in puncto indiuiſibili, vt ſic paulatim reſtituat, vnde debet parcè viuere, & paruas dotes tradere, & ſi non poteſt filias tradere nobili, tradat mercatori, & alia ſuperflua reſecet. Et ratio eſt, quia ſine magna caterua famulorum, Equorum &c. ſtatus nobilium conſeruari poteſt, vt notat Leſſ.lib.2.de Iuſtitia cap.16. dub.1. Sylueſt. verb. reſtitutio 5.quæſt. 4. & Lop.p.p.inſt. conſ.cap.118.

Ideò debent confeſſarij eſſe diligentes ad diſcernendas cauſas prorogationis, quas reſtitutioni obnoxij ſolent ſibi fingere, & in caſu dubij debent inclinare in fauorem creditoris.

QVÆSTIO CXXVII.

An hæres ſuccedens Patri in bonis iniuſtè acquiſitis tenetur reſtituere cum graui iactura ſui ſtatus?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi bona fide ſucceſſit in bonis, vt puta neſciens ea eſſe vſuraria, & poſtea venit in cognitionem, quòd erant iniuſtè acquiſita non tenetur cum tam graui damno reſtituere. Ratio eſt, quia hæres bonæ fidei, id eſt, bona fide hæreditatem accepit.

2 Secundò dico, quòd ſi mala fide in bonis ſucceſſit, hoc eſt ſciens ea bona fuiſſe acquiſita per vſuram, tũc tenetur ad reſtitutionem, & ſibi imputare debet graue detrimentum, quod patitur, ſi quidem mala fide ea bona hæreditatia accepit, ſciens ea eſſe per iniuſtitiam comparata.

QVÆSTIO CCXXVIII.

An reſtitutio putetur creditori vel alteri nocitura, poſſit differri?

1 RESpondeo poſſe. Ratio eſt, quia differt ſolutionem, vt impediat malum, quod ſuo creditori imminet, vtiliter, & ſalubriter negotrũ eius gerit, ergo illa non poteſt eſſe rationabiliter inuitus.

2 Hinc, ſi ex reſtitutione ſtatim facta, ſequerentur adulteria, fornicationes, aut alia peccata mortalia, licitè poſſet reſtitutio differri. Ratio eſt, quia hæc mala ſine comparatione ſũt maiora quàm damnum quod creditor ex dilatione ſui debiti patitur: imo ſunt bona altioris ordinis, quam bona fortunæ, quæ creditori debentur, vt ait D.Tho. 2.2.qu. 62.artic.5.& Caiet.ibid.Sot.lib.4.qu.7.art.1.Nau.cap.17. num.62.Val.tom.3. diſp.5.q.6.p.7.Leſſ. lib. 2.de Iuſt.cap. 16.dub.4.Ban.2.2. qu. 62.art. 5.& Petr.Nauar.lib.4.num.37.

QVÆSTIO CCXXIX.

Sed quæſtio dubia eſt, An in hoc caſu teneatur debitor reſtitutionem differre?

1 RESpondeo teneri lege charitatis differre ſolutionem, ſi dilata hæc mala proximi impediret. Ratio huius eſt, quia lege charitatis quiſque tenetur impedire malum proximi ſpirituale, etiam cum aliquo ipſius damno temporali vt patet in correctione fraterna, dum adhibentur teſtes, vbi læditur fama proximi, Leſſ.lib.2.de iuſtitia cap.16. dub.4.

Hinc, non ſunt condemnandi Principes retinentes Caſtella, aut Villas alienas, quando credunt probabiliter, quod ex eorum reſtitutione ſua Regna paſſura ſunt magna incommoda, & bella iniuſta. Ratio eſt, quia quiſque tenetur lege charitatis impedire damna proximi, ſi poteſt, & multo magis damna Reipublicæ.

2 Petr. Nauar. lib. 4.de reſt.nu. 34. putat quod quando creditor petit ſuum debitum tantummodo in ſuum damnum, quia nimirum vult cum meretricibus, ac malis hominibus illud inſumere debitorem non obligari ſolutionem differre, ad ipſum nõ pertinet, quomodo ille res ſuas ſit impen-

Digitized by Google

ſurus. Verum quod dixi eſt probabilius, quamuis vt optimè annotauit Leſſ.lib.2.de Iuſt.cap. 16. dub.4. raro in hoc caſu debitor obligetur ſub mortali differre ſolutionem. Tum quia creditor poteſt in Iudicio ſuum debitum petere. Tum quia hæc cautela differendæ ſolutionis parum eſt in vſu,& vt plurimum parum efficax ad malum creditoris impediendum, & cum moleſtiis,ac calumnijs coniuncta.

5 Quæ omnia tunc ſolùm excuſant à reſtitutione, quando ex dilatione ſolutionis periculum maioris mali, vel paris incommodi non timetur, quam ex reſtitutione. Ratio eſt, quia debitor habet ius differendi,niſi quatenus eſt Spes mali impediendi.

An interdum teneatur debitor ex Iuſtitia differre reſtitutionem?

1 REſpondeo teneri, vt ſi reddat gladium occidere volenti ſuum inimicum, tunc enim talis redditio cenſeretur cauſa poſitiua homicidij. Quod intellige niſi ex retentione graue malum ſibi immineret; tunc enim reddere gladium non cenſeretur cooperatio, ſed actio per ſe indifferens.

QVÆSTIO CCXXX.

An debitor teneatur, ſe vendere, vt reſtituat?

1 REſpondeo non teneri. Et ratio eſt, quia bonum inferioris ordinis non eſt reſtituendum cum iactura boni altioris ordinis,atqui libertas eſt inæſtimabilis, & altioris ordinis, quam bona fortunæ, ergo cum iactura, & amiſſione libertatis, nemo tenetur reſtituere.

2 Tum quia nec Ius ciuile, nec diuinum quod eſt ſuaue obligat aliquem vt ſe vendat ad ſoluendum, ſed potius iure prohibetur hominem liberum dari in pignus ſui debiti Valent. tom.3.diſp.5.qu.6.p.ag.7. Tolet.lib.5. cap.27.Roder. pag.2. ſum.cap. 45.& alij.

QVÆSTIO CCXXXI.

An debitor teneatur aliis deſeruire vt reſtituat?

1 AD hoc dico primò, quòd perſona nobilis, quæ nunquam ſeruiuit, vt reſtituat, non tenetur. Ratio eſt, quia honor ex genere ſuo eſt ſuperioris ordinis, quam bona temporalia,vt docet D.Thom. 2.2.q.129.art.1. Vnde Ariſt. 4.Eth. cap.3.affirmat honorem eſſe maximum bonorum externorum.

2 Secundò dico,quod perſona, quæ ſolita eſt aliis ſeruire, ſibi ſtipendium comparando, & poteſt ſeruire ad tempus, ſeruire tenetur, quamuis huius rei gratia per totam vitam huic famulatui perpetuo velle hunc adiicere perdifficile eſt, & durum: eſſet enim fere ad perdendam totam libertatem obligare, quòd duriſſimum eſſe videtur. ita Lop.p. inſt.conf.c.129. Angles in Flor.4.ſentent. tract.de reſt.Lud. Carb. de reſt.quæſt.85.dub.7.& alij.

QVÆSTIO CCXXXII.

An reſtitutioni obnoxius teneatur manibus laborare vt reſtituat?

1 REſpondeo, nobilis qui antea laborare non conſueuit, non tenetur manuales operas exercere,vt reſtituat, ſed ſatis eſt, vt viuat moderatius succidens expenſas domus ſuæ. Sin autem ſolitus erat laborare, & poteſt laborare; ad laborandum cogi poteſt, & debet,vt ſic reſtituere poſſit, ſi tamen aliquid ſuperſit ex labore vltra victum congruum.

QVÆSTIO CCXXXIII.

An debitor teneatur mendicare, vt ſtatim reſtituat?

1 SVnt multi qui exiſtimant eum, qui detinet rem alienam, teneri, quamcunque rei neceſſitatem (citra extremam) ſubire,vt reſtituat, etiam ad talem ſtatum deſcendere,vt mendicet.

Angles in Floribus. 4. ſentent. tract. de reſt.abſolutè negat,ſi ex mendicato viuere ſit ignominioſum, aut contra ſtatum, & conditionem eius.

2 At vero Sotus lib. 4. de Iuſtitia quæſt.7. art.4. diſtinguit. ait enim, ſi debitor nihil habet iuſtè acquiſitũ,ſed totius illius ſtatus conflatus eſt ex furto, vel rapina &c. aut in culpa eſt vt aliter reſtituere non poſſit, puta quia prodigè in ludis, & vita luxuriosa aliiſque ſumptibus, ac communis

pro

profanis dilapidauit bona sua, tunc tenetur restituere, & subire quamcunque necessitatem citra extremam, vsque ad mendicitatem. At cum bona fide debita contraxit, & in talem difficultatem restituendi aliquo infortunio peruenit, restituere quidem debet mutando statum suum, & viliùs viuendo, non potest aliquid ad suam substentationem mediocrem retinere.

3 Cæterum mihi placet opinio Angl. ducor, quia sicut nemo tenetur cadere a statu iustè acquisito, vt restituat, ita neque tenetur, qui iniustè multa debita contraxit cadere a pristino, & præcedenti statu, quem iuste obtinebat, & in quo non mendicabat. Vnde reseruare sibi potest necessaria & hoc multum præcisè secundum conditionem sui status pristini, antequam ex illo ad meliorem ascenderet. Secus erit, si infimæ sortis homo esset, & ex mendicato viuere alioqui solitus, vt Ban. 2.2. q. 62. ar. 7. & Azor. p. 3. inst. mor. lib. 5. cap. 39. affirmant.

QVÆSTIO CCXXXIV.

An debitor cum probabili periculo salutis suæ vel suorum teneatur statim restituere? verbi gratia vt si periculum sitne ipse in desperationem præ impatientia incidat, ne vxor, vel filiæ præ inopia se prostituant?

1 REspondeo nō teneri. Ratio est, quia debitor magis tenetur saluti animæ suæ, & suorum consulere, quam debita soluere. Ita Less. lib. 2. de Iustitia cap. 16. dub. 1. & Nauar. cap. 17. num. 57. Quod intelligitur, quandò non occurrit alia commoda ratio eius auertendi, nisi differendo solutionem.

QVÆSTIO CCXXXV.

An cessio bonorum à restitutione excuset?

1 AD hoc dico primò, quòd cessio bonorum, qualis permittitur per leges fit hoc modo, cum enim quis multa contraxit debita, nec habet vnde omnia integrè soluat, leges concedunt ei ne consumetur in carcere, & in manu creditoris, aut eo deficiente in manu Iudicis possit cedere bonis suis. Nauar. cap. 17. num. 86. Tolet. lib. 5. cap. 26. Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 4. & Aragon. 2.2. quæst. 62. art. 8.

2 Secundò dico, quod qui hoc modo bonis cessit, liber manet à restitutione, quamuis non integre soluat, & est tutus in conscientia. Ratio est, quia cum leges istæ sint iustæ, ius in vtroque foro conceditur, vt declarat Less. lib. 2. de Iustitia cap. 16. dub. 1. Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 4. Tolet. lib. 5. cap. 26. Salon. 2.2. qu. 62. art. 8. Lop. p. p. instruct. conf. cap. 119. & Aragon. 2. 2. q. 62. art. 8.

QVÆSTIO CCXXXVI.

An qui secundùm leges bonis cessit, possit tuta conscientia pro se, & suis necessaria retinere, ne cogatur mendicare?

1 MEdina C. de restitutione quæst. 3. causa 3. negat.

Alij verò vt Greg. de Valen. tom. 3. disp. 5. q. 6. pag. 7. Tolet. lib. 5. cap. 26. & Less. lib. 2. de Iustitia cap. 16. dub. 1. affirmant. Pro quo.

2 Primò dico, quod si cedens bonis, bona illa, quæ iam possidet, furto vel rapina, vel alius iniustis artibus acquisiuit, nihil retinere potest, sed debet illis omnino cedere & victum quærere labore, vel mendicitate si prius solitus erat laborare; quia talia bona nunquam fuerunt eius, sicut diximus de statu iniustè acquisito. Ita Petr. Nauar. lib. 4. de rest. num 58. Salon. 2.2. qu. 6. art. 8. Lop. p. p. cap. 119. & alij.

3 Secundò dico, quòd si cedens bonis, bona illa iusto titulo acquisiuit, & postea debita illa contraxit siue infortunio, & sine culpa sua, siue culpabiliter per ludos vel scorrationes (quidquid in hoc secundo casu ad neget P. Nau.) tutus est in conscientia cedendo bonis iuxta leges ciuiles, potestque optima conscientia retinere ea quæ spectata conditione suæ personæ, & eorum quos alere tenetur, iudicio prudentis censentur necessaria, de huiusmodi enim agunt leges ciuiles, quæ cum sint iustæ, & maximè expedientes bono communi, reddunt debitores suos tutos in conscientia, Tolet. lib. 5. summa cap. 26. Valent. tom. disp. 5. qu. 6. p. 7. Less. lib. 2. de Iustitia cap. 16. dub. 1. & alij.

QVÆST. CCXXXVII.

An qui hoc modo suis bonis cessit, teneatur integrè satisfacere, quando ad lautiorem fortunam venerit?

1 REspondeo teneri. Ratio est, quia cessio ista conceditur ea ratione necessa-

Digitized by Google

ceſſitatis, in quam deuenit, qua ceſſante, ceſſat etiam iſta legum conceſſio, & in integrum ſingulis creditoribus reſtituere tenetur.

Tum quia idem ius, quod ceſſionis priuilegium induxit, hoc expreſsè ſtatuit vt patet ex lege cum & filij familias C. qui bonis cedere poſſunt Quod etiam oſtendit Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 1. num. 6. eſſe verum, quando cum aliqua ceremonia ignominiæ ceſſio illa bonorum ſit, quia hæc pœna non imponitur vt ab onere reſtituendi ſit liber, ſed vt plectatur culpa, quæ præſumitur ab eo admiſſa accipiendo mutuum, & contrahendo, cum eſſet impotens ſolutionis. Quod intellige, ſi acquiſierit pluſquam ſibi eſt neceſſarium ad decétiam ſtatus, nam ſi non amplius acquiſierit non tenetur, vt habetur ex dicta lege Qui bonis. Et tradit Nauar. cap. 17. nu. 86. Tolet. lib. 5. cap. 26. Valent. tom. 3. diſp. 5. qu. 6. p. 7. Sotus lib. 4. qu. 7. art. 4. Salon. 2. 2. qu. 62. art. 8. & alij.

Ex quo colligitur, debitum per ceſſionem non fuiſſe extinctum, ſed conſopitum ob inſtantem neceſſitatem, donec ad meliorem fortunam veniret.

QVÆSTIO CCXXXVIII.

An creditoris remiſſio ab obligatione reſtituendi excuſet?

1 REſpondeo excuſare. Et ratio eſt, quia creditor poteſt ius ſuum quod habet in debitorem alteri donare: ergo & ipſi debitori, quod eſt remittere: quia remiſſio eſt quædam donatio.

Et confirmatur, dilatio conceſſa à creditore excuſat ne ſtatim teneatur reſtituere, ergo remiſſio excuſat ne vnquam reſtituere teneatur. Ita Caietan. 2. 2. qu. 62. art. 6. & in ſum. verb. reſtitutio cap. 6. Nauar. cap. 17. num. 75. Tolet. lib. 5. cap. 26. Leſſ. lib. 2. cap. 16. dub. 2. Valent. tom. 3. diſp. 5. qu. 6. pag. 7. & communis.

Verum vt iſta remiſſio ſit valida tria neceſſariò requiruntur. Primò vt perſona quæ remittit debitum ſit ſui iuris, habeatque facultatem donandi id eſt habeat dominium talis rei.

2 Hinc remiſſio facta à filio familias, ſeu pupillo, vxore, vel mente capto ſine conſenſu Patris, aut tutoris, aut viri à reſtitutione debitorem non liberat: quia iſti non ſunt ſui iuris, nec donare poſſunt.

Secundò requiritur vt remiſſio ſit omnino libera, & voluntaria, id eſt vt non violenta, vel metu, aut fraude extorta, quia fraus, & dolus, vis quoque, & metus etiam leuis iniuſtè illatus, & reuerentialis tanquam cauſa, ſine qua res non fieret, tollunt rationem liberi & voluntarij. Nauar. cap. 17. num. 79. Rebell. pag. 2. de obligat. lib. 2. quæſt. 17. ſect. 1. & alij.

3 Hinc, ſi quis diceret creditori, nolo tibi reſtituere centum, quæ debeo, niſi remiſeris quinquaginta, talis remiſſio non valeret, quia non eſſet libera, ob id enim creditor remittit quinquaginta, quia diffidentiam concipit recuperandi centum ob minas debitoris. Secus autem eſt, ſi diffidentiam quam concipit recuperandi totum, eſt ob alias cauſas.

Hinc, ſi quis debitum remittit, ob id, quia timet, niſi ita remittat, aſperè ac iniuſtè a debitore eſſe tractandum, tunc talis remiſſio vtpotè inuoluntaria mixtè, debitorem ab obligatione reſtituendi non liberat.

4 Hinc, ſi quis per fraudes, ac mendacia, debiti remiſſionem obtineat, lege fingendo ſe non habere, vel eſſe ſe longe pauperiorem, quam reuera ſit non manet liber à reſtitutione, quia talis remiſſio non eſt libera, ſed fraudulenta.

Hinc ſi creditor ideo remittit, quia credit diuerſam eſſe iniuriam, aut notabiliter minorem reſtitutionem ſibi deberi, quam reuera debeatur, tunc enim ſaltem quod ad exceſſum inualida erit remiſſio: ſecus verò ſi dubius exiſtens de quantitate, vel qualitate debiti abſolutè remitteret.

5 Hoc idem dicendum eſt, quando remiſſio fieret ex verecundia mediatoris, quia tunc non valeret, ob defectum libertatis quæ eſt eſſentia donationis.

Hinc, Potentes qui à vaſſallis remiſſiones obtinent, quia iſti metu concedunt ne ipſis diſpliceant, vel damnum aliquod ab eis patiantur, non ſunt tuti in conſcientia, quia talis remiſſio non eſt omnino libera, & ſpontanea.

6 Hinc qui precibus, & blanditiis remiſſionem obtinet, liber manet à reſtitutione. Et ratio eſt, quia preces, & blanditiæ voluntarium non tollunt, ſed augent, niſi forte preces eſſent adeo importunæ, & extraordinariæ,

ordinariæ, vt creditor mallet ſua pecunia priuari, quam tanta importunitate ſollicitari, tunc enim remiſſio in conſcientia non valeret, quia cauſa redimendæ iniuſtæ vexationis fieret.

Tertiò & vltimò requiritur, vt talis remiſſio non ſit iure prohibita. Ratio eſt, quia quando aliquis recipit aliquid contra iuris prohibitionem, tunc non liberatur per remiſſionem gratuitam.

7 Hinc, Iudex Eccleſiaſticus à ſede Apoſtolica delegatus, qui à partibus litigantibus munus aliquod recipit, præter eſculentum aut poculentum, mera liberalitate donatum, quod paucis diebus conſumi poteſt, tenetur in conſcientia illud ſtatim reſtituere, nec ſpontanea partis remiſſio Iudicem ab onere reſtituendi excuſaret: ratio eſt, quia talis remiſſio eſt in iure prohibita, vt habetur in capite ſtatutum de reſcriptis. in 6. & tradit Lop. p. p. c. 110. & Ioſeph in 4. ſent. tract. de reſtitutione.

Ex quo textu colligit Gabr. in 4. omnem Iudicem teneri ad reſtitutionem: quod eſt verum ſecundum præfatum Ioſephum de Iudicibus delegatis, non autem de ordinariis. Nam textus ille eſt pœnalis, & ideo non eſt ampliandus.

8 Hinc Viſitatores, qui præter expenſas modicas tempore viſitationis, & itinere factas recipiunt munera, tenentur intra menſem illa in conſcientia reſtituere danti, non obſtante quacunque remiſſione. Ratio eſt, quia eſt prohibita in cap. exigit. & cap felicis de cenſibus in 6.

Hinc, qui prætextu officij ſui modis illicitis pecunias, aut munera extorquent, tenentur ſtatim ante ſententiam Iudicis ea reſtituere danti, nec eius ſpontanea remiſſio eos à reſtitutione liberat. Ratio eſt, quia in Clem. Nolentes de hæret. in 6. talis remiſſio prohibetur.

9 Hinc, ſi Canonicus qui Officio non intereſt, accipiat diſtributiones, tenetur ſtatim in conſcientia illas reſtituere, nec valet remiſſio aliorum, quibus illæ accreſcunt, quia eſt prohibita in Conc Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.

QVÆSTIO CCXXXIX.

Quid? ſi poſtquã Iudex delegatus reſtituit, pars ſibi illud retinet, An poſſit illud retinere?

1 Reſp. poſſe. Ratio eſt, quia hoc non prohibetur: niſi fiat in fraudem, qua tunc talis Iudex non eſſet immunis a reſtitutione: tunc autem fieret in fraudem quando nulla noua cauſa rationabili inducta tem illam daret. Quod intelligendum eſt ſi ſuo iudicio. Sylueſt. verb. Iudex 1. q. 8. & Lop. p. p. c. 110.

QVÆSTIO CCXL.

An vt remiſſio ſit efficax, requiratur, vt debitor actu offerat pecuniam in præſentia creditoris?

1 AD hoc dico primo, quod quiuis ære alieno onuſtus, poteſt per ſe, vel per alium petere à creditore ſuo remiſſionem ſui debiti. Et ratio eſt, quia quando vnus poteſt dare & alter petere, licet petere, quod licet recipere: ſed creditor cum ſit dominus ſuæ rei, poteſt dare, ergo & creditor recipere, ac conſequenter petere.

2 Secundo dico, quod vt debiti remiſſio ſit valida, non requiritur, vt petens remiſſionem offerat pecuniam in manu creditoris. Et ratio eſt, quia ſicut obligatio reſtitutionis naſcitur ex iniuſta rei alienæ detentione, quæ tunc fit, quando inuito domino res detinetur: Ita etiam ceſſat, ceſſante iniuſta illa detentione, quæ tunc ceſſat, quando dominus liberè remittit, eſto non offeratur pecunia,

Tum quia vt ſit efficax remiſſio, tantum requiritur vt voluntas remittentis ſit libera, & voluntaria; ſed vt ſit libera, & voluntaria, parum facit, eſtque impertinens conſenſerit ne oſtenſa pecunia, vel non oſtenſa, ergo.

Imo ſit reſtitutioni obnoxius ſi pauper, & creditor ita diues, vt remiſſio debiti foret opus miſericordiæ, conſulendum illi eſt, vt antequam pecunia realiter, vel verbaliter præſentetur, remiſſio petatur, præſentia enim pecuniæ allicere ſolet oculos, & impedire poteſt animi liberalitatem cũ obiecta præſentia (teſte Ariſtotele) magis mouere ſoleant. Vnde quando non conſtat creditoris conſenſum eſſe innoxium mixtè, quia non ſunt vehementes coniecturæ, quæ id vehementer perſuadeant, præſumendum eſt, eſſe liberum ſufficienter vt remiſſio ſit valida imo regulariter

Digitized by Google

gulariter credi potest (nisi quid aliud obstet) creditori affirmanti, se sponte condonare, cum nemo alius possit esse aptior suæ voluntatis testis, quam ipsemet.

3 Verùm si coniiceretur creditor remittere, quia non videt pecuniam, & desperat se posse habere, tali casu offerenda esset pecunia, alias non esset libera, & spontanea remissio. Caiet. 2.2.q.62.ar.6.& in sum.verb. rest.c.7. Sotus lib.4.q.7.ar.4. Nau.c.17. n.76. Valen.to.3. d.5.q.6.p.7. Tolet.li.5.ca.26. Petr. Nau.li.4.de rest.num.27. Arag.2.2.q.62.ar.8. Molina tom.3.de iust.d.754. Couar. in Reg. peccatum par.2.num.5. & Salon.2.2.quæst. 62.ar.8.

4 His adde, quod licet non sufficiat ad exonerandum debitorem, quod creditor ita quoad eum affectus censeatur, vt si peteretur remissio, eam libenter concederet iuxta illud Iuristarum, voluntas retenta id est nullo externo signo declarata, nihil operatur: nihilominus si probabiles sint cõiecturæ, vnde coniiciamus eum nolle à tali persona vllam restitutionem, censenda erit virtualis remissio, quæ sufficit in conscientia ad deobligandum debitorem. Ita Rebell.part.2.de obligat. libr.2. quæstione 17. sect.1.

QVÆSTIO CCXLI.

An vt debitor immunis sit à restitutione, requiratur, vt sit parati animi ad restituendum?

1 REspondeo non requiri. Et ratio est, quia licet intentio non soluendi sit peccatum, non reddit tamen petitionem, in qua quæ dicuntur exterius vera sunt, dolosam, & fraudulentam: ad veritatem, enim contractus nihil aliud requiritur, quam vt vera sint, quæ exterius dicũtur, & aguntur, ergo licet debitor careat animo soluendi, si tamen sine vi, aut metu, vel fraude verè explicet debitum, & egestatem suam, & creditor liberè debitum remittit, valida est talis remissio, & debitor liber manet à restitutione.

QVÆSTIO CCXLII.

An solutio facta creditori creditoris à restitutione excuset? v.g. Titius debet centũ Caio, & Caius tantumdem debet Seio, dubium est, An Titius soluens illa centum Seio liber sit à restitutione?

1 REspondeo, si res debita non est eadem numero reddenda, sed specie, & valore, tunc remota fraude, & præiudicio Caij, tunc licitum est, & liber est Titius à restitutione, si remoto Caio creditori suo, Seio creditori Caij persoluat. Ratio est, quia quod Titius fecit, Caius facere debebat, remque eius vtiliter gessit: ex quo id ad vtilitatem eius expediebat: & in hac solutione per Titium facta licet dissentiat Caius actu elicito, actu tamen debito censetur consentire, ergo Titius nec peccauit, nec manet obligatus ea iterum restituere, siue ex eadem, siue ex diuersa causa debitum emanat, siquidem in foro conscientiæ iniustum est, vt semel solutum, iterum soluatur. Ita Arag.2.2.q.62.ar.8. Valen.to.3.d.5. q.6.p.7. Petr. Nauar.li.4.de rest.nu.23. Med. C.de rest.q.3.causa 5. Roder. p.2.sum.ca.47. concl.3. Less.lib.2.de iust. cap.16. dub.3. & alij.

QVÆSTIO CCXLIII.

An debitor per ingressum Religionis, & professionem ab obligatione restituendi sit liber?

1 IN hac quæstione Med.Co.de rest.qu.3. causa 8. Vale.to.3.d.5.q.6.par.7.& Val. Carb.de rest.q.85.dub.3. dicunt non liberari, sed peccare ingrediendo, & ingressum teneri quantum in se est, quærere modum, quo illi satisfacere valeat, puta artem aliquam exercendo intra Monasterium, quod si intra Monasterium id efficere non potest, debet etiam habitu dimisso in partes remotas secedere, vbi sine scandalo lucrari possit, vnde debita soluat, idque probant, quia iure naturæ tenetur satisfacere.

2 Contrarium tenet D.Th.2.2.q.189. ar.6. ad 3. Caie. ibid. Palud. in 4.d.38.q.3.ar.1. Syluest. verb. Religio.2. q.4. qui citat Host. Innoc. Raym.& alios Ang. ibid.n.6. Arag.2.2. q.62.ar.8. Lop.p.p.c.129. Less.lib.2.de iust.c. 16.dub.8.& multi alij. Pro quo.

Primo dico, quod qui restitutioni obnoxius potest restituere debita, sed eis prætermissis ad Religionis statum confugit, peccat mortaliter, & illum etiam recipientes, quia cooperantur peccato illius, iure

enim naturali, & diuino tenetur debitor alienum restituere.

3 Hinc, qui debet aliquid certum in specie extans, non potest omissa restitutione ad Religionem euolare. Ratio est, quia hic nulla est iusta causa non restituendi. Et eadem ratione qui est obligatus ad rationes reddendas non potest hoc licitè prætermittere. si potest, vt Religionem ingrediatur, vt docet D. Th. communiter receptus. 2. 2. q. 189. ar. 6. ad 3.

Secundo dico, quod qui habet parentes in graui necessitate constitutos, aut liberos alendos, non potest illis dimissis ad Religionis statum euolare. Ratio est, quia præceptum de subuentione parentum, & filiorum est diuinum, ingressus autem Religionis est de consilio.

4 Tertio dico, quod qui breui tempore, & sine animæ periculo, ac consuetis laboribus potest acquirere, vnde creditoribus satisfaciat, tenetur nõ intrare Religionem, sed satagere illo breui tempore, scilicet vnius anni, vt sibi ex suo labore, aut aliundè acquirat, vnde soluat. Ratio est, quia tũc creditores merito sunt inuiti, si illis ante non satisfaciat, cum facili negotio possit. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 16. dub. 8. Lop. p. p. c. 129. & Petr. Nau. de rest. n. 94.

Quarto dico, quod qui non potest creditoribus satisfacere, nisi longo tempore, vt multis annis, vel insolitis laboribus, non tenetur expectare, sed cessis bonis suis in fauorem creditoris potest statim Religionem intrare. Ratio est, quia qui de præsenti non habet, nec spem habet proximam habendi, absolutè censetur impotens ad soluendum.

Tum quia maior est obligatio iustitiæ in matrimonio, quam in alio quouis contractu ciuili vt patet: si ergo obligato ad matrimonium, imo etiam post matrimonium contractum ratum, sed non consummatum, licet ad Religionis statum confugere, & per talem ingressum, & professionem a debito coniugali liberatur, multo magis a debito pecuniario professus liberabitur.

Tum quia propter pecuniam, persona hominis liberi non obligatur secundum iura, quoniam persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ sed solum bona illius: quare cedendo bonis, libera manet persona debitoris, ac proinde potest Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, vt procuret, vnde debitum reddat.

Tum demum, quia creditor in hoc casu inuitus irrationabiliter censeretur, si debitorem tanto bono priuari velit propter restitutionem sibi prius faciendam, vt post S. Th. Caiet. Sylues. Ang. Lop. Arag. P. Nau. Vict. & alios resoluit Less. lib. secundo de iust. c. 16. dub. 8.

6 Quinto dico, quod vir nobilis, quem dedecet aliis seruire, vel manibus victum quærere, non tenetur ingressum Religionis differre, vt ea ratione acquirat, qua creditoribus satisfacere valeat. Ratio est, quia talis si cedit suis bonis in fauorem creditoris, ad nihil amplius tenetur, quia nulla ratione lucrandi quæ ipsũ decet, suppetit. Secus si esset persona vilis, & speraretur, quod sine magno temporis interuallo, & absque animæ periculo in seculo manendo restituere posset, vt tenet Less. lib. 2. de iust. c. 16. dub. 8.

7 Sexto dico, quod talis Religiosus non tenetur absolutis diuinis officiis in Monasterio manibus laborare, vt creditoribus satisfaciat, quia siue nobilis sit, (cum constet honorem, & libertatem altioris esse ordinis quam pecunia) siue ignobilis sit, eo ipso quod nec actu nec spe habet, absolutè impotens est ad restituendum, ac proinde à restitutionis onere est liber: tenebitur tamen Monasterium talia debita soluere, ex bonis illius, si quæ attulerit, atque etiam ex illis, quæ per ipsum acquisierit, siue ex donatione, siue ex testamento. Ita Arag. 2. 2. q. 62. ar. 8. Lop. p. p. c. 129. Less. li. 2. de iust. ca. 16. dubitat. 8. & alij.

8 Septimo, & vltimo dico, quod qui debitis non solutis Religionem ingreditur, & professetur, cum possit ante restituere, iure quidem antiquo valida est eius professio, nec potest reuerti ad statum secularem. Ratio est, quia ad professionem satis est vt persona sit libera, vt Less. li. 2. de iust. ca. 16. dub. 8. asserit.

Dixi, notanter (iure antiquo) quia iure nouo Sixti V. ære alieno grauati non possunt ad Religionem, & professionem admitti & admissi decernitur nullam esse eorum professionem.

QVAE

QVÆSTIO CCXLIV.

An interitus rei debitæ à restitutione excuset?

1 AD hoc dico primo, quod si res, quam debitor tenetur restituere est in specie aliena, vt hic, vel ille equus hæc, vel illa vestis, excusatur eius interitu, si absque dolo, aut culpa, aut ante moram perierit. Ratio est, quia creditor immediatè & indirectè: ac proinde pereunte re, & non ex culpa, aut mora debitoris, perit actio, quam creditor contra debitorem habebat. Secus autem, si aliquid horum intercesserit, quia tunc debitori est imputandus interitus, & ad rei æstimationē soluendā tenetur.

Secundo dico, quod si res quam debitor tenetur restituere est in genere aliena, puta pecunia, vel vestis, vel equus non determinatus, aut aliud huiusmodi, tunc quamuis pereat etiam sine culpa, aut mora debitoris, nimirum incendio, aut alio casu fortuito, non liberatur à restitutione, quod procedit, licet omnia bona debitoris amittantur. Ratio est, quia obligatio directè, & immediatè erat non in re aliqua debitoris, sed in persona eius licet mediatè sit in re, ideo pereunte re, manet eiusdem personæ obligatio. Nau.c.17.n.80. Valen.to.3.d.5.q.6. p.7. Less.li.2.de iust.c.16. dub.6.

3 Tertio dico, quod si res, quam debet, non est in specie aliena, sed sua, eius interitus etiam inculpabilis illum non excusat à restitutione, vt si pecunia destinata solutioni surripiatur. Ratio est, quia res domino suo perit. Petr. Nau. li. 4. de rest. c. 1. nu. 13. Roder. p. 2. sum. c. 47. Med. C. de rest. q. 3. causa 6. & Nau. c. 17. n. 80.

QVÆSTIO CCXLV.

Sed quid? si res eodem modo apud dominum peritura esset post moram, sicut perit apud debitorem?

1 RESpondeo si res eodem modo apud dominum peritura erat quo periit in potestate debitoris, nulla est restitutionis obligatio, licet debitor non restituendo tempore præfixo peccauerit; quod procedit siue debeatur ratione contractus, siue ratione alicuius delicti. Et ratio est, quia in hoc casu nullum damnum intulit domino, quod ille aliàs non fuisset passurus. Si tamen dominus erat rem illam venditurus, vel donaturus, vel ex ea sibi vsque ad eum terminum seruata aliquam vtilitatem capturus, debitor existens in mora tenetur ad restitutionem. Et ratio est, quia est causa damni, & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Ita Less. li. 2. de iust. cap. 16. dub. 5. Med. C. de rest. q. 3. causa 6. & Lop. p. p. c. 129.

QVÆSTIO CCXLVI.

Sed petes. Quando obligatus ad aliquid soluendum dicatur esse in mora?

1 RESpondeo obligatum ex delicto, vel quasi delicto, vt quia rapuit, vel furatus est, semper esse in mora, quādocūque non reddit quod debet, supposito quod sit soluendo. At vero si quis est obligatus ex contractu, vel quasi contractu si dies solutionis est assignatus, statim transacto illo die incipit esse in mora, etiam si non sit admonitus, nec admonitio est necessaria, quia vt aiunt Iuristæ, dies interpellat pro homine. Si vero dies assignatus non est, tunc requiritur monitio, vt debitor censeatur esse in mora, quia ex quo creditor debitum scit, & petere potest, & non petit, videtur dilationem concedere. Secus autem si creditor debitum ignorat, aut ex timore etiam reuerentiali debitum petere non audet, tunc enim sine monitione debitor semper est in mora soluendi, vt ait Sylvest. verb. mor. quæst. 1. & Med. C. de rest. quæst. 3. causa 6.

QVÆSTIO CCXLVII.

An quando terminus est restitutioni præfixus, possit tunc restitutio fieri ante illum terminum?

1 RESpondeo si terminus est appositus in fauorem debitoris vt in commodato, & mutuo, tunc debitor potest terminum præfixum præuenire, & soluere debitum, quod si creditor recipere nolit, & res pereat, eius interitus non debitori, sed creditori imputabitur. Si verò terminus est

Digitized by Google

præfixus in fauorem creditoris,vt in locato, tunc debitor non potest rem locatam ante terminum reddere,nec creditor tenebitur eam recipere.Ita Sylvest.verb.locatio q 6.& Med.C.de rest.q.3.causa 6.

QVÆSTIO CCXLVIII.

An creditor iure possit petere debitum, ante tempus solutioni præfixum?

1 REspondeo non posse, vt habetur ex cap.vnico de plus peti.nisi in tribus casibus.

Primo si creditor vergit ad inopiam.

Secundo in debitore fugiente.

Tertio in debitore qui incipit esse suspectus post contractum, nam iste cogi potest dare cautionem.

QVÆSTIO CCXLIX.

An excommunicatio creditoris excuset debitorem ab obligatione restituendi?

1 IN qua re,post constitutionem Concilij Constantiensi sub Mart.V. quæ incipit,ad euitanda scandala:non est dubium quin debitores teneantur soluere suis creditoribus excommunicatis, quæ eis debét, quando creditores illi sunt tantum generaliter excommunicati, cum possint cum eisdem licitè communicare non solum in humanis,sed etiam in diuinis.

QVÆSTIO CCL.

Sed tota difficultas est de creditore excommunicato denominatim denunciato, vel publico clerici percussore.

1 IN hac quæstione tres sunt Doctorum opiniones. Prima est dicentium per excommunicationem creditoris nunquam excusari debitorem ab obligatione restituendi.Ita Sylvest.verb. excommunicato 5. n.21.Petr.Naua.li.4.de rest.n.84. Valen.to.3. d.5.q.6.p.7.Arag.2.2.q.62.art.8.Cou.in Reg. peccatum par.1.n.8.de Reg.iuris in 6.Rode. p.2.sum.c.47.& alij.

2 Secunda est aliorum asserentium excusari debitorem à restitutione ob excommunicationem creditoris.Ita Adr. in 4.q.3. de clauibus, Angel. verb. excommunicatio 8. nu.12.Barth.Hug.Tab.2.c.20. & multi alij.

3 Tertia vero opinio,quæ est media, licet per excommunicationem creditoris non excusari debitorem à restitutione, quando debitum est contractum ex ipsa re vt cum quis alienum surripuit, aut mutuum,seu commodatum accepit, bene tamen à restitutione debiti,quod est contractum non ex re, sed ex verbis puta ex stipulatione, promissione, aut iuramento de dando aliquid alicui.Ita Med.C. de rest.q. 3.causa 9. Angl. in Floribus 4.sent.tract. de rest.& Lud.Carbo de rest.q.13.dub.4.

4 Pro cuius tamen quæstionis decisione dico primo, quod probabilis est eorum opinio, qui affirmant posse differri restitutionem, donec creditor excommunicatus ecclesiæ reconcilietur. Ratio est, quia excommunicatus denominatim,& ob publicam percussionem clerici, est vitandus in omnibus humanis actibus, & commercium, sed soluere creditori, est habere cum eo commercium,ergo hoc non licet.

5 Secundo dico, quod verior est aliorum sententia, qui docent per excommunicationem creditoris superuenientem non liberari debitorem,quo minus debitum soluere teneatur.Ratio est,quia obligatio soluendi debitum est de iure diuino,& naturali,cui ius humanum prohibens communicationem cum excommunicato, non potest contrauenire.

6 Tum quia,sicut præceptum de reddendo debito coniugali,à quo quis non excusatur propter excommunicationem alterius coniugis,nec debitum filiorum, & famulorum tollitur propter excommunicationem patris, ita neque per excommunicationem creditoris debitum hoc naturale,& diuinum de restituendo debitum,tollitur,& auferri censetur.

Tum quia potest etiam solutio fieri per alium absque communicatione tum excommunicato.

Tum quia ista communicatio, vt ait Couar.est valde leuis,& vt deducitur ex c. inter alia,nequaquam prohibita:sicut eleemosyna potest, & debet dari excommunicato,quando præceptum eleemosynæ erga proximum obligat.

7 Tum etiam quia obligatus creditori ante excommunicationé, est etiam obligatus

post

post,nisi ab obligatione absoluatur, vt vasallus absoluitur à iuramento fidelitatis. Ratio est,quia licet qui promisit, vel iurauit de dando aliquid alicui, liberè, & voluntariè ad id se obligauit, postquam tamen facta est dicta promissio,vel iuramentum, ita est ex iure diuino, & naturali id soluere obligatus sicut si debitum re ipsa fuisset contractum per mutuum, vel commodatum & sic eadem est vtriusque ratio.

Dices,in c.Intelligimus de iudiciis,prohibetur actio in iudicio cum excommunicato.

8. Respondeo in foro exteriori concedi vt hic loquimur in foro conscientiæ.

Deinde nec in foro externo est vsu receptum,quod statuitur in eo capite, vt optimè annotarunt Couar.in Reg. peccatum. p.1.n.10.& Valen.tom.3.d.5.q.6.p.7.

QVÆSTIO CCLI.

An debitor possit omittere, vel differre restitutionem,quia ipse est excommunicatus ?

1 ADr.in 4.q. 3. de Clauibus affirmat, posse.

2 Contrarium tamen est proculdubio tenendum.Ratio huius est,quia ista communicatio cum sit valdè leuis, & in re necessaria,vt potè in debito iustitiæ, non censetur prohibita.Et est conclusio definita in c. Intelligimus, vbi dicitur, quod excommunicatus conueniri potest,ne videatur de sua malitia commodum reportare.

QVÆSTIO CCLII.

An iuris,aut iudicis authoritas à restitutione excuset,Perinde est,ac si quæreretur.An qui iuris, aut Iudicis sententia tenet aliquid non suum,aut alteri debitum, excusetur à restitutione?

1 REspondeo eum non semper tutum esse,aut à restitutione liberum, qui secundum ius, aut Iudicis authoritatem aliquid tenet, vt est videre in eo qui rem suam vendendo,emptorem citra dimidium iusti pretij defraudat, qui quidem secundum leges,& in foro externo, tutè retinet excessum iusti pretij,& tamen in conscientia talis venditor excessum iusti pretij retinere non potest.

Spec. Conf.

Similiter secundum iura, qui rem alienam tempore à lege statuto possidet,etiam si cum mala fide possederit, illud retinere potest, & tamen in conscientia illud restituere tenetur. Ratio huius est, quia leges humanæ multa mala permittunt, vt maiora vitentur, & tamen ea committentes coram Deo non excusantur.

2 Tunc autem est homo tutus, & à restitutione liber, iuris authoritate vtens, quando lex non permissiua est,sed concessiua ex intento volens rem alicui applicare, tunc enim res illa in dominium transit eius,cui lege applicatur. Secus si lex tantum sit permissiua, aut si tantum actionem concedat,aut repetitionem neget, quia tales,debitorem ab onere restituendi non excusant.

Hinc,sententia Iudicis, quamuis sit lata secundum iura,& allegata,& probata, ab obligatione restitutionis non excusat, si falsæ presumptioni, aut probationi innitatur.Secus si veritati innitatur, & hoc constat ei,pro quo lata est.

QVÆSTIO CCLIII.

An compositio cum summo Pontifice omnino à restitutione excuset ?

1 AD hoc dico primo, quod quando debita sunt certa, non potest à summo Pontifice fieri compositio. Ratio est, quia Pontifex non est Dominus bonorum suorum subditorum, neque dispensator,sed tantum defensor iuris cuiusque, & Iudex,vindexque criminum.

2 Secundo dico,quod quando debita sunt incerta,tunc excusat compositio cum Pontifice,siue debita sint ex delicto,vt ex furto vel rapina, siue ex contractu licito, vt ex mutuo,&c. Ratio est,quia huiusmodi bona in pauperes, aut in alios pios vsus sunt conuertenda,non iure naturæ, aut diuino, sed iure positiuo,vt supra dictum est:in quo iure potest Papa dispensare:sublata autem illa obligatione restituendi, possunt hæc retineri.Nauar.cap.17.num.93.Cou. in Reg. peccatum p.3.§.1.nu.3.Med.C.de rest. qu.3. causa 11.Ban.2.2.q.62. ar.5.Valen.tom.3.dist. 5.quæst.6.p.7.Petr.Nauar.lib.4.de rest.num. 79.& alij.

QVÆSTIO CCLIV.

An compensatio facta creditori per æquiualens aliquod commodum eidem ipsi creditori collatum, à restitutione excuset?

1 AD hoc dico primo, quod non deobligatur debitor à restitutione, ex eo quod dedit, aut procurauit alicui suo creditori beneficium, vel officium aliquod Ecclesiasticum in recompensationem debiti. Ratio est, quia per spirituale non potest solui temporale sine simonia.

2 Secundo dico, quod qui confert, aut procurat alicui suo creditori beneficium, vel officium non Ecclesiasticum, sed seculare, vt canaleratum, vel notariatum, aut quid simile, quod tantumdem, aut plus valet, quam debitũ, liber manet ab obligatione restituendi. Ratio est, quia huiusmodi officia, vel beneficia sunt pretio æstimabilia. ergo in recompensationem debiti dari, aut procurari possunt, vt Tolet. ait lib. 5. ca. 26. & Arag. 2. 2. q. 62. ar. 8. Roder. p. 2. sum. ca. 47. Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 7. Nauar. c. 17. n. 8.

QVÆSTIO CCLV.

An compensatio fieri possit etiam in delictis?

1 RESpondeo posse, vt si ambo coniuges adulterium comiserint, neuter ius petendi debitum coniugale amittit, quia vt habetur in cap. vltimo, & penult. de adult. paria delicta mutua compensatione tolluntur. Vnde potest vna iniuria cum altera etiam diuersæ speciei compensari, vt si quis furripuisset centum ab alio a quo læsus fuisset infamia eiusdem valoris compensare posset, si lædens restituere nollet.

Similiter Titius qui alium infamauit de furto, à quo etiam infamatus, vel de furto, vel de proditione erat, posset compensare, si aliter nollet satisfacere, modo soluat excessum.

2 Eadem ratione, si quis occidat adulterum, compensare potest debitum homicidij, cum iniuria adulterij modo seruetur æqualitas, vt cum Adrian. Ledes. Soto. Cordub. & Sapientissimo Victoria resoluit Rebell. parte secunda de obligat. lib. 2. quæstione 17. sect. 6.

QVÆSTIO CCLVI.

An debita iustitiæ cum beneficiis gratuitis recompensari possint?

1 RESpondeo minimè. Ratio est, quia qui dat aliquid gratis creditori suo non videtur per hoc velle liberari à solutione debiti de iustitia, quia si vult per illud soluere debitum, iam donum non esset donum, & gratuitum beneficium, Verùm si quando fecit illud donum, oblitus erat debiti, remanebit liber ab eo, quia ex voluntate interpretatiua iudicari potest quod voluit restituere, quandoquidem si memor fuisset debiti, non fuisset ita liberalis, sed in compensationem debiti contulisset Verum tamen est, quod si post datum beneficium gratis creditor ex vi gratitudinis debitum remiserit, debitor à restitutione liber erit.

QVÆSTIO CCLVII.

Quid? si Titius pactum faciat cum Caio, vt procuret illi aliquam præbendam in Curia Romana, dicens se soluturum expensas, si Caius postea per intercessionem amicorum illam impetret gratis. An possit Caius in recompensationem eius quod debet ex iustitia Titio, hanc sibi gratuitam impetrationem dare?

1 RESpondeo posse. Ratio est, quia licet sine expensis obtinuerit beneficium per intercessionem amicorum, amicis tamen subeuntibus hunc laborem, ex gratitudine saltem obligatus manet illis, cum occasio se obtulerit, quod est pecunia æstimabile, vt docet Cord. in sum. q. 99.

QVÆSTIO CCLVIII.

An præscriptio canonica ab obligatione restituendi excuset?

1 RESp. excusare. Ratio est, quia per legitimam præscriptionem transit res in dominium debitoris. Vnde is, qui antea erat eius Dominus minimè rationabiliter inuitus ea caret, siquidem desiit esse dominus ipsius, vt docet Nauar. c. 17. nu. 85. Tolet. lib. 5. c. 26. Val. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 7. Roder. p. 2. sum. c. 47. & communis.

QVAE

Digitized by Google

QVÆSTIO CCLIX.

An ignorantia probabilis, seu inuincibilis tam facti, quam, iuris, quod res sit aliena, & non propria, à restitutione excuset?

1 REsp. excusare, vt cum communi Theologorũ schola resoluit Val.to. 3.d. 5.quæst.6. par. 7. Est autem ignorantia probabilis facti, cum quis habet rem alienam, quam bona fide eam inter bona hæreditaria accepit à patre, vel bona fide emit, vel accepit donatam à latrone, quem nesciebat esse talem. Ignorantia autem probabilis iuris est, quando ius est obscurum, & controuersum circa aliquem contractum, aut quando aliqui scientia, & conscientia præditi, illum non teneri ad restitutionem affirmant. Secus autem, si esset ignorantia crassa huius facti, qualis est illa, qua quis emit à milite calicem, aut à vili famulo salinum argenteum, quem credere, aut certè dubitare debet, habuisse illud per furtum, aut rapinam, aut bellum iniustum, non adhibita diligentia ad veritatem sciendam. Vel ignorantia iuris clari qualis est illa, qua ignoras, rem furto ablatam, iniustum esse emere, & posse retinere, vt explicat Illustrissimus Card. Tolet. lib. 5. sum. cap. 10. Greg. de Valent. tom.3.d.5.quæst.6. p. 7.& alij.

QVÆSTIO CCLX.

An dubium æquale, quo quis post debitam diligentiam adhibitam ad indagandam veritatem, adhuc dubitat. An res quam possidet sit sua, an non, à restitutione excuset?

1 REsp. excusare. Ratio est. quia in dubio æquali, melior est conditio possidentis, vt habet Regula iuris in 6. & ita potest quis licitè rem retinere, quandiu dubitat, vt supra, cum ageremus de præscriptione asseruimus.

QVÆSTIO CCLXI.

1 REsp. minime. Ratio est, quia tunc facienda erit restitutio pauperibus vt communis habet Theologorum opinio, & tradit Less.li.1.de iust.c.16.dub.19.

QVÆSTIO CCLXII.

An in casu in quo licitum est debitori prorogare restitutionem, teneatur à creditore remissionem, aut facultatem petere ad ita restitutionem prorogandam?

1 DOctor Angelicus 2.2.q.62. ar. 8. ad 2.ait debitorem debere, aut dilationem petere a creditore, aut omnino remissionem.

2 Sed nihilominus dicendum est, id necessarium non esse, quia velit, nolit creditor, iusta causa ab statim restituendo cum in conscientia excusat. fortè D. Thom. intellexit, quando impotentia debitoris non est manifesta, sed dubia, tunc optimum consilium est, vt debitor per se vel per alios petat à creditore debiti remissionem, aut facultatem id differendi, Molina to. 3. de iust.d. 754. Sot. lib. 4. quæst.7 ar.4. Roder. p.2.sum. cap. 44. num.5. & alij.

QVÆSTIO CCLXIII.

An debitor vnà cum debito tenetur resarcire damnum, quod ob dilatam restitutionem sequitur creditori, vel lucri cessantis, vel damni emergentis, quia nimirum necessitate compulsus, vendidit rem minori pretio, vel omisit lucrari sua pecunia?

1 IN hac graui, vtili, & perdifficili quæstione dico primo, quod qui restitutionem distulit de consensu creditoris, non tenetur resarcire damnum illi secutum ratione dilationis. Ratio est, quia creditor liberè consentiens in dilationem, simul remisit lucrum cessans, vel damnum emergens.

2 Secundò dico, quod si debitum fuit iustè contractum, & dilatio inculpabilis, quia debitor simpliciter est pauper, quia scilicet nec actu, nec spe habet, vnde soluat, non tenetur restituere interesse, quod interim passus est creditor ex dilatione restitutionis. Ratio est, quia cum non sit inculpa, præter debitum principale, ad nihil aliud tenetur.

3 Tertio dico, quod si debitum fuit iniustè contractum, vt per vsuram, vel rapinam, tunc tenetur debitor restituere, & debitum, & interesse. Ratio est, quia in hoc

casu debitor sua culpa est causa damni lucri cessantis, vel damni emergentis, ergo tenetur in conscientia illud resarcire.

4 Quarto dico, quod si debitum fuit quidem iustè contractum, dilatio vero ex culpa debitoris, quia cum potuerit satisfacere tempore statuto fuit in mora, tenetur de damno, quod sequitur creditori ob dilatam restitutionem. Ratio est, quia non restituendo, iniustè nocuit creditori: vbi autem est damnum cum iniuria, ibi necessario debet esse restitutio.

Quintò dico, quod qui restitutionem distulit, vt euitaret graue aliquod detrimentum in proprio honore, aut fama, aut corpore, vel in aliis rebus spiritualibus, & altioris ordinis, quam debitum non tenetur ad interesse. Ratio est, quia dilatio ad euitandum huiusmodi damnum æquipollet simplici, & omnimodæ impotentiæ.

5 Sed contrarium, quod defendunt Mol. tom. 3. de iust. d. 754. & Rebell. p. 2. de oblig. lib. 2. quæst. 17. sect. 4. est probabile, & fortè verius, quia æquitas non patitur, vt velit, alienum detinendo, quod iam ex iustitia debet, euitare damnum proprium cum creditoris iactura, ac detrimento.

Sextò, & vltimo dico, quod qui restitutionem distulit, vt euitaret damnum proprium in rebus temporalibus, & eiusdem ordinis, tenetur vltra debitum principale restituere lucrum, & damnum emergens, quod ex dilatione sequitur creditori. Ratio est, quia qui sentit commodum, debet sentire & incommodum ex Regulis iuris.

Tum quia extra extremam necessitatem potior est condito creditoris.

Tum etiam, quia nullus potest se seruare indemnem, cum alterius detrimento. eaque de causa, vt licitè possit differre restitutionem, necesse est, vt suscipiat in se onus resarciendi alteri damnum, quod inde illi prouenit. Molina tom. 3. de iust. d. 754. Bann. & Arag. 2. 2. quæst. 62. ar. 8.

6 Sed contrarium est probabile scilicet non teneri de lucro cessante, vel damno emergente ex dilatione, quia non censetur esse in mora, neque tacitè videtur ad hoc se obligasse, cum solum per accidens. eueniat ex dilatione, vt notat Less. lib. 2. c. 16. dub. 1.

De Ordine Restitutionis.

QVÆSTIO CCLVI.

Quo ordine facienda sit restitutio?

1 PRo cuius decisione dico primo, quod quando debitor habet bona vnde possit in integrum omnibus creditoribus satisfacere, nullum ordinem in restitutione necessario seruare tenetur. Ratio est, quia dummodo omnibus fit soluendo, & seruetur tempus cum creditoribus constitutum, ex mutatione ordinis nulli fit iniuria.

2 Secundo dico, quod quando debitor non habet bona, quibus possit commode omnibus satisfacere, tũc iure naturæ prius debet soluere debita certa, quorum creditores sciuntur, quam incerta, quorum domini ignorãtur. Ratio est, quia creditores certi sunt melioris conditionis, & habent potius ius in debita certa, quam habent pauperes, vel Ecclesia in incerta: nam debita certa debentur de iure naturali, & diuino, debita autem incerta solum ex dispositione iuris positiui; quod ius locum non habet, quando certi creditores extant, neque mens legislatoris fuit nec esse potuit eo casu obligare, quia quod debetur iure naturæ, per ius positiuum auferri non potest.

Tum quia, qui non soluit talia incerta, nemini in particulari facit iniuriam, sicut facit, qui non soluit debita certa. Ita Nauar. cap. 17. num. 47. Tolet. lib. 5. sum. cap. 25. Less. lib. 2. de iust. cap. 15. dub. 1. Arag. & Ban. 2. 2. q. 62. ar. 8.

3 Hinc, grauiter errant, & peccant hi, qui cum multa partim certis creditoribus partim incertis debeant, & omnibus satisfacere nequeant, componunt se mediante aliquo indulto Apostolico super incertis, vt quod eis remittitur, tãquam proprium retineant, certos creditores defraudando, præterquam enim quod peccant mortaliter, tenentur perinde debita certa restituere, ac si nullam fecissent compositionem. Sylvest. verb. restitutio 6. quæstione quinta. Caietan. in sum. eodem verb. cap. 8. & communis, à qua tamen discedit Molina tom. 3. de iust. disp. 760 qui putat posse ponen

Digitized by Google

ponendam non esse restitutionem bonorum incertorum, sed æqualem locum esse illis tribuendum cum restitutione bonorum certorum, & probat, quia non est attendendum ad ius, quod habent pauperes, quibus per accidens loco dominorum fit restitutio, sed ad ius, quod habent veri domini, ad quos ea bona spectant, quibusque restitutio fit in pauperibus pro salute ipsorum spirituali iuxta præsumptam eorum voluntatem: quarè cũ huiusmodi veri domini æquale ius habeant cum aliis creditoribus, non videtur cur postponi ceteris creditoribus debeant, præsertim cum causæ pauperum sit fauendum. Quod non caret probabilitate.

4 Tertio dico, quod si res incerta habens dominum, adhuc extat in sua specie, vt vas argenteum inuentum, aut furto ablatum, & adhuc integrum manet, & facta debita diligentia, non potest sciri cuius sit, túc ante omnia erogandũ est, non certis creditoribus, sed pauperibus pro eorum animabus, ad quos vas illud pertinet, etiamsi de reliquo non possit integrè satisfieri certis creditoribus. Ratio est, quia creditoribus debet satisfieri ex bonis debitoris, non ex alienis, vt rectè docet Caietan. in summa verb. restitutio capitulo octauo, Less. lib. secundo de iust. capit. 15. dubit. 1. Petr. Nauar. lib. 4. de restitut. num. 5. & plerique alij.

5 Quarto dico, quod ex debitis certis, illa debent prius restitui suis dominis, quæ adhuc in sua specie, & forma extant, eadem numero vt logici loquuntur, reddenda sunt, vt depositа pignora, commodata, res per vsuram, vel furtum sublatæ &c. Ratio est, quia hæc inter bona debitoris non connumerantur, cum eorum dominium penes creditores semper permanserit, & restitutio non ex alieno, sed ex propriis est facienda.

6 Quinto dico, quod ex debitis certis realibus ea quorum solutioni sunt obnoxia, & obligata aliqua determinata bona debitoris per expressam hypothecam, vt in annuis censibus, quibus obligatur aliqua domus, vel prædium, aut impignoratione &c. prius soluenda sunt, quam personalia ideſt ea quæ debet creditori nulla peculiari re illis obligata, sed ipso tantum debitore. Ratio est, quia debita re alia strictius sunt debita, quam personalia, nam, creditores realium habent actionem, & in debitorẽ, & in res suis debitis obligatas; creditores autem debitorum personaliũ habent solummodo actionem directè in debitorem, & mediatè, & consequenter, & indeterminatè in bona ipsius Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 10. Med. C. de rest. q. 2. dub. 5. & Salon. 2. 2. q. 62. ar. 8.

Sextò dico, quod seruandæ sunt leges ciuiles, & statuta municipalia, si quæ inueniũtur specialia super ordine restituendi, qualia solent esse in aliquibus locis, quæ quidem dummodo non repugnent iuri naturali, vel diuino in conscientia obligant, nam sicut lex præscriptionis propter bonum pacis, & detestationem litium iustè potest transferre dominium vnius in alterum, sic etiam leges ciuiles propter bonum publicum, & ad lites dirimendas possunt inter plures creditores ius prælationis constituere, vt egregiè declarat Valent. tom. 3. d. 5. quæstione 6. par. 10. Petr. Nauar. lib. 4. de rest. nu. 19. Tolet. lib. 5. sum. c. 25. Caie. in sum. verb. rest. cap. 8. & Roder. p. 2. sum cap. 46.

9 Septimò, & vltimò dico, quod quando talia statuta regionis non sunt, seruandum est ius commune, secundum quod primum locum obtinent ij, quibus bona fuerunt expressè hypothecata. Post hos veniunt, qui tacitam habent hypothecam: inter autem hypothecarios, qui priores sunt tempore, sunt præferendi posterioribus, iuxta illam Regulam iuris Qui prior est tempore, potior est iure. Estque regulariter vera siue hypotheca sit tacita, siue expressa, siue generalis, siue specialis, siue sit conuentionalis, siue iudicialis, siue prætoria. Sylvest. verb. rest. 6. quæst. 5. Less. lib. 2. de iust. cap. 15. dub. 4. & alij.

8 Est autem hæc prioritas temporis accipienda non ex tempore solutioni destinato, sed ex tempore quo contractus, vel hypotheca facta fuit. Dixi notanter (regulariter) quia excipiuntur aliqui casus, in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam expressam, vel tacitam, quos vide, si placet apud Less li. 2. de iust. cap. 15. dub. 4. Post autem hypothecarios sequuntur creditores personales ideſt, qui non habent vllam rem debitoris sibi immediate in genere vel in specie obligatam, sed solam personam, inter quos

primum locum tenent ii, qui habent personale priuilegium prælationis absque hypotheca.

Secundo loco veniunt creditores Chirographiarij ex titulo oneroso, cuique pro rata non habita ratione temporis prioris, vel posterioris, quo debitum est contractum iuxta Nauar. cap. 17. num. 51.

Tertio creditores ex titulo gratuito, vt si defunctus alicui piæ causæ aliquid vouerat.

Quarto sequuntur hæredes, & legatarij, ita tamen vt hæredes, præcedant legatarios ad suam legitimam obtinendam, si sunt hæredes necessarij: vel ad quartam bonorum si non sunt necessarij. Less. lib. 2. de iust. c. 15. dub. 4.

QVÆSTIO CCLXV.

An creditor cuius res titulo venditionis transiit in dominium debitoris, debita fide de pretio soluendo præferri debeat omnibus aliis creditoribus?

1 IN hac quæstione variæ sunt Doctorum opiniones. Prima absolutè negat talem creditorem esse præferendum. Ita Petr. Nauar. lib. 4. de restitutione numero 39. Less. lib. secundo de iustit. cap. 15. dub. prim. Azor. parte tertia inst. moral. lib. 4. cap. 36. quæst. 1. & Couar. lib. 1. var. cap. 7. numer. 3. qui refert multos Iurisperitos, qui dicunt hanc esse communem. Ducunturque hi in eam sententiam, quia cum res vendita iam transierit in dominium emptoris, non est maior ratio cur huiusmodi debitum prius solui debeat, quam cœtera, nec vlla est lex, quæ huic debito tribuat ius prælationis.

2 Secunda affirmat huiusmodi creditorem esse præferendum, quando res numerata pecunia empta est; secus si est empta ad creditum. Ita Bart. Med. lib. 1. inst. conf. c. 14. §.

Tertia opinio ait esse preferendum cæteris creditoribus ex contractu, & habentibus hypothecas, non autem ex delicto. Ita D. Anton. p. 2. to. 2. cap. 7. §. 3.

3 Quarta vero opinio, quam sequor tenet indistinctè talem creditorem esse præferendum quibuscunque aliis creditoribus, siue debita sint ex delicto, siue ex contractu, siue pecunia credita, siue numerata sit credita, siue non. Ita Caiet. in sum. verb. rest. c. 8. Nau. c. 17. nu. 49. Valen. tom. 3. d. 1. q. 6. p. 10. Mol. tom. 3. de iust. d. 536. Roder. p. 2. sum. c. 46. concl. 4. Less. lib. 2. de iust. cap. 15. dub. 2. 2. q. 62. art. 8. & multi alij. Ratio huius est, quia quamuis rei emptæ dominium in ipsum emptorem transierit, semper tamen saltem ex iure ciuili illa remansit solutioni obligata, donec penes emptorem in prima forma, & specie remaneat, id est non alienata, aut consumpta.

Et confirmatur, nam in hoc casu venditor duplicem actionem habet, scilicet & ad rem ipsam, & ad personam. Quod si res empta plus valeat, quam pretium pro ea promissum, quia nimirum res illa facta est pretiosior, vel eius pretium auctum est, tunc vendi debet, & soluto pretio promisso residuum aliis creditoribus restitui debet.

4 Dixi notanter (si res empta in prima forma & specie maneat) quia si res in specie non extat, sed alia in eius locum subrogata ex pretio empta, huiusmodi res alia non manet realiter obligata primo venditori, seu creditori. Vnde si debitor merces, quas emerat, iterum vendidit, aut pro aliis rebus permutauit, res ex pretio illarum emptæ, aut pro illis commutatæ non sunt pro pretio venditori primo obligatæ.

Differunt tamen prædicti authores inter se, nam Illustriss. Caiet. putat huiusmodi creditorem præferri debere cæteris creditoribus vi iuris naturalis, eo quod iure naturali res empta interim dum pretiũ non soluitur, manet obligata solutioni.

5 Medina vero ius prælationis in hoc casu non prouenire ex iure naturali, quia hoc iure, inquit, nulla inducitur hypotheca, sed omnis hypotheca solum iure ciuili introducta est, & ita videtur hoc ius prælationis prouenire ex iure ciuili, sed nullam citat legem ex iure ciuili.

At Doctor Nauar. qui hoc idem asserit, citat, leg. 2. & 3. ff. in quibus casu pign. vel hypoth. tacitè contrah.

QVÆSTIO CCLXVI.

An debitum certum personale proueniens ex delicto sit prius soluendum, quam debitum proueniens ex contractu licito?

1 IN hac quæstione tres sunt opiniones. Prima ait debita ex delicto prius esse

Digitized by Google

ſe ſoluenda, quam debita ex contractu licito. Sic D.Tho.opuſc.73.c.18.Ban.22.q. 62. ar.8.Med.C.de reſt.q.2.dub.5.& Arag. 2.2. q.62.ar.8. Ducunturque hi in eam ſententiam, quia prius eſt recedendum à maiori iniuria, quam minori, patet, quia prius debemus vitare maiorem iniuriam, quam minorem.

2 Secunda opinio eſt dicentium debita ex contractu licito prius eſſe reſtituenda, quam ex delicto, ſi duæ tamen conditiones adſint. Prima ſi res reſtituenda in individuo non extat in propria ſpecie apud debitorem, nam ſi extaret, certum eſt illam prius debere vero domino reſtitui.

Secunda, ſi per huiuſmodi contractus non eſt factus pauperior ad reddenda priora debita ex delicto, vt contingit in contractibus gratuitis videlicet in dote promiſſa, donatione, legatione, & ſimilibus, in quibus homo nihil accipit, & bona alienat, quia tunc prius debita ex delicto ſoluenda ſunt. Si autem per contractus licitos non ſit factus pauperior, vt eſt contractus emptionis, cõductionis, mutui, &c. tunc ſolui debent prius licitè contracta, quam ex delicto. Ratio eſt, quia illa quæ ſunt debita ex contractu ſunt ſimpliciter magis debita, hoc ipſo quod creditor dedit æquiualens ea intentione vt ſibi ex iuſtitia tantundem redderetur.

3 Tertia vero opinio, quam ſequor, tenet, inter prædicta debita nullum eſſe ordinem ſeruandum, ſed reſtituenda erunt pro rata iuxta proportionem debitorum. Sic Arag.2.2.q.62.ar.8.P.Nau.lib.4. de reſt.nu. 41.Ban.2.2.q.62.ar.8.Leſſ.lib.2.de iuſt.ca.15. dub. 3. & alij. Ratio huius eſt, quia nullo iure, aut ratione probari poteſt, hæc, vel illa debita eſſe præferenda, ſed omnibus pro rata ſatisfaciendum eſſe.

Tum quia in foro iudiciali nulla habetur ratio debiti ex delicto, vel licito contractu. At ſi debita ex contractu iure naturæ prius ſoluenda eſſent, quã debita ex delicto vt vult prima opinio, vel è contra, debita ex delicto, vt ſecunda opinio, proculdubio Iudex qui iuberet pro rata talibus creditoribus reſtitui, contra ius naturæ faceret, & teneretur ipſe de ſuo ſupplere ob tranſgreſſionem ordinis neceſſariò ſeruandi, quòd nemo facilè dixerit, cum vt teſtatur Arag. hæc ſit communis forenſis omnium tribunalium praxis.

4 Nec ratio primæ opinionis concludit, cum ait, prius eſſe recedendum à maiori iniuria, quam minori, quia Titius qui à Caio ſurripuit mille, & à Meio ſurripuit centum, maiorem iniuriam intulit Caio, quam Meio, & tamen in reſtituendo non tenetur prius reſtituere Caio, quam Meio.

QVÆSTIO CCLXVII.

An quando plura ſunt debita ex delicto, prius ſoluenda ſint, ea quæ ex maiori iniuria ſunt contracta?

1 MEd.C.de reſt.q.2.dub.5. Valen. to. 3.d.5.q.6.p.10.Rode.p.2.ſum. c.46. Lud.Carb.tract.de reſt. q.92. & multi alij docent prius reſtituendã eſſe in conſcientia illa, quæ cum grauiori delicto ortum habẽt, quam debita ex minori delicto cõtracta. Vt v.g. rapina eſt maius delictum, quam furtum, & furtum maius delictum, quam vſura, ideo prius reſtituendum quod ex rapina debitum, quam quod ex furto, & prius ex furto, quam ex vſura. Ratio eſt, quia vbi eſt maior iniuria, & iniuſtitia, ibi potior obligatio reſtituendi eſt.

2 At ego tamen libentius adhæreo aliorum ſententiæ, qui tenent nullum ordinem neceſſario obſeruandum eſſe, ſed reſtituẽda eſſe pro rata omnibus. Ratio eſt, quia neque iure ciuili aliquid hac de re cautum eſt, neque vlla ratio ſufficiens adduci poteſt, qua probetur ius naturale poſtulare, vt vnum debitum alteri præponatur, ergo ſunt paria. Nam licet maior illata ſit iniuria per rapinam, quam per furtum, & per furtum, quam per vſuram, poſtea tamẽ dum quis non vult reſtituere, quod abſtulit per rapinam, vel furtum, vel vſuram, non infert maiorem iniuriam vni creditori, quam alteri, quia nulla vis infertur.

Tum quia ex hoc quod debitum ortum habeat ex maiori iniuria, ſed ſolum ſequitur iniuriam ipſam etiam eſſe reſarciendam, non tamen vt debitum prius ſoluatur.

Tum etiam ex hoc quod debitum ex maiori delicto oriatur, ſolum ſequitur, vt proximo magis læſo, maior reſtitutio fiat, non tamen vt prius debeat illi reſtitutio fieri.

QVAE

QVÆSTIO CCLXVIII.

An debita ex contractu oneroso, soluenda sint prius, quam debita ex legatis, vel promissionibus?

1 REspondeo solui debere prius debita ex contractu oneroso scilicet emptione, mutuo, permutatione, &c. quamuis tempore sint posteriora. Ratio est, quia quæ de iustitia debentur, præferenda sunt eis, quæ ex consilio: sed debita ex contractu oneroso sunt de iustitia, & legata etiam pia sunt gratuita, ergo prius soluenda sunt illa, & deinceps si quæ supersunt solui debent legata, & donationes, cum eleemosyna non ex alienis, sed ex propriis sit faciéda, vt egregiè declarat D. Tho. opusc. 73. de vsuris c. 18. Caiet. in sum. verb. resti. c. 8. Petr. Nau. lib. 4. de restitut. num. 7. Med. Cod. de rest. quæst. 2. dub. 5. Sylvest. verb. hæreditas 3. q. 9. Nau. c. 17. n. 50. & communis.

QVAESTIO CCLXIX.

An expensæ funeris soluendæ sint prius, quam omnia alia debita habentia expressas, vel tacitas hypothecas in bonis defuncti?

1 AD hoc dico primo, quod si omnia quæ reliquit defunctus sunt aliena, & hæc in propria forma, & specie extant, detrahi nequeunt expensæ funeris absque creditorum licentia. Ratio est, quia nemo honorari debet ex alieno. Quod intellige, nisi esset simpliciter necessarium ad sepeliendum defunctum, quia non adesset aliud remedium, vt humaretur, & expensæ essent moderatæ, quia in hoc casu, adest extrema, vel quasi extrema necessitas, & hac existente, licitum est capere alienum, vt succurratur ei: quæ quidem necessitas non potest accidere in Ciuitatibus, in quibus sunt confraternitates, quæ sepeliunt pauperes.

3 Secundò dico, quod quando defunctus reliquit bona sua onerata multis debitis, ita vt non possit illis satisfieri, licet eius bona sint tacitè, vel expresè hypothecata, prius soluendæ sunt expensæ funeris, & exequiarum defuncti, publicationis, & copiæ testamenti, & aliarum causarum necessariarum ad hæreditatem factæ per hæredem, quam satisfaciendum omnibus creditoribus habentibus tales hypothe in bonis defuncti. Ratio est, quia licet bona obligata sint creditoribus, non tamen aliena, sed bona propria defun & ita non sunt rationabiliter inuiti cred tores, si accipiantur necessaria ad moder tum funus. Ita Ban. 2. 2. q. 62. ar. 8. Nau. c. n. 51. Roder. p. 2. sum. cap. 46. P. Nau. libr. 4. de rest. num. 27. & alij.

QVÆSTIO CCLXX.

An debita per hæredem contracta, sint prius soluenda, quam legata, etiam pia relicta per testatorem?

1 IN hac re Sylvest. verb. restitutio 6. q. 6. & Ang. ibid. 2. §. 17. affirmant esse soluenda prius legata.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentiunt Roder. p. 2. sum. cap. 46. Petr. Nau. lib. 4. de rest. cap. 6. num. 50. & Sylvest. sibi contrarius verb. hæreditas 3. q. 9. nimirum debita etiam ab hærede contra, intuitu tamen defuncti vt expensæ funeris, & impensæ factæ ad vindicandas, vel conseruandas res ad testamentum: & inuentarium, & huiusmodi prius solui debere, quam legata etiam pia. Ratio est, quia talia debita ex iustitia debentur, legata verò ex consilio: præcepta autem non sunt ob consilia prætermittenda, nec grauari debet hæres ob hæreditatem. Solutis igitur omnibus debitis tam realibus, quam personalibus, tam defuncti, quam hæredis intuitu defuncti factis, soluenda sunt legata, & inter hæc pia videntur præferenda.

QVÆSTIO CCLXXI.

An quando plures sunt creditores, & hæreditas non sufficit, præferendus sit in solutione debiti, creditor qui est tempore prior, an vero pro rata omnibus satisfaciendum sit?

1 QVæstio intelligitur, quando creditores in cæteris sunt pares, præterquam in temporis antiquitate. Nam primo inter Doctores conuenit creditorem esse præferendum, licet sit tempore posterior, si habet dominium in rem, quam debitor tenetur reddere, ius enim naturæ exigit, vt res extans in indiuiduo proprio domino in integrum restituatur.

2 Secundo

Digitized by Google

3 Secundo inter Doctores conuenit creditorem esse præferendum, etiamsi posterior sit tempore, si habet hypothecam expressam, vel tacitam, vel aliquo modo actionem realem, vel priuilegium personale, vt bene notat Petr.Nau.li.4. de rest.n. 3.Roder.p.2.sum.c.46.Ban.2.2.q.62.a.8.Syluest.verb.restitutio 6.q.5.& Arag.2.2.quæst. 62.ar.8.

QVÆSTIO CCLXXII.

Ergo quæstio hæc proposita intelligitur de creditoribus personalibus hypotheca, vel alio iure prælationis carentibus. An videlicet tunc præferendus sit antiquior, ita vt illi totum prius debitum persoluatur?

1 IN hac re duæ extant opiniones.Prima affirmat esse præferendum antiquiorem.Ita D.Tho.opusc.73.c.18. Med.Cod.de rest.q.2.dub.5.Valen.to.3.d.5.q.6.p.10. Tole. lib.5.c.25. & alij. Ducunturque hi in eam sententiam primo, quia vt habet Regula iuris,qui prior est tempore,potior est iure.

Secundo quia, quo diutius creditor caruit suo,eo strictius ei debetur,& eo citius est ei restituendum.

Tertio quia maiori incommodo prius est occurrendum:atqui is qui diutius caruit re sua,plus accepit incommodi,ergo.

2 Secunda vero opinio, quam sequor est aliorum asserentium nullum in conscientia ius habere creditorem tempore antiquiorem.Vnde quando concurrunt duo tantum personales petentes restitutionem, non tenetur debitor in integrum alicui creditori etiam antiquiori satisfacere, sed simpliciter sunt inter illos res diuidendæ pro rata secundum proportionem debitorum.Ratio est, quia iure ciuili nullum ius prælationis habet huiusmodi creditor.Sic Nau.ca.17.n. 51.Roder.p.2.sum.c.46.Less.lib.2.de iust.ca. 15.dub.6.Azor.p.3.lib.4.c.36.q.5.Petr. Naua. lib.4.de rest.num.31.& Syluest.verb. rest.6. quæst.5.

3 Et regula illa iuris citata licet in multis sit vera, vt antiquiores præferantur in sedendo, in dicendo sententiam, in subscribendo,&c.in iure tamen,& in præsenti negotio est vera tantum inter creditores habentes eamdem rem sibi hypothecatam.

QVÆSTIO CCLXXIII.

An debitor intuitu amicitiæ, vel gratitudinis licitè possit vni creditori,quem ipse maluerit prius restituere, etiamsi nullus creditorum ante alios petat debitum suum?

1 REspondeo non posse.Ratio est, quia ius hoc non concedit, cum enim iste par sit aliis iure, neque sollicitudo faciat eum potiorem, non potest ei in integrum restituere,aliis manentibus insolutis, sed pro rata: cederet enim hoc in fraudem,& in iniuriam aliorum,vt ait Nau. ca. 17.n.32.Less.li.2.de iust.c.15.dub.5. & Arag. 2.2.q.62.ar.8.

QVÆSTIO CCLXXIV.

An inter creditores personales tantum non habentes priuilegium prælationis,pauperior sit præferendus ditiori?

1 SVnt, qui existiment in vniuersum creditorem pauperem esse præferendum ditiori,ducti ea ratione,quia à maiori iniuria prius recedendum est: sed maior iniuria est retinere debitum pauperioris, quam alterius minus pauperis,ergo. Hoc idem sentit D.Th.opusc.73.c.18. motus eodem fundamento, quia plus læsus est pauper ablatione suorum,& plus indiget.

Aliis vero longè probabilius videtur contrarium.Sic Azor.p.3.inst.mor.li.4.c.36. q.4.Less.li.2.de iust.c.15.dub.7.Greg.de Val. t.3.d.5.q.6 p.10.Roder.p.2.sum.c.46.Rebell. p.2.de obl.li.2.q.19.& plerique alij.

2 Cæterum cum hac distinctione melius meo iudicio responderi posse videtur. Vnde dico primo,quod si creditor est ita pauper, vt in eo euentu lex charitatis obliget illius indigentiam subleuari,tunc illi prius facienda est restitutio, quam alteri minus pauperi.Ratio est, non quidem illa D.Tho. quia maiori damno est prius occurrendum sed quia in tali casu vltra obligationem iustitiæ est alia specialis lex charitatis, & misericordiæ,quæ suadet huic potius,quam alteri subueniendum esse, tanquam imperante in hoc charitate.

Tũ quia creditor diues merito pati debet debitũ suũ differri,vel nũquã solui,vt alteri per ius habẽti,in tãta afflictione cõsulatur.

3 Secundo

3 Secundo dico, quòd si creditor magis pauper non ita premitur inopia, vt lege, & præcepto charitatis teneamur eius indigentiam subleuare, tunc nulla est obligatio restituendi debitum prius illi, quam alteri. Ratio est, quia hic pauper neque iure positiuo habet ius prælationis vt patet, neque iure naturali ergo.

QVAESTIO CCLXXV.

An debitor qui ordinem relatum, & à iure sancitum non seruat, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1 RESP. affirmatiuè. Ita Mol. to. 3. de iust. d. 36. Nau. c. 17. n. 52. Roder. p. 2. sum. c. 46. Less. li. 2. de iust. c. 15. dub. 5. Rebel. p. 2. de oblig. li. 2. q. 19. P. Nau. li. 4. de rest. n. 51. & alij. Ratio huius est, quia fraudat alios debitores partibus suis, & committit iniustitiam contra ordinem restituendi necessarium, & in re graui peccat mortaliter cum obligatione restituendi damnum aliis creditoribus habentibus hypothecam priorem, vel priuilegiatam subsecutum. Ex quo infertur peccare generos, & nurus accipientes, & retinentes de bonis socerum, scientes eorum bona aliis creditoribus ratione pignoris, aut hypothecæ deberi: & ad restitutionem acceptorum, vel detentorum obligari.

QVÆSTIO CCLXXVI.

An creditor qui non seruato ordine prædicto procurat sibi fieri restitutionem, & de facto fiat, neglecto eo, cui solui deberet, teneatur ipse aliis creditoribus acceptum restituere?

1 RESpondeo non teneri. Ratio est, quia ius eum qui vigilat, citiusque suum debitum petit, effecit melioris conditionis, quam cæteros.

Tum quia petendo vtitur iure suo, ergo non peccat, & quia accipit quod suum est solum, non alienum, non tenetur ad restitutionem. Quod intellige dummodo alij creditores non habeant ius ad rem, ratione pignoris, aut hypothecæ, nam in hoc casu non liceret creditori prius petenti debitum accipere, aliis creditoribus neglectis, cum violet iustitiam commutatiuam, quæ præscribit, vt illis prius, quam sibi satisfaciat. Ita Arag. 2. 2. q. 62. ar. 8. Roder. p. 2. sum. c. 46. & Less. lib. 2. de iust. c. 15. dub. 5. Hæc de restitutione in communi dixisse sufficiat.

DE CONTRACTIBVS IN GENERE.

DISPVTATIO QVINTA.

DE hac materia disputant Theologi in 4. d. 15. D. Th. 2. 2. q. 61. a. 3. Sot. li. 6. de iust. q. 2. a. 1. Valen. t. 3. disp. 5. q. 20. p. p. Molina to. 2. de contract. disp. 252. Less. l. 2. de iust. c. 17. dub. 5. Salon. to. 2. de contract. Lop. l. 1. de contract. c. 1. Conrad. de cõtract. q. 16. Arag. 2. 2. q. 62. a. 2. Azor. p. 3. inst. mor. li. 6. c. 1. rebell. par. 2. de obl. li. 1. de contr. Ban. 2. 2. qu. 61. ar. 6. Cou. in c. cum esses de testamen. n. 5. & in Reg. peccatum 2. p. §. 3. Naua. in Man. c. 17. n. 180. Enriq. li. 11. de matr. cap. 9. Roder. p. 1. sum. c. 132. Philiarch. de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 2. c. 6. & alij. Summistæ vero vt Ang. Syluest. Tab. Arm. & alij verbo contractus, & verb. pactum. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit contractus?

1 RESpondeo, quod est vltro, citroque obligatio. Quæ definitio non est intelligenda formaliter, quasi obligatio prædicetur de contractu, vt in definitione hominis prædicatur anima de homine, contractus enim non est ipsa obligatio sicut homo est animal, sed est intelligenda effectiuè, vt sit sensus, contractus est actus, ex quo oritur mutua obligatio, ex vtraque parte contrahentium. Actus ponitur loco generis; nam contrahere est agere, non tamen

Digitized by Google

quicunque agit,contrahit.Cætera ve- ponuntur tanquam differentia. Vnde contractus dicitur à contrahendo, quia duo, vel plures simul ad vnam obligationem suum consensum trahunt.

2 Ex qua definitione colligitur primo donationem,&promissionem non esse propriè contractus,quia licet ex parte donantis,& promittentis oriatur iustitiæ obligatio ad tradendam rem promissam,ex parte tamen eius, cui facta est promissio, vel donatio nulla ex iustitia oritur obligatio,de qua sola est sermo in definitione prædicta. Nam quod donator ad impensas teneatur, & ad damna subsequuta, quando is qui donauit sciebat rem esse alienam, id non ex donatione prouenit, nisi per accidens: per se enim ex dolo donantis ea obligatio oritur.

3 Secundo colligitur mutuationem esse verè,& propriè contractum, licet oppositum doceat Conrad. qu.16. de contr. quia quamuis mutuans gratis mutuet,oritur tamen ex mutuo hæc mutua obligatio, nam mutuãs tenetur nõ repetere statim,sed debet ad aliquod tempus permittere, vt alter mutuo fruatur,& qui mutuo accipit, tenetur fideliter restituere, adueniente illo tempore.

Dices, depositum, commodatum, & pignus sunt verè,& propriè contractus &tamen non inducunt obligationem ex vtraque parte,nam qui deponit, vel cõmodat, vel tradit pignus, minimè obligatur,ergo.

Respondeo negando antecedens,nam si commodatum dedisti, eo ipso te obligasti ad non repetendum ante vsum finitum, ad quem tu rem commodasti. Si depositi equum calcitrosum,teneris de dolo,& lata culpa. Si rem loco pignoris creditori tradidisti,debes expensas soluere,quas creditor fecit in pignore.

4 Tertio colligitur,emptionem,& venditionem esse verè, & propriè contractum, quoniam est dictus,non quicunque, sed ex quo,tam ex parte ementis,quam vendentis oritur obligatio, eo ipso quod est celebratus.Nam emptor eo ipso tenetur ex iustitia tradere pretium venditori, & venditor tenetur tradere emptori rem illi venditam.

Quarto & vltimo colligitur, hæc tria in omni contractu desiderari.Primo mutuum vtriusque contrahentis consensum.

Secundo vt consensus huiusmodi sit legitimus,id est nulla lege prohibitus.

Hinc pupilli nullum contractum ciuilem exercere possunt,lege illos prohibente.

Tertio vt consensus contrahentiũ liber sit,& voluntarius,neque per vllam vim,aut metũ,aut fraudem extortus.Et sicut cõtractus mutuo vtriusque cõsensu cõstituitur, ita mutuo quoque vtriusque consensu dissoluitur.Iuxta Regulam illã, omnis res per quas causas nascitur,per easdẽ dissoluitur.

QVÆSTIO II.

Quot modis contractus diuidatur?

1 REspondeo sex.Primo contractus alij dicuntur nominati,alij innominati. Contractus nominati sunt qui specificum nomen habẽt à lege impositum.Vt emptio, venditio, mutuum, locatio, societas,commodatum,pignus,depositum.& similes.Innominati sunt,qui nomine speciali carent. Horum tamen quatuor sunt species. Do vt Des:Do vt facias:facio vt Des:facio vt facias. Vt si Titio det panem pro vino erit contractus innominatus:Do vt Des.Si Titio des equum tuum,vt ille manumittat seruũ suum,erit cõtractus:Do vt facias.Si seruias vel scribas, vt det tibi panem, vel libros, erit contractus,facio vt Des.Si autem reficias domum suam, vt ille colat agrum tuum,erit contractus,facio vt facias.

2 Et inter huiusmodi contractus, magna est differentia, nam contractus nominati simul ac fiunt,perfectam obligandi vim in iure habent,efficacéque actionem pariunt, etiamsi neuter adhuc contrahentium ex sua parte contractum impleuerit.Vt colligitur l.1.ff.de rerum permutat. Innominati vero sunt,ex quib.nõ statim oriturperfecta obligatio ciuilis,nec actio in iure,nisi ex altera parte sint impleti,vel nisi vestiantur forma stipulationis,aut iuraméto,aut alia ratione.

3 Secundo diuiduntur contractus nominati in contractus bonæ fidei, & stricti iuris.Bonæ fidei contractus dicuntur,quia in eis Iudex multa potest ex æquo, & bono arbitrari,etiamsi in conuentione id expressum,dictumque non sit,vt sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus,& similes. Contractus stricti iuris sunt, in quibus Iudex agit ex rigore legis, vel pactionis,siue conuentionis factæ inter eos,qui contraxerunt,qualessunt mutuum, stipulatio,arbitrium &c.

4 Tertio diuiduntur contractus nominati,

in

Digitized by Google

in contractus lucratiuos,& oneroſos.Contractus lucratiui ſunt, quibus aſque vllo onere, aut recompenſatione iniuncta, ſed merè gratis aliquid alicui promittitur, vel datur,vt promiſſio,donatio,commodatum, precarium,mutuum,depoſitum, mãdatum. Huc referri poſſunt teſtamentum, & legatum, quæ ſunt donationes quædam in diem.

Contractus vero oneroſi ſunt per quos ex vtraque parte onus imponitur, quia loco eius, quod datur, aliquid debet reddi, vel præſtari, vt emptio, locatio, ſocietas, permutatio,&c.

Quarto contractus nominati alij ſunt, per quos transfertur dominium integrum, vt ſunt mutuum,emptum,permutatio. Alij per quos transfertur tantum vſus rei, vt commodatum,locatum,precarium.Alij vero per quos nec dominium,nec vſus transfertur,vt depoſitum, pignus. Cæteri contractus ad hos reducuntur, vt contractus cenſualis ad emptionem, depoſiti ad locationem,&c.

5 Quinto contractus diuiduntur : nam alij ſunt gratia accipientis tantum, cuius generis ſunt mutuum,commodatum, precarium.Alij gratia ſolum dantis,veluti depoſitum,&mandatum.Alij gratia vtriuſque dantis & accipientis, vt emptio, locatio, permutatio,pignus,ſocietas.Aliquando vero commodatum, mandatum, depoſitum ſunt gratia dantis, & accipientis vt inferius amplius dicemus.

Sexto, & vltimo diuiduntur contractus nominati in quatuor membra. Alij nimirum perficiuntur re,alij conſenſu, alij verbis, alij verò publica ſcriptura. Qui perficiuntur re,ſunt depoſitum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus,& donatio, quæ non niſi rei traditione complentur, non enim contractus hi cenſentur celebrati, niſi re tradita. Vnde ante traditionem,dum in ſolis verbis conſiſtunt, dicuntur pacta nuda, quæ non pariũt obligationem ciuilẽ niſi ex aliquo iuris priuilegio.

Contractus qui conſenſu complentur, ſunt qui non requirunt certam verborum formam, ſed ſufficit conſenſus quouis modo exteriusvtrimque explicatus,vt emptio, venditio,locatio,conductio,ſocietas, mandatum,& alij ſimiles.

6 Contractus qui perficiuntur verbis, ſunt qui requirunt certam verborum formulam,vt ſtipulatio, quæ non poteſt [illegible] niſi præcedat vnius contrahentis interrogatio, qua ſic alterum rogat promitti[illegible] mihi daturum, vel facturum te iſtam re[illegible] accedatque promiſſio alterius,qua reſpo[illegible] deat,promitto.

Cõtractus vero qui ſcriptura perficiuntur,ſunt qui præter conſenſum contrahentium,ſcripturam requirunt,vt emphyteuſis & omnis contractus, quem contrahentes nolunt concludere, niſi coram notario qui inſtrumentum conficiat.

QVÆSTIO III.

An contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris, inter ſe diſtinguantur?

1 REſpondeo diſtingui. Primo quia contractus bonæ fidei, in quibus intercedit dolus dans cauſam contractui, ſunt ipſo iure irriti, & nulli, non tamen ij, qui ſunt ſtricti iuris,quamuis per exceptionem doli reſcindi poſſint.Coua.2.p. relect. reg.poſſeſſ.§.6.nu.6.

Secundò quia obligatio contractuum bonæ fidei poſt moram extenditur ad omnia damna ſubſecuta, ad quæ tamen non extenditur obligatio contractuum ſtricti iuris,niſi id ſit inter partes cõuentum.Hoc autem procedit quoad dandi obligationes ex liberalitate ſuſceptas, quæ ſtricti iuris ſunt:nam obligationes tradendi, faciendi, ac reſtituendi, aliquando extendi poſſe ad damna ſubſecuta, licet ſtricti iuris ſint.

2 Tertio quia contractus ſtricti iuris regulariter non extenduntur ad ea,quæ tempore contractus præcogitata non ſunt. Vt poſtquam rem aliquam liberaliter promiſiſti,ſuperueniat aliquid, quod ſi præcogitaſſes,non promiſiſſes,fas eſt,nõ ſtare promiſſis, vt cum communi egregiè docet D. Th.2.2.q.110.ar.3. Secus de bonæ fidei contractibus dicendum,vnde ſi poſtquam rem iuſto pretio vendidiſti, vel domum locaſti, ſimileſue iniuſti contractus bonæ fidei,non licebit ab illis recedere, propter inopinatum euentum,de quo ſi præcogitaſſes, non contraxiſſes,vt poſt alios tradit Caietan.in ſum.verbi votum c.pen. ad finem.

Dixi (regulariter) quia interdum etiam in ſtricti iuris contractibus nefas erit ab illis reſilire, vt in materia de promiſſionibus amplius dicemus.

QVAE

QVÆSTIO IV.

Quinam possint contractus celebrare?

1 REspondeo eos omnes, qui habent vsum rationis,& administrationem bonorum. Qui vero carent vsu rationis, vt sunt infantes, dormientes, ebrij, furiosi, phrenetici,& alij similes; non habent administrationem bonorum, & non possunt contrahere.

QVÆSTIO V.

An Pupillus possit contractus celebrare?

1 REspondeo non posse, si infans sit, hoc est minor septennio, nec sibi alterum, nec se alteri vllo modo obligare potest naturaliter, aut ciuiliter, quia tunc compos rationis non est;quod si pubertati sit proximus, hoc est, si ad decem annos cum dimidio peruenerit si mas est, vel ad nouem cum dimidio, si fœmina & rationis compos effectus,alteri ciuiliter se obligare non potest per contractum absque Tutoris authoritate; attamen sine Tutore potest alterum sibi obligare, & sibi acquirere vt habetur expresse Inst. de inutil. stipul.§. pupil. & tradit eleganter Less.lib. 2.de iust.c.17.dub.8.

QVÆSTIO VI.

An Pupillus possit se obligare naturaliter sine Tutore?

1 REspondeo posse. Et ratio est, quia fideiussor pupilli obligatur etiam ciuiliter vt colligitur ex l. Marcellus ff.de fideiuss. ergo obligatur ipse pupillus saltem obligatione naturali. Consequentia patet, quia vt omnes Doctores tradunt, principali nullo modo obligato, non obligari fideiussorem: deficiente enim principali obligatione, non valet accessoria.Vnde vt fideiussor teneatur, requiritur vt principalis saltem naturaliter obligetur. Et est conclusio definita in l.1.ff.de Nouat. vbi apertè dicitur pupillum obligari naturaliter, si sine Tutoris authoritate promiserit.

QVÆSTIO VII.

An Minor viginti quinque annis Curatorem habens, possit sine ipsius authoritate contrahere?

1 REspondeo non posse; potest tamen sine eo sibi alterum obligare,& sibi acquirere.l.Si Curatorem habens.C.de integ. rest. Quod si Curatorem non habeat, per se ipsum contrahere, quia adultæ ætatis est. Habens itidem Curatorem, potest sine eo naturaliter obligari.

QVÆST. VIII.

Ex qua culpa teneatur quis ad restituendum damnum illatum in contractibus?

1 PRo intelligentia huius quæstionis obseruandum est primo, quod obligatio restituendi ex quatuor capitibus oriri solet.Primo ex contractu,vt deposito, mutuo,commodato,empto,locato &c.

Secundò ex quasi contractu scilicet ex officio, quo quis fungitur in vtilitatem alterius,non solum tanquam Tutor, vel Curator,vel etiam tanquam Iudex, Medicus, Procurator,Aduocatus, Opifex, vel quiuis alius qui ad officium aliquod assumitur.

Tertiò ex delicto, vt furto, homicidio, adulterio &c.

Quartò, & vltimò ex quasi delicto, vt cum serui,vel familia alicuius nocent aliis.

2 Secundò est obseruandum, quod res tribus modis perire potest, scilicet dolo, culpa & casu fortuito.Dolus est calliditas, fallacia,& machinatio,seu circumuctio ad decipiendum,seu fallendum alterum adhibita. Calliditas fit tacendo, fallacia mentiendo, machinatio arte verborum. Et est duplex,verus & præsumptus;quia licet dolus non possit probari in foro externo citra confessionem Rei,nisi per indicia,tamè quando signa sunt manifesta,dicitur dolus verus,quando autem non adeo sunt manifesta dicitur dolus præsumptus,verbi gratia commodant tibi vestem, quam noctu reliquisti in platea foribus exposita, & est deperdita, diceris apud homines vero dolo,vt perderetur, vestem reliquisse. Si vero in platea eandem vestem reliquisti in die, quæ deinde à fure fuit sublata,diceris dolo præsumpto illam reliquisse:licet fieri possit,

vt neutro casu coram Deo id dolo feceris, vel quod in posteriori casu, dolosè feceris, & non in priori.

3 Culpa est imprudentia, vel imperitia, qua quis ignorat, quod scire debet aut est negligentia, qua quis non prouidet, non cauet, aut non facit, quod prouidere, cauere, vel facere debet. Et differt à dolo, in eo quod dolus est cum intentione, & voluntate nocendi: culpa vero vel est cum scientia sine voluntate nocendi, vel sine scientia, & sine animo nocendi. Vbi aduerte quod nomine culpæ, aliud intelligunt Theologi, & aliud Iurisperiti. Nam Theologi intelligunt peccatum aliquod contra legem Dei, quod si est graue, dicitur mortale, si leue veniale. Sed Iurisperiti intelligunt aliquam priuationem diligentiæ, quam homines communiter solent adhibere in aliquo negotio, siue illa priuatio sit peccatum coram Deo, siue non. Vnde quàtum ad præsentem disputationem spectat nomine culpæ intelligimus negligentiam adhibitam in aliqua re custodienda. Et hæc est triplex, lata, leuis, & leuissima.

4 Culpa lata est deuiatio inconsiderata ab ea diligentia, quam homines eiusdem conditionis in tali re communiter adhibere solent. Vel lata culpa est secundum Nauar. cap. 17. nu. 178. quam regulariter omnes communiter vitant. Vel secũdum Med. in sua instruct. conf. fol. 156. est negligentia, quam negligentissimi solent committere. Vel vt ait Azor. p. 3. inst. mor. lib. 6. c. 4. est non facere, vel non prouidere, vel non cauere, quod omnes faciunt, vel prouident, vel cauent. v. g. commodasti mihi librum, & ego ex obliuione reliqui eum in scamno extra domum, quem statim fur surripuit: hoc damnum accidit ex mea culpa lata, quia non feci quod alij communiter facere solent in custodiendo librũ commodatũ.

5 Culpa leuis est deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam communiter homines alioqui diligentes adhibere solent. Vel secundum Med. est illa, quæ solita est cadere in hominem mediocriter diligentem. Vel culpa leuis est secundum Nauar. quam regulariter homines illius artis, vel professionis euitant. Vel secundum Azor. culpa leuis est, non facere, quod homines diligentes faciunt. Vt si librum accomodatum in cella, ostio tamen aperto reliqui, qui liber deinde furto est ablatus, hoc furtum dicitur factum esse ex mea culpa leui, quia non feci quod diligens feciſſet in eo seruando.

6 Culpa autem leuissima est deuiatio incircumspecta ab ea diligentia, quam homines prudentissimi solent in ea re adhibere. Vel secundum Nauar. est illa, quam homines diligentissimi vitare solent. Vel secundum Med. est negligentia quæ solet cadere in homines diligentissimos. Vel vt ait Azor. culpa leuissima est, non facere, quod homines diligentissimi facere solent. Vt si librum accommodatum intra domum reliqui, quam claue obseraui, sed tamen non tentaui manu, an benè esset obserata, deinde accidt, vt veniens fur, apertam inueniens domum, librum furatus fuit: hoc furtum dicitur accidisse ex mea culpa leuissima, quia non feci quod diligentissimus, & maximè circumspectus feciſſet in eo custodiendo.

7 Exempla etiam culpæ latæ, leuis & leuissimæ adhiberi possunt in artificibus, & in cœteris, qui munus aliquod exercent, si enim eorum aliquis in attinentibus ad suum officium omittat, quod communiter alij eiusdem conditionis non omittunt, dicetur errare ex culpa lata. Quod si omittat quod soli prudentes, vel prudentissimi solent non omittere, dicetur errare ex culpa leui, vel leuissima.

Casus vero fortuitus est inopinatæ rei euentus, qui præuideri etiam per diligentissimũ nõ potest, vt naufragiũ, terræ motus, grandines, latronũ cursus, & id genus alia.

8 His itaque positis, tres Regulæ in ipso iure canonico, & ciuili colliguntur, ad cognoscendum, ex qua culpa quis in contractibus teneatur.

Prima est, quando contractus in solius recipientis commodum cedit, tunc accipiens tenetur sub mortali, (nisi ex paruitate materiæ excuietur) ad restituendum si periit, vel deteriorata est domino suo, non solum ex dolo, & lata culpa, sed etiam ex leui, & leuissima, vt accidit in commodato, quod plerumque in bonum solius accipientis cedit. Ratio huius est, quia æquitas postulat, vt qui rem ab alio accipit in proprium commodum, & vtilitatem, teneatur ad hoc, quod dominus rei, qui gratiã fecit, non patiatur damnum: ergo si culpa etiã leuissima accipientis res pereat, non debet dominus pati aliquod damnum

Hæc

Hæc Regula colligitur expresè ex l. contractus ff. de Reg. iuris. Et ex c. vnico de commodato.

3 Hinc non est audiendus in hac parte Sotus lib.4. q. 7. art. 2. vir alioqui summæ eruditionis,& pietatis, ac de omnibus studiosis plurimum benemeritus , cum ait commodatarium non teneri ad resarciendum damnum rei sibi commodatæ ex leui culpa quæ ad peccatum mortale non peruenit in foro conscientiæ. Quæ profecto sententia pugnat non solum cum iure ciuili in l.contractus.ff. de Reg.iuris,verum etiam cum iure canonico c.vnico de commodato, vbi expresè habetur.Si gratia sui quis commodatum accepit,tenetur de culpa etiam leuissima. Vnde iure optimo eam omnes tum ciuilis,tum canonici iuris Doctores refellũt teste Nau.in Man.c.17.n.184.

10 Dices,non est credibile,quod commodatarius velit in conscientia obligari ex leuissima culpa, quæ vix est peccatum veniale.

Respondeo huiusmodi obligationem non nasci ex peccato,sed ex natura contractus: nam ratio commodati hoc requirit, vt qui in suam tãtum vtilitatem accipit, ea sollicitudine custodiat, vt de nulla negligentia argui possit , quod si aliqua interueniat, quantumuis leuissima, cum iam non adhibuerit omnem sollicitudinem , sed possit alicuius negligentiæ argui,ex natura huius contractus tenetur restituere.

QVÆSTIO IX.

Quid?si res sit dubia, an commodatarius commiserit culpam leuissimam an non ?

1 REspondeo in hoc casu confessarius, & ipsemet pœnitens declinare debet in fauorem Domini,quia commodatarius accipit rem in suam vtilitatem;est autem rectæ rationi consonum , vt qui sentit commodum sentiat damnum, & onus.

QVÆSTIO X.

An commodatarius qui accipit pecuniam pro custodia rei commodatæ, teneatur restituere rem, quæ periit sine culpa sua, etiam casu fortuito ?

REspondeo teneri. Et ratio est, quia commodatarius qui sine stipendio, vel pacto restituendi rem quocunque modo pereat, sed gratis tantum , & amicè,vt communiter fieri solet, commodatum custodit , tenetur illud restituere etiam si leuissima culpa illud pereat : ergo si recipit pretium vt commodatum custodiat, tenetur ad restitutionem , si periit sine culpa sua,etiam casu fortuito vt docet Bann.2.2. quæst.62.art.6.

2 Secunda regula est,quando contractus est in fauorem, & commodum solius dantis vt in deposito , tunc accipiens tenetur damnum secutum in re deposita resarcire ex dolo,& lata culpa, non autem leui , & leuissima. Ratio est, quia æquitas postulat, vt tunc depositarius non maiorem teneatur custodiam præstare , quam passim homines in suis rebus solent , cum sibi nulla fiat gratia , nec suum commodum spectetur,sed deponentis.

Tum quia cum depositum solum fiat in vtilitatem deponentis , ipsi ad culpam imputari debet, si periit depositum , vel passum est damnum ex leui tantum,vel leuissima culpa depositarij,quandoquidem non commisit diligentia, aut diligentissimo depositario. Hæc Regula colligitur ex cap.2. de deposito.

3 Hinc commodatarius qui recipit rem commodatam solum in bonum & gratiam commodantis , vt cum vxor vestes recipit sibi commodatas à suo marito , vt coram eo ornatior accedat , non tenetur eas restituere , si pereant , vel deteriorentur,nisi de dolo , & lata culpa.Et ratio est, quia tantum in gratiam,& vtilitatem commodantis accepit, & ideo non tenetur nisi de dolo , & lata culpa. Nauar. cap. 17. num.184.

QVÆSTIO XI.

Sed Quid ? si res sit dubia , an depositarius commiserit culpam latam,an non ?

1 REspondeo si dubium sit æquale, declinandum esse in fauorem depositarij. Et ratio est , quia depositum sit in gratiam , & vtilitatem deponentis , & idcirco æquum est , vt ipse potius patiatur damnum, quam depositarius , vbi res dubia fuerit.

QVÆSTIO XII.

An depositarius qui pro custodia depositi pretium accipit, teneatur ad restitutionem de leui culpa?

1 REspondeo teneri. Et ratio est, quia depositarius stipendiatus magis obligatur ad custodiendum depositum, quam non stipendiatus:sed non stipendiatus tenebatur solum delata, & ampla culpa,ergo stipendiatus tenetur de leui culpa Ban.2.2.q.62.ar. 6. & Nauar.c.17.nu.181.

2 Tertia vero Regula est,quando contractus est in gratiam,& vtilitatem vtriusque videlicet dantis, & accipientis, vt in conducto, locato &c. tunc accipiens tenetur non solum ex dolo.& culpa lata,sed etiam ex leui, non tamen leuissima. Ratio est, quia cum contractus fiat in gratiam tam accipientis, quam dantis, ratio exigit, vt accipiens diligentem curam adhibeat in re custodienda, non tamen exquisitissimam adhibere tenetur, quia cum etiam in vtilitatem dantis ea concessa sit, etiam ipse dominus curam adhibere debet, vt committatur ei, a quo nullum sibi timet damnum.Hæc Regula colligitur ex l.illa in rebus. ff. de commodata.

QVÆSTIO XIII.

An si locator, vel conductor pretium accipiat pro conseruanda re locata, vel conducta,teneatur ratione illius pretij etiam de leuissima culpa?

1 ANg. Rosell. Sylvest.& Tabien. verbo custos num.1.affirmant.

At Sylvest. sibi contrarius verb. locatio quæst.17.negat ex eo,quod huiusmodi contractus est in gratiam vtriusque partis factus, sed ex tali contractu nemo tenetur nisi ex lata,& leui culpa, ergo.

2 Cæterum prima opinio mihi videtur verior, atque tenenda. Et ratio est,quidem quia locator non accepto pretio tenetur de lata, & leui culpa vt constat: sed accepto pretio magis tenetur,ergo tenebitur de leuissima culpa. Et est conclusio definita in l. qui mercedem Et in l. dominus de deposito &c.Bann. 2.2.quæst.62.ar.6.Vnde est Regula generalis, quod qui simpliciter tenetur ex culpa lata, accipiens pretium pro custodia illius rei,teneatur ex leui: & qui simpliciter tenetur ex leui, accipiens pretium, teneatur ex leuissima; ita vt stipendium acceptum,augeat gradum culpæ.

QVÆSTIO XIV.

Quid? si in locato &c. dubium sit, an res perierit culpa leui, vel casu fortuito?

1 REspondeo tunc declinandum esse in fauorem locantis, ita vt teneatur locatarius ad restitutionem. Ratio huius est,quia in dubiis potior est conditio possidentis.

QVÆSTIO XV.

An in contractibus aliquis teneatur ad reparandum damnum secutum ex casu fortuito? v.g.commodasti mihi vestem,quam latrones statim à me per violentiam abstulerunt, vel apposui ignem ad comburendum stipulas agri mei, in die quieto, sed statim exorto magno vento,ignis syluam alterius combussit Quæritur nunc, An teneatur ad huiusmodi damna, quæ non ex culpa, sed casu fortuito processerunt?

1 REspondeo non teneri. Et ratio est, quia is, cui res ex casu fortuito perit,non est causa efficax illius damni,nec per se,nec per accidens, ergo non tenetur illud restituere. Consequētia per se cōstat. Antecedēs vero probatur,& quidem quod non sit causa per se, colligitur ex eo,quod illud damnum non est per se intentum. Quod autem non sit causa per accidens, probatur, quia ad hoc vt aliquis sit causa per accidens alicuius damni, necessarium est, quod debeat,& possit illud impedire, at casum fortuitum, cum præuideri non possit,nemo potest impedire vt constat,ergo. Et est conclusio definita in c. vnico de commodato vbi dicitur, ei qui commodatum aliquod accepit, casus fortuitus imputari non debet.

2 Excipiunt tamen Doctores tres casus, in quibus obligatur quis ex casu fortuito. Primus est, quando culpa præcessit casum fortuitum. v. g. commodasti mihi equum. vt irem Thaurinum,& iui Mediolanū,&post Thaurini transitum, casu fortuito incidi in latrones

latrones,qui rapuerunt equum,teneor eius æstimationem restituere.

2 Secundus est, quando casum fortuitum præcessit mora, qua quis tardat reddere suo tempore rem acceptam, vt si v.g. non reddidisti mihi equum commodatum tempore, quo tenebaris scilicet post annum,& post huiusmodi tempus periit apud te, teneris damnum restituere.

3 Tertius verò est,quando ex mutua contrahentium conuentione, & pacto alteri obligatur etiam ex casu fortuito, quia onus, & periculum rei contractæ sponte suscipit.Quia tamen eiusmodi onus est pecunia æstimabile, ob id, qui illud suscipit, pretium,siue mercedem potest exigere,nisi gratis, & liberaliter sibi tale onus imponat.Qui tres casus habentur in c.vnico de commodato ex decreto Greg. Papæ IX.

QVÆSTIO XVI.

Sed Quid ? si esset dubium, an casu fortuito, vel culpa aliqua commodatarij res perierit an non?

1 RESp.in casu dubij declinandum esse in fauorem Domini. Et ratio est, quia in dubiis potior est ratio possidentis, Dominus autem rei, cum in accommodato non transtulerit dominium illius, est adhuc possidens.

Tum quia æquum est,vt commodatarius qui beneficium recipit, patiatur potius damnum in dubiis,quam ipse dominus,qui nullam reportat vtilitatem.

QVÆSTIO XVII.

Sed Quid ? si bona fide putauit se facere volente Domino ?

1 RESp.si verè Domino placebat,vt ipse rem illam diutius detineret,aut alter ea vteretur, quam ad quod fuit petita, ad nihil tenetur, etiamsi ea occasione res illa perierit. Ratio est, quia reuera non est transgressus Domini voluntatem.Secus verò si deprehẽdat Domino displicuisse, tunc si id occasio fuit, vt res periret, licet non peccauerit excusante illum bona sua fide, in foro tamen conscientiæ,restituere teneretur valorem illius,quia non potuit id facere,nisi animo compensandi, si Domino displicuerit.Molina tom.2.de iust.disp.293. & Less.lib.2.de iust.c.7. dub.8.

QVÆSTIO XVIII.

An secundum conscientiam teneatur resarcire damnum, vbi mora, vel culpa casum antecessit, si res commodata esset eodem modo peritura apud dominum, quemadmodum periit apud commodatarium?

1 RESpondeo non teneri.Ratio est,quia commodatarius non plus in eo casu tenetur Domino rei illius,quam illi fuerit causa, aut occasio damni ratione illius moræ, aut culpæ: quando autem res eodem modo peritura erat proprio Domino, sanè,neque causa, neque occasio ille fuit, vt periret,ergo ad nihil tenetur.

QVÆSTIO XIX.

An cum quis in vniuersum se obstringit ad omne periculum,& non exprimit casum fortuitum, teneatur ex casu fortuito ?

1 RESp.nõ teneri,vt rectè docuit Sylu. verb. casus fortuitus. Verum si aliquem casum fortuitum expressit,& deinde generatim subiunxit, sic & de omnibus aliis casibus fortuitis,non obligatur nisi ad similes casus fortuitos, non tamen ad eos, qui fuerint maiores casu expresso.Quod si iureiurando in vniuersum ad casus fortuitos se obstrinxit,& nullum expressit, tunc habendam esse rationem animi eius, qui iurauit, ac proinde iurantem non obligari in his casibus, in quibus specialiter non consensisset si expressi fuissent. Ratio est, quia iuramentum non obligat vltra intentionem iurantis.

QVÆSTIO XX.

Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem damni ex quasi contractu ?

1 RESpondeo quando quis ex officio aliquid facit solùmodo in gratiam, & commodum alterius, tunc tenetur ad restitutionem damni solum ex dolo,& lata culpa,non tamen ex leui,& leuissima;si tamen id faciat,quia ad id est mercede conductus,tunc non solum tenetur ad restitu-

tionem ex dolo, & lata culpa, sed etiam ex leui, quia id vergit in vtilitatem vtriusque, nunquam tamen ex leuissima, vt habetur in l. fi. ff. si mensor &c. & tradit eleganter Syluester. verb. culpa quæst. 4.

QVÆSTIO XXI

An qui facit officium gratis, teneatur aliquando etiam ex leui culpa ad compensandum damnum in bonis sibi commissis?

1 PAnorm. in cap. cum causa de testibus absolutè dicit hunc nunquam teneri ex leui culpa. Quam opinionem Azor. p. p. 3. instr. mor. lib. 4. c. 6. putat esse probabilem.

2 At vero Angel. verb. culpa num. 5. & Syluest. ibidem quæst. 4. & verbo custos volunt hunc aliquando teneri etiam ex leui culpa nimirum quando quis sponte se offert ad officium præstandum, & est alius eo diligentior, quem adisset is, qui operam suam requirit, nisi iste vltro se obtulisset. Et hæc sententia mihi magis placet, quia eo ipso, quod iste sponte se offert, cum non deesset alius diligentior, qui officium præstaret, talis videtur tacitè diligentiam exactam ea in re promisisse, & videtur esse in causa, cur alius diligentior non fuerit ad huiusmodi officiũ assumptus: ac proinde ex leui culpa tenetur

QVÆSTIO XXII.

An qui ob mercedem, seu lucrum facit officium in alterius vtilitatem teneatur aliquando ad restituendum damnum ex leuissima culpa?

1 ANg. & Syluest. locis citatis volunt hunc aliquando ex hac etiam culpa ad id teneri, nimirum quando is exercet officium, vel artem tanquam maximè peritus, hoc est profitendo, vel iactando se esse in ea arte peritissimum, Sed hoc nõ probant aliquo iure ciuili, vel canonico, aut ratione efficaci, & ideo videtur dicendum solum hunc teneri ex dolo, lata & leui culpa, & non leuissima, quia hæc est Regula obseruanda in contractu, seu in quasi contractu facto in gratiam vtriusque, quia non tenetur quis ad damnum ex leuissima culpa, sed solum ex lata, & leui, sed quando exercetur officium ex mercede, vel lucro id fit in commodum, & gratiam vtriusque partis; ergo.

2 Cæterum mihi videtur opinionem Syluestri recipi posse in casu quo quia aliquis se iactat, vel profitetur peritissimum, alius deciperetur, ne adiret peritiorem.

QVÆST. XXIII.

An qui locat operas suas in rebus tractandis, aliquando teneatur ad damnum recompensandum etiam ex leuissima culpa?

1 ANg. verb. locatio n. 27. Rosel. ibidem nu. 19. & verbo custos nu. 1. Tab. eodem verb. nu. 20. Armil. verb. locatio nu. 22. & verb. custos nu. 1. & 2. & multi alij dicunt frequenter ad id non teneri ex leuissima culpa, vt si loquamur de communi, & ordinaria operarum locatione ad id præstandum. Aliquando vero teneri etiam ex huiusmodi culpa, quando nimirum quis locat operas suas in tractandis rebus, quæ summam cautionem, & singularem industriam desiderant, ne pereant, veluti si quis locauit operas suas ad transferendam magnam columnam, vel Pyramidem, vel adamantem expoliendum, si dum hæc columna tollitur, vel adamas expolitur, notabile detrimentum in re accidat, tenebitur ad hoc damnum resarciendum etiam ex leuissima culpa, nam culpa non intelligitur in his abesse, nisi omnia facta sint, quæ diligentissimus quisque obseruaturus esset.

2 At verò Azor. p. 3. instruc. mor. lib. 4. c. 6. quæst. 4. cum multis aliis docet etiam in his rebus tranctandis, quæ tantam diligentiam requirunt, non teneri ad damnum restituendum, nisi ex dolo, lata, & leui culpa, non autem leuissima; idque probat ex Regula iuris tradita, quia iste contractus, vel quasi contractus, est in gratiam, & bonum vtriusque partis factus. Vtrumque probabile.

QVÆSTIO XXIV.

An omnia supradicta de culpa leui, & leuissima sint vera de iure naturali, an verò solum de iure positiuo?

1 AD hoc dico primo, quod stãdo intra terminos iuris naturalis, nemo tenetur restituere damnum à se datum in re aliena etiam si apud ipsum ex contractu

vel

Digitized by Google

vel ex quaſi contractu, niſi ex dolo,& lata culpa. Et ratio eſt, quia iure naturali nemo tenetur maiorem diligentiam adhibere in conſeruanda re aliena, quam ſciens, & prudens adhiberet in re propria,& quã ipſe dominus adhibuiſſet, ſi apud ipſum manſiſſet: cum nemo teneatur eſſe prudentior,& circumſpectior hominibus ſuæ conditionis, & artis, ergo ſi hæc diligentia præſtatur, damnum euenies erit ſine eius culpa: ſed nemo tenetur iure naturæ in conſcientia damnum à ſe commiſſum reſarcire, niſi ſit iniuſtè datum; ergo cum hic nulla ſit iniuſtitia,ad nullam reſtitutionem tenebitur. Ita Leſſ. lib.2.c.7.dub.8.

2 Secundo dico, quod loquendo de iure poſitiuo, ſi contractus cedit ſolum in tuam vtilitatem, teneris non ſolum ex dolo, & lata culpa,ſed etiam leui, & leuiſſima.v.g. ſi ſolum in tui commodum, gratis commodaui tibi equum, teneris in eo cuſtodiendo præſtare non ſolum eam diligentiam quam homines diligentes communiter in ſuis rebus conſeruandis adhibere ſolent,ſed etiam quam diligentiores,& diligentiſſimi, vt habetur expreſſè in cap.vnico de commodato. Ratio huius eſt, quia de æquitate is, qui rem ab alio accipit in proprium commodum, curam exquiſitiſſimam præſtare debet, ne dominus qui gratiam fecit, patiatur damnum, ſi contingat rem perire, id enim ex gratitudine commodatarius domino rei rependere debet. Vnde legitima fuit cauſa ad hoc lege ſanciendum, & inducendum ſtrictam obligationem. Ita Leſſ.lib.2.c.7.dub.8.

QVÆSTIO XXV.

An huiuſmodi leges, quæ præcipiunt reſtitutionem damni dati ex culpa leui,& leuiſſima, obligent in conſcientia ante Iudicis ſẽtentiam?

1 SOt. lib.4.de iuſt.quæſt.7.ar.2. fatetur in conſcientia non obligare ante latam ſententiam; putat enim ipſe has leges eſſe pœnales,& procedere ex præſumptione culpæ mortalis. Cuius ſententiam Leſſ.lib.2.c.7.dub 8.cenſet eſſe probabilem non ea quidem ratione,quod hæ leges ſint pœnales,ſed quia in foro conſcientiæ non videntur eſſe receptæ.

2 Mihi tamen longe probabilius videtur oppoſitum, nempe has leges obligare in conſcientia ante latam ſententiam, quia ſanciunt id quod ex æquitate naturali, & ex gratitudine præſtare debemus circa rem alienam. Tum quia debuit hoc lege ſtatui propter bonum commune, tum vt euitetur omnis fraus, & negligentia circa rem alienam; tum etiam vt excitentur homines ad præſtandum eam omnem diligentiam circa eiuſdem rei cuſtodiam quæ æquitati naturali eſt conſentanea,quamuis ex natura rei, & de rigore iuſtitiæ non ſit debita. Leſſ. lib. 2. de iuſtitia, & iure cap.7.dub.8.

QVÆSTIO XXVI.

An in delicto teneatur quis ad damnum ſua culpa datum ſolum ex lata culpa, an etiam ex leui,& leuiſſima? verbi gra. delinquit quis ſtipulam alienam incendendo, & quia fuit imprudens in non præuidendo,vel non euitando,ne inde aliud malum proximi ſequeretur, ignis latius euagatus vicinam ſegetem combuſſit. Quæritur nunc vtrum is qui dabat operam rei illicitæ teneatur ex leui, & leuiſſima culpa ad reſarcienda huiuſmodi damna?

1 ANg. verb.culpa n.6.Med.C.de reſt. q.9.& Couar. in epi. tom. p.2 cap. 6.§.8.num. 12. volunt hunc teneri ad damnum ex leui, & leuiſſimã culpa. Et probant ex inſt.de oblig.quæ ex delicto, & ex c.vlt. de iniuria,& damno dato.

2 Alij vero vt Sylueſt.verb.culpa q.4.Sot. lib.4.q.7.ar.2.Leſſ. lib.2.de iuſt. c. 7.dub.6. Pet. Nauar.lib.2.de reſt.c.1.nu. 46.Eman.Sà in Aphoriſm.conf. verb.reſtitutio,& verb. commodatum, & Henric.Enriq. de irregul.c.15. rectius docent neminem delinquentem teneri ad huiuſmodi damnum ſecutum ex leui,& leuiſſima culpa, ſed ſolum ex lata, fundamentum huius eſt, quia nemo tenetur adhibere maiorem diligentiã in ſuis operibus,ne alteri noceat,quam homines eiuſdem conditionis paſſim in ſimilibus adhibere ſolent.

Tum quia,vel iſte tenetur ad reſtituendum huiuſmodi damnum ratione rei acceptæ,vel ratione iniuſtæ acceptionis: non ratione rei acceptæ, quia vt ſupponimus, ſolum eſt damnum illatum rei alienæ, & nihil acceptum:non ratione iniuſtæ acceptionis

tionis, quia huiusmodi damnum vt patet solum prouenit ex leui, vel leuissima culpa, seu leui, vel leuissima imprudentia, & negligentia, quæ cum fit absque vllo peccato non videtur posse inducere obligationem restituendi sub peccato mortali. Quod culpa leuis, vel leuissima sit absque vllo peccato, patet, quia non tenebatur diligentiam, & circunspectionem adhibere, quam prudentiores, & prudentissimi solent adhibere, sed solum eam quam prudentes, ergo hanc adhibendo, & illam omittendo, non peccauit. Quod autem teneatur ex culpa graui, probatur, quia vnusquisque in operibus periculosis tenetur adhibere diligentiam, quam homines eius professionis, & artis adhibere solent: ergo si hanc non præstat, censetur damnum illi voluntarium quia non facit, vel cauet, quod facere, vel cauere potest, & debet.

3 Ad leges autem in oppositum pro prima opinione adductas respondeo, eas solum intelligi in foro exteriori, & non in foro conscientiæ, nisi post condemnationem Iudicis.

QVÆSTIO XXVII.

An culpa lata obligans ad restitutionem debeat esse mortifera?

1 PAnormit. in c. fin. de iniuriis. Adr. in 4. in materia de restitut. Ang. ver. culpa circa finem, & multi alij negant.

2 Alij vero vt Sylvest. Sot. Petr. Nau. Less. Azor. Eman. Sà. & Henric. Enriq. locis supra citatis affirmant, & meritò quidem quia quando solum culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectius, ergo non inducit obligationem restituendi saltem perfectam qua quis ad restitutionem teneatur sub mortali. Ordinariè autem quando damnum est notabile, culpa seu negligentia, ex qua nascitur, censetur mortalis, nisi aliunde constet non esse.

QVÆSTIO XXVIII.

An saltem in hoc casu sub veniali sit obligatio restituendi?

1 MVlti affirmant: Sed oppositum mihi videtur verius, scilicet nullam esse obligationem restituendi sub veniali, quod satis indicant Sylvest. & alij Doctores citati. Et ratio est, quia obligatio restituendi in re graui, non potest esse, nisi sub mortali; pendet enim obligatio ex materiæ quantitate, posita lege diuina, vel humana.

2 Hinc, qui subita ira correptus aliquem interfecit, ita vt solum commiserit peccatum veniale, non tenetur sub mortali ad restituendum damnum ex homicidio secutum Ita Less. lib. 2. de iust. c. 7. dub. 6. & Petr. Nauar. lib. 2. de rest. cap. 1. nu. 46.

QVÆSTIO XXIX.

An in quasi delictis, quis ex leui, & leuissima culpa teneatur ad restituendum damnum?

1 NOtandum, in Iure ciuili quasi delicta dicuntur, cum quis damnum dat vel per domesticos suos videlicet per liberos, vel famulos, vel seruos, vel domesticos, quos domui suæ habet, vel per animalia sua, vel aliquid ex alto proiiciendo, vel effundendo, non quod actu positiuo præcipiendo, consulendo, vel aliter cooperando huiusmodi damna inferat, tunc enim damnum diceretur secutum ex delicto, non quasi delicto, sed quod non prohibuerit, vel non cauerit, aut prouiderit, ne per seruos, vel domesticos suos, vel alia sibi commissa sequeretur huiusmodi damnum.

2 Quo posito, duas in hac quæstione inuenio opiniones. Prima est illorum, qui affirmant hunc teneri ad restituendum damnum etiam ex leui & leuissima culpa. Sic Cou. in epitom. p. 2. c. 6. §. 8. nu. 12. Med. C. de rest. q. 9. & Adr. in 4. in tract. de rest.

Secunda vero opinio quam sequor est Soti lib. 4. de iust. quæst. 7. ar. 2. Less. lib. 2. de iust. c. 7. dub. 6. Azor. par. 3. inst. mor. lib. 4. c. 8. Petr. Nau. lib. 2. de rest. n. 46. Sylvest. verb. culpa q. 4. & aliorum dicentium solum teneri ex dolo, & lata culpa, & non ex leui, vel leuissima. Et ratio est, quia est leuissima culpa, nullum est peccatum: vbi leuis, aut non est peccatum, aut non mortale, ergo inde non potest nasci obligatio ad restituendum sub mortali.

3 Hinc, qui domui suæ habet ferã aliquã, puta Leonem, Vrsum, Taurũ, Lupũ, Canem &c. non tenetur in foro conscientiæ ad restituendum damnum illatum per huiusmodi feras, nisi ex dolo, & lata culpa fuerit illud damni causa.

QVEA

QVÆSTIO XXX.

An contractus, cui deficit aliqua conditio, & solennitas iuris sit validus? vt si v.g. in testamento non adsint septem testes, vel non omnes sint masculi, & puberes, vel non omnes sint rogati, vel si non omnes subscripserint?

1 IN hac quæstione ardua sanè, & difficili omnes Doctores conueniunt, contractum ad pias causas, cui deest solennis formula iuris ciuilis, modo existat id, quod est iuris naturalis, validum esse in vtroque foro, tum in fauorem causæ piæ, tum quia eo ipso, quod contractus ille pius est libera voluntate contrahentis, & proprio ipsius sponte, & non per aliquam fraudem iudicatur celebratus. Vt colligitur expresse ex cap. Relatum 1. de testam. vbi Alex. Papa III. præcipit vt Iudex causas, in quibus agitur de iis, quæ relicta sũt Ecclesiis, tractet non secundùm leges ciuiles, sed secundùm canones. Quod etiam in foro ciuili seruãdùm esse docent Iul. Clar. §. testamentum qu. 6. nu. 1. Couar. c. 11. de testamen. n. 9. & Less. lib. 2. de iust. c. 19. d. 1.

QVÆSTIO XXXI.

An necessarij sint duo testes, vt talis contractus ad pias causas valeat in foro conscientiæ?

1 RESpondeo non necessariò, satis enim est, in hoc contractu id quod iure naturali, & diuino est sufficiens, nempe vt contrahentes sint habiles ad celebrandos contractus, & libertas in contractu. Ratio huius est, quia nulla solennitas iuris ciuilis in his contractibus ad pias causas est necessaria vt patet ex cap. Relatum 1. de testam. neque etiam necessarij sunt duo testes iure canonico, quia vt ex dicto c. citato colligitur, Ius canonicum, non requirit eos, vt contractus, vim habeat in foro conscientiæ, sed vt possit probari in iudicio.

2 Ex quo fit vt si testamentum aliquod ad causas profanas defectu alicuius solẽnitatis sit irritum, tamen legata pia in eo contenta sunt valida. Ratio est, quia cap. Relatum 1. de testam. loquitur in vniuersum de omnibus ad pias causas relictis, ergo etiam comprehendit legata.

Ex quibus sequitur primò, hæredem ab intestato, si constet de voluntate testatoris, teneri restituere hæreditatem & soluere legata pia ex quibus ex testamento minus solenni debentur.

3 Secundò sequitur eum qui hæsitat de voluntate testatoris, teneri cum illis componere, pro ratione dubij. Ratio est, quia cum nec ipse, nec alij ceperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum conditio, vt docet Molina disp. 8.

Tertiò sequitur eos, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, posse vti occulta compensatione, si via iuridica, sua recuperare nequeant. Ratio est, quia reuera res illa erat ipsorum. Sylu. verb. hæreditas 3. quæst. 7. Hæc itaque certa sunt.

QVÆSTIO XXXII.

Tota igitur huius controuersiæ difficultas consistit. An contractus ad causam profanam celebratus sine solennitate iuris sit validus?

1 QVæstio hæc non intelligitur, an leges ciuiles potuerint hunc contractum, cui deficit aliqua solennitas iuris in vtroque foro statim ipso facto irritare. Cum in Republica sit plena potestas ad occurrendum fraudibus, & dolis, qui in contractibus accidere possunt tam in iudicio, quam extra iudicium, sicut de facto irritos decernit contractus celebratos sine authoritate Tutorum, & alienationes factas à Minoribus sine consensu Curatorum, vel decreti Iudicis &c. Et ratio est quia leges ciuiles iustè obligant etiam in conscientia vt docet D. Tho. 1. 2. q. 46. art. 4.

QVÆSTIO XXXIII.

Quæstio igitur est, an de facto id definiant, & statuant?

1 ADrian. in quodlib. 6. art. 1. Med. C. de rest. q. 23. & Sylvest. verb. alienatio qu. 13. & verb. testamentum. 1. qu. 5. & verb. hæreditas 3. quæst. 7. negant.

Sot. lib. 4. de Iust. quæst. 5. art. 3. Ban. 2. 2. quæst. 62. art. 5. & nonnulli alij tenent id definire tantum in foro exteriori.

2 Alij verò vt Innoc. in cap. quia plerique de immunit. Eccles. Couar. super cap.

cum esses de testam.n.6.Franciscus Victoria 2.2.in principio de rest. Ledesma 2.4.q. 18.art.1.dub.12.Salon. 2.2.q. 61.art.4. Magister Cano,& plerique alij Doctores graues volunt id definire tam in iudicio, quam extra. Et hæc opinio mihi uidetur verior, atque tenenda.Probatur, leges quæ solennem formulam in contractibus requirunt, apertè docent,contractus aliter factos esse irritos,& nullius momenti. In lege enim consultissimi C. de testam. habetur, vbi testam. non fuerit subscriptum, illud pro iniecto haberi conuenit. Et paulo post. Ex imperfecto testamento voluntatem defuncti teneri volumus. Et inst. quibus modis testamenta infirmentur 3.in eo.Iustinianus Imperator ait imperfectum testamentum sine dubio nullam est.Et in lege illa Tauri dicitur testamentum in quo defuerit iustus numerus testium, nullam fidem habeat tã in iudicio, quam extra iudicium, ergo in vtroque foro est irritum,& nullum.

3 Et confirmatur, huiusmodi leges sunt iustæ, vt potè latæ vt fraudes deuitentur, lites,& controuersiæ perimantur,& commune Reipublicæ bonum conseruetur, ergo conscientiam obligant.Antecedens per se patet. Consequentia verò est D. Thom. 1.2.q.46.a.4. Atqui supradictæ leges vt intuenti patet definiunt contractus minus solénes esse in vtroq; foro inualidos.ergo.

Obiicies, leges solennem formulam in contractibus requirunt ad deuitandas fraudes, & vt contractus vim habeant in iudicio, ergo vbi nulla est fraus vel dolus, contractus in conscientia valet,dummodo in eo contractu non desit id quod iuris naturalis ratio postulat.

Resp.leges citatas formam contractibus tribuere, ac proinde latas non esse solum ad tollendas fraudes, sed ad formandos cõtractus videlicet vt sic,& nõ aliter fiant. Et hoc Reipublicæ est necessarium,vt contractus qui ex iure naturali,& diuino certam, & definitam formam non habent, ex iure scripto obtineant.

QVÆSTIO XXXIV.

An contractus per errorem celebratus sit validus?

1 AD hoc dico primò, quod quando error contingit in contractu circa substantiam rei, tunc contractus est in vtroque foro inualidus. Et ratio est, quia deest consensus,qui est de essentia contractus, vt si Titius vendat gemmam pro vitro,vel aurum pro aurichalcho,Caius qui emit, re comperta, tenetur ad restitutionem gemmæ vel auri, vel ad iustam eius æstimationem, quia venditor non consentit in venditionem gemmæ,vel auri,sed vitri, vel aurichalchi, quod putabat subesse sub illis speciebus. Ita Less. lib. 2. de Iust. cap. 17. dub. 9.

2 Secundò dico,quod quando contingit in altero contrahentium esse errorem tantùm circa accidẽtia,& extrinseca, quæ allicium aut auocant à contrahendo, tunc contractus est validus, modo dolus non dederit causam cõtractui.Et ratio est, quia iste verè consentit in emptionem istius rei sciens & volens absq;metu,& fraude,qui consensus sufficiens est ad contractus validitatẽ.

Nec obstat quod fuerit error circa qualitatem rei, quia non requiritur ad rationem contractus, vt omnes rei qualitates cognoscantur, aut vt in omnes consentiat.

Tum quia si sciret rei qualitatem, nihilominus vellet contrahere,quamuis non eo pretio.Ita Caiet.2.2. q.77.art.3.Sotus lib.6. quæst.3. art.2. & communis.

QVÆSTIO XXXV.

An contractus simulatus sit in vtroque foro nullus?

1 RESpon.esse nullum. Ratio huius est, quia vbi non interuenit verus contrahendi consensus,non potest esse contractus, est enim consensus non solum causa efficiens, sed etiam veluti forma essentialis contractus. Vnde rectè contractum simulatum corpus sine spiritu Baldus apellauit.

QVÆSTIO XXXVI.

An propter pretij inæqualitatem, contractus dici possit simulatus,ac proinde nullus?

1 ALciat lib.3.Parergon.c. 11. putat dici posse simulatum,atque adeo nullum.1. Contrarium tamen arbitror esse dicendum, nam in lege imaginaria de Reg. iuris habetur. Non dari imaginariam, hoc est simulatam venditionẽ, vbi reuera pretium

tium iuterueuit. Quod eſt verum,etiam ſi pretium vltra,vel infra dimidium iuſti pretij detur; modo tamen non ſit adeo paruum collatione rei venditæ, vt moraliter loquendo, pretium dici nequeat, vt ſi pro gemma pretioſa vnus nummus daretur, nam tunc potius eſſet pretij ſimulatio, quam pretium ſimpliciter ac proinde eſſet ſimulata venditio.

QVÆSTIO XXXVII.

An contractus dolo celebratus ſit validus?

1 PRo cuius quæſtionis deciſione, obſeruandum eſt primo, quod dolus interdum dat cauſam contractui,interdum vero in illum incidit. Tunc dicitur dolus dare cauſam contractui, quando quis non foret contracturus, ſi non fuiſſet ab alio dolo inductus, aſſeuerante rem eſſe bonam, vel vtilem, cum reuera talis non ſit. Dicitur verò incidens in contractum, quando quis fuiſſet quidem contracturus, ſed non tam libenter, neque tanto pretio. Vt ſi vendens rem maioris iuſto pretio, etiam ſcienter decipiat emptorem. Quo iacto fundamento.

Dico primo, quod quando contingit contractum dolo in illum incidere, contractus in vtroque foro eſt validus,nec poteſt reſcindi nolente decepto,ſed ad æqualitatem eſt reducendus. Et ratio eſt, quia quamuis hic concurrat peccatum deceptionis contra iuſtitiam, non tamen illud fuit cauſa ineundi contractum, quandoquidem etiam remota deceptione erat contracturus; quia tamen eſt cauſa damni, reſpectu cuius deceptus inuoluntarius eſt, illud totum erit ei in conſcientia reſtituendum abſque reſciſione contractus. Vt expreſsè habetur in c.cum dilect. de empt.& vend.& C.de reſcind.vēd.l.2.& tradit eleganter Cou.p.2. Reg. poſſeſſ.§.6. num.6.

2 Secundò dico, quod quando contingit contractum per dolum, qui dat cauſam contractui celebrari, & dolus prouenit ab altera parte, vel ſaltem illa ſit particeps doli, omnis contractus ſiue lucroſus ille ſit,ſiue oneroſus, ſiue ſit bonæ fidei,ſiue ſtricti iuris(excepto tamen matrimonio) in foro conſcientiæ eſt inualidus. Ratio eſt,quia eſt inuoluntariè celebratus.

Ex quo ſequitur deceptorem teneri ad reſtituendum rem, ſi quam ex tali contractu recepit,eiuſque fructus, ac denique omne damnum ſibi inde emergens, aut lucrum ceſſans, quia per iniuriam fuit cauſa contractus.

3 Dixi notanter (in foro conſcientiæ) quia quantum ad forum contentioſum, contractus ſtricti iuris, quando dolus cauſam dedit contractui, non ſunt ipſo iure humano irriti l.dolo C. de inutili ſtipul. Sed contra eum, qui dolum fecit, agi poteſt, ope,& beneficio exceptionis. E contrario vero bonæ fidei contractus excepto matrimonio, ſunt non ſolum iure naturali,ſed etiam iure humano, ac in foro iudiciali irriti in fauorem decepti, ita vt ſi non expediat, poſſit liberè à contractu diſcedere; ſi expediat poſſit decipientem ad obſeruationem obligare,ex l.& eleganter ff. de dolo,& tradit Cou.2. p. in Regula poſſeſſ. §. 6.num.6.Sylueſt.verb. culpa q.7.& Ang. verb.dolus §.9.

Dixi etiam(excepto matrimonio) quia non fit irritum matrimoniū, etiam ſi alter coniux contractui per dolum cauſam dederit, fingendo ſe eſſe diuitem,Illuſtrem, &c. propter quæ bona fide contraxiſti, alioquin non contracturus, per errorem enim qualitatis non dirimitur matrimonium, ſed ſolum per errorem perſonæ,vel ſeruitutis.

QVÆSTIO XXXVIII.

Sed quid?ſi neuter contrahentium dolum in contractu fecit,ſed alius quiſpiam, An tunc talis contractus ſit validus?

1 COnrad. de contract. quæſt. 57. & Med.C.de reſt.quæſt.33. tenent eſſe inualidum, quia ibi deeſt conſenſus liber, qui ad ſubſtantiam contractus requiritur.

2 Arbitror tamen contrarium eſſe affirmandum. Et ratio eſt, quia non eſt error circa ſubſtantiam rei, ſed circa extrinſeca, vt circa cauſas,quæ allicīūt,vel auertunt à contractu Ex quo ſequitur eum qui ex tali contractu aliquid percepit, non teneri ad reſtitutionem,niſi contractus irritetur,quia nullam iniuriam intulit. Ita Leſſ.lib.2.cap. 17.dub.5. & Couar. in Reg. poſſeſſ.p.2.§.6. num.6.

QVAE

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrùm in conſcientia fas ſit altera parte repugnante, à contractibus recedere?

1 IN qua re omnes conueniunt in primis illicitum eſſe tam in foro conſcientiæ, quam ciuili à contractibus nominatis recedere, altera parte inuita, niſi iure poſitiuo ſint irriti, vel detur irritandi poteſtas, vt habetur ex cap. 1. de pactis, & ex lege iuris gentium in principio ff. de pactis. Et ratio eſt, quia contractus nominati ſunt ij, qui ſimul, ac fiunt, vim obligandi habent, omnis autem cauſa, ſiue obligatio, vno excepto Matrimonio, etiamſi iuramento confirmata ſit, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolui debet extra de Reg. iuris, quare vt mutuo conſenſu partiũ contracta eſt, ita ſolo mutuo diſcenſu diſſolui poteſt.

Dixi notanter (niſi iure poſitiuo ſint irriti) quia ius humanum poteſtatem habet irritandi omnino contractus alias validũ, vt nullam pariat obligationem, vt patet in cõtractu impuberis, in alienatione fundi dotalis, & aliis innumeris, qui iure naturali, & gentium eſſent validi, niſi ius poſitiuum eos prohiberet.

QVÆSTIO XL.

Sed quæſtio tota eſt de contractibus innominatis.

1 IN hac re, quæ cõtrouerſa eſt inter Doctores, etiam conuenit, poſſe tuta conſcientia vnum à contractu innominato reſilire, ſi alter contrahens nolit eum ex ſua parte adimplere. Ratio eſt, quia in contractibus reſpectiuis, ſemper ea tacita conditio ſubeſt, ſi & alter ſeruauerit, quare altero fidem frangente, nemo contractum ſeruare tenetur.

QVÆSTIO XLI.

Quæſtio igitur eſt, quando alter contrahens eſt paratus ſuam partem adimplere.

1 ET quidem certum eſt, ſecundùm ius Cæſareum, nullam actionem cõcedi in foro iudiciali, ſi quis contrahentium, altero etiam inuito recedat ab innominato cõtractu intra terminos nudi pacti remanẽte, ſi modo res ita integra ſit vt neutra ex parte adimpletio contractus ſiue in totum, ſiue in partem ſubſecuta ſit per rei traditionem. Vt habetur in lege iuris gentium §. ſed cum nulla. Item in ff. & C. de rerum permut. & ff. & C. de conditione ob cauſam. Ratio autem contractus innominatus nullam actionem concedat in foro externo eſt, ne lites multiplicentur, quæ valdè excreſcerent, ſi ex contractu innominato ſeu pacto nudo actio concederetur.

QVÆSTIO XLII.

Sed quod habet difficultatem eſt, An in foro conſcientiæ, & ſecundum ius Pontificium liceat ab huiuſmodi contractibus recedere?

1 GOmez in lege Si pecuniam ff. de cõdit. cauſa data, affirmat, cuius fundamentum eſt, quia in legibus Cæſareis licita decernitur pœnitentia in huiuſmodi contractibus.

2 Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum. Et ratio eſt, quia iure naturæ tenetur quiſq; præſtare quod promiſit, altero acceptante, ſiue promiſerit titulo gratuito, ſiue oneroſo. Nec refert, an pacto nudo, an veſtito promiſerit, quia iure naturæ & gentium nulla eſt inter hæc diſtinctio, ſed ſolum iure ciuili, quod etiam ſolum forum externum reſpicit.

Tum quia ius ciuile fatetur ex pactis nudis, oriri naturalem obligationẽ deburi legalis ad excipiendum, ad retinendum, ad compenſandum lege iuris gentium citata.

Tum quia ad obligandum ſe ſe, ſufficit animus verbis expreſſus, & acceptatus vt omnes Doctores fatentur.

Ad fundamentum ergo Gomes reſpondet Imola citatus à Couar. in lib. 1. var. c. 14. n. 13. leges Cæſareas præſumere eiuſmodi contractus ſeu pacta nuda fieri non ex deliberato conſenſu, ſed ex leuitate.

3 Secundò reſpondet Couar. loco citato quod leges ſupradictæ nõ concedunt pœnitentiam in contractibus innominatis, eã approbando, ſed negando duntaxat actionem, ſicut etiam negant læſo citra dimidium iuſti pretij, permittuntque lupanaria: idque ob iuſtas cauſas, ne ſcilicet lites multiplicentur, recurraturq; fraudibus, ac deceptionib. quæ in eiuſmodi contractibus frequenter accidere ſolent.

Illud tamen eſt hoc loco obſeruandum quod

Digitized by Google

quod ſi pactum nudum iuramento firmetur, parit actionem in vtroque foro. Et ratio eſt, quia ſi contractus, qui iure ciuili eſt irritus, iuramento confirmetur, datur in eo actio eodem iure ciuili modo non ſit contra bonos mores vt colligitur ex c. quamuis pactum de pactis in 6. ergo multo magis ex contractu, qui non eſt irritus, dabitur actio iure ciuili.

QVÆST. LXIII.

An contractus per metum celebratus ſit ipſo iure validus?

1 PRo cuius quæſtionis intelligẽtia obſeruandum eſt primò, quod metus vt dicit Vlpianus I.C. lege 1. ff. de eo quod metus cauſa, eſt inſtantis periculi, vel futuri cauſa mentis trepidatio. Et eſt duplex, quidam grauis, quidam verò leuis. Prior appellatur iuſtus, probabilis, & cadens in virum conſtantem. Poſterior vero iniuſtus, improbabilis, & cadens in virum inconſtantem, & ratio eſt, quia prior metus nõ repugnat Conſtantiæ, & Fortitudini, ſed iuſte probabiliter eo terretur vir conſtans. Poſterior, vero conſtantiæ & fortitudini repugnat, & inconſtantis, vani, leuiſque hominis eſt illo terreri.

2 Rurſus metus grauis adhuc eſt duplex, alius eſt grauis abſolutè, alius reſpectiuè. Metus abſolutè grauis, teſte D. Thom. in 4. d. 29. communiter recepto, is dicitur, qui ita grauis mali eſt, & ita grauiter incutitur, vt cadere poſſit in virum conſtantem, ſalua virtute conſtantiæ. Vir autem conſtans dicitur ille qui ex duobus malis imminẽtibus, eligendo minus, vitat acerbius. Vnde optimè Princeps Peripatheticorum Ariſt. 3. Eth. 1. dixit propter duriſſima quæque non eſſe turpe aliquid agendum, quoniam nullus metus quantumque grauis ſi ad peccandum incutiatur, virum conſtantem excuſat cum peccatum, & ſic veniale ſit omnibus aliis malis præponderet, alicui ex timore aliorum malorum iam licitum eſſet facere, quod eſt peccatum, quod implicat contradictionem.

Metus reſpectiuè grauis cenſetur, qui eſt alicuius mali, quod & ſi virum virtute conſtantiæ ornatum non moueat, fœminam tamen, vel ſenem, vel puerum, vel hominẽ formidoloſum grauiter terret, quod prudentis arbitrio relinquitur. Ratio eſt, quia licet fœmina habeat virtutem conſtãtiæ, propter conſtitutionem tamen corporis illi ſexui naturalẽ, minùs poteſt reſiſtere metui, quam vir: ergo minor metus ſufficiet, vt cogat fœminam conſtanté ſuccumbere, quam virum eadẽ virtute ornatũ.

3 Reſpectiuè etiam grauis dici poteſt, quando malum, quod minatur, maius eſt, quam damnum quod per contractum incurritur, vt ſi Titius minetur auferre equũ, niſi Caius promittat vendere ſibi pileum: hic tamen metus abſolutè leuis eſt.

Metus verò leuis dicitur qui vel leuis mali eſt, vel etiam ſi magni mali ſit, ita tamen leuiter incutitur, vt cadere in virum conſtantem nequeat. Vnde ad diſcernendum. An metu leui, vel graui contractus ſit celebratus, attendi debet qualitas perſonarum, & facti, vt optimè annotauit Menoch. caſu 135. num. 4. de arbitr.

4 Secundò eſt obſeruandum, quod metus adhuc eſt duplex, quidam incuſſus ab intrinſeco, id eſt à cauſa naturali, (vt à morbo, tempeſtate, feris animalibus) ab his enim metus incuſſus dicitur ab intrinſeco: quia incutitur per modum naturæ, ideſt non per actum liberum, vt rectè proſpexit Sot. in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. quidam vero ab extrinſeco, id eſt à cauſa libera, vt ab homine. Vt cum quis minatur alicui mortem niſi ei det centum aureos.

Demum hic metus adhuc eſt duplex, quidam incuſſus à cauſa libera, ſed non gratia contractum extorquendi, ſed alia de cauſa. Alter verò incuſſus gratia extorquendi contractum, & hic poteſt incuti iuſtè, vt cum quis cõminatur malum, quod iuſtè inferre poteſt, vt accuſare Reum de peccato à ſe commiſſo. Vel iniuſtè, vt cùm malum comminatum iniuſtè infertur, vt cum Titius minatur priuata authoritate necare Caium.

Tertio eſt obſeruandum quod quinque ſunt conditiones, vt metus ſit iuſtus, & cadens in virum conſtantem. Prima eſt, vt malum, quod timetur ſit graue, qualis eſt metus mortis, mutilationis, ingẽtis cruciatus, perpetui carceris, diuturni exilij, ſeruitutis, captiuitatis, metus iacturæ totius patrimonij, vel maioris eius partis infamiæ iuris, & facti &c. Nam inconſtantis, & leuis eſt rem paruam expaueſcere.

5 Dices, An huiuſmodi grauitas ſit attendenda

denda ex qualitate ipſius mali comminati in ſe, ita vt ſufficiat vt malum ſit in ſe graue, an vero per comparationem ad minus malum? Quæſt.44.

Sylueſt.verb. metus qu. 1. cenſet eſſe attendendum per comparationem ad minus malum. Ex quo infert, eum qui eligit minus malum, qualecunque illud ſit, vt vitet maius, verè moueri timore cadente in virum conſtantem, quia viri fortis, ac conſtantis eſt inter duo impendentia mala, minus eligere.

6 Contrarium tamen arbitror eſſe dicendum cum Soto in 4.diſt.29.q.1.art.2. Et ratio eſt, quia iura concedunt reſciſionem contractus ob metum cadentem in virum conſtantem; quia is metus libertatem conſenſus tollit: ſed quando malum quod cõminatur in ſeipſo modicum eſt, quamuis grauiori malo anteponatur, nõ tollit in viro forti, ac cõſtanti libertaté conſenſus; ergo is metus non cadit in virum conſtantẽ.

Secunda conditio eſt, vt æſtimatio mali ſit fortis, id eſt, vt timens non leuiter, ſed probabiliter credat malum illud ſibi imminere. Ratio huius eſt, quia hæc eſt differentia inter virum conſtantem, & incõſtantem, quod vir conſtans non niſi ex forti, & rationabili æſtimatione mouetur: inconſtans autem ex leui. Vnde Prouerb.28. dicitur fugit impius nemine perſequente. & Eccleſ.19. qui cito credit, leuis eſt corde. Ob id Ariſt.3.Eth.9. dicit fortem eſſe impauidum, quia nõ timet leuiter, ſed vbi recta ratio timendum dictat.

Tertia conditio eſt, vt metum incutiens potens ſit minas implere, non enim eſt viri conſtantis quibuſcunque terreri minis, vt viri inermis, vel ſi minans ſit ſenex vel debilis, & alter iuuenis, ac fortis.

7 Quarta conditio eſt, vt metum incutiẽs minas exequi ſolitus ſit, ſecus ſi homo ſit facile minas iactans, faciliuſque ira depoſita nihil aut parum executioni mandans. Nec ſufficit vt metum incutiens, ſemel minas impleuerit, quia vnicus hominis actus non facit conſuetudinem, ſed exigitur ſaltem bimus. Quod intelligitur, quando ſemel minas impleuit circa alios, ſecus ſi circa ipſummet contrahentem.

Quinta, & vlt. conditio eſt, ne poſſit timens facile euitare mala quæ timentur ſi enim poſſet alia ratione facile occurrere malis, quæ timentur, vt implorando alicuius auxilium, conſulendo ſuperiore non eſſet timor iuſtus, ac conſtans in rum conſtantem.

QVÆSTIO XLV.

An metus ſit cadens in virum conſtantem, ſi hæc mala in perſona filij timeantur?

1 IN qua re conſtans eſt omnium ſententia, non requiri vt hæc mala timeantur in propria perſona, ſed ſatis eſſe, vt timeãtur in perſona filij. Et ratio eſt, quia pater, & filius cenſentur vna perſona lege vlt. C. de impube. & aliis ſubſtit. Hoc idem videtur dicendum, ſi propriæ vxori impẽdeant, quia reputantur inferri in perſona viri, cum vir, & vxor vna caro ſit Geneſ. 2. & tradit D. Thom. in 4.diſt.29. quæſt.vnica, art. 2. Enriq. lib. 11. de matrimon. cap. 9. num.5. Sot.lib.4.diſt. 29.quæſt.1.art.2. Lop. p.2.inſt. conf. cap. 40. & Roder. p.1. ſum. cap.251. num.3.

2 Idem eadem ratione dicendum eſt, ſi vxor timeat ea mala in viro; cum ſint correlatiua, & militet eadem ratio, imò fortior, cum fœminæ magis piæ affectibus ſubiectæ ſint, minórque metus in ipſis deſideretur. Imò idem videtur, ſi fratri, & ſorori: eſt enim à natura inſitus arctus amor inter fratres.

Tandem idem videtur dicendum, quãdo ea mala alteri arctiſſimo amicitiæ vinculo nobis copulato immineant. Et ratio eſt, quia huius mala noſtra reputamus.

Tum quia amicus eſt alter ego. Vnde Horat. lib. 1. Ode tertia appellat amicum dimidium animæ amici. Et Ariſt.2. Rethor. c.4. ait amicum eſſe animum vnum, in corporibus duobus habitantem.

QVÆSTIO XLVI.

An metus reuerentialis, quo filius timet offenſionem parentum, pupillus Tutorum, ſubditus Principis, vxor mariti, Monachus Abbatis, Clericus Epiſcopi ad metum cadentem in virum conſtantem pertineat?

1 RESpondeo pertinere, ſi hæc offenſio putetur fore magna, & diuturna, cum aſperitate vultus, vel verborum, vel alia mala tractatione.

Idem dicendum, ſi parens, vel alius cui hæc

Digitized by Google

hæc reuerentia debetur, aliquid importunis ideſt,vehementibus,& ſæpius repetitis, & inculcatis precibus petat, hæc enim dum iunguntur illi reuerentiæ, quæ ſuperioribus debetur, æquipollet metui graui.

Quibus iactis fundamentis, nunc ad propoſitam quæſtionem, qua quærebatur, An contractus per metum celebratus ſit ipſo iure validus?reſpondeo primo, quod eſt valdè probabile,contractum metu graui celebratum eſſe ipſo iure validum. Probatur, ſubſtantia contractus conſiſtit in conſenſu,& voluntate,ſed in conſenſu metu extorto eſt verus conſenſus,veraque voluntas, omnibus enim conſideratis vult,vt habetur in l. ſi mulier §. ſi metu coactus l. 2.ff.de eo quod metus cauſa,ergo.

1 Deinde,vel talis contractus metu celebratus eſt irritus iure naturali,& hoc non, vt communis Theologorum ſententia tenet,& tradit eleganter Sot. 4.d.26.q.1.ar.3. Rich.ead.diſt.q.2.Palud.d.15. q.2.art.5.Car. lon.de reſt.q.47.concl. 4. Enriq. lib. 11. de matrim.c.9.n.4.Petr. de Ledeſm.q.47.art.3. dub. 1. Nec etiam eſt irritus iure poſitiuo vt docet Nauar.in cap.accepta oppoſit.5.n. 7.& habetur Inſtit. de except.in principio vbi ſic dicitur. Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere,palam eſt iure ciuili te obligatum eſſe, & actio qua intenditur dare te oportet,efficax eſt. Et in l. finali C. de his quæ vi habentur,venditiones,donationes, tranſactiones; quæ per potentiam extortæ ſunt, præcipimus infirmari; ergo valent ipſo iure, licet iuris remedio infirmandæ ſint. Et in c.2.de his,quæ vi,in fine, habetur. Quæ metu,& vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari; ergo tantum ſunt reuocanda, & dum non reuocantur,ſunt rata,ergo.

3 Ex quo infertur per contractum metu graui celebratum, transferri dominium. Ratio eſt,quia per traditionem definit tradens eſſe Dominus,traditione enim transfertur dominium, quando intercedit titulus, qui iure inualidus non eſt. l. traditionib.C.de pactis §.per tradit. inſt.de rerum diuis.Atqui hic intercedit traditio,& titulus qui ex contractu per metum celebrato acquiritur,non eſt inualidus ipſo iure, ergo transfertur dominium.Ita ſentiunt Lop. p.2.inſtr.conf.c.40. Enriq.lib.11. de matr.c. 9.n.4.Petr.de Ledeſm.de matrim.q.47.ar.3. Gutier.de iuram.par.1.c.57.num.21. & Philiar.de offi. Sacerd.tom.1.lib.2.c.6.

4 Excipit tamen Gloſſa,quam ferè omnes Doctores ſequuntur in c.Albus de iis quæ vi,metuſue cauſa fiunt, decem caſus, in quibus metu facta ſunt ipſo iure nulla.

Primò donatio metu facta nulla eſt,quia donatio ſua natura petit, vt gratis & liberaliter fiat.

Secundò Matrimonium metu cadente in conſtantem virum,ipſo iure eſt irritum.

Tertiò Dotis promiſſio, vel ſolutio, ſi metu fiat,non valet, quia eſt acceſſoria ad matrimonium.

Quartò Iuriſdictio per metum extorta, vel prorogata nullius eſt momenti.

Quintò electio Prælati metu facta nulla eſt.

Sextò Authoritas Tutorum per metum extorta vim non habet.

Septimò Abſolutio ab excommunicatione,vel ſuſpenſione,vel interdicto, quam metus extorſit,infirma eſt.

Octauò Teſtes in teſtamentis per metum adhibiti,nullius ſunt firmitatis.

Nonò votum ex metu emiſſum, nullius eſt valoris.

Decimò,& vltimò, qui in carcerem aliquem detruſit, vt aliquid ab eo extorqueret, quicquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti eſt.

5 Secundò dico, quod contractus tali metu celebratus, licet non ſit ipſo iure irritus,poteſt tamen in irritum reuocari pro arbitrio eius, qui per metum paſſus eſt iniuriam, ſi tamen metus iniuſtè incuſſus fuit ad contractum extorquendum. Ratio eſt, quia qui metum iniuſtè incuſſit, iniuriam alteri intulit, vnde tenetur illum in priſtinum ſtatum reſtituere,& alter ius habet exigendi hanc reſtitutionem. Et eſt concluſio definita in cap.2.& 4.de his,quæ vi &c. vbi habetur. Quæ vi,& metu fiunt, debere in irritum reuocari, debere firmitatis robore carere.

6 Dices,hæc ratio concludit in caſu,quo metus eſt incuſſus ab altera parte contrahentium, non autem ſi à tertio poſſeſſore, ita vt pars non ſit iniuriæ particeps: tunc enim non videtur poſſe irritare contractum, ſed ſolum habere actionem in tertium.

Reſpondeo etiam tunc poſſe pro ſuo arbitrio reuocare contractum, & rem ſuam recupe

recuperare vt habetur ex l.Item si cum exceptione §. in hac actione ff. quod metus causa. Vbi sic dicitur. In hac actione non quæritur.Vtrum is,qui conuenitur,an alius metum fecerit ; sufficit enim hoc docere, metum esse sibi illatum,vel vim. Ratio huius est , quia res illa vitio metus affecto, cum suo onere transit ad quemcumq; possessorem.

7 Hinc , qui ex huiusmodi contractu aliquid non est consequutus,tenetur in conscientia illud domino restituere. Ratio est, quia ratione iniuriæ tenetur omnia in pristinum statum restituere , ac proinde reddere quod accepit , quod si non faceret, poterit læsus rem suam occultè occupare, vel si non daretur,vti occulta compensatione , alia via iuridica non suppetente.

Hinc non potest in irritum reuocari quod per metum iustè illatum actum est, quia hic nulla iniuria intercedit , ratione cuius hæc potestas reuocationis competit.

8 Tertiò dico,quod verius,ac probabilius multo est , contractum per metum grauem celebratum esse ipso iure , & in foro conscientiæ irritum , si modo metus sit causa sine qua non fieret talis contractus,& metus sit iniustè incussus ad extorquendum contractum. Ratio huius est , quia in contractu requiritur liber vtriusque contrahentis consensus : non dicitur autem esse liber consensus,vbi metus iniustè incussus interuenit.Vnde summus Pontifex cap.cum locum de sponsal. locum inquit non habet consensus , vbi metus , vel coactio intercedit , hoc est liber consensus,qualis , scilicet ad contrahendum exigitur.

Deinde , cum dolus dat causam contractui bonæ fidei , contractus est nullus ipso iure , vt habetur ex l.& eleganter §. 1. ff. de dolo l.57.tit.p.5. At metui dolus inest.l. si cum except. §. eum qui ff. de eo quod metus causa : ergo contractus metu graui celebratus , est omnino nullus.

Præterea , vim inferens , metuq; extorquens furti, rapinæque reus est;ergo instar furis nullum rei sic ablatæ dominium comparat,sed tenetur cum fructibus rem illam metum passo restituere Ita tenent Sotus l. 8.de iust. quæst. 1. ar. 7. ad 3. Mol. tom. 2. de iust. disp.326. Palac. lib.4.de contr.c.9. & Carbon.de rest.q. 46. concluf.5.

9 Ex quo infertur , nunquam transferri dominium per contractum metu initum,& ratio est , quia nunquam per traditionem absque iusto titulo transfertur dominium l. nunquam ff. de acquiren. rerum dominio.Titulus autem hic est omnino iniustus, ergo.

Dixi primo (si modo metus sit causa, sine qua non) quia si alioqui erat eodem modo contracturus , profecto liberè simpliciter,& non ex metu contraxisse dicendus erit , ac proinde non est quod minus obligetur , quam si liberè omnino faceret, quia vt benè notat Nauar. c.22.nu.51. iura quæ constituunt discrimen inter metum grauem,& leuem quo ad irritandum actum fundatur in præsumptione,qua præsumunt grauem esse causam contractus, leuem vero minimè.Quarè vbi sufficiens præsumptio habebitur ex circumstantiis rerum , & personarum metum fuisse causam sine qua non actus fieret , contractus erit ipso iure nullus.

10 Dixi secundò, si metus excussus sit ad extorquendum contractum,quia si ob alium finem incussus fuit,& ad illud malum euadendum contractus initus , non ea de causa contractus est nullus ,vt si captus à latrone,cuidam pauperi , vel Ecclesiæ aliquid promitteret , vt Deus ipsum ab eo periculo eriperet. Tunc enim metus, non est propriè causa promissionis, sed solum occasio, nec potest dici metu extorta sed cum iam metus ob aliam causam est incussus , eligitur promissio tanquam medium , vt Deus ab eo periculo liberaret, sumpta occasione ex alterius nequitia.Mol. disp.267. Cord. in sum. casuum. q. 180. & Med. C. de rest.q.3.causa.2.

Dixi tertiò,iniustè,quia si iustè iniicitur ad eliciendum contractum, non ob id contractus sit nullus,nec tenetur accipiens restituere. Ratio est , quia contractus metu initus non inualidatur, nisi ratione iniuriæ illatæ metum passo,quæ omnino cessat,cum metus iuste infertur: iustè autem incutitur quando malum quod minatur, iustè inferri potest.Vnde contractus matrimonij initus ex metu excommunicationis, quem tibi iustè incussit Episcopus ob præcedentia sponsalia,ad quæ alioqui iure naturali tenebaris,non propterea fit nullus.Ita Nau.c. 17.nu.15.Mol.disp.267. Sylvest. verb.metus q.6.Rebel. p.2.de oblig.lib. 1. q.5. & communis.

QVAE

QVÆSTIO XLVI.

An metus leuis sufficiat ad reddendum contractum inualidum?

1 NAu.c.17.n.15. Sot. in 4.d.29.q.1.art. 3. Couar.2.p.reg.peccatum §.4.nu. 7. Sylueſt. verb. reſt.2.d. 7. & verb. metus q.12.Pet.Nau.lib.3.de reſt.cap.1. nu. 332. & alij affirmant. Alij vero negant.

2 Pro cuius tamen deciſione dico,primo quod quantum ad forum externum vt plurimum nullus metus leuis ſufficit ad irritandum contractum vt ex l. metum 1. & 2. ff. de eo quod metus cauſa aſtruunt communiter Doctores, quos refert,ac ſequitur Cou.2.p.epitom.c.3.§.4.nu.8.In qua re non intẽdit lex approbare peccata coactionis, ſed conſulere tranquillitati Reipublicæ multiplicationem litium præſcindendo.

Dixi notanter (vt plurimum) quia interdum ob metum leuem poteſt in iudicio contractus reuocari , ſi ex circumſtantiis iudex præſumpſerit metum fuiſſe cauſam, ſine qua non fieret,& tunc reputabit illum pro iuſto metu , quo ad eum effectum, licet non ſit talis de ſe. Quia vt optimè notauit Nau. c.22.n.51. iura cũ faciunt diſtinctionem inter vnum & alterum metum, fundari ſuper præſumptione , quod vnus ſit cauſa contractus , alter vero non. Quarè vbi ſufficiens præſumptio habebitur ex circumſtantiis metum fuiſſe cauſam , ſine qua non ipſius actus,reſcindi meritò poteſt & quæ tradita ſunt repeti , & qui ea obtinet, tenetur reſtituere,ſi metus ille per iniuriam ad illa extorquenda ſit incuſſus , ſi modo matrimonium , & votum ſolenne excipias.

3 Secundo dico,quod probabile eſt,contractum ex metu leui initum eſſe in foro conſcientiæ validum, modo conſenſus verè. & non ſimulatè contrahendi interueniat , quamuis metum incutiens teneatur ad ſatisfaciendum iniuriam coactionis paſſo, quoties alicuius momenti ea fuerit. Quam ſententiam ſequitur Garcia lib.2.de contr.c.19.quę etiam videtur magis iuribus conſentanea , quæ leues timores paruifaciunt.

4 Tertiò, & vlt. dico , quod probabilius eſt contractum,ſi ex leui metu fiat,ita eſſe in foro conſcientiæ irritum , vt nullam afferat obligationem coacto, aut ab eo priæ rei dominium in cogentem transferebat. Ratio eſt , quia ſæpè metus leuis non minus perturbat hominem,& impellit nolentem ad conſenſum,quam metus grauis cadens in virum conſtantem , ergo ſi hic inualidat contractum , etiam ille. Ita Nauar, c. 17. nu. 15. vbi ait , in foro conſcientiæ idem eſſe,ſiue iuſto metu conſentias , ſiue minore , dummodo coram Deo, ille fuerit cauſa principalis conſenſus ; & c.2.2.n.51.ad reddẽdum actum inefficacem coram Deo, ſufficit quilibet timor , etiam minor iuſto , modo ſit cauſa ſine qua non, ſaltem principalis eius. Vbi etiam matrimonium, & votum ex metu leui , videtur velle inualida. Quæ ſententia eſt valde probabilis vt Leſſ. li.2.de iuſt. c. 17. dub.6.annotauit. Oppoſitum tamen quid ſequuntur multi recentiores viri graues , & eruditi eſt lege verius.

QVÆSTIO XLVII.

An extorta per metum leuem ſint neceſſariò reſtituenda?

1 SArmient.li.1.ſelect.c.11.n.6.cenſet extorquentem rem metu leui teneri reſtituere : alium autem poſſeſſorẽ rei illius, qui non fuit in culpa metus illius leuis, non teneri reſtituere.

Lop.p.2.inſt.con.c.40. docet extorta per metum leuẽ eſſe in foro conſcientiæ reſtituenda in contractibus lucroſis,vt in donationibus,eleemoſinis;mutuis: ſecus in contractibus oneroſis,vbi non intercedit mera gratia,ſed Do vt Des,facio vt facias.

2 Alij vero rectius,docent in vniuerſum. extorta metu leui , qui eſt cauſa , ſine qua non , ipſius contractus , eſſe in foro polli reſtituenda. Ita Sot.in 4.d.29.q.1.ar.3.Nau. c.17.n.15.& c. 12. n.51.Caie.2. 2. q. 32. ar. 7. Cou.Reg. peccatum.2.p.§.3.nu.7.Mol. t. 2. d.267.Pet.Nau. lib. 3.de reſt. c. 1. n. 332. & alij.Ratio huius eſt , quia quod hoc metu comparatur,per iniuriam obtinetur : Atqui quod per iniuriam obtinetur , obnoxium eſt reſtitutioni.

Tum quia quamuis in foro iudiciali non concedatur in hoc caſu actio,id tamen fit ad euitandas lites,quæ paſſim oriri poſſent,non tamen approbat eam receptionem,nec iuſtam eſſe decernit.

Et confirmatur, in deceptione ſupra vel intra dimidium iuſti pretij , lex ciuilis ad præcauendas lites denegat actionem , &

tamen communissima sententia docet decipentem teneri restituere, ergo similiter in nostro casu.

Deinde in contractibus etiam onerosis, requiritur libera vtriusque contrahentis voluntas, quæ iniustè,& cum iniuria,qualicunque metu, etiam leui cogitur, ergo tenetur cogens vt iniuriam resarciat,reuocare contractum,restituendo quod accepit.

3 Intelligitur hæc sententia primo, quãdo metus incussus est ad contractum eliciendum, si enim fiat contractus ex metu nõ ob id incusso, valet vtique,nec tenetur alter restituere, vt si inuasus à latrone; promittas alicui tertio centum vt te liberet, valeret vtique promissio, nec teneretur ille tertius aliquid restituere,quia licet metu promittas, non est inuoluntariè, sed propria sponte eligis id medium ad illud periculum pellendum. Ita Cord. in sum.c. q.180.& Mol.d.267.

Secundo intelligitur, quando metus incutitur iniustè, quia si iustè incutiat, non tenetur accipiens restituere,quia cessat iniustitia,& iniuria, quæ est causa restitutionis: ita Nauar.c.17.n.15.Mol.d.267.Ledesm. 2.p. 4. q. 18. ar. 8. exemplificat, vt da mihi equum,alias non ero tuus amicus : quia non tenetur esse specialis eius amicus. C. in sum.q.180.exemplificat,si quis promittat opem se denegaturum ad quoddam matrimonium,nisi donatio fiat;quia non tenetur opem ferre.

QVÆSTIO XLVIII.

An metus reuerentialis sufficiat ad inualidandum contractum, & ad inducendam obligationem restitutionis?

1 REsp. quod quamuis metus reuerentialis in foro externo non sufficiat ad inualidandum contractum, at in foro conscientiæ,si inuoluntarium mixtum efficiat; quia pars sua sponte, non contrahit, sed eo metu reuerentiæ ductus, sufficit ad reddendum contractum inualidum, & ad obligandum in foro conscientiæ ad restitutionem. Et ratio est,quia hic metus,& si non sit grauis, est tamen iniurioſus, & causa principalis actus,vel contractus, ita vt eo non intercedente,nullo modo actus, vel contractus fieret Ita Nau.c. 17. nu. 152. Roder.p.1.sum.c.132.Lop.lib.2.de contract. c. 17.& P. Nau. lib.3.de rest. c. 1. num. 33.

Hinc si filius familias non audens contradicere patri,aliquid promittat animo renitente: vel vxor consentiat in aliquem contractum mariti,quia non audet contradicere timens eius indignationem non tenentur in foro animæ,quia quamuis in foro iudiciali minimè audientur, eo quod ille metus non concurrentibus minis,leuis sit,in foro tamen conscientiæ satis est, vt non teneantur ex his contractibus.

Hinc, quæ per preces importunas, & longo tempore iteratas obtinentur, animo illius repugnante, obnoxia sunt restitutioni. Ratio est, quia preces importunæ æquipollent violentiæ,ac proinde iniuriam facit, qui tali modo aliquem affligit. Ita. Less. lib.2.de iust.c.17.dub. 6.

2 Quod abitror esse verum primo in casu,quo is qui huiusmodi precibus ita vehementer,& crebro vrgetur, non possit molestiam illam alia ratione, minore incommodo repellere. Si enim posset facilè aliter repellere, non censeretur inuitus consensisse. Vt cum officia, vel beneficia interdum à Principibus, vel Prælatis importunis precibus obtinentur, non enim inuiti concedunt,quia si vellent, facilè petentes coercerent.

Secundo in casu,quo is, à quo sic consensus extorquetur, post factum velit, vt sibi fiat restitutio: multi enim, & si coacti concedant, vbi tamen semel concesserunt,non curant sibi fieri restitutionem,vel facillimè condonant.

QVÆSTIO XLIX.

An metus reuerentialis,aliusue qui ad metum cadentem in virum constantem non attingit,sufficiat ad reddendum votum inualidũ.

1 SOt.lib.7.de iust.q. 2. ar. 1. & Couar. de sponsal.2.p.c.3.§. 6. nu. 7. negant metum reuerentialem,aut leuem, sufficere ad reddendum votum irritum.

2 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Nuar.c.17. n. 152. & Rebel.p.2.de oblig.lib.1.q.5.si modo talis metus vera causa sine qua non,fuit ipsius voti, & votum simplex sit (nam de solenni alio loco dicemus)cum non minor libertas ad promissionem simplicem gratis hõmini quam Deo factam requiratur.

QVAE

QVÆSTIO L.

An renuntiatio beneficij metu facta, sit valida?

1 REsp. esse validam. Et ratio est, quia talis renuntiatio fit authoritate superioris, eam ratam, & firmam habentis. Nauar. in c. accepta oppositi. 5. n. 7.

QVÆSTIO LI.

An collatio beneficij metu facta ab Episcopo, sit valida?

1 REspondeo esse validam. Et ratio est, quia conferre beneficium non est donare, sanxit enim Ecclesia vt beneficia conferrentur in clericos idoneos, vt dignè inseruirent Ecclesiæ. Azor. p. 2. inst. mor. lib. 6. cap. 7.

QVÆSTIO LII.

An contractus alias inualidus, iuramento confirmetur?

1 AD hoc dico primo, quod quando contractus est contra bonos mores id est de re, quæ turpitudinem continet ex parte materiæ, & absque vllo iurantis peccato fieri nequit, tunc nec contractus est validus, nec iuramento confirmatur. Ratio est, quia nemo obligari potest ad peccatum, id. n. contradictionem implicat. Vnde in c. in malis 22. q. 4. ex Isidor. dicitur. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum. Et in l. generaliter. ff. de verb. oblig. dicitur, generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti. Cui accedit reg. Iuris in 6. quæ ait, non esse obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. Quare non opus erit in hoc euentu relaxationem iuramenti petere à Prælato, vt agatur contra talem contractum, quidquid in contrarium dicat Cou. nisi forte ratione scandali, quod interdum contingit: vel nisi res sit dubia.

2 Hinc, nullius momenti est iuramentum quo Titius promittit se interfecturũ Caium innocentem, aut prodituru Principem, vel Remp. aut expulsurum è domo vxorem, aut filios, aut denegaturum alimenta patri, aut filio, quia est contra bonos mores, id est de rebus, quæ turpitudinem in se continent.

Hinc inualidum est iuramentum, quo clericus renunciat priuilegio fori sibi competenti, promittens se accessurum ad Iudicem secularem. Quia est contra bonos mores, & contra canones, & ius diuinum, c. si diligenti de foro competenti.

Tum quia beneficium exemptionis à foro seculari non est personale, cui renunciari valeat, sed toti communitati Ecclesiasticæ in fauorem publicum est indultum, vt docet Couar. 2. p. relect. c. quamuis pactum §. 1.

3 Hinc inualidum est iuramentum, quo vir iurat vxori, se non accusaturum illam de vllo crimine. Ratio est, quia potest accidere cãsus, in quo vir teneatur illam accusare. Vnde in cap. Quemadmodum de iureiur. dicitur tale iuramentum esse temerarium, quia propositum non accusandi de vllo crimine, etiamsi bonum Reipublicæ id postulet, est peccatum.

Secundo dico, quod quando contractus est de re, quæ sine peccato contrahentis seruari potest, tunc, & iusiurandum, quod in tali contractu interponitur, est validum, & contractus ex eo confirmatur. Ratio est, quia honor, & reuerentia diuinæ Maiestatis, quam iureiurando in testem adduximus, postulat vt efficiamus verum esse quod promisimus. Vt colligitur ex c. cum contingat de iureiurando, & omnes Doctores tradunt.

4 Excipiuntur tamen hic duo casus in quibus iuramentum etiam de re bona, non est validum, nec obligatorium. Primus est, quando lex inualidat non solum contractum, sed etiam iuramentum annexum. Sicut Pontifex in Conc. Trid. sess. 25. c. 16. de reg. inualidat omnem renunciationem, & dispositionem Nouitij etiam iuratam, nisi facta sit de licentia Episcopi, vel eius Vicarij intra duos menses proximos ante solennem professionem; quæ etiam nullum habeat effectum, nisi facta professione.

Secundus est, quando iuramẽtum factum est in fauorem tertij, sed nemo acceptauit. Et ratio est, quia iuramentum sequitur naturam contractus, cui est annexum, vt cum communi Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 7. annotauit, accessorium enim sequitur naturam principalis. Vnde quando contractus tacitam aliquam conditionem includit, eandem quoque includit iuramentum contractui annexum. Itaque cum promissio fa-

cta absenti non obliget,nisi ab ipso,vel ab alio eius nomine acceptetur,& sub hac tacita conditione semper fieri censeatur,etiã iuramentum huic promissioni annexum, non obligabit ante acceptationem , quare pro libito poterit in irritum reuocari,antequam acceptetur.

Dices , Deus semper acceptat iuramentum de re licita, ergo semper est validum, & obligatorium.

5 Respondeo Deum non acceptare iuramentum factum in fauorem hominis , nisi quatenus homo illud acceptat, ergo si homo illud remittit,remittit etiam Deus,quia iuramentum promissorium hanc tacitam conditionem includit,si acceptetur, si non remittatur.

QVÆSTIO LIII.

An contractus qui licet sit de re licita , iure tamen ciuili est irritus,iuramento confirmetur,adeo vt etiam , si is qui iurauit , fuerit iusiurandi religione,& vinculo legitimè solutus,ipse contractus subsistat, & valeat?

1 IN hac graui , vtili, & perdifficili quæstione dico primo,quod quando cõtractus iure naturç est inualidus,vel inualidari potest,nõ confirmatur iuramento,quãuis iuramentum alias sit validum,& obligatorium,si id quod promittitur,nullam turpitudinẽ continet,vt quando vi,vel dolo extortus est,tũc.n.ratione iniuriæ tenetur extortor ad restituẽdum quod accepit,& qui iurauit ratione iniuriæ potest petere iuramenti relaxationem,& postea non soluere.

Secundò dico,quod quando contractus talis est,ita vt ipse inducat obligationem naturalem,confirmatur iuramento, quamuis alias iure ciuili sit nullus,vel annullari possit, modo vis, vel fraus non intercedat: si vero ipse non inducit obligationẽ vllam naturalem,vel si vis,aut fraus interuenerit, non confirmatur iuramento,est tamen hoc iuramentum seruandum,nisi relaxetur.Ratio est,quia iuramentum aufert omnia remedia iuris, & facti, quibus illa obligatio poterat elidi,& sic manet omnino firma,& irreuocabilis. Ita Mol.d.130.& ibi. & Less. lib.2.c.17.dub.7.

2 Hinc donatio quæ excedit quantitatem à lege statutam,absque insinuatione facta, iure ciuili nullius est momenti.At si iureiur.confirmetur, rata est,& firma.

Hinc donatio inter patrem,& filium familias iure ciuili non valet l. donationes quas parentes.C.de donat.Sed iurata confirmatur, ac valet.

Hinc donatio inter virum , & vxorem iure ciuili est nulla; at iureiurando firmata vim habet.

Hinc donatio à minore sine Curatoris licentia facta, iure ciuili est irrita,at iurata consistit,vt docent authores in auth.Sacramenta puberum C.de aduersus vendit.

Hinc donatio omnium bonorum præsentium,& futurorum iure ciuili est nulla ; sed si iureiurando confirmetur, subsistit.

Hinc alienatio rei dotalis, vel rei donatæ propter nuptias,etiamsi adsit consensus vxoris iure ciuili est nullius valoris, l.cum his.ff.de transact.At si iuretur valet.

Hinc renunciatio,qua filia dote contenta cum nubit , renunciat hæreditati paternæ,iure ciuili est nulla:at iurata vim habet.

Hinc pactum , quo pater promittit se æquis portionibus instituturum hæredem filiam cum fratribus,iure ciuili est nullum, attamen iureiurando confirmatur.

Hinc fœmina non potest pro alio fideiubere,vel se obligare : si tamen renunciet huiusmodi legis beneficio, & renunciationem iuret,valet fideiussio vt cum aliis docet Couar.in relect.c. Quamuis pactum in 6.p.2.§.3.n.5.

4 In his enim casibus , si is qui iurauit, iurisiurandi religione , & vinculo legitimè soluatur,ipsa promissio,vel pactio,vel contractus ratus est,& firmus.

Tertiò dico , quod quando contractus turpitudinem aliquam habet ex parte eius, cui fit,non tamen ex parte eius , qui iurat, non confirmatur iuramento,quatenus attinet ad eum,cui iuratur, quamuis iuramentum sit validum, & obligatorium v.g.promisisti simpliciter te vsurã soluturum, vsurario non cogeris soluere. At si iurasti te soluturum, eam soluere teneris ratione iurisiurãdi,quod adhibuisti, vsurarius tamen debet restituere quod accepit.Vnde in hoc casu iusiurandum nõ confirmat promissionẽ,quatenus est facta vsurario, quia is turpiter,& iniquè accipit.At vero quia tu qui promisisti soluere vsuras, licitè promisisti, vt iniquã vexationẽ redimeres,ideo si promissionem iuramento confirmaueris , eam debes implere ; quia absque detrimento salutis æternæ potes iusiurandum seruare.

5 Hinc

Digitized by Google

4 Hinc, si captus à latronibus, qui necem tibi minantur, promittas eis te daturum centum, non cogeris simpliciter promissionem adimplere: at si iureiurando eam confirmasti, iusiurandum seruare teneris: latrones tamen solutos aureos reddere secundum conscientiam coguntur, quia turpiter, & iniustè acceperunt.

5 Hinc clericus qui graui metu compulsus, beneficium se dimissurum iureiurando promisit, iusiurandum adimplere cogitur; sed odio eius qui tale iuramentum metu extorsit, à iureiurandi religione, & vinculo absoluitur, & in eadem Ecclesia ministrare permittitur, cap. si vero de iureiurand. & cap. ad audientiam de his, quæ vi metusve causa fiunt.

6 In his casibus si is qui in contractu iuramentum interposuit, iurisiurandi Religione, & vinculo soluatur, ipsa promissio, vel contractus amplius non subsistit, vt docet Couar. relect. cap. Quamuis pactum in 6. p. 2. §. 1. nu. 7.

Quartò dico, quod quando lex non solum inualidat contractum, sed etiam illum prohibet, quia nimirum est contra bonos mores, tunc non licet iuramentum adhibere ad contractus confirmationem, & si adhibeatur, nec iuramentum tenet, nec contractus confirmatur. Ratio est, quia prohibitio contractus per legem iustam facta obligat sub peccato, vt communissima Doctorum sententia docet; ergo si contra prohibitionem iuramentum adhibuerit, nullum erit iuramentum, cum iuramentum de actu illicito vtputa contra obedientiam superiori debitam non obliget. Ita Rebel. p. 2. de oblig. lib. 1. q. 9.

7 Quintò dico, quod quando lex non prohibet contractum, sed tantum illum inualidat præcipuè in fauorem contrahentis, tunc non solum iuramentum obligat iurantem, sed facit etiam, vt ipse contractus subsistat. Ratio est, quia iuramentum non est de re prohibita, sed licita, & in vtilitatem alterius vergente, ergo est obligatorium. Ita Couar. de pactis 2. p. §. 1. n. 7. & Rebell. loco citato.

Sextò dico, quod quando contractus principaliter vetatur, vel irritus decernitur iure ciuili in fauorem contrahentis, nisi vis, aut dolus intercedat, tunc si ab eo iuretur, ita confirmatur, vt ablato etiam iuramento per relaxationé ipse contractus vim habeat. Ita Rebel. p. 2. de oblig. lib. 1. q. 9.

Septimo dico, quod quando contractus vetatur à iure primò, & principaliter ob publicum, & commune bonum, non confirmatur iuramento, imò tale iuramentum est nullius vaforis. Ratio est, quia ius publicum nequit facto priuatorum tolli: si. n. per actum iuratũ non potest tolli ius tertij priuati hominis, à fortiori nec Reipublicæ. 8 Tum quia huiusmodi contractus nocet bono cõmuni, siue publico, & ideo est etiã contra bonos mores; nam publico bono obesse iure non possumus. Couar. in relect. cap. quamuis pactum p. 2. §. 2. n. 1.

Hinc donatio à milite facta cõcubinę, nõ valet, quia est cõtra publicã vtilitatẽ, vnde talis donatio iureiurando nõ confirmatur.

Octauò dico, quod quando iusiurandum, quod in contractu exhibetur, est contra naturam, & substantiam ipsius contractus, tunc iusiurandum quamuis sit obligatorium, non confirmat tamen contractum, sed potius sequitur ipsius naturam, & substantiam. v. g. iuraui me non reuocaturum testamentum, at nihilominus postea reuocaui, facto secundo testamento, valet secundum, non primum, quia testamentum sua natura est reuocabile vsque ad mortem. Non enim confirmatur, nisi morte testatoris. Ita Couar. in relect. sub. c. quamuis pactum de pactis in 6. p. 2. §. 4. n. 1.

QVÆSTIO LIV.

An Minor, possit petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum alioqui de iure irritum, validauit?

1 REspondeo posse, vt Cou. 2. p. relect. in c. quamuis pactum §. 1. annotauit. At si contractus per iuramentum adhibitum ratus, & firmus permansit, talis relaxatio iuramenti non irritat contractum, sed tantum reddit contrahentem immunem à periurio. Ratio huius est, quia per tale iuramentum Ius parti acquisitum est, ergo non potest per Episcopũ tolli, secus si contractus suapte natura talis sit, vt non fiat validus per iuramentum, tunc ablato iuramento nullus remanebit contractus, vt si quis curet soluere pecuniã vsurario, nõ fiet per iuramentum validus contractus, sed semper manebit secundum se iniustus, ac nullus, vnde obtenta relaxatione à vinculo iuramenti, non amplius obligabitur.

QVÆSTIO LV.

An id quod fit contra pactum, conuentionem, vel contractum iuramento confirmatum valeat?

1 AD hoc dico primo, quod quando id quod fit contra contractum iuramento confirmatum est tale, vt per se absque iuramento factum sit validum, manet ratum, & firmum, quamuis id cum periurio fiat. Et ratio est, quia iuramentum contra quod agitur, solum facit, vt non possit contra fieri absque periurio, non tamen transfert dominium, aut reddit inhabilem ad actum contrarium per se validum, quia suum robur à iuramento non debet accipere v.g. Titius promisit, & iurauit se ducturum Bertam in vxorem, & nihilominus postea duxit Pamphiliam, valet matrimonium cum Pamphilia contractum, vt habetur in cap. sicut de sponsal. Item iurauit quispiam se certam possessionem Caio venditurum, sed postea vendidit, & tradidit Titio, valida est hæc secunda venditio vt habetur ex l. traditionibus C. de pactis, periurium tamen admittit, quia à primo contractu, siue promissione, siue pacto iurato recessit. Ita lib. 2. c. 17. dub. 7.

2 Secundo dico, quod quando id quod contra contractum iuramento munitum fit per se absque iuramento est nullum, non potest esse ratum, & firmum etiamsi iuramento confirmetur. Ratio est, quia iuramentum in quo est periurium non potest validare contractum per se nullum v. g. mulier quæ sub iuramento promisit se non alienaturam res dotales, & postea alienat, non tenet talis alienatio, etiamsi ea iuramento muniatur, quia per se, ipso iure est nulla, nisi fiat authoritate Iudicis. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 17. dub. 7.

QVÆSTIO LVI.

An iuramentum vi, vel alia iniuria extortum sit validum?

1 RESpondeo esse validum. Ratio est, quia & si is qui iuramentum extorsit, nullam ex eo vim consequatur, tamen honor diuinæ Maiestatis exigit, vt promissum impleatur, quando sine detrimẽto propriæ salutis seruari potest. Verùm in hoc casu potest ab Episcopo petere relaxationem à iuramento, & sic non soluere: potest etiam soluere, & postea statim in iudicio repetere. Atque hæc sint satis de contractibus in genere. Superest vt de ipsis contractibus in speciali disseramus.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

DISPVTATIO SEXTA.

DE hac materia differunt scholastici in 4. d. 15. D. Tho. 2. 2. q. 77. art. 1. Caiet. ibidem Sot. lib. 6. de iust. q. 2. art. 3. Ban. 2. 2. q. 77. art. 1. Less. lib. 2. de iust. c. 1. dub. 1. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 9. quæst. 1. Arag. 2. 2. q. 77. art. 1. Mol. tom. 2. de contract. disp. 336. Valent. tom. 3. d. 5. q. 20. Lop. lib. 1. de contr. Roder. p. 2. sum. c. 76. Med. C de rest. q. 30. Tolet. lib. 8. sum. cap. 47. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. num. 61. Gare. de contract. cap. 13. Salon. tom. 2. de contr. q. 77. art. 3. Mar. Nauar. in Man. c. 23. Summistæ vero vt Ang. Sylvest. Tab. Armil. & alij verbo emptio, & venditio. In cuius explicationem quæritur primò.

QVÆSTIO I.

Quid sit emptio, & venditio?

1 RESpondeo quod emptio est contractio rei pro pretio, id est contractus quo comparatur dominium rei pro pretio. Venditio vero est distractio rei pro pretio, id est cõtractus quo res pro pretio alienatur. In qua definitione duæ sunt partes. Prima est (contractus) quæ ponitur loco generis, quia emptio, & venditio sunt species cõtractus, hoc est actionis, ex qua vtrinque nascitur obligatio ad faciendũ quidpiam, quo iustitiæ æqualitas inter contrahentes constituitur.

2 Secun

Digitized by Google

2 Secunda vero pars eſt (rei pro pretio, & pretij pro re) quæ ponitur loco differentiæ per quam contractus emptionis, & venditionis diſtinguitur tum a donatione, & promiſſione liberali, tum ab omnibus aliis contractibus, in quibus fit commutatio in alia, quam inter rem, & pretium: vt eſt permutatio, mutuum, & omnes contractus innominati.

3 Ex quo ſequitur primo tria eſſe de eſſentia emptionis, & venditionis. Rem ex parte venditoris: pretium ex parte emptoris: conſenſum ex parte vtriuſque.

Per rem intelligitur quæuis res vendibilis, ſiue ſit res mobilis, ſiue immobilis, ſiue certa, ſiue dubia, hoc eſt, ſiue in rerum natura ſit, ſiue in ſpe tantum probabili, quo pacto venditur partus, & fructus futurus, nam futuri arborum fructus, & ancillarum partus, & animalium fœtus, iactus retis, vel aleæ, captus auium vendi queunt.

Pretium eſt pecunia, per quam valor omnium rerum venalium æſtimari conſueuit: eſt enim pecunia ipſa menſura communis ipſarum rerum venalium.

Ex parte vero conſenſus, vt emptio, & venditio perfecta ſit, opus eſt, ac ſufficit ſecundum Doctores communiter, vt contrahentes circa rem, & pretium mutuò conueniant cum animo ſe obligandi exterius expreſſo: venditor quidem ad rem tradendam, emptor vero ad pretium ſoluendum.

4 Secundo ſequitur hunc contractum emptionis, & venditionis conſiſtere in nuda pactione, ſeu conuentione partium: nec requiri ad ſui ſubſtantiam traditionem rei, aut pretij, quia ſolo conſenſu perficitur. Vt habetur in l. 1. ff. de contrahenda empt. in fine. Vt autem transferatur dominium per emptionem, & venditionem requiritur traditio. Vnde non ſecuta vtrinque traditione, cenſetur adhuc incompletus, quia & ſi ſecundum ſubſtantiam perfectus ſit, non tamen habet vltimum ſuum complementum, ad quod contrahentes peruenire intendunt. Ita Mol. d. 338.

5 Tertio ſequitur, non eſſe opus ſcriptura publica, vt huiuſmodi cõtractus perficiatur, nec vt contrahentes, vel res ipſæ ſint præſentes: ſed inter abſentes per epiſtolam, vel per internuntium, & ſuper re abſente celebrari, ac perfici poſſe, vbi vero perfectus fuerit, neutri contrahentium fas eſſe deinceps reſilire altero non conſentiente, ſed venditorem teneri ad rei traditionem, quod ſi præſtare non poſſit, teneri ad totum intereſſe; emptorem vero ad pretium ſoluendum ſimiliterque ad intereſſe, ideſt ad valorem fructuum poſt rem datã ſi præfixo tempore non ſoluerit.

QVÆSTIO II.

An quando pro re vendita, vt pro agro datur pecunia in partẽ pretij, & res alia, vt equus, id ſit emptio, & venditio, an potius permutatio, contractuſue alius innominatus?

1 REſpondeo ſi valor pecuniæ quæ datur manifeſtè excedat rem, quæ ſimul cum ea pro alia datur, iudicabitur emptio, & venditio: ſi vero è contrario valor rei manifeſtè ſuperet pecuniam: cenſebitur permutatio, aut contractus innominatus, quidquid in contrarium contrahentes verbis expreſſerint: quia tunc id, quod plus excedit, habetur pro principali reſpectu alterius, quod cum illo datur. Ita Molina d. 337. & Couar. tom. 2. var. cap. 4. num. 9.

QVÆSTIO III.

Sed Quid? ſi vtrumque ſit æqualis valoris, vel ferè æqualis, vt ſi pro agro ducentis aureis eſtimato dentur centum aurei, & equus aliis centum æſtimatus?

1 BAld. in prælud. feud. num. 11. & quidam alij putant eſſe emptionem, & venditionem.

Bartholus teſte Tiraquel. de terra c. ligna §. 30. aſtruit eſſe permutationem.

Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 21. dub. 1. cenſet talem eſſe contractum, qualem ipſi contrahentes intendunt.

1 Cæterum Couar. lib. 2. var. c. 4. nu. 9. Mol. d. 336. & recentiores probabilius multo volunt, cenſeri debere duplicem contractum, partim emptionem, partim permutationem.

QVÆSTIO IV.

Qua ratione pretium rerum, quæ veaduntur conſtitui, & taxari debeat?

1 REſp. dicendo, quod pretium rerum non eſt taxandum ſecundum natu-

ralem perfectionem earum, & in genere entis, ita vt illæ sortiantur maius pretium quæ habent nobilius esse, sed taxandum est ex vsu,& vtilitate, quam afferunt hominibus,& ex communi hominum æstimatione; nam si natura rei specifica æstimaretur, cum viuentia ex genere præstantiora sint vitæ expertibus, pluris valerent mures, quam frumentum, & plus musca, quam gemma.Et ratio est, quia cum mundus, & omnia in eo contenta in vsum hominum facta sint,ratio autem,& æstimatio mediorum sumenda est ex fine, illa igitur erunt maioris pretij, quæ humanis vsibus vtiliora sunt, & ab ipsis hominibus magis æstimantur. Val.tom.3.d.5.q.20.p.2.Sot.lib. 6.q.2.ar.3.& Rebell. lib.9.q.1.sect.6.

QVÆSTIO V.

Quot modis in vniuersum soleat pretium constitui?

1 REspondeo duobus:aut enim lege,& constitutione Reipublicæ,aut communi omnium æstimatione taxatur, vt docuit Arist.lib.5.eth.c.7. Illud pretium solet dici legitimum, seu legale, hoc est lege Principis,vel Reipublicæ taxatum, & definitum:hoc vero arbitrarium vocatur, quia non ex legis præscripto, sed iuxta communem eius vtilitatem,hominumque æstimationem communem ad arbitrium boni viri, & prudentis in ea arte ponitur, à quibusdam vero appellatur naturale, tanquam à naturali prudentia constitutum,vel, quia in eo arbitrando potissimum rei natura spectari solet. Ratio huius est, quia cum non sint imposita rebus certa pretia iure naturali, vel diuino sumenda sunt necessariò ex hominum arbitrio, & æstimatione,aut eorum qui habent authoritatem in Republica.

2 Nomine autem Reipublicæ hoc loco intelligimus omnes qui habent authoritatem ab ipsa Republica,inter quos primum locum obtinet Princeps,secundum Senatores, Magistratus Reip. Tertium Prætores, & alij Iudices. Quartum aliæ personæ, quibus à Magistratibus commissa est authoritas imponendi pretia aliquibus rebus vt Aediles, qui vulgò dicuntur Regidores qui habent authoritatem à Republica taxandi pretium in mercibus.

3 Hinc sequitur primo,quod si authoritate Principis, vel Reipublicæ rebus venalibus pretium est constitutum,illud iustum pretium illarum erit reputandum; & nisi sit error intolerabilis, & euidens,standum est taxationi pretij factæ à Rep. vel officialibus eius, semper.n. præsumendum est tale pretium esse iustum, & in casu dubij standum est illi, iuxta Nau. c.23.n. 78. Sot. lib.6. q.2.a.3.& Sylvest.verb.negotium q.2.

Hinc sequitur secundo, quod in mercibus,quæ non habent pretium taxatum à Republica, vel eius officialibus, illud iustum pretium est habendum,quod ex communi vsu fori desumitur.

4 Hinc sequitur Tertio,quod qui vendit rem pluris iusto pretio à lege posito peccat mortaliter,quia facit contra legem iustam in materia graui, & tenetur restituere excessum iusti pretij ipsis emptoribus quamuis non teneatur ad pœnam legis, ante sententiã Iudicis.Ita Ban.1.2.q.96.a.4.

Dices, inter frumenta,vnum est melius, alterum deterius; ergo non videtur esse iusta lex, qua statuitur, vt frumentum æquali pretio vendatur.

Deinde siue sit ingens tritici penuria, siue copia,lex idem pretium constituit, & tamem pretia variantur penuria, vel copia mercium,aut emptorum.

5 Ad hoc resp. quod lex taxat pretium rebus eiusdem speciei, intelligenda est de rebus sanis in illa specie; quare si triticum sit putridum,vel corruptum, non est vendendum secundum illud pretium legale. Si tamen merces sint integræ, & sanæ in sua specie, istæ taxantur iustè eodem pretio legitimo,& parum,aut nihil refert,sintne aliæ aliis meliores,aut deteriores,sintne pauci,vel multi emptores, vel venditores, quia hoc ex accidenti est,& ea lex in communi fertur, & de eo quod plerumque, & frequenter accidit; & omnibus excussis, pretium in certa mediocritate,& æquitate constituitur.

Obiicies,leges,& iura ciuilia volunt, vt res tãti valeant, quanti iure vendi possunt.

Respondeo istud proloquium intelligendum est iure æquitatis, & iustitiæ, vel intra latitudinem iusti pretij.

7 Aduerte tamen,esse maximam differentiam inter pretium legitimum,& arbitrarium,seu naturale, quia pretium legitimum cũsistit in indiuisibili mathematico, ita vt si res pluris, vel minoris vendantur,

iustitia

iustitia violetur. Pretium vero arbitrarium seu naturale secundum vsum fori, tres habet gradus, infimum seu pium, medium seu moderatum, & supremum siue rigidum & rigorosum, & omnia huiusmodi pretia sunt iusta. Itaque eadem res iustè vendi potest, & nouem, & decem, vndecim argenteis. Vndecim dicitur pretium rigidum seu rigorosum. Nouem pretium infimum: decem vero pretium moderatum, seu mediocre. Et ratio est, quia quando Princeps, vel Respublica pretium præscribit, non solum iudicat id esse iustum, sed etiam præcipit illud haberi iustum pretium, & non plus, aut minus, & ita obligat indiuisibiliter. At vero quando communis æstimatio statuit de pretio, cum nemo tunc habens ad id authoritatem præcipiat, vt tantum, & non plus, aut minus habeatur iustum rei pretium, & ex alia parte certitudo humanæ æstimationis non consistit in indiuisibili, iustitia talis pretij habet aliquam latitudinem. Vt v. g. si res iustè ex communi vsu fori vendatur decem, etiam vendetur iustè nouem, vel vndecim.

8 Hinc licet carius vendere pecunia credita, quam numerata, similiter carius inimico; vel diuiti, quam amico, vel pauperi, modo carius vendens non excedat istam latitudinem iusti pretij.

Hinc eodem fundamento licet rem aliquam vilius, emere pretio vt pote infimo, & pio, & eandem statim carius vendere pretio scilicet supremo, & rigido.

9 Sunt vero circa hæc non nulla obseruanda. Primo vsum fori non constitui à duobus. vel paucioribus, sed ab omnibus, vel plerisque contrahentibus citra omnem fraudem, vel dolum, deberique iudicari à peritis, & prudentibns in ea arte, tali loco, & tempore, aliisque circumstantiis inspectis, iustum. Vnde ad vsum fori, & communem omnium æstimationem in pretiis exiguntur hæc tria.

Primo vt pretio illo vtantur, non vnus aut alter, vel pauci, sed omnes, aut saltem plerique tali loco, & tempore.

Secundo vt vsus fori augeatur, vel minuatur citra vllam fraudem, & dolum.

10 Tertio vt vsus fori ita non augeatur, vel minuatur propter frequentiam, vel paucitatem contrahentium, vel abundantiam, aut inopiam mercium, aliasque circumstantias, vt iudicio prudentum pretium illud sit reuera, & omnino iniquum secundum excessum, vel defectum. Ratio huius est, quia quod euidenter iniustum est in aliquo genere, nullo vsu, vel consuetudine potest reddi iustum.

11 Secundo est obseruandum, vsum fori, & communem omnium æstimationem ex ipsa hora omnino currenti, in qua celebratur contractus, sumenda esse: sunt enim quædam tempora, in quibus tam merces, quam earum emptores, & venditores ita deficiunt, vel abundant, vt non solum vsus fori vno die receptus proximè sequenti mutetur, verum etiam quandoque accidat, vt qui mane existebat, post meridiem sit mutatus propter mercium illarum & emptorum aut venditorum facilem, mutatam abundantiam, vel penuriam, vt contingit tempore nundinarum. Cum igitur vsus fori tam facile mutetur, non erit sumendum ex multo tempore, sed ex illa ipsa hora, in qua emptionis contractus exercetur vt communiter omnes Doctores tradunt. Quam ob rem si continuò post venditionem mercis, illa carior efficiatur, non potest venditor augere pretium, nec emptor illud minuere, si statim post emptionem illam, vilius incipiat vendi,

Hinc, non est peccatum expectare tempus, locum, & casum, in quo res vilius vendatur, vt aliqui expectant fines nundinarum, in quibus vt plurimum ob copiam venditorum, & defectum emptorum merces minoris valent.

12 Hinc falluntur in caput suum mercatores, qui videntes merces initio nundinarum ob earum penuriam, & ementiũ abundantiam carius vendi in fine vero propter earumdem mercium vbertatem, & ementium paucitatem vilius vendi, quæ sibi ex illis nundinis vendenda superfunt, vendunt pecunia credita cariori illo pretio, quo vendebantur initio nundinarum, arbitrantes iustum quoque esse pretium illud, eo quod initio nundinarum fuerit in vsu fori. Hoc inquam prauum est, & iniquum, quia pretium illud prius, mutato in vilius vsu fori, iam cessauit, desitque esse iustum, nec aliud habent merces illæ iustum pretium, quam quod habet vsus fori in ea hora, & tempore, quo vendiderunt, iuxta Sot. lib. 6. q. 2. art. 3.

13 Tertio, vsum fori, iustumque illius pretium, non esse sumenda ex loco, in quo

contrahentes inter se conueniunt de rei alicuius venditione, neque ex loco, in quo fit illius solutio, sed ex loco, in quo res ipsa venalis actu, & reipsa traditur ementi illam. Et ratio est, quia vsus fori, & pretium iustum illius ex eo loco sumenda sunt, in quo vere, & actu exercetur, & perficitur contractus emptionis, & venditionis, contractus autem huiusmodi, tunc exercetur actu, & perficitur, quando res traditur emptori, & transit in illius dominium erût igitur vsus fori, & illius pretium ex eo loco desumenda, in quo res actu, & reipsa traditur emptori & non ex alis.

14 Ex his euidentissimè patet error quorundam mercatorum, qui volentes iustificare pretium pro mercibus, aiunt tanti eas emisse, tantasque expensas in illis asportandis, & conseruandis feciſſe: quæ omnia impertinentia sunt, ad iustificandum pretium in præsenti: potest tamen contingere, quod mercator pro minori pretio vendat, quam emerit, & tamen iniquè, vel quia ipse imprudenter emit, vel quia postquam emit aduenit magna copia mercium, vel fuit raritas emptorum Ban. 2.2. q. 77. art. 1.

QVÆSTIO VI.

An liceat interdum cariùs vendere, aut viliùs emere, quam valeat?

1 REspondeo licere, & hoc in multis casibus. Primò ratione ignorantiæ, quando videlicet vendens bona fide existimat pretium quod recipit, vel emens pretium quod confert iustum esse, nec culpa sua in eo decipiuntur, sed laborant ignorantia inuincibili iusti pretij. Verum est tamen quod cognoscens postea verum, teneretur restituere excessum, nisi tanto tẽpore excessum, illum venditor cum bona fide retineat, vt sufficiat ad præscribendum. Nã tunc etiam, si completo tali tẽpore agnoscat se emptorem defraudasse, siue in multo, siue in pauco facta fuerit defraudatio, nihil tenebitur restituere iuxta doctrinam traditam in materia de præscriptione. Ita Aragon. 2.2. qu. 77. art. 1. & Medina C. de rest. quæst. 32.

2 Ex quo infertur, quod si testator præcipiat, vt restituantur bona ab eo male percepta, si inueniatur interea aliquid alienũ præscriptum titulo bonæ fidei non debet hoc restitui. Et idem est, quãdo excommunicantur, qui habent aliquas res malè retentas, quia hi non tenentur restituere, quod titulo bonæ fidei præscripterunt, vt docet Roder. pag. 2. sum. cap. 77. num. 6.

3 Secundò ratione interesse, quod cõtingit, quando emẽs, vel vendens ex rei emptione, & venditione, vel patitur aliquod dãnum, vel ab assequutione alicuius lucri alioqui sibi certi, aut probabiliter eventuri impeditur, tunc enim licitum erit ei pluris vendere, vel minùs emere, quam per se valeat iuxta æstimationem ipsius lucri, vel damni, quod ex emptione, vel venditione perdit, vt se seruet indemnem, dummodo moneat emptorem de damno, quod sustinere compellitur, eo quod emit, vel vendit rem suam. Ratio est, quia hic non tantum vendit rem illam nudam, sed etiam suum commodum, vel damnum, ergo etiam horum æstimationem exigere potest, etiam si res habeat pretium legitimum. Ita Mol. 351. Sot. lib. 6. qu. 3. art. 1. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. c. 2. nu. 23. Medina. C. de rest. q. 32. Syl. verb. emptio q. 6. & 7. Mart. Nauar. c. 23. nu. 83. & alij sequuti D. Thom. 2.2. qu. 77. art. 1.

4 Hinc si meum solum per se non nisi decem valet, mihi tamẽ, quia ædes illis commodissimum duco extruere, valet viginti, hoc ipsum ex te pretium possum exigere modo tibi patefaciam, vt videas, an tibi expediat tali pacto emere. Et ratio est, quia vnusquisque vendere potest totum, quod suum est, & in tali casu, non solum res, verum etiam emolumentum est vendentis.

Quæ doctrina verificatur secũdùm Gar. lib. 1. de contr. c. 8. nu. 15. in libro aliquo valde necessario, ac vtili alicui medico, qui quidem licet secundùm se non tanti valeat potest tamen vendi aliquanto pluris ratione damni quod recipit venditor.

5 Huic sententiæ suffragatur Med. in sua Inst. §. 25. fol. 141. qui exemplum adducit de hortulano seu agricola, qui habet aliquod iumentum claudum, & senio confectum, quod si vellet vendere, non posset, nec minimo pretio, si tamen ab alio rogaretur, vt venderet, posset petere licitè, quòd sibi valeat propter necessitatem, quam habet illius.

6 Obiicies D. Thom. de malo quæst. 13. art. 4. vbi oppositum huius defendit, ibi enim sic ait. Qui rem mercatur, tantùm iustè pro ea impendit, quantum illa valet: non tamẽ tan

tantum, quantum est detrimentum, quod ex eius venditione eam vendens capit.

Respondeo, D. Thom. hic loqui, quando is cui vtilior est res propria, eam sponte vendit, & non importunitate precum impulsus, quia iuri suo plus exigendi cedit, cum sponte vendat. In. 2.2. loquutum esse in casu, quo non spontaneus sed obnixe precibus efflagitatus rem suam vendit: quia tunc contra suam noleitatem, vel subit damnum, vel ad instantiam emptoris cessat ei ex venditione suæ rei lucrum.

7 Similiter licebit emptori emere rem vilius, quam alias esset pretium eius commune, si res quam emit sibi parat damnum quantum damnum illud, & incommodum, arbitrio boni viri æstimabitur, admonito de hoc venditore.

QVÆSTIO VII.

An in casu, quo res quæ venditur plus valet ementi, quam vendenti, possit venditor eam pluris vendere, quam in se valet?

1 REspondeo nō posse. Et ratio est, quia commodum illud non est aliquid vendentis sed ementis, ergo pro illo vendens non potest accipere pretium, alioquin venderet quod non est suum. Ita D. Thom. 2.2.q.77. art.1. Mol.d. 348. Roder.p.2.c.77.n. 5. Sot. lib.6.q.3.art.1. Nauar.c.23. num.83. & Lessius lib.2.cap. 21.dub.4.

2 Hinc qui vendit equum alicui, qui iturus ad bellum summopere eo indiget, non potest ratione illius commodi, quod ementi prouenire debet, carius eum vendere, quam secundum se, vel ex lege, vel ex communi hominum æstimatione valeat. Ratio est, quia vtilitas illa maior, aut lucrū, quod ex re emptori accreuit, non est venditoris, sed alienum; pro re autem aliena iniustum est pretium recipere vt patet. Posset tamen emptor gratiosè propter vtilitatem sibi prouenientem ex tali re sibi commoda, aliquid plus vendenti tradere.

3 Tertiò ratione peculiaris affectus, aut oblectationis, qua se priuat, potest rem illam carius vendere, quam simpliciter, & secundum se valeat, iuxta æstimationem ipsius oblectationis, vel affectus. Ratio est, quia hic non tantum vendit rem illam nudam, sed etiam suum commodum, & oblectationem, vel affectum, ergo etiam horum æstimationem exigere potest, etiam si res habeat pretium legitimum: deberet tamen venditor patefacere emptori causam, cur tantum petat, ne putet rem pluris valere, quia fortè non intendit illius solatium, & voluptatem emere. Ita Sot. lib.6. q.3. art.1. Molina disp. 348. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 4. & Nauar.cap.23.num.83.

Quam opinionem censeo veram primò quando venditor non leuiter est affectus ad rem, quam vendit, & propterea non æquè, sed longè minùs afficitur ad pretium iustum rigorosum illius. Si enim æquè ad pretium afficeretur, compēsatio fieret priuationis rei ad quam afficiebatur, cum voluptate æquali ex pretio iusto.

4 Secundo, quando ipse non exponeret rem illam venditioni, oblataque sibi emptione iusto pretio rigoroso nollet vendere, rogatusque in emptoris gratiam consentiret venditioni.

Multi affirmant.

QVÆSTIO VIII.

Sed quid? si affectio illa sit solùm imaginaria, vel nullo nixa fundamento consentaneo rationi, vel ex nimia cupiditate, ex qua putat pluris valere rem suam. An possit tunc rem illam carius vendere, quam secundum se valeat?

1 COntrarium tamen arbitror esse dicendum, quoniam affectus animi inordinatus non est pretio soluendus, sed corrigendus, secus autem esset, si verè, & non fictè affectus esset v.g. ad suum equum quia mansuetissimū sibi eum expertus est, eiusque nouit placidas conditiones, sedatum gressum, & incessum in itineribus: quia tunc hac ratione, si sit rogatus neque putat facile alium similem inuenire, admonito emptore, poterit pluris, quam in se valeat, eum diuendere. Ita Less. lib.2.c.21.dub.4.

2 Quarto ratione donationis admixtæ. Quod contingit, quando emens dat pretiū excessiuum, quia excessum pretij condonare intendit: vel vilius emit, quia venditor censetur defectum pretij remittere. Sed tunc non est emptio, aut venditio pura sed admixta donationi, ratione cuius est licitum venditori talem excessum recipere. Ita Arago.2.2.q.72.art.1. Conrad.g.57. & 58. de contr. Medina C. de restit. qu. 32. & Ban.2.2.quæst.77.art.1

QVAE

QVÆSTIO IX.

Sed dices, Quomodo cognosci potest emptorem dantem pretium excessiuum, intendere donare excessum vel venditorem vilius, vendentem intendere defectum pretii condonare?

1 REspondeo quando hæc quinque cõcurrũt. Primò quod vterque contrahentium sit persona sagax, scienſque valorem rei.

Secundo quod non ex necessitate emendi, aut vendendi det illud.

Tertiò quod inter contrahentes coniũctio aliqua sanguinis, vel amicitia intercedat: nam inter extraneos non præsumitur donatio, nisi huius euidẽtia signa appareãt.

Quarto, quod non interueniat, vis, metus, fraus, aut aliud simile.

2 Quinto, & vltimò quod prædicta quatuor constent vtrique contrahentium, nam tunc præsumi potest donatio, si aliquis defectus, aut excessus à latitudine iusti pretij interueniat. Ita Nauar. cap. Nouit. de iub. notab. 6. nu. 61. Roder. p. 1. c. 77. nu. 7. Rebell. lib. 4. q. 2. sect. 1. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 9. & Medina C. de restit. quæst. 31.

Conrad. de contr. q. 57. addit sextam cõditionem, nimirum, quod non ex mentis leuitate vera, vel præsumpta det tantum pretiũ, per quod excluditur prodigalitas, & inordinata affectio ementis ad mercem.

3 Sed hæc conditio nõ est necessaria quia donatio, qua amasius dat aliquid meretrici ex inordinata affectione procedit, & tamen talis donatio secundùm omnes est valida, nec meretrix illud sic donatum tenetur restituere.

QVÆSTIO X.

Quinto ratione officii mercandi. In cuius gratiam quæritur. An qui vendit ex officio possit pro maiori pretio vendere, quam alij qui non ex officio, sed sua sponte, ac pro libito aliquid venduni?

1 DOctor subtilis in 4. disp. 15. q. 2. art. 2. tenet vendentem ex officio posse carius vendere, quam emerit, alios verò non posse.

At verò Sotus lib. 6. de Iust. quæst. 2. art. 3. dicit hanc doctrinam Scoti non esse omnino repudiandam, neque tamen semper posse seruari.

2 Pro huius tamen quæstionis decisione dico primo, quod doctrina illa Scoti, si ita intelligatur, vt liceat semper mercatoribus seipsos seruare indemnes ac ita vendere, vt vltra pretium, quo ipsi emerunt, lucrum aliquod recipiant, falsa est, & contra naturam contractus venditionis. Et ratio est, quia si vẽditor posset eo pretio vẽdere, quo reciperet pretium, quo emit, & lucrum aliquod tunc nulli se periculo, vel damno venditores isti exponerent, sed semper esset in tuto; imo & aliquod lucrum semper esset illic securum, quod est contra propriã naturam negotiationis, quæ damno, & lucro exposita est. Ita Mol. d. 348. Cou. l. 2. var. c. 3. nu. 4. Med. C. de rest. q. 31. & alij.

3 Secundo dico, quod mercatores quicũque siue vendant sua sponte, siue rogati suas merces, quocunque pretio eaſdem ipsi emerint, & quoscunque labores, & pericula in eis deferendis passi sint, non possunt eas carius vendere quam pretio currenti, siue illud sit à lege taxatum siue non. Et ratio est, quia hæc duo tantum pretiorum genera iusta sunt, nulli autem licet vendere, quam pretio iusto. Ita Salon. 2. 2. q. 77. a. 3.

Hinc non est audienda in hac parte regula illa Scoti cum ait iustum rerum pretium in manu mercatorum esse arbitrandum iuxta expensas omnes, quas mercatores emendo, asportando, aut conseruando tales res fecerunt, computandumque insuper valorem industriæ, ac periculorũ, quibus se exposuerunt, nõ secus, ac si mercede conducti ea in re seruissent Reipublicæ, atque adeo non esse iniustum pretium, si his omnibus respondetur.

4 Ex quo infert, si mercatori casu aliquo nauis periret, in qua merces deferebat, posse id compensare vẽdendo carius merces alias in Republica. Quam etiam regulam Doctores communiter reiiciunt, de quorum numero est Sot. lib. 6. quæst. 3. art. 1. Et ratio est, quia iustum rerum pretium non ex lucro mercatorum, ac damno metiendum est, sed ex communi earum æstimatione in loco vbi venduntur, attentis circunstantiis omnibus præsentibus, idque siue mercatores fauente, vel reſragante fortuna prudenter, vel imprudenter negotiando

tiando multum lucri, vel damni recipiant, ſed ex communi potiùs æſtimatione, attentis cauſis ſupra explicatis, Magis vero probanda erit regula illa communiter recepta, pro æſtimandis rebus immobilibus vt tantum valeant regulariter, quantum valent earum penſiones, vel fructus viginti annorum ſimul ſumpti, deductis tamen expenſis: quantum autem reddituum, vel fructuum ſingulis annis ferre diiudicandæ ſint, habenda erit ratio viginti trium annorum præcedẽtium. Vt Ang. verb. æſtimatio. §. 1. & 2. Et Rebell. lib. 9. q. 1. ſect. 7. annotarunt.

4 Tertio dico, quod mercatores Reipublicæ obligati ad vendendum aliquod genus mercium propriis ſumptibus quærendum, poſſunt paulo pluris vendere, quã ab aliis vendi ſolet, qui non ex officio aliquid vendunt. Et ratio eſt; quia vendentes ex officio tenentur habere merces paratas omnibus volentibus illas emere, poſſuntque à Republica ad id compelli, ergo pro hac obligatione, quæ adeo neceſſaria eſt Reipublicæ, vel ſaltem maximè vtilis, & pretio æſtimabilis, & ad quam complendam egent expenſis, quas non faciunt alij, qui ex officio, ſed ex occaſione aliquid vendũt poterunt aliquid amplius exigere, quam alij, modo ipſis nõ ſit certum pretium pro pondere, & menſura à Republica aſſignatum. Ita Ban. 2. 2. q. 67. art. 4. Med. C. de reſt. q. 31. Salon. tom. 2. de contract. q. 77. art. 3. Leſſ. lib. 2. cap. 21. dub. 4. & alij.

5 Quartò & vltimo dico, quod mercatores qui coniunctim emunt, vt aliis minutatim vendant poſſunt carius, quam alij vẽdere. Et ratio eſt, quia huiuſmodi negotiatores habere debent domos locatas, miniſtros, & famulos, alioſque ſumptus facere, quibus merces illas aſſeruatas ſic vendant. Ita Salon loco citato.

6 Sexto ratione multitudinis ementium, poſſunt res carius vendi. Et ratio eſt, quia quo maior emptorum copia eſt, eo maior penuria mercis eſſe cenſetur. Vnde gemmæ quæ non habent emptores viliſſimè venduntur, vt docet Caiet. 2. 2. q. 77. art. 1.

7 Septimo ratione penuriæ mercium poſſunt res pro maiori pretio vendi, quã alioquin venderentur, ſi merciũ eſſet abundãtia. Ratio eſt, quia ex his creſcit valor cõmunis mercium, quod enim rarum eſt, precioſum eſt, vt habetur ex D. Hier. Epiſt. 85. ad Euagr. cap. Legimus diſt. 35. Vnde in fine nundinarum pretium rerum vilius eſſe ſolet, quam à principio, & tempore peſtis, vel belli poſt victoriam viliori pretio venditur præda, propter magnum, tum rerum tum vendentium numerum. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 21. dub. 4. & Rebell. lib. 9. quæſt. 1. ſect. 7.

7 Octauo ratione copiæ pecuniarum poſſent merces plus vendi, quã alioquin venderẽtur, ſi pecuniarum eſſet penuria. Ratio eſt, quia communis æſtimatio per comparationem ad pecuniam fieri ſolet. Vnde in opppidis poſita æquali mercium abundãtia, res vilius emuntur, quam in Ciuitatibus vbi maior eſt argenti copia. Ita Leſſ. & Rebell. vbi ſupra.

8 Nono ratione laborum, & expenſarum, quas mercator ſubiit in mercibus emendis, & conſeruandis, poteſt vendere pro maiori pretio: quod intellige ſi merces illæ no habent pretium taxatum, tunc enim cũ pretium ſit de nouo imponendum poteſt mercator habere rationem laborum, & expenſarum, quæ ordinariè fieri ſolent, nã extraordinariæ per infortunium, vel imprudẽtiam factæ ipſi imputantur, nec ideo poteſt carius vendere, ſicut nec tenetur vilius vendere, etiam ſi nullas expenſas fecerit: hæc enim eſt conditio mercatorum, vt ſicut poſſunt lucrari, ſi merces habuerint expenſis exiguis, ita perdere, ſi magnis, & extraordinariis. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 21. dub. 4.

9 Decimo ratione modi vendendi, vt ſi vendantur publicè, vel in foro voce præconis, vel priuatim per proxenetas diſcurrentes per vicos. Nam vt vulgo dici ſolet, merces vltroneæ vileſcunt pro tertia parte. Ratio eſt, quia iſte modus vendendi indicat copiam mercium, & penuriam emptorum, quæ duo faciunt merces vilius æſtimari, vt docet Caiet. 2. 2. q. 77. ar. 1. Nau. c. 23. n. 78. Couar. lib. 1. var. c. 5. n. 3. & alij.

Ex quo infert Pala. in annot: an Caiet. verb. emptio cap. 1. pallium quod in officina valet quatuor, extra tamen officinam quia quæruntur emptores, iuſtè poteſt emi duobus quãuis ſi minoris ſub duplo emeretur non videretur regulariter iuſtè emi, niſi aliqua ex parte condonatio intercederet.

Hinc, qui rogatus, aut pietate motus, ac quaſi gratia potius vendentis, quã ſui emit licitum erit ei vilius rem emere, quam

alias

aliàs ex se valere. Et ratio est, quia quasi inuoluntarius, ac rem minùs necessariá sibi vel gratam emit, vt cum aliis resoluit Sylvest.verb. empt. q.7.& Nau. c.23.nu.83.

10 Hinc, qui reddit minus stipendium mercenario roganti, vt ipsius operas conducat, quam reddatur aliis mercenariis eodem loco,,& tempore laborantibus, nõ peccat. Et ratio est, quia mercenarius rogans dominum,vt ipsum conducat, quærit profecto emptorem sui laboris, & operæ, quo fit,vt labores illi & res vltroneæ, quæ vt dixi eo ipso,quo vltroneæ sunt,vilescũt: imò secundùm Nauar. cap.23. num.84. fas est vilius emere interdum operas pauperis pro solo scilicet victu, ne fame pereat.

Hinc potest carius vendi, cum empto res inter se certant, augendo pretium dũmodo non sit fraus, vt venditor secreto emptores supponat falsos ad augendum pretium, vt docet Tolet. lib. 8.cap. 47.

11 Vndecimo ratione communis affectus, quem ex aliquo speciali motiuo habent omnes circa ea, quæ noua sunt, vt circa præcoces fructus, & alia permulta, potest venditor aliquid amplius exigere, quam res secundùm se valet. Ita Rebell. lib.9. quæst.1.sect.7.

12 Duodecimo ob rei venalis antiquitatem honorificam,potest eam pluris vendere quam per se valeat. Vnde statuæ,monetæ, & alia similia, quo antiquiora sunt cæteris paribus,eo pluris æstimantur.Ita Ban. 2.2.q.77.art.1.& Less.lib.2.cap.21. dub.4.

13 Tertiodecimo ratione maioris mercis vtilitatis, vel inutilitatis communis, vt enim illa auget,sic hæc imminuit pretium.

Dixi notanter (communis) quia ob particularem aliquam vtilitatem,vel inutilitatem, emptoris non potest res pluris vendi, alioquin fas esset carius vendere pauperi rem, cui fortè ea vtilior est, quam diuiti. Ita Less. supra.

QVÆSTIO XI.

Sed Quid ? si res vtilior sit vendenti, quam ementi,poterit ne carius vendi ratione talis vtilitatis quam communiter valeat ?

1 REspondeo posse. Ratio est, quia in hoc casu non solum res, sed etiam maior illa vtilitas est vendẽtis,atque adeo pro vtraque parte potest iustum pretium recipere, cum ratione lucri cessantis, vel damni emergentis licitum sit pretium recipere,vt supra dictum est.

2 Quartodecimo ratione copiæ mercium quæ simul emuntur, potest mercator emere vilius, quam si diuisim,& per mensuras quasdam emeret. Ratio est, quia venditorem exonerat multis curis, & occupationibus, quas circa illas merces minutioret habuisset, eumque reddit expeditiorem, vt statim alias comparet. Vnde hic modus emendi facit, vt pretium decrescat. Ita Less.lib.2.cap.21.dub.4

Quintò dico si vendat suas merces in gratiam emptoris, aliàs non venditurus, potest pro maiori pretio vendere, quam si venderet sponte.Ratio est,quia æstimabile pretio est quo quis rem suam venalem faciat, quæ venalis non erat. Quod intellige, si venditor ex venditione aliquid incommodi, vel damni sentiat. Ita Lessius supra.

Sexto decimò ratione intrinseci ipsius rei defectus,siue vitij, potest emptor emere rem minoris quàm ex se valeret.

3 Decimo septimo ratione periculi externi,cui res venalis subiacet, fas est mercari minoris rem,quam aliàs ex se valeret. Quo fit, vt minus valeat res litigiosa vel cui onus annexum sit,qualis est res distracta cum pacto retrouendendi, iuxta communem ,quam si talis non sit.

Nonnulli solent assignare decimũ octauum casum, in quo est licitum vendenti carius vendere merces, quando ipse illas magis æstimat, quam reuera valent.

4 Sed hæc opinio falsa est quia priuata æstimatio locum non habet, quando vel statuto Pricipis, vel communi vsu fori res est appretiata; nisi in rebus, quæ tantum ad fastum, & delicias pertinent vt docet Aragon.2.2. quæst.77.artic.1.

Medina C.de rest.qu. 32. assignat alium casum, in quo potest mutuator aliquid vltra sortem recipere sine vitio vsuræ,solùm ratione grauaminis, quod ex carentia pecuniæ mutuatæ patitur, etiamsi nullum aliud lucrum cesset, quia illud grauamen est pretio æstimabile.

5 Sed hæc opinio Medinæ est etiam falsa, multisque vsuris viam parans. Cum in receptione vsuræ quisque dicere posset, se lucrum recipere, non ex contemplatione mutui,sed ratione molestiæ, quam ex mutuatione

Digitized by Google

tuatione patitur, quod est pluſquã falſum: Eo vel maximè quod illa moleſtia eſt adeo intrinſeca mutuationi, vt ſi pro mutuo aliquid recipere prohibetur, nec etiam pro moleſtia ei adiuncta.

Alij aſſignant aliam cauſam, vt puta neceſſitatem, qua venditor aſtringitur vendere, aut emptor emere.

6 Hæc tamen cauſa à Soto lib.6.q.2.art.3. reiicitur, quia cauſa motiua vendendi, id eſt qua venditor ad vendendum rem ſuam eſt ductus parum refert, ad eius augendũ vel diminuendum pretium: quare cenſet merces vendentis eas ex neceſſitate non minoris eſſe æſtimandas, quã merces Domini vendentis eas citra neceſſitatem.

Cæterum mihi videtur dicendum ſic, quod per ſe loquendo talis neceſſitas nullo modo eſt cauſa minoris, vel maioris pretij rei; benè tamen de per accidens neceſſitas vendentis in cauſa eſſe poteſt talis minoris pretij, in quantum neceſſitas eſt interdum in cauſa vltrò eam exponendi venalem, rogandique cum ea emptores. Modus autem hic merces vltrò venales auferendi vileſcere eas facit, & ab eo pretio decreſcere. Ita Molina diſp.348.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm res quæ magis deſeruiunt ad ornatum, & ſplendorem quam ad neceſſitatem, quales ſunt lapides pretioſi, accipitres, falcones, canes venatici, aues indicæ, picturæ veteres, equi valdè decori aſpectu, & rarè velocitatis, antiquæ ſtatuæ, ſimiæ, & ſimilia quæ non habent pretium taxatum, nec à Republica, nec ex communi hominum æſtimatione, tanti valeant, quanti vendi poſſunt?

1 IN hac quæſtione Leſſ.lib.2.ca.21. dub. 3.putat huiuſmodi res non poſſe vendi pro arbitrio venditoris, ſed iuſta æſtimatione ipſius vendentis bona fide ſpectatis circumſtantiis rerum.

2 At verò Sot. lib.6.qu.2. art.3. Ban.2,2.q. 77.art.1.Petr.Nauar.lib.3.de reſt.cap. 2.n.11. Aragon.2.2.q.77.art.1.Tolet.lib.8.ſum. cap. 48.Valent.tom.3.d.5.q..20.p.2. & multi alij rectius docent ea omnia poſſe quemque tanti vendere, quanti citra omnem fraudé, & dolum poteſt ab emptore extorquere. Et ratio eſt, quia cum huiuſmodi res magis pertineant ad fauſtum, & pulchritudinem ipſius Reipublicæ, quam ad neceſſitatem, non poſſunt vendi pretio legitimo, aut naturali, cum harum rerum pretia nec lege vlla, nec communi hominum æſtimatione ſint poſita, erit ergo iuſtum illarum pretium, illud in quo contrahentes ipſi mutuo, ac liberè conueniunt.

Tum quia cum huiuſmodi res ad ſplendorem, & ornatum Maieſtatis, & nobilitatis ſpectent, quia vt indicia magnificentiæ maximè appetuntur: nihil mirum ſi tam maximè æſtimentur, & tanti valeant, quanti vendi poſſunt. Vnde iuxta Toletum non eſt iniuſtitia accipere quatuor millia aureorum pro ſtatua antiqua, pro gemma, pro alia ſimili re, dummodo talis ſit res, qualis venditur.

Tum quia cum non ſint neceſſariæ vitæ humanæ, ſi emens ſcit, quid emit, & liberè ſine coactione emit, ſi plus emit, reliquum donare cenſetur, quare venditor poterit accipere.

Tum demum, quia quiſque in rebus ſuis eſt moderator & arbiter, vt habetur lege in re mandata C. mandat. Vnde eſt illud commune proloquium, quod dicit, tanti res valet, quanti vendi poteſt lege 2. §. ſi hæres &c.

Quam opinionem arbitror eſſe veram, atque tenendam concurrentibus tribus conditionibus.

3 Prima eſt, vt emens ſit perſona ſagax, ac prudens.

Secunda, ne ſuffocatus aliqua neceſſitate emere compellatur.

Tertia, ne pretium illud prudentum arbitrio excedere iudicetur, etenim ſi exceſſiuum à peritis, & prudentibus iudicaretur, venditor illud recipiens non eſſet tutus in conſcientia.

Conrad.quæſt.57.de contr. addit quartã conditionem, ſcilicet vt emptor rei pretioſæ non ex prodigalitate, aut inordinato affectu erga rem velit tantum dare.

Sed hæc conditio non eſt neceſſaria, conſtat enim etiam per actionem alioqui malam poſſe transferri Dominium, quando quis vult donare; quemadmodum cum aliquis dat hiſtrioni, aut adulatori, vel meretrici aliquid vt rectè docet Valent.tom. 3.diſp.5.quæſt.20.pag.2.

QVAE

QVÆSTIO XIII.

Vtrum venditor sciens mox superuenturam magnam copiam mercium, ob quam earum valor paulò pòst minuetur, possit eas merces, quas habet, tanti vendere, quanti in præsenti æstimantur, absque peccato iniustitiæ, restituendique obligatione?

1 PRo explicatione huius difficultatis, vt certa ab incertis separentur, dico primo certum esse, eum qui per mendacium, fraudem, ac dolum allicit emptores ad emendum, dicendo pretium breui augendum, peccare contra iustitiam, cum obligatione restituendi damnum inde illis subsequutum. Ratio est, quia habet vnusquisque ius commutatiuum, vt sibi ab alio damnum iniquè non inferatur.

Secundò est certum, quod si vtérque contrahentium ignoret, tempore emptionis, illam copiam superuenturam, licita erit venditio pro pretio currente in foro, nec taliter vendens tenebitur ad aliquid restituendum, quamuis deinde illam sciat. Et ratio est, quia cũ neuter tunc alterum decipiat, æqua debet esse vtriusque conditio.

2 Tertiò est certum, quod si vterque contrahentium sciat illam copiam mercium futuram, non tenetur venditor ad illam manifestandam, nec ad minuendum de pretio currente, sed iustè potest illud accipere, si ab emptore illi tradatur. Et ratio est, quia vendidit iusto pretio, cum vendat pretio tunc currente, & sine vlla deceptione, cum vtrique sit nota futura mercium copia. Itaque hæc certa sunt.

QVÆSTIO XIV.

Sed dubium est, si emptor ignoret illam superuenturam copiam, venditor vero eam sciat. An tunc venditor possit id dissimulare, totumque pretium quod in præsenti currit pro mercibus accipere ab eo, qui similes merces ad eas seruandum, vel postea alias vendendum emit, ex quo emptor notabile damnum patietur?

1 IN qua quæstione etiam est certum, quod si is qui breui frumenti æstimationem minuendam nouit, non plus frumenti venderet, quam secluſa ea scientia erat venditurus, non peccaret, nec ad aliquam restitutionem teneretur. Et ratio est, quia per eam scientiam non manet deterioris conditionis, quam alij, & quam ipse erat facturus, si eam scientiam non haberet, nec malitiosè quicquam in hoc casu facit. Mol. d. 354.

QVÆSTIO XV.

Sed tota controuersia inter Doctores est, de eo, qui vt seipsum ditaret occasione huius superuenturæ copiæ, plus mercium distraheret, quam alioqui erat distracturus?

1 IN hac grauissima quæstione, tres sunt opin. Prima est asserentium debere venditorem rem manifestam facere, vel minuere de pretio, non quidem tanti quantus futurus esset defectus pretij, si copia illa iam esset præsens, sed quanti minoris æstimaretur, si omnes prædictam mercium abundantiam cognoscerent. Ratio est, quia si sciuisset emptor breui tempore magnam copiam mercium venturam, proculdubio, aut non emisset, aut non tanti, sed expectasset futurum tempus, ergo emptio est inuoluntaria ex parte emptoris. Ita Conrad. de cont. q. 62. & 63. Med. C. de rest. q. 35. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. & Roder. p. 2. sum. c. 81. num. 10.

2 Secunda opinio est negantium venditorem id dicere debere, sed posse res suas absque iniustitia vendere pretio currente. Et ratio est, quia satis est si venditor pretio vsitato vendat, nec cogitur quod nouit de mercibus mox aduehendis emptori dicere, quia non est vitium, quod suis in mercibus insit. Ita D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 3. ad 4. Caiet. ibidem. Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. Arag. 2. 2. q. 77. art. 3. Sylvest. verb. emptio q. 15. Couar. ad Reg. peccatum p. 2. §. 4. n. 5. & 6. Ban. 2. 2. q. 77. art. 3. Less. lib. 2. c. 21. dub. 5. Val. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 4. Molina d. 353. & alij.

Tertia vero opinio distinguit, nam vel pretium rerum, quarum copia superuentura speratur, est per publicam, & communem hominum æstimationem taxatum: vel est vagum, & de nouo imponẽdum a Communitate, vel ab ipso venditore statuendum. Si primo modo, licitum est mercatori suas merces vendere, quantumcumque sciuerit illarum copiam in proximo futuram, ex quo earum valor minuetur.

Et

Et sic locum habet opinio D. Thom. Si vero secundo modo, vera est opinio Conradi, quia in constituendis de nouo rerum pretiis, attendendæ sunt necessariò omnes circumstantiæ, quarum vna est, qua consideretur sitne illius mercis, cui pretium imponendum est de nouo, absolutè, & simpliciter inopia, vel pro aliquo tantum breui tempore, ita vt statim sit habenda in magna copia.

3 Pro decisione tamen dico primo, quod qui sciens futuram magnam copiam mercium, non solum vendit res suas pretio currenti, sed etiam plures earum exponit vendendas, reque ipsa vendit, quam alioquin foret venditurus, non peccat contra iustitiam, nec ad aliquam restitutionem tenetur. Ratio est, quia iustum pretium non ex priuata vnius, vel duorum pendet æstimatione, sed vel Principis lege, vel communi hominum æstimatione; sed in casu nostro per publicam, & communem hominum æstimationem est taxatum pretium rerum ergo illud est habendum pro iusto & vero, non obstante quacunque alia particulari cognitione.

4 Tum quia, cum in hoc contractu par debeat esse vtriusque partis conditio, si venditor sciens futuram copiam, non posset vendere pretio currente similiter nec emptor qui tempore abundantiæ præuideret futuram inopiam posset emere merces pretio vsitato tempore abundantiæ: At hoc licet emptoribus, nec tenentur egestatem illam aperire, aut augere pretium, vt constat exemplo Ioſephi Patriarchæ Gen. 41 qui sciens superuenturam sterilitatem septem annorum Aegypti, tempore vbertatis omne frumentum Aegypti pretio vili comparauit, quo deinde carius vendendo Pharaonem ditauit, ergo.

Tum quia si circumstantia communiter ignorata imminueret pretium, sequeretur quod quando pluuia desideratur, si quis magno pretio tunc currente frumentum venderet, restituere deberet, si subito ex causis naturalibus occultis superueniens pluuia, pretium imminueret, quod nullus dicet. Ita sentiunt D. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 3 ad 4. Caiet. ibidem. Sot. lib. 6. q. 3. ar. 2. Bann. 2. 2. quæst. 77. ar. 3. Couar. Reg. peccatum p. 2. §. 4. num. 5. & 6. Arag. 2. 2. q. 77. ar. 3. Rebell. lib. 9. q. 6

5 Hinc, qui nouit Ciuitatem fore ab inimicis obsidendam, propter quam obsidionem valor mercium minuetur, potest ante obsidionem merces, quas habet in illa Ciuitate vendere pretio currente, non monitis emptoribus de periculo impendente Mol. d. 354.

Hinc qui nouit mox auth. Principis, vel Reip. frumenti mensuram, vel aliam simile minoris valituram, potest vendere triticum suũ pretio currente etiam si paucis deinde diebus, sit res illa multo minus valitura.

6 Hinc, qui nouit Curiam breui inde discessuram, ob cuius discessum domus valor minuetur, potest discessum illũ cælare, domumque suam pretio tunc currẽte locare. Quorum omnium ea est ratio, quia res iustè vendi potest iuxta communem vsum fori pro tempore vigentem, nam iustum rei pretium est, quod vel Principis lege, vel communi æstimatione constat. Ita Less. lib. 2. c. 21. dub. 5.

7 Hinc eadem ratione, qui vendit rem bonam, & sanam eo tempore quo vendit, esto sciat per astrologiam, vel reuelationem statim post venditionem futuram inutilem, vel perituram, posse illam nihilominus vendere pretio currente eo tempore, quo vendit, tacito illo secreto, vt qui venderet equum, quem sciret die sequenti ictu fulguris perimendum, modo tempore ipso venditionis existat ille sanus, & bonus. Si vero intelligatur equus ille ex aliquo occulto morbo proximè periturus, cum vitium illud sit illi intrinsecũ, & actu præsens tenetur vendens illud patefacere.

QVÆSTIO XVI.

Sed Quid? si equus statim post effectam venditionem pereat ex aliquo occulto morbo, quem venditor inuincibiliter ignorabat: teneatur ne vendens pretium acceptum emenți restituere?

1 RESP. teneri. Et ratio est, quia quoties res aliqua defectuosa venditur cum primum illius vitium dignoscitur, tenetur venditor, aut rescindere contractum, aut resarcire inæqualitatem: in hoc casu non potest rescindi contractus, nisi restituto toto pretio, cum equus ille tali morbo affectus nullo pretio erat dignus.

2 Secundo dico, quod etiãsi iste venditor interrogatus, an superuentura sit copia

mercis, diceret non esse futuram, non peccaret contra iustitiam, nec ad restitutionem teneretur, si venderet pretio consueto. Ratio est quia iustum rerum pretium, non sumitur ex ignorantia, vel scientia copiæ, vel egestatis futuræ: sed vel ex Principis lege, vel communi hominum æstimatione, tali loco, & tempore, ergo siue venditor sciat futuram copiam siue ignoret illam, siue interrogatus aperiat, siue occultet, vel neget, vel mentiatur, modo vendat rem absque aliquo vitio pro pretio currente, vendit pretio iusto, & per consequens contractus est iustus. Secus si alius, cuius nihil interest; sic mentiretur: censeretur enim causa nocendi, esse mentitus. Ita Arag. 2.2. q.77.art.3. Less. lib.2.c.21.dub.5. Salon. t.2. de contr. art.3. & Ban. 2.2 q.77. ar. 3. est tamen hoc contra Lop. lib.2. de contr. c.46.

QVÆSTIO XVII.

Sed quid? si emptor exprimeret se propterea emere tali pretio quia credit venditorem verum dicere circa futuram copiam?

1 Respondeo in tali casu teneri venditorem aperire illi veritatem, quam nouit alicui, venditio est nulla. Et ratio est, quia conditio ista sic ab emptore apposita est honesta, ergo ea deficiente contractus est nullus. Ita Salon. sup. art.3.

2 Tertiò dico, quod potest etiam emptor tempore abundantiæ, tacere inopiam mercium, quâ scit futuram, & emere illas pretio currente tempore abundantiæ, & si mentiatur non erit eius mendacium perniciosum sed officiosum tantum, atque ex consequenti non obligans ad restitutionem. Ratio est, quia in his par est, & æqua vtriusque partis conditio, & ita sicut licet venditori silere futuram vbertatem, & vendere pretio currente, similiter licebit emptori silere caritatem futuram, & emere pretio currente. Ita Arag. Ban. Less. Rebell. & alij supra citati.

Quartò dico, quod nullus siue emptor siue venditor tenetur regulariter ex charitate in casibus positis aperire copiam, vel egestatem futuram mercium vt apertè docuit S. Tho. 2.2.q.77.art.3. ad 4 cum ait, cumulationis esse virtutis manifestare abundantiam futuram mercium, aut minuere de pretio. Ratio huius est, quia potest quis rebus suis cõsulere, etiam si inde per damnum proximo obueniat. Ita Mol. d.354.

3 Dixi notanter (regulariter) quia interdum potest contingere, vt in casibus prædictis tam venditor, quam emptor peccent contra charitatem, qua tenemur bono proximi consulere, quando sine magno detrimento proprio, fieri potest. Vt si intelligat Titius magnam copiam mercium futuram, & Caius nesciat, velitque ab eo emere ingentem copiam talium mercium pretio currente, propter quod Caius inde graue damnum incurret, contra charitatem peccaret Titius, si non notificaret Caio futurã copiam: præsertim si Titius suas merces aliis sine suo damno diuisim vendere posset. Quod si Titius ex eo quod non vendat suas merces Caio, in par damnum incideret, tunc non tenebitur ex charitate illud notificare Caio, sed potest tuta conscientia vendere illi quantum mercium postulauerit pretio currente, quia charitas bene ordinata incipit à se ipso, & nullus tenetur neque ex charitate, neque ex iustitia alteri consulere cum proprio damno in eodem genere bonorum. Ita Less. lib.2. c.21. dub.5. & Rebell. lib.9.q.6.

4 Quintò, & vltimò dico, quod hæc omnia sunt vera, quando merces iam habent pretiũ vel à Republica taxatum vel communi hominum æstimatione receptum, tũc enim iustè potest illud recipi à venditore, esto sciat illarum copiam in proximo futuram quia cum sit ita à lege præscriptum, vel communi vsu fori receptum, est iustum, donec vel authoritate eiusdem Reipublicæ, vel communi vsu eiusdem fori mutetur. Secus autem esset, si merces non haberent pretium taxatum, neque currens in foro sed esset de nouo taxãdum, nam tunc vera esset opinio Conradi, quia quando pretium nondum est taxatum, sed statuendum, tunc considerandæ sunt necessariò omnes circumstantiæ, quæ rei valorem, vel augere, vel minuere possunt, vt sic iustum eius pretium statuatur, quarum vna est, futura copia ab ipso venditore præcognita.

5 Sed dices. Si Magistratus alicui aperiret suum decretum ante promulgationem, qui occasione huius notitiæ cum aliorum iactura ditaretur, proculdubio teneretur ad restitutionem, quia esset causa efficax huius damni, ergo multo magis ille tenebitur, qui hac occasione ditatus est.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc reſpondeo, negando conſequentiam. Et ratio negotiationis eſt, quia Magiſtratus ex officio tenetur dare operam, quantum fieri poteſt, ne ex huiuſmodi decretis, quibus pretia augentur, vel decreſcunt, aliqui præ aliis damnum patiantur; ex hoc tamen non ſequitur, hunc qui tali notitia vſus teneri ad aliquam reſtitutionem, quia non tenetur ex officio, ciuium commoda curare, vel damna propulſare. Ita Leſſ.lib.2.c.21.dub.5.

QVÆSTIO XVIII.

Sed, Quid dicendum? ſi ego ſciam aliis prorſus ignorantibus, ingentem mercium copiam aduectam iam eſſe: aut decretum Principis quo pretium mercium minuitur, iam eſſe conſtitutum, licet-ne pretio antiquo catenus vſitato vendere?

MOl.to.2.de contr.d.354. & Azor.to.3. inſt.mor.lib.8.c.23. tenent id non licere, quoniam pretium mercium eſt omnino mutatum, cum merces ſint aduectæ. & decretum eſt iam æditum, quamuis ignoretur.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum cum Leſſ.lib.2.c.21.dub.5.& ratio eſt, quia abundantia præſens facit decreſcere pretium, ſi paſſim ſciatur, ſecus ſi ignoretur.

Deinde decretum Principis, vel Magiſt. quo valor mercium augetur, vel minuitur ante promulgationem non obligat, nec vllam vim habet, ac proinde poteſt tuta conſcientia vendi pretio antiquo.

QVÆSTIO XIX.

Ex quibus patet quid reſponderi debeat ad ſequens dubium. An qui nouit mox author. publica Principis, vel Reipublicæ, pecuniæ valorem fore minuendum, poſſit interim ſuam monetam diſtrahere pretio currente?

1 IN qua re certum eſt, quod ſi is qui breui pecuniæ valorem minuendum nouit, non plus pecuniarum expenderet, quam alioqui diſtracturus foret, ſi legem publicandam eſſe neſciret, non peccaret, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur. Et ratio eſt, quia per eam ſcientiam non manet deterioris conditionis, quam alij. & quam ipſe erat facturus, ſi eam ſcientiam non haberet, nec malitioſè quicquam in hoc caſu facit. Mol.d.354.

Sed tota controuerſia eſt de eo, qui vt ſeipſum ditaret occaſione huius legis plus pecuniarum diſtraheret, quam alioqui erat diſtracturus.

Rebell.p.2.de oblig.lib.9. q.6. affirmat hunc,& peccare contra iuſtitiam,& ad reſtitutionem teneri.

2 Alij vero communiter negant,& meritò quidem, quia res valent, quanti in præſenti communiter æſtimantur, etiam ſi in ignorantia futuræ legis ea æſtimatio fundetur: ergo abſque peccato, & onere reſtituendi communi pretio currente eam expendere poterit, quidquid de lege futura ſciat. Ita Couar. Reg.peccatum p.2. §.4.num.6.Sot.lib.6.q.3. art.2. Caiet.2.2.q.77.art.3.Leſſ.lib.2.c.21. dub.5. Ban.2.2.q.77. art.3.Valentia.tom.3. d.5.q.10.p.4.Arag.2.2. q.77.art.3.& alij.

QVÆSTIO XX.

Sed Quid? ſi Regis, vel ciuitatis Conſiliarius, vt ſe ditaret, occaſione huius legis propediem publicandæ, plus monetarum diſtraheret, quam alioqui erat diſtracturus?

1 REſpondeo hunc peccare mortaliter, cum onere reſtituendi. Et ratio eſt, quia Conſiliarius ratione ſui officij, ac proinde de iuſtitia tenetur cauere, ne damnum inferatur his, in quorum vtilitatem officium ſuſcepit.

2 Tum quia Conſiliarius ex debito ſui officij, tenetur ſeruare bonam fidem, & omnem dolum, ac fraudem deuitare in adminiſtranda Republica; quando autem publica conſilia in priuatam vtilitatem conuertendo, non ſolum expendit ſuas pecunias pretio currenti, ſed etiam plus earum diſtrahit, quam ſecluſa ea ſcientia diſtraheret, per dolum ac fraudem contra fidem publicam datam videtur agere, ac proinde ad reſtitutionem obligatur. Leſſ.lib.2.c.21. dub.5.

QVÆSTIO XXI.

An liceat carius iuſto pretio vendere pecunia credita, quam numerata?

1 ET quidem, quando pretium non eſt lege taxatum, quod in indiuiſibili

consistit,cuique fas est creditò,hoc est expectata solutione,carius res vendere,intra limites tamen iusti pretij, hoc est vsque ad rigorosum iustum quam pecunia numerata.Et ratio est , quia in hoc nulla fit transgressio limitis iusti pretij, vt docet D.Tho. opusc. 67. resp. ad lectorem Florentinum. Arag.2.2.q.77.art.4.Mol.d. 355. Rebel. lib.9. q.11.Sylvest.verb.vsura 2.q. 1. Lop. lib.1.de contr.c.36.& alij. Et in hoc,omnes Doctores conueniunt.

Tota igitur difficultas consistit. An eo solum nomine , quod quis merces vendit dilata pretij solutione,possit carius supremo iusto pretio rem vendere, quam vendi soleat pecunia numerata ?

2 Med.C. de vsura q.38.& Conrad. quem ipse citat,& Rich.vt Sotus ascribit,opinantur licitum esse carius iusto pretio vendere pecunia credita quam numerata.

3 Sed hoc non obstante,constans est omnium opinio Theologorum,Summistarum, & Iurisconsultorum,non posse carius iusto pretio vendere , hoc solum nomine , quod solutionem pretij ad tempus expectat. Et ratio est,quia vendere rem,plusquam valet, est iniquum, sed res id tantum iustè valet, quod in præsenti , & ipso tempore venditionis valet,vt habetur l.pretia.& l.falcidia ff.ad legem falcidiam:ergo qui propter dilatam solutionem carius vendit, quam patiatur latitudo iusti pretij,inique vendit.

Tum quia dilatio solutionis est quædam tacita,& palliata mutuatio,nam si esto v.g. vendo aliquam rem,cui pretium est viginti aureorum , & quia vendo ad creditum vendo triginta aureis mihi ad certum tempus soluendis,perinde ago,ac si mutuarem viginti aureos , vt ad certum tempus triginta aurei redderentur. Pro mutuatione vero nihil licet accipere supra sortem,quia in hoc consistit iniquitas vsuræ , ergo neque pro dilatione solutionis vltra pretium rigorosum. Dixi notanter (hoc solum nomine)quia ex aliis causis, licitè fieri poterit,vt inferius dicemus.Et est conclusio definita ab Innocent. I I I. in cap.in Ciuitate extra de vsuris. Et tradit D.Thom.2.2. q.78.art.2.Caiet.ibidem. Sot.lib.6.q.4.art.1. Nau.c.17.num.243.Rebel.lib.9.q.11.& communis.

4 Hinc,qui in fine nundinarum,quo tempore ob emptorum penuriam decrescit pretium mercium,solétque esse longe minus , quam in principio, eas tamen dilata solutione tanti vendunt,quanti à principio nundinarum valebant,sunt vsurarij.

Hinc eadem ratione vsuram committunt cum restituendi onere,qui decrescente pretio frumenti propter superuentum pluuiæ, à qua anni fertilitas pendet , vendunt expectata solutione, pretio quo tempore siccitatis vendebant , quod est maius pretio rigoroso,quo nunc pecunia præsenti communiter venditur.

QVÆSTIO XXII.

An ratione lucri cessantis,vel damni emergentis liceat carius iusto vendere pecunia credita, quam numerata ?

1 IN qua re conuenit inter omnes,ratione damni emergentis fas esse vnicuique pluris rem vendere ad creditum,quam si statim pretium solueretur. Et ratio est, quia vnicuique est licitum se seruare indemnem.

Controuersia tamen est de lucro cessante.

2 D.Thom.2.2.q.78.art.2.ad 4. Scot. in 4. d.15.q.2.Duran.in 3.d.37.q.2.D.Ant.2.p.tom. 1.c.8.§.1.& Sotus lib.6.q.1.art.3. negant ratione lucri cessantis posse rem carius vendi ob dilatam solutionem , quia nemo potest vendere , quod suum nondum est , & potest multipliciter impediri.

Aliorum tamen omnium opinio est,posse mercatores carius vendere suas merces credito,quam ad numeratum, stantibus illis conditionibus,quas diximus desiderari, vt mutuans possit recipere lucrum cessans. Ita Caiet.2.2.q.78.art.2.ad 1.Nauar.c.17.nu. 211.& c.23. 82.Conrad.de contr.q.59.Salon. 2.2.q.78.art.2.Couar.lib.2. var. c. 3. num.6. Sylvest. verb. vsura 1. §. 19. & communis. Pro quo.

3 Primò dico,quod mercator qui rarissimè vendit ad creditum , & frequentissimè pecunia præsenti , & rogatus ab emptore vendit pecunia credita,cum possit pecunia præsenti,licitè potest carius pretio consueto vendere , ob dilatam solutionem,habita ratione ad lucrum cessans,quod eius industria statim pecunia soluta acquisiturus fuisset.Et ratio est,quia huic verè cessat lucrũ verisimile & probabile,cuius cessationis fuit causa sola venditio ad creditum.

Et

Et confirmatur, nam ſicut mutuans poteſt exigere lucrum ceſſans, quando illi reuera ceſſat ex mutuo, nempe quando pecunia quam mutuat erat in proxima potentia ad negotium, & lucrum ita & vendens pecunia credita poterit carius conſueto vendere ratione lucri ceſſantis, quando verè illi ceſſat lucrū ex tali venditione.

4 Quod intellige, quando quis vendit merces in magna quantitate, vt ſi in pecunia præſenti eſſet ſtatim venditurus magnā copiam tritici, & in aliis mercibus pecuniam conſumpturus, & ad inſtantiam emptoris vendat pecunia credita: non autem in mercibus minutis, vt in duobus, aut tribus menſuris vini, aut tritici, quia in his nullum eſt ferè lucrum ceſſans.

Secundò dico, quod mercator qui ad creditum ſuas merces vendit, quia non habet emptorem, qui ſtatim in pecunia numerata emat, & ſimul negotium in promptu, cui ſtatim pecuniam exponat cum probabili ſpe lucri, non poteſt in contemplationem lucri ceſſantis, aut damni emergentis carius pretio conſueto vendere ob dilatam ſolutionem Et ratio eſt, quia emptor in hoc caſu, non eſt cauſa vera amiſſionis illius intereſſe lucri ceſſantis, aut incurrendi damnum emergens, ſi quidem (vt ſupponimus) omnis emptor empturus erat ad creditum, cum nullus occurreret, qui vellet emere pecunia numerata.

5 Hinc, mercatores huius temporis qui ſub titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis volunt excuſare ſuos contractus vſurarios, non ſunt regulariter abſoluendi à confeſſariis, quia iſti parati ſunt regulariter vendere etiam pecunia credita prout commodius poſſunt.

Tum quia non eis occurrunt tot emptores, qui velint ſoluere pecuniam numerata, qua de cauſa vendunt etiam dilata ſolutione. Vnde iſti qui emunt pecunia credita, non ſunt cauſa amiſſionis lucri.

Tum quia ad vendendum pecunia credita, non tam mouentur ex charitate debita proximo, quam ex propria vtilitate, propter quam potius volunt ſic contrahendo augere pretium, quam pecunia numerata negotiando lucrari.

6 Tum quia hi qui ad creditū ſuas merces vendunt, ſi pecuniā haberent fortè nō eam negotiationi exponerēt, ſed eam pro alenda familia, vel in alios vſus inſumpſiſſent.

Tum quia nō ſemper eſt ſibi in promptu negotiatio, aut lucrum, vt ipſi arbitrantur.

Tum demum, quia huiuſmodi mercatores nunquā ſuas merces ad creditum venderent, niſi ex tali modo vendendi lucrum certum ſperarent; & quia aliunde non tam eſt certa ſpes lucri, ideo malunt ſuas merces carius iuſto pretio diuendere ad creditum pro ratione lucri ceſſantis, quam iuſto pretio pecunia præſenti. Ita Ban. 2. 2. q. 77. art. 4. Nauar. c. 25. n. 82. Cou. lib. 2. var. c. 3. nu. 6. Sylu. verb. vſura 2. q. 1. Rebel. lib. 9. q. 11. Mol. d. 355. Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 6. & alij.

7 Obiicies, pecunia præſens magis valet, quam abſens, & è conuerſo abſens minus æſtimatur, quam præſens toto illo tempore, quo abſens eſt, inutilis eſt, præſens vero eſt quaſi in actu vtilis, & in proxima potentia, ergo licebit carius vendere pecunia abſenti, & credita, quam præſenti, & numerata.

Reſpondeo, pecuniam præſentem per ſe, & abſolutè ſecluſa induſtria negotiatoris non plus valere, quam valeat abſens. Nam pecunia ſecundum ſe infructifera eſt, nec habet alium vſum in ratione pecuniæ, niſi quando diſtrahitur per induſtriam negotiantis, quare ratione temporis expectati non licet mercatori aliquid amplius pecuniæ exigere niſi fortè ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis vt dictum eſt.

8 Exiguntur autem ad huiuſmodi contractum rectè, & iuſtè faciendum a Doctoribus decem conditiones. Prima ſi mercator erat alioqui merces ſuas venditurus pecunia numerata.

Secunda ſi venditor erat aliàs pecunia pro ſuis mercib. accepta negotiaturus.

Tertia ſi non habeat aliam pecuniam otioſam, qua poſſet negotiari.

Quarta vt rogatus ceſſet à lucro, id eſt vt mercator non niſi ex conſenſu alterius contrahentis pecuniam à lucro diuertat.

Quinta vt non exigat lucrum rigide, ſed moderatè ad arbitrium prudentis, quia lucrum illud cum ſit in ſpe, minus valet, quam ſi eſſet in re.

Sexta ſi pretium minuat ratione periculorum quæ in negotiatione ſubiturus erat, impenſarúmque in ea faciendarum, habeatúrque ratio diminutionis mercium, quæ in earum conſeruatione interuenire debebit.

Septima vt probabiliter ſperetur lucrum iuſtum, expoſito pretio illius rei alicui negotio.

Octaua vt admoneat illum tempore contractus, ſe illi carius vendere, quia potuiſſet alteri in præſenti pecunia vendere, & cum illa pecunia lucrari, quod lucrum amittit, vt ipſi vendat pecunia abſenti.

9 Quæ conditio eſt tantum neceſſaria in caſu, quo quis cum damno ſuo aliquid præſtat in fauorem alterius precibus efflagitatus, vel inductus lege charitatis: ſecus autem eſſet, ſi metu, vel violentia addactus eſſet, ad id operis in fauorem alterius conferendum, quia tunc tali præmonitione nequaquam opus eſſet, & ratio eſt, quia hic, vis, vel metus incuſſor contra voluntatem damnum paſſi, illius damni fuit author.

Hinc, qui eſt in mora ſoluendi debitum, non tenetur ad reficiendum damnum ex tunc emergens, aut lucrum ceſſans, niſi poſt præuiam monitionem de illo factam, & adiunctam proteſtationem, qua creditor proteſtetur ſe nolle dilationem vltra concedere, niſi damnum ſibi exinde emerſurum, aut lucrum ceſſaturũ recompenſetur.

Nona conditio eſt, vt is, qui damnum ſubit, non teneatur ex obligatione iuſtitiæ, vel charitatis ſubire. Nam ſi obligatione ſaltem charitatis ad id teneretur, non poſſet ob id huius periculi, vel damni recompenſam exponere.

10 Decima & vlt. conditio eſt, vt is qui rogatus ceſſat à lucro, ita ſit affectus, vt reuera mallet negotiari cum ſpe lucri incerti, quam cum pacto illius compenſationis ſic contrahere. Sed hæc conditio non eſt neceſſaria quia poteſt contingere, vt & ſi quis malit cum pacto lucri ceſſantis pecuniam alteri credere, quam negotiari, licitè id faciat, dummodo ex vi eius pacti altero conſentiente, & non ante pecuniam à lucro abſtrahat. Ratio huius eſt, nam integrum eſt vnicuique, vt pro ſuo arbitratu malit potius vnum genus contractus ſiue negotiationis exercere quam alterum, ſi vtrumque eſt alioqui licitum. Vt tradit Valen. p. 3. d. 5. q. 20. p. 2.

QVÆSTIO XXIII.

An labores neceſſarij ſint à lucro ceſſante deducendi?

1 IN qua re vnum eſt certum, & aliud de quo merito poſſumus dubitare.

Hoc primum extra controuerſiam eſt omnibus ſcilicet labores neceſſarios ad lucri alias ceſſantis aſſecutionem non eſſe à recompenſa lucri ceſſantis deducendos, quando quis non ſponte, ſed coactus deſiſtit a lucro, ſicut mercenarius cuius diarium diurnum ſunt duo argentei, prohibitus ab aliquo non laborare, non tenetur deducere laborem à ſalario, ſed integrum accipere.

2 Quod autem in dubium vertitur id eſt, quãdo ſua ſponte, & rogatus vendere pecunia credita, ceſſat à lucro. Nam Palat. lib. 4. de contr. c. 4. Sylueſt. verb. vſura 1. q. 19. & alij docent omnes eſſe deducendos.

Oppoſitum tamen huius tenent Sot. lib. 6. q. 1. art. 3. Ban. 2. 2. q. 78. art. 2. & plerique alij. & merito quidem, quia ſi vendens pecunia credita non laborat, hoc prouenit ex parte ementis impedientis negotiationem illam, & ideo poterit vendere proprium otium damnificatiuũ rei familiaris.

Tum quia fingamus labores eius, cui ceſſat lucrum valere quinquaginta aureos, & propterea ex negotiatione lucraturus erat illam pecuniæ ſummam; ergo ſi laborum valor eſſet deducendus, nihil illi ceſſanti à lucro remaneret.

3 Quam opinionem cenſet eſſe veram Molina d. 316. in caſu quo iſte labor talis eſt, vt is, qui ceſſat à negotiatione nolit illum pecunia redimere, quia non minus otium, quam labor ei diſplicet.

QVÆST. XXIV.

An liceat vendenti, carius vltra limites iuſti pretij vendere expectata ſolutione ex eo quod merces pluris ei ſtant, quam ſit pretium currens?

1 RESpondeo non licere. Et ratio eſt, quia cum de eſſentia negotiationis ſit, vt mercator æqualiter ſit expoſitus damno, & lucro, ſi mercator vendens non debeat pati damnum, ſed ita vendere, vt ab illo ſit ſemper immunis, debebit ſimiliter ita vendere, vt non ſentiat lucrum, ſed ſolũ vendat quanti ipſi merx ſtat, quidquid habeat pretium fori, quia in contractu qui non vult ſentire damnum, non poteſt percipere lucrum. At ſecundum omnes, etiam ſi merces non ſtent mercatori omnibus cõputatis, niſi decem, ſi communi hominum

æſtima

æstimatione vendantur pretio vt viginti poteſt illo pretio currenti vendere. ergo ſimiliter ſi ſtent illi pretio vt viginti, communi autem hominum æſtimatione non valeant niſi decem, non poteſt aliquid amplius exigere ſupra decem, ſiue vendat ad creditum ſiue pecunia numerata. Niſi quãdo merces detuliſſet cum periculo, & labore ad locum, vbi nullum habent pretium quia ibi ſcilicet non venduntur, quia eo caſu in conſtituendo iuſtum earum pretium, habenda erit ratio periculorum, laborum, & expenſarum. Ita Sot. lib. 6. q. 4. a. 1. Mol. d. 355. Couar. lib. 2. var. c. 3. nu. 4. & alij.

QVÆSTIO XXV.

An liceat merces carius iuſto pretio vendere ad creditum, ob periculum, cui mercator ſic vendens ſe exponit non recuperandi pretium?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum qui dilata ſolutione vendit, ſi probabile timeat periculum amittendi pretium, licitè poſſe pro illo periculo, ſi forte poſtea contingat reſarciendo, expoſcere aſſecuratorem, vel fideiuſſorem. Et ratio eſt, quia fas eſt vnicuique ſe ſeruare immunem à periculo, & indemnem ad ſic contrahendum ſcilicet pecunia credita.

Sed tota concertatio eſt, An pro hoc periculo via recompenſationis liceat in pretio aſcendere?

2 SOt. lib. 6. q. 4. ar. 1. Nau. c. 17. nu. 243. & c. 23. num. 81. Ban. 2. 2. q. 77. ar. 4. Tolet. lib. 8. ſum. c. 51. Lop. lib. 1. de contr. c. 51. Lop. lib. 1. de contr. c. 37. Cord. in ſum q. 84. Conrad, de contract. q. 59. & plerique recentiores negant ratione huius periculi fas eſſe mercatori ſuas merces carius vendere, vltra rigoroſum.

Alij vero affirmant cum Med. C. de reſt. q. 38. Arag. 2. 2. q. 77. ar. 4. Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 6. Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. Val. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 2. Mol. d. 356. Roder. p. 2. ca. 83. n. 3. & aliis.

3 At ego ſatius duco in hac parte fore per diſtinctionem reſpondendum, qua hæ duæ opiniones poterunt facilè inter ſe conciliari, nam duplex eſt periculum, cui ſub eſt res vendita ad creditum, Alterum intrinſecum ſcilicet caſus, vel fortunæ & ratione huius periculi non poſſe vendentem pecunia credita aliquid exigere vltra iuſtum pretium, & in hoc ſenſu vera eſt prima opinio, quia is qui vendit ad creditum ex natura cõtractus ſubiicit ſe eiuſmodi caſibus. & periculis, & talia incommoda ſuſtinere compellitur. Alterum vero extrinſecum, & accidentale ortum, non ex ipſa venditione ſed ex conditione, ingenio, & ſtatu emptoris, quia nimirum eſt fraudulentus, vel pauper, vel fugitiuus, & ratione huius periculi poſſe aliquid petere vendentem, expectata ſolutione, quia quãuis ſolutionem expectare non ſit venale, nec pretio æſtimabile, rem tamen ſuam pro altero iactare, aut eam periculo perdendi exponere venale eſt pretioque æſtimabile, ergo poterit venditor pro illo pretium accipere.

4 Deinde ex conſenſu omnium, mutuator licitè poteſt deducere in pactum damnum emergens reuera ex mutuo. At vendere pecunia credita, eſt quoddam mutuum implicitum, & tacitum, periculum vero de quo loquimur quando eſt verum, & non fictum eſt damnum quoddam, quod naſcitur ex tali venditione, ergo licebit ratione iſtius periculi aliquid exigere ſupra iuſtum pretium.

Præterea fideiuſſor vt pro aliquo fideiubeat poteſt aliquid exigere pro illa fideiuſſione, & hoc non alio nomine, niſi quia exponit ſe periculo ſoluendi pro alio, ergo ſimiliter vendens pecunia credita, quando verè ſe exponit periculo non recuperandi pretium, poterit pro illo aliquid amplius petere.

Demum centum aurei probabili periculo expoſiti minus valent, quam ipſimet centum citra periculum, ergo fas eſt vnicuique illos emere pro nonaginta, non alio nomine, quam pro periculo, cui expectatum creditum exponitur, ac proinde ſi quis rogat alterum, vt ſibi aliquid vendat pecunia credita, de cuius ſolutione probabiliter timet, poterit ratione illius periculi aliquid ſupra iuſtum pretium exigere.

5 Dices, hanc periculi ſuſceptionem eſſe pretio æſtimabilem quando venditor coactus, & non propria ſponte tale periculum ſuſtinet.

Reſpondeo. ſi illud periculum reuera eſt venale, pretioque æſtimabile, vt etiam Sotus fatetur, quid refert voluntariè, vel

coactè illud subire, cum semper res suum habeat valorem?

Obiicies, in cap. Nauig. de vsuris, summus Pontifex definit esse vsurarium eum, qui ita mutuat, vt ratione periculi cui res mutuata exponitur, augeat pretium: atqui vendere ad creditum, est quoddam mutuum implicitum, & palliatum, ergo non licet sic vendenti aliquid accipere ratione illius periculi.

6 Respondeo, Pontificem ibi solum definire esse contractum vsurarium mutuare pecuniam nauiganti cum pacto, vt mutuatarius teneatur paciſci cum mutuante de illo periculo, & ratione illius periculi vltra sortem aliquid ei conferre: At nos contendimus posse venditorem rogare ipsum emptorem, & conuenire cum illo, vt suscipiat in se periculum illius pecuniæ alio transferendæ, præstito illi iusto pretio illius periculi. Ita Caiet. 2.2.q.78.ar.2.

7 Cæterum licet hæc doctrina vera sit, exigunt nihilominus vt tuta conscientia possit in praxim duci, quatuor conditiones. Quarum prima est, vt periculum sit verum, & non fictum.

Secunda, vt venditor non cogat emptorem, vt se potius, quam alium pro periculo sustinendo accipiat.

Tertia, vt non plus accipiat, quam ipse libenter alteri daret ad simile periculum redimendum, si necesse foret.

Quarta, vt de incremento iusti pretij emptorem admoneat, vt liberè in illud consentiat, sicut diximus de damno emergente. Aragon. 2. 2. quæst. 78. art. 4.

8 Est autem hic considerandum, quod facta conuentione de maiori pretio præstando ratione periculi, tuta conscientia potest accipi, & retineri si à principio fuit datum, esto secura euaserit fors, nec aliquod fuerit periculum subsecutum. Et ratio est, quia non pro certa amissione, sed pro dubietate, & periculo sortis fuit illud incrementum promissum, quod reuera passus est creditor.

Hinc eadem ratione licitum est è contrario rem vilius emere anticipata solutione, quam secundum se valeat, ratione verisimilis periculi, quod de ipsius traditione habetur, vt tradit Aragon. 2.2. quæst. 77. a. 4.

QVÆSTIO XXVI.

An qui vendit ad terminum, possit aliquantulum augere pretium vltra rigorosum rationem expensarum, quas probabili sane ratione timet se facturum in repetendo, & recuperando pretio suarum mercium?

1 Silues. verb, vsura 2. quæst. 5. & in sua rosa aurea casu 16. confet vendere carius ratione expensarum, quas quis timet esse rem periculosam, & laqueum diaboli: quia etto statuat restituere; incrementum pretij, emptore fideliter soluente, potest tamen interim venditor, vel mutare voluntatem, aut eius obliuisci, aut mori, & ita emptor cogitur totum soluere.

Nauar. cap. 23. num. 84. astruit in venditione ad tempus ratione periculi expensarum licitum esse aliquid plus vltra iustum ascendere, dummodo proponat id à debitore non exigere, si absq; sumptibus præstituto die debitum mercium soluerit. Verum quia hæc sententia nõ videtur carere scrupulo, quia venditor potest mutare voluntatem, aut sui propositi obliuisci, aut interire, & sic emptor totum cogeretur soluere Nauar. probè ait, quod occurri potest huic periculo, si venditor chirographum subscriptum tradat emptori, quo promittat se tantum de pretio dimissurum illi si præfixo termino, sine expensis soluerit debitum mercium, quantum iusto pretio addidit.

2 Contraria tamen sententia est hodie communis inter Doctores, nempè fas esse mercatori ratione huius periculi expensarum, & laborum extraordinariorum merces suas carius iusto pretio vendere, quam secundum se valeant: possèq; cum emptore conuenire de huiusmodi periculo dupliciter Primo indeterminatè nempe vt debitor teneatur tantum soluere pro expensis, quantum euentus postea patefecerit: ita vt si postea ex euentu deprehensum fuerit, pretio non soluto, expensas ascendisse ad pretium decem aureorum, teneatur pro eis soluere decem. Secundò determinatè, nempe stipulando a principio cum emptore vt aliquid determinati promittat pro periculo expensarum, & laborum, cui venditor se exponit, ita vt illud incrementum transeat in dominium venditoris, etiãsi nullas deinde patiatur expensas

vel

Digitized by Google

vel labores in recuperando pretio. similique illo sit contentus, etiam si maiores faciat expensas, maximoque subeat labores. Ratio huius est, quia exponere se tali periculo, est pretio æstimabile, ergo pro eo potest aliquid exigi. Ita Sot. lib. 6. q. 4. a. 1. Arag. 2. 2. q. 77. ar. 4. Valent. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 2. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 6. Cord. in sum. q. 78. Petr. Nau. lib. 3. de rest. c. 2. n. 110. Med. C. de rest. q. 38. Mar. Nau. c. 23. nu. 83. & alij.

3 Requiruntur tamen ad hoc duæ conditiones.

Prima est, vt tale periculum sit verum & non fictum.

Secundo, vt non cogatur emptor potius pacisci de periculo expensarum, quam de expensis, sed relinquatur in suo arbitrio: & si enim periculum illud expensarum, quas probabiliter venditor timet se facturum, sit ab initio æstimabile pretio, non potest tamen alter cogi, vt pro ipso periculo aliquid conferat. Nam si emptor paratus est soluere per fidelem fideiussorem, vel pignus expensas omnes, quas euentus patefecerit, venditor seruatur indemnis Si tamen emptor sit indifferens vtro modo pacisca tur, vel malit pro periculo certo pretio pacisci, quam pro incertis expensis manere in dubio, potest venditor acceptare pactum; & quamuis expensas postea nullas patiatur, poterit tamen conuentum exigere, nam periculum cui venditor subijt pretio erat æstimabile. Quod puto esse verum de expensis absque culpa, & mora debitoris faciendis. Nam de his quæ ex culpa ipsius fient, non arbitror emptorem ex præfata conuentione liberum esse soluendo, alioqui dolus, & culpa illi suffragarentur, quod omnino videtur iniquum. Ita Arag. 2. 2. q. 77. ar. 4.

QVÆSTIO XXVII.

An ratione anticipatæ solutionis liceat minoris emere?

1 IN qua re cõuenit inter omnes fas esse emere rem vilius propter anticipatam solutionem, dummodo pretiũ quo vendit, non sit extra latitudinem iusti pretij infimi, quo illa secundum se valet. Et ratio est quia cum pretium infimum sit iustum rei pretium, nulla committitur iniustitia.

Tota ergo difficultas consistit. An qui ea præcisa ratione, qua anticipat solutionem, possit tuta conscientia ita pretium diminuere, vt infimum non attingat?

2 RESP. non posse. Ratio est, quia pretium rerum tantum est, quanti cõmuni hominum æstimatione æstimantur, cum traduntur, ergo qui minus emit merces quam valeant tempore traditionis iniustitiam committit.

Tum quia ista anticipata solutio pecuniæ habet rationem mutui, vnde quidquid propter huiusmodi anticipatam solutionem minus iusto pretio solvitur quasi pretium mutui retinetur ab emptore, quod est vsura. Vt rectè docet D. Th. 2. 2. quæst. 78. ar. 2. Molina d. 355. & 357. Lop. lib. 2. de contr. cap. 4. Ban. 2. 2. q. 77. ar. 4. Less. l. 2. c. 21. dub. 7. & Arag. 2. 2. q. 77. ar. 4.

3 Dixi notanter (eo præcisa ratione &c.) quia ex alijs causis licet interdum minoris emere ratione anticipatæ solutionis. Vt si per illam anticipationem ad instantiam vendentis, emptor patiatur damnum, vel lucri iacturam.

Deinde ratione dubij probabilis, quod timet, venditorem scilicet non traditurum rem tempore constituto, vel ob impensas quas probabiliter credit se in re recuperanda facturũ, vel ob laborem & molestiã quam anxio animo sustinere cogitur, ob moram redditionis rei quam futuram metuit, hæc enim omnia æstimabilia sunt.

QVÆSTIO XXVIII.

An liceat emere lanarum copiam anticipata solutione minoris infimo iusto pretio, quam res illæ tempore traditionis sint valituræ?

1 IN hac re, sanè dubia, & perplexa certum est in primis, anticipatas emptiones rerum, quæ adhuc futuræ sunt, nec dum actu existunt, sed in sola potentia, vt partus futurus, iactus retis, fructus nondũ natus, licitas esse & honestas, modo iusto pretio fiant. vt sancitum est in cap. Nauig.

2 Secundo certum est, mercatores qui ob anticipatã solutionem patiuntur iacturam lucri, quia nimirum aliquo tempore ante traditionem mercis carent sua pecunia, quam decreuerant aliis negotiis tradere, posse tanto minoris emere, quam valeant tempore traditionis quanti æstimatur spes lucri, qua se per anticipatam solutionem priuant. Ratio est, quia anticipata solutio

eſt quædam tacita mutuatio, ergo ſicut mutuans poteſt paciſci de lucro ſibi ceſſante ex mutuo, pari ratione poterit emés anticipare merces, quas non inſtituebat emere, emit tamen in gratiam, & vtilitatem venditoris, paciſci per diminutionem pretij de lucro, quod illi ex tali emptione ceſſat.

3 Tertiò eſt certum, mercatores qui ita lanas, vel aliam quamcunque rem anticipata ſolutione emunt, vt ſuſcipiant in ſe pericula, & damna illi accidentia, ita vt ſi res illa pereat, ipſis pereat, poſſe vilius emere, quantum prudens, & peritus in eo genere mercium iudicaret detrahendum eſſe à pretio illarũ ratione illius periculi. Ratio eſt, quia res, quæ nondum in actu eſt ſed in potentia, poteſtque variis adhuc modis impediri, minus valet ſeipſa iam exiſtente in actu & ab illis periculis libera.

Quartò eſt certũ, mercatores qui ob anticipatam ſolutionem probabili ſanè ratione timent, quod venditores non præſtabũt totum pondus, vel non ſinceras merces, ſed infectas, & ſordidas, aut infimæ notæ, poſſe à pretio, quod habebunt tempore traditionis, tantum minuere, quanti iudicio boni viri talis metus valebit.

4 Quintò & vltimò etiam eſt certum non poſſe emptorem iuſtum rei pretium minuere propterea quod venditori expediat vendere, neque propterea quod emptori expediat emere, poſſe venditorem carius vendere. Nam quod venditori expediat vendere non eſt vtile ipſi emptori, ſed venditori ſimiliter quod emptori expediat emere, non eſt vtile ipſi venditori, propter vtilitatem autem alienam nulli licet iuſtũ pretium rei, quæ venditur, augere vel minuere. Hæc itaque certa ſunt.

Tota igitur controuerſia verſatur de mercatore qui non coactè, ſed propria ſponte emit lanas anticipata pretij ſolutione, ita vt per illam anticipationem ipſi nullam lucrum ceſſet, vel damnum patiatur: emitque illas omnibus periculis quæ gregibus euenire poſſunt vſque ad tempus attenſionis, & actualis traditionis lanarum manentibus penes paſtores, illiſque ſolum imputandis?

1 IN hac quæſtione duæ extant opiniones. Prima eſt aſſerentium lanas anticipata ſolutione poſſe minoris emi. Et ratio eſt, quia ſicut modus vendendi pecunia credita pretium auget, quia inducit multitudinem emptorum, ita è contrario modi vendendi anticipatè illud diminuit, quia inducit rariratem emptorum, & multitudinem venditorum, nam pauci ſunt qui hoc modo lanas emunt, & plurimi qui vẽdunt, iuſtum ergo pretium lanarum, quæ hoc modo venduntur, minùs eſt pretium earũ tempore traditionis. Ita Sot. lib. 6. q. 4. art. 1. Molina diſ. 360. Cordub. in ſum. q. 85. Palat. ſuper Caiet. c. 3. Magiſt. Cano. Ioan. à Penna Franc. Victoria, & multi alij ex recentioribus Thomiſtis. Hanc opinionem quamuis non teneat, tamen vt probabilem tuetur Lop. lib. 1. de contr. cap. 41.

2 Secunda vero opinio eſt affirmantium nulla ratione licere, vt lanæ anticipata ſolutione minoris emantur. Et ratio eſt, quia emere rem vilius, quam valet tempore actualis traditionis propter anticipatam ſolutionem iniquũ eſt, & vſurarium ex D. Tho. quem communiter Doctores ſequuntur; ſed qui emit lanas eo modo, quo diximus, emit illas vilius, quam valent tempore traditionis; ergo.

Et confirmatur, emere anticipata ſolutione lanas decem argenteis pro ſingulis earum ponderibus recipiendis tempore, quo ſolent conſtare duodecim, perinde eſt, ac ſi quis menſe Ianuarij mutuaret decem argenteos, vt menſe Maij, pro eiſdem reciperet duodecim, ſed hoc eſt euidentiſſima vſura, ergo contractus lanarum uſura non caret.

3 Deinde lanæ tempore traditionis pluris æſtimantur, quam pro eis ſoluitur anticipatæ; ergo non emuntur iuſto pretio. Probo conſequentiam, iuſtum pretium rei eſt quanti ipſa res valet tempore traditionis, non autem tempore conuentionis. Ita tenent Nauar. c. 23. nu. 82. Med. C. de reſt. q. 38. Mercat. lib. 3. de contr. c. 9. Rebell. lib. 9. quæſt. 11. Garc. de contr. fol. 39. & Bar. Med. in ſua inſt. §. 23. de vſuris.

4 Cæterum cum in propoſita quæſtione pro vtraque parte exiſtant Doctores grauiſſimi, nó dubito, quod ſpectat ad praxim mercatores qui non valent veritatem attingere, poſſe lanarum copiam tuta conſcientia anticipata ſolutione vilius emere, quia in re dubia, & in qua Doctores tantæ eruditionis decertant, licet adhærere cuilibet opinioni, & ſi opinio oppoſita ſecu-

rior

rior sit. Quocirca confessarius qui teneret cum Nauar. dissuadeat quidem si valeat mercatorem ab hoc contractu, & pretio vt securius agat: at si mercator affirmet se pretium illud habere pro iusto, quia nouit à Soto, Molina, Victoria, aliisque recentioribus Thomistis non damnari tunc eum absoluat, ac dimittat in sua opinione.

QVÆSTIO XXIX.

An merces maritimæ, quæ non possunt vendi nisi expectata pecunia, alias non posset iustum percipi pretium, possint vendi carius expectata pecunia, propter modum vendendi in magna quantitate, quam venderentur pecunia præsenti in parua quantitate?

1 PRo intelligentia huius quæstionis obseruandum est primò, merces quæ venduntur esse in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ communiter, & vt plurimum venduntur pecunia numerata, quamuis interdum vendantur pecunia credita, cuiusmodi sunt, quæ vsui humano sunt necessariæ, vt vinum, oleum, panis, & similia, quæ satis constat ex supradictis non posse cariore pretio vendi ratione expectatæ solutionis, sed eodem pretio fori vendenda esse, siue præsenti pecunia, siue absenti vendantur.

Aliæ vero sunt quæ nunquam, aut raro venduntur nisi credito ad aliquod tempus pretio, tales in primis, sunt quæ in magna copia nauigiis ex India, aliisque locis aduehuntur, quæ vendi nequeũt pecunia numerata, quia talium merciũ tanta est copia, vt breui ea vendi tota non possit; quapropter naues diu in portu expectare nequeũt cum ibi diutius saluæ minimæ consistant. Et de huiusmodi mercibus est controuersia inter Doctores. An possint carius vendi pecunia credita, quam venderentur pecunia numerata?

2 Ambigua est quæstio, quæ pro vtraque parte fautores habet non paucos. Sunt igitur qui dicunt id esse licitum. Ita Sot. lib. 6. q. 4. art. 1. Molina d. 357. Tolet. lib. 8. sum. cap. 50. Victoria, & Magist. Cano, quibus subscribunt plerique ex recentioribus Thomistis. Et probant, quia cum istæ merces non possint ea copia, quæ expedit Reipublicæ, & emptores desiderant, præsenti pecunia vendi, necessarium fuit instituere modum eas vendendi credito, seu ad terminum, qui modus facit, vt mox plurimi emptores sese offerant, quarum copia facit pretium accrescere; & sic non venduntur carius præcisè ob dilatam solutionem, sed quia iste modus vendendi per accidens facit pretium crescere, alliciendo copiam emptorum. Hanc opinionem censent esse probabilem Couar. lib. 2. var. cap. 3. nu. 6. & Less. lib. 2. cap. 21. dub. 6.

3 Alij vero è contrario negant id esse licitum, non enim est causa, cur nauticæ merces potius, quam aliæ excipiantur, quoniam natura contractus postulat vt merces non vendantur carius credito pretio, quam numerato, at rei natura vbique, & semper, & in omnibus eadem est.

4 Tum quia vsurarium est res carius vẽdere vltra latitudinem iusti pretij, sola cõtemplatione dilatæ solutionis, sed quando merces, quæ pecunia credita venduntur pretio vt centum, in pecunia numerata venduntur pretio vt octoginta, certissimum est illud incrementum pretij non exigi nisi ratione expectatæ solutionis, ergo. Ita tenẽt Nau. c. 23. n. 82. Med. de vsur. q. 38. Val. to. 3. d. 5. q. 20. p. 2. Cord. in sum. q. 84. Rebell. p. 2. de oblig. li. 9. q. 14. Garc. p. 1. c. 23. de contr. Mercat. lib. 2. de contr. cap. 13. fol. 76. & multi alij.

Sed quamuis prima opinio probabilis satis censeri debeat, tum propter authoritatem Doctorum, qui illam sequuntur, tum propter argumenta, quibus illa nititur, quæ satis videntur vrgere, secunda tamen plerisque recentioribus viris certè eruditis, & grauibus probabilior multò, & verior visa est, ac meritò quam nos etiam amplectendam censemus, quia argumenta, quibus illa fulcitur efficacissima sunt.

QVÆSTIO XXX.

An liceat emptori cum venditore pacisci, vt teneatur illi vendere merces pretio infimo, quo tempore traditionis valebunt?

1 PAlat. lib. 4. de contractibus cap. 3. affirmat.

2 At vero Lop. lib. 1. de contr. cap. 40. negat, & meritò, quidem quia cum anticipata solutio sit quædam tacita mutuatio, & obligatio ista impositа venditori vt tenea

teneatur tradere illi suas merces infimo pretio, sit pecunia æstimabilis, quia expoliat se per illam, libertate, & facultate vendendi alicui alteri pretio supremo, vel mediocri, efficitur, vt qui pecunia anticipata emeret ac solueret illarum pretium reciperet pro illo, non modo res ipsas, verum etiam obligationem illam venditori impositam pretio æstimabilem, quod est iniquum, & vsurarium.

Tum quia sic melior esset emptoris conditio, quam ipsius venditoris.

QVÆSTIO XXXI.

An liceat pro minori pretio emere pagas acerbas ideſt debita ſoluenda in poſterum, quando emuntur pretio anticipato videlicet ante tempus conſtitutum: verbi gratia. Vtrum centum ducati ſoluendi poſt vnum, vel duos annos poſſint modo vilius emi, vt nonaginta?

1 IN qua re conuenit in primis inter omnes, talia debita posse minoris emi, quando emuntur pretio anticipato, si difficilis, vel ambigua sit solutio, vel cum molestiis, & expensis obtinenda. Et ratio est, quia hæc omnia pretio æstimantur.

2 Secundo conuenit posse huiusmodi debita minoris emi, ob anticipatam solutionem, ratione damni emergentis, quia vt emptor habeat pecuniam vendit merces vilius, quam valent. Vel ratione lucri cessantis, quia de pecunia quam antè tempus soluit erat verisimiliter aliquid lucraturus.

Tota igitur difficultas conſiſtit, quando debita ſunt liquida, hoc eſt nulli difficultati, aut periculo expoſita, & in quibus emptor nullum patitur intereſſe?

1 ILluſtriſſimus Caietan. in ſum. verbor. vſura cap. vltimo. Nau. cap. 17. nu. 232. Armil. verb. vſura num. 50. & 51. & Roſell. eodem modo 2. §. 15. ſentiunt talia debita poſſe minoris emi. Et probant, quia res vtilis ſtatim, ſecundum communem æſtimationem, plus valet, quam res inutilis ſtatim, & vtilis in futuro; ergo pecunia præſens vtilis ſtatim plus valet, quam pecunia nunc inutilis & vtilis poſtea, atque adeo minori ſumma poteſt emi.

Deinde, qui emit debitum centum aureorum, qui ſoluendi ſunt in poſterum non emit centum, ſed ius, & actionem ad centum; minus autem eſt habere actionem ad rem, quam rem ipſam vt habetur ex lege minus ff. de Reg. iuris.

2 Tandem qui pro centum in futurũ ſoluendis ſtatim in pecunia numerata alia centum redderẽtur, venditor haberet pluſquam debet habere: at hoc eſt cõtra iuſtitiam, ergo pro cẽtum futuris, non ſunt reddenda in præſenti alia centum, ſed pauciora nimirum nonaginta. Minor propoſitio eſt per ſe nota. Maior vero habetur inſt. de act. §. placuit vbi dicitur, plus ſoluit, qui antè tempus ſoluit.

3 Magiſter Ioannes à Penna in ſua lectura caſuum conſcientiæ aſſerit hunc contractũ antè factum, eſſe ſuſpectum de vſura, & reiiciendum, poſt factum vero tolerari poſſe nec eſſe cogendum ad reſtitutionem eũ, qui pagas acerbas vilius emit, cum opinio Caie. ſit probabilis & in praxi tuta, nec refert quod debita ſint certa, nam deficere poſſunt multis ex cauſis, & ſatis eſt, ſi ſit vera emptio, vt eſt in huiuſmodi contractu, & non mutuum, præſertim cum Calixt. III. & Sixt. IV. teſte Sylueſt. verb. vſura 2. quæſt. 14. conceſſerint vt huiuſmodi debita poſſint minoris emi.

4 Communis tamen Theolog. Shola fatetur talia debita non poſſe minoris emi. Ita Sot. lib. 9. q. 4. art. 1. Arag. 2. 2. q 77. art. 4. Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 8. Lop. lib. 1. de contract. c. 3. Ban. 2. 2. q. 77. ar. 4. Roder. p. 2. ſum. c. 83. Med. C. de reſt. q. 33. Sylueſt. verb. vſura 2. qu. 14. Ang. eodem verb. nu. 63. & 64. Roſell. ibid. nu. 50. & alij. Huius ſententiæ fuit D. Tho. in opuſc. 67. de empt. & vendit. ad tempus, ad lectorem Flor. circa finem. Ratio huius eſt, quia ius ad centum recipienda hinc ad annum aut ad duos annos, ſemoto omni dubio, & periculo, & damno emergente & lucro ceſſante, re vera non minus valet, quã centum. Nam ius centum aureorum, nihil aliud eſt, niſi ipſa ſumma centum aureorum, ergo iniquum eſt illud emere pro nonaginta

Tum quia in huiuſmodi contractu, ſub ſpecie emptionis lata ſimulata mutuatio, ratione anticiparæ ſolutionis, quia re vera non eſt aliud, quam mutuare nonaginta de præſenti, pro centum in fine anni. At recipere centum pro nonaginta, eſt recipere lucrum ex mutuo, ergo eſt vſura.

Tum quia ſequeretur ex iſta ſententia

Caiet.

Digitized by Google

Caietan. posse emptorem emere vilius iusto pretio, quando anticipato pretio emit.

5 Tum quia si fas esset, debitum minoris emere, quam continet, hoc ideo esset, quia præsens pecunia, quam nunc emptor soluit, pluris æstimaretur, quam pecunia absens. Hoc autem quis neget lucrum esse vsurarium? sic enim cuique mercatorum liceret pluris merces vendere credita, quã numerata pecunia.

Tum quia sequeretur ex sententia Caiet. vt quo magis anticiparetur solutio pretij, eo magis minueretur pretium, quod est plusquam falsum, quia tunc ratione temporis longioris, vel breuioris pretium cresceret, vel decresceret quod est vsura.

Tum demum sequeretur ex ista sententia, posse debentem centum post biennium, sic pacisci cum suo creditore, debeo tibi centum, quæ non teneor soluere, nisi post biennium, reddam tibi nunc nonaginta pro toto debito, & ero liber, quod tamen non licet vt respondit S. Thom. lectori illi Florentino, vt refert Syluest. ergo neque licet illud, quod dicit Caietanus.

6 Nau. fatetur hoc sequi ex opinione Caiet. non tamen illud habet pro inconuenienti. At Caiet. negat illud sequi, asserens esse magnam differentiam inter ipsummet debitorem, & alium tertium, quia debitor ipse tenetur debitum illud reddere certum & liquidum creditori ex vi contractus inter ipsos initi, ad quid non tenetur alter, & ita debitor nullo modo potest illud minuere, nisi ratione interesse tantum, ergo.

Et ad argumenta in contrarium adducta respondeo, ius ad pecuniam minoris æstimari, quam ipsam pecuniam, eo quod ius, & actio natura sua videntur semper periculis obiecta ob casus fortuitos, qui in rebus humanis contingunt. Vel quia qui dat pecuniam præsentem, priuat se aliqua potestate, aut commoditate, quam non habet per ius, & actionem.

Nec obstat, quod hic emitur actio, seu ius exigendi, vel spes, quæ minus valent. Quia hoc est verum, quando spes non est certa, & actio, vel ius habet annexum aliquod periculum, aut laborem, vt rectè docet Syluest. verb. vsura 2. §. 14.

Nec etiam obstat illud, quod plus soluit, qui ante tempus soluit, quia illud procedit tantum in eo, qui obligatus soluere, ante tempus soluendo, patitur interesse.

QVÆSTIO XXXII.

An possit ipsemet debitor suum debitum, quod alteri debet minoris extinguere, eo quod soluat ante tempus constitutum? v.g. debeo tibi centum soluenda post biennium, & quia tu transacto primo anno indiges pecunia, à me petis, vt pro toto debito soluã anticipatè nonaginta. Quæritur nũc An tuta conscientia possim redimere debitũ centũ aureorũ, tibi soluendo anticipatè nonaginta?

1 D. Thom. opusc. 67. resp. ad lectorem Flor. Caiet. in sum. verb. vsura c. 3. Sot. lib. 6. q. 4. ar. 5. Rebell. lib. 9. q. 13. Sylu. verb. vsura 2. q. 14. Med. C. de vsur. q. 38. Mol. d. 361. & Conrad. q. 67. de contr. putant non licere.

2 At Nauar. cap. 17. num. 231. & Less. lib. 2. de iust. cap. 21. dub. 8. contendunt tuto posse debitum meum minoris emere, non quidem semper, sed tunc quando tu ius, & actionem quam in me habes, alteri emptori venderes minori ptetio. Nam si quiuis alius potest emere à te ius quod habes in me, possum quoque ego ipse totidem aureos tibi offerre, & soluere, & me à debito centum aureorum liberare, non enim ego debeo esse peioris conditionis in emptione illius iuris, quam alij. Nisi fortè ego sim causa, cur tu velis vẽdere, vt si me præberem difficilem ad soluendum: tunc enim non possem eo pretio emere, quo alij. Et ratio huius est, quia teneor illam difficultatem tollere, & præ se ferre solutionem fore facilem, & securam tempore conuento. Vnde ob illam difficultatem non possum meum debitum minoris redimere, Alij tamen possunt, quia non sunt causa illius difficultatis, nec tenentur eam tollere.

3 Cæterum quamuis hæc opinio Nauar. probabilis satis censeri debeat propter authoritatem Doctorum qui illam amplectuntur, tum propter rationem, qua illa nititur, opinio tam Caietani plerisque recentioribus viris certè eruditis, & grauib. probabilior multo, & verior visa est, ac merito, quam nos etiam amplectendam censemus. Primo quia talis redemptio videtur esse planè vsuraria, quia eo solum, quod anticipatò soluit, suum debitum minuit, ergo ratione temporis minus soluit, quam debet, quod est vsura.

Secundo quia est magnum discrimẽ inter debitorem

debitorem, & alium tertium vt docet S. Tho. ad illum lectorem Florentinum, quia debitor ex vi contractus tenetur debitum illud ſecurum reddere, ad quod non tenetur alter, & ita debitor nullo modo poteſt detrahere aliquid ab integra quantitate debiti, niſi aliquo legitimo titulo qualis non eſt anticipare ſolutionem.

Tertiò quia debitor ratione conuentionis totam ſummam ſoluere tenetur, nec poteſt de illa minuere, niſi tantum ratione intereſſe. Tertius verò cum ad nihil teneatur, poteſt illud debitum minoris emere, non ſolum ratione intereſſe, ſed etiam aliis rationibus ſcilicet labore, expenſis, difficultate & huiuſmodi, quæ non militant in debitore redimente.

4 Poteſt tamen opinio Nau. recipi, primò quando creditor gratis, & liberaliter aliquid debitori tribuit, & debitor non ob anticipatam ſolutionem accipit.

Secundò poteſt recipi, quando propter damnum propriæ rei huiuſmodi ſuperabúdantiam recompenſat, vt quando non poteſt habere pecuniam ſine alicuius rei propriæ alienatione & damno, puta quia vendit merces vilius quam valerent tempore ſolutionis debiti, vel quia de pecunia illa erat probabiliter aliquid lucraturus.

QVÆSTIO XXXIII.

An debita in futurum ſoluenda, poſſint interdum redimi dimidio pretio?

1 REſpondeo poſſe ſi eorum ſolutio tã ſit difficilis obtentu, vel tam incerta vt ob hanc circunſtantiã coniunctam talia debita prudenter æſtimentur dimidio minoris. Vt ſi v.g. debitum per ſe conſideratum valeat centum, & difficultas vel incertitudo annexa ſit tanta, vt iudicio prudentum æſtimetur quinquaginta, tunc poteſt emi quinquaginta, & paulo minoris ſi difficultas, & incertitudo futuræ ſolutionis maior fuerit. Quod eſt verũ etiam ſi emptor peculiarem aliquam rationem habeat, qua facilè integram ſolutionem recuperare ſperet, hoc enim ab bonam ipſius fortunam pertinere exiſtimãdum eſt. Ita Mol. diſp. 361. & Leſſ. lib. 2. cap. 21. dub. 9.

2 Hinc ſi quippiam debitum ſit tibi à Rege, de quo paruam ſpem habes illud recuperandi: & ego mea induſtria, aut fauore, quem apud Regem, aut miniſtros illius habeam, ſperem me facilè illud recuperaturum, tũc ſi pro eo debito tibi dem, quantũ re ipſa tibi valet contractus ex natura rei erit validus, ac iuſtus ſine vllo reſtituendi onere, eſto ego facile totum debitum recuperem, magnumque commodum reportem. Ratio eſt, quia pretium iuſtum rei emptæ non eſt quantum illa valet emptori præſertim ob ſuam induſtriam, aut fauorẽ apud aliquem, ſed quantum res ipſa valet in ſe, atque venditori ipſi.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm ſi ſciam occultè debitorem meum non eſſe ſoluendum, poſſim alicui qui id ignorat, vendere illud debitum, pretio currente?

1 SVnt qui putant id fieri poſſe, & probant, quia qui vendit ſuas merces quanti communiter æſtimantur, non peccat, ſed iſte ſi vendit ſuum debitum, ergo.

Obiicies, iſta æſtimatio errore nititur, quia putant omnes illum debitorem eſſe opulentum.

2 Reſpondent, huiuſmodi errorem non verſari circa rei ſubſtantiam qualis eſſet ſi quis emeret debitum fictum, vel vitrum pro gemma, ſed circa aliquid extrinſecum, nempe circa conditionem quandam non rei, quæ venditur, ſed debitoris.

Hoc tamen non obſtante, oppoſitum eſt proculdubio affirmandum, quia ſicut ius fructuum agri ſterilis non poteſt vendi eo pretio, quo ius in agro fertili: ita ius in illum, qui eſt impotens ad ſoluendum. Vnde hoc vitium videtur intrinſecum rei, ac proinde manifeſtandum, vt docet Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 10.

QVÆSTIO XXXV.

An quis domum ſuam vendere queat, ea lege vt emptor cogatur ipſam domum locare eidem venditori?

1 REſpon. poſſe. Et ratio eſt, quia quemadmodum emptor poteſt pro ſuo libito emptam domum cuiuis alteri locare ſic etiam poteſt eam emere vt ſtatim eam domum locare debeat venditori. Vt colligitur expreſsè ex lege qui fundum ff. de contrah. emp. & tradit. rectè Nauar. cap. 17. num. 248.

QVÆ

QVÆSTIO XXXVI.

An quis possit rem suam vendere eo pacto vt emptor eam alteri vendere nequeat?

1 REspondeo posse. Et ratio est quia huiusmodi pactum non est contra, sed præter naturam emptionis. Et colligitur ex lege qui fundum ff. de contrah. empt.

2 Hinc eodem fundamento, potest quis rem suam alteri vendere, ea lege, vt quandocunque emptor eam vendere voluerit, debeat vendere ipsi venditori, aut suis cõsanguinitate, vel affinitate coniunctis, non alijs, huiusmodi enim pacta licita sunt, dũmodo minuatur aliquid de pretio ratione illius oneris, quod emptori ea lege imponitur, quia res oneri, vel seruituti subiecta, vilius æstimantur.

QVÆSTIO XXXVII.

An seruaturus merces in tempus futurum, in quo solent illæ magis valere, possit eas maiori pretio vendere, quam de præsenti, tempore contractus, valent?

1 REspondeo posse. Ita enim expressè definitur in c. Nauig. Ratio huius est quia res debent æstimari secundum quod vsui humano accommodantur; sed merces non erant distrahendæ, & vsui humano applicandæ, nisi pro tali tempore, ergo secundum illud tempus, quo erant distrahendæ, & vsui applicandæ, debent æstimari, alias pateretur damnum emergens, a quo vt dictum est, potest se venditor seruare indemnem.

Exiguntur autem ad iustificationem huius contractus octo conditiones.

Prima est, vt venditor verè habeat animum seruandi merces in tempus illud solutioni destinatum.

2 Secunda, merces talis sint naturæ, vt possint seruari in tale tempus, sine sui corruptione.

Tertia vt de pretio deducatur tantum, quantum si seruarentur ob ariditatem, aut quacunque alia de causa diminutæ fuissent iuxta expertorum Iudicium.

Quarta, vt deducantur ex pretio quo res illæ creduntur valituræ tempore illo, in quod seruantur, omnes labores, pericula, & expensæ necessariæ.

Quinta vt rogatus vendat, nec seipsum ingerat, vel offerat, id est, vt non nisi de consensu alterius contrahentis hoc faciat.

Sexta, ne summum, quo illo tempore augendum est, pretium accipiat, sed medium, ita quod si in vna parte talis mensis valuit decem, & in alia quindecim, & in alia viginti, non est nisi quindecim capiat.

3 Septima, vt à principio contractus, & tempore venditionis emptor de augmento pretij tunc currentis ratione damni, quod patitur vendendo eo tempore merces, quod in aliud sibi magis vtile seruabat, admoneatur.

4 Octaua, & vltima conditio maximè obseruanda est (quam parum curant venditores) vt taxatio pretij perinde fiat, ac si res illæ non essent antea venditæ, sed seruatæ vsque ad illud tempus. Vt si quis v. g. habeat in mense Augusti viginti millia saccos frumenti seruandos in mensem Maij, vendat vero illos mense Augusti pretio currenti, in mense Maij, non est taxandum pretium iuxta illud, quo de facto vendetur simile frumentum mense Maij, deficientibus illis viginti mille saccis frumenti, sed illud quod arbitrio prudentis venderetur, si illi viginti millia sacci frumenti existerẽt adhuc venales, fuissentque seruati vsque ad mensem Maij. Et ratio huius est, quia inopia mercium augetur pretium, & abũdantia minuitur. Ita Salon. 2.2.q.77.ar.2. Mol.d. 355. Sot lib.6.qu.4.ar.2. Aragon.2.2.q.77. art. 4. Couar. lib.2.var. cap.3. num. 6. Nauar. cap.17. num.239.

5 Hinc qui vendit triticum in mense Ianuarij non venditurus, sed seruaturus vsq; ad mensem Maij, concurrentibus prædictis conditionibus, potest vendere sub hoc pacto, vt quãdiu voluerit, ponat pretium currens, vel etiam quod soluatur pretium, quo valebit tali die, vel hebdomada, aut mense ita tamen quod si tali die, vel mense pretium fuerit varium, accipiatur mediocre. Quod puto esse verum, dummodo electio pretij communis, fiat intra tempus illud, in quod frumentum venditor erat venditurus.

Hinc, qui seruaturus merces vsque ad Maium, vendit eas dilata solutione, vsque ad illud tempus pretio maximo, quo valebunt vsque ad tempus illud est vsurarius.

Digitized by Google

rius. Ratio eſt,quia ratione dilatæ ſolutionis auget pretium,ponens ſe in tuto lucrãdi & perdendi Ita Molina diſp.355.& Lop. lib.2.de contr.cap. 66

QVÆSTIO XXXVIII.

An talis venditor ſeruaturus triticum vſque ad aliquod tempus poſſit taxare pretium de præſenti ſoluendum in futurum, dicendo dabis mihi quatuor pro ſacco quia ad tempus maioris valoris ſeruabam illud?

1 REſpondeo poſſe,ſi pro illo tempore, pro quo triticum vendendum deſtinabatur, creduntur futura plura pretia, dummodo vterque contrahentium ſe exponat æquali periculo damni, vel commodi, periculo ſcilicet maioris, vel minoris pretij: & ſic poterit illud vendere eo pretio, quo plus, minuſve illo tempore putatur valiturum, id eſt, pretio medio, inter ſummum & pium illius temporis, v. g. granum ſeruandum,modo tempore traditionis, valet quatuor & putatur quod in futurum valebit octo, vel decreſcet ad quatuor, ſatis eſt, ſi detracta æſtimatione cuſtodiæ, & periculi corruptionis, vel interitus rei, prætaxetur pretium certum videlicet ſex,quod eſt medium inter octo,& quatuor, idq; poterit poſtea accipere,licet poſtea triticum decreſcat ad minus ſcilicet ad tria,vel aſcẽdat ad decem.Securius tamen eſſet, ſi non taxato pretio, quando fit,venditio, & triticum actu traditur; ſed relicto eo incerto vſque ad tempus,in quo venditor res illas inſtituebat vendere, & tunc ſeruatis prædictis octo conditionibus, poterit exigere pretium mediocre, quia ſic nemini facit iniuriam, nec ſe ponit in tuto,ſed ſe tantum ſeruat indemnem. Ita Mol.d.355. Leſſ.lib.2.c.21.dub.4.Ban.2.2. quæſt. 77. art.4. & alij.

QVÆSTIO XXXIX.

An qui volebat deferre merces ad locum, vbi plus valebant poſſit eas vendere plus hic, vbi minus æſtimantur?

1 HOſtien. in cap. Nauiganti de vſuris negat.

2 Alij vero affirmant, poſſe venditorem vendere merces tantidem, quanti eſſet eas venditurus in eo loco,ad quem erat aſportaturus, & hoc ratione intereſſe, cuius iacturam ex venditione in tali loco ad inſtantiam emptoris facta patitur,ita tamen vt ex eo pretio,tantumdem deducat,quanti æſtimantur pericula,labores,& expenſæ quas feciſſet in ſuis mercibus deportandis. Et reuera ita eſt,quia quemadmodum mercator qui erat ſeruaturus merces ad tempus, quo plus forent valituræ, poteſt cum conſcientia pluris vendere ratione damni, quod patitur, ſic etiã aſportaturus merces ad locum,vbi plus æſtimantur, poteſt carius vendere, quam valeant in loco, vbi eas vendit.Ita Molina diſ. 364.

3 Et quod dicimus de venditore,de emptore pariter eſt dicendum, nam ſi emptor in hoc loco, & tempore non erat merces illas empturus, ſed in alio loco,& tempore,in quo ſperabat illas pro minori pretio quam nunc valent habiturus, & nunc rogatus à venditore eas emit,poterit deſcendere in pretio, dareque pro illis minus quam ſit pretium hic, & non currens: & hoc ratione damni,quod patitur,quod non tenetur gratis pro eo remittere; debet tamen deducere pericula,labores, & expenſas quas alioquin erat in alio tempore, & loco facturus.

QVÆSTIO XL.

An mercator qui non erat merces ſeruaturus vſque ad tempus, in quo plus erant valituræ,poſſit illas carius vendere, quam ſit pretium fori eo tempore,quo vendit?

1 ILluſtriſſimus Caiet.2.2.q.78.art.1.& in ſum.verb.vſura c.3.affirmãter reſpondet,quoniam inquit venditio non cenſetur perfecta, niſi facta ſolutione, ſed ſi fieret tempore ſolutionis, eſſet licita & iuſta,ergo ſimiliter ſi modo venditio illa, quæ fit nunc, pro tunc, erit licita, & iuſta. Hanc opinionem Sotus lib. 6. quæſt.4. art. 2. & Victoria cenſent eſſe probabilem, modo venditio fiat pecunia credita, ex defectu tantum emptoris, quia caret pretio, & merces ſeruabiles ſint ſine corruptione, vel diminutione ſui, vſque ad tempus ſolutionis. Et dummodo ſecundum Sotum vendens non paciſcatur à principio de pretio certo, ſed illud relinquat incertum vſque ad tempus,in quo tempore ſolutionis res illa venderetur pretio currenti. Ad eamdem ſententiã videtur accedere Conrad.de contr.quæſt.61.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc opinio Caietani (pace tanti viri sit dictum) falsa est, primo quia est contra communem omnium sententiam.

2 Secundo quia eius fundamentum nullum est, quia venditio perficitur, quando res traditur emptori, tanquam domino illius, etiam si differatur solutio in futurum ergo fundamentum Caietani nullum est.

Tertiò quia implicat contradictionem. dicere, quod venditio non est perfecta, & quod emptor maneat dominus rei, ita vt sibi stet, aut pereat, ergo fictitium est dicere, quod illa venditio fit ex tunc, nam reuera perficitur nunc, cum res traditur: siue expectata, siue numerata pecunia.

3 Quartò, quia ex sententia Caietani sequeretur, quod qui non erat merces seruaturus, licite posset carius illas vendere, quam qui erat seruaturus in futurum, in quo speratur pluris esse valituras. Probo consequentiam, nam qui erat seruaturus, tenetur descendere de pretio tantum, quantum æstimantur custodia, & periculum corruptionis, vel interitus rei. At vero qui non constituebat seruare, nullas expensas erat facturus, ac proinde carius potent vendere, quod est plusquam falsum.

4 Quare omissa Caietani opinione contrariam sententiam puto veriorem nempè illicitum esse omnino: merces non seruandas, in futurum carius vendi quam sit pretium, quo æstimantur tempore venditionis, Et ratio est quia valor rei non est diuersus per hoc, quod venditor vel de præsenti, vel ad terminum vendat, non enim ad terminum vendita plus valet res, quam si in promptu venderetur: ergo propter hoc, quod ad terminum venditur, non est licitum augere pretium magis, si in præsenti venderetur.

Tum quia venditio ad terminum, nihil addit supra venditionem ad statim, nisi sola & expectationem solutionis, sed hoc nihil aliud est, quam quædam mutuatio palliata, ergo non est licitum ratione illius, aliquid vltra pretium recipere.

Tum quia res non plus æstimatur, quam sit pretiũ eius, eo tẽpore quo verè, & actu celebratur venditio: huiusmodi autem venditio celebratur, quãdo res traditur à venditore, & constituitur inter ipsos aliquod genus pretij, ergo non potest carius vendi quam valet tempore actualis traditionis.

5 Tum demum, quia vendens pecunia credita nullo alio titulo potest maius pretium accipere, quam valet res de præsenti, quam vt seruet seipsum indemnem, & aliquo damno emergente, vel lucro sibi cessante, at qui merces suas non instituerat seruare in futurũ, recepto pretio quod currit tempore actualis traditionis, nullum patitur damnum, nullumue cessat illi lucrum ex tali venditione ergo hic nullo modo potest carius vendere vltra pretium, quo valet, quando actu tradur. Ita tenet Mol. d. 355. Sot. lib. 6. q. 4. ar. 2. Couar. lib. 2 var. c. 3. num. 6. Med. q. 38. de vsuris Sylvest. verb. vsura 2. q. 2. & alij, & videtur esse conclusio definita in cap. Nauiganti casu 2.

Fateor tamen opinionem Caietani esse veram, si adsint sex conditiones,

Prima est, vt fiat emptio pecunia credita ex defectu emptoris.

Secunda, vt merces illæ commodè possint seruari vsque ad tempus solutionis.

Tertia ne pretium taxetur de præsenti, sed relinquatur in futurum taxandum tempore quo fiet solutio, vt sic vterque contrahentium eidem fortunæ, & tempori se ipsum exponat.

Quarta, vt ex tali pretio, quo tunc similes merces valebunt, excipiatur aliquid ratione laborum, expensarum, quas oportuisset mercatorem facere, si vsque ad illud tempus apud ipsum seruatæ fuissent.

6 Quinta, vt sit liberum emptori soluendi tale pretium, quando voluerit, ita vt licet sit illi assignatum tempus, facultas tamen subsit emptori præueniendi illud. Quæ conditio est summoperè necessaria, quia si ea libertate priuaretur emptor, cum talis priuatio sit pretio æstimabilis, exigeretur ab eo præter pretium, aliquid aliud pretio æstimabile, quod est contra iustitiam, & vsura palliata, cum teste D. Tho. omnis venditio pecunia credita sit quoddã mutuum implicitũ.

Sexta, & vltima conditio est, vt venditor mallet omnino statim vendere pecunia numerata, quam credita, sed rogatus ab emptore, qui caret pretio, vendit illi ad creditum sub ea lege, vt soluat quando voluerit vel tali tempore, & pretio, quo tunc similes merces valebunt.

7 His igitur seruatis conditionibus, si tempore solutionis merces plus valent, quam tempore venditionis, & traditionis, etiam si venditor non esset eas seruaturus,

turus,poterit id plus accipere,& si emptor tunc eas maiori pretio soluit, sibi imputetur, quia liberum ei fuit eas ante soluere tempore: scilicet quo minus valebant, & ideo iste venditor non se posuit in tuto sic contrahendo.

QVÆSTIO XLI.

An qui emit triticum, tempore quo carius valet, nempe tempore hiemis, recipiendum tamen tempore æstatis, quo vilius æstimabitur, possit illud vilius mercari, quam valet tempore quo emit, scilicet hiemis?

1 REspondeo posse. Ita enim expressè definitur in cap. Nauiganti de vsuris. Cuius ratio est, quia iustum rei pretium sumendum est ex eo tempore, & loco, in quo actu, & reipsa perficitur venditio; hæc autem perficitur, & completur quando res ipsa actu traditur, vel saltem transit in plenum dominium emptoris, ergo cum in casu posito triticum istud non tradatur emptori vsque ad æstatem, æstimandum erit, & constituendum illi pretium, quale fuerit in æstate. Ita Ban. & Arag. 2. 2. q. 77. ar. 1.

QVÆSTIO XLII.

Dices, Quomodo in hoc casu taxandum sit pretium?

1 REspondeo posse duobus modis taxari, vel relinquendo pretium indeterminatum nempè vt emptor soluat, quantum euentus ostendet communiter valere tempore æstatis, non sumendo summum pretium, nec infimum illius temporis sed mediocre, vel si res sit dubia, quomodo valebit tempore æstatis, est tamen certum valiturum inter quatuor, & octo. poterit eligere pretium, quod sit medium inter quatuor, & octo idest sex, idque maius, vel minus pro ratione dubij. Ita Less. lib. 2. cap. 21. dub. 4.

QVÆSTIO XLIII.

An Titius possit vendere merces pretio currente soluendas pro tali tempore, cum pacto quod si tempore solutionis pretij, plus valebunt, teneatur emptor dare illud plus: quod si minus valebunt, teneatur dare pretium currens, quo nunc valent, & emuntur?

1 REspondeo non posse. Et ratio est, quia de natura contractus est, vt contrahentes sint pares: at in isto casu multo melios est conditio venditoris, cum nihil ex pretio possit amittere, emptor vero cogitur pretium augere, si merces eo tempore pluris valeant.

Tum quia, qui sic vendit res suas, est vsurarius, quia ratione dilationis interuenit tacitè mutui species. Ita Sylvest. verb. vsura 2. q. 5

QVÆSTIO XLIV.

An Ecclesiastici qui legibus secularibus non sunt subiecti, statutis æstimatorijs pretiis rerum venalium subijciantur?

1 NAuar. in Man. Hispano c. 23. nu. 84. ait non obligari Ecclesiasticos illis statutis, quia non sunt subditi Principi seculari, neque eius legibus ciuilibus. Ex quo infert duo. Alterum est, quod expediret vt Papa, vel Episcopi ferrent eadem edicta pretium rebus taxantia, vt Ecclesiastici obligarentur.

2 Alterum est, quod vbi fuerit lege permissum, quod qui frumentum asportant ex aliis Regnis, possint vendere tanti quanti inuenerint, & quantum potuerint: vt reuera permittitur in l. 1. t. 25. lib. 5. &c. quod etiam Ecclesiastici possunt vendere, quanti potuerint.

3 Communis tamen sententia tam inter Theologos, quam Iurisperitos habet is legibus laicorum Ecclesiasticos alligari, verum laicorum tunc non est, sua authoritate Ecclesiasticos compellere, ad huiusmodi legum obseruantiam, quia Prælatorum est id curare, & præcipere, & si talia statuta pœnam transgressoribus imponant, eam pœnam Ecclesiastici non contrahunt. Sic D. Thom. 1. 2. q. 96. ar. 4. Sot. lib. 1. q. 6. ar. 6. Salon. 2. 2. q. 77. ar. 2. Castro l. 1. de leg. pœn. c. 12. Ban. 1. 2. q. 96. ar. 1. Nau. in Man. latino c. 23. num. 88. Mol. d. 364. Lop. lib. 1. de contr. c. 17. Rebell. li. 9 q. 2. sect. 2. Roder. p. 2. sum. c. 79. n. 14. & alij. Ratio huius est, quia quamuis Ecclesiastici non sint subiecti legibus ciuilibus, sunt tamen subiecti legi naturali, & diuinæ, quæ aliquid vltra pretium iustum diuidi prohibet sed iustum pretium est, quod lex Principis præfigit,

Digitized by Google

colligit, ergo tenentur etiam Eccleſiaſtici taxi, & non pluris res ſuas vendere, ac proinde ſi aliquid vltra pretium lege iuſta taxatum accipiant, tenerentur id reſtituere.

Deinde, vbi lex non taxauit pretia, ſed illa ſumuntur ex communi vſu fori, tenentur Eccleſiaſtici, ſicut cæteri laici vendere quoque iuxta communem vſum fori, quia tunc pretium illud eſt iuſtum, ergo quando pretium eſt taxatum a lege, ſicut ad illud ſeruandum tenentur laici, quia iuſtum eſt, ita & Eccleſiaſtici.

Præterea leges ciuiles niſi ſint contra dignitatem, vel libertatem Eccleſiæ, adſtringunt etiam Eccleſiaſticos vt rectè tradit Sot. in 4. d. 25. ar. 4. Sed huiuſmodi leges ſunt iuſtæ, nec libertati, aut dignitati Eccleſiaſticæ repugnant ergo.

Tandem eſt concluſio definita in l. 1. t. 25. lib. 5. vbi dicitur quod compellantur Eccleſiaſtici eodem pretio vendere, ſicut ſeculares.

4 Ex qua doctrina colligit Bann. 1. 1. q. 96. art. 1. ipſummet Principem teneri vendere ſuum triticum pretio taxato a lege: quia durante lege pretium ipſius legis eſt pretium iuſtum.

QVÆSTIO XLV.

An ſicut venditor tempore quo maius pretium, de facto poſſet inuenire, tenetur vendere pretio à lege impoſito; ita quoque tempore quo vilius in communi foro venditur triticum maiori pretio ideſt taxæ, poſſit illud diuendere?

1 ET videtur poſſe, quia hoc eſt æquali ſe aleæ exponere; & ita tenet Mercat. lib. 1. de contr. c. 7. vbi ait, pretium taxatum à lege eam vim habere, vt quandiu lex illa non reuocatur, licet pretio legis tanquam iuſto merces vendere, etiamſi merces propter earum copiam communi hominum æſtimatione minoris vendantur.

2 Sed verius, ac probabilius multo eſt quod alij docent, nimirum quando propter copiam annonæ merces communi vſu fori minoris venduntur, quam ſit pretium taxatum illis à lege, nō poſſe eo tempore, & loco venditorem plus accipere pro re, quam communi vſu fori æſtimatur: & ſi ſecus fiat, tenebitur vendens totum exceſſum reſtituere, imò vſurarium eſſet, eas credito vendere pretio taxæ, niſi illud intra latitudinem iuſti pretij naturalis, ac communis contineretur. Ratio huius eſt, quia pretium illud legis ſolum reſpicit tempus ſterilitatis. Ita tenent Cordub. in ſum. quæſt. 84. Rebell. p. 2. de obligat. l. 9. q. 2. ſect. 3. Roder. p. 2. ſum. c. 79. nu. 8. Barth. Med. c. 14. §. 25. Palat. lib. 2. c. 2. Salon. 2. 2. q. 77. art. 2. Conrad. q. 84. de contrac. Garc. lib. 1. de contr. c. 9. Lop. lib. 1. de contr. c. 15. & Arag. 2. 2. q. 77. ar. 1.

QVÆSTIO XLVI.

An quando in Prouincia pretium tritici eſt lege poſitum, & nihilominus paſſim pluris venditur, quam lex ſtatuit, & nullus punitur, liceat à pretio legis excedere?

1 DNauar. cap. 23. nu. 88. Sot. lib. 6. q. 2. ar. 3. Med. C. de reſt. quæſt. 31. & 37. & Caſtro de leg. pœnal. lib. 1. c. 12. affirmant negligentiam, & diſſimulationem ſuperiorum in puniendo vendentes vltra pretium taxatum non reddere eos tutos in conſcientia.

2 Sed mihi in hac parte videtur diſtinguendum, aut enim violatio legis huiuſmodi fit ab omnibus, vel à maiori parte populi ſciente Principe, & neminem puniente cum tamen citra graue ſcandalum; & inconuenientia magna tranſgreſſores punire valeat, & tunc qui illius legem, & taxam tranſgreditur immunis eſt à peccato, & ab obligatione reſtitutionis, talis enim diſſimulatio, & taciturnitas velut conſenſus eſt ſuperioris, & ceſſatio legis, & in hoc ſenſu locum habet Regula iſta, Qui tacet, coſentire videtur, præſertim quando reclamare tenebatur; & illa alia. Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolui debet Aut fit inſcio Principe, & nullū puniente, aut hos, non illos plectente, quia non cōmodè, nec facilè tranſgreſſores taxæ punire poteſt, & tunc non ſubeſt tacita Principis voluntas, ac proinde lex obligat venditorum conſcientiam, quia vim ſuam non amiſit, vt rectè Rebell. lib. 9. quæſt. 2. ſect. 3. Lop. lib. 1. de contract. cap. 16 Cordub. de caſibus conſcient. quæſt. 78. Salon. 2. 2. quæſt. 77. ar. 1. & alij.

Digitized by Google

QVÆSTIO XLVII.

An vt violatio legis iusti pretij reddat transgressores tutos in conscientia, sufficiat scientia, & patiëtia Præsidis cuiusque prouinciæ?

1 COrduba de casib. conscient. q. 78. & alij multi cum Barthol. Card. Imol. & Pan. in cap. cum contingat de for. comp. col. 4. putant sufficere tantum, scientiam, & patientiam Præsidis Prouinciæ, non tamen gubernatoris Ciuitatis, nisi quo ad abrogandum, vel dispensandum in taxa, specialem à Principe commissionem habuerit. Hanc opinionem tenet etiam Lop. lib. 1. de contract. cap. 16.

2 At melius Roder. p. 2. sum. c. 79. n. 2. & Azor p. 3. instruct. mor. lib. 8. c. 22. sentiunt non sufficere scientiam, & patientiam Præsidis prouinciæ, siue tacitum eius consensum, quia lex est Principis, & inferior superioris legem abrogare non potest.

Tum quia Præsides, & gubernatores ad hoc ordinantur, & eliguntur, vt custodiantur leges Principum, & ideo non possunt permittere, quod vendatur frumentum vltra taxam, vel communem vsum fori, & si permittunt, non solum peccabunt mortaliter, sed tenebuntur ad rest. vt tenet Nau. c. 25. n. 34.

QVÆSTIO XLVIII.

An si Præses prouinciæ, voce præconis proclamare iubeat, vt vnusquisque triticum suum vendat tanti, quanti voluerit, is qui plus illud vendit, quam sit pretium taxatum à lege, immunis sit à peccato, & obligatione restitutionis.

1 COrd. Lop. & alij supra citati tenent partem affirmatiuam.

2 Contrarium tamen asserunt Roder. p. 2. c. 79. n. 2. & Azor. lib. 8. c. 22. & meritò quidem, quia tunc Præsidis solum est permittere, ne qui legem iusti pretij violant, pœnas luant; quia si transgressores pœna afficerentur, pauperes in tanta annonæ inopia, fame perirent. At huiusmodi legem abrogandi nisi de consensu, & mandato Principis, Præses authoritatem non habet.

QVÆSTIO XLIX.

An forenses cum triticum suum vendunt in loco, vbi prædicta lex viget, comprehendantur?

1 REspondeo comprehendi, non quod sint in ditione, & potestate Principis, sed quia dictante recta ratione, excedere iustum rei pretium non licet; at iustum est in eo loco pretium, vbi communiter, vel decreto Principis res tanti, & non pluris venduntur.

QVÆSTIO L.

An si passim agricolæ plures expensas fecerunt tritico seminando, & colligendo, possint tuta conscientia carius vendere, quam sit pretium à lege taxatum?

1 IN qua re constat inter omnes, quod si agricolæ, qui tales impensas fecerunt, sint pauci, cum tamen alij adsint plures, qui minori dispendio triticum habuerint, non est licitum carius vendere quam lex statuit. Et ratio est, quia casu, & ex accidenti, maiores sumptus fecerunt, quam cæteri.

Quod ergo quæritur solum est. An quando omnes illius Prouinciæ agricolæ maiores fecerunt impensas, possint cõtra legem pluris triticum vendere? Multi affirmant.

2 Mihi tamen cum eorum bona venia, oppositum videtur tenendum. Ratio huius est, quia venditores ex natura contractus huiusmodi damnum sustinere coguntur, cum negotiatio damno, & lucro sit exposita.

Tum quia venditores pretium vsu fori positum, excedere nequeunt, ergo nec pretium à lege taxatum.

Tum demum, quia passim mercatores damnum patiuntur, ex eo quod merces, in quibus comparandis magnas impensas fecerunt, communi hominum æstimatione minoris æstimantur, quam emerint: ergo etiam agricolæ tanti debent vendere triticum, quanti vel communi vsu fori, vel lege Principis æstimatur. Ita Azor. vbi supra.

QVÆSTIO LI.

An qui emit boues ab eo, qui realiter illos non habet, & deinde certa pensione eos eidem locat sit vsurarius?

1 AD hanc quæstionem dico primo, quod qui bona fide emit boues ab eo

eo quos possidere dissimulat, sed reuera non possidet,& statim certa mercede, eos eidem locat,quamdiu est in bona fide,non peccat, nec tenetur restituere etiam post cognitam veritatem, id quod ex tali mercede bonum non existentium bona fide locatorum insumpsit. Imò neque id,quod non consumpsit, si quando eos emit,paratus erat emere boues reales, & quia deceptus est ab eo quia fictitios vendendo obtulit, ideo alios reales emere prætermisit, quia tunc pro suo interesse illam pensionem poterit retinere. Ita Sot. lib. 6. q.3. art.2.Nauar.c.17.n.230.& alij.

2 Secundò dico,quod qui mala fide emit boues ab eo, quem credit eos non habere, & statim certa pensione eosdem eidem ficto venditori eis carenti locat, est vsurarius.Ratio est,quia cum hic exigat pensionem super boues,qui realiter non existunt, sua voluntas fertur super pecuniam, quæ sub specie emptionis,habet rationem mutui. Ita Mol.d.362.Rebell.lib.9.q.7.Lop.lib. 1.de contr.cap.4.Sylvest. verb. vsura 2.q.6. & plerique alij.

QVÆSTIO LII.

An Titius qui emit granum tempore messis, pretio currenti cum pacto vt tot mensuræ reddantur in mense Maij sit vsurarius?

1 REspondeo si Titius in mense Maij erat empturus,& de pretio deducatur aliquid ratione laborum, expensarum, periculorum, & similium, quæ subiturus erat,si vsque ad illud tempus, apud ipsum, seruandum fuisset,non est vsurarius.Si autem tunc non erat empturus, sed requisitus placet hoc modo lucrari, sine labore, non difalcatis supra dictis, non est dubium,quin sit vsurarius.

QVÆST. LIII.

An liceat contrahentibus se circumuenire circa pretium?

1 NOn loquimur hic de pretio legitimo,sed naturali, nam si pretium sit legitimum, id est lege Principis taxatum,ac iustum, constat apud omnes, siue emptor decipiatur vltra, siue citra dimidium iusti pretij,dari actionem,& obligationē restituēdi excessum in vtroque foro.

In qua re etiam conuenit inter omnes, peccatum esse mortale ex genere, cum onere restituendi in vtroque foro,sed decipere vltra dimidium iusti pretij.

Tota igitur controuersia consistit, quando deceptio non vltra,sed intra dimidium sit?

1 ROsella vt refert Sylvest. verbo emptio tenet ex legum dispositione fas esse contrahentibus, se inuicem decipere, modo non excedant dimidium iusti pretij. Vt habetur in l.2.in causæ §. idem Pomponius.ff.de min.& l. item si §.quemadmodum ff.locati.

Gerson.vt refert Sotus lib.6.q.3.art.1.affirmat non licere rem vltra iustum pretium vendere, aut emere vilius modo in tali venditione, vel emptione non excedatur dimidia iusti pretij quantitas;negat tamen inde oriri obligationem restituendi.

2 Sed his non obstantibus, concors est Theologorum sententia, nempè egredientem limites iusti pretij, aut valoris rei, emendo,vendendo, locando, permutando, aut quemcumque alium contractum celebrando,peccare,restitueréque teneri vsque ad latitudinem iusti pretij, aut valoris rei, esto egressus non sit infra, aut vltra dimidium iusti pretij. Et ratio est, quia omnis iniustitia ex suo genere est peccatum mortale, obligans ad restituendum damnum per illum illatum.Sed vbicumque interuenit excessus, aut defectus iusti pretij reperitur iniustitia, ergo ibi necessario est peccatum mortale cum onere restituendi excessum,vel defectum.

3 Tum quia, qui rem pretio rigoroso ad summum valentem decem aureos, vendit pro sexdecim tenetur restituere sex, siquidem vltra dimidium vendidit,ergo secundum totum illum sex aureorum excessum peccauit contra iustitiam, alioquin non debuisset restituere nisi vnum, quo dimidium iusti pretij excessit. Ita D. Tho.2.2.q. 77.art.1.Caiet. opusc. 17. resp. tract.31.c.12. dub.3.Cou.lib.2.var.cap.4.n.21. Mol.tom.2. de contr.d.350.Nauar.c.23.num.77.& Sylu. verb.emptio §.8.

4 Aduertendum tamen,quod vltra iustum pretium recipitur, si bona fide,& recipiatur,& consumatur, non inducere obligationem restituendi, nisi recipiens exinde factus sit ditior, cum ad id non teneatur

ex parte iniuſtæ acceptionis, ſed ex parte ſolum rei acceptæ. Quod ſi dubius an limites iuſti pretij egrediatur, aliquid acciperet, non ſolum peccaret, ita accipiendo, ſed etiam ad reſtitutionem poſtea teneretur, niſi reuera iuſtitiæ limites ſe non fuiſſe egreſſum comperiret, non peccaret tamen ſi vel dubium deponeret, vel firmum animum examinandi iuſtum rei valorem haberet, ac reſtituendi, ſi quid exceſſum foret.

5 Ad leges autem Cæſareas initio adductas, reſpondeo, deceptionem intra dimidium iuſti pretij non tanquam licitam approbari, ſed tanquam minus malum impunè permittit, ne maius malum per lites innumeras; hoc eſt Reipublicæ perturbatio ſequatur, vt D. Tho. communiter receptus, vbi ſupra declarat.

Nec obſtat, quod qui peccat legis authoritate, non peccat. Quia hoc intelligitur de lege iuſſoria, non autem permiſſoria, qualis eſt in caſu noſtro: alioquin meretrices, quæ à lege permittuntur, non peccarent.

QVÆSTIO LIV.

Sed dices. Quomodo intelligenda ſit deceptio vltra dimidium iuſti pretij?

1 REſpondeo, venditorem vltra dimidium iuſti pretij deceptum dici, quando non recipit dimidium iuſtæ æſtimationis v.g. res valet decem, & dati ſunt venditori quatuor. Similitérque vltra dimidium deceptus emptor dicetur, quando emptor ſoluit vltra iuſtum pretium, pluſquam dimidium, v. g. res valet rigoroſo pretio decem, & venditur ſexdecim. Ita Mol. 349. Ban. 2. 2. art. 1. Sot. lib. 6. qu. 3. art. 1. & Cou. lib. 2. var. c. 3. nu. 8.

QVÆSTIO LV.

An contractus, in quo res venditur ſit pluris, vel minoris quam valet, in conſcientia validus?

1 AD hoc dico primo, quod quando contractus emptionis, & venditionis celebratur bona fide propter ignorantiam puræ negationis vtriuſque partis, ſcilicet quia neutra pars ſcit valorem rei, ſed mere negatiuè ſe habet circa æſtimationem valoris, tunc talis contractus eſt validus, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur, etiam ſi poſtea res comperiatur longe plus, ſiue longe minus valere. Et quidem quod contractus ſit validus, probatur, quia liberè in contractum conſentiunt. Quod autem inde nulla oriatur obligatio reſtitutionis, patet, quia ambo pari periculo damni, ac lucri ſe exponunt, liberéque in contractum conſentiunt ſub certo pretio, quaſi committens ſe æquali fortunæ, ſiue plus, ſiue minus res valeat. Ita Ban. 2. 2. q. 77. art. 1. Mol. d. 353. & Rebel. lib. 9. q. 8.

2 Secundò dico, quod quando contractus celebratur bona fide cum ignorantia prauæ diſpoſitionis, quia videlicet vtérque exiſtimat iuſtum pretium eſſe tantum, vel tantum, & tamen re vera eſt maius, vel minus, tunc talis contractus eſt nullus in foro conſcientiæ. Et ratio eſt, quia ille qui decipitur, non alia ratione vult contrahere, niſi quia putat pretium eſſe tantum, ergo non eſt voluntarius ille contractus, ſed nullus, & per conſequens qui plus accepit, tenetur in conſcientia illud læſo reſtituere, vel reſcindere contractum.

Tertiò dico, quod quando contractus mala fide celebratur, & pars læſa ignorat valorem rei, tunc inualidus eſt contractus in foro conſcientiæ. Et ratio eſt, quia talis ignorantia tollit rationem voluntarij, quod neceſſariò requiritur ad verum, validúmque contractum.

3 Quartò, & vltimò dico, quod quando contractus mala fide celebratur, & pars læſa ſcit valorem rei, ſed neceſſitate preſſus emit, vel vendit, tunc contractus eſt validus in foro conſcientiæ. Et ratio eſt, quia pars læſa ſciens iuſtam rei æſtimationem, vult contrahere, & pati illud damnum, ergo contractus eſt omnino voluntarius, atque ex conſequenti validus, tenetur tamen qui læſit mala fide, etiam vltra dimidium iuſti pretij ante Iudicis ſententiam ſupplere iuſtum pretium. Ita Ban. 2. 2. quæſt. 77. art. 1.

QVÆSTIO LVI.

Sed Quid? ſi contractus mala fide celebretur, & pars læſa nulla neceſſitate compulſa vendit pro pretio minori iuſto, aut emit pro pretio maiori iuſto, An tunc defraudans ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 Med.

1 MEd.C. de reſt. q. 32. cenſet ad nullam reſtitutionem teneri.

Alij vero vt Nauar. cap. 23. num. 88. & Couar.lib.2.var.cap.4.num.8.tenent oppoſitum.

2 Sed mihi in hac parte videtur diſtinguendum,nam vel defraudans eſt amicus, vel conſanguineus defraudati, vel non. Si primum,præſumitur donatio, quia ex quo ſciens, & volens abſque neceſſitate rem pro minori pretio vendit amico, vel conſanguineo,quibus, cum ſit diues,conſueuit aliqua gratis dare, rationabiliter præſumitur ex intentione donandi id feciſſe, atque adeo defraudans tunc erit tutus in conſcientia pretij exceſſum retinendo. Si ſecundum,tunc niſi manifeſta ſigna donationis intercedant, non præſumitur velle defectum iuſti pretij remittere. Ita Arag. 2.2.q.77.art.1.

QVÆSTIO LVII.

An emens merces citra dimidium iuſti pretij, faciat fructus ſuos:

1 REſpondeo ſi in emptione interuenit dolus, & deceptio, quia nimirum emens vi,dolo,vel fraude inducit venditorem, qui aliàs non erat venditurus, tunc non facit fructus ſuos,quia cum talis contractus,non ſit liber,non eſt validus,atque ex conſequenti non poteſt facere fructus ſuos, ſed vnà cum reſiduo pretij tenetur illos reſtituere non tamen omnes, ſed ad ſummum pro rata iuxta quantitatem defectus pretij, vſque ad latitudinem iuſti. Ita Sotus lib.6.q. 3. art. 1. & in hoc omnes conueniunt.

Sed tota controuerſia conſiſtit, quando talia non interuenerunt, ſed liberè, & bona fide contraxerunt.

Couar.lib.2.var.c.3. nu. 9. tenet fructus etiam eſſe reſtituendos.

2 Alij vero negant, ea potiſſimum ratione, quia in hoc caſu emptor dominium comparauit rei ita emptæ, & ſic ante contractus reſciſionem periiſſet, vtique ipſi periiſſet:ergo interim dum contractus non eſt reſciſus, facit fructus ſuos.

Tum quia venditor, toto eo tempore potitus eſt pretio, neque iam hodie cum vſuris tenetur illud reſtituere, ergo ratio recompenſationis exigit,vt emptor fructus ex re ipſa empta perceptos ſibi retineat. Ita Mol.d.349.

QVÆSTIO LVIII.

Quando duobus in ſolidum ex interuallo res aliqua venditur,cui magis debeatur?

1 AD hoc dico primo, quod quando nulli emptorum res eſt tradita, is eſt præferendus cæteris, cui prius ea res fuit vendita:tunc enim locum habet regula illa iuris,quia prior eſt tempore, potior eſt iure, de Reg.iuris in 6. Ita Leſſ.lib.2.c. 21.dub.19.

Secundò dico, quod quando multis res eſt vendita, & vni tradita,is potior habetur quod attinet ad dominium habendum, & acquirendum,& retinendum,cui ſoluto pretio,vel pro ſoluto habito,prius eſt tradita, quamuis in contrahendo poſterior fuerit. Ratio eſt,quia per venditionem,ſuperueniente traditione rei,acquiritur non tantum ius in re, ſed etiam plenum dominium, at vero per nudam venditionem ſolum ius ad rem l. tradit C. de pactis & l. nunquam ff.de acquirend.rerum dominio. Quod non ſolum locum habet in contractu emptionis,ſed etiam in quocunque alio ſiue is oneroſus ſit, vt permutatio,ſiue lucratiuus vt donatio,ſemper enim qui prius comparat dominium per traditionem præfertur cæteris, qui dominium non ſunt conſequuti.Ita Rebell.lib.9.q.17.

Nec obſtat, quod prima venditio ſit iureiurando confirmata, quia hoc quidem efficit vt ſit periurus, ſi alteri eam tradat, non tamen impedit dominij tranſlationem.Mol.d.369.

Tertiò,& vltimò dico, quod ſi vtérque emptor probet rem ſibi traditam fuiſſe, nec apparet vtri eorum fuerit prius tradita,adiudicanda eſt priori, quippe qui potius ius habet,excluſa traditione,niſi fortè poſterior probauerit ſe pretium numeraſſe,prior vero nihil, tunc enim præſumptio eſt,poſteriori factam traditionem.Ita Cou. lib.2.var.c.19.n.6.& Mol.d 369.

Excipiunt tamen Doctores tres caſus peculiares, in quibus de iure ex ſolo contractu, abſque alia traditione rei dominium ad accipientem transfertur.

3 Primus eſt, quando aliquid donatur, aut venditur Eccleſiis, Monaſteriis,

Ciuitatibus, hoſpitalibus, vel aliis piis locis,& poſtea venditur alteri, eique traditur, tunc enim dominium transfertur per ſolum contractum Vnde non poterit ſecundus emptor, voluntarius per traditionem dominium acquirere; ſecus ſi res ſolum ſit promiſſa, quia promiſſio facta pio loco, vel alteri non transfert dominium. Vnde ſi res Eccleſiæ promiſſa, alteri donata, & tradita fuerit, huius erit.

Secundus eſt, quando res vendita fuit eum pacto, vt poſtea non poſſit ab ipſo venditore alienari. præmiſſa hypotheca ad contractus cõſummationem,tunc enim ſecundus emptor per traditionem, non poterit eius dominium comparare.Ratio eſt, quia qui habet pignus eſt ſimplici creditori præferendus.

Tum quia vi appoſiti pacti translatio dominij impeditur.

4 Tertius eſt, quando ſecundus emptor ſciens rem alteri primo venditam fuiſſe mala fide eam emit, & traditam accepit, tunc enim prior poterit ab eo rem euincere, tanquam in fraudem ipſius alienatam ſpoute tamen eam priori tradere non tenetur; niſi fortè induxerit emptorem, vt eam ſibi vendat, quo caſu eſt cauſa damni quod prior per illam vẽditionem incurrit. Secus autem ſi poſterior emptor bona fide illam emit, priorem ignorans venditionem. Ita Mol.d. 369. Leſſ. lib. 2. c. 2. dub. 19. Rebel. lib. 9. q. 17. & Couar. lib. 2. var. c.19.nu.7.

QVÆSTIO LIX.

Quid faciendum quando primus emptor habet titulum emptionis, ſecundus vero cui tradita res eſt, titulum donationis?

1 REſpondeo primum emptorem in hoc caſu eſſe anteponẽdum, etiamſi ſecundus emptor prioris contractus inſcius bona fide rem ſibi donatam acceperit, nam in hac parte potius emptori ius eſt, quam donatario, eo quod titulus emptionis eſt illi onerosus. Ita Mol.d.369.

QVÆSTIO LX.

An ſi res empta pereat aut deterior, fiat pereat aut deterior reddatur emptori, an potius venditori?

1 AD hoc dico primo,quod ſi res vendita pereat,vel deterior reddatur, poſt traditionem veram, vel fictam emptori factam, perit deteriorue efficitur emptori, ſi pretium ſit ſolutum, aut pro ſoluto habitum. Ratio eſt, quia per traditionem translatũ eſt dominium in emptorem, res autem domino perit.

2 Secundo dico, quod ſi pereat ante traditionem,ſitque res aliqua determinata in ſpecie ſecundum legiſtas, ſiue numero, quod idem eſt ſecundum dialecticos vt hoc peculiare mancipium,hic equus, hæc domus &c.peracto contractu venditionis, perit emptori, vnde non tenetur venditor eius pretiũ reſtituere. Pari quoque modo eius incrementum ad emptorem pertinet. Vt habetur ex l. quod ſæpè, §. in his. ff. de contrah. empt. & ex l. 1. & ſeqq.C.de peric. & commod. rei venditæ.Huius autem rei non ea eſt ratio, quod per talẽ emptionem dominium rei venditæ tranſeat ante traditionem in emptorem,atque ita pereat ei tanquam domino, vt innuere videtur Sylu. verb. emptio q. 2. Contrarium enim conſtat ex §. cum autem in fine. Inſtit. de Empt. & vendit. vbi id habetur expreſsè ex l. traditionib. C. de pactis.legitima ergo ratio eſt,quia ita cõſentaneè ad rectam rationem iura diſpoſuerunt. Si tamen culpa lata, vel leui venditoris, qui non adhibuit debitam diligentiam circa illius cuſtodiam & conſeruationem, donec eam tradat emptori,deterior fiat vel pereat,ipſe tenetur. Similiter ſi ſit in mora tradendi,& interim pereat, vel deterior fiat, niſi res eodem modo peritura fuiſſet apud emptorem. Ita Mol. d. 366. Leſſ. lib.2. c. 21. dub. 12. Lop. lib.1. de contr. cap. 7.& alii.

3 Tertio dico, quod ſi res ſit indeterminata in individuo, vt ſi quis emat decem oues, aut decem menſuras tritici,non deſignando ex quibus,ideſt non magis de iis quæ ſunt in vno loco, quam de aliis, neq, magis de iis, quæ poſſidet quam de aliis, vel ſi emat rem determinatam, ſed ad menſuram v. g. totum aceruum tritici vno argenteo pro ſingulis menſuris:tunc ante rei traditionem, vel menſurationem, periculum interitus pertinet ad venditorem. Ratio eſt, quia quando,ſit emptio rei indeterminatæ, vel ad menſuram, intelligitur tacita conditio, ſi res tradatur vt habetur in l. Quod ſæpè §. in his ff. de contrah. empt.

empt. Vnde niſi ſequatur traditio,vel menſuratio,in qua continetur quædam traditio cum coram emptore fieri debeat, emptor non tenetur , quia non cenſetur perfecta venditio,cum conditio non ſit impleta. Ita Couar. pract. q. cap.3.num.5.

QVÆSTIO LXI.

An qui carius vendit indigenti pecunia merces ad creditum, vt iterum eas emat viliori pretio ab eodem cui eas vendidit , ſit iniuſtus , & vſurarius?

1 SIlueſt. verb. vſura 2. §. 4.Mercat.lib. 2.de contract.cap. 21. & plerique alij docent hunc eſſe iniuſtum , & vſurarium.

Alij vero negant : modo intra latitudinem iuſti pretij fiat venditio , & ceſſet ſcandalum. Ita Nauar. capit. 23.num.91.

2 Pro deciſione tamen dico primo quod qui vendit ſuas merces cum animo vel pacto ſaltem implicito, vt emptor non alteri quam ſibi minori pretio reuendat,cómittit vſuram. Et ratio eſt , quia reuera hic contractus non eſt aliud quam mutuum habens annexum aliquid lucrum vſurarium , nam ſub nomine emptionis,& venditionis fictæ latet (veluti ſub herba anguis) mutuum cum vſura palliatum.Ita Roder. p. 2. ſum. c. 85.num.9.Rebell.lib.9. q.7. & Nauar.c.23.nu.91.

Secundo dico,quod ſi mercator candido animo vendit ad creditum indigenti abſq; vllo pacto etiam implicito miñoris redimendi , poſtea vero caſu eaſdem merces minori pretio iuſto tamen , ab eodem indigente emat, vt quis alius emere poterat, non committit vſuram. Et ratio eſt quia venditio prima iuſta eſt,cum fiat iuſto pretio,quamuis rigoroſo , & ſecunda etiam eſt iuſta.

3 Nec obſtat , quod hæc reuenditio fiat pretio infimo, vel viliori, quia pretium infimum , etiam eſt iuſtum : Tum quia merces vltroneæ vileſcunt ; non tamen poteſt illum ad hoc cogere,ſed debet omnino liberum relinquere. Ita Nauar. Rebell. & Roder. locis ſupra citatis.

Cæterum cautos eſſe cupimus confeſſores ad deterrendum mercatores ab huiuſmodi contractibus, quia frequenter eos faciunt cum mala fide. & cum ſcandalo quapropter ante factum, tales contractus conſulendi ſunt, ne fiant. Imò quia ſequitur ſcandalum , compellendi ſunt , ne eos faciant; vt docet Med. in ſua inſtruct.confeſſ.§.23.de vſuris fol. 136.

QVÆSTIO LXII

An qui vendit merces, quæ valent mille aureis, hoc pacto,vt qui emit eas,vendat alteri,& lucrum ſit commune,ſit iniuſtus?

1 REſpõdeo eſſe in iuſtum. Et ratio eſt quia qui emit eas , iam habet dominium earum,& cum earum periculum ſit totum ſuæ curæ , totum etiam lucrum debet eſſe ſuum.

Tum quia venditor vltra mille aureos recipit dictam obligationem , quæ eſt pecunia æſtimabilis, & ideo reuera hic contractus ſimilis eſt contractui mutui,in quo recipere aliquid vltra ſortem principalem eſt vſura. Ita Lop. lib.1.de contrac.cap. 67. & Roder.p.2.ſum.c.83.num.5.

QVÆSTIO LXIII

Vtrum is, cui aliquid traditum eſt vendendum poſſit aliquid de pretio retinere?

1 AD hoc dico primo , quod qui abſolutè , nihil ſibi aſſignato pro ſua mercede aliquid ad vendendum accipit pro ſuo labore, domino ſciente, poteſt ſibi aliquid retinere.Ita Lop.lib.1.de contr.c.53.

Dixi notanter (domino ſciente (quia dominus fortaſsè exiſtimauit gratis, & tãquam beneficium id fieri,neque vellet opera illius vti pro mercede , quia vel alium inueniret,qui gratis id faceret, vel per ſeipſum potius rem venderet.

Tum quia dum id ſecretè accipitur,dominus rei exiſtimat ſe beneficium ab intermedio accepiſſe, quod titulo gratitudinis tenetur recompenſare:ratio autem non vult , vt intermedius vtrumque commodum , domino rei inſcio accipiat.

2 Tum demum,quia occulta compenſatio locum non habet,niſi quando debitum via ordinaria obtineri non poteſt:hic autẽ actione negotiorum geſtorũ petere poteſt à rei domino iuſtum ſtipendium,ſi non intendit gratis operam ſuam apponere.

Secundo dico,quod qui gratis, & ex ſola liberalitate, vel charitate hoc officiũ præ-

præstandum suscepit, nihil potest ex pretio rei venditæ pro iusto sui laboris stipendio, sibi appropriare: sicut non potest quidquam pro alimentis pueri supposititi, qui charitate motus gratis excepit eum, vt dicit Nauar. cap. 23. num. 97. & Roder. part. 2. sum. cap. 78. num. 4.

Tertiò dico, quod si is, cui aliquid traditum est vendendum, conuenit de suo labore; vel erat in famulatu, nihil potest de pretio sibi vsurpare. Et ratio est, quia non habet vllum legitimum titulum, quo possit sibi aliquid de pretio retinere, non ratione rei venditæ, cum hæc non sit ipsius, nec ratione laboris, quia pro eo mercedem accepit, vel si erat in famulatu, ad id tenebatur sine mercede. Ita Less. lib. 2. cap. 1. dub. 18. Roder. p. 2. c. 78. num. 7. & Nauar. cap. 23. num. 97.

Quartò dico, quod qui pro certo pretio iam sibi assignato, aliquid vendendum accepit, puta decem, & ille vendit pro duodecim, si ista duo quæ supra decem accepit sint vltra rei pretium rigorosum, aut lege taxatum, tenetur illa restituere emptori, quem in pretio decepit. Si vero intra latitudinem iusti pretij contineantur, cogitur secundum conscientiam illa restituere domino rei, cuius negotium gerit, & sibi retinere salarium. Ratio est, quia sunt pretium rei, ac proinde ad Dominum rei spectant, cuius voluntas præsumpta erat, vt si plura, quam decem inueniret, plura acciperet, ac sibi traderet.

Tum quia mediator ille negotium, ac partes Domini rei agit, ac proinde ad rei dominum, emolumentum, aut detrimentum spectare debet.

Nec obstat, quod Dominus rei vendendæ pretium præscripserit, quia id solũ videtur fecisse, non quidem ne vltra ascenderet vendendo, sed ne ab eo descenderet; vnde eo ipso quo pluris fuit vendita, totum illud cessit Domino.

5 Nec refert, si mediator dicat, potuisse rem vendere decem cuidam, qui totidem sibi offerebat noluisseque eam rem illi dare, sed quæsiuisse alium emptorem. Non inquam id obstat, quia quamcunque moralem diligentiam apponat, lucrum ad Dominum rei pertinere debet. Ita Lop. lib. 1. de contr. cap. 53. Rebell. lib. 9. quæst. 18. sect. 5. Less. lib. 2. cap. 1. dub. 18. & Nauar. cap. 23. num. 97.

6 Quintò dico quod si Titius, cui aliquid venale traditum fuit, tradit illud Caio qui eius vicem gerens, gratis vendidit illud, pretiumque venditionis Titio contulit, proculdubio Titius poterit ex pretio rei venditæ pro stipendio laboris insumpti in vendendo aliquid sibi apropriare, ac si ipse illum laborem subiisset, quando gratia ipsius Titij, Caius subiit laborem vendendi, quia in aliis negotiis similibus, Titius solitus erat id laboris recompensare Caio.

Hinc qui negotium alterius gerens, sine suis expensis, & laboribus, quia v. g. per amicos suos curiales eius intuitu gratis sollicitantes negotium obtinuit scilicet dispensationem Papalem, vel priuilegium Regium pro alio, proculdubio poterit expensas fieri solitas, pro hac obtentione requirere, licet ipse ob causam præfatam, nullas fecerit. Et ratio est, quia licet gratis illud impetrauerit per mediatores amicos, sed non sine obligatione similem impensandi laborem pro amicis, cum se occasio obtulerit. Ita Cord. in tract. casi. quæst. 99.

7 Sextò dico, quod qui sua industria, & arte illud, quod suscepit vendendum reddidit pretiosius, cum ad id nulla esset obligatione astrictus, propter quod illud plus vendidit, illud plus potest sibi retinere, tunc enim fructus non rei secũdum se, sed suæ industriæ indebitæ censetur illud lucrum carioris venditionis. Ita Rebell. lib. 9. qu. 18. sect. 5. Nauar. cap. 23. nu. 97. & Lop. lib. 1. de contr. cap. 53.

Hinc, si talis proxeneta iussus esset vendere in hac Ciuitate, neque hic morali diligentia adhibita inuenire posset vltra decem, tunc si rem ad aliam Ciuitatem valdè distantem deferret, vbi maioris erat pretij, accipere posset sibi incrementum illud, quoniam esset fructus suæ industriæ. Ita Mol. tom. 2. de contr. disp. 363.

8 Septimò dico, quod si proxeneta rem illam pretio à Domino assignato sibi emeret, & postea suo nomine pluris venderet, non peccaret, nec ad aliquam restitutionẽ teneretur, quia eam iusto pretio a domino comparauit, & postea iusto pretio suo nomine vẽndidit. Secus autem si dominus ei mandasset, vt venderet quanti intra latitudinem iusti pretij vendi possit, quia tunc teneretur illam diligentiam præstare, quo facto posset eam sibi comparare eo pretio quo

Digitized by Google

quo alij emere voluerunt. Ita Leſſ. lib.2. cap. 1. dub. 18.

Octauo, & vltimo dico, quod licitator qui iuſta ſui laboris mercede non contentus, rei domino notificauit non inueniri hominem qui velit pro illa re, pluſquã decem donare, acceptaque facultate a domino, eam eo pretio vendendi, eam poſtea pro quindecim vendidit, retinendo ſibi quinque, & peccat mortaliter, & ad reſtituendum illa quinque domino rei tenetur. Et ratio eſt, quia ſicut & res, ita totus valor, & pretium eius, quod veluti fructus eius eſt ad dominium rei ſpectat. Ita Caiet. in ſumma verb. proxeneta.

QVÆSTIO LXIV.

An venditor poſſit percipere fructus rei venditæ antè pretij ſolutionem?

1 IN qua re conuenit inter omnes venditorem non poſſe percipere fructus ex re tempore contractus pendentes, ſiue maturi ſint, ſiue non, vt expreſsè definitur in lege Iulian. §. ſi fructibus ff. de actionib. empt. & tradit eleganter Couar. lib.1.var. cap.15.num.2. quem communiter Doctores ſequuntur. Ratio huius eſt, quia fructus pẽdentes, actuque exiſtentes tempore contractus re, quæ cohærentes, cenſentur pars rei emptæ, ac proinde vna cum re empti ſunt pretio conuẽto. Itaque debentur emptori, ſicut res ipſa. Vt ſi emas vineam dum primum floret, vel habet fructus, valor florum, vel fructuum ad te pertinet, tanquam pars rei emptæ.

2 Tota ergo quæſtio eſt de fruct. qui poſt contractum naſcuntur. An videlicet venditor poſſit percipere fructus rei à ſe venditæ, donec ſoluatur pretium?

3 In hac quæſtione, quæ non minus vtilis quam difficilis eſt, duæ ſunt Doctorum contrariæ penitus, & diſſentientes inter ſe ſententiæ. Prima eſt dicentium venditorem poſt actualem venditionem factam, poſſe percipere fructus, donec emptor integrum pretium ſoluerit: quod ſi emptor hos fructus percipiat, ipſum teneri eos compenſare pecunia, quia reuera ad venditorem pertinent, fundamentum huius opinionis eſt, quia facta rei traditione, emptor tenetur ſoluere pretium venditori, & propterea donec ſoluat, cenſetur eſſe in mora ſoluendi, ratione cuius emptor antè pretij ſolutionem debet venditori fructus rei reſtituere, alioqui enim emptor lucrum acquireret, & vẽditor damnum ſuſtineret, ac proinde non eſſent in lucro, & damno pares. Ita Cou. lib.3.var.c.4.n.1. vbi etiã addit hanc eſſe communem ſententiam can. & ciuilis iuris interpretum. Hoc idem ſentit Nauar. com. de vſur. num.56.

4 Secunda vero opinio eſt aſſerentium, non poſſe venditorem tuta conſcientia huiuſmodi fructus percipere, quando abſoluta actuali venditione res vna cum periculo eiuſdem rei ad emptorem trãſit. Ita Syl. verb. vſura 2. q.11. Roſel. eod. verb.1. nu.47. & ibi Armil. num.15. Leſſ. lib.2.c.21. dub.13. & Rebel. lib.9.q.17. & ratio horum eſt, quia de re aliena, cuiuſmodi eſt ager actualiter venditus non licet accipere fructus.

Pro deciſione tamen dico primò, quod ſi emptor ſoluit, aut certè obtulit pretium venditori, & venditor negligit tradere poſſeſſionem, tunc omnes fructus à tempore moræ percepti, & qui toto eo tẽpore percipi potuerunt, & venditoris negligentia percepti non ſunt, debentur emptori. Ratio eſt, quia venditor ab ea die iniuſtè emptorem priuauit perceptione omnium illorũ fructuum, ergo tenetur in foro conſcientiæ eos omnes illi reſtituere. Imò venditor tenetur ad omne intereſſe, quod emptori euenit ex eo quod rem emptam non tradidit tempore debito. Ita Leſſ. lib. 2. cap.21. dub.13.

5 Secundò dico, quod ſi venditor tradit poſſeſſionem emptori, & emptor negligit ſoluere pretium, tenetur ad omne intereſſe quod venditor ob dilatã ſolutionẽ patitur,

6 Tertio dico, quod ſi nec emptor pretium ſoluit, aut obtulit, nec venditor ei fidem de pretio habuit, tunc iure Cæſareo hi fructus debentur venditori. Quod ſi res tradita ſit emptori, & ipſe fructus eius percipiat, tenetur vẽditori eodem iure imperiali ſoluere vſuras pretij pro ratione fructuum. Vt habetur in lege curabit C. de actionib. emp. & in lege Iulian. §. ex vẽdito ff. de action. emp. Ratio huius eſt, quia non videtur rationi conſentaneum, vt emptor percipiat fructus rei emptæ, & venditor non poſſit frui pretio, idque proueniat culpa emptoris. Ita Couar. lib.2.var.c.4.n.1. & Gom. tom.2.cap.2.num.11.

Dices, vſuræ ſunt prohibitæ, ergo.

Reſp.

Respond. Couar. vsuras lucratorias esse prohibitas, non autem compensatorias nempe quibus compensantur fructus, qui venditori debebantur.

7 Quarto, & vltimo dico quod si venditor absque aliquo alio pacto emptori rem tradidit, & sponte concessit dilationem pretij fructus omnes debentur emptori, nec tenetur ad vsuras pretij non soluti iuxta fructuum valorem. Et ratio est, quia quando venditor rem tradit, & sponte pretij solutionem indulget, censetur renunciare priuilegio legis, curabit. Et in hoc omnes conueniunt.

Sed tota controuersia consistit inter Doctores quando venditor qui ita dominium transfert, & terminum ad solutionem concedit, deducit in pactum vt emptor toto tempore, quo pretium ita non soluit, vsuras pretij iuxta valorem fructuum soluat. An tunc validus, ac licitus sit talis contractus?

1 MOlina tom.2.de contract. disp.363. & Couar. lib.3. var. cap.4. num.1. tenent esse licitum, & validum.

2 At hoc non obstante contrarium est proculdubio affirmandum nempe omnes fructus post actualem venditionem pertinere ad emptorem. Et ratio est, quia postquam res est vendita, iam ex tunc dominium & periculum pertinent ad emptorem, ergo emptori, & non venditori ex tempore actualis venditionis debet fructificare.

Tum quia iste contractus videtur implicitam continere vsuram: videtur enim véditor illos fructus percipere ob dilationem solutionis pretij, non enim percipit illos ratione lucri cessantis, vt authores contrariæ opinionis fatentur, alioquin si nullum lucrum ei cessaret non posset percipere, quod tamen ipsi negant. Neque ratione alicuius periculi, quod ipse in se suscipiat, quia totum periculum reiicitur in emptorem, ergo ratione dilationis pretij, quod sapit vsuram.

3 Tum quia venditor, vel patitur interesse ob dilationé solutionis, vel non si primum potest illud deducere in pactum à principio contractus. Si secundum, non videtur rationi consentaneum, vt exigat fructus, reiecto periculo rei in emptorem, nam inæqualis esset contrahentium conditio, venditor enim non nisi commodum ex venditione perciperet, positusque esset extra omne periculum incommodi; & emptor solum periculum, & incommodum; quare si venditor fructus percipere velit, oportet vt etiam toto eo tempore res periculo ipsius constet. Ita Less. lib.2. cap.21. dub.13. & Rebell. lib. 9. quæst.17.

4 Et ad leges Imperiales supra citatas respondeo eas solum vim, & locum habere quando Dominium rei venditæ nondum est ad emptorem translatum: quia quando pretium solutum non est nec venditori aliter satisfactum, secundùm leges, & iura dominium non censetur in emptorem translatum.

Obiicies, cum emptor re fruatur, & pretium quod soluere statim deberet, non soluat, iure ipso cogitur fructus rei restituere ne cum aliena iactura locupletetur.

Respondeo id non esse æquitati consonum nisi venditor ob dilationem pretij, tantumdem interesse patiatur, vel in se suscipiat periculum rei, idque ab initio deductum sit in pactum.

5 Posset tamen prima opinio recipi, in tali casu, quo hic contractus habetur non pro vēditione, sed pro locatione fundi, hoc est, si emptor fundi, dum non soluit pretium, habeat illū pro conducto, & nō pro empto, & soluat quotannis certam pensionem, & cū soluerit pretiū, tunc habeat pro empto. Nam licet huiusmodi contractus tanquam venditio iustus nō sit, est tamen licitus tanquā locatio, & nihil refert, si vulgo vēditio nominetur, nam vulgo sæpè in cōtractibus abutuntur nominibus: est igitur reuera locatio, sed nomine tantùm venditio.

Secundò recipi posset in casu, quo venditor principaliter ad instantiam amici vendidisset, aliàs nolens vendere, quia tunc ratione interesse posset illos fructus vindicare, maximè si venditor apud se susciperet periculum rei à se venditæ, tunc enim pro periculo donec pretium solueret, posset fructus percipere.

6 Ex quo colligitur emptorem ad nullam restitutionem teneri, quando nec emptor fructus ex re vendita percepit neque percepturus esset venditor, si illam apud se habuisset. Ratio huius est, quia vsuræ solum debentur ratione fructuum, & iuxta illorum valorem; quare nullæ vsuræ debentur quando nec emptor fructus percepit, nec venditor fuisset percepturus.

Addit

Addit tamen Molina d. 368. licitum esse à principio contractus arbitrari valorem fructuum, ac statuere, vt sine eorum valor comperiatur postea maior, siue minor, certum quoddam pretium pro eorum valore soluatur, quod plus, minus credatur fructus esse valituros, vt ex dictis constat.

QVÆSTIO LXV.

Hinc, colligitur quid sit dicendum ad illam quæstionem, qua quæritur. An contractus quo Petrus vendit vineam Ioanni, & tradit ei, ea tamen lege, vt pretium sit in depósito apud Ioannem, quousque possessio aliqua inueniatur æqualis bonitatis, quæ ex eo pretio ematur, & interim dum talis possessio non inuenitur, Ioannes teneatur reddere Petro venditori annuam pensionem iuxta fructuum vineæ valorem sit licitus?

1 COuar. lib. 3. var. cap. 4. nu. 1. & Molina disp. 368. existimant hunc contractũ esse licitum.

2 Nobis verò sub hac distinctione videtur respondendum. Si reuera sit venditio vineæ, & vna cum vinea periculum eius transeat in Ioannem cõtractus est iniquus & vsurarius, At si locatio sit vineæ, donec possessio aliqua inueniatur, quæ eo pretio ematur, & ea empta incipiat esse venditio, contractus est licitus.

QVÆSTIO LXVI.

An Petrus possit vendere fundum suum Antonio, & loco, & iure pignoris retinere fundum à se venditum, donec Antonius satisfaciat Petro?

1 IN hac quæstione duæ extant opiniones. Prima est asserẽtium, posse quamuis Petrus non computet fructus pignoris in partem pretij. Sic Couar. lib. 3. var. cap. 4. num. 5. & 6.

Secunda vero sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, ait non posse, nisi fructus in partem pretij accipiat. Ratio est quia hoc postulat vis, & cõditio pignoris.

QVÆSTIO LXVII.

An qui vendit ad creditum possit pacisci cum emptore vt si intra terminum non soluerit, transacto termino possit venditor in pœnam rei venditæ fructus percipere?

1 REspondeo posse, quando talis pœna imponitur, non animo committendi vsuram, sed ratione lucri cessantis, & damni emergentis, quod ex non facta sibi solutione suo tempore sibi emergit. Et ratio est, quia ex iure naturali vnicuique fas est se seruare indemnem. Ita Roder. p. 2. sum. c. 84. cum quo omnes Doctores conueniũt.

2 Controuersia igitur tota est, quando non timetur aliqua iactura lucri cessantis, & damni emergentis, sed solum vt emens diligentius curet soluere debitum in tempore præfixo, talem pœnam apposuit?

1 Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 2. putat non licere.

2 Mihi tamen cum eius bona venia, oppositum videtur tenendum, nempe non esse pactum vsurarium, vel illicitum hac intentione pœnam imponere contra morosum debitorem, vt metu illius pœnæ diligentius soluat in termino præfixo, etiã si nullum interesse patiatur creditor ex illa mora. Et ratio est, quia pactum in quo partes inter se conueniunt, est veluti Lex, quã vel vterque contrahentium vicissim, vel alter alteri illius consensu imponit, vt promissa firmiora consistant, sed licet legibus vt firmius pacta custodiantur, apponere pœnas, ergo & huiusmodi pactis & conuentionibus, ne à contractu illo, & pacto recedatur. Ita Nau. c. 7. nu. 215. & c. 23. n. 68. Mol. d. 317. Less. lib. 2. cap. 20. dub. 15. Roder. pag. 2. sum. cap. 84. num. 2. & alij.

3 Exiguuntur autem ad huiusmodi pœnã rectè, & iustè imponendam à Doctoribus quinque conditiones.

Prima est, vt non apponantur in fraudẽ vsurarum, vt eo scilicet colore vsura occultetur. quod contingit quando vendens ad creditũ malit, vt emptor incurrat pœnam, quam quod statim soluat.

Secunda, vt pœna sit moderata pro ratione culpæ.

Tertia, ne quis vendat ad creditum apposita pœna alicui quam a principio nouit eius impotentiam ad soluendum suo tempore quod statuitur.

4 Quarta ne pœnam exigat ab eo, qui sine culpa sua intra terminum non soluit, quia vbi non est culpa, non debet esse pœna.

Quinta

Digitized by Google

Quinta,& vltima eſt, vt ſi partem debiti ſoluit, non exigatur tota pœna,ſed pars pro rata. Quod intelligitur, quando obligatio eſt diuidua.Ita Mol.d.317.Roder.p.2. ſum.c.84.nu.1.Nau.c.1.nu. 215. Tolet. lib.5. ſum.c.32.

QVÆSTIO LXVIII.

An ſi vendens ſua culpa factus ſit impotens ad ſoluendum debitum, teneatur ſoluere pœnam?

1 REſpondeo teneri, ſi aduertit,vel facile aduertere potuit ex culpa ſua futurum eſſe impotentem ad ſoluendum debitum,quia nimirum culpa moraliter ad talem impotentiam erat ex ſe ordinata,vt ſi ludendo, vel luxuriando omnia ſua conſumpſit. Secus autem eſt, ſi non aduertit, vel ſi occaſionaliter tantum,& præter intentionem ex illa culpa impotentia ſoluendi in tempore accidit. Ita Leſſ. lib.2.c. 20.dub.15.

QVÆSTIO LXIX.

An pœna conuentionalis, quæ adhibita eſt in contractu, cauſa coarctandi debitorem ad ſoluendum tempore conuento, ante Iudicis mandatum in conſcientia debeatur?

1 NAuar.c.23.n.67. & 68. Lop.lib.2.de contract.c.34.Sanch. lib.1.de matr. Arag.2.2.q.77.art.2. & multi alij negant.

2 Alij vero vt Couar.in epitom.4.Decret. 2.p.c.6.§.8.num.11.Leſſ. lib. 2. c. 10. dub.15. Rebel.lib.8.q.9. & Salon.2.2.q.78. art.2.affirmant,& merito quidem, quia in hoc diſtinguitur pœna conuentionalis, à legali, & iudiciali,quod legalis, & iudicialis ſolui non debent,niſi poſt Iudicis mandatum, quia non ex vi pacti, ſed Iudicis præcepto delictum punientis debetur.At conuentionalis ſolui debet ante ſententiam, quia eſt debita ex conuentione partium, & partes ad hoc ſe obligarunt.

QVÆSTIO LXX.

An huiuſmodi pœna poſt moram incurſa,ſit in conſcientia ſoluenda, antequam à creditore exigatur.

1 QVæſtio eſt,cuius meminit Mol.d.97. de contr. reſpondendum eſt, ergo iuxta mentem eius negatiuè. Et rat[io] quia non petendo cum poſſit, videt[ur] dere iuri ſuo.

Tum quia nimis durum videtur,vt [ſo]tio pœnæ debeatur, ante exactionem.

Tum demum, quia ita habet vſu[s] conſuetudo omnium nationum celeb[ra]tium contractus appoſitis huiuſmodi [pœ]nis.

QVÆSTIO LXXI.

An qui ex impotentia inculpabili omiſit [ſo]luere tempore debito teneatur in conſ[cien]tia impoſitam pœnam exoluere?

1 IN hac quęſtione conſtans eſt omn[ium] ſententia,hunc ad eam teneri,qua[m] hæc pœna imponitur cauſa recompen[ſan]di intereſſe damni emergentis, vel l[uc]ri ceſſantis.Et ratio eſt,quia creditor non tenetur hoc detrimentum pati,ſed debet [in]uari indemnis.

Vis igitur quæſtionis poſita eſt,qua[re] hæc pœna imponitur, non vt ſatisfa[ciat] pro intereſſe, ſed quatenus ad ſoluend[um] in termino debitor adigatur?

Franc. Vict. & Garc. lib. 1. de contr[act.] pag.264.affirmant.

2 At vero Sylueſt.verb. vſura 1.q.28. [Na]uar.c.17.nu.215.& Roder.p.1.ſum.c.85.nu[m.] 2.negant, & meritò quidem, quia vbi [non] eſt culpa,& ibi non debet eſſe pœna.C[on]pœn.l.Sancimus.

Tum quia qui ex ſola impotentia [non] ſoluit,non cenſetur fuiſſe in mora,nam [ſe]cundum Sylueſt.verb.mora. q. 1. vt aliqu[is] dicatur eſſe in mora, opus eſt, vt ſibi non deſit ſoluendi facultas, & quia vt notat ibi Idem Sylueſt.q. 4. mora, & culpa æquiparantur, igitur ſolum ille debitor tenetur ſoluere pœnam, qui ex culpa non ſoluit, non autem qui ex ſola impotentia.

QVÆSTIO LXXII.

Quodnam ſit iuſtum pretium, rerum, quæ in publica ſubhaſtatione venduntur?

1 REſpondeo illud eſſe iuſtum pretium rerum ſubhaſtatione venalium, quod vnus offert, ſi amplius, quam reliqui intra tempus haſtæ præfinitum obtulerit, modo nullus dolus, vel fraus tam ex parte venditoris,

Digitized by Google

ditoris, quam ex parte emptoris interuenerit. Ratio eſt, quia pretium legale ideo iuſtum cenſetur, quia taxatur authoritate Principis, ſed authoritate etiam Principis inſtitutus eſt hic modus vendendi, & ea lege, vt quod voce præconis fuerit repertum citra omnem fraudem, & dolum, id habetur iuſto pretio, ergo quod ita repetitur, iuſtum eſt.

Oportet tamen aliquas conditiones ſeruari vt huiuſmodi contractus ſit licitus.

Primò requiritur vt præcones vendant in loco publico, vbi ſolent conuenire emptores.

Secundò vt ad vendendum, & præconizandum exeant hora ſolita, vt emere volentes vbi inueniantur: fraus enim eſſet, ſi exirent extra horam, quando perſonæ huiuſmodi venalia emere aſſuetæ non adſunt.

2 Tertiò vt illa minoratio pretij non ſit vltra dimidium, aliàs in contractu eſſet iniuſtitia, & venditio eſſet reſcindenda, vel iuſtum pretium ſupplendum v. g. merces quæ in officina valent regulariter centum, ſubhaſtatione non poſſunt iuſtè vendi quadraginta nouem.

Quartò, & vltimò, vt emere volentes non auertant alios, qui volunt licitare, vt ipſi ſoli vilius emant. Ita Sot.lib.6.q.2.art. 3.& Cord.de caſib.conſcien.q.84.

Hinc, qui licitatorem, hoc eſt ſimulatum emptorem pretium magnum offerentem interponit, vt veri emptores maiori pretio emant, peccat mortaliter cum obligatione reſtituendi exceſſum, vt docet D.Thom. 2.2.q.77.art.1.& Rebell.lib.9.q.7.

QVÆSTIO LXXIII.

An venditores, poſſint aliquando tuta conſcientia aliquem ſupponere, vt pretium augeat?

1 REſpondeo poſſe, ſi bona fide crediderint merces multo minoris vendendas eſſe, quam alioqui valeant.

QVÆSTIO LXXIV.

An pretium legitimum ſit ſeruandum, dum emitur ſubhaſta, & voce præconis?

1 ROder.p.2.ſum.cap.79.ar.4.exiſtimat eſſe ſeruandum.

Communis tamen ſententia docet oppoſitum, & meritò quidem, quia ſicut in rebus ſubhaſta venalibus pretium naturale, quod eſt communiter currens neceſſariò non eſt obſeruandum, ita neque pretium earum alias legitimum conſtitutione Principis, vel ſtatuto Reipublicæ taxatum, quia alias nihil, aut parum de mercibus ſubhaſtatione expoſitis emerentur, ſi iuſtum earum pretium ex modo ſubhaſtatione vendendi non aliter ſumeretur, quam alias ſine legitimo ſuo pretio, aut naturali communiter currenti extra haſtationem venditæ valerent. Ita Lop.lib.1.de contr.c. 29.Garc.lib.1.de contr.c.21.& alij.

QVÆSTIO LXXV.

An in caſu, quo venditio reſcinditur pecunia quæ ſolet dari in arrham, debeat etiam reſtitui?

1 REſpondeo non debere, quando datur tantum in ſignum firmitatis illius venditionis contractæ, & culpa dantis reſcinditur. Et ratio eſt, quia ex vſu contrahentium ſic arrha confertur in ſignum, vt ſe exponat emptor in pœnam amittendi illam, ſi culpa ſua ab illo contractu recedat. Si autem ex dolo tantum, & iniquitate venditoris contractus reſcindatur, tunc venditor tenebitur ſoluere duplum, hoc eſt arrham quam ab eo acceperat, & tantumdem de ſuis bonis; quia tamen hæc amiſſio arrhæ, quaſi in pœnam ſtatuta videtur, qui eam incurrerit, non videbitur obligandus ad eam pœnæ exequutionem antequam exigatur. Ita Mol.d.338. Reb.lib. 9.q.1.ſect.2.& Salon.2.2.q.77.art.3.

QVÆSTIO LXXVI.

An Iudex licitè poſſit cogere aliquem ad aliquid vendendum?

1 REſpondeo, poſſe Iudicem tempore ſterilitatis compellere diuites, non modo vt vendant alimenta graui famę oppreſſis, verum etiam, vt gratis donent extrema fame laborantibus, & non habentibus pretium. Et ratio eſt, quia non videtur rationi conſentaneum, quod homines paſſim moriantur, cum ſint alimenta in Republica, quia Princeps ex officio tenetur conſeruare vitam ſuorum ciuium, &

leges

leges canonicæ, & ciuiles illis neceſſitatibus præcipiunt bona Reipublicæ diſtribui. Diſt.47.cap.ſicut & ff.ad l.Rhod. de iactu. lege 11. §. cum in eadem in fine. Et tradit Sylueſt verb. Eleemoſyna quæſt. vlt.

2 Hinc ſi Princeps tempore belli, vel magnæ ſterilitatis per ſuos miniſtros iuramẽto accepto conſtringeret ciues ad propalandum frumenta, quæ recondita habent, vnuſquiſque id conſcientia teneretur totum in frumenti, quod in abſcondito habet, reuelare, niſi fortè illud totum ſuæ vitæ, & familiæ ſuſtentandæ eſſet neceſſarium, nam tunc non teneretur illud propalare.

Hinc, ob eandem rationem, Poteſt Princeps compellere ciues ad vendendas ſuas ædes, in caſu, quo expedit pro bono publico ibi arcem, vel ædificium publicum conſtrui.

QVÆSTIO LXXVII.

An quis compelli poſſit ad aliquid emendum?

1 REſpondeo poſſe, Et ratio eſt, quia ſæpe vſu venit, vt Reſpub. in annonæ inopia frumentum emit ad egeſtatem ciuium ſubleuandam: & inde non raro accidit, vt ſit annonæ copia, tunc ne Reſpublica quæ in gratiam ipſorum ciuium frumẽtum emerat, detrimentum patiatur, poteſt eoſdem compellere ad illud frumentum emendum, vt ſic publicum ærarium conſeruetur.

QVÆSTIO LXXVIII.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, An in hoc caſu Reſpublica ius habeat vendendi frumentum ciuibus eodem pretio quo emerat? Ratio dubij eſt, quia Reſpublica emerat multo maioris, quam nunc valet.

1 REſpondeo penes Rempublicam ius eſſe vendendi tantumdem, quanti emerat, quia id fit gratia ipſorum ciuium vt ærarium publicum conſeruetur.

QVÆSTIO LXXIX.

An venditor teneatur emptori rei vitium detegere?

1 AD cuius explicationem ſuppenendum eſt primo, hic per vitium non intelligi defectus naturales toti ſpeciei cõmunes videlicet quod piſces citius corrũpantur, tale genus leguminum ſit minus ſalubre, & id genus alia, quæ nec à venditoribus aperiri ſolent: ſed defectus indiuiduales aliunde prouenientes v.g. quod ager herbas venenoſas procreet, domus peſtilens ſit, aut equus periculosè recalcitret, & ſimilia quæ vel pretium decreſcere vel emẽtis animum ab emendo retardare vel mutare poſſunt quod tribus modis contingit.

Primo quo ad rei ſubſtantiam, vt ſi acetum pro vino, aurichalcũ pro auro, vitrum pro gemma vendatur.

Secundo quo ad rei quantitatem, vt ſi numerus, aut menſura minor pro maiori vendatur.

2 Tertio quo ad qualitatem rei, vt ſi triticum putridum pro ſano, domus ruinoſa pro firma, ſeruus æger pro ſano, & iumentum claudum pro forti, & incolumi vendatur. Quo facto fundamento, pro deciſione.

3 Dico primo quod qui ſcienter vendit rem habentem vitium in ſubſtantia, vel in quantitate, vel in qualitate, eo pretio quo venderetur ſi eſſet integra, & ſana peccat mortaliter cum onere reſtituendi exceſſum pretij. Et ratio eſt, quia in tali contractu deeſt æqualitas debita. Ita Molina tom.2. de contract.diſp.353. Tolet.lib.8. ſum. cap. 49.Leſſ. lib.2.cap. 21.dub.11. & Roder.pag. 2.ſum.cap.81.num.1.

Hinc qui vendit equum ſternacem, oues interno morbo laborantes, vel tigna vitioſa, tanti quãti valerent, ſi tali vitio carerẽt, peccat mortaliter cum obligatione reſtituendi damna inde ei ſubſequuta.

Hinc, peccant mortaliter cum onere reſtituendi œnopolæ, qui vino miſcent aquã & frumentarij qui tritico miſcent ſecale, aliaue ſeminã. Verum ſi res ratione dictæ mixtionis ſunt tantæ vtilitatis emptori, ac ſi non habuiſſent illum defectum, vel non eſſent minus bonæ quam ea quæ ab aliis in foro venduntur, non peccaret contra iuſtitiam, qui cum eodem pretio venderet, quia illa fraude nullum damnum infert emptori. Ita Leſſ. lib.2.cap.21. dub.11. Sotus lib.6. qu.2.art.2. & Molina diſp.353.

4 Hinc, qui emit rem integram, vel pretioſam, tanquam defectuoſam, aut vilem emit

sciens valorem,& pretium, peccat mortaliter,ptopter fraudem illam , & deceptionem,qua vtitur cum damno fratris sui, teneturq; ei defectum iusti pretij supplere. Quod si illam ignorans ita emerit , excusabitur à peccato , tenebitur tamen ad restituendum venditori defectum iusti pretij. Si tamen in aliqua regione res illa passim parui æstimaretur , eo quod ignorent, alibi eam magnifieri, posset ibi paruo pretio emi. Sic apud Indos licitum erat contra aurũ, aliasque res pretiosissimas cõmutare specula,tintinabula,cultellos,&similia crepudia,vt rectè tradit Less. lib.2.d.c.21.11.

5 Secundo dico , quod quando vitium. est patens,& manifestũ emptori,vel tale vt facile cognosci possit,vt quod equus quem vendit sit monoculus , hoc est vnius oculi, vel claudus,non tenetur venditor declarare illud emptori , tenetur tamen nullis vti mendaciis,aut falsis rei suæ laudibus , quibus illud occultetur,& tantumdem remittere de pretio , quantum res venalis considerata cum tali vitio noscitur minus valere. & ratio est,quia emptor emendo,cum possit videre præsumitur sciens emere Ita D. Th.2.2.q. 77.ar. 3. Rebell. lib. 9.q. 8. & Lop. lib. 1. de contr.cap.45.

QVÆSTIO LXXX.

Quod si instes, quid? si vitium sit per se notum,& patens,illud tamen emptor non aduertit,debeat venditor emptorem monere,si vitiũ fuerit nociuum,vel faciat rem inutilẽ?

1 D. Th.2.2.q. 77.ar. 3. Nauar. c. 23. n. 89.Sot. lib.6.q.3. a. 2. & Lop. lib. 1. de contrac. c. 45. negant ad id venditorem obligari , quia cum vitium per se pateat omnibus, emptor sibi imputet imprudenti , & incauto.

Mo. tom.2. de contr. d.353. Roder.p.2.sum. c. 81. n. 1. & Conrad. q. 54. de contr. tenent ad id obligari.

2 Arag.2.2.q.77. ar. 2. & 3. Rebell. lib.9. q. 8. Armil.verb. emptio n.19. Tab. ibid.§. 11. & alij , putant opinionem D. Th. esse veram, nisi vendens videat emptorem laborare imperitia, & ignorantia inuincibili , quia tunc tacens peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem.

3 Cæterum cum hac distinctione melius responderi posse videtur.Aut enim emptor poterat aduertere , & ex negligentia non aduertit , aut non poterat aduertere , quia impotens erat, nimirum cœcus, aut inexpertus , quia ignorat quis sit defectus.id primum puto non esse peccatum contra iustitiam tale vitium non indicare,nec obligare ad aliquam restitutionem facta rei venditione , sed solum contra charitatem, & si vitium est in magnum damnum emptoris, erit peccatum mortale contra charitatem , aliter erit veniale. Si secundum existimo esse peccatum contra iustitiam annexam habens restitutionem,ac si vitium esset occultum. Ratio huius est, quia venditor eo ipso quo rem suam exponit vendẽdam, tenetur quasi ex officio,atq; ex iustitia vitia rei notabilia propalare , ne emptor decipiatur , ac proinde ad restitutionem tenetur damnorum omnium quæ ea de causa illi fuerint subsequuta.Ita tenent Tolet. lib. 8. sum. cap. 49. Sylvest. verb. emptio q. 20. & Ang. eod. verbo num. 8.

Tertio dico, quod venditor qui mercis defectum occultat , ex quo vel damnum vel periculũ imminet emptori, vt si equus sit calcitrosus , mordaxve , seruus fur, vel perfidus , ac fugax,vel talis,vt res inutilis sit , peccat contra iustitiam, & ad totũ interesse lucri scilicet cessantis,& damni emergentis, tenetur. Et ratio est , quia qui nocet fratri cum iniuria, peccat , contra iustitiam, & tenetur omne illud nocumentum resarcire; qui vero tale vitium occulat nocet fratri cum fraude , & iniuria,ergo peccat contra iustitiam,& tenetur ad restitutionem , idque in vtroque foro, nec satisfacit si iuxta rei defectum in pretio descendat,vt docet D. Th.2.2.q.77.ar.3. Rebell. lib. 9.q.8.

4 Hinc qui ea verborum astutia vtuntur, vt emptor in plenam , & claram illius rei defectus cognitionem peruenire non possit, vt isti proxenetæ,dum equum vitiosum vendunt,omnium morborum maculis eum depingunt , vt in aceruo verum vitium contegant,vt si quis dicat,vendo tibi hunc equum pro cœco, claudo, mutilo , surdo, omnibusque vitiis affecto,peccant mortaliter,cum obligatione restituendi,quia emptor videns dictam falsitatem in aliis expressis , credidit verisimiliter sic esse de omnibus. Ita Mol. d.353. Rebell. lib.9.q.10. Less. lib.12.c.21. dub. 11. Nauar.c. 23. n. 98. & alij.

5 Obiicies, emptor non tenetur venditori

reuelare vitium pecuniæ, ergo neque venditor tenetur indicare emptori vitium rei. Consequentia per se constat. Antecedens vero probatur in casu, quo emptor scit pecuniam, quam dat propediem esse minus valituram, tunc non tenetur aperire euentum illum; sed licitè emit, & licitus est contractus.

Respondeo in hoc casu pecunia nullum habet vitium de præsenti, sed per accidens est, & ab extrinseco quod sit à Principe deponenda, nec ipse emptor tenetur indicare illum futurum euentum, quod sua industria, vel bona sorte nouit.

6 Dices, qui pretio communi locat domum in curia homini curiali, sciens cras propter discessum curiæ mercedem locandarum ædium minus futuram, non peccat nec tenetur ad aliquam restitutionem, non indicando conducenti, quod domus illa erit illi inutilis propter discessum Principis, ergo neque venditor tenetur indicare vitium rei.

Respondeo in hoc casu domus in præsenti vtilis est nec habet vitiũ intrinsecum, sed per accidens est euentus ille futurus, cognitus per industriam, vel bonam sortem locantis, nec tenetur reuelare illum euentum Ban. 2. 2. quæst. 77. art. 2.

7 Quarto & vltimo dico, quod qui vitiũ rei occultum non aperit, & vitium est tale, vt non reddat rem emptori noxiam, periculosam, & incommodam, aut inutilem, nec peccat tacendo illud vitium, nec tenetur ad aliquam restitutionem, dummodo minuat de pretio, hoc est, tanto minoris vendat, quanto minus valet cum tali vitio. Et ratio est, quia vnicuique licet seipsum seruare indemnem, & propriæ vtilitati citra iniuriam fratris, in casu vero posito nulla fit iniuria emptori, cum nullum illi periculum immineat, nec inferatur damnum, cum res illi tradatur minuendo de pretio, pro ratione defectus, ergo. Ita D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 3.

Auertit tamen hic Mol. d. 353. quod si emptor talis sit, de quo sit præsumendum, venditurum eandem rem, tunc tenetur venditor post rem traditam admonere illum de vitio occulto, ne ipse decipiat alium emptorem, sed tantum detrahat ob vitium occultum, quantum ipse detraxit.

8 Hinc, qui vendit vinum limphatum, aut medicinas permixtas, vel quid simile facit, ipso emptore inscio, si illa admixtio nocumentum afferre potest, etiam si minuerit de pretio, peccat mortaliter cum obligatione restituendi integrum pretium, ac damna inde subsequuta. Si vero mixtio illa nullum damnum inferat, nec per eam res illa vendita minus vtilis reddatur, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur, modo tanto minoris vendat, quanto æstimaretur res ratione illius mixturæ. Ita Arag. 2. 2. q. 77. ar. 3. Sot. lib. 6. q. 3. ar. 2. Med. C. de rest. q. 43. & alij.

Hinc, pharmacopolæ qui non habentes verum oleum, vel vnguentum, dant pro eo aliud, quod habet eumdem effectum, percipientes debitum pretium, non peccant, nec ad restitutionem tenentur, vt cum cõmuni resoluunt Arag. 2. 2. q. 77. ar. 2. & Roder. p. 2. sum. cap. 81. 6.

QVÆSTIO LXXXI.

An qui vendit triticum, vel vinum, aut aliquid aliud, quod scit cito corrumpendum, possit occultato vitio, præsenti pretio illud vendere?

1 MEd. C. de restitut. quæst. 34. & 35. negat.

Alij vero vt Salon. 2. 2. q. 77. ar. 3. affirmãt.

2 Pro decisione tamen dico primo, quod qui vendit vinum, vel triticum, aut rem aliam, quam videt tendere ad corruptionem, nec diu in illa bonitate permansuram nouitq; aut probabiliter putat ementem non statim eam expensurum, & consumpturum, sed seruaturum per aliquod tempus tenetur patefacere emptori rem illam non posse diu conseruari. Et ratio est, quia occultus illius defectus cedit in damnum emptoris, quod venditor ex iustitia vitare tenetur, quocirca nisi illum aperiat, tenebitur damnum illud reficere. Ita Arag. 22. q. 77. ar. 2. 3.

3 Secundo dico, quod qui vendit aliquid quod nouit breui fore corrumpendum: & scit similiter, aut probabiliter putat, quod emptor vult illud statim consumere, totum valorem poterit recipere, nulla talis defectus facta declaratione. Et ratio est, quia cum res habeat valorem per ordinem ad vsus humanos: & ad vsum præsentem, ex communi æstimatione tantum valeat illa res, ac si haberet diuturnas dispositiones

Digitized by Google

nes conſeruantes; fit vt toto pretio currenti iuſtè vendi poſſit, nulla talis defectus facta mentione. Ita Roder. p. 2. ſum. cap. 81. n. 3. & Arag. 2. 2. q. 77. ar. 2. & 3.

4 Tertio dico, quod qui bona fide rem vendit, ignorans inuincibiliter rei defectum, non peccat, nec inde ad vllum lucrum ceſſans, vel damnum emergens tenetur. Et ratio eſt, quia & ſi deinde damnum aliquod ſequatur emptori, ex ſola re illud prouenit ſine culpa, vel fraude venditoris, tenetur tamen ſatisfacere quantum amplius apud ſe habet, quando id reſcit. Quod ſi iam bona fide conſumpſit, quanto inde factus ditior euaſit, aut reſcindere contractum, ſi id petat ipſe emptor. Ita Rebell. lib. 9. quæſt. 8

QVÆSTIO LXXXII.

An quando vitium facit rem venalem inutilem venditori, ſed non emptori poſſit tuta conſcientia venditor tale vitium occultum reticere? Eſt equus v. g. ad equitandum inutilis, & quia Titius eget equo ad equitandum vendit illum Caio qui ad circumferendam rotam ciſternæ eo indiget, ad quem vſum duntaxat eſt vtilis. Quæritur nunc an poſſit Titius tale vitiũ diſſimulare?

1 MAg. Sot. lib. 6. q. 5. ar. 2. affirmat poſſe: additq; huius ſententiæ fuiſſe S. Thomam, & Gerſonem in Reg. mor. Alij vt Molina d. 353. Medina. C. de reſt. quæſt. 34. & 35. Conrad. de contr. q. 54. & Gabr. in 4. d. 15. quæſt. 10. ar. 3. negant.

2 At ego ſatius duco in hac parte fore per diſtinctionem reſpondendum. Aut. n. Caius erat alioqui ſimiliter rem empturus, licet is de vitio præmoneretur à Titio, licet non tam libenter, aut ſecus. Si primum tunc Titius non cogitur rei vitium Caio patefacere. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque ſuo conſulere poteſt commodo, citra tamen detrimentum tertij; ſed in hoc caſu Titius ſuo proſpicit commodo tacendo vitium, qui vitat ſic damnum, quia ſi vitium Caio manifeſtaret, pluſquam par eſſet, vellet extenuare pretium, tacendo tamen vitium nihil molitur in Caij damnum, quia res vendita pro toto ſic diminuto Caio vtilis eſt, & proficua, ergo nulla ratione cogitur Titius patefacere vitium, nam cognita veritate adhuc Caius erat empturus. Si ſecundum tunc Titio non eſt integrum rei vitium ſubticere, quia tunc emptio eſſet prorſus inuoluntaria, ac proinde nulla, quia Caius, ſi vitium ſciuiſſet, proculdubio non emiſſet.

QVÆSTIO LXXXIII.

Sed Quid? ſi cognita veritate, emptor adhuc emiſſet, non tamen pro tanto pretio? verbi gratia vendit Titius Ioanni equum habentem defectum, quem Ioannes ignorat, Titius autem illum cognoſcit, & idcirco detrabit de pretio, quantum minus valet cum eo vitio: ſed ſi Ioannes de vitio certior fieret, adhuc emeret equum, tamen ſi non tam libenter, nec tanti, quanti valet. Dubium eſt, An in tali caſu teneatur Titius ſub mortali talem defectum Ioanni reuelare?

1 ET quidem conſtat inter omnes. Titium in hoc caſu non peccare contra iuſtitiam, non detegendo talem defectum Ioanni.

Tota ergo dubitatio eſt. Vtrum peccet contra charitatem.

Med. C. de reſt. q. 34. & Armil. verb. emptio. §. 16. ſentiunt Titium in hoc caſu peccare contra charitatem, niſi talem defectum Ioanni manifeſtet.

2 Mihi vero longe probabilius videtur contrarium nempe Titium in hoc caſu non peccare. Et ratio eſt, quia non tenetur mercator ſuæ mercis vitium detegere, ſed magis ſuæ indemnitati conſulere, modo aliis iniuriam non inferat, vt docet D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 3. & Arag. ibidem.

3 Aduertendum eſt autem, Titium in hoc caſu facta venditione teneri Ioannem commonefacere de vitio rei; ne ſi alteri eam vendat pretio, quo valeret, tali defectu non exiſtente ſit cauſa damni tertij. Quod puto eſſe verum quando Titius probabiliter credit Ioannem eam mercem emiſſe, vt iterum reuenderet. Secus quando nulla eſt talis coniectura de hoc, vt quia non eſt officium Ioannis negotiari, vel quia merces venditæ breui finientur in poteſtate eiuſdem. Ita Roder. p. 2. ſum. c. 81. num. 2. & Arag. 2. 2. q. 77. ar. 2. & 3.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXXIV.

An qui vendit equum, ac dicit se nolle teneri de vitiis occultis, & postea aliquod comperiatur, ratione talis vitij occulti teneatur aliquid restituere?

1 REspondeo ad nihil teneri, si reuera venditor vitium ignorabat, & pretium sit iustum attentis circunstantiis, & apparentia rei, habitoque respectu quod venditor periculum vitij occulti à se reiiceret, tunc esto postea comperiretur habuisse vitium ratione cuius equus non tanti valebat, ad nihil teneretur venditor, quandoquidem emptor pretio iusto emit rem illam, spectatis circunstantiis, quæ erant tempore venditionis, atque in se suscepit periculum vitij occulti.

2 Dixi notanter (si reuera vitium ignorabat) quoniam si aliquod agnoscebat, esto in genere diceret, se nolle teneri de vitiis occultis, nihilominus in foro conscientiæ non secus teneretur, quam si nihil dixisset. Vt habetur in l. quæro ff. de actionibus empt. & tradit. rectè Mol. d. 353.

QVÆSTIO LXXXV.

An venditor teneatur explicare defectum rei, quæ ipsi menti inutilis est, & nociua, aliis tamen vtilis, & proficua. Vt si militi solito equitando pugnare, vendat equum debilem, & senem, qui tamen seni cui moris est per Ciuitatem equitare, maximè vtilis est. Quæritur nunc. An talis venditio seruato iusto pretio sit valida & iusta?

1 SVnt multi qui existimant talem venditionem esse iustam, & validam.

Alij vero vt Sotus lib. 6. quæst. 3. art. 2. quem multi sequuntur docent esse iniustam, & irritam.

2 Mihi tamen cum hac distinctione melius responderi posse videtur. Aut enim emptor sibi tantum, & ob solam suam vtilitatem equum illum emat, aut vt eundem aliis cum lucro vendat. Si primum, vera est opinio Soti, quia venditor iure, & lege charitatis curare debet, ne emptor frustra pecuniam suam effundat, & ex consequenti admonere illum, rem illam ipsi inutilem esse.

Tum quia, quando cessat finis contractus, talis contractus est irritus, & nullus, emptio enim introducta est in vtilitatem mentium, non autem aliorum, ergo vbi equus ille emptori inutilis est, esto alijs prodesse possit, venditio ipso facto est nulla, & irrita. Si secundum, vera est prima opinio, quia cum in talem finem equum illum emat, possitque illum alijs vendere, ipsi quoque ea ratione vtilis censendus est.

QVÆSTIO LXXXVI.

An liceat aliquando rem alienam vendere, non patefaciendo hoc vitium, quod scilicet sit aliena?

1 MEdina C. de rest. quæst. 37. tenet licere.

2 Sed in contrarium est veritas. Vnde pro resolutione dico primo, quod qui absque præsenti ratihabitione domini, vendit rem alienam, non indicando hunc eius defectum, quod scilicet sit aliena, peccat mortaliter, & contractus est nullus. Et ratio est, quia in tali contractu emptor rationabiliter inuitus, & deceptus ita contrahit, ergo venditor iniustè cum illo contrahit. Probo antecedens. Nam emptor non intendit transferre dominium pretij, nisi venditor æquè possit se obligare ad tradédum ipsi rem, sed in hoc casu, venditor non potest transferre dominium rei, quam vendit, ergo emptor inuitus contrahit cum illo.

3 Hinc, qui emit rem alienam, tenetur restituere eam vero domino, si vero facta morali diligentia non inueniat, tenetur dare pauperibus pro anima illius. Quamuis in dubio, an sit aliena, an illius qui vendidit illam, benè poterit retinere illam dummodo quando constet de vero domino restituat illam.

Hinc, qui emit rem alienam, & non potest scire, cuius sit. Titij, an Caij, sciens tamen esse vnius eorum, tenetur pro ratione dubij diuidere eam inter eos, vt docet Sotus lib. 4. quæst. 2. ar. 2.

Hinc, qui emunt ab Aegyptiis, qui omnia quæ habent, præsumitur surripuisse, tenentur pro ratione dubij restituere aliquid pauperibus, non inuentis veris dominis, vt docet Cordub. de casib. in addit. quæst.

quæſt. vlt. & Roder. p. 2. cap. 76.

4 Secundò dico, quod ſi in iſto caſu venditor patefaciat emptori, rem eſſe alienam, ac proinde expectandam eſſe voluntatem Domini, non peccat, nec contractus eſt inualidus; quamquam tunc non erit propriè contractus venditionis, ſed erit potius contractus innominatus v.g. faciam, vt des. Vel do, vt facias. Vt docet Valent. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 4.

QVÆSTIO LXXXVII.

An qui fecit librum aliquem decreto Inquiſitoris Sancti officij poſtridiè forè condemnandum, poſſit tanti illum vendere, quanti ſecundum vſum fori æſtimatur?

1 REſpondeo non poſſe. Et ratio eſt, quia in hoc caſu vitium eſt in libro, ob quod minus æſtimatur.

QVÆSTIO LXXXVIII.

An bona, cauſa maleficij confiſcanda, poſſit reus per venditionem diſtrahere?

1 QVæſtio eſt, cuius meminit Lop. lib. 1. de contr. c. 8. reſpondendum eſt ergo iuxta mentem eius ſic. Qui tacitus alteri vendit rem, quæ proter crimen ab eo commiſſum, venit publicanda, non tamen ipſo iure eſt confiſcata, non peccat, ſed validè tranſmittit, quo ad eius dominium, & poſſeſſionem in emptorem. Ratio eſt, quia hic ante ſententiam declaratoriam poteſt donare iuxta l. poſt contractum. ff. de donat. ergo & per venditionem diſtrahere, ita vt valida ſit talis venditio.

QVÆSTIO LXXXIX.

An hæreticus, ſive quiuis alias criminis reus, cuius pro tali crimine ipſo iure confiſcata ſunt bona, poſſit ea diuendere?

1 REſpondeo non poſſe. Et ratio eſt, quia id ſine periculo, atque damno alterius contrahentis fieri non poteſt, quãdoquidem fiſcus iure poteſt ea ab emptore repetere. Ita Mol. d. 353. & Nau. c. 23. n. 89.

QVÆSTIO XC.

Sed Quid? ſi tale crimen, occultum creditur manifeſtum, neque ad aures fiſci perueniturum atque adeò nunquam emptorem eſſe de tali priuandum?

1 REſpondeo tunc non eſſe talem venditionem illicitam; quia tunc nullus metus ſubeſſet, quod ab emptore forent per fiſcum exigenda. Ita Nauar. c. 23. n. 89. Lop. lib. 1. de contract. c. 81. & alij.

Hinc, non eſt audiendus in hac parte Valen. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 4. cum ait, quamuis ob eam quidem cauſam, non ſit tunc illicita talis venditio; eſt tamen illicita propter grauem inobedientiam qua reus rem alienat contra legem pœnalem, quæ obligat illum in conſcientia à tempore perpetrati criminis, non diſtrahere res ſuas, exceptis his quæ pertinent ad victum quotidianum; peccat igitur talis Reus ex hac parte mortaliter. Quia licet lex pœnalis ipſo facto amiſſionem bonorum decernat, tamen ſecundum probabiliorem ſententiam Doctorum, ipſo dominio ante ſententiam Iudicis non priuat, ac proinde in conſcientia reus occultus, de cuius criminis publicatione non timetur in poſterum, non videtur ab alienatione ſuorum bonorum ſiue per venditionem, ſiue aliter prohibendus, vt rectè docet. Sot. lib. 1. q. 6. art. 6.

QVÆSTIO XCI.

An bona ipſo iure confiſcata, poſſit Reus donare, etiam in caſu; quo ſuum crimen in publicum veniret prodendum?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia donatario hic non fit iniuria, ſi re, quam gratis accepit, contingat poſtea per fiſcum expoliari. Ita Victoria, in relect. de Indis, & Lop. lib. 1. de contract. c. 8.

QVÆSTIO XCII.

An Aurifices, & Argentarij poſſint licitè vendere, ad auri vel argenti pondus, eas mixturas alterius metalli, quas auro vel argento immiſcẽt pro iuncturis vaſis cõglutinãdis.

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia ita habet omnium aurificum vſus, & conſuetudo vbique terrarum, in quam omnes emptores, quaſi quodam iure gentium conſenſerunt, cum experientia

Digitized by Google

teſte, nullus vnquam eorum, vbi miſtura ita neceſſaria eſt, conqueratur.

Tum quia id illis datur, vel in partem pretij, vel lucri, ad illorum laborum, & operam compenſandam; modo ſine fraude id tantum admiſceant, quod pro iuncturis operis ſui conficiendis iuxta ſuam artem neceſſarium eſt, & conſuetum.

2 Tum quia in cæteris artificialibus mixturis, aut confectionibus id accidit eſſe licitum. Nam faber ferrarius in compactione ferri, cum ferro, ſolitus eſt immiſcere puluerem arenæ: & pharmacopola in confectionibus medicinalibus interdum immiſcet aquam naturalem, vt melius fiat earum contemperamentum: caldariarum quoque artifices ad iuncturas conglutinandas ferrum ſoliti ſunt coniungere; & tamen hi poſſunt ſui laboris integram recipere mercedem, non computando pondus ligæ, vel mixtæ materiæ alterius in ſui laboris ſtipendio. Ita Roder.p.2.ſum.c.81. num.9. Lop.lib.1.de contr.c.19. & Cord.de caſibus q.80.

Hinc, artifices, qui plus extraneæ materiæ aut metalli inferioris immiſcent in ſuis operibus argenteis, vel aureis, quam ſecundum regulam ſuæ artis ſit opus, peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi exceſſum. Et ratio eſt, quia hoc modo vendunt rem defectuoſam in ſubſtantia, pro integra, & ſana, plumbum ſcilicet pro argento, & auro, aut ferrum pro ære, quod quam ſit iniuſtum, nemo eſt, qui dubitet.

3 Hinc eadem ratione peccant mortaliter cum debito reſtituendi vnguentarij, aromatarij, & ſimiles artifices, qui vnguenta, aromata, aquas odoriferas, & ſimilia corrupta pro integris vendunt, vel illis iam confectis viliora miſcent, vt eodem pretio, & pondere, quo integra vendentes ſuæ cõſulant cupiditati. Verum ſi dum illa conficiunt, aliquid miſcent aquę, vel alterius rei, ſine qua medicamenta illa, aut vnguentum, vel aqua odorifera iuxta regulas artis confici non poſſunt, iuſtè poſſunt mixturas eodem pretio vendere, quo medicamenta, aut vnguentum, vel aqua odorifera.

QVÆSTIO XCIII.

An Mercator poſſit licitè vendere triticum cum eo puluere, & glebulis terreis, cum quibus communiter ſolet portari ab area, & meſſe?

1 REſpondeo poſſe, modo in area purgetur, ſicut habere ſolet vſus inter bonos, & timoratos agricolas. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

Sed tota difficultas conſiſtit, quando triticum extra aſſuetum purgato, puluis miſcetur, vt vendatur?

2 Medina in ſua inſt. conf. fol. 142. circa Regulam quartam tenet in hoc caſu contractum eſſe inualidum, & teneri talis tritici venditorem reſarcire damnum obuenens emptori.

Roder.p.2.ſum.c.79. cenſet contractum eſſe validum, cum dolus non excedens medietatem iuſti pretij, valeat contractus, ſitque neceſſe, vt reſcindatur, vt dicitur in iure; putat tamen hunc teneri ad reſtituendum dictum damnum, præcipuè ſi poſt factam venditionem mixta fuit terra.

3 Mihi tamen cum eorum bona venia oppoſitum videtur dicendum, modo eas tantum glebulas agricola miſceat, quibus ſolet triticum ex area colligi, & communiter vendi. Et ratio eſt, quia non videtur rationi conſentaneum, vt quo pretio vnus vendere iuſtè poteſt, non poſſit alius rem ſimilem, & eiuſdem bonitatis, ac veritatis; ſed poteſt alius agricola triticum ſuum cum glebulis quas illud, & ſi purgatum in area, retinere ſolet, iuſtè vendere, ergo & hic qui illud vltra ſolitum expurgauerat in eo gradu, quo triticum nobilium pro ſua menſa iterũ, atque iterum cribratum, & ſummè repurgatum ſolet committi molendino, poterit ſimiliter vendere, reſtitutis illis ei glebulis, quas extra aſſuetum ſubtraxerat. Ita tenent Sylon.2.2.q.77.art.2. & Lop.lib.1.de contr.cap.19.

QVÆSTIO XCIV.

An contractus, in quo venditur res defectuoſa pro integra occultando illius defectum ſit validus?

1 PRo deciſione huius quæſtionis dico primo, quod per ſe, & regulariter loquendo, quodlibet rei vitium in ſubſtantia, in quantitate, vel qualitate irritat contractum, quando res venditur pro ſana, abſque defectu aliquo. Et ratio eſt, quia ille cõtractus regulariter, & per ſe loquendo eſt rationabiliter inuoluntarius, ergo per ſe loquẽdo eſt nullus. Ita Ban.2.2.q.77. art.

Digitized by Google

art. Lop. lib. 1. de contr. cap. 43. Arag. 2.2. quæſt. 77. ar. 2.

2 Secundo dico, quod contingere poteſt vt vitium ſit tam minimum in ſubſtantia, quantitate, vel qualitate, quod contractus ſit validus v. g. ſi vendat albanum pro vino neapolitano, ſit autem illud ita pretioſum, ſicut neapolitanum tunc validus eſt contractus. Et ratio eſt quia in moralibus quod parum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil. Ita Ban. 2.2. q. 77. ar. 2.

3 Tertiò dico, quod ſi venditor rei defectuoſæ ſua ſponte, vel interrogatus affirmet eam nullum habere vitium, vel etiam ſuo ſilentio perſuadeatur emptor rem eſſe integram vltra peccatum mortale, quod committit, contractus eſt nullus: & ratio eſt, quia dolus dans cauſam contractui cum mala fide, & deceptione alterius contrahentis reddit illum ipſo facto inualidum, ſed in hoc caſu, dolus iſte dat cauſam huic contractui, & cum mala fide vendentis ergo. Lop. lib. 1 de contr. c. 43.

4 Quartò dico, quod qui bona fide vendit rem aliquam vitioſam ignorans inuincibiliter illius rei defectum, propter quem efficitur illa inutilis, vel noxia emptori, tenetur ſtatim cognita veritate illam aperire, ne emptor ſimiliter alium decipiat, ad quod incommodum vitandum tenetur omni iure, qui prius rem vitioſam pro integra vendidit, cum primum illud nouit, non tamen tenetur reſcindere venditionem, ſed in optione emptoris eſt, vel illam reſcindere, vel inæqualitatem pretij ad æqualitatem reducere.

Dixi notanter (bona fide ignorans inuincibiliter) quia ſi culpa ſua ignoret defectus, quos tenebatur, vel poterat cognoſcere, perinde eſt, ac ſi illos agnouiſſet & cùm dolo occultaſſet, culpabilis enim, & affectata ignorantia non debet illi fauere cum detrimento alterius; quocirca de venditore ignorante ignorantia culpabili, & affectata ſimiliter iudicandum eſt, ac de venditore ſciente rei ſuæ defectum, & de induſtria inique illum occultante. Ita Molina d. 353.

5 Quinto dico, quod ſi venditor negatiuè ſe habet, & emptor habet intentionem virtualem ſcilicet non emendi rem illam, ſi ſciret eſſe vitioſam; tunc per ſe loquendo validus eſt contractus, quando res vtilis, ac proficua, vel parum minus, quam eſſet, non habens talem defectum, nec tenetur venditor ad defectum illum indicandum, modo detrahat a pretio, ſi quid res illa propter defectum illum iudicaretur à prudentibus minus valere. Et ratio eſt, quia res venales non æſtimantur ſecundum ſuam ſubſtantiam, aut alias qualitates, vel circumſtantias, niſi quatenus ſunt vtiles, & deſeruiunt vſibus humanis: at vbi res ex defectu aliquo non eſt minus vtilis emptori, quam ſi talem defectum non haberet, deſeruit ſimiliter vſui humano, in quem emitur, perinde ac ſi tali defectu careret, poteſt ergo vendi iuſto pretio, perinde ac ſi talem defectum non haberet. Vt docet Sot. lib. 6. quæſt. 3. artic. 2. & Lop. lib. 1. de contr. cap. 43.

6 Sexto dico, quod quando defectus rem vendendam inutilem, vel nociuam emptori efficit, venditor qui ſciens, & prudens talem defectum occultat, etiam ſi non fuerit ab emptore interrogatus, vltra peccatum mortale, quod committit contra iuſtitiam, contractus eſt nullus, & irritus. Et ratio eſt, quia in iſto caſu ex parte venditoris interuenit dolus dans cauſam contractui, & ex parte emptoris ignorantia, quæ tollit rationem voluntarij, quod requiritur ad verum, validumque cõtractum. Verum eſt tamen, quod ſi emptori alias eſt negotiator, ita vt intelligatur, quod emit ad vendendum, validus erit contractus quia venditur illi res ſibi vtilis ratione negotiationis. Ita Ban. 2.2. q. 77. art. 3.

Septimo dico, quod quando defectus rei non efficit illam omnino inutilem emptori, nec venditor aliquo vtitur mendacio ad defectum illum occultandum, nec interrogauit illum emptor, præterquam de pretio, non peccat venditor contra iuſtitiam, etiam ſi occultum vitium non aperiat, modo non vendat ſupra iuſtum, ſed detrahat de pretio, pro ratione vitij. Et ratio eſt quia hic nullam iniuriam facit emptori, nam vendit rem ſuam iuſto pretio, neque per iniuriam allicit illum ad contrahendum, ergo nullam hic committit iniuſtitiam, ac proinde contractus eſt validus

7 Nec obſtat, quod non patefaciat vitium quia ad id non tenetur ex iuſtitia, niſi emptor petat, nam exploratio rei ad emptorem pertinet. Poteſt tamen peccare contra charitatem, vt ſi videat emptorem ex ſimplicitate decipi, & putet rem ei fore

inutilem, quamuis aliis inutilis non sit. Quod si etiam putatur fore noxia ratione occulti defectus, videtur quoque ex iustitia teneri aperire defectum saltem post contractum: nam hoc ipso, quo rem suam vendit cum occulto vitio, tenetur officij sui lege cauere ex parte sua, nequis inde aliquod nocumentum capiat, alioquin videtur causam nocumenti dedisse, vt si vendat oues interno morbo laborantes, tigna vitiosa. Vt habetur ex l. Iulian. ff. de actionib. empt. Putat tamen Less. lib. 2. c. 23. dub. 11. ante contractum ad hoc non teneri, quando emptor suo iudicio fidens rem emit, vt dictum est, modo illa post contractum monitione, omnia damna, & incommoda possint caueri.

8 Octauò dico, quod quando emptor quærit à venditore in particulari, habeat ne res illa, aut hos vel illos defectus, explicãs manifestè suum animum, non esse emere rem sic defectuosam, contractus est nullus. Ratio est, quia vbi emptor ita explicat intentionem suam, expressè est inuoluntarius, & dissentit ab illa venditione, ergo expressè est nullus, & inualidus cõtractus. Ita Salon. 2. 2. quæst. 77. art. 3.

Nono, & vlt. dico, quod quãndo emptor non quærit à venditore expressè, & in particulari, habeat ne res illa hos, vel illos defectus, sed solum in genere, an res sit bona, an careat vitio, peccat quidem venditor occultando illos, contractus tamen validus est, & iustus, si propter defectus illos non designat res illa vtilis esse, & proficua ad vsus, ad quos emitur, seruaturque iustum pretium iuxta qualitatem defectus. Ratio huius est, quia in isto casu occultare, vel negare defectum illum non est mendacium nociuum, sed officiosum tantũ, cum res illa propter illum non sit minus vtilis, mendacium autem officiosum non euacuat, nec reddit contractum inualidum. Ita Salon. 22. quæst. 77. ar. 3

9 Pro complemento autem huius quæstionis aduertat studiosus lector, quod hæc omnia intelligenda sunt de venditore qui est persona talis cui fides est adhibenda: nam si habeatur mendax, & nullius fidei, non peccat contra iustitiam cum non fuerit causa efficax damni, ac proinde non tenebitur rescindere venditionem; quia deceptio illa non ipsi, sed imprudentiæ emptoris est attribuenda, qui ita leuiter credidit venditori mendaci, cui nulla erat adhibenda fides. Ita Salon. 2. 2. q. 77. ar. 3.

QVÆSTIO XCIV.

An emptor teneatur manifestare virtutem mercis, quam venditor ignorat?

1 AD hoc dico primo, quod quando venditor ignorat valorem mercis quam vendit, est autem illa communiter cognita ab hominibus illius artis, habetque res illa suum pretium in communi vsu fori, tunc emptor etiam non rogatus, non solum lege charitatis, sed etiam lege iustitiæ tenetur virtutem illius rei venditori reuelare. Et ratio est, quia licet alij qui non parant rem emere, teneantur lege sola charitatis, & sub mortali venditorem insciũ valoris rei admonere, quando ex ignorantia valoris, vendens passurus est graue dãnum: tamen qui emere rem constituit, quia alias, venditor rei nesciens, minoris rem suam vendat, inuoluntarius illo pretio distrahit, & ideo tenebitur vi iustitiæ, & sub culpæ restitutionisque reatu virtutem illius rei patefacere. Ita D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 3. Sot. lib. 6. q. 3. ar. 2. Nau. c. 23. nu. 89. Rebell. lib. 9. q. 8. & Conrad. de contr. q. 54.

2 Secundò dico, quod si tam venditor, quam emptor rei virtutem ignorent, quia fortè putant esse aurichalcum, quod est aurum, aut vitrũ, quod est gemma, tunc in tali casu ignorantia excusabit à peccato emptorem, non tamen à restitutione, qua debet supplere pretij defectum, quam primum sciuerit rei valorem, vel saltem tenebitur contractum rescindere, si pretij defectum supplere nolit. Ita Arag. 2. 2 q. 77. ar. 2. & 3.

3 Tertio dico, quod quando venditor ignorat virtutem rei, quam vendit, nec communiter cognoscitur ab hominibus etiam peritis in illa arte, non tenetur emptor peritissimus cognoscens illam virtutem indicare vẽditori, quam ipse solus sua singulari peritia agnouit, sed iustè potest illam emere exhibito pretio, quod communiter taxatur à peritis in illa arte. Et ratio est, quia iustum rei pretium, quando à lege non est præscriptum, illud est, quod communiter æstimatur, secundum communem vsum fori, sed illa viri occultissima in publico foro non æstimatur si quidem non cognosci

Digitized by Google

cognoſcitur, ergo emptor non tenetur dare pretium pro illa virtute, quam ipſe ſpecialiter cognouit.

6 Tum quia virtus illa gemma occulta, habet ſe reſpectu lapidarij peritiſſimi, ſicut theſaurus abſconditus in agro, de quo diximus ſupra, quod licitum eſt emptori emere agrum illum, nihil iudicãdo de theſauro, quia cum venditur ager, ſola planities eſt, quæ venditur cum his quæ ſupra ſunt, non autem ea quæ ſubtus ſunt. Ita Roder. p. 2. c. 81. nu. 4. & Salon. 2. 2. q. 77. a. 3.

. Hinc, faſcis herbarum, qui venditur ad eſum animalium, poteſt emi pretio quo talia communi vſu fori vendi ſolent, etiam ſi emptor ſciat ibi pretioſas quaſdam herbas contineri. Ratio eſt, quia tota illa res ad eum vſum, quo vendi ſolet non pluris æſtimatur. Ita Leſſ. lib. 2. c. 21. dub. 11.

Hinc, olim iuſtè poterant Hiſpani, in India emere gemmas illo pretio, quod inter ipſos Indos communi vſu fori cenſebatur iuſtum; etiam ſi Hiſpani illarum valorem agnoſcerent, quia non tenebantur indicare illis valorem gemmarum, vel auri, quę ipſi ſoli ſciebant. Ita Salon. 2. 2. q. 77. a. 3.

QVÆSTIO XCV.

Quid de eo iudicandum, quod aliquando accidit, ruſticus vendit gemmam minus iuſto pretio, eo quod ignorat eius valorem, & emptor eius valorem cognoſcens, dicit, ego à te emam tanti gemmam illam, ſi tu ſponte mihi remittas, ſi forte amplius valet?

1 CAiet. in ſumma verb. emptio c. 3. & Roder. p. 2. ſum. cap. 81. nu. 11. affirmant hunc qui hoc modo emit, non peccare, nec ad aliquam reſtitutionem teneri. Huic autem ſententiæ videtur accedere Med. in ſua inſt. conf. §. 31. c. 4. fol. 168.

2 Mihi autem cum hac diſtinctione melius reſponderi poſſe videtur, aut enim emptor monet venditorem de iuſto rei pretio in cõmuni, dicendo rem multo plus valere, quam id quod venditor petit, nihil exprimendo de iuſto rei valore. Aut verbis ſpeciatim expreſſis, vt ſi emptor dicat rem tanti valere. Si primo non tenet talis remiſſio, quia ſi compertum habuiſſet eius valorem aut non vendidiſſet, aut certè pretio maiori. Si vero ſecũdò vera eſt ſententia Caiet. ſi vendens non neceſſitate oppreſſus, ſed ſpontè vendit. Ita tenet Lop. lib. 1. de contractib. cap. 48. & multi alij.

QVÆSTIO XCVI.

An aliquando liceat venditori minuere menſuram mercium, puta vini vel olei?

1 REſpondeo licere, in caſu quo emptores nolent emere merces, quantum re vera valent, aut quia factum eſt monopolium, aut quia Princeps noluit merces iuſto, & æquiualenti pretio taxare, tunc licitè poterit minoris vendere curtando menſuram, ita vt quantitas, quam iſte tradit, iuſtiſſimè valeat illud pretium, quod recipitur. Quod debet intelligi, quando iniuſtitia pretij eſt patens, quod debẽt iudicare homines bonæ vitæ, & famæ, quia nemo præſumitur bonus Iudex in cauſa propria. Ita Valen. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 4. Roder. p. 2. ſum. 2. 81. nu. 8. Lop. lib. 1. de contr. c. 14. Arag. 2. 2. quæſt. 77. ar. 3. & Tolet. l. 9. c. 4.

Hinc eadem ratione poterit aqua vinum miſcere, vt ſi nimia eſſet vini caritas, ita vt menſura valeret tribus granis, ſed nemo eſſet, qui vellet tali pretio emere, tunc licitè poterit venditor aqua illud diluere, vendendo phialam duodus granis, quæ re uera cum aqua tantum valet. Quod ego verum exiſtimo quando venditor probabiliter credit emptorem vnum emiſſe, vt ſtatim conſumeret, eſſetque ei vinum ſecundum rationem pretij vtile.

2 Hinc, eodem fundamento, qui habet vinum bonum, cuius phiala iuſtè vendi poteſt tribus grains, ſed ſi populus ſciret non eſſe vinum Panormitanum, non tanti emeret, iuſtè poteſt illud, & ſi non ſit illius generis vinum tacendo, vendere tribus. Verumtamen eſt, ſi vinum Panormitanum virtutem aliquam medicinalem haberet, quæ in alio vino licet ita bono nõ inueniretur, iniuſtè ageret, ſi vinũ pro alio vẽderet: quoniã ratione medicinę quęreretur. Ita Arag. & Ban. 22. q. 77. a. 3. Tolet. lib. 8. n. 6. 49. Lop. lib. 1. de cõtract. c. 15. & plerique alij

QVÆSTIO XCVII

An qui ſe deceptum reperit in contractu emptionis, vel venditionis, poſſit ſecretè ſibi recompenſare?

1 REspondeo posse, si pro comperto habet, se esse deceptum, & via iuridica non potest suum recuperare; & absit scandalum, & cautela adhibeatur, ne deceptor ad se reuersus iterum restituat ob ignorantiam recompensationis factæ.

QVÆST. XCIX.

An negotiatio, qua quis rem aliquam mercatur eo animo vt integram, & non mutatam vendendo, lucretur sit licita?

1 AD cuius explicationem aduertendum est primo, quod de negotiatione possumus loqui dupliciter. Vno modo communiter secundum generalem rationem negotiationis. Alio vero modo in particulari, de hoc, vel illo genere negotiandi cum omnibus suis circunstantiis. Et quidem si loquamur de negotiatione isto secundo modo constat, inter omnes nullam negotiationem dari indifferentem, sed omnis est necessario bona, vel mala, sicut & omnes actus humani in individuo sunt necessario boni, vel mali. Et ratio est, quia si lucrum quod per eam intenditur, referatur vlterius in aliquem honestum finem, vt scilicet per lucrum acquisitum, aut pauperes iuuentur; aut status honestè conseruetur, est bona, & honesta: si vero referatur in aliquem turpem, & malum finem, aut exerceatur cum indebitis circunstantiis, est mala, & turpis pro ratione illius finis, vel circunstantiæ.

Quod ergo quæritur, solum est de negotiatione primo modo, sumpta. An videlicet secundum suam naturam sit licita.

1 PRo cuius decisione dico primo, quod negotiatio generatim sumpta, & secundum suam intrinsecam rationem non est bona vt charitas, nec mala vt mendacium, sed indifferens, vt comedere, ambulare &c. quæ ad bonum, malum, vel indifferentem finem referri possunt. Vt ostendit D. August. in lib. quæst. veter. & noui testam: & refertur in cap. fornicari 88. ibi enim sic ait fornicari hominibus semper non licet, negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet; antequam fiat clericus, licet, facto clerico, non licet. Et docet D. Thom. 2.2.q. 77. art. 4. & Arag. ibidem.

Obicies verba Chrysostom. homil. 38. Quicunque (ait) rem comparat, vt integram, & immutatam vendendo lucretur, illic est mercator, qui de templo Dei eiicitur.

2 Respondeo, D. Chrysost. loqui de eo qui ex venditione rei immutatæ quærit lucrum excedendo latitudinem iusti pretij, vt optimè docuit D. Thom. 2.2.q. 77. ar. 4. ad 2. vel vt ait Med. q. 30. de rest. loquitur de negotiatione quæ ex nimia auaritia, cum mendaciis, dolis, & periuriis fieri solet, quæ tamen ex malitia negotiantis contingunt.

Secundo dico, quod si negotiationis finis per se consideretur, qui non est nisi lucrari, non est intrinsecè mala, habet tamen speciem mali, sicut & finis eius nempè lucrum secundum se sumptum non est intrinsecè malum, habet tamen speciem mali, nimirum cupiditatis, & auaritiæ, quæ sunt maxima vitia, dicente Paulo ad Timoth. radix omnium malorum est cupiditas. Ita Valen. tom. 3. d. 5. q. 20. p. 5. & Molina d. 339.

3 Tertiò dico, quod negotiatio propter solum lucrum suscepta, ita vt in nullum alium finem lucrum illud à negotiatore referatur, sed propter seipsum tantùm referatur, si quidem appetitus vt vltimus finis præferendo illud diuinæ legi, est peccatum mortale. Si vero diuinæ legi non anteponatur, peccatum veniale tantum est. Ita Salon. 2.2.q. 77. art. 3.

Quartò, & vltimò dico, quod negotiatio, qua merces carius venduntur, quam sunt emptæ ex se licita est, & honesta. Probatur, si ista negotiatio esset illicita hoc esset, vel ratione sui, vel ratione lucri, vel ratione mendaciorum, periculorum, fraudum, &c. quæ illic solent commiscri. Non primum quia vt ex dictis constat, illa potest iustè exerceri, si inter pretium, & merces debita æqualitas seruetur. Nec secundum, quia licite potest lucrum intendere, ordinando illud ad sui, suæque familiæ sustentationem. Nec tertium, quia vitia illa vt D. August. dicit, vitia sunt negotiantis, non negotij. Negotium (inquit Aug.) non facit me malum, sed mea iniquitas, ergo.

QVÆSTIO C.

Quotnam sint modi, quibus negotiatio secundum se licita potest vitiari?

1 Respon

1 REspondeo septem. Primo ratione rei. Secundo ex parte venditoris. Tertiò ex parte emptoris. Quartò ex parte loci. Quinto ex parte temporis Sexto ex parte modi. Septimo, & vltimo ex parte finis.

Primo igitur vitiatur negotiatio ex parte rei, quæ venditur, quando nimirum venditur res, quæ non est vendibilis, vt sacramenta, beneficia Ecclesiastica, vel licet sit vendibilis, prohibetur tamen vendi, huiusmodi est venenum quod ad nullum bonum vsum deseruire potest. Vt patet lege quod sæpe ff. de contrah. emp.

2 Item homo liber vendi ab alio non potest lege liber homo, & lege liberi homines ff. de contrah. empt. quamquam pater possit vendere filium, tum ob suæ summæ indigentiæ famis subueniendum; tum (vt etiam aliqui interpretantur) ad propriam redimendam vitam, in casu quo iniustè ea veniret priuandus.

Non nego tamen, quod rectè Caiet. in opusc. tract. 31. vlt. resp. affirmat fas esse imagines, calices, ceteraque res sacras per infideles ab Ecclesiis propriis sublatas, vt in Anglia fieri videmus, de manu eorum emere, animo tamen reddendi ea alteri Ecclesiæ cuicunque pro eodem pretio, quando propria vel ignoratur, vel ei reddi non possunt.

QVÆSTIO CI.

An negotiatio, qua res indifferentes venduntur, quibus homines sæpe vtuntur ad malum finem, vt taxillos, chartas lusorias, pigmenta, fucos mulierū, arma, & similia sit licita?

1 NAuar. cap. 23. nu. 90. Med. C. de rest. q. 30. & Rebel. lib. 9. q. 18. existimant talem negotiationem non licere, sed esse peccatum mortale vendere has res indifferentes his, de quibus verisimiliter, & prudenter creditur, quod abutentur illis. Adduntque esse in malo statu huiusmodi rerum venditores, qui parati sunt quibuslibet emptoribus indifferenter & promiscuè illas vendere, nec absoluendos, nisi vel officia deponant, vel statuant firmiter illis solùm eas vendere, quos probabiliter, & prudenter iudicauerint rebus illis nec per se, nec per alios forè abusuros.

2 Sed contraria sententia, quam amplectuntur Illustris. Caiet. 2. 2. q. 169. art. 2. & in opus. 17. respon. resp. 13. dub. 1. & 4. Arag. 2. 2. q. 77. art. 4. Lop. lib. 1. de contract. c. 8. & omnes ferè recentiores Thomistæ est longè probabilior, & communior. Pro qua.

Dico primo, quod qui vendit, vel conficit rem, ex se tendentem in malum vsum, siue natura sua tendat in illum, siue ex suo modo, & forma, vel circunstantia illud habeat, vt tendat in malum, vt domus sic ædificata non possit deseruire, nisi in Synagogam, peccat mortaliter. Et ratio est, quia qui rem talem vendit, qua non potest benè vti consentit in peccatum illius, qui rem illam emit, & cooperatur illi, ergo. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 169. artic. 2. ad 4. & Rebell. lib. 9. quæst. 18.

Hinc, qui vendit Paganis idola, vel altaria iuxta illorum ritus confecta; vel Iudæis vestes Sacerdotales, panem azymum, lactucas agrestes, gladiolos circumcisorios, vel ædificat idololatris delubra, aut Iudæis synagogas, aut Mauris mosquitas, peccat mortaliter. Et ratio est, quia hæc omnia non nisi ad cultū falsæ Religionis deseruiunt. Ita D. Tho. 2. 2. q. 169. artic. 2. Roder. pag. 2. sum. cap. 76. num. 17. & alij.

3 Secundo dico, quod qui conficit, vendit ac tradit rem indifferentem eo animo vt homines amentes, illa abutantur peccant mortaliter. Et ratio est, quia qui tali animo vendit consentit, & cooperatur peccato eorum, qui rem illam emunt. Ita Salon. 2. 2. q. 77. art. 3.

Tertiò dico, quod qui vendit rem indifferentem cuius abusus non toleratur à Republica, & vergit in damnum tertij peccat mortaliter. Et ratio est, quia qui sic vendit committit idem peccatum, quod emptor, & incurrit easdem pœnas.

4 Hinc qui vendit arma, vel venenum ei, de quo prudenter creditur, vel dubitatur quod velit seipsum, vel alium occidere: vel vendit mulieri grauidæ, quæ probabiliter suspicatur petere, illa, vt faciat abortum, peccat mortaliter. Et ratio est, quia abusus emptoris circa huiusmodi res nō toleratur à Republica, quia cedit in damnū tertij, quod quiuis lege charitatis tenetur impedire.

Hinc qui vendunt vinum his, qui debilis sunt capitis, in ea quantitate, quæ potest eos inebriare, peccat mortaliter. Et ratio est, quia hoc est, dare illis gladiū, quo feriant

Digitized by Google

riant intellectum. Vnde illa communis ratio scilicet quod licet vendere etiam scienter male vsuris ea quorum vsus potest esse bonus,& malus,habet tantum locum in casu quo talis vsus non vergit in præiudicium tertij, ex peccato ebrietatis, teste experientia multa mala sequuntur. Vnde confessarij debent interrogare cauponarios particulariter de hoc præcipuè in noua Hispania, & in Regno Aragonum & Valentiæ in quibus Indi, & Mauri nouiter baptizati,pauca vini quantitate cadunt in terram. Ita Lop.lib.1. de contract.cap.8. & Roder.pag.2.sum.cap.76.

5 Quartò dico, quod qui vendit rem indifferentem, cuius abusus toleratur à Republica, nec cedit in damnum alterius, non peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem,etiam si intelligat (quidquid dicat Medina complut.) emptorem re illa abusurũ ad peccatum mortale. Et est, quia venditor iste solum intendit vendere rem suam, peccato vero illi emptoris nec directè,nec indirectè consentit,ergo nõ peccat vendendo.Ita Salon.2.2.q.77. art.3.

Hinc,qui Iudæis vendit agnum Paschalem,flores & similia, quibus quiuis potest benè, vel malè vti, esto intelligat Iudæos malè eis fore vsuros, non peccat. Et ratio est,quia sunt res ex se indifferentes, quarũ abusus culpæ tantum emptorum ascribitur & toleratur ab Ecclesia. Ita Caietan. 2. 2.quæst.169. artic.2. & Lop.lib.1. de contr. cap.8.

Hinc qui vendit taxillos,aleas &c.vel locat domos vsurariis lusoriis, & meretricibus nõ peccat,etiam si sciat venditor emptores illis abusuros. Et ratio est, quia talis abusus culpa tantùm emptorum accidit.

Tum quia toleratur à Republica,nec est in damnum tertij. Imò vt benè notat Salon.aleis, & taxillis vtuntur sæpè homines benè sicut pilis,& schachis in leuamen tædij, & laboris. Ita Aragon. & Ban. 2.2. quæst.77. art.4.

6 Hinc, non peccat, qui vendit fucos, & quæuis ornamenta fœminis non solùm honestis,verum etiam discolis de quibus venditor iustè præsumere potest, quod rebus illi velint abuti. Et ratio est,quia venditor solum intendit vendere res suas, quòd si emptores illis abutantur,culpa eorum,non venditorum illud accidit, estque eorum abusus toleratus à Republica, & in illius commodum.Ita Solon.2.2.q.77.art.3.

7 Hinc,non peccat, qui tempore pacis,& iusti belli conficit arma communia,quibus emptores benè, vel malè vti possunt, nisi emptores sint tales, quos prudenter suspicatur, illis abusuros in damnum tertij,nec tenetur venditor inquirere emptorum mores,discernere quinam velit emere ad bonum vsum, & quis ad malum; esset enim ista curiositas perniciosa in Republica, vt quibus non incumbit ex officio, velint discernere vitas proximorum. Ita Ban. 2. 2. quæst.77.artic.4.

8 Hinc, non peccat famulus, qui mensæ concubinariorum ministrat, neque qui iuuat concubinam ad se ornandum, neque opifices qui faciunt, & vendunt calceos, vestes curiosas,sandalia,& alia similia meretricibus diuendunt, quando id non consentiendo in peccatum faciunt;neque enim inducunt ad malum, neque directè adiumentum præstant ad illud.Quod limitatur nisi tales mulieres petierint, vt vendatur eis aliqua delectatio apta ad capiendum aliquem iuuenem innocentem.quia in hoc casu peccabit vendens talem rem delectabilem, non quia cooperatur peccato harum mulierum, sed quia non impedit peccatum proximi innocentis, ad quod tenetur de lege charitatis,vt rectè docet Arag. 2.2.quæst.77. artic.4.

Hinc,Tabernarij qui tempore ieiunij de præcepto,hospitibus aduenientibus fercula ideò ieiunia,& cœnas diuendunt, nõ peccãt. Et ratio est,quia huiusmodi Tabernarij non tenentur esse scrutatores conscientiarum hospitum, cum non sit præsumendum, quod tales hospites tam sint immemores salutis animarum suarum, vt velint tunc cœnare, vbi à ieiunio non excusantur,vt cum Vict. & Caiet.resoluit Lop. lib.2.de contr. cap.8.

Hinc qui vendunt cibos potenti ad ieiunandum, quem iam paratum nouit ad non ieiunandum non peccant mortaliter. Et ratio est, quia isti non cooperantur tali comestioni,quatenus fractio ieiunij est, sed solum deseruiunt eorum potentiæ nutritiuæ,& sustentationi naturali:neque ex præcepto fraternæ correctionis tenentur huiusmodi vendentes illis negare cibos,quia si isti negauerint, aliunde sibi cibos prouidebunt,ac proinde non obstante tali negatione

Digitized by Google

gatione,alibi erunt cœnaturi.Secus autem eſſet, ſi de facto his non vendentibus iſti eſſent ieiunaturi, nam tunc ex vi correctionis haud tenerentur illis cibos diuendere,vt docet Lop. lib.1.de contr.cap.8.

9 Secundo redditur illicita negotiatio ex parte venditoris, vt ſi ſit Clericus, cui negotiari prohibitum eſt.Vt conſtat ex capit. Secundum ne Clerici, vel Monachi. Vbi Pontifex ait. Sub interminatione anathematis prohibemus,ne Monachi,vel Clerici cauſa lucri negotientur. Ratio huius prohibitionis eſt, quia valdè indecorum eſt, Clericos lucris captandis incumbere.

Tum quia mirè occupat animum, & à ſpiritualibus auocat.

Tum quia plena eſt periculis periurij, fraudum,& iniuſtitiæ.Vnde Eccle.26. dicitur. Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt, difficilè exuitur negotians à negligẽtia(in euitandis videlicet)& nõ iuſtificabitur caupo à peccatis labiorũ.

10 Et quidem certum eſt in primis,non eſſe hic ſermonem de Clericis ſolum tonſuram habentibus,aut in minoribus tantum conſtitutis : hi enim cum nondum ſint diuinis officiis conſecrati, ſed poſſint ſeculare adhuc vitam eligere, neque vllo iure, neque ratione ſui ſtatus à negotiis ſecularibus prohibeantur;Sed de Clericis in ſacris cõſtitutis,de beneficiariis,& de Monachis vniuerſis, etiam ſi ſacris initiati non ſint, vt notant Med.C de reſt.q. 30.Mol.d.342.Leſſ. lib.2.cap.21.dub.1. Rebell.9. q. 18. ſect.2. & alij.De beneficiariis qui in ſacris non ſunt conſtituti anceps eſt Syl. verb. Clericus 3. q.3. inclinareque videntur Doctores alij citati illos non peccare lethaliter.

11 Secundo cum triplex ſit negotiatio œconomica,qua vnuſquiſque emit neceſſaria ad proprium, ſuorumque vſum,aut vendit quæ vel ex fructibus ſuorum agrorum, vel ex redditibus proprij beneficij redundant, vt emat ea, quibus eget etiam certum eſt, talem negotiationem non eſſe Clericis interdictam; imò eſto, aliquid vilius emant non animo reuendendi carius, fas illis eſt accreſcẽte poſtea pretio vendere illud carius,& lucrari,eſto pretij magnitudine attrahatur Eccleſiaſticus ad vendendũ, intelligens ſe poſtea vilius poſſe emere res ſimiles. Ratio huius eſt, quia non minus tenentur Clerici, & Epiſcopi, quam alij patresfamilias neceſſaria ſuis miniſtrare, dicente Apoſt. 1. ad Timoth. 3.oportet Epiſcopum ſuæ domui benè præeſſe.

Alia ſit politica, cuius finis eſt, publicis Reipublicæ neceſſitatibus negotiando prouidere,quam perſpicuum eſt gubernatoribus ciuitatum incumbere,non Clericis,vel Monachis,qui à gubernatione, & negotiis ſecularibus eſſe debent alieni, iuxta illud eiuſdem Apoſt.2.ad Timoth.2. nemo militans Deo,implicat ſe negotiis ſecularibus.

12 Alia verò ſit lucratiua,qua quis aliquid emit, vt carius deinde illud vendat; quæ adhuc duplex eſt; quædam quæ ſua induſtria,& arte res in melius mutat,vt ſic melioratas,& mutatas carius vendat:quæ non tam negotiatio, quam artificium dicitur: quod certum eſt, Clericis non interdici, ſed permitti,vt habetur de conſecrat.d.5.c. nunquam &c.vbi conceditur Clericis,quod de ſuo artificio honeſto,ſibi,& ſuis & pauperibus victum, & cætera neceſſaria quærere poſſunt. Sic olim heremitæ ſportas floreas, & ſimilia faciebant, vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent. Et Apoſt. Act. 18. artem ſcenofactoriam exercuiſſe cum Aquila,& Priſcilla legimus.Vnde D.Hiero. cap. Nunquam, citato exemplo Apoſtolorum conſuluit Monachos fiſcellam,vel caniſtrum texere, hortos colere, fabricare apum aluearia,texere retia, & ſcribere libros, idque ad comparandum cibum, otiumque fugandum.

13 Ex quo colligit Mol. d. 342. licere Clericis agros proprios colere,vt fructus vendãt,lapides,vel metalla ex ſuis fundis eruere, greges in ſuis prædiis alere,vt ex fœtu,lacte, lana pecuniam conficiant, aut vt ipſa animalia adulta, & ſaginata vendant. domos ſuas,vel animalia, vt Oues, & Boues quibuſuis locare,hæc enim omnia ſunt fructus,vel quaſi fructus agrorum. Imò vt vult Med.quodcunq;genus rei,quod Clericus ſua arte, & induſtria meliorare poterit poſſet emere, vt illam in melius mutatam carius,& cum lucro vendat,non tantum ad victum,ſed etiam ,otij vitandi gratia emere tamen iumenta ſolum, vt ea locent, genus eſſe negotiationis,atque adeo Clericis prohibitum, vt docet Molina vbi ſupra.

QVÆSTIO CII.

An Clerici poſſint agros alienos conducere, & per operarios eos colere, fructuſque colligere vt eos vendant, ac lucrentur.

Reſpon

1 REspondeo non posse. Id enim expressè prohibetur 21.q.3.c.1. & 2.ex can. Carthag. 1. & 4. Secus si tantum ad necessariam sustentationem suam, vel suorum huiusmodi prædia excolenda reciperent, Ita Less. lib.2.c.21.dub.1. Molina disp.342. & Salon.2.2.quæst.77.art.3.

Alio vero modo potest fieri negotiatio lucratoria absque aliqua industria, & arte & rei melioratione secluſa, qua res emitur & venditur cum lucro sine tui mutatione. Et hæc est quæ propriè dicitur negotiatio estque Clericis interdicta vt habetur 14. q.14. can. Si quis oblitus, & can. quoniam Clericus. Ita Salon.2.2.q.77.ar.3.

QVÆSTIO CIII.

An Clerici possint per interpositas personas negotiari?

1 REspondeo posse. Ratio est, quia tunc cessat ratio prohibitionis, quia non impediuntur hoc modo vacare diuinis, dummodo lucrum ordinent ad honestum finem, & negotiatio sit licita, Tum quia in iure solum prohibitum est, ne per se negotientur vt constat ex Clem.1.de vita, & honest. Cler. Existimo tamen peccatum esse veniale ita per alios negotiari, quia aliquid fœditatis atque indecentiæ in ea negotiatione interuenit ratione status, quando iusta aliqua causa non excusat: quo circa improbandâ quantum est ex se, illam esse arbitrantur, Molina d.342. Less. lib.2. cap.21. dub. 1. & plerique alij.

QVÆSTIO CIV.

An Clerici in sacris constituti, beneficiarij, & Religiosi vniuersi exercẽtes negotiationẽ quæ propriè mercatura est peccent mortaliter?

1 ILlustrissimus Caiet. in sum. verb. Clericorum peccata, & Mich. de Palat. lib. 2. de contr. ca. 10. tanquam nimis pij Clericos tenent eos non peccare mortaliter nisi ex temeritate, contumacia, vel contemptu, & cum scãdalo per seipsos exerceant mercaturam. Et probant, quia in iure non fulminatur excommunicatio, vel suspensio ipso facto, sed solùm comminetur, ita vt prius admoneantur: at si perseuerent vt contumaces, & inobedientes excommunicentur, & suspendantur, ergo antequam admoneantur, & sint contumaces non sunt condemnandi de peccato mortali, cum nõ possit illis nisi præcedente ista admonitione, & eorum contumacia imponi excommunicatio secundum ius. Hanc opinionem Lop. lib.1.de contr. cap.10. censet esse probabilem.

2 Attamen Ang. verb. Clericus 9. num.3. Sylvest. ibidem 3.q. 3. Armil. verb. emptio nu. 27. Med. C.de rest.q.31. Less. lib.2. c.21. dub.1. Nauar.c.15.num.110.& 111. Conrad.de contr.q.52.& Lop. lib.1.de contr. c.10. probabilius multo volunt Clericos exercentes mercaturam per seipsos etiam secluso contemptu, propter solum exercitiũ mercaturæ, ex vi præcepti Ecclesiastici illud prohibentis peccare mortaliter. Ratio est, quia Ecclesia nunquam consueuit grauissimas pœnas, quales sunt excommunicatio, & suspensio, imponere pro culpa veniali, sed pro mortali tantum. At Clerici exercentes per seipsos mercaturam sunt puniendi huiusmodi pœnis vt habetur cap. consequens d.88.cap.secundum ne Clerici, vel Monachi, ergo Clerici exercentes mercaturam illis ab Ecclesia prohibitam peccant mortaliter. Hanc opinionem sequitur Caiet. sibi contrarius 2.2.qu.186.artic.9. vbi ait, videri sibi maximè consonum rationi, vt quando in iure inuenitur aliquod vocabulum continens præceptum, vel comminatio alicuius excommunicationis, obliget sub mortali. Atqui in iure sub præcepto, & comminatione excommunicationis, & suspensionis mercatura Clericis interdicitur, ergo secundum doctrinam Caiet. sola ratione talis prohibitionis censendi sunt peccare mortaliter, quicunque constituti in sacris beneficiarij, & Religiosi vniuersi illam exercent.

QVÆSTIO CV.

An Clerici negotiantes teneantur in conscientia soluere vectigalia?

1 REspondeo non teneri, nisi post trinam monitionem, qua monendi sũt ab huiusmodi negotiatione abstinere. Sic enim definitum est in iure cap. ex literis de vita, & honestate Cleri. vbi sic habetur. Clericus qui tertio monitus à negotiationibus

Digitized by Google

tionibus ſecularibus non abſtinet interim perdit quo ad bona, priuilegium clericale, vbi Gloſſa ſic ait. Ex hac decretali nota, quod vſque ad trinam admonitionem gaudent Clerici priuilegio clericali.

2 Tertio poteſt vitiari negotiatio ex parte emptoris ſeu perſonæ cui res venditur. Vt cum quis vendit merces his, quos probabiliter credit eis abuſuros. Id quod præcipuè locum habet in rebus, quæ deſeruiũt ad delitias, & homicidia per inſidias, cuiuſmodi ſunt cibi laſciui, arma offenſiua &c. Tunc enim cooperatur quis ad malum præbens materiam peccandi. Item vendere arma, ferrum &c. infidelibus, vel vendere ſacra vaſa integra, & in propria forma laicis eſt illicitum, quamuis facta, & mutata forma ea vendere illis, nullum eſt peccatum.

Quartò, redditur illicita negotiatio ex parte loci, vt ſi in loco ſacro, puta in Eccleſia, ſeu cœmeterio profanæ negotiationes fiant. Vt patet de immunit. Eccleſ. lib. 6. decet domum Dei.

3 Ad cuius explicationem ſupponendum eſt primo negotiationem in loco ſacro duobus modis fieri poſſe, vel adductis rebus ipſis, quæ venduntur, & emuntur, in locum ſacrum, vel illis non adductis, ſed ſolum verbis, aut ſcriptis contrahendo, & conueniendo. Quo poſito, quæritur in primis.

QVÆSTIO CVI.

Quanam ex his, negotiatio ſit illa, quæ fieri in Eccleſia vetatur.

1 CONrad. de contract. q. 57. cenſet eſſe primam negotiationem.

Sed hoc non obſtante, concors eſt Theologorum ſententia etiam ſecundam negotiationem hic præſertim prohiberi. Et ratio eſt, quia negotiatio propriè non rei detentionem, ſed rei conuentionem, & contractum ſignificat.

2 Tum quia domui Dei, & orationis non tam venales res, quam ipſæ negotiationes quæ illic fiunt diſconueniunt: ipſa enim negotiatio eſt, quæ homines ab oratione, & cultu Deo in Eccleſia exhibendo, diſtrahit, non res ipſa.

Tum demum, quia Eccleſia non per res venales illic poſitas, ſed per negotiationes, quibus mendacia, & peccata admiſceri conſueuerant, profanatur.

QVÆSTIO CVII.

Vtrum negotiari in Eccleſia ſit peccatum mortale?

1 AD hoc dico primo, quod negotiari in Eccleſia, rebus ipſis abſentibus, ſolis verbis duntaxat, niſi ratione ſcandali, vel quia in Eccleſia impeditur diuinum officium eſt ſolum peccatum veniale. Et ratio eſt, quia non eſt grauis Eccleſiæ irreuerentia. Ita Val. t. 3. d. 5. q. 20. p. 5. Sot. lib. 6. q. 2. art. 2. Arag. 2. 2. q. 77. art. 4. Mol. d. 342. Med. C. de reſt. q. 30. Rebel. lib. 9. q. 18. ſect. 5. Salon. 2. 2. q. 77. art. 3. & alij.

2 Secundò dico, quod negotiari in Eccleſia, aſportatis in eam, tanquam in forum publicum rebus ipſis venalibus, præſertim illis, quæ ad vſus ſecularium deſeruiunt, peccatum mortale eſt. Cuius potiſſima ratio eſt, quia eſt ingens Eccleſiæ irreuerentia, & graue ſcandalum, quæ duo ſemper peccatum mortale conſtituunt. Quod eſt verum contra Caiet. in opuſc. etiam ſi negotia fiant extra tempus, quo diuina celebrantur, vt docet Medina, nam cauſa per Chriſtum aſſignata, quare ementes, & vendentes de templo eiiceret, ſolum erat irreuerentia loci, quia locus orationi dicatus, non debet negotijs deſeruire, quæ cauſa locum habet, quocunque tempore negotiatio in Eccleſia fiat, ſiue diuina officia impediantur, ſiue non.

Tum quia Papa in cap. decet de immunit. Eccleſiæ in 6. ob ſolam reuerentiam loci ſacro, prohibet in eo negotiari, nec meminit, an impediantur propterea diuina officia.

3 Nec refert, vt notat Medina, qua intentione talia negotia illic fiant, ſcilicet cauſa lucri, aut pietatis: quia in loco citato, non animus, ſed factum prohibetur, nec bonitas intentionis tollit malitiam electionis, ſi vel ex circunſtantia loci vitietur, cum bonum ſit ex integra cauſa. Ita tenent Molina d. 342. Salon. 2. 2. q. 77. art. 3. Sot. lib. 6. q. 2. art. 2.

Tertiò dico, quod in caſibus, in quibus negotiari in Eccleſia peccatum eſt, illud ſacrilegium quidem eſt, contra virtutem religionis, cuius eſt cultum, & honorẽ Dei præſta

Digitized by Google

præstare, non duo tamen peccata, vt falso putat Medina sed vnicum tantum.

Hinc, non solum peccant, qui mercaturam in loco sacro exercent, sed etiam qui eam illis exerceri faciunt, aut etiam permittunt, quibus ex officio cura Ecclesiæ incumbit, quia culpa, cui non resistitur, approbatur.

Hinc, patet, quam falsa sit glossa illa in dicto cap. Decet, quæ asseruit peccatum mortale esse contrahere Matrimonium in loco sacro: quia si nomine Matrimonij, intelligat desponsationem actualem viri, & vxoris, cum hæc sacramentum sit, rectè fit in loco sacro. Si vero intelligat confabulationem parentum, vel amicorum de cõtrahendo Matrimonium, cum illa non sit propriè negotiatio, sed via ad Matrimonium, si rectè, & honestè tractetur nullum est peccatum.

4 Hinc qui tenent banchum in Ecclesia ad vendendum candelas, imagines, vel res similes peccant mortaliter. Et ratio est, quia domum Dei faciunt domum negotiationis non autem sic, si tenent in cœmeterio, quod est domus defunctorum. Ita Caiet. in sum. verb. immunitas, Rebell. lib. 9. q. 18. sect. 4. & alij.

5 Addit tamen Caiet. quod ponentes candelas in aliquo loco in Ecclesia, vt qui vult emat, vt communiter fit, sine persona ibi stante, pro seruitio populi sine auaritia, nõ peccant; & pauperes qui candelas, vel res similes non indecenter per Templum suis manibus gestantes, ac transeuntes, nõ tanquam ex loco rerum venalium vendunt à mortali excusantur: imò à veniali, si (teste Molina) id sine strepitu, & ferè cum nulla negotiatione, ac solum diuini cultus intuitu id fiat. Et qui propter pluuiam retrahit se cum bancho ad horam in Ecclesiam, & ibi imagines, vel aliud intuitu pietatis incidenter vendant, pari modo à mortali excusantur. Sic enim solet fieri, Prælatique id scienter tolerant.

Quinto redditur illicita negotiatio ratione modi. In cuius explicationem obseruandum est primò, quod monopolium est quædam machinatio, qua mercatores efficiunt, vt ipsi soli, vel aliquid vendant, vel certo pretio suo arbitrio taxato, vendant vel emant. Hoc autem fieri potest quatuor modis.

6 Primò, quando mercatores in se conueniunt de non vendenda merce aliqua, infra certum pretium, aut de non emendo vltra certum pretium.

Secundò quando vnus, vel plures mercatores conueniunt, vt omnes merces certi generis v. g. frumentum tempore messis coëmant, vt ipsi postea in alio tempore pro suo arbitratu vendant, cum penes ipsos merces duntaxat reperiantur.

7 Tertiò quando mercatores impediunt ne aliæ merces ad Ciuitatem aduehantur vt vel ipsi suas carius vendant: vel illas sibi emant, ad vendendum, vel alio fine.

Quartò, & vltimo, quando mercatores priuilegio Principis, agunt, vt ipsi soli certum quoddam genus mercium vendant. Quo posito quæritur in primis.

QVÆSTIO CVIII.

An primum genus monopolij sit licitum?

1 PRo cuius decisione dico primò, quod si pretium, ad quod mercatores conspirant, sit vltra iustum pretium rigorosum, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionẽ totius summæ excedentis pretium, quã emptores propter monopolium soluere coguntur. Et ratio est, quia pretia rerum non pendent ex cupiditate mercatorum, sed vel ex legẽ, siue constitutione Principis vel statuto Reipublicæ, aut ex communi omnium æstimatione, bona fide absque conspiratione, & dolo inita: ergo qui suo consilio, vel consensu, est causa, cur aliquis vltra pretium rigorosum soluat, est illi causa damni iniusta, ac proinde tenetur illud damnum resarcire emptoribus. Vt docet Caiet. 2.2. quæst. 77. artic. 4.

2 Secundo dico, quod pari modo emptores contra iustitiam peccant, cum onere restituendi, si ad extenuandum iustum pretium etiam infimum, fraudulenter sibi mutuo promittunt non emere, nisi tanti. Et ratio est, quia venditores ius habent ad pretium maius, nempe ad illud, quo bona fide res communi vsu fori æstimantur. Vnde per talem fraudem, & versutiam fit illis iniuria vt rectè tradit Sotus lib. 6. qu. 2. art. 3. Aragon. 2.2. quæst. 77. artic. 4. & Less. lib. 2. cap. 21. dub. 20. & in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVAE

QVÆSTIO CIX.

Quæstio igitur est, quando pretium de quo mercatores inter se conspirant, continetur inter latitudinem iusti pretj.

1 AD hoc dico primo, quod qui vi, metu, fraude vel dolo facit vt nullus mercatorum vendat merces, nisi iusto pretio rigoroso, vel vt nullus emptorum emat, nisi tanto pretio viliori iusto tamen, peccat contra iustitiam, ac proinde tenetur ad restituendum interesse. Ratio huius est, quia vnusquisque ius iustitiæ habet, vt à nullo commodo per iniuriam impediatur. Ita Rebell. li. 9. q. 7.

2 Secundo dico, quod qui citra vim, aut fraudem conspirant inter se de pretio summo & rigoroso: & emptores similiter sine vi, metu, aut fraude conspirant inter se de non emendo, nisi pretio infimo, peccant contra charitatem, non secus, ac si consilio suo, sine fraude, ac dolo auerteret aliquem à donatione aliqua, aut legato, quod vult facere. Ita Less. lib. 2. cap. 21. dub. 20. Arag. 2. 2. q. 77. a. 4. & communis.

QVÆSTIO CX.

Sed quod habet difficultatem est. An peccent contra iustitiam, & ad restitutionem teneantur?

1 ARag. 2. 2. q. 77. ar. 4. Less. li. 2. c. 21. dub. 20. & Roder. p. 2. sum. cap. 82. negant.

2 Mihi vero contraria sententia longe verior cum aliis videtur, illos scilicet peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem. Probatur, forum rerum venalium tum iure gentium, tum iure ciuili, quo prohibentur huiusmodi monopolia debet esse liberum ad contrahendum intra latitudinem iusti pretij, non potest ergo non esse iniuriosa prædicta mercatorum conspiratio, qua istud emptorum ius violatur, restringendo pretium ad supremum, vel infimum, atque adeò ad restituendum damnum tenentur. Ita sentit Rebell. p. 2. de obli. lib. 9. q. 7.

Notandum tamen, quod quando venditores monopolium faciunt, ne quis eorum vendat merces, nisi certo quodam pretio suo arbitrio taxato, fas est emptoribus in eo euentu quasi vim vi repellendo, similiter conspirare ne quis eorum emat, nisi tanto pretio. Ita Sot. li. 6. q. 2. a. 3. Valen. to. 3. d. 5. q. 20. p. 2. Arag. 2. 2. q. 77. art. 4. Rebell. li. 9. q. 7. & Lop. lib. 1. de contr. c. 242.

QVÆSTIO CXI.

An secundum genus monopolij sit licitum?

1 RODer. p. 2. sum. c. 82. nu. 3. & Med. Co. de rest. q. 36. tale monopolium damnant tanquam iniustum, quia isti iniuriam faciunt Reipublicæ inducendo caritatem, interim dum tantam copiam apud se retinent.

Tum quia vendunt quidem frumentum pro suo arbitratu, & cum miseri ciues illud aliunde habere non possint, tantum eis dant, quantum petunt. Quod non fieret, si alij essent venditores. Admittunt tamen eos qui emunt aliquid, & expectant, custodientes illud, ac non vendentes, vt postea tempore opportuniori, illudmet carius vendere possint, non peccare mortaliter, quamuis augeatur pretium, quia ipsi non sunt causa huius caritatis, cum vtantur sua prudentia, custodiendo dictas merces.

2 Nihilominus Mol. d. 345. & Less. li. 2. cap. 21. dub. 20. existimant hoc monopolium non esse contra iustitiam commutatiuam, sed tantum contra proximorum dilectionem, & publicã vtilitatem. Ratio huius est, quia non peccant contra iustitiã emendo, emunt enim pretio iusto, vt suppono. Nec refert, quod hac ratione inducatur caritas, quia etiam multitudo emptorum inducit caritatem, non tamen ideo illi emendo peccãt contra iustitiam, quia actio illa, ex qua prouenit caritas, non est contra iustitiam.

Nec etiam supprimendo, seu non vendendo, quia non tenentur ex iustitia tunc vendere, cum nullo pacto se ad hoc obligentur: possunt enim eas in aliud tempus seruare, vel in alia loca deferre, vel etiam in flumen proiicere absque iniuria cuiusquam, quia perfectum dominium earum habent. Neque ciues habent ius iustitiæ ad eas emendas, nisi ipsis vendere volentibus.

Nec obstat, quod possit Respublica eos ad vendendum suum triticum compellere,

& grauiter etiam punire ob talem supressionem, quia multa crimina per Reipublicæ ministros puniri possunt, quæ tamen non sunt contra iustitiam commutatiuam, sufficit enim, vt aliquo modo sint contra bonum publicum.

QVÆSTIO CXII.

Petes, Quodnam sit futurum iustum pretium mercium in hoc casu, quando illi iterum eas venderent?

1 REspondeo si pretium non est à Principe, vel Republica taxatum, illud pro iusto iudicatur, in quo emptores cum venditore conueniunt. Et si in hoc casu Respublica damnum pateretur, tunc Magistratus teneretur ei pretium taxare.

QVÆSTIO CXIII.

An Tertium monopolij genus, quo mercatores impediunt, ne merces veniant ad Ciuitatem, vt sic suas carius vendant sit licitum?

1 REspondeo non licere, quia hoc modo cariores merces euadunt, non leui sanè incommodo ciuium, ac vniuersæ Reipublicæ. Et in hoc omnes conueniunt.

Sed tota disceptatio versatur. An teneantur ad restitutionem.

Ad hoc dico primo, quod qui vi aut fraude impedit, ne merces ad Ciuitatem confluant, vt suas carius vendat, tenetur ad restitutionem tum emptoribus, quibus iniusta causa est, vt carius emant, tum mercatoribus, quos iniustè impedit à lucro. Ita Less. l. 2. c. 21. dub. 20. Roder. p. 2. sum. c. 82. n. 3. & Syl. verb. emptio. q. 13.

2 Secundo dico, quod qui absque vi, aut fraude, solis precibus, vel persuasionibus impedit, ne aliæ merces adueniant, ad nullam tenetur restitutionem. Non emptoribus, quia cum ipsi non habeant ius in dictis rebus, nulla illis potest fieri iniuria. Nec illis, qui eius persuasione non venerunt, quia illis nulla fit iniuria, nec ipsi aliquod inuoluntarium patiuntur, ergo ad nullam restitutionem tenetur. Ita Less. lib. 2. c. 21. dub. 20. Arag. 2. 2. quæst. 77. ar. 4. & Roder. vbi supra.

QVÆSTIO CXIV.

An quartum genus monopolij sit licitum?

1 REspondeo esse licitum, si fiat de rebus, quæ solum ad humanas delicias, veluti luxum, ornatum & pompam, quas nemo cogitur emere, quales sunt chartæ lusoriæ, taxilli, picturæ, &c. Vel si fiat de rebus communiter Reipublicæ ad politicam vitam necessariis, cogente tamen necessitate, vel vtilitate Reipublicæ, cui aliter quam merces ad vnum, vel duos venditores reducendo commode prouideri non potest, quia v.g. nullus alius eas merces asportare, aut vendere posset nisi ad tempus aliquod priuilegium habeat. Vel quia Princeps eget pecunia, pro bono publico, ad quam conflandam tale priuilegium aliquibus vendit, tunc tale monopolium est licitum, modo à Principe talium mercium moderatum pretium taxetur, ne venditoribus liberū sit eo pretio vendere, quo ipsis libuerit. Ita Less. li. 2. c. 21. dub. 20. Mol. d. 345. & Roder. p. 2. c. 82. n. 1.

2 Hinc peccat mortaliter qui sine rationabili causa, & in perniciem Reipublicæ, à Principe monopolij priuilegium impetrat, vt ipse solus, vel ipse cum assumpto alio sibi socio, aliquod genus mercium vendat. Et ratio est, quia id cedit in emptorum iniuriam, qui eas viliori pretio emerent, & venditorum tales vendere volentium, qui iniustè impediuntur. Vnde vnusquisque tenetur excessum iusti pretij restituere. Primo loco, qui sine iusta causa priuilegium obtinuit, est enim causa principalis, cum in suam vtilitatem Principem ad concedendum pertraxit. Secundo loco princeps, qui illud concessit. Ita Nau. c. 23. n. 92. Rebell. li. 9. q. 7. & Mol. d. 345.

QVÆSTIO CXV.

An si postquam per huiusmodi monopolia iniusta, pretium commune mercis creuit, alius horum monopoliorum expers, suas merces eodem pretio sic aucto, licitè vendere possit?

1 BArth. Med. §. 25. de inst. conf. affirmat hunc, & peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri, si conscius monopolij

eo

eo pretio ſic aucto venderet, ſecus ſi omnino inſcius.

Sed ſalua eius reuerentia oppoſitum eſt dicendum. Ducor, quia non minus valent merces iſtius ſcientis monopolium, quam neſcientis, quem tamen ad reſtitutionem Medina non obligat.

2 Tum quia vnum, & idem pretium eiuſdem rei, non poteſt ſimul eſſe ſecundum ſe iuſtum, & iniuſtum, vel igitur omnes in hoc caſu iuſtè eodem pretio vendunt, vel nulli: cum ergo monopolij complices iniuſtè vendant vt omnes fatentur, reliqui quoque venditores ſiue conſcij monopolij, ſiue inſcij, poſtquam reſciuerint monopolium ſimiliter ad reſtitutionem tenebuntur.

Tum quia abundantia mercium illarum erat præſens, quæ iuſtè pretium extenuabat, ergo monopolium vt pote iuſtum non valuit illud pretium auctũ efficere iuſtum.

Tandem, pretium factum commune currens per fraudem, non eſt cenſendum iuſtum, ſed illud, quo merces diſtraherentur, ſi talis fraus vendentium abeſſet, ergo ſi illud non fuit iuſtum pretium quippe quod ex monopolio fuit cauſatum, tenetur venditor iſte pro ſuis mercibus in parte, quæ exceſſit, acceptum reſtituere, vel ſi bona fide illud conſumpſit, tenetur reſtituere id; in quo factus eſt locupletior. Ita Rebell. li. 9. q. 7. Lop. li. 1. de contr. c. 242. & Sylu. verb. vſura 2. q. 1.

Sexto vitiatur negotiatio ex parte temporis. Vt ſi fiat in diebus feſtiuis, vt patet c. 1. extra de feriis. Habet tamen in his maximam vim conſuetudo. Prælatis videntibus, & conſentientibus introducta.

3 Hinc licitum eſt in nundinis, audito ſacro, negotiari, quandoquidem hoc habet communis hominum conſuetudo, ſiue dominica ſit dies, ſiue alia feſtiuitas. Et quod hæc conſuetudo ſufficiat huiuſmodi feſtiuitatibus derogare, conſtat, quia non ſunt; niſi iure humano introductæ, & ius humanum per conſuetudinem oppoſitam abrogari poteſt. Et parum refert, quale fuerit conſuetudinis initium, rationabile ſcilicet an vitioſum, quia quamuis qui primo feſtum violare cœperunt, peccauerint, non tamen inde fit, vt ſucceſſores, qui conſuetudinem iam diu introductam reperiunt eam obſeruantes peccent, iuxta Med. in ſua inſt. §. 25. fol. 143. Lop. li. 1. de contr. c. 42. Ara. 22. q. 77. a. 4. & Med. C. de reſt. q. 38.

4 Hinc, qui vendit, vel emit diebus feſtis multum temporis in eo conſumendo, peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia violat diuinum præceptum in re graui. Nau. c. 13. nu. 6. excuſatur tamen à mortali ob materiæ paruitatem, vt emere candelas, vel placentulas inzucaratas, & huiuſmodi, in quibus pretia facere non oportet, ſed quilibet ſcit, quod tantum habet ſoluere, & ſic ſoluit, & accipit ſine alio ſtrepitu, quia in modico diſtrahitur, iuxta Caiet. 2. 2. qu. 122. ar. 4. vbi etiam tuetur, vendendi, & emendi, & quouis alio modo negotiandi, opus non eſſe ſeruile nec ea de cauſa c. De ferijs, prohiberi, ſed propter conſuetudinem traductam ex lege veteri in Sabbati obſeruatione. Verius tamen eſt, eſſe opus ſeruile, vt docet Sylu. verb. negotium q. 2. Rebell. li. 9. q. 18. & alij.

Septimo, & vltimo redditur illicita negotiatio ex parte finis. Qui enim ita affectat lucrum, vt in eo conſtituat vltimum finem, negligendo eius cauſa Dei, & eccleſiæ præcepta, peccat mortaliter ac de huiuſmodi iniqua negotiatione intelligi debent Sancti Patres cum ſeuerè negotiationem damnant. Vt D. Greg. hom. 24. cum ait, eſſe pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi, aut vix, aut nullatenus poſſunt. Et in c. fallas de pœnit. d. 5. cum negat negotiatores poſſe veram agere pœnitentiam, niſi negotia relinquant. Item de illicita negotiatione intelligitur illud Pſal. 70. Quoniam non cognoui literaturam, id eſt negotiationem, vt ſeptuaginta interpretantur. Mol. d. 336. Val. t. 3. d. 3. p. 5. q. 20. p. 5. & alij.

QVÆSTIO CXVI.

Quid de eo iudicandum, quod Venetiis aliquando accidiſſe fertur, Titius per literas ſibi miſſas, venit in cognitionem, quod in ſequenti anno, aromata futura erant cariora, qui proponens tacitè omnia aromata ea de cauſa emere, literas conſcindit, ac proiecit: Caius tamen ex fragmentis literarum collectis, arteque compoſitis rem colligens prius emit, & lucrum præripuit. Quæritur nunc An Caius ad aliquid reſtituendum Titio tenetur?

1 REbell. lib. 9. quæſtio. 7. affirmat, teneri.

Mihi autem magis eorum probatur opi-

nio, qui censent Caium contra iustitiam non peccasse, ac proinde ad nullam restitutionem Titio faciendam teneri, cum fas sit cuique accipere, quod pro derelicto abiicitur, nec ratione secreti commissi, nec alia via impeditur, quin ex tali notitia lucretur.

QVÆSTIO CXVII.

An vero idem dicendum sit in eo euentu, quo Titius existens Neapoli, scribit Caio existenti Siracusis, quod Neapoli multum valet frumentum. An vero Caius his literis fidem adhibens, multum frumentum Neapoli trãsmisit, vbi comperiens literarum falsitatem, grauem iacturam recepit?

1 RESpondeo Titium in hoc casu peccasse contra iustitiam, ac proinde ad restitutionem damni dati Caio obligari, cum in culpa fuerit malitiosè, & falsò scribendo Caio, sufficientem causam ei dedisse conuincitur.

QVÆSTIO CXVIII.

Sed quid? si huiusmodi literæ ipsi Caio non fuerint directæ, sed alteri, & Caius ex curiositate eas aperuit, ac legit, & fidem eis adhibens, fuisset magnam iacturam passus?

1 RESpondeo in hoc casu, licet Titius per odium contra charitatem peccauerit, non tamen teneretur restituere damnum ipsi Caio, quia cum huiusmodi literas aperiendo, & legendo contra iustitiam peccauerit, damnum inde prouenies tanquam à se, non ab alio datum, sibi imputare debebit.

QVÆSTIO CXIX.

Quid? si Titius animo nocendi alteri, literas finxit, quasi sibi missas ab amico, in quibus continetur, quod non est frumentum in Sicilia, easque apertas, dedita opera, eo in loco posuit, vbi Caius euentum legit, & fraudis inscius omnem copiam frumenti quam ibi reperit, comparauit, vnde grauem iacturam recepit?

1 IN qua re constat inter omnes, Titium contra charitatem peccasse, cum decipiendi proximum animum habuerit per proiectionem literarum illarum

Sed tota controuersia consi
neatur ad aliquam restitutionem

Lop.li.1.de contr.c.124. nega
videtur fuisse causa efficax damn
qui leuis fuit, propter tales litera
iusmodi granum emendum, & ideo
bi ascribat id damni, quod est pass

2 Alij verò rectiùs docent, Titium
stitutionem obligari, cum dedita op
teri damnum intulerit, nec leuiter
credidisse, cum literæ fingerentur
homine fide digno, nec læsus eas do
fectas suspicari debuisset, sed esto
crediderit, adhuc Titius à restitution
erit excusandus, alioqui etiam is, q
leuissima ratione consuleret, vel sua
vt occideres, vel furtum faceres, fin
tamen non faceres talia, fores excusa
quod tamen nemo dicit.

DE CONTRAC
Emptionis, & Venditionis cu
pacto de retrouendendo.

1 DE hac materia differunt Theol
quarto, dist.15.Caie.2.2.q.77.a.1.
l.6.de iust.q.5.a.3.Molina to.2.de iust.d.
Less.li.2.de iust.c.21.dub.14.Nau.c.17.n.
Cou.li.3.var.c.8.Lop.l.1.de contr.c.32.
C.de rest.q.15.Roder.p.2. sum.ca.85. &
Summistæ vero vt Angel.Sylu.Tabien.
mil.& Rosel.verbo vsura, & verbo emp
In cuius explicationem primò inquir
dum est.

QVÆSTIO CXX.

Quid sit contractus emptionis, & venditionis cum pacto de retrouendendo?

1 RESpõdeo, quod est pactum, quo emptor spõdet pro eodẽ pretio reuendere rem emptam venditori quandocunque venditor restituerit emptori pretium, quod pro ea dedit, vel intra certum tempus. Exemplum. Ego tibi vendo agrum meũ pretio iusto, puta mille aureis eo pacto, vt quando tibi pretium, quod mihi soluisti, reddidero, tenearis pro eodem pretio tu mihi agrum reddere, vel post quinquennium, interim autem ego percipio fructus ex agro.

QVAE

QVAESTIO CXXI.

An Contractus cum pacto de retrouendendo in fauorem venditoris sit licitus?

1 REspondeo,esse licitum. Ratio huius est,quia contractus emptionis licitus est sine pacto de retrouendendo, vt ex se constat : sed pactum de retrouendendo non est lege aliqua prohibitum, nec alicui contrahentium est iniurium,ergò licitè apponitur, ac proinde licitus est contractus emptionis cum pacto de retrouendendo.

2 Tum quia, quisque est arbiter rei suæ, eique modum quem vult imponere potest. Et est cõclusio definita in c. ad nostram de empt.& venditione. Et colligitur expressè ex Leuit.25. vbi omnis terra Israelitici populi sub redemptionis conditione vendebatur.

QVÆSTIO CXXII.

An emptio cum pacto retrouendendi, fructibus in sortem non computatis sit licita? verbi gratia, vendo tibi fundum singulis annis ferentem fructum decem aureorum hac lege vt denuò mihi fundum vendere tantidem tenearis, quanti ego tibi vendidi, accidit post decennium, vt ego fundum redimam, recepisti tu interim deductis expensis centum aureos ex fructibus. Est dubium, an tenearis illos fructus in sortem computare?

1 REsp.talem emptionem esse licitam, ac proinde emptorem non teneri ad computandum fructus in sortem pretij tempore redemptionis. Ratio est quia per emptionem rei dominium translatum est in emptorẽ,ergo licitè capit fructus ex ea.

QVÆSTIO CXXIII.

Quodnam sit iustum pretium rei quæ venditur cum pacto de retrouendendo?

1 REsp. rem quæ venditur cum pacto redemptionis minùs æstimari quam si per se nuda venderetur. Ratio est, quia venditor imponit emptori onus quodam pretio æstimabile, nempe vt ipsi volenti cogatur rem reuendere,intra aliquod tempus, quare de pretio rei detrahendum est, quanti hoc onus æstimabitur. Ita Couar.li. 3. var. cap. 10. & Roder.p. 2. sum. cap. 83. num.4.

QVÆSTIO CXXIV.

Sed petes. Quantùm possit minui iustè de pretio,ex contemplatione huius pacti?

1 QVidam ex I.C.asseruerunt id arbitrio boni viri esse definiendum.

Alij,pretium posse iustè minui vsque ad tertiam partem.v.g fundus qui simpliciter valet triginta, posse iustè vendi cum tali pacto pro viginti aureis.

2 Communis tamen Doctorum sententia affirmat pretium iustè diminui vsque ad quartam partem, non citrà, verbi gratia, fundus qui simpliciter valet quadraginta, si cum hoc pacto vendatur valet triginta, ac propterea si minoris venderetur, esset peccatum iniustitiæ,vndè emens teneretur ad iustum reducere pretium,vt sic contractus iustificaretur.Ita Nau.c.23.num.86. & Lop.li.1.de contr.c.32.

QVÆSTIO CXXV.

Dices, Quanto tempore durat hoc pactum redimendi? Perinde est,ac si quæreretur, An emptor possit rem sibi retinere iure præscriptionis, si intra tempus, quod lex præscriptionis requirit,non redemerit. An verò potius in infinitum tempus, venditor possit redimere, & emptor teneatur rem emptam reuendere?

1 ET quidem constat inter omnes,hanc legem præscriptionis non habere locum in emptione annorum censuum, & reddituum;in quibus hoc pactum de redimendo nunquam præscribitur secundùm Bullam Nicolai V.& Pij V. Vt optime annotauit Molina to.2.de contr.disp.374.

QVÆSTIO CXXVI.

Sed tota difficultas consistit de contractu venditionis aliarum rerum cum pacto redimendi.

1 IN qua re duplex est opinio. Prima est asserentium triginta annorum spatio hoc pactum præscribi. Ita Ioan.Baptista Lupus

Lupus de vſur.com.2.§.3.n.99. vbi ait hanc opinionem eſſe communem,à qua nõ vult eſſe recedendum,ne emptor maneat in infinitum obligatus ad iterum vendendum rem venditori,& eam vim,& locum habere, etiamſi tale pactum fuerit iureiurando confirmatum: niſi expreſsè iurauerit emptori ſe præſcriptionis triginta,vel quadraginta annorum iuri cedere.

2 Secunda ſententia (cui tanquam probabiliori adhæreo, quamuis prima ſit ſatis probabilis) ait poſſe venditorem quandocunque voluerit etiam poſt triginta, vel quadraginta annorum ſpatium, non obſtãte iure præſcriptionis redimere.Et ratio eſt quia ex partium conuentione actio, & obligatio extendi poſſunt in infinitum:in caſu autem noſtro cum in pacto expreſsè apponatur,vt quandocunque venditor velit,poſſit rem venditam redimere, cenſetur inter contrahentes conuenisſe, vt quocunque tempore in perpetuum vendẽs per ſe, vel per ſuos hæredes velit,poſſit rem redimere. Et eſt concluſio definita in l. quod ſi nolit.§.ſi quid ita ff.de edil.edict.vbi habetur,ſi inter emptorem, & venditorem pactum fiat, vt quandocunque res emptori diſpliceret, redimeretur, poſſe redimi in perpetuum.

QVÆSTIO CXXVII.

Quotnam conditiones requirantur ad iuſtitiam huius contractus?

1 REſpondeo quatuor. Prima eſt,vt ſimulatio ſaltem ex parte emptoris abſit,id eſt,vt emptor habeat verè, & realiter animum emendi, & non mutuandi.

Hinc, ſi emptor ſolùm habeat voluntatem mutuandi, & vocet hoc mutuum venditionem cum pacto retrouendendi ad effectum percipiendi fructus vltra ſortem principalem, vſuram palliatam committit.

Secunda eſt, vt redemptio fiat eodem pretio, quo emptio facta eſt. Probatur, de ratione huius contractus eſt,vt tantundem pretij reddatur,quantum acceptum eſt.

QVÆSTIO CXXVIII.

Sed Quid?ſi tempore redemptionis res vendita plus,vel minùs æſtimetur,quàm eo tempore quo eſt vendita valeat?

1 REſpondeo hoc nihil referre, quandocunque ea æſtimatio eſt maior, aut minor curſu, aut lapſu temporis ex communi vſu fori, vel etiam ex lege, aut ſtatuto Principis, quo ſolent pretia rerum augeri, & minui, quoniam emptor nihil ex ſuo amittit, recipit enim pretium totum quod dedit.

QVÆSTIO CXXIX.

An pactum vt venditor maiori pretio redimat aliquando ſit iuſtum?

1 MEdina C.de reſtitut. quæſt.15.affirmat.

Alij verò vt Couar.li.3.var.ca.9. num.4. Conrad.de contract.qu.74.& plerique alij negant.

2 Cæterum cum hac diſtinctione melius reſponderi poſſe videtur.Aut enim pactum eſt, vt ſi res verè ſit meliorata apud emptorem induſtria,& expenſis ipſius,vel caſu fortuito, ita tamen vt apud venditorem melior minimè redderetur, venditor debeat pluris redimere, & tunc vera eſt opinio Medinæ, quia valdè eſt rationi conſonum,vt venditor, cum eam redimit, emolumenta,& commoda quæ facta ſunt in re ipſa ſoluat, ſi apud ipſum facta non fuiſſent.Aut pactum eſt, vt redemptio maiori pretio fiat ex eo ſolùm, quod caſu fortuito, vel lapſu temporis ex cõmuni omnium æſtimatione, aut ſtatuto Reipublicæ ſine opera, & induſtria emptoris pretium ſit auctum, & in hoc caſu vera eſt ſententia Couar.quia cum res non ſit melior effecta, non eſt cur maiori pretio redimatur.

2 Hinc,ſi Titius emit à Caio vineam menſe Februarij cum pacto redimendi, poſtea Caius vult illam redimere menſe Septembris,tenetur ſoluere tanto plus, quanti valent fructus pendentes, iuxta Mol. d.374. Couar.lib.1.var.c.15.n.6.& Roder.c.85.nu.6.

3 Hinc non eſt iniquum, ſi venditor vendat cum pacto, vt minori pretio poſſit redimere, ſi res deterior euaſerit apud emptorem, quod non accideret apud venditorem:nam etiam eſt rationi congruum, vt venditor minori pretio redimat, ſi culpa emptoris res ſit effecta deterior, aut etiam caſu fortuito, quod tamen minimè euenisſet, ſi venditor rem ſuam penes ſe habuiſſet.

Tertia

Tertia conditio est, vt non fiat pactum, quòd si res pereat ante redemptionem, pereat venditori, & non emptori, quia in hoc casu esset vsura palliata, cum dominium rei emptæ pertineat ad ipsum emptorem, & ideo debet perire illi, vt tradit Lop.lib.1.de contr.c.32.& 33. & Roder.p.2. sum.c.85.num.3.

4 Quarta conditio est, vt non sit modicitas pretij, quia alias præsumeretur vsura. Quia licet hoc pactum diminuat de pretio, hoc tamen non debet esse minus iusto. Ita Sot.lib.6.q.5.ar.2.& Cou.lib.3. var.ca.8. num.8.

Sylvest. verb.vsura 2.q.15. & Lop.lib.1.de contr.ca.33. addunt quintam conditionem, scilicet vt emptor faciat illud pactum de retrouendendo eo solo vt placeat venditori,& quod malit,ne redimatur, & quod non emeret, si putaret esse redimendam rem.

5 At secundum Naua.c.17.n.248.hæc conditio non est necessaria. Tum quia nullo iure,vel ratione probatur. Tum quia contingit non raro aliquem posse verè rem aliquam emere cum pacto retrouendendi, quod minuit pretium eius, & non absque illo:quia non habet satis pecuniæ, ad eam iusto pretio emendam sine illo pacto, sine quo pluris valet.

Tum quia multi nollent res aliquas emere, quas tamen persuasu importuno amicorum, quos oportet eas vendere, emunt quidem verè cum prædicto pacto,sed sperantes eas redimendas, quas alioqui non emerent.

QVÆSTIO CXXX.

An liceat possessionem emere cum pacto de retrouendendo,& postea interim donec redimatur, locare eam venditori pro certo affectu,scilicet pensione?

1 RESp.licere,modò fiat bona fide, & sine fraude, quia sicut potest huic vel illi,ita & venditori locare. Esset tamen illicitum in tribus casibus.

Primo, quando venditor ex pacto, non posset, quando vellet se à dicta locatione liberare,quia talis obligatio cum sit pretio æstimabilis, & emptor solùm iustum pretium rei soluat, fit vt supra iustum pretium habeat istam obligationem venditor, qua obligaretur ab huiusmodi locatione non discedere.

Secundo quando emptor vellet,vt venditor obligaret se ad conducendum rem venditam,nisi secundum Sylvest.verb.vsura 2.qu.15.pro hac obligatione in aliqua alleuaretur conductor,id est venditor.

2 Tertio quando ex pacto, commodum, vel incommodum pertineret ad venditorem, excepto commodo fructuum rei seu possessionis à se conductæ, quia est contra naturam emptionis, cum rei emptæ commodum, vel incommodum pertineat ad emptorem: nisi pensio pro locatione rei, quam soluit venditor,esset ita modica, vt venditor hinc releuaretur in eo, in quo grauatur contra naturam contractus.

QVÆSTIO CXXXI.

An possit pactum apponi,vt si venditor intra certum tempus non redemerit, res vendita remaneat irredimibilis?

1 RESpondeo posse,dummodò hoc fiat bona fide, vt cogitet, & stimulum habeat vẽditor de redimendo:secùs si ponatur tale pactum in fraude venditoris, quia emptor cogitat venditoris talem impotentiam,vt non valeat infra tale tempus redimere,quia tunc esset fraus,& ideò illicitum secundum Sotum li.6.q.5.nu.3.

QVÆSTIO CXXXII.

An pactum de retrouendendo venditioni appositum ad instantiam emptoris,& in sui vtilitatem, ita vt in potestate emptoris sit revendere,sit licitum?

1 SVnt qui censeant hoc pactum esse vsurarium, quia mutuum continet implicitum,& lucrum ex mutuo, nisi emptor fructus omnes ex ea re perceptos computet in partem pretij.

Communis tamen, & verior opinio est, hoc pactum esse licitum modo tamen sequentes adsint conditiones.

Prima, vt pretium redemptionis sit iustum.

Secunda, vt praua intentio absit occultandi ea via vsuras, mutuum celebrando sub confícto emptionis nomine.

2 Tertia, vt absit scandalum,atque infa-

Digitized by Google

mia celebrantis eum contractum. Ratio huius est,quia sicut iusto pretio compensari potest onus,quod venditor imponit emptori, nempe tantumdem detrahendo de pretio : ita etiam onus, quod emptor imponit venditori,compensari potest,tantumdem augẽdo pretium in prima venditione.

3 Deinde,si concurrentibus his conditionibus, contractus iste esset illicitus, ideò esset,(vt ait Sotus,)quia esset vsurarius:sed hoc est falsum,ergò. Minor probatur,quia in eo non interuenit mutuum, sed vera emptio,& venditio:quod ex eo patet, quia in eo interuenit merx. & pretium;Tũ quia si res antequàm redimatur, pereat, perit emptori,neque debetur illi pretium, quod pro ea dedit id quod longè alienum est à mutuo, in quo semper quacunque re pereunte,capitale debetur mutuanti, ergo in eo contractu non interuenit vsura.Ita Mol. d.377.Less.li.2.c.21.dub.14.Cou.li.3.var.c.9. n.3.& Roder.p.2.sum.c.85.n.5.

QVÆSTIO CXXXIII.

An pactum retrouendendi contractui venditionis appositum in fauorem vtriusque, ita vt in potestate venditoris sit redimere, & emptoris reuendere quando voluerit, sit licitum?

1 REspondeo esse licitum. Verum tunc res debet vilius vendi,quam per se valeat,cariùs tamẽ,quàm si cum pacto redimendi in gratiam solius venditoris venderetur.Vnde si res per se valeret viginti, cum pacto autem in fauorem solius venditoris quindecim,dum apponitur pactum in fauorem vtriusque valebit fortè decem, & septem, vel decem & octo,pro vt prudens arbitrabitur. Ita Less. libr. 2. cap. 21. dub.14.

QVÆSTIO CXXXIV.

Dices,Quisnam eorum plus oneris sustinere cogatur,emptor,an venditor? Id est,vtrùm sit grauius onus posse cogi venditorem ab emptore ad reddendum pretium,aut posse compelli emptorem ad reddendum venditori domum?

1 REsp. venditori maius onus incumbere, quàm emptori. Et ratio est, quia vẽditor cogitur pecuniam restituere, emptor verò domum:at difficilius est pecuniam,quàm domum reddere.Itaque si ex pacto redemptionis appositio solum in gratiam venditoris pretium rei decrescat vsque ad quartam partem, non ita diminui potest pretium rei ex pacto redimendi solùm appositio in fauorem emptoris, quia plus oneris suscipit tunc temporis venditor, quàm emptor. Et hæc de contractu emptionis,& venditionis dixisse sufficiant.

DE SOCIETATE.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE hac materia agunt Theologi in 4.dist.15.D.Thom.2.2.q.78.ar.2.ad 5. Caietan.ibidem, & in opusc.17.responsionum,responsione quinta,& in summula verb.Societas.Sot.li.6.de iust.q. 6.a.1. & 2.Less.li.2.de iust.c.25.Tolet. li.5. c.40. & 41.Rebel.p.2.de obl.li.15.Azor.p.3.inst.mor. li.9.Mol.to.2.de contr.d.411.Coùa.lib.3.var. c.2.n.2.& 19.Lop.li.1.de contr. c.61. Val.to. 3.disp.5.q.24.p.1.Roder.p.1.sum. c.46. Conrad.de contr.à q.92.vsque ad q.97.Naua.in Man,c.17.nu.251.Canonistæ in c.Per vestras de donat.inter virum, & vxorem. Summistæ vero vt Syluester. Angel. Tab. Armil. & alij verbo societas, peculium, & vsura.

Inter ea quæ de Societate dicenda occurrunt, id primum est.

QVÆSTIO I.

Quotnam sint species societatis ?

1 REspondeo tres.Prima dicitur Societas negotiationis, cum duo, vel plures

plures ex negotiatione quæsitum, & lucrum acquirunt sibi.

2 Secunda officiorum, quæ est particularis Romæ, & fit cùm quis officio fungitur, & alios sibi socios adsciscit, cum quibus cõmunicat fructus, quos ex officio percipit.

3 Tertia, & vltima animalium, qualia sunt greges ouium, boum, vel equorum &c.

De quibus omnibus hic (Deo fauente) agendum est.

QVÆSTIO II.

Quid sit societas negotiationis?

1 REspondeo, quod est duorum pluriumue conuentio, seu pactum voluntate contrahendæ societatis honestæ, ex pecunia, industria, vel labore singulorum inter ipsos communibus, lucri gratia.

Dicitur in primis (duorum, vel plurium conuentio) quia vnus solus societatem non facit.

Dicitur secundò (voluntate contrahendæ societatis) quia si absit huiusmodi voluntas, societas minimè censetur.

Dicitur tertiò (honestæ) quoniam malorum nulla societas ritè, ac iure conflatur. Vt si duo conueniant de lucro ex furto, vel alio maleficio communicando.

2 Dicitur quarto (ex pecunia, industria, vel labore) nam si neque pecuniam, neque industriam, neque laborem in commune contuleris, & tamen ego te facio participem lucri ex negotiatione comparati, nullã societaté tecum ineo, sed dono tibi lucrũ.

Dicitur quintò (lucri gratia) quia qui simul habitant in vna & eadem domo socij quidem latè, & amplè dicuntur, societatem tamen non coierunt.

Dicitur sextò, & vltimò (communi) quia si vnus alteri tradit pecuniam ad negotiãdum, ita vt lucrum totum sit ponentis pecuniam, & alius pro labore & industria accipit stipendium, non est societas, sed locatio ex parte eius qui laborem, & industriam confert, & cõductio ex parte eius, qui pro labore, & industria stipendium tribuit.

3 Nomine autem lucri hoc loco intelligitur id, quod omni damno deducto ex negotiatione, vel causa, siue ratione negotiationis prouenit, non autem si aliunde, vel sola occasione negotiationis existat. v.g. adiuit Petrus Curiam causa societatis, & ipsa Petri persona placuit Regi, non quia socius alterius esset, sed propter suam sapientiam, & industriam, & ob id Rex Petro aliquid donauit: id domi Petrus cum socio communicare non tenetur, quia sola occasione non causa societatis accepit.

QVÆSTIO III.

Quot modis societas contrahi possit?

1 REspondeo tribus. Aut enim singuli mercatores in vnum cumulũ æquè suas pecunias, operam, & industriam apponunt. Aut vnus pecuniam collocat, alter operam, alter industriam. Vel vnus pecuniam ponit, alter vero industriam, operam, & laborem.

QVÆSTIO IV.

An contractus Societatis sit iustus, & licitus?

1 REspondeo esse iustum, & licitum. Et ratio est, quia quod iustè fieri potest ab vnoquoque seorsim, iustè quoque fieri potest à pluribus simul. Sed vnusquisque potest seorsim lucrari iustè ex sua propria re ad lucrandum idonea, ergo etiam plures simul ex suis rebus coniunctis ad lucrandum idoneis.

Et est conclusio definita in c. Per vestras de donat. inter virum, & vxorem Innocentius Papa iij. hunc contractum vt iustum, & licitum approbauit.

QVÆSTIO V.

Quotnam sint conditiones, quas ad Societatem licitam, ac iustam Doctores exigunt?

1 REspondeo quinque. Prima est, vt pecunia verè, & realiter ponatur ad aliquam negotiationem, quæ nata sit ferre lucrum, alias esset palliata vsura.

Hinc sunt, vsurarij, qui pecunias suas amicis qui peritia negotiandi carent, ea lege tradunt, vt post aliquod tempus easdem restituant cum eo lucro, quod probabiliter tuliſſent negotiationi expositæ.

Secunda est, vt negotiatio in qua est societas cõtracta, sit licita & honesta, quia in re illicita nõ contrahitur, nisi cõuenticulũ.

2 Hinc, qui facit societatem cum vsurario illicitè negotiante, non potest ex pecunia ad talem negotiationem data reportare lucrum, sed potiùs tenetur illud domino restituere.

3 Tertia est, vt omnia quæ in societate ponuntur, siue sint pecuniæ, siue operæ, vel industria à principio numerentur, & ex illis fiat quasi vna summa pecuniæ omnibus communis; v.g. sunt tres socij, quorum vnus confert mille aureos; alter operas requisitas, quæ æstimantur aliis millè, Tertius verò ponit industriã, quæ æstimatur quingentis: tunc stabilienda est societas, quasi hi tres contulissent in pecunia numerata duo millia quingentos aureos, qua finita, si lucrum sit vt quinque primò qui contulit mille, debent tradi duo, ei qui contulit operas valentes etiam mille, tradi similiter alia duo; tertio vero qui solùm contulit quingentos aureos, debet tradi vnum. Et ratio huius est, quia cum lucra, & damna sint inter eos distribuenda pro rata, & ratione portionis ab vnoquoque appositæ, nisi à principio contractus æstimetur id, quod singuli in eam societatem conferunt, non poterit rectè, nec commodè discerni, ac diiudicari deindè, quæ pars ad vnumquemque eorum pertineat.

Quarta est, vt singulorum portiones in societate positæ æqualiter sint expositæ lucro, & damno, vt si pecunia casu fortuito pereat, tota ei qui illam in commune contulit, pereat, si maneat, tota illi maneat, nec alius teneatur illam soluere, aliàs esset vsuraria mutuatio. Et ratio huius est, quia pecunia collocata in commune quo ad dominium spectat, non transit in socios, sed est eius, qui eam in commune posuit, & ideò si perit, ipsi, non sociis perit. Eâdem ratione qui ponit laborem, & industriam, si casu nihil lucri obueniat, ipse solus laborem perdat, salua tamen pecunia alterius.

4 Quinta, & vltima conditio est, vt in omnibus inter socios proportionabiliter seruetur æqualitas, ita vt vnusquisque sociorum pro ratione vel pecuniæ, vel laboris, aut industriæ, quam in tali negotio, & societate collocauit, tantundem recipiat lucri, vel damni, quod acciderit. Vt habetur in l. quid enim, & in l. Si non fuerit. ff. pro socio vbi sic dicitur. Contra leges societatis esset cõmodum, & lucrum percipere, damnum verò effugere. Ita Nauar. cap. 17. num. 252. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 15. q. 2. Roder. par. 1. sum. cap. 46. & plerique alij.

Adducit Tabiena hanc sextam cõditionem, vt careat societas omni fraude, ita vt, si quæ in illa interueniat, cum primùm fuerit detecta, amittat societas illa omne robur, & vires, etiamsi oppositum fuerit ductum in pactum. Quia esset pactum iniquum, & contra bonos mores, vt fraus detecta non tolleret vim societatis.

5 Dices, pecunia ex se non est fructifera, ergò qui in negotiatione apponit pecuniã, non potest absque vitio vsuræ lucrum reportare. Probo consequentiam, quia ex eo capite, ratione mutui lucrum absque vsura recipi non posse supra in tractatu de vsuris dictum est.

Respondeo quamuis pecunia, vt pecunia est præcisè, siue quatenùs pretium rerum est, quo pacto per mutuum datur, nullum fructum pariat; tamen vt subest proprij domini periculo, in negotiatione, cui exponitur, cum sit lucrosæ negotiationis instrumentum, lucrosa esse potest: atque hoc pacto in societate exponitur. At in mutuo aliter res se habet, nam sicut totum dominium rei mutuatæ in mutuatarium transit, sic tota subest periculo mutuatarij etiamsi nulla ipsius culpa pereat. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 15. q. 2.

QVÆSTIO VI.

Ex qua culpa, seu negligentia socius socio ad restitutionem teneatur?

1 AD cuius intelligentiam obseruandum est. Primò quòd quatuor modis potest damnum accidere in societate aliqua. Primo ex dolo, aut lata culpa socij. Secundo ex culpa leui. Tertiò ex culpa leuissima. Quarto & vltimo ex casu fortuito.

Dolus, aut culpa lata in iure est, quando ipso illud procurante, vel saltem sciente, & consentiente damnum illud contingit, nec voluit prohibere, cum facilè posset.

Culpa leuis dicitur, vbi quis non adhibet eam diligentiam, & curam quam vir prudens adhiberet, aut deberet adhibere rebus suis propriis, attenta illarum qualitate, & quantitate.

2 Culpa leuissima dicitur, vbi non adhibet eam diligentiam, & curam, quam dili-

gen

Digitized by Google

gentissimus,& vigilantissimus vir in rebus suis adhibere solet.

Casus vero fortuitus est,quando sine vllo dolo,aut culpa interueniente damnum accidit,vt ex terræmotu,insultu latronum, &c.

Quo posito,nunc ad quæstionem respõdeo, quòd in negotio, & societate, vnusquisque sociorum in conscientia,& in foro exteriori tenetur aliis sociis de toto damno,quod dolo, lata, aut leui culpa ipsius aduenerit, tam in capitali, quod deperditum est, quam in lucro,quo carent cœteri socij, & ratio est,quia huiusmodi contractus est in bonum, & commodum vtriusque contrahentis vt habetur ex l.Socius ff. pro socio. At in contractu, qui fit gratia vtriusque socij, soluendum est damnum, quod prouenit ex dolo,lata, & leui culpa, non autem leuissima, aut casu fortuito. l. contractus. ff. de reg.iuris.

QVÆSTIO VII.

An ad partitionem lucri,vel damni sit habenda ratio quantitatis pecuniæ? Perinde est, ac si quæreretur, An tota pecunia, quam vnus confert in societatem sit censenda sors illius, vel solùm valor periculi,cui illa exponitur?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione Magister Sot.lib.6.q.6.art.1.ait in lucri, vel damni distributione non esse habendam rationem pecuniæ,quam socius confert,sed solùm rationem periculi,cui pecuniam exponit, atque adeò solius periculi, non autem pecuniæ proportionem comparandam esse, cum proportione industriæ, vel operæ alterius.v.g.confert Titius in societatem suam tantùm industriam, Caius verò decem millia aureorum, valor sortis Caij, non est, (inquit Sotus) æstimandus tanquàm decem millium aureorum,sed secundùm valorem tantùm periculi, cui illa decem millia aureorum in tali negotio exponuntur:ita vt si periculum,cui in tali negotio exponuntur arbitrio boni viri sit vt centum, sors Caij in illa societate sit censenda centum aureorum, quia tanti æstimatur periculum,cui illa decem millia aureorum tunc exponuntur.

2 Nauar. tamen cap.17.nu.251. Caiet.2.2. quæst.78.ar.2.ad 5.& in summa verb.societas,Rebell.p.2. de obligat.lib.15.quæst.2. & alij rectiùs docét totam pecuniam ab aliquo appositam secundùm totum suũ valorem esse sortem conferentis illam,& iuxta proprium illius valorem,esse conferendam illi partem lucri, quandò fiet illius distributio,& non iuxta quantitatem periculi.Et ratio est,quia socij iustè lucrum percipiunt ex suis rebus,pro vt eas ad lucrandum exponunt:sed in casu nostro res propria, quia socius ponens pecuniam ad lucrum exponit in primis est ipsa pecunia, non autem periculum,cui ipsam exponit:ergò in lucri partitione ratio in primis haberi debet ipsius pecuniæ,non autem periculi. Maior per se patet.Minor verò probatur,nam id, quod per se in societatis negotiatione fit lucrum,non est periculum pecuniæ,sed ipsa pecunia,ea enim est id,quod postea negotiando commutatur,non periculum. Alioquin sequeretur sæpè magna inæqualitas in distributione lucri,accideret enim vt conferens decem millia aureorũ, ad negotiationem tutissimam, ex lucro ingente quod indè expectaretur,per exiguam,vel nullam reciperet partem,& apponens operam,vel industriam, parui momenti totum ferè lucrum reciperet, quod tanquàm manifestè falsum ab omnibus reiicitur.

Et videtur esse conclusio definita in l.Si non fuerit ff.pro socio,& Inst. de societ.§. de illa, in quibus tota pecunia ab aliquo appositа vocatur absolutè, & simpliciter sors,& capitale illius.

QVÆSTIO VIII.

An in societate pecunia pereat, soli eam conferenti pereat?

1 RESpondeo soli ponenti perire, siue pereat ante operas,siue post,siue iactura eius in principio, siue in medio, siue in fine negotiationis fiat. Et ratio est, quia cum verus dominus illius pecuniæ sit, qui illam apposuit, illi soli debet perire.

Deindè si in fine negotiationis tota pecunia salua permaneat, tota ad eum qui illam contulit spectat; ergò cum perit,totum damnum est eius,qui eam in commune posuit,non alterius qui solam industriã, & operam collocauit.

2 Tandem, si alicuius partis pecuniæ alvno positæ, alius deberet damnum subire, profectò illa pars iam esset constituta

extra

extrà periculum : ac per consequens esset socio tantùm mutuata, cùm intentione inde referendi lucrum quod labe vsuræ non vacat. Vt docet Caiet. in sum. verb. mercimonial. societ. Nau. c. 17. n. 252. & Lop. li. 1. de contract.

QVÆSTIO IX.

An finita societate, principalis pecunia salua, & integra manens, pertineat tota ad eum qui illam contulit in commune, an verò deleat is qui posuit industriam & operam habere dimidiam partem ea ratione quod operam, & industriam pecuniæ æquivalentem perdiderit absque eius culpa?

1 GLossa in l. 1. C. pro socio communiter recepta, respondet per distinctionem. Nam vel ab initio dedit pecuniam cum pacto vt communis esset, & communiter inter illos, sicut lucrum diuideretur: vel vt sua salua manens remaneret. In primo casu communicatur; sicut si periret, quilibet deberet perdere suam partem, vt vtriusque contrahentis æqua sit conditio circa lucrum, & damnum. Sed in secundo casu minimè, quia sicut vnus suam operam perdidit, sic etiam alius amisit emolumentum, & commodum, quod potuit ex sua pecunia percipere.

2 Tum quia quamuis opera vnius tanti æstimetur, quanti pecunia alterius, vterque tamen pecuniam, & operam periculo subiicit, quare sicut ille perdidit operam, sic ille potuit suam pecuniam amittere, & tunc ipsi soli periret, nec alius ei aliquid reddere teneretur.

QVÆSTIO X.

Sed Quid? si non appareat, vtrùm primo, an secundo modo societas contrahatur? Hoc est, vtrum quoad capitale etiam diuidendum inita censeatur, an verò quoad solum lucrum, ac damnum communicandum?

1 REspondeo interpretandam esse talem societatem secundùm regionis siue loci praxim; inter similes contrahentes seruari solitam, vt cum Ang. verbo societas §. 10. Syluest. ibidem. 1. qu. 6. & aliis communiter resolut Rebell. p. 2. de obli. li. 25. q. 1. talem enim animum contrahentes habuisse præsumendi sunt, qualem similes contrahentes eo in loco, ac tempore habere solent.

QVÆSTIO XI.

Sed Quid? si nec de consuetudine constet, nec coniecturæ sint, voluerint ne primo, an secundo modo contrahere?

1 ILlustrissimus Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 5. Molina to. 2. de contract. d. 4. 6. Couarr. li. 3. var. c. 2. nu. 2. & Conrad. de contract. qu. 93. tenent esse iure ipso communi communicatam, & ita dimidiam partem socio deberi, qui operam suam, vel industriam collocauit.

2 Alij verò vt D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 5. Sot. li. 6. q. 6. a. 1. ad 1. Nau. c. 17. n. 25. Caiet. sibi contrarius in sum. verb. mercimonialis societas, Syluest. verb. Societas 1. quæst. 6. & Ang. ibidem nu. 10. docent totam principalem pecuniam, si integra permaneat, ad eum iure ipso communi pertinere, qui eam in societatem contulit. Et ratio est, quia pretium operæ, & industriæ, socij intelligitur correspondere vsui pecuniæ, & non proprietati, sicut quando ex vna parte ponitur pecus in societatem, & ex alia opera pastoris, sola damna, vel lucra sunt communia, non autem ipsum pecus.

Deinde, si pecunia fieret cum socio communis, eius dominium ex parte ad socium transiret, ex quo fieret, vt is qui pecuniam ponit, non posset lucrum ex tota ea pecunia percipere, si quidem partem eius tantùm in societatem ponere diceretur.

Præterea, si principalis pecunia pereat, totum damnum, sicut etiam periculum est eius qui eam contulit in commune, ergo integra permaneat, tota ad eundem pertinet.

3 Tandem est conclusio definita à Sixto V. in sua constitutione, quæ incipit detestabilis auaritiæ, vbi decernitur sortem finita societate, si restat, esse reddendam ei qui in commune contulit, nisi fuerit cum socio communicata, aut aliter inter eos conuentum.

Dices, qui apposuit laborem, videtur esse multò deterioris conditionis, quia in casu quo sors principalis perierit, ipse quoque sui laboris fructum amittet.

Respondeo

Respondeo vtrumque paris esse conditionis, quia si finita societate sine lucro pecunia salua permaneat, qui apposuit operam, & industriam, ex suo labore nihil lucratur, nec alter ex sua pecunia aliquid acquirit.

4 Obiicies, non videtur rationi consonum, vt huic tota sua pecunia salua maneat alteri verò nihil maneat sui laboris, & operarum.

Respondeo ex natura contractus istud citra vllam iniustitiam prouenire, quia sicut finita societate apponens operam, & industriam, vbi nullum est lucrum, illas perdit, ita quoque, & dominus pecuniæ, vbi nullum contingit lucrum perdit similiter vsum suæ pecuniæ. Ita Sot. li. 6. q. 6. ar. 1. Nauar. cap. 17. num. 251. Sylvest. verb. societas. 1. q. 6.

5 Cæterum hæ duæ opiniones conciliari facilè possunt, ita vt prima Caiet. loqui intelligatur in eo casu, quando opera, vel industria alterius esset æqualis, non solùm secundùm valorem commoditatis negotiandi, quam vocant vsum pecuniæ, sed etiam ipsimet pecuniæ secundùm totum suum valorem simpliciter, tunc enim non tantùm lucrum, sed etiam capitale inter eos diuidendum est: Secunda verò opinio intelligatur loqui in eo casu, in quo opera vel industria non est æqualis pecuniæ & sorti principali, sed benè vsui pecuniæ, tunc deducta prius sorte principali tam lucra, quàm damna sunt proportionabiliter, ideſt secundùm suas ratas diuidenda. Et ratio huius est, quia qui contulit pecuniam, quia substat duplici periculo scilicet perdendi substantiam pecuniæ, & negotiationis vsum, ideò si in fine negotiationis sors principalis sit salua, ei integra, & salua manet, cui deperderetur, si periret: qui verò ponit industriam, & laborem, quia solùm substat vni periculo scilicet perdendi vsum industriæ, vel operæ suæ, ideò nihil de sorte principali salua ei debetur.

QVÆSTIO XII.

An societas contrahi possit ea lege, vt pecunia capitalis sit ita communis cum socio, qui tantùm operam, vel industriam ponit, vt finitis negotiis inter eos diuidatur, si integra permaneat?

1 REspondeo posse. Et ratio est, quia talis lex cum natura, & substantia contractus societatis non pugnat, imò est societati consentaneum: sociorum enim bona communicantur.

Tum quia aliquando contingit, vt industria, vel opera vnius tanti valeat, quantùm pecunia alterius, quemadmodum ergo opera vel industria communicatur, sic etiam potest pecunia fieri communis. Vnde si Caius conferat mille aureos, Titius autem operam valentem etiam mille, & lucrum sit centum aureorum, Titius extrahet dimidium non solùm ex lucro, sed etiam ex sorte, id est centum, & mille. Vnde Caius habebit quingentos quinquaginta aureos Titius vero reliquos quingentos quinquaginta. Et hic contractus est iustus vt definitur à Sixto V. in constitutione, quę incipit. Detestabilis. Et tradit optimè Nau. c. 17. n. 253. Less. li. 2. de iust. c. 25. dub. 2. Rebel. p. 2. de obl. li. 15. q. 2. & alij.

QVÆSTIO XIII.

An liceat deducere in pactum, vt si pecunia perierit damnum sit commune?

1 PAnor. in ca. vestras de donatione inter virum, & vxorem affirmat id esse licitum.

Alij verò absolutè, & in vniuersum aiũt non licere, quorum ratio est, quia si pecunia pro parte sit secura, ibi pro parte resultat mutuum, ex quo cum speretur lucrum, labe vsurę totus commaculatur contractus.

2 Ceterum prima opinio mihi videtur verior, & tenenda in casu quo tacitè intelligatur vt ipsa pecunia sit etiam communis, si salua, & integra permanserit. Ratio est, quia tunc vterque contrahentium sicut æqualiter damnum patitur, sic etiam ipsam pecuniam, si supererit, æqualiter inter se diuidet, & qui tantum operam, & industriam collocat se subiicit periculo & lucro, vt partem pecuniæ sibi lucrifaciat. Secùs autẽ si qui ponit pecuniam paciscatur, vt pecuniæ damnum commune sit, non tamen ipsa pecunia, quia tunc tota pecunia non erit periculo exposita, sed tãtùm ex parte: nam eo ipso quod socius partem pecuniæ pereuntis resarcire tenetur, saluam, & integram habebit, qui illam cõtulit. Hoc autem est

est contra naturam societatis. Quod Naua. c.17.num.254. ait esse sententiam omnium, quam tenet etiam Sylvest.verb. societas 1. q.6.Lop.li.1.de contr.c.64.

3 Ex quo colligitur quòd quotiescunque sit pactum, vt damnum seu periculum pecuniæ sit commune, eo ipso subintelligatur conuentum, vt ipsa quoque pecunia sit communis:& è contra,si fuerit factum, vt pecunia communicetur,tacitè,& implicitè conuentum censeatur,vt damnum, seu periculum pecuniæ communicetur.

QVÆSTIO XIV.

An societas contrahi queat eo pacto, vt si sors principalis,quam vnus ex sociis in commune contulit,aliquo casu fortuito perierit eam alter socius reficere teneatur?

1 HOst.in sum. tit. de vsuris §. in aliis autem,& Io.Andr.in ca.Per vestras de donat.tenent posse contrahi, quia huiusmodi pactum non videtur esse contra naturam societatis,sed solùm præter naturá:ac proinde quamuis & vi & natura societatis non valeat, valet tamen vi pacti, quia contractus ex pacto legem accipiunt.

2 Communis tamen opinio habet, absolutè, & in vniuersum tale pactum cum societatis natura, & substantia pugnare. Et ratio est, quia qui dat pecuniam socio ea conditione, vt lucrum ex negotiatione sit commune,capitale indemne seruetur, vsuram committit:quia non est contractus societatis,sed mutui, in quo pecunia mutuata etiam si casu fortuito apudmutuatarium perierit, est reddenda, & talis contractus æquipollet huic scilicet accipe mutuo mille,vt eadem cum lucro reddas.Vnde vt cõtractus societatis sit licitus, debet pecunia cum lucro, & damno exponi, ita vt damnum & lucrum fit commune,vt habetur in l.Si non fuerint §.Arist.ff.pro socio vbi iurisconsultus leoninam societatem appellat, cum socij ita conueniunt, vt alter lucrum tantùm,& alter damnum sentiat, & tradit eleganter D.Th.2.2.q.78.ar.2.ad 5.Sot.lib.6. q.6.a.2.ad 3.Nau.c.17.n.252.Couar.lib.3.var. c.2.n.3.Conrad.de contr.q.97.& alij.

3 Ex quo colligitur ratio,ob quam lucrum ex pecunia in societate posita accipi potest & non ex mutuata, quam assignat D.Tho. loco citato, & est, dominium rei mutuatæ cum periculo in mutuatarium transfertur non autem in societatem collectæ,imò manet periculo conferentis, sicut industria,& opera periculo eius qui ea contulit.

QVÆSTIO XV.

An in societate licitum sit pactum, vt qui v.g. ponit mille in societatem, non possit ex illis amittere nisi centum, sed neque lucrari nisi centum?

1 REspondeo non licere. Et ratio est, quia in hoc casu qui confert pecuniam reuera non exponit negotiationi nisi centum,nam reliqua relinquit mutuata:sed moraliter loquendo centum negotiationi exposita, non sunt apta ad lucrandum alia centum,ergo iniquus, & vsurarius est contractus.Vnde qui deponit pecuniam ad negotiandum ea lege, vt non subeat periculum nisi certæ partis, non poterit recipere ex lucro nisi tantùm,quantum illi parti secundùm proportionem respondet, vt si verbi gratia Titius subeat periculum in quinque,Caiusverò in triginta quinque:est autem lucrum sexdecim, tunc Titius reportabit ex lucro duo:Caius verò reliqua. Ita Sot.lib.6.qu.6.ar.2.& Ban.2.2. quæst.77. art. 4.

QVÆSTIO XVI.

An Titius cum Caio societatem coire possit ea conditione,vt Titius qui solam operam, & industriam in commune confert, certam pecuniæ partem habeat,quamuis inde nullum sit lucrum, vel sors principalis in omnem euentum pereat?

1 REspondeo posse. Sed tunc non est inter Titium, & Caium initus contractus societatis, sed locati, & conducti: Caius enim suum laborem, & industriam Titio locat, & Titius conducit operam Caij pro certo salario, quod reuera potest, vel ex sua pecunia, vel ex lucro sperato soluere,quòd si lucrum non extiterit,debet nihilominus Titius aliundè soluere. Naua.cap.17.num.257.Sylvest.verb.societas 1. q.3.Pisanel.eodem verbo 1.§.Armil.ibidem numer.7.

verb.num.17.& Ang.ibid.

QVÆSTIO XVII.

cum Caio possit societatem inire cum vt Titius suo periculo suscipiat pecu- Caij,& certam lucri partem,Caio red- teneatur, reliquum verò lucrum sibi it?

qua re conuenit inter omnes, esse ntra æquitatem, & iustitiam con- coire societatem ea conditione vt uo damno,&periculo suscipiat pe- Caij, & nihilominùs certam lucri ei soluat,reliqua lucri parte sibi re- ne vllo stipendio sibi assignato pro o,& onere quod suscipit.Vt expres- itur à Sixto V.in sua constitutione, cipit.Detestabilis quærit.

stio igitur est, An Titius cum Caio ocietatem coire ea conditione, vt soluto ei stipendio, saluam præstet m Caij, & quotannis certum lu- aruum Caio redderedebeat,residuo i retẽto?siue id fiat per tres distin- ntractus seorsim celebratos,siue per in quo illi implicitè contineantur. n primus sit societatis ad lucrum num,in quo Titius pecuniam,Caius peram collocat. .

Secundus assecurationis, quo Titius dat Caio quatuor pro centum assecuratis, vt nullum in fine anni damnum Titius recipiat.

Tertius denique redemptionis, quo scilicet Titius ad tollendas suspiciones, & molestias rationum,lucrum incertum verisimile,quod modò maius.modò minùs esse potest, certo aliquo pretio detrahendo de lucro sperato, vendit.

2 In qua graui quotidiana, & perdifficili quæstione sex extant Doctorum opiniones. Prima est Caiet. gloria Thomistarum tom.1.opusc.vlt.resp.11. asserentis hos tres contractus societatis,assecurationis, & redemptionis inter vtrumque socium rectè iniri posse, si modò ex interuallo temporis distincti fiant : non tamen si vnus tantùm contractus sit,vel duo, aut tres simul initi.

Secunda opinio est Soti ad libr.6.q.6.ar. 2.ad 3.Roder.p.1. sum. cap. 46. & aliorum qui affirmant huiusmodi tres contractus siue ex interuallo temporis fiant cum socio, siue vnico actu, & contextu esse illicitos.

3 Tertia est Nau.c.17.n.254. Less.lib.2. de iust.c.25.dub.3.Val.to.3.d.5.q.24.p.2.Couar. li.3.var.c.2.n.4.Conrad.de contract. qu.97. Sylvest.verb.societas 1.qu.2.Arm.ibid.nu.6, & aliorum qui docent hos contractus esse licitos,siue simul fiant cum socio, siue successiuè.

4 Quarta est Ioannis à Penna in dictatis à se in scholiis super D.Tho.asserentis opinionem Caietani speculatiuè esse veram,& post factum tolerandam, nec damnandos socios qui ita conuenerint, modò bona fide,ac sine vlla fraude,liberè, & sub pretiis iustis ita conuenerint. Sed sententiam Soti moraliter, & practicè esse sequendam, & præcipuè ante factum consulendum esse ne fiat, quia isti tres contractus cum eodem socio initi videntur se inuicem interire & manere lucrum cum vsura, seu mutuum cum lucro,palliatamque vsuram.

Quinta opinio est Conrad.de contract. q.97.qui huiusmodicontractus cum eodem celebratos secundùm se,& parte rei,centet non esse iniustos,vel iniquos ; re tamen ad praxim reuocata,docet non licere cum eodem socio illos celebrare, quia habet speciem vsuræ,

5 Sexta verò opinio est sapientissimi Francisci Victoriæ qui in scholiis à se dictatis sup.2.2. D.Thom. anno Domini 1535. sentit rem hanc sibi maximè dubiam videri,& periculosam de vsura, patereque per huiusmodi sententiam viam vsuris : qui licèt non audeat condemnare ad restitutionem sic contrahentes (quia sunt hinc inde opiniones)si bona fide contrahant : tamen ait rem sibi esse satis dubiam, & talem contractum valdè esse periculosum, vt potè qui parùm differat ab vsura,quippe qui etiam viam aperit latam ad multas vsuras. Nam illa differentia, quòd lucrum accipiatur via assecurationis, & non mutui, differentia metaphysica est,non realis, quia inde exurgit mutuum palliatum cum lucro.

6 Pro clariori tamen notitia huius quæstionis dico primò, quòd omnes isti tres contractus si fiant cum diuersis personis contrahentibus, vel simul, & eodem tempore, vel successiuè, & distinctis temporibus,sunt liciti & honesti. Probatur,omnes isti

isti tres contractus societatis, assecurationis, & redemptionis lucri per se sumpti, seruatis iustis, ac debitis singulorum conditionibus, & legibus, sunt liciti, & honesti, ergo initi cum diuersis personis, siue vnico actu, & contextu, siue ex interuallo temporis, erunt liciti, quia facti cum distinctis personis non se destruunt inuicem, aut interimunt.

7 Secundò dico, quòd huiusmodi tres contractus si bona fide fiant cum eodem socio diuersis tamen temporibus non sunt vsurarij, sed liciti & honesti. Vt si v.g. Titius consignet centum aureos Caio ad negotiandum cum lucro & damno. Deinde Titius quærens assecuratorem, offerat se Caius dicens si tradideris mihi quatuor pro assecuratione, ego horum centum aureorum periculum subibo, saluosque tibi reddam. Tandem si esset Titius quærens emptorem verisimilis lucri ex centum sic assecuratis, idemque Caius qui centum hos aureos receperat, dicat, ego pro verisimili lucro sperato tãtum tradam. Et ratio huius est, quia id lucri quod saluo capitali in hoc casu percipitur, non percipitur ratione contractus societatis, sed aliorum duorum contractuum ibi interuenientium causa, scilicet ratione assecurationis capitalis, & venditionis verisimilis lucri futuri.

8 Deinde non debet esse peioris conditionis Caius recipiens illos centum aureos ad negotiandum, vt non possit, si velit hos inire contractus cum Titio, quàm alij distincti, cum quibus istos contractus assecurationis, & venditionis lucri futuri licet inire, ergo si poterant isti contractus iniri cum tertio, ergo cum eodem. Probo consequentiam, quia quæ inita cum diuersis iusta sunt, etiam cum eodem iusta sunt, iustitia enim vel iniquitas contractuum, non pendet ex qualitate, aut diuersitate personarum, cum quibus celebrantur, sed ex æqualitate rei ad rem. Ita Caiet. to. 1. opusc. vlt. resp. 11. Naua. c. 17. nu. 256. Med. inst. conf. §. 27. Lop. lib. 2. c. 72. Mol. tom. 2. de iust. d. 411. Garc. 2. p. de contract. c. 17. Tolet. li. 5. c. 41.

QVÆSTIO XVIII.

Sed dubium grauius, & magis controuersum inter auctores est. An omnes isti tres contractus licitè fiant cum eodem socio, & semel pro eodem tempore?

1 CAiet. Sot. & Roder. locis supra citatis negant.

Alij verò rectiùs docent omnes istos tres contractus licere cum eadem persona, cum qua societas initur, etiam si tempore quo societatis contractus efficitur simul efficiantur, modo absit intentio mutuandi vsuraria. Ratio huius est, quia hi contractus possunt iniri successiuè cum eodem, vt Sotus fatetur, ergo etiam simul. Probo consequentiam, quia simul, vel successiuè fieri non mutat iustitiam contractus, modò semper seruetur æqualitas: quæ enim seorsim iusta sunt, etiam simul sumpta iusta sunt.

Et videtur esse sententia definita in cap. per vestras de donat: vbi Summus Pontifex iubet, vt marito vergenti ad inopiam, dos vxoris, ne ab eo dilapidetur apud mercatorem deponatur, vt per cõtractum societatis honestum lucrum ad sustentanda onera matrimonij percipiat: id verò non iuberet, nisi ita societas iniri posset, vt per contractum assecurationis pecunia dotalis vxori secura semper, & salua esse posset, suscipiente videlicet mercatore periculum capitalis. Et in l. Si non fuerint. ff. pro socio. ex iurisconsulti sententia apertè dicitur. Ita coiri (verba sunt legis) societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat, lucrum vero commune fit. Quod cum minime sit licitum ex vi solius contractus societatis, restat vt sit licitum vi supradictorum contractuum, qui simul adiungi possunt ad contractum ipsum societatis. Ita sanè sentiunt Nau. Tolet. Molina, Med. Gar. Sylu. & alij sup. citati. Quam opi. Lop. lib. 2. instr. c. 72. censet esse veram, stantibus quinque conditionibus.

3 Prima est, vt cessante omni fraude, & simulatione coram Deo formaliter, aut æquiualenter illi tres contractus verè fiunt, s. vt monitis præsertim pecuniam deponẽtibus, & depositariis vt tres prædictos cõtractus faciant, vel habeant pro factis.

Secunda ne vllum inde generetur scandalum, vel iusta suspicio mutui vsurarij sub colore, & specie societatis.

Tertia conditio est, vt accipiens pecuniam non possit illa pro suo arbitratu vti, sed teneatur necessariò cum illa negotiari, quia aliàs non ex negotiatione, sed ex mutuo lucrum suæ pecuniæ reportaret.

Quarta, vt qui deponit pecuniam, non multum,

Digitized by Google

multum, sed per exiguum lucrum petat vt quatuor pro centenario.

4 Quinta, & vlt. conditio est, vt duo vltimi contractus, scilicet assecurationis, & redemptionis lucri certi pro incerto fiant liberè, & propria sponte vtriusque contrahentis, aliàs, si is qui accepit pecuniam ad huiusmodi contractus non spontaneus, sed coactus ratione pecuniæ sibi datæ accederet, quasi ratione virtualis mutui videret illas obligationes subire. His omnibus concurrentibus est hic contractus.

Sed quia conditiones hæ parum attenduntur, res est intolerabilis, & plena periculis talis societas.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm omnes hi contractus debeant formaliter, & expressè fieri?

1 REspondeo minimè, siue enim isti contractus fiant cum eodem formaliter, & expressè per diuersos contractus seorsim celebratos, siue per vnum in quo illi æquiualenter, & implicitè contineantur, modò seruetur æqualitas, quo pacto fierent, si (vt exemplo Nauar. vtar) mercator publicè protestaretur se paratũ ad accipiendam pecuniam à quocunque volente cum illo contrahere societatem, cum pacto de assecuratione sortis ad rationem quatuor pro centum, & lucri certi scilicet quatuor pro duodecim incertis. ita vt ex lucro incerto, scilicet duodecim ex centum accipit quatuor pro assecuratione sortis, & quatuor pro assecurando lucro, & consequenter non teneatur reddere nisi quatuor pro centum Tunc si Titius cum Caio mercatore sic contraheret. Accipe mille aureos quos causa negotiationis tibi confero, eo pacto vt saluo capitali quotannis soluas quatuor ex centum, eo modo quo tu protestatus es, & Doctores docent id esse licitum, implicitè tres prædictos cum eo contractus inire censetur, etiamsi aliàs ignoret rationem, ob quam id est licitum. Ita Nauar. c. 17. num. 256. Tolet. l. 5. cap. 41. & alij, vbi supra.

QVÆSTIO XX.

Quomodò cognosci possit in societate tacitè contineri hos tres contractus, quando cum vno solo contractu expresso societas cõtrahitè

1 REspondeo is, qui dat pecuniam socio per exiguam lucri portionem exigit, & tanto minorem, quanto maius est periculum, cui se socius obiecit, communiter tamen vt Nau. Sylvest. Lop. & alij tradunt, periculum, quo quis centum ad negotiandum sumit, quatuor vel quinque æstimari.

2 Dices, qui ità pecuniam suam in societatem cõfert, vt periculum eius transferat ad accipientem, censetur eam dare mutuo non ad societatem. At ex mutuo non licet peti lucrum ergò talis, contractus est vsurarius. Minor est per se nota. Maior verò probatur, quia dum transfert periculum pecuniæ in socium, amittit dominium illius pecuniæ, & transfert illud in socium; is enim est dominus, cui res perit.

Respondeo falsum est, amitti dominium pecuniæ. & transire in mutuum, si cum eodem, cui illa traditur contractus assecurationis ineatur: non enim magis amittit dominium, quam si cum tertio hoc pactum assecurationis iniret. Nam qui mutuum accepit, potest pro suo libito pecunia vti, & eam in vsus quos ipse maluerit, conuertere; aut socius non potest illam in alios vsus, quam ad mercaturam impẽdere, ergò.

Tum quia in locato, & commodo non amittitur dominium, nec desinunt esse contractus locati, aut commodati, etiamsi conductor, & commodatarius suscipiat in se periculum rei: ergò nec in societate.

Tum quia depositum, commodatum & locatum ratione moræ, & culpæ in restituendo, sunt periculo debitoris, non creditoris, & tamen mora, vel culpa non transfert ad debitorẽ, rei debitæ dominiũ, ergò.

4 Nec, dum hi contractus simul fiunt, obligatur mercator ex contractu societatis ad aliquid vltra naturam contractus: qui enim pecuniam ei tradit, non obligat illum, ad eam assecurandam ex vi societatis, sed ex alio contractu, scilicet assecurationis, in quo exhibetur iusta compensatio.

Obiicies constitutionem Sixti V. quæ incipit Destabilis auaritiæ. Vbi Summus Pontifex condemnat tanquam fœneratitiam, & vsurariam per se societatem, in qua pactum est, vt socius pecuniam quæ in cõmune confertur suo dãno, & periculo suscipiat, ita vt in omni euentu tantundem vna cũ certa lucri portione reddere debeat.

Digitized by Google

5 Respondeo Pontificem solùm voluisse, huiusmodi pactum esse fœneratitium, & vsurarium quando ex vi, & natura societatis apponitur, non autem quando ex vi alterius contractus cum societate coniuncti adiicitur.

QVÆSTIO XXI.

An liceat, & sit vera societas, si Caius vt cautiorem redderet Titium mercatorem in sua pecunia conseruanda diceret ei fictè, volo vt totum periculum pecuniæ quam tibi tribuo sit tuum, cum tamen habeat animum participandi damnum?

1 REspondeo nec licitum esse, nec esse veram societatem hoc modo contrahere, quia ad veram societatem sicut ad quemuis alium contractum vtriusque contrahentis consensus exigitur: at si Titius dictis Caij assentitur, non societatem, sed potiùs vsurarium contractum inire contendit; quare sicut Titius non tenetur Caium lucri participem facere, si quid inde lucretur, ita nec Caius poterit vltra pecuniam Titio virtute mutuatam aliquid exigere, cum re verà nulla ibi societas interuenerit. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 15.

QVÆSTIO XXII.

An Titius cum Caio possit societatem coire, ea conditione vt ex quadrigentis aureis, quos Titius in commune confert, trecentorum periculum, & lucrum Caius suscipiat, reliquorum verò centum tam periculum, quàm lucrum spectet ad Titium?

1 REspondeo iniquam, & vsurariam esse hanc societatem. Et ratio est, quia huiusmodi societas, perinde se habet, ac si Titius mutuaret Caio illos trecentos aureos, quorum Caius tam periculum, quàm lucrum suscipit, exigeret, quæ ab eo, vt pro illo mutuo obligetur illos centum aureos sua industria, & labore in negotiatione impendere, & cum obligatio hæc sit pretio æstimabilis, & imponatur pro mutuo, aperte reddit huiusmodi societatem iniquam, & vsurariam

QVÆSTIO XXIII.

An Titius qui suam operam, & industriam in commune collocat, possit à Caio iusto stipendio securitatem illius postulare?

1 REsp. posse, sed tunc non est inter Titium, & Caium perfecta societas, sed est initus contractus locati, & conducti: Titius enim suũ laborem, & operam Caio locat, & Caius conducit operas Titij certo stipendio ei dato quacunque ratione negotium illud succedat prosperè, vel aduersè.

QVÆSTIO XXIV.

An qui contrahit societatem cum alio, quam bona fide credit esse iustam, licet vsurariam prauitatem contineat, consueta tamen in regione illa peccet?

1 REspondeo non peccare. Et ratio est, quia vt omnes Doctores tradunt, authoritas vnius viri valdè pij, & eruditi excusat à peccato transgressionis legis: at consuetudo tantæ, vel maioris authoritatis videtur, quam vnus, vel alter Doctor, ergo, Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO XXV.

Sed dubiæ quæstionis est, an esto iste non peccet, teneatur lucrum vsurarium restituere?

1 REsp. Nauar. extra de vsur lib. 5. conf. 20. nu. 12. hunc teneri restituere totum lucrum acquisitum, sed posse retinere illud, vel tantam partem ex eo, quantum verisimiliter per aliquem alium contractum lucratus fuisset.

Deniqne pro complemento huius materiæ, duo sunt annotanda. Vnum est, quòd ponens pecuniam in commune potest pacisci cum socio qui ponit operam, & industriam, vt non emat nisi tales, & tales merces, tali aut tali tempore, & loco, neque cum his, vel illis hominibus exerceat negotiationem, aliàs teneatur soluere ei totum damnum, quod ob horum violationem in societate illi acciderit: & ratio est, quia huiusmodi pacta non sunt contra naturam societatis, vt docet Lop. l. instr. c. 67.

Alterum

Digitized by Google

Alterum eſt, quòd qui in ſocietatem [illegible] pecuniam, poteſt exigere pignus [illegible] fiat ſecurus, quòd reddetur ei pecunia [illegible] negotiatione iacturam non fuerit [illegible], nam hoc pignore remanebit ligatus [illegible], & non erit tam facilè negligens in conſeruanda pecunia ſibi tradita, vt docet [illegible] p. 1. ſum. c. 46.

QVÆSTIO XXVI.

An ſumptus boni faciendi ſint ſumptus in ſocietate neceſſarij?

1 RESP. ex cumulo ipſius ſocietatis, & rebus ipſis, in quibus verſatur negotium ſocietatis faciendos eſſe, non tantùm qui ad ipſas merces neceſſarij ſunt, vt ſi nauigia, vel iumenta, ad eas aſportandas, vel trahiciendas, vel dolia, aut horreum ad ipſas conſeruandas conducat, vel aliquid impendat ad merces ipſas meliores reddendas, ſed etiam illos, quos in cibo & potu in itinere, vel extra domum agens, ipſe tam pro ſe, quam pro famulis neceſſarios pro negotiorum, & perſonarum qualitate facit, modò tamen competentes ſint, & rationabiles, ſi enim aliquid irrationaliter, & ſuperfluè expenderit, vt in conuiuijs, aut rebus aliis minimè neceſſarijs, eas tunc de ſuo marſupio ſoluet. Ita Nau. c. 17. nu. 283. Leſſ. lib. 2. c. 25. dub. 4. Reb. p. 2. de oblig. lib 15. q. 7. Sylueſt. verb. ſocietas 1. §. 2. & Armil. ibid. n. 10. Ratio huius eſt, quia huiuſmodi ſumptus fiunt in communem omnium ſociorum vtilitatem.

Quod exiſtimo eſſe verum, ſi aliud non diſponit lex, aut loci recepta conſuetudo ſecùs quam cenſenda eſt ſocietas cõtracta, quando aliud inter eos iuſta pactione non eſt ab initio conuentum.

QVÆSTIO XXVII.

An ex ſumptibus itineris deducendum ſit, quod domi manens inſumpſiſſet?

1 NAu. c. 17. n. 283. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 25. dub. 4. Salon. lib. 2. de contr. diſp. de ſociet. ar. 4. & Roder. p. 1. ſum. c. 42. negant, niſi aliud fuiſſet inter ipſos conuentum, vel communis patriæ vſus & conſuetudo aliter haberet.

At Sylueſt. verb. ſocietas 1. qu. 12. Angel. ibidem nu. 12. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 15. q. 7. & multi alij affirmant. Et ratio eſt, quia ſumptus quos domi feciſſet, niſi alibi negotijs ſocietatis operam daret, ad propriæ perſonæ ſuſtentationem non ad vtilitatem ſocietatis fierent: quare nõ eſt, quòd eiuſmodi ſumptus lucretur de communibus ſocietatis bonis, cum ſumptus reuerà ſocietatis non ſint. Alioquin quando domi debitas negotiationi operas impendit, poſſet etiam de communibus bonis victum exigere, quod tamen nemo admittet. Quia tamen ſocius regulariter in itinere, vel extra domum maiores ſumptus facit, quàm domi: ideò quo ad exceſſum per ſe deduci debent.

3 Mihi verè longè plus probatur prima opinio, quàdo non eſt deductum in pactũ, vt ſolum id, quod plus expendit extra proprium domicilium, quam expenſurus erat in ſua propria domo, extrahatur, præſertim quando proficiſcitur ad negotiandum ad loca remota vt in Indiam, imò & per aliquot leucas, ità diebus aliquot extra proprium domicilium in ea negotiatione.

QVÆSTIO XXVIII.

An ſi ad conſeruationem mercium communium aut ſortis principalis, aut ad acquiſitionem lucri opus ſit facere ſumptus aliquos, teneatur ſocius de ſuo marſupio, vel mutuo ab amicis accepto, eos præſtare.

1 IN qua re conuenit primo inter omnes eum præcepto charitatis, & ſub reatu mortali non tamen obligante ad reſtitutionem, de ſuo ad id teneri quando ſumptus illi eſſent neceſſarij ad cauendum damnum emergens, ſi ſine graui detrimento illud vitare poſſet: pro acquirendo tamen lucro ex proprio, nec lege charitatis, nec lege iuſtitiæ tenebitur, quia charitas nos obligat vt iuuemus pxoximum, vel damnum incurrat, non tamen regulariter vt lucrum acquirat.

Secundò conuenit, ei competere actionem negotiorum geſtorum ad repetendum quod de ſuo, vel alieno appoſuit ad neceſſarios ſumptus, nihil impediente quod lucrum totum cum ſorte poſteà perierit. Ratio huius eſt, quia ea in re vtiliter negotium ſociorum geſſit.

QVÆSTIO XXIX.

Controuersia igitur tota est. An teneatur ex iustitia?

1 SAlon.lib. 2. de contract. disp. de societ.Less.lib.2.de iust. cap. 25. dub.4. & Mol.tom.2. de contract. disp. 418. affirmant,ducti eo fundamento,quia socius tenetur eam diligentiam rebus communibus adhibere, quam quisque propriis adhibere solet: atqui ad res suas conseruandas, quisque de suo impendit, ergo idem præstare debet ad conseruationem rerum communium.

Deinde,talis tenetur petere mutuum ab amicis, si alia ratione non potest damnum commune auertere;ergo si id nolit,vel non possit ab aliis petere, tenetur accipere de suo marsupio,nomine societatis.

2 At verò Rebell. p. 2. de obligat. lib.15. quæst.7. negat, quoniam inquit,vi contractus expensæ illæ de communibus bonis erant faciendæ.

3 Cæterùm, quamuis prima opinio probabilis satis censeri debeat propter authoritatem Doctorum, qui illam amplectuntur, secunda tamen probabilior multò, & verior mihi videtur,& meritò quidem quia quamuis socius teneatur de iustitia adhibere tantam diligentiã pro rebus in commune collectis, quantam quisque propriis adhibere solet:hæc tamen diligentia intelligenda est intra limites negotiandi per operas societati expressè, vel implicite obligatas,inter quas mutuatio ex propriis, vel alienis non continetur.

QVÆSTIO XXX.

Quæ damna in societate debeant esse communia?

1 REsp.ea omnia quæ ex societate ipsa, tanquam ex causa proxima, & immediata procedunt, vt si ad merces coëmendas profectus à latronibus diripiatur, vel naufragium subsequatur, vel infirmetur, aliquidque extra proprium domicilium rationabiliter insumat cum medicis, & in pharmacis, vel capiatur ab hostibus, vnde ad seruitutem redactus, redimat se suis pecuniis Hæc omnia ex communibus societatis bonis extrahenda sunt. Secùs si damna sola occasione societatis tanquam à causa remota succedunt. Vt si abfui ob societatem, & consanguineus meus condens testamentum,me absente instituit hæredem extraneum, quòd non feciſſet,si ad fuissem. Hoc damnum licèt fuerit ex societate occasionatum,quia tamen non est à societate immediatè causatum non conuenit de communi soluendum:sicut etiam lucrum personæ, licèt sit à societate occasionatum, dum ratione societatis non obuenit,non est in commune deferendum,vt v.g.si propter societatem adiui Principem, & ei gratus extiti, ideóque ab eo obtinui aliquam dignitatem non contemplatione societatis,sed meæ personę tantùm ei complacentis, illud non est communicandum, neque cum sociis diuidendum.

2 Hæc tamen omnia intelligi debent primò de damno extrinseco aliarum rerum à sorte principali iuxta Sylues.verb.societas 1.§.12.Ang. ibidem & Rebel.p. 2. de oblig. lib.15.q.7. non autem de damno intrinseco hoc est, non de damno sortis principalis, quam socius in societatem contulit, cum illa suo periculo exponatur.

Secundò intelligi debent secundum Mercat.de contract.c.9. & Roder.p.1.sum. 47. si restet aliquid ex capitali, seu principali, quia ex aliis bonis non tenetur alius socius restituere illa damna, nisi in casu quòd societas sit ex omnibus bonis, & ex communibus lucris.

3 Tertiò,& vlt.intelligi debent,nisi culpa saltem leui ipsius socij contingant: quæ enim damna ea culpa ipsius euenerint, ea omnia non fiunt cum altero socio communia, vt si Titius societatis causâ iter faciens,eam viam dolo, vel culpâ saltem leui ingressus est, quam nouit periculis plenam,cum tamen tutiorem aliam viam eligere potuisset,ne in latrones incideret.Vel res furto sint ablatæ defectu debitæ custodiæ. Vt habetur in l.cum duobus §. tenit ff. pro socio. Tenetur autem eam diligentiam rebus communibus exhibere, quam quis propriis adhibere solet, vel potiùs qualem socij communiter præstare solent. Vt habetur ex l.socius ff.pro socio.

QVÆSTIO XXXI.

An vt rectè fiat diuisio lucri, necessarium sit vt extrahantur eleemosynæ, quæ fuerunt

fuerunt datæ, vt Deus dignaretur præbere negotio prosperum finem?

1 QVæstio est, cuius meminit Roder. p.1.sum.c.47.respondendum est ergò iuxta mentem eius affirmatiuè. Et ratio est, quia qui ponit industriam, & laborem statim habet ius, (quamuis non habeat expressam licentiam aliorum sociorum ad id faciendum) ad faciendas impensas, quæ illi videbuntur necessariæ ad augmentum societatis: dare autem eleemosynam moderatam ad impetrandum diuinum fauorem, certum est, esse medium valdè salutiferum, & necessarium.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrùm sumptus quos facit socius, qui operam, & industriam suam collocat, domui suæ manens, propriis bonis debeat illos facere?

1 REspondeo, nisi aliud inter ipsos sit conuentum, vel communis patriæ vsus, & consuetudo aliter se habeat, debere ex propriis bonis illos efficere. Ratio est, quia vbi pactum, vel communis vsus loci aliud non postulant, sumptus domestici non fiunt propter societatem, sed absolutè, & simpliciter propter necessariam sustentationem sui, etiamsi nullam illo contraxisset societatem.

QVÆSTIO XXXIII.

Quænam sit origo & institutio societatis officiorum?

1 REspondeo eam esse talem. In Romana Curia sunt multa officia vt notariorum, militum; siue equitum scilicet Petri, Pij, & aliorum, quæ redditus quosdam habent, quæ Romanus Pontifex certo pretio vendit. Accidit autem sæpè, sæpiùs, vt qui hæc officia est empturus, non habeat tantam summam, quæ ad officium emendum sufficiat, huic Summus Pontifex concedit, vt simul cum aliis emat talia officia, hac tamen lege, vt officium in vno maneat tantùm, qui pro rata officij reddit⁹ socio, vel sociis distribuere teneatur puta decem, aut duodecim pro centum secundùm officiorum iustum reddit⁹. Hæc autem officia temporalia sunt, durant enim ad vitam eorum, qui emunt, quorum obitu finiuntur, & remanent in manibus Pontificis, nisi officialis per quadraginta dies ante mortem alteri officium renunciauerit.

QVÆSTIO XXXIV.

Quotnam sint conditiones requisitæ, vt iste contractus sit iustus & licitus?

1 REspondeo nouem. Prima est, vt nisi super officia, quæ sunt in Romana Curia hæ societates fiant. Hæc autem conditio non requiritur de necessitate contractus, sed ex declaratione Pontificis Pauli IV. qui expressè illam præcipit. Vnde qui contraueniret, mortaliter peccaret, & restituere teneretur, nam Papa iudicat contractum, qui non sic fit, nullum.

2 Secunda conditio est, ne is qui habet officium, & pecunias accepit in societatem, plures socios admittat, aut plus pecuniarum accipiat, quàm officij æstimatio postulet. v.g. officium Caij valet quingentos aureos, non potest in societatem accipere sexcentos.

Tertia est, vt socius quem sibi adsciscit is qui habet officium, pecuniam numeratam coram Notario, & testibus soluat.

Quarta conditio est, vt is qui habet officium, & pecunias in societatem accepit, eas restituere debeat in omnem euentum, si is qui dedit, vixerit ad sex menses. Item debeat quoque soluere certam lucri partem videlicet ad semestre.

Quinta conditio est, vt qui habet officium, & centum accepit ad sex menses, soluat sex tanquam lucrum, & fructum ex centum.

Sexta conditio est, vt qui habet officium, & pecunias accepit in societatem lucrum soluat anticipato videlicet in principio semestris.

7 Septima conditio est, vt is qui habet officium, & centum recepit in societatem soluere debeat sex ad semestre, tanquam lucrum ex centum in omnem euentum, etiam si amittat, vel dimittat officium; imò post finitam quoque, aut solutam societatem, donec quæ accepit centum reipsa restituat.

Octaua conditio est, vt socij non plus habeãt redditus, quàm ex officio obueniat. Vnde si officia non fructificãt nisi octo pro centum, non possunt socij exigere decem.

4 Nona, & vltima conditio est, vt cum hæc officia industriam officialis postulent singularem, ne tantùm lucri ex redditibus socij percipiant, quantùm officialis, sed quid pluris lucrari de iustitia debet. Secùs si officia industriam non exigant.

QVÆSTIO XXXV.

Societas animalium quomodò contrahatur?

1 REpondeo sic, cum Titius dat Caio ponenti suâ operam, & industriam centum oues, ea conditione vt deductis expensis,& damnis,fœtus,lac,butirum,lana, pelles & alij id genus fructus inter eos diuidantur.

QVÆSTIO XXXVI.

An talis societas sit licita?

1 REspondeo esse licitam,stantibus tribus conditionibus.

Prima est,vt societas ista in bonum contrahatur; nam quæ in malum initur societas potius satanica dicenda est, quàm humana,vel ciuilis.

2 Secunda conditio est, vt animalia sint periculo eius,qui ea confert in societatem, ita vt si casù fortuito ex toto, vel ex parte pereant, vel deteriora fiant, ipsi pereant, non socio. Ratio est, quia in contractu societatis dominium animalium non transfertur in alios socios, sed manet semper penes priorem dominum,qui illa exhibuit, aliter enim non esset societas, sed alius contractus: vnaquæque autem res, si pereat, domino suo perit.At verò si dolo,vel culpa socij pereant, vel deteriora reddantur, aut lucrari desinant, tenebitur ad lucri cessantis, & valoris animalium restitutionem,quia fuit damni causa.

Tertia conditio est, vt in omnibus inter socios seruetur æqualitas, vt videlicet inter eos sint communes expensæ, lucra, & damna, ita vt quisque pro rata portione, quam in commune collocat, lucrum reportet, & damnum sustineat, & sumptus faciat.

QVÆSTIO XXXVII.

An societas coïri queat eo pacto,vt si animalia casu fortuito perierint, alter socius teneatur ex suo ea supplere?

1 REspondeo non posse, ita enim definitur à Sixto V.in sua constitutione quæ incipit. Detestabilis auaritiæ. Quia est ad caput saluum.Ita Nauar. c.17.n.[illegible]. Et dicitur ad caput saluum,quia dans animalia,semper vult habere salua.

QVÆSTIO XXXVIII.

An tale pactum, vt scilicet is cui dantur animalia suo periculo suscipiat, sit contra naturam, & substantiam societatis?

1 REspondeo ex communi omnium sententia, esse contra naturam & substantiam societatis. Ratio est, quia ius societatis est quodammodo ius fraternitatis; at inter fratres non vnus solum periculum sustinet,& alter solum lucrum.

QVÆSTIO XXXIX.

An saltem societas contrahi possit, eo pacto,vt si animalia casu perierint, ea soluere socius debeat, non quidem vi societatis, sed vi alterius contractus scilicet assecurationis, ita vt sint duo contractus, vnus societatis, cuius vi & natura lucrum, & damnum sunt communia,& alter assecurationis, cuius natura, & virtute alter socius pro iusto salario animalia suo periculo suscipit?

1 ANgel. verb. societas 2. num. 3. negat.

Alij verò rectius affirmant,cum Sylvest. verb.societas 2.q.8.Sot. lib.6.q.7.art.vnico. Ban.2.2.q.78.art.4.Mol. disp. 411. Lop.lib.2. de contr.c.72.& aliis.

QVÆSTIO XL.

An societas contrahi queat ea lege, vt animalia quæ dantur,vtrique contrahentium sint communia, ita vt periculum, & damnum animalium vtrique socio æquè sit commune?

1 REspondeo posse, quia præter non cõtra naturam societatis est huiusmodi

Digitized by Google

modi pactum: potest enim societas iniri eo pacto, vt capitale, quod vnus in societatem collocat, cum altero communicetur, cum non desinat esse Dominus eius, & alterum quoque fecerit ex æquo Dominum eiusdem capitalis, & lucri, ita vt Titius qui centum oues dat Caio per modum foccidæ, non abdicet se dominio, & faciat, vt Caius quoque sit earum ouium Dominus. Vnde si finita societate oues saluæ manserint, dimidium habebit Titius qui ea dedit, & reliquum ad Caium pertinebit; & è contrario si oues perierint casu fortuito Caius soluet Titio quinquaginta.

QVÆSTIO XLI.

An Titius cum Caio possit societatem inire, ea conditione vt si ex centum ouibus, quas Titius in commune confert, aliquæ perierint, teneatur Caius totidem subrogare ex fœtibus; ita vt quandiu societas durauerit, conseruentur, & reliqui fœtus inter ipsos æqualiter diuidantur?

1 REspondeo societatem hanc non esse vsurariam, dummodò pactum non sit, vt in omnem euentum centum oues Titij sint saluæ, & integræ, nam si omnes perierint. Caius nihil Titio soluere compellitur. Et in hoc vt affirmat Sylvest. verb. societas 2. quæst. 9. omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XLII.

Sed dubiæ quæstionis est. An tale pactum sit contra naturam, & substantiam societatis?

1 ANgel. verb. societas 2. n. 3. Sylvest. ibidem 2. q. 9. & Lop. lib. 1. de contract. c. 67. affirmant, quia plus oneris sustinet Caius, quàm Titius, sæpiùs enim suum laborem, & operam perdit.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium. Et ratio est, quia reuera maius non videtur esse onus, siue periculum, siue damnum Caij, quàm Titij, quoniam quòd tot agni subrogentur in locum ouium mortuarum, non solùm est commodum Titij, sed etiam Caij, eius enim interest, vt centum ouium numerus integer conseruetur, quia eo ipso erunt plures fœtus, & plus lactis, lanæ, & pellium, quæ omnia bona sunt communia.

Tum quia conuentum non est, vt quæ perierunt, ex marsupio Caij suppleantur, sed ex communi fœtu, in quo Titius, & Caius æquale damnum, & lucrum percipiunt. Hæc sunt quæ de societate mihi visa sunt dicenda.

DE DEPOSITO.

DISPVTATIO OCTAVA.

DE hac materia disputant Scholastici in 4. dist. 15. D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 6. Caietan. ibidem Mol. tom. 2. de contract. d. 522. Azor. p. 3. instr. mor. lib. 7. c. 1. Less. lib. 2. de iust. cap. 27. dub. 1. Sot. lib. 6. de iust. q. 1. art. 2. Lop. lib. 2. de contr. c. 36. Rebel. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica. Cou. lib. 2. var. c. 15. Roder. par. p. sum. c. 72. Nauar. in Man. c. 17. num. 177. Barth. Med. in sua instr. conf. §. 50. Summistæ vero vt Ang. Tabien. Sylvest. Armil. & alij verbo depositum. In cuius gratiam primò inquirendum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit depositum?

1 REspondeo, quod est contractus, quo aliquid alteri commendatur ad custodiendum, vt integrum restituatur. Ex qua definitione colligitur quatuor esse de substantia huius contractus.

Primò, vt res deposita alicui tradatur.

2 Secundò vt tradatur ad custodiendum: deponere enim in domo, non sufficit vt quis depositum celebrasse cum aliquo censeatur, nisi is custodiam illius suscipiat, aut ei dicatur, trado tibi hanc rem in custodiam, vel illam ferua; nisi is ex officio teneatur eam custodire, vt sunt stabularij, caupones, nautæ, & aurigæ, tunc enim sufficit illis videntibus rem in domo vel naui, vel curru deponi vt docet Mol. disp. 522.

Digitized by Google

Leſſ. lib. 2.c. 27. dub. 1. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica.

Tertiò vt eadem res depoſita integra reddatur.

3 Quartò & vltimò vt depoſitum gratis quis ſuſcipiat, eſt enim gratuitum, non mercenarium officium. Vnde quando quis ſtipendiatus rem depoſitam cuſtodit, depoſitum migrat, & tranſit in contractum locati, & conducti. Vt patet ex l. 1. §. ſi veſtimenta. Et ratio huius eſt, quia cuſtos rei depoſitæ locat diligentiam, & operam ſuam, eo ipſo quod mercedem accipit. Poteſtque hoc depoſitum fieri in gratiam eius qui depoſitum ſuſcipit, quod rarum eſt; aut in gratiam eius qui depoſitum cõmendat, & hoc plerumque fit. Et dicitur à pono, & de, quæ præpoſitio vim auget, quaſi in alterius manu poſitum.

QVÆSTIO II.

Quinam poſſint depoſitum deponere?

1 REſpondeo eos omnes, qui rei alicuius adminiſtrationem habent, aut bonæ fidei poſſeſſionem.

QVÆSTIO III.

Quinam poſſint depoſitum ſuſcipere?

1 REſpondeo eos omnes qui iudicio pollent rationis: nam rationis expertes contrahere nequeunt.

QVÆSTIO IV.

Quænam res doponi queant?

1 REſpondeo res mobiles, aut ſe mouentes, vt ſunt libri, gemmæ, annuli, animalia, ſerui, ancillæ, & quæ in numero, pondere, vel menſura conſiſtunt, vt pecunia, frumentum, oleum, vinum, & ſimilia: non autem immobiles, niſi quando à pluribus res immobiles, quæ ſunt in controuerſia, inſequeſtro deponũtur, quouſque cõſtet, aut decernatur, ad quem pertineãt. Vt optimè docet Sylueſt. verb. depoſitum num. 1. & Lop. lib. 2. de contract. cap. 36.

QVÆSTIO V.

An depoſitarius poſſit contra deponentis voluntatem depoſito vti?

1 REſpondeo non poſſe. Ratio eſt, quia cum per depoſitum non transfertur dominium in depoſitarium vti re depoſita eſt vti re aliena inuito domino, & ita patet de genere ſuo eſſe mortale obligans ad reſtitutionem damni, quod inde ſubſequitur, & ſimul ad reſtituendum æſtimationem valoris ipſius vſus accepti contra domini voluntatem; ſæpè tamen à mortali excuſari poteſt ex paruitate damni, ſimul coniuncta cum paruitate valoris accepti vſus. Quod autem depoſitarius vtendo ita re depoſita, acquirit, ad ipſum ſpectat, & non ad deponentem. Et ratio eſt, quia id eſt fructus ſuæ induſtriæ, ſuoque periculo negotiatur, conſumendo, & diſtrahendo res depoſitas, Vt docet Caiet. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. Sot. lib. 6. q. 1. art. 2. & 4. & Mol. d. 524.

2 Excipiuntur tamen à Doctoribus quinque caſus, in quibus depoſitarius abſque peccato aliqua re depoſita vti poteſt.

Primo quando deponens liberã facultatem depoſitario ad vtendum depoſito largitur. At per talem conceſſionem, depoſitum tranſit in mutuum, ſi eſt res conſumptibilis, vt pecunia, oleum &c. Ratio eſt, quia tunc depoſitarius habet rei depoſitæ dominium, poſſeſſionem, & vſum.

Tum quia ſuo periculo ſuſcipit datam pecuniam, nec debet eandem rem numero reddere, ſatis enim eſt, ſi reſtituat aliam rem eiuſdem generis, quæ omnia ad ſubſtantiam mutui ſpectant, & cum depoſito pugnant. Ita Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2. Nauar. c. 17. num. 180. Leſſ. lib. 2. de iuſtit. cap. 27. d. 2. Roder. par. 1. ſum. cap. 72. & Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica.

2 Secundo quando depoſitarius bonæ fide exiſtimat domino rei id non diſplicere, tunc enim non peccaret vtendo, nec furti reus haberetur, ſi poſteà conſtaret domino diſplicuiſſe, deberet tamen in tali caſu, vſum domino compenſare. Ita Couar. l. 2. var. cap. 15. num. vltimo.

Tertiò quando res depoſita eſt pecunia numerata, & non in ſacculo incluſa, & ſignata, nec is qui eam depoſuit, eius vſum

inter

Digitized by Google

verdixit. Ratio huius est, quia cum nec clausa, nec obsignata tradatur, deponens videtur recipienti concedere vtendi facultatem, secùs si clausa, obsignata, seu collisa traderetur, quia tunc censendus est dominus prohibere vsum. Ita Roder. p. 2. sum. cap. 72.

4 Quartò, quando deponitur, quod numero, pondere, vel mensura continetur, vt pecunia, vinum oleum &c. & depositarius certus est, se quando depositum repetetur paratum habiturum tantumdem eiusdem mensuræ, & bonitatis. tunc non erit peccatum saltem mortale vti deposito, & illud alienare domino inuito, quia in eo nullam iniuriam facit deponenti, quia potius id quodammodò cedit in illius commodum, eo quòd si res peritura esset casu fortuito, aut leui, vel leuissima culpa depositarij, periret deponenti, & ea ratione ili conseruatur incolumnis. Ita Molina disput. 524. Sylvest. verb. depositum num, 10. Less. lib. secundo, de iust. & iure cap. 27. dub. 2. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. de contr. depositi q. vnica, & plerique alij.

Quinto, & vltimò, quando eius vsus vergit in commodum deponentis v. g. Titius deposuit vestem apud Caium, qui nisi aliquando ea vtatur, tinea abrodetur, quod mali ne eueniat, potest Caius ea vti. Pari ratione poterit equo depositio vti, ne in stabulo diu detentus langueſcat.

QVÆSTIO VI.

Ex qua culpa depositarius teneatur, si depositum pereat, aut deterius fiat?

1 RESpondeo si depositum in gratiam solius deponentis fit, vt regulariter fieri solet, & res deposita pereat, aut deterior reddatur, solùm teneri de dolo, & etiam de lata culpa, quæ est dolus præsumptus. Ita enim definitur in l. 1. ff. de act. & oblig. & tradit rectè Mol. disp. 527. Nauar. c. 17. num. 181. Lop. lib. 2. de contract. cap. 35. Roder. p. 1. sum. cap. 72. & Rebell. lib. 16. quæst. vnica.

QVÆSTIO VII.

An aliquando depositarius teneatur etiam de leui culpa?

1 RESpondeo teneri, tribus de causis. Primò, quando depositum cedit in commodum vtriusque, vt si ob custodiam depositarius aliquam mercedem accipiat. Vt patet. ex l. 1. ff. depositi.

Hinc Sartores, fullones, & similes artifices, quibus res aliqua traditur polienda, vel immutanda: & nautæ, aurigæ, caupones, & similes apud quos res deponitur, tenentur ex culpa leui, quia depositum in ipsorum commodum vergit. Vt docet Nauar. cap. 4. nu. 19. &c. 17. nu. 181.

2 Secundò quando pactum est, vt ex leui etiam culpa teneretur, nam contractus ex conuentione legem accipiunt.

Tertiò quando depositarius sponte se offert ad custodiam depositi, ob quod qui deposuit, alteri diligentiori committere omisit. Roder. p. 1. sum. cap. 72. & Nauar. c. 17. num. 181.

QVÆSTIO VIII.

An aliquando depositarius ex culpa leuissima teneatur?

1 RESpondeo teneri, tribus de causis. Primò quando causa depositarij tantùm res est deposita, vt si quis deponat apud aliquem pecuniam eo fine, vt possit illa vti, si opus illi fuerit. Vt habetur ex l. 4. ff. de rebus creditis. Et tradit Sylvest. verb. depositum §. 2. Lop. lib. 2. de contr. c. 36. Nau. c. 4. nu. 10. & Rebell. lib. 16. q. vnica.

Secundò quando ab initio contractus pactum fuit vt ex culpa leuissima teneatur Nau. c. 17. n. 181.

2 Tertiò quando in restituendo depositio, culpa præcessit. Nau. loco cit.

Quartò quando dolum in custodiendo depositio commisit, & sequuta est deinde culpa leuissima. Sylvest. verb. culpa quæst. 4. & Nauar. cap. 17. nu. 181.

Quintò, & vltimò, quando deponens diligentissimum depositarium inquirebat, quia res pretiosissima erat, & diligentissima custodia indigebat, & ipse depositarius se obtulit custodem, quarè in causa fuit quòd deponens alteri diligentissimo committere omisit.

QVÆSTIO IX.

An aliquando depositarius ex casu fortuito teneatur?

1 REspondeo teneri, quatuor de causis.

Primò quando pactum interuenit, vt de casu fortuito teneatur.

Secundò quando mora restituendi casum fortuitum præcessit.

Tertiò quando dolum casus est subsequutus.

2 Quartò,& vltimò, quando in casu fortuito incidit ex culpa lata, quæ tunc contingit, quando non tantùm curæ præstat depositarius, quantum rebus suis, id est quantum alij homines solent præstare rebus suis communiter, nisi certum sit,quod eodem modo apud Dominum res deposita erat peritura,si fuisset in tempore restituta, quia tunc non minus haberet de eo, quod habiturus erat.

Quæ omnia intelliguntur non de omni casu in generali nullo expresso sed solum de nominato casu fortuito, cui si adiecta fuerit clausula generalis scilicet & sic de omnibus aliis, tunc veniunt in materia odiosa casus consimiles expressis & nominatis,& non maiores,secus in non odiosis.

QVÆSTIO X.

An æstimatio in deposito faciat,vt depositarius de casu fortuito teneatur?

1 REspondeo minimè. Ratio huius est, quia talis æstimatio non facit,vt depositarius ad plus teneatur, quam si non æstimaretur res depositò data, sed si ex culpa accipientis pereat,vel deterior fiat, innotescat verum pretium eius,in casu quo non res ipsa,sed valor eius sit restituendus releuatusque maneat Dominus à probatione valoris.

QVÆSTIO XI.

An valeat pactum,vt ex dolo depositarius non teneatur?

1 REspondeo non valere. Ratio huius est,quia est contra bonam fidem, & bonos mores, propter quod occasione delinquendi subministraret,quod non lic cap. ex parte de consuetudine, & trac rectè Nauar.cap.17. num.181. & Lop. hb de contr. cap.36.

QVÆSTIO XII.

An Tabernarius,Magister nauis & similes si cipientes res depositæ, teneantur de cul leuissima?

1 REspondeo teneri, vt patet ex leg ita & §.ad hoc ff.nautæ &c. Quo si obiicias,quod isti sunt veluti depositar rerum sibi consignatarum,ergo non tener tur nisi de leui culpa, sicut & depositari qui mercedem pro custodia accipiunt.

Respondeo quod est speciale in istis, teneantur de culpa leuissima, quia in odi talium qui fraudes machinari cõsueuerun sic sancitum est: quare lex citata in pr sumptione fraudum fundatur.vnde in for tantùm iudiciali vim habet.In foro tame conscientiæ,in quo cessat omnis præsump tio,eos non teneri,nisi de dolo,& culpa la ta,& leui,nisi in duobus casibus in quibu tenentur etiam de leuissima culpa.

2 Primo in casu,quo specialiter accipiun pro custodia mercedẽ, quia adauget obli gationem ista acceptio mercedis accept specialiter pro custodia.

Secundo quando res illis consignata di ligentissimam custodiam requirit,& scien ter ab ipsis est in custodiam suscepta.

Fallit tamen hæc doctrina,quando cau pones,stabularij & similes non vt tales,se vt ciues gratis sine mercede hospitantu aliquem,sicut fieri solet quando milites di stribuuntur per domos populi: tunc enim in vtroque foro neque de leuissima culpa neque de leui tenerentur,vt tradit Lop. lib 2.cap.37.

QVÆSTIO XIII.

An depositarius in casu quo rem depositam, & res suas simul saluare non potuit, teneatur de re deposita hac de causa pereunte, si suas saluet?

2 IN hac graui, & perdifficili quæstione dico primò,quod quando res pro-

prias

priæ ſunt pretioſiores, & non æquales aut viliores, & depoſitum fuit factum tantum in gratiam depoſitarij, nihil cogitur ſecundum conſcientiam reſtituere, ſi res ſuas à periculo incendij, vel naufragij, aut belli liberauit, neglecta re depoſita. Ratio eſt, quia nemo tenetur ſubire damnum maius, vt auertat alterius damnum minus. Vt tenet Leſſ. lib. 2. cap. 27. dub. 6. Rebell. lib. 16. de depoſ. q. vnica, Lop. lib. 2. de contr. c. 46. & alij.

2 Secundò dico, quòd quando depoſitum eſt factum tantum gratia deponentis, poteſt depoſitarius abſque peccato res ſuas etiã viliores, depoſitis pretioſioribus neglectis anteponere, niſi tam pretioſæ ſint res depoſitæ, & res depoſitarij tam viles, vt ingens damnum illis perditis redundet: ex his verò modicum: nam tunc eſſet mortale peccatum contra charitatem, qua tenemur vitare graue damnum proximi, quando ſine noſtro incommodo graui poſſumus. Ita Sylueſt. verb. commodatum n. 9. Ang. eod. verb. nu. 10. Armil. ibidem nu. 11. & Roder. p. 1. ſum. c. 72.

Tertio dico, quod quando depoſitum fuit factum in ſolius depoſitarij vtilitatem, & res propriæ, & alterius ſunt æquè pretioſæ, non poteſt tuta conſcientia præferre res ſuas, poſthabita re aliena. Et ratio eſt, quia eiuſmodi depoſitarius etiam cum æquali ſua iactura, tenetur conſeruare res ſibi depoſitas.

4 Quartò, & vltimò dico, quòd quando depoſitum eſt factum in vtilitatem vtriuſque tũc poteſt depoſitarius ſua æqualia, & multò magis ſua pretioſiora depoſitis præponere. Ratio eſt, quia nullus cum iactura ſua videtur obligari ad rem alterius conſeruandam, cum plus ſua quam aliena diligere debeat. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica Sylueſt. verb. commodatum n. 9. & Lop. lib. 2. de contr. c. 46.

4 Ex qua doctrina ſequitur hæc regula generalis, quam optimè docuit Sylu. verb. commodatum q. 12. quòd qui de dolo. & lata culpa tenetur, poteſt viliora ſua alienis pretioſioribus præferre: qui de leui culpa poteſt æqualia æqualibus; qui verò de leuiſſima tantùm pretioſiora poteſt præponere.

Aduerte autem Lector, quòd quando dicimus depoſitarium poſſe res ſuas depoſitis præponere. non intelligimus, vt id poſſit perdendo poſitiuè rem depoſitam, aut illam cooperatiuè periculo exponendo, vt perperam intellexit Garc. lib. 1. de contr. ſed omittendo negatiue ſaluare rem depoſitam quò ſuam ſaluet, quando vtraſque ſaluare non poteſt.

QVÆSTIO XIV.

An depoſitarius teneatur reddere depoſitum ei qui illud depoſuit?

1 REſpondeo regulariter teneri, niſi in quatuor caſibus.

Primò quando in damnum ſuum, aut aliorum illud repetit, vt ſi dominus in furorem verſus, gladium depoſitum repetat, tunc enim non eſt ei reddendus, etiamſi iuramentum interueniſſet de eo petenti reddendo. Vt docet D. Thom. 2. 2. q. 61. ar. 5. & Lop. lib. 2. de contract. cap. 37.

QVÆSTIO XV.

Sed quid? ſi dominus repetat pecuniam apud alterum depoſitam vt eam prodigat, vel luxuriosè viuat vel ludat ludo illicito, vel denique ſi repetat ob finem ſibi tantum nociuum, non alteri?

1 SVnt qui cenſeant, depoſitarium tunc ſecundùm conſcientiam teneri reſtitutionẽ rei depoſitę differre, quia lege charitatis tenetur vitare peccatum proximi, quando commodè poteſt.

At verò Sot. lib. 4. de iuſt. q. 7. ar. 1. ad 1. tenet depoſitarium tunc ſine ſcrupulo poſſe reddere depoſitum, quia dominus iure, quod ſuum eſt, repetit.

2 Dices, repetit ad malum ad quod dominus ius non habet.

Reſpondet Sotus, dominum iure ſuo vti. cum repetit quod ſuum eſt: ac proinde reddendo nullum peccatum committit; quòd ſi repetit ad rem ſolùm ſibi noxiam, & perniciosam, illi imputetur, non depoſitariò, qui reddit repoſcenti domino rem ſuã.

QVÆST. XVI.

An in caſu, quo dominus repetit depoſitum ob finem alteri noxium, teneatur depoſitarius lege charitatis, an verò lege iuſtitiæ reddere depoſiti differre?

Sunt

1 SVnt multi qui putant hunc lege tantùm charitatis compelli depositum in aliud commodius tempus prorogare, cum ea lege teneatur ad consulendum alterius bono, & saluti.

2 Sed verius, ac probabilius multo est quod alij docent, huiusmodi lege iustitiæ obligari propter iniuriam, quæ proximo irrogatur. Quod intelligitur, quando facilè & sine graui incommodo potest depositarius depositi redditionem differre.

Secundo quando post depositionem, bona deponentis sunt publicata, fiscoue per sententiam addita lege bona fides ff. depos. Et ratio est, quia Dominus post condemnationem illa alienare non posset, licèt antè & etiam post crimen cõmissum posset illa alienare, ante condemnationis sententiam. Vt cum Victoria, Soto, Ban. & aliis resoluit Lop. lib. 2. de contr. cap. 37.

3 Tertio quando fur qui deposuit, & proprius dominus in repetendo illud concurrunt, quia tunc dominus debet furi præferri, siue ante, siue post dominum, fur reposcat: nisi putetur fur illud repetere, vt restituat domino, vel vt ait Nauar. cap. 17. num. 18. allegans Sotum, timeatur aliquod damnum personæ honoris, aut alia molestia.

Dices in lege bona fides ff. depos. habetur, furi prius, quam domino depositum esse restituendum.

4 Respondeo eam legem sic esse accipiendam, vt furi prius repetenti depositum reddatur, si dominus non appareat; at eo cõparente, siue antè, siue post dominum, fur repetat, depositum est in conscientia domino restituendi.

Quarto, & vltimò quando fur deponit rem furto ablatam apud proprium illius dominum, tunc enim nullo iure compellitur eam reddere illi, qui deposuit

QVÆSTIO XVII.

An Dominus possit rem suam apud alium depositam clàm surripere?

1 REspondeo non posse. Ratio huius est, quia grauat sic surripiendo depositarium ad restituendum, vel se ostendendum immunem. Vnde tenetur cum releuare ab hoc grauamine; nisi eam depositarius negasset, nec via ordinaria dominus posset illam recuperare.

QVÆSTIO XVIII.

An in deposito locum habeat compensatio. Perinde est, ac si quæreretur. An possit quis retinere rem sibi in custodiam traditam puta equum pro recompensatione debiti v. g. debes mihi quinquaginta deposuisti apud me equum, quæro an possim detinere equum depositum, donec soluas quinquaginta quæ debes?

1 REspondeo si ius commune canonicum, & ciule attendamus, respondendum est negatiuè. Sic enim definitur in lege. Si quis vel pecunias C. depos. &c. Ratio huius redditur in cap. bona fides de depositi ne contractus videlicet depositi qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.

2 Tum quia rem depositam suscipit, eo ipso videtur ea lege suscipere, vt eam in compensationem sibi retinere non possit: nam contrahit secundum leges, & iura; at iura compensationem in depositio non admittunt, ergo depositarius se obligat deponenti, ne rem depositam in compensationem sibi retinere possit, & iura reddunt eum incapacem ad retinendum. Ita sane docuit Molina tom. 2. de contractibus disp. 524. Cuius sententiam existimo esse veram de rigore iuris, cõtrariam tamen de æquitate, & in foro animæ veriorem esse, nimirum in depositio, quãdo debitum est liquidum, nec alia ratio suppetit rei sibi debitæ recuperandæ, locum habere compensationem indirectam; iure enim naturæ & gentium potest, quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere, quando via iuridica suũ obtinere nequit. In foro tamen contentioso, in quo leges citatæ locum habent, talis compensatio improbatur. Compensatio autem indirecta est, quando res deposita aliena apud se detinetur, donec sibi debitum à deponente soluatur; patet autem hoc ex Panormit. c. bona fides de depos. & ex Nau. in Man. c. 7. nu. 1. 5. Less. lib. 2. de iustitia c. 27. dubit. 4. Lop. lib. 2. de contr. c. 37. Sylu. verb. compensatio nu. 3. Roder. pag. 1. sum. cap. 72. Emanuel Sà in Aphoris. conf. verb. depositum num. 4. & multis aliis non contemnendis auctoribus, qui omnes asseuerant indirectam compensationem in foro animæ admitti in omnibus simpliter. Hæc sunt quæ ad contractum depositi spectant.

DE

DE COMMODATO

DISPVTATIO NONA.

DE hac materia differunt Theologi in quarto,diſt.15. Caiet 2.2.q.62. art.6.Sot.lib.4.q.7.art. 2. Mol.tom. 2.de contr.diſp.194.Leſſ.lib.2 de iuſtit.c.27. Rebell.par.2.de oblig.lib.16. q. vnica,Lop. lib.2.de contract.c.33.Azor. p.3. inſtr. mor. lib.9.c.1.Roder.p.1.ſum.ca.111.Nau.in Man. c.17.nu.182.Couar.in Reg. peccatum p.2.§. 6.Garc.lib.1.de contract.Ledeſm.2.p.4.lib. 1.q.8.Med.C.de reſt.q.6. Gom.tom.2.var.c. 7. Summiſtæ vero vt Angel. Sylueſt. Tab. Armil.& plerique alij verb.commodatum. Et vt à definitione eius exordiamur, quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid ſit commodatum ?

1 REſpondeo quòd eſt contractus, quo aliquid alteri gratis datur,quo ad certum vſum.

Dicitur(datur) quia ei qui accipit commodatum,datur.Vnde commodatum dicitur quaſi vtentis commodo gratis datum. Is autem qui rem commodato accipit, commodatarius appellatur.

Dicitur (gratis) ad differentiam locati, in quo res conceditur ad vſum pro mercede,quæ ſi eſt pecunia dicitur locatio, ſi verò aliquid aliud pro pecunia eſt contractus innominatus , qui quidem quadrupliciter fit ſcilicet do vt des, do vt facias,facio vt des,& facio vt facias.

2 Dicitur (ad vſum) quia quando equus, veſtis aut aliquid aliud commodatur, non conceditur res quo ad dominium , quod ſemper remanet penes commodantem,ſed quoad ſolum vſum.Vnde ſi res commodata abſque vlla commodatarij culpa pereat, non ipſi,ſed commodanti, cuius eſt, perit. In quo diſtinguitur à mutuo , cuius dominium transfertur in accipientem ; diſtinguitur etiam à depoſito , & pignore, quia in his contractibus nec dominium, nec vſus tranſit ad accipientem.

Tandem dicitur(certum)ad differentiam precarij, quod alteri datur gratis,ad vſum incertum, ad eum videlicet quem voluerit is qui accipit precarium.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit commodatum?

1 REſpondeo triplex,aut enim eſt gratia commodantis tantùm , vt ſi vir commodet veſtes pretioſas , torquem aureum , aut ſimilia ſponſæ , vt ornatior ad ipſum accedat. Aut gratia commodatarij tantùm. Ant gratia vtriuſque tam commodantis,quàm commodatarij, vt ſi commodem tibi vaſa aurea , vel argentea , vt communem amicum ſplendidiùs prandio reficias,quem tu,& ego inuitauimus.

QVÆSTIO III.

Quiſnam poſſit commodare?

1 REſpondeo eum omnem , qui poteſt contrahere.Vnde pupillus quia non poteſt propria authoritate contrahere, commodare non poteſt.

QVÆSTIO IV.

An Religioſus poſſit commodare ?

1 REſpondeo non poſſe.Ratio eſt,quia ob votum paupertatis ab eo emiſſum,ſe rebus omnibus abdicauit,& voluntatē ſuam tranſtulit in Prælati voluntatem.

QVÆSTIO V.

Cuinam poſſit commodari ?

1 REſpondeo cuique etiam ſeruo , impuberi furioſo. Barth. & alij in l.1. & 2.ff.commodat.

QVÆSTIO VI.

Quænam res commodari queant ?

1 REſpondeo res omnes, tam mobiles, quam immobiles , illas præſertim , quæ vſu non conſumuntur ; nam

quæ

quæ vsu ipso statim consumuntur, commodari nequeunt, nisi ad pompam, & ostentationem, vt habetur ex lege. Sed mihi §. vltimo ff.commod.

QVÆSTIO VII.

Ex qua culpa commodatarius teneatur, si res pereat, aut deterior fiat?

1 VT in hac graui, & perdifficili quæstione dicam quod sentio, obseruãdum est primò tres esse species, seu differentias culpæ Prima est lata, quam omnes cõmuniter vitant: aut quam homines multum negligentes communiter, vt relinquere librum sibi commodatum extra domũ non considerans, quod in area aperta (vt dicitur) iustus peccat.

2 Secunda est leuis, quam regulariter homines diligentes illius officij cauere solent incidere homines mediocriter diligentes, vt commodatum librum reponere in cubiculo, ostio tamen aperto.

Tertio est leuissima, quam diligentissimi homines vitare curant: aut quæ inuenitur etiam in homine diligentissimo vt prædictum librum intra cubiculum reponere, sed non explorare manu, an esset benè ostium claue obseratum.

3 Casus fortuitus est, qui sine vllo dolo, aut culpa interueniente accidere solet, vt fulmina, grandines, gelu, terræmotus, insultus latronum, & similia, quorum meminit Nauar. cap. 17. num. 178.

Dolus autem est quædam machinatio in facto, aut verbo ad decipiendũ ordinata.

4 Quo posito nunc ad propositam quæstionem respondeo, quando commodatum est in gratiam solius commodantis, tunc si res pereat, aut deterior reddatur, tenetur commodatarius solum de dolo, & lata culpa. Vt habetur in lege si vt certo §. interdum ff.commodati. Quando verò commodatum est tam in gratiam commodatarij quam commodantis, tunc commodatarius solum tenetur de dolo, lata culpa, & leui, non autem leuissima. Vt habetur in lege, in rebus ff.commod. & tradit rectè Nauar. cap. 17. nu. 84. & Lop. lib. 2. de contract. cap. 35. cum quibus omnes conueniunt.

QVÆSTIO VIII.

Sed tota difficultas consistit, quando commodatum est in gratiam solius commodatarij vt communiter accidit?

1 SOtus lib. 4. quæst. 7. ar. 2. & Ledesma p. 4. lib. 1. q. 8. art. 6. tenent commodatarium ex leuissima culpa nõ teneri ad restitutionem totius rei acceptæ, imò nec leui, si ea culpa lethalis non sit.

2 Sed hæc istorum opinio (pace tantorum virorum sit dictum) falsa est, & non ab omnibus vt talis recipitur, quia non solùm est contra communem Doctorum sententiam, vt testatur Nauar. cap. 17. nu. 183. sed etiam contra determinationem Clem. IX. nam in cap. 1. de commodato Pontifex ait. Cum quis tantùm gratia sui commodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur. Quem locum Sotus, & Ledesma interpretantur malè, vt dicant Summum Pontificem per leuem, & leuissimam culpam non intellexisse eam, quam Theologi venialem, & parnam appellant, sed eam quam vir prudens, & diligens deuitaret. Nam colligunt generatim ex culpa venialis quemlibet in conscientia obligari ad restituendum damnum subsequutum, nec mortaliter peccet, nisi illud restituat. Ego hunc errorem idcirco incidisse videntur, quod fuerint arbitrati hanc obligationem restituendi non ex natura, & ratione contractus, posita ciuilis iuris, ac Canonici positione, sed ex iniusta acceptione, quæ nouè iniustè illato consurgere vt Molina d. 296. & Nauar. c. 17. n. 184. annotarunt.

QVÆSTIO IX.

An omnia supradicta sint specialia in commodato, an vero generaliter competant in Contractibus?

1 REspondeo hoc esse generale in omnibus contractibus ff. de Reg. lege contract. fallit tamen in precario, quis non tenetur, nisi de dolo quia precarium potest semper reuocari, non autem commodatum. Panor. cap. 1. de commod.

QVAE

QVÆSTIO X.

An commodatarius teneatur de caſu fortuito?

1 REſpondeo non teneri, niſi in tribus caſibus, primo ſi id ab initio in pactum deductum ſit.

Secundo ſi mora præceſſit caſum fortuitum, hoc eſt, ſi tempore præfinito commodatum non eſt redditum, & deinde caſu fortuito periit, apud commodatarium.

2 Vt autem commodatarius dicatur eſſe in mora in reddenda re commodata, ſufficit vt non reddat eam in termino aſſignato tacitè, vel expreſsè, vt quando commodatur liber, vt tranſcribatur, tacitè intelligitur eſſe commodatus pro tãto tempore, quanto exigitur ad tranſcribendum, & quando dies appoſita eſt obligationi, non requiritur monitio, vt quis conſtituatur in mora, quia dies pro homine interpellat.

3 Tertiò, & vltimò, ſi culpa præceſſit caſum, hoc eſt, ſi commodatarius aliter, aut ad aliud, vſus eſt re ad commodata, quàm ad id, ad quod fuit conceſſa, idque fuit occaſio, quod res periret, aut deterior redderetur v.g. commodaui tibi equum, vt equitares per vrbem, tu verò duxiſti in villam, ibique caſu periit.

QVÆSTIO XI.

An commodatarius teneatur compenſare, ſi res commodata eodem modo peritura fuiſſet apud Dominum, quemadmodum periit apud commodatarium?

1 REſpõdeo nõ teneri, niſi ad intereſſe, ſi quod dominus paſſus eſt propter moram: vel ad æſtimationem vſus vltra id, ad quod accommodata fuit. Et ratio eſt, quia commodatarius non plus in eo euentu tenetur Domino rei illius, quam illi fuerit ratio, aut occaſio damni, ratione illius moræ, aut vſus extra id, ad quod fuit res conceſſa: quando autem res erat pariter peritura apud Dominum, ſanè neque ratio, neque occaſio illi fuit, vt periret. Ita Nauar. cap. 17. num. 179. & 183. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 6. nu. 1. & 2. Mol. d. 295. Ioan. Med. C. de reſt. q. 6. Sylueſt. verb. commodatum q. 9. & Bart. Med. inſtruct. conf. fol. 162.

QVÆSTIO XII.

An quo res commodata traditur eſtimata caſu, commodatarius teneatur de omni caſu fortuito?

1 GOmez tom. 2. var. reſolut. cap. 7. nu. 1. affirmat.

2 Alij vero rectius negant. Et ratio eſt, quia talis æſtimatio, non facit quod commodatarius ad plus teneatur, quam ſi non æſtimaretur res commodata ſed ſi res: commodata pereat, aut deterior reddatur culpa recipientis innoteſcat verum pretium rei, in euentu quod non res ipſa ſed æſtimatio illius ſit reſtituenda iuxta naturam contractus. Ita Molina diſp. 295. Lop. lib. 2. de contr. cap. 33. & Sylueſt. verb. commodatum quæſt. 7.

QVÆSTIO XIII.

An valeat pactum vt commodatarius ex lata culpa, aut de alia leui non teneatur?

1 REſp. valere. Et ſi tunc res ex commodatarij culpa pereat non teneri id damni reſarcire. Et ratio eſt, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. Pactum autem vt commodatarius de dolo non teneatur, eſt ipſo iure nullum, quia præbet occaſionem peccandi lege incommodato ff. commod.

QVÆSTIO XIV.

An vtens re accõmodata in alium vſum, quàm ad quem fuit commodata, contra Domini voluntatem peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 REſpon. peccare peccato furti, quod eſt ſuo genere mortale ex paruitate tamen materiæ à mortale excuſatur. Paruitatem autem materiæ hoc in loco non eſſe accipiendam ex ſolo valore rei commodatæ, ſed potius ex valore non conceſſi vſus, aut ex detrimento ipſius rei ſubſecuto.

2 Aduertat tamen hoc loco ſtudioſus lector, quod ſi commodatarius probabiliter credebat dominum rei illius contentum fore, vt ipſe vltra tempus rem illam detineret, aut alio vſu quàm ad id ad quod cõmodata

modata fuit vteretur, & reuera ita erat, non committit furtum, nec ad aliquam restitutionem illi faciendam tenetur, esto id occasio fuerit, quòd res illa periret. Ratio huius est, quia hic non est transgressus domini voluntatem. Si tamen constaret commodatarium fuisse deceptum, eamque moram aut vsum rei commodatæ fuisse contra domini voluntatem, tunc si id occasio fuit obitus illius, licet non peccauerit excusante illum bona sua fide, in foro tamen conscientiæ teneretur restituere valorem illius. Si verò dubitabat, quia non suberat probabilis causa id credendi, rursus furtum cõmittit, quia in dubio dominus præsumitur inuitus. Ita Molina disp. 295. & Lop. lib. 2. de contractibus. ca. 47.

QVÆSTIO XV.

An commodatarius qui absque sua culpa non potuit vti re sibi accommodata intra tempus tacitè, vel expressè conuentum, possit finito illo tempore eo vti sine licentia commodantis alio tempore?

1 REspondeo non posse, nisi sub ratihabitione probabili, vt quia commodans amicus est & absens, & creditur quod habebit acceptum. Ita Sylvest. verb. commodatum num. 4. Tab. eod. verb. nu. 3. Ang. ibidem num. 6. Lop. lib. 2. de contract. cap. 35. & multi alij.

QVÆSTIO XVI.

An cõmodans rem vitiosam teneatur de damno subsequuto commodatario?

1 REspondeo teneri, si scienter rem vitiosam v. g. vasa prauo liquore imbuta commodauit, & non patefecit ei vitium. Et ratio est, quia huius damni fuit causa iniusta; secus autem si dixit vitium, vel ignoranter fecit. Secundùm Sylvest. verbo commodatum num. 5.

2 Addunt autem, & rectè Roder. p. 1. sum. cap. 111. & Lop. lib. 2. de contract. cap. 35. quod in casu quo commodans tenetur de damno, quia sciens, & prudens rem vitiosam commodauit, non tenetur ad id damni in infinitum, sicut qui vendit scienter lignum violatum, nihil dicens, tenetur de ruina domus, & de pensione quam ex ea dominus percipere omisit, quod est interesse extrinsecum, non tamen in infinitum, sed pro prima vice tantùm.

QVÆSTIO XVII.

An commodator reuocare possit commodatum antè tempus completum pro quo fuit concessum?

1 IN hac quæstione tria sunt certa, & extra controuersiam posita, alterum verò dubium. In primis cõstat apud omnes quod si commodans, quando rem commodauit, præuidebat, aut timebat detrimentum illud futurum, & nihilominus commodauit, non potest tuta conscientia commodatum inuito commodatario repetere. Et ratio est, quia eo ipso censetur voluisse ex liberalitate, non solùm commodare, sed etiam incommodum illud in commodatarij gratiam subire.

Secundo etiam cõstat, quod is qui commodatum dedit non potest sine causa iusta commodatum antè tempus constitutum contra commodatarij voluntatem, ac cum eius notabili detrimẽto repetere sine onere etiam restituendi damnum ex tali repetitione secutum.

2 Tertiò etiam constat, quod si res ad certum tempus cõmodata non fuit, sed quousque commodanti placuerit (quod precarium vocatur) poterit qui commodauit repetere, quando vsum fuerit ei, nisi quando absque causa, & cum damno commodatarij repeteret, quia tunc dolo id facere videretur.

QVÆSTIO XVIII.

Quod vero controuertitur inter Doctores est, quando commodans maius, aut æquale damnum inopinatum pateretur, si antè tempus non repeteret?

1 NAu. ca. 17. n. 182. indistinctè negat, ex eo fundamento quia quisque debet pactis, & promissis stare.

Tum quia licet cæteris paribus vnusquisque sibi magis, quam alteri obligetur, tamen in proposito, non sunt cætera paria quia commodans sua voluntate propriæ rei vsum alteri concessit.

2 Angel. verb. commodatum §. ait in hoc casu

hoc casu posse repetere in vtroque foro.

Sylvest. eod. verb. nu. 4. ait posse repetere tunc non in foro externo, sed tantum in foro conscientiæ. Quod etiam docuit Mol. d. 294. & Less. dub. 5

3 Lop. lib. 2. de contr. c. 23. Garc. lib. 1. de contr. p. 106. & Roder. p. 1. sum. c. 111. putant opinionem Nauar. esse veram in casu, quo commodatarius, si iste commodator ei non commodasset à principio poterat, aliundè sibi prouidere, & verisimiliter sibi alio modo prouidisset aut saltem non intentasset quoddam negotium cum re commodata, quia tunc commodans ante tempus repetens, etiam si tantumdem damni patiatur, tenetur restituere damnum ex repetitione subsequtum quia quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

4 Cæterùm ex his addnctis opinionibus mihi mahi magis probatur opinio Syluestri, ducor, quia cæteris paribus sibi quisque magis, quam alteri obligatur. Neque in hoc casu commodatarius iustè de commodante potest conqueri, qui fuerit ab eo deceptus, quandoquidem præter commodantis intentionem euenit, neque quando commodauit, intendit se obligare ad commodatum in eo casu non reuocandum.

Tum quia commodatio intelligitur facta sub conditione, scilicet si non superueniat commodanti notabilis necessitas, vbi sine damno suo graui, suâ re carere non possis.

5 Demùm locator potest repetere rem locatam ante tempus, si eâ postea summè indigeat, ad sui, suæque familiæ vsum, nihil impediente molestia, & detrimento inquilini vt in materia de locatione dictum est: ergò multò magis in foro conscientiæ licebit reuocare contractum merè gratuitum commodati, quando ex eo quòd non reuocetur, æquale, aut grauius damnum antea inopinatũ commodanti imminet. Quæ ratio concludit non solùm, quãdo commodatarius à principio nõ potuisset aliter sibi prouidere, quam per commodatum, verum etiam quando tempore celebrationis contractus habuisset, qui ipsi accomodaret; vel ita affectus fuisset, vt si sciuisset fore repetendum, noluisset illud acceptare, sed aliundè petere; quia vt optimè annotauit Mol. locator potest expellere conductorem, etiamsi conductor rem illam non fuisset conducturus, si id præsciuisset futurum; debet enim commodatarius ab initio, quando illud acceptat, cogitare, posse talem euentum superuenire; ac proinde paratus esse tunc ea re priuari cum suo damno: vel pacisci expresse, vt quidquid euenerit, non teneatur ante certum tempus restituere.

6 Nec obstat prima ratio Nauar. quia quisque tenetur pactis, & promissis stare, quaudiu manet idem status rerum, qui erat tempore promissionis: at si notabiliter mutentur, non tenetur. Vt si promisisti alteri alimenta, & postea incidisti in egestatem: si promisisti operam tuam, & deindè filius tuus mortuus est, his & similibus casibus reuocatur promissio, quia promissor non censetur tales euentus voluisse comprehendere. Sic à simili dicendum est, quando quis alteri promisit aliquid commodandum, vel etiam commodauit, & euentus superuenit, quem non intendebat amplecti.

7 Nec obstat secunda, quia & si sua voluntate rem concesserit, id tamen intelligendum est cum hac tacita conditione nisi interim contingeret eam commodati esse necessariam.

Dices, si dono tibi equum, & deinde eo summoperè indigeo, non possum retractare donationem, ergò neque commodatũ, nam in cõmodato alienatur vsus rei.

Resp. negando consequentiam, quia cõmodator retinet dominiũ rei, & ius ad repetendum vsum: donator verò non retinet dominium, sed rem omninò à se abdicat, vnde non est mirum, si minùs iuris habeat, quam commodator.

8 Obiicies Reg. 33. de reg. iuris in 6. quæ habet. mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. & Reg. 61. quæ dicit, quod ob gratiã alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

Resp. has regulas intelligendas esse absque rationabili causa, & per se alterius detrimentum intendendo, quæ omnia in casu nostro minimè cernuntur.

QVÆSTIO XIX.

An impotentia excuset commodatarium à mora restituendi rem commodatam, ac per consequens excuset à restituendo interesse damni emergentis, lucri cessantis ex tali mora orti?

1 AD hoc dico primò, quòd quando commodatarius ob culpam præcedentem, aut ſubſequentem factus eſt impotens ad reſtituendum in ſpecie rem cõmodatam, quia periit eius culpa, tenetur non ſolùm reſtituere rem, ſi pereat, ſed etiam damnum, vel intereſſe lucri ceſſantis, quod commodanti inde euenit, reſarcire, iuxta cap. vnicum de commodato, & tradit rectè Roder. p. 1. ſum. cap. 111. cuius ratio ea eſſe poteſt, quia talis impotentia eſt culpabilis, & voluntaria in ſua cauſa.

2 Secundò dico, quòd quando commodatarius in illam impotentiam incidit ſine culpa ſua, vt quia iuſto impedimento impeditus reſtituere equuum commodatum non potuit, ſi non fuerit pactum ſoluendi non tenetur ad tale intereſſe damni, aut lucri ceſſantis reſtituendum: tenebitur tamen poſtea ad ſtipendia locationis equi accomodati, ſi quia erat abſens, & præpeditus eſt eum tempore taxato reddere ſuo domino, eo vſus eſt ad aliqua conficienda itinera. Ita Sylu. verb. mora q. 4. Mercat. lib. 1. de contr. c. 12. & Roder. p. 1. ſum. c. 1.

3 Hinc commodatarius non tenetur reficere damnum rei commodatæ, ſi accidit ſine culpa ſua; vtens ea in vſu pro quo fuit commodata, vt ſi equus commodatus ad agitandos tauros, aut faciendum belli ſimulacrum fuerit oculo priuatus in ipſis ludis, aut lancea confoſſus.

QVÆSTIO XX.

An commodatarius qui non poteſt ſaluare res proprias, & accommodatas, quia comburitur illi domus poſſit præferre, & anteponere ſuas?

1 GAr. lib. 1. de contr. p. 28. abſolutè negat.

Alij verò affirmant.

2 Mihi tamen in hac re vtendum eſſe videtur diſtinctione; vnde dico primò, quòd ſi commodatum fuit factum gratia accommodantis, tunc commodatarius res ſuas etiam viliores præferre poteſt. Et ratio eſt, quia quando ſolùm in gratiam ſui ipſius rem accomodauit, cõmodatarius ſolùm tenetur de dolo, & lata culpa, ſed vbi ſic tantùm tenetur poteſt proponere ſua viliora, aliàs non, ergò. Ita Rod. p. ſum. c. 111.

Secundò dico, quòd ſi commodatum fuit factum gratia commodatarij tantum tunc commodatarius, ſi res ſuæ ſunt eiuſdem pretioſitatis cum ſibi rebus accommodatis res ſuas præponere non poteſt quando omnes ſcilicet ſuas, & accommodatas à periculo ſaluare non poteſt Et ratio eſt, quia commodatarius in hoc caſu tenetur etiam de leuiſſima culpa, & qui de leuiſſima culpa tenetur, non poteſt præferre res ſuas viliores, aut æquè pretioſas, cum accommodatis.

3 Tertiò dico, quòd ſi commodatum fuit factum gratia vtriuſque, quia accommodatus eſt equus v. g. ad comitandum communem tam commodantis, quam commodatarij amicum, tunc commodatarius poteſt præferre res ſuas æqualis aut maioris valoris accõmodatis; quia ceteris paribus poteſt plùs ſua diligere quàm aliena. Quartò, & vlt. dico quod commodatarius, etiamſi gratia ſui tantum factum ſit commodatum, poteſt res ſuas (ſi ſint pretioſiores) præferre rebus ſibi acommodatis. Et ratio eſt, quia commodatarius qui gratia ſui tantùm recipit, tenetur de leuiſſima culpa, qui autem tenetur de leuiſſima ſolùm pretioſiora ſua præferre poteſt.

4 Quo loco obſerua, quod non eſt noſtrum intentum dicere, fas eſſe commodatario exponere periculo res commodatas, mittendo eas in mare, vel in ingem tempore incendij, vt ſaluet res ſuas, quia hoc vt conſtat eſt illicitum: quod ergo volumus dicere eſt, quòd exiſtentibus rebus commodantis, & commodatarij in æquali periculo, & non poſſunt ambæ ſaluari, poterit in hoc caſu neglectis rebus commodatis, ſaluare res ſuas.

QVÆSTIO XXI.

An liceat commodanti, vt ſe ſernet indemnem paſciſci cum commodatario, quòd ſi non reddatur illi commodatum intra certum terminum, teneatur commodatarius ſoluere certam quandam pœnam?

1 REſpondeo licere, docet. Sylu. verb. vſura 1. q. 28. erit autem illicitum quando commodans hanc pœnam imponeret in fraudem legis ſcilicet ad recipiendum aliquid vltra ſortẽ pricipalẽ: vel quia mauult quòd commodatarius ſoluat pœnam, quam reddat rem ſibi accõmodatam ſuo tempore, vel quia tempore contractus

ſcit

ſet, quòd commodatarius incurret in eam pœnam, quia non poterit reddere cõmodatum ſuo tempore. Vel ſi commodatarius non ſoluit in tempore conſtituto à commodante, quia ſine ſua culpa non potuit, non tenetur ſoluere pœnam, quia vbi non eſt culpa, non debet eſſe pœna; niſi tale pactum ſit factum ad compenſandum intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis, quia tunc ſi omittit commodatarius reddere ſine culpa propria, non erit peccatum petere ab eo dictam pœnam, quia pactum fuit validum.

QVÆSTIO XXII.

An pœna conuentionalis, quæ poſita eſt de conſenſu partium, obliget in conſcientia ante Iudicis ſententiam?

1 IN qua re conuenit inter omnes obligare in conſcientia, quãdo hæc pœna eſt poſita in ſatisfactionem intereſſe quia hæc ſolui debet ante ſententiam Iudicis, cum propriè loquendo non ſit pœna, ſed ſolutio intereſſe.

Sed tota difficultas conſiſtit. quando non eſt poſita ad compenſandum intereſſe.

2 Sanch. lib.1.de matrim diſp. 37.Lop.li. 2.de contr. c. 34. Arag.2. 2. q. 78. ar. 2. & multi alij negant ex eo fundamento; quia cum hæc pœna ſit contra voluntatem, eius conditio naturalis petit, vt non ſit debita ſolutio, niſi quis à Iudice cogatur.

At huius oppoſitum defendit Nauar. c. 23. nu.67. Couar. in epitom.4.decret. 2. p. cap.6.§. 8. nu.11. Leſſ. lib. 2.de iuſt. c. 20. dub.15. Rebell. p. 2. de oblig.lib.8.q.9. Salon. 2.2. q. 77. ar. 2. & multi alij ex recentioribus ducti ea ratione, quia in hoc diſtinguitur pœna conuentionalis à legali, & iudiciali, quòd legalis,& iudicialis ſolui non debent, niſi poſt ſententiam, quia non ex vi pacti,& promiſſionis rei, ſed Iudicis præcepto delictum puniendis debeturiat conuentionlis ſolui debet ante ſententiam, quia eſt debita ex conuentione partium, & partes ad hoc ſe obligarunt. Et hoc videtur probabilius.

QVÆSTIO XXIII.

An in commodato locum habeat compenſatio, ideſt, An poſſit quis retinere rem ſui accommodatam, puta equum pro recompenſatione debiti? v. g. debes mihi 50. commodati mihi equum, quæro An poſſim equum mihi retinere, donec ſoluas 50. quæ debes?

1 MOl.d. 297. & Armil. verb. commodatum n. 3. negant. In hanc partem perpendet Garc li.1.de contr. p.10.

2 Alij verò rectiùs affirmant in commodato locum habere compenſationem indirectam, atq; adò retineri poſſe equum commodatum pro debito, ſi tale debitum ſit liquidum, Ità enim habetur in l. vlt. C. de compenſat. Ita Nauar. c. 17. num. 186. Lop. lib.2. de contract. cap. 46. & alij. Compenſatio verò indirecta ſecundùm Sylu.verb. commodatum n.12. eſt, quando pro debito, donec ſibi ſoluatur, retinet quis ſibi rem debitoris, quæ ad ipſum peruenit.

3 Aduerte tamen quòd ſi commodatarius iurauit commodanti reſtituere ei rem commodatam, quando eam peteret, tunc eam retinere in recompenſationem etiam liquidi debiti non poſſet. Vt habetur in cap. ad noſtram el. 1. de iureiurando, quia iuramentum eſt obligatorium in forma ſpecifica, neque ſufficit illud implere in effectu.

QVÆSTIO XXIV.

An ſi commodatarius fecit aliquas expenſas circa rem commodatam, poſſit illas exigere à commodante?

1 RESp. poſſe, ſi expenſæ fuerunt extraordinariæ, puta in medicinis iumenti, aut mancipij commodati: ſecus autem ſi expenſæ factæ cum re commodata ordinariæ ſint, vt circa cibum, & curationem exigui pretij, quia has expenſas modicas ipſe iure facere tenetur. Ita Mol. diſp.297. & Lop. lib. 2.de contract,cap.46.

QVÆSTIO XXV.

An ad reſtitutionem teneatur, qui rem commodatam per nuncium miſit, & res periit?

1 RESpondeo ſi res pereat, aut caſu fortuito, aut malitia portarij abſque culpa mittentis, quia ea diligentia, ad quam tenebatur, adhibita, rem alienam miſit per nuncium fidelẽ habitũ tunc mittens ad nullam reſtitutionẽ tenetur, ſi verò

negligens fuit in nuncio fideli inquirendo, ita vt eam culpam commiserit, ad quam cauendam ratione contractus tenebatur, tunc emittens ad rem ita missam pereuntem restituendam manet obligatus. Ratio est, quia ex eadem negligentia, culpáque tenetur, quoad rem mittendam, qua tenetur quoad eam conseruandam. Vnde si commodatarius rem per famulum remisit, quem sæpè expertus fuerat fidelem, tunc si perit, Domino suo perit. Ratio est, quia res Domino perit, quando ex parte creditoris nulla interuenit culpa aut pactum, vt ipsi periret: in casu autem posito, dominium rei, quæ ita debetur, pertinet ad commodantem, nulláque interuenit culpa aut pactum ex parte cõmodatarij, vt ipsi pereat, ergò. Secùs autem si nuncius non fuit idoneus, quia tunc tenebitur commodatarius restituere rem missam, si perit ex culpa portarij, quia sibi imputet, si per infidelem portarium misit. Si tamen nuncius erat infidelis, & tamen communiter habebatur bonus, tunc si culpa illius portarij res commodata per ipsum missa, periit, non tenebitur mittens ad aliquam restitutionem, quia non fuit in culpa. Nau.c.17.n.185. & Rebel. p.2.de oblig.lib.16.q.vnica.

2 Cæterùm vt optimè docuit Nauar.c.17. nu.186. aliter dicendum est de mutuo, quia eius dominium transit in accipientem, & ideò licèt per nuncium etiam fidelem, & idoneum mittatur, si actu non peruenerit ad mutuantem, non liberatur nisi in casu quo creditor nuncium delegauit, mandans debitori, vt suo nomine tali nuncio solueret, tunc si res perit, vel casu, vel ex culpa internuncij, creditori periret, non debitori. Et ratio est, quia eo ipso quòd personam cui traderetur designauit, ratam habuit solutionem, imò verò eo ipso censetur per eam personam facta ei traditio, persolutúmque ei debitum.

3 Hinc si commodans portarium mitteret ad commodatarium, vt ad se mitteret rem commodatam, non tamen commodans illi significaret, vt per eum nuncium illam ad se mitteret, tunc si illam ei traderet, & culpa portarij ad commodantem non peruenirent, non censeretur facta ei solutio, neque magis commodanti periret, quàm si per alium eam mitteret. Ratio est, quia portarius ille solùm fuit destinatus, vt commodatarium de solutione admoneret, non verò vt illi solutio fieret.

Hoc idem dicendum est de re depositata, locata, aut pignorata, quorum dominium non transit in accipientem.

QVÆSTIO XXVI.

Ex dictis facilè erit intelligere, quid dicendum sit ad sequens dubium, creditor debitori significauit, vt debitũ traderet ei, qui tale, vel tale signum afferret, tertius id sciens, signum illud assumpsit, petiuitque debitum, & cum eo fugit, peribitne creditori, an verò debitori?

1 IN qua re certum est, rem debere perire creditori, si erat debita in individuo determinato.

Sed dubium est, quando erat debita in singulari indeterminato.

Ant.Gom.tom.2.var.cap.7. num.3. putat perire debitori.

2 Mihi tamen videtur distinguendum, quoniam si debitor tale signum dedit, atque inde ortum fuit, vt tertius vtrumque deciperet, tunc debitori perit. Si verò creditor tale signum obtulit, vel dum conuenirent ambo, tertius quidam id sciens signum assumpsit, tunc perit creditori, quia per tale pactum consensit, atque in causa fuit, vt offerenti illud signum daretur. Hæc igitur sunt, quæ potissimè in commodato consideranda sunt.

DE LOCATO, ET CONDVCTO.

DISPVTATIO DECIMA.

DE hac materia differunt Scholastici in quarto, dist. 15. Mol. tom.2. de contractibns disput. 486. Less. lib.2.de iust.ca.24.dub.1. Azor.p.3. instruct. mor.lib.8.ca.1. Rebell.p.2.de obligat.lib.14. Lop.2.lib.de contract.cap.24. Garc.lib.2.de contract.

Digitized by Google

contract.Roder.p.1.sum.cap. 18. Couar.lib. 2.var.resol.cap.16. Nauar.in Man.cap.17.n. 187.Summistæ vero vt Angel. Tab. Sylvest. Armil. & plerique alij verbo locatio. In cuius explicationis gratiam primò inquirendum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit locatio?

1 REspondeo quòd est contractus,quo persona, vel res ad vsum, vel fructum pro certo pretio conceditur.

Dicitur primò(persona vel res)quia quis aliquando locat seipsum, & seruum suum, aliquando alias res.

2 Secundò dicitur(ad vsum,vel fructum) quia quædam locantur solùm ad vsum, vt seruus equus,domus, & similia; quædam verò ad fructum,vt agri, & pascua.In quo distinguitur locatio ab iis contractibus, per quos transfertur dominium in accipientem, eiusmodi sunt venditio, emptio, permutatio,donatio, mutuum; nam rei locatæ dominium ad conductorem non transit, sed vsus duntaxat. Differt etiam locatum à deposito,quia res locatur, vt ea conductor vtatur,at res non deponitur, vt ea vtatur,qui accipit.

3 Tertiò dicitur(pretio)id est pecunia in quo differt locatum à commodato,& precario, & quolibet alio contractu innominato. Nam per commodatum, & precarium transfertur quidem vsus solus, sed gratis,& liberaliter: at locatio non fit nisi pro pecunia,alioquin si fiat pro alia re, vel obsequio non erit locatio, sed contractus innominatus scilicet do, vt des, vel do vt facias, & ratio est, quia quemadmodum permutatio non est emptio propriè, quia non interuenit pretium, sed res, quæ cum alia permutatur; emptio verò propriè est, cum pretium in pecunia ex pacto soluitur, sic etiam locatio propriè est, quando pecunia interuenit, contractus verò innominatus,cum alia res debetur.

Additum est (certo)hoc est determinato, vt distinguatur à contractu partiarij coloni,qui non fit pro pretio determinato, sed pro dimidia,tertia,quarta,aliáve parte aliquotâ lucri futuri indeterminati. qui proinde potiùs ad societatem, quàm ad locationem reuocandus erit.

QVÆSTIO II.

Quid sit conductio?

1 REsp.quod est contractus, quo persona, vel res ad vsum, vel fructum comparatur pretio. Sicut enim vnus, & idem contractus ex parte vnius vocatur emptio,ex parte alterius venditio:ita vnus atque idem contractus ex parte vnius est locatio,quæ est similis venditioni,ex parte alterius conductio,quæ est similis emptionisnam emit operas, vel fructus rei. Vnde locator dicitur is, qui sub mercede pecuniaria rem suam,vel personam suam locat. Conductor verò qui soluit mercedem ob vsum rei, vel operas personæ sibi concessas.Vnde versus.

Qui locat, ille capit; conducit qui pretium dat.

Et si est conductor rei vrbanæ dicitur inquilinus, si autem rusticæ rei conductor est,colonus nuncupatur.

QVÆSTIO III.

Quisnam locare,& conducere possit?

1 REspondeo eum omnem, qui emere, & vendere potest. Vt habetur ex l. 2.tit 8.p.5.Non enim plus ad locandum, & conducendum requiritur, quàm ad emendum, & vendendum.

QVÆSTIO IV.

Quibus personis res locari possint?

1 REspondeo omnibus, qui possunt emere, excepto milite, & curiali, quibus prædia ad colendum locari non possunt.C.locat.l.milites, & l. curialis; & excepto clerico,& Monacho,nisi necessitatis causa.Ne cler.vel Monach.c.1.

QVÆSTIO V.

Quænam res locari possint?

1 REspondeo eas omnes, quæ vendi & emi possunt, seruitutibus prædialibus,vt iter,via, & similibus exceptis, quæ iuxta l.locare ff. locat. vendi quidem possunt, at locari non item. Seruitutes autem personales, vt vsusfructus locare queunt

l. arboribus ff. de vſufructu. Vſus autem. quia perſonæ adhæret. locari nequit. l. item is cui §. Sed ſi cui. ff. de vſu. & habit.

QVÆSTIO VI.

An res quæ vnico actu conſumantur, vt pecunia, panis, vinum, oleum, & ſimilia, locari queant?

1 REſpondeo non poſſe. Ratio eſt, quia eorum vſus retento ipſorum dominio concedi non poteſt ſine vſura, niſi fortè locentur ad oſtentationem, & pompam, alioſuè vſus ſecũdarios. Per oſtentationem & pompam intelligitur omnis vſus, per quem res ex toto non conſumitur, ſed eadem numero reſtitui poteſt, puta ſi commodetur aurum ad lætificandum, vel vt ditior appareat &c.

QVÆSTIO VII.

An res Eccleſiæ poſſint à legitimis adminiſtratoribus locari?

1 IN hac controuerſia certi iuris eſt. res Eccleſiæ non poſſe à legitimis adminiſtratoribus locari ad vitam, aut ad longum tempus, quale eſt decennium, & vltrà, vt habetur ex Clem. 1. de rebus Eccleſ. non alienand. vbi Prælato contrafacienti ponitur pœna ſuſpenſionis ab officio. Et ratio huius eſt, quia locatio longi temporis ſuo modo eſt alienatio, ex qua præiudicium infertur ſucceſſori, vt potè non valenti rem ad ſe pertinentem apud conductorem longi temporis exiſtentem, quando ſuccedit recipere; propter quod tamen vitandum, talis locatio in iure prohibetur Et in hoc omnes conueniunt.

Sed quod habet difficultatem eſt, An res Eccleſiæ locari valeant ad tempus quodcunque infra decennium?

2 Reſpondeo, ante Pauli ij. extrauagantem. Ambitioſæ. poterant res Eccleſiæ locari ad nouem annos. non ſeruata iuris formula, quæ ad alienationem rerum Eccleſiæ requiritur Poſt tamen illam, non poſſunt niſi ad triennium. Ibi enim excommunicantur omnes, qui bona Eccleſiaſtica immobilia, aut mobilia pretioſa Eccleſiarum alienant, vel vltra triennium locant. præterquam in caſibus iure expreſſis. Verum dicta cõſtitutio locum habet in rebus quæ quotannis coluntur. & fructus reddere ſolent. Nam ſi aliqua res ſolum alternis fructus facit, ad ſexennium locari poteſt ſicut ad nouennium ſi tertio quoque anno duntaxat fructificat, videlicet vt conductor poſſit tribus annis fructus colligere. Ita Couar. lib. 2. var. cap. 16. nu. 6. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 24. dub. 10. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 5. & Lop. lib. 2. de contr. c. 24.

QVÆSTIO VIII.

An locatio rerum Eccleſiæ facta vltra triennium ſit ita prohibita, vt ſi facta ſit ad quinquennium, vel ſexennium ſit irrita?

1 REſpondeo eſſe omnino irritam, & nullius valoris, vt patet ex verbis prædictæ conſtitutionis vbi dicitur, locationem aliter factam nullius eſſe roboris.

QVÆSTIO IX.

An huiuſmodi locatio ſit ſolùm irrita quo ad annos reſiduos vltra triennium, an verò abſolutè quoad omnes?

1 REbell. par. 2. de oblig. lib. 14. q. 6. exiſtimat talem locationem eſſe ſolùm irritam quo ad annos illos, qui triennium ſuperant.

Communis tamen opinio habet, abſolutè, & in vniuerſum eſſe irritam. Probatur primò ex verbis ipſius conſtitutionis Pontificiæ, ambitioſè, vbi dicitur nullius eſſe roboris locationem vltrà tres annos.

2 Secundò probatur, quia ex vi contractus, contrahentes non conſentiunt, niſi in locationem, & conductionem plurium annorum: non enim conductio triennalis ità commoda eſt, ſicut nouennalis, imò poteſt eſſe detrimentoſa. Si tamen ipſi contrahentes tacitè conſentirent in triennium tunc ex hac parte valeret, quia implicitè eſſet duplex contractus ſcilicet in nouennium, & ſi hic non ſubſiſteret, in triennium vt docet Azor. p. 3. inſtr. mor. lib. 8. c. 3. Leſ. lib. 2. de iuſt. c. 24. dub. 10. & Couar. lib. 2. var. c. 16. n. 6.

3 Eſt autem hic aduertendum quòd dicta extrauagans, Ambitioſè, non habet locum in ordinibus Mendicantium, in quibus propter ſua Priuilegia vltra tres annos

eſt

eſt conſuetudo locare ſuas poſſeſſiones, fundos & montes, quarum rerum locationes factæ à Prælatis dictorum ordinum valent, niſi capitulum Generale, aut Prouinciale proximum nolint conſentire, vt ordinauit Leo X. in Conc. Later. & tradit Roder. p. 1. ſum. c. 18.

QVÆSTIO X.

An ſi locationes rerum Eccleſiæ ad ſexennium, vel nouennium fiant ſub hac clauſula, vt tot ſint diſtinctæ locationes, quot triennia, ſint validæ, non tantùm pro primo, ſed etiam pro reliquis trienniis?

1 SVIT qui exiſtiment eſſe non tantùm pro primo, ſed etiam pro reliquis trienniis validas.

2 Contraria tamen ſententia communis eſt doctorum, nobiſque proculdubiò amplectenda, nempè illicitas, & irritas huiuſmodi locationes pro ſecundo & tertio triennio factas. Vbi tamen prædicta conſtitutio non eſt recepta, poteſt fieri locatio ad nouennium abſque iuris ſolennitate.

QVÆSTIO XI.

An huiuſmodi conſtitutio ſit moribus vtentium recepta?

1 ROchus Curtius in c. vltimo de conſuetudine nu. 51. cenſet prædictam conſtitutionem non eſſe vſu receptam, aut conſuetudine contraria fuiſſe ſublatam.

Sylueſt. verb. alienatio quæſt. 16. ait hanc conſtitutionem moribus vtentium approbatam non eſſe, & in verb. excommunicatio 7. excomm. 4. dicit alicubi non eſſe vſu receptam. Hoc idem affirmat Caiet. in ſum. verb. excommunicatio, excommun. 75. Armil. ibidem, excommu. 26. & Couar. lib. 2. var. c. 16. num. 6.

2 Berthachinus in tract. de Epiſcop. q. 36. affirmat eam vbique ſeruari.

Ant. de Prato in tract. de iuriſdict. Epiſcop. c. 5. teſtatur eam eſſe vſu receptam.

Auendinus lib. 5. de exequend. mand. reg. vlt. c. 4. n. 5. ait quotidiè literas Apoſt. expediri ad eius obſeruationem & inuehitur in eos, qui dicunt, vel eam conſtitutionem non eſſe vſu receptam, vel conſuetudine contraria antiquatam.

2 At verò Doctor Nauar. cap. 27. num. 150. tenet pœnam excommunicationis, priuationis beneficiorum, & alias ſimiles iſtius extrauagantis pœnas extrinſecas non eſſe vſu receptas; ſecùs verò eſſe de pœna intrinſeca, qua locatio rerum Eccleſiæ vltra triennium decernitur inanis, & irrita, & ita Salmanticæ in facti contingentia olim per ſententiam irritam, & nullam iudicaſſe teſtatur quandam locationem factam à Clerico in plures, quàm in tres annos quamuis clericum qui illam fecerit, ab ea excommunicatione immunem fuiſſe iudicauerit. Et ſic confeſſores debent interrogare iudices Eccleſiaſticos qualiter ſit in vſu dicta extrauagans, ne faciant pœnitentes huc, illúcque agitari.

QVÆSTIO XII.

An beneficiarius ſui beneficij fructus poſſit locare, aut vendere vltra triennium?

1 REbell. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 5. negat. Contrarium tamen eſt proculdubio affirmãdum cum Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 8. cap. 3. Couar. lib. 2. var. cap. 16. num. 6. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 24. dub. 10. Et ratio eſt, quia Paul. II. ſolùm interdicit omnem bonorum Eccleſiæ alienationem, locationem, & conductionem vltra triennium videlicet fundos, prædia, domos & ſimilia: At fructus quos ſingulis annis ex ſuo beneficio clericus percipit, non ſunt res Eccleſiæ, ſed priuatorum, nam tales fructus poteſt beneficiarius vendere.

Tum quia locatio expirat mortuo locante, & beneficij amiſſione, nam conductor nullum acquirit ius in fundum, ſed ſolum in fructus ad locatorem pertinentes. Secùs eſt, quando fundus, vel domus elocatur.

QVÆSTIO XIII.

An Clericus habens capellaniam fundatam in certo prædio, poſſit illud elocare vltra triennium?

1 REſpondeo per diſtinctionem in hunc modum: aut enim capellania eſt beneficium Eccleſiaſticum, aut non. Si primum, non poteſt, quia talis capellaniæ prædium eſt Eccleſiaſticum. Si ſecundùm, poteſt locare vltra triennium, quia

talis capellaniæ prædium non est Ecclesiasticum, & pœnæ,& odia restringi,non laxari debent.

2 Porrò hic aduertendum est, eam capellaniam esse beneficium Ecclesiasticum, quæ authoritate Episcopi constituta est, & eius authoritate confertur: eam verò non esse beneficium Ecclesiasticum, quæ solà laicorum authoritate fundatur,vel confertur.

QVÆSTIO XIV.

An sacerdos possit locare suas operas pro diuinis officiis dicendis?

1 AD hoc dico primò, quòd pro rebus temporalibus Ecclesiasticis, vt pro officio œconomi Ecclesiæ, potest Sacerdos stipendium recipere.Ratio est,quia huiusmodi operæ sunt temporales & pretio æstimabiles.

Secundò dico, quòd Sacerdos potest operas suas locare ad rem diuinam faciendam in aliqua Ecclesia, vel altari, vel in certis diebus hebdomadæ. Ratio est, quia talis obligatio ad celebrandum certo loco & tempore, est pecunia æstimabilis, quia non est opera necessariò cum sacrificio missæ coniuncta.

2 Tertiò & vltimò dico, quòd Sacerdos non potest operas suas locare pro diuinis officiis dicendis simpliciter, & absolutè. Et ratio est, quia cum spirituales sint huiusmodi operæ, simonia est pro labore earum intrinseco mercedem accipere. Vnde cæci qui ad Ecclesiarum valuas recitant orationes,non possunt citra simoniam pro eis per modum pretij, mercedem accipere, sed benè gratis per modũ eleemosinæ, vel ob obligationem ciuilem,quam subit,obligando se ad persoluendum officium mortuorum, vel septem Psalmos pœnitentiales &c.

QVÆSTIO XV.

An conductor, qui rem locatam dimittit ante tempus locationis expletum,teneatur integram soluere pensionem?

1 AD hoc dico primò, quòd si culpa locatoris, conductor rem conductam diuuttat,vel ea non vtatur,aut colat: locator non solùm remittere pensionem eius temporis, quo rei vsus cessauit, sed etiam omnia damna, quæ ea de causa illi fuerunt subsecuta resarcire tenetur. Vt si famulus durante seruitij tempore, sine iusta causa aufugeret, & inde detrimentum dominus pateretur, vel si locator iumentum locatum tempore quo vsui esse deberet, sine iusta causa adimeret. Vt habetur in l.si fundum C.de locat. & tradunt optimè Mol.d.493.Lop.lib.2.de contr.c.25.Nau. c.17.n.191.& Rebell.p.2. de obligat.l.14.q.5.

2 Secundò dico, quòd si ob casum fortuitum locatoris,vel rei locatæ contingentem conductor rem locatam dimittat,quia ea vti commodè nequit, vt si famulus, aut alius qui operam suam locauit, grauiter ægrotaret tempore operæ exhibendæ, vel si fundus locatoris ob maleficium ab ipso cõmissum cõfiscaretur, aut domus eius casu corrueret,teneretur locator ad reddendam conductori totam pensionem, vel pro rata temporis, quo defuit vsus; ad interesse autem damni emergentis, aut lucri cessantis, eo quòd non fuit vsus eo tempore,ad quod conduxit,quia præter intentionem locatoris id videtur euenisse, non tenetur, vt docet Nau.c. 17. nu. 187. Less. lib.2.c. 24. dub. 2. & Lop. lib. 2. de cont. cap.25.

2 Hinc, si conductor coactus ob pestem, vel aliam instam causam superuenientem, ante definitum tempus,domum relinquat, non tenetur ad pensionem pro illo tempore. Et ratio est,quia conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenùs re illa poterit vti, aut frui: at quando aliquid tale rei superuenit, vt iusto timore impediatur,non censetur posse vti,vel frui, ergò. Et est conclusio definita in l. habitatores ff. locati vbi sic dicitur,si causa iusta fuisset, cur periculum timeret, quamuis periculum verè non fuisset tamen non debere mercedem. Ita Mol. disp. 493. & Less. loco citato.

Hoc idem dicendum est. Si domus sæpius infestetur à spiritibus malignis, & phantasmatibus,vel strigibus,vt tenet Couar. lib. 4. var. c. 6. dicens sic fuisse decisum in Conc. Granat.Cessante autem bello, aut peste, vel alio periculo propter quod deseruerat quis rem conductam, tenetur continuare contractum locationis, si adhuc supereſt tempus iuxta contractũ

à prin

Digitized by Google

à principio initum. Ita Mol. to.2.de contr. diſput.493.Emanuel Roder. par. 1. ſuæ ſu. c.20.Cou.de prac.q.q.30.n. 2.& multi alij.

4 Tertiò & vlt. dico quod ſi conductor ſua ſponte rem locatam dimittit, quia illa iam non indiget, vel quia neceſſe ſibi fuit ob ſuum commodum, aut fugiendum damnum ſuum particulare alìò proficiſci, eſto hoc caſu fortuito aduenerit non poteſt quidquam de penſione detrahere : ſi autem ob caſum fortuitum ex parte rei conductæ vſus rei ceſſet, non teneatur ad penſionem pro illo tempore,Vt colligitur ex l. ſi operas, & ex l. ſi vno ff. locatio,& tradunt eleganter Nauar. c. 17. nu. 198. Mol. diſp.493. & Leſſ. lib. 2. c. 24 dub. 2.

QVÆSTIO XVI.

An ſi quis locauit operas ſuas alteri, neque ſtat per ipſum, quominus eas perſoluat, ſed per conductorem,teneatur conductor ad integram mercedem?

1 SVnt qui putent non teneri ad integram mercedem, quia labor ille, qui fuerat à locatore exhibendus, non tamen fuit exhibitus, eſt pretio æſtimabilis.

Tum quia conductor poteſtatem fecit locatori, vt rem, vel operam ſuam alteri elocaret,quod eſt etiam pretio æſtimabile. ergò non eſt integra penſio ſoluenda ſaltem quo ad forum conſcientiæ ſed arbitrio prudentis diminuendo. Ita Leſſ. lib.2. de iuſt.c. 24. dub. 2. & Rebell. p. 2. de ob. lib. 14. q. 5.

2 Alij verò vt Nauar. c. 17. nu. 198.aiunt eum eſſe obligatum ad integram mercedem, & videtur probabilior iſtorum opinio, in caſu. quo locator eius eſſet ingenij, vt optabilius ei eſſet, ita laborare, quam otiari, quia tunc ratione huius capitis, nihil de mercede minuendum eſſet.

Tum quia locator non tenetur de rigore iuſtitiæ remittere penſionem ſtipendij, ſi fortè per malitiam noluit operam ſuam alteri locare. Et ratio eſt, quia nullo iure iuſtitiæ ſe ad agendum prioris conductoris negotium in quærendo alio conductore obligauit, quamuis æquitas ſuadeat, vt aliquid remittat, ac contra charitatem delinquat, ſi cum poſſet ſine ſuo graui incommodo indemnem magna ex parte reddere primum conducto rem, locando rem ſecundo, non tamen faciat.

3 Hinc, ſi conduxi operam tuam per quatriduum, poſtea impeditus non potui ea vti per biduum, ſi illis duobus diebus eam alteri locaſti eo pretio,quo à me conducta fuerat, non teneor tibi ſoluere pro illis duobus diebus, ſi minoris locaſti, non teneor niſi de incremento.Ratio huius eſt, quia opera illa, ratione conductionis mihi erat debita : Vnde ſi illam alteri pretio elocas,mihi debetur pretium.

QVÆSTIO XVII.

An merces locationis debeatur, ſi conductor caſu fortuito impeditus re conductæ vti non potuit, ſi alteri ea locanda non erat?

1 ISta quęſtio fuit controuerſa inter Nauar. cap. 17. num. 197. & Sylueſtrum verb. locatio q. 12. ille affirmat, hic verò negat,& meritò quidem,quia contra æquitatem videtur, vt cogaris operario conducto, cuius opera non potes vti, ſoluere mercedem:qui ſi ante conductus non fuiſſet,æquè nihil lucraturus erat, aut integram penſionem domus, qua vti non potes, ſoluere, ſi alteri ea locanda non erat.

Et confirmatur, reſtitutio ordinatur ad recompenſandum damnum,ideſt id minus quod quis habet de eo, quod debebat habere, ſed in caſu poſito talis locator tempore quo conductus eſt, ſi tu non conduxiſſes eum,nihil erat lucraturus, quia ſtipendium diurnum pro ſuis operibus in alio loco, vel apud alium, non reperiſſet, ergo in hoc caſu nihil minùs habet ex eo, quod debebat habere ; ergò nihil à conductore caſu fortuito impedito in conſcientia eſt ſibi reſtituendum, niſi ad tale ſeruitium faciendum parauit ſe, & fecit aliquas expenſas, quòd in hoc caſu poterit,illas exigere à conductore. Secùs ſi in alio loco ſtipendium reperiſſet, quia tunc ſibi ſua ſoluetur in hoc caſu penſio. Et ita etiam tenent Lop. lib.2. inſt. conſ. c. 50.& Roder. p. 1. ſum. cap. 20.

QVÆSTIO XVIII.

An ſi conductor relicta re locata,ſe aliò contulerit ob graues, & periculoſas inimicitias, debeat integram ſoluere mercedem?

1 REſpon.in hunc modum,aut ipſe dedit cauſam inimicitiarum. aut per

Digitized by Google

ipsum stat, quominùs inimicitiæ tolluntur; aut nullam causam præbuit, nec inimicitias ipse fouit. Si primum, tenetur integram mercedem soluere, quia culpa sua impeditur, quominùs re locata vti possit. Si secundum, mercedem non debet, quia iustè ex inimicitiis periculum metuit sibi. Ita enim definitur in l. habitatores ff. locati.

QVÆSTIO XIX.

Ex qua culpa conductor possessionis, teneatur locatori?

1 REsp. ex dolo, culpa lata, & leui, non autem leuissima, vel casu fortuito. Et ratio est, quia hic contractus est in vtriusque partis commodum. Molin. disp. 494. Nauar. c. 17. num. 184. Less. lib. 2. cap. 24. dub. 5. Lop. lib. 2. de contr. cap. 26. & Roder. part. 1. summ. cap. 22.

QVÆSTIO XX.

An pactum, vt conductor non teneatur ex dolo sit validum?

1 REsp. non valere. Ratio huius est, quia est contra bonos mores præbet enim materiam peccandi. Molina tom. 2. de contract. disput. 494.

QVÆSTIO XXI.

An pactum teneat, vt conductor ex leuissima culpa, vel casu etiam fortuito, obligetur?

1 REsp. tenere. Ratio est, quia pactum istud de standa casu fortuito in locato non contra, sed præter substantiam contractus est, verùm locator tunc debet, aut pensionem minuere, aut pretium aliunde conductori soluere, quia periculum, quod rei conductæ colonus in se suscipit, est pecunia æstimabile. Ita Lop. lib. 2. de contract. c. 27.

QVÆSTIO XXII.

An aliquando conductor ex casu fortuito teneatur?

1 REsp. teneri, & hoc in tribus casibus. Primo quando euenit casus fortuitus ex aliqua præcedente culpa, quamuis leui, vt si aliquis equum sibi ad Augustam Taurinorum locatum, duxit Mediolanum, illicque pertransiens incidit in latrones, à quibus eo spoliatus est.

2 Quando res periit in potestate conductoris propter moram, quam fecit in reddenda re domino suo, quod apud locantem non accidisset, vt si aliquis teneret domi equum locatum, quo iam vsus est, & morante ipso reddere, cecidit domus, & occidit equum.

Tertiò quando ab initio interuenit pactum de casu fortuito.

QVÆSTIO XXIII.

Ex qua culpa teneatur locator?

1 REsp. ex dolo, culpa lata & leui, non autem de leuissima, vt casu fortuito. Ratio est, quia contractus locationis est in gratiam vtriusque locatoris, & conductoris. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 24. dub. 5. & alij communiter.

QVÆSTIO XXIV.

An locans rem vitiosam de damno subsequuto conductori teneatur?

1 REspondeo teneri, si sciens, & prudens vasa vitiosa, vel prauo liquore imbuta pro integris locauit, vnde contingit vinum effundi, vel corrumpi. Secùs si vitij ignarus, dixit conductori, se nescire illa esse vitiosa, tunc enim non teneretur de interesse, & damno; & multo minùs si diceret bona fide, loco tibi hoc dolium, sicut est, credo esse bonum, tu videris, quia vbi bona fides est, & nulla prorsus culpa Theologica, non est vnde restituendi obligatio insurgat. Ita Sylu. verb. locatio q. 18. Nauar. cap. 17. num. 196. & Lop. lib. 2. de contr. c. 27.

Hoc idem dicendum est de omnibus aliis vitiosis rebus locatis, quæ damnum afferre possunt conductori, vt si quis locasset equum solitum se proiicere in aquam, cum flumen ingreditur, vnde equitans iacturam vestium est passus.

2 Ex quibus omnibus euidenter sequitur locatorem teneri rei vitium occultum conductori patefacere, vt si domus sit ruinosa,

seruus

Digitized by Google

seruus fur, equus calcitrosus, dolium vitiosum, & similia. Quod intellige quando res est conductori noxia, vel ita vitiosa, vt sui ad quem locator, non possit deseruire, in quo casu nec conductor tenetur soluere mercedem, nec locator potest illam exigere, imò si recepit, tenetur illam restituere danti. At si secùs sit, potest locator rem locare, dummodò pensionem minuat pro ratione vitij, & vitium sit tale, quòd si conductor talem defectum sciret, rem nihilominus conduceret, alioqui deesset in contractu locationis consensus conductoris necessariò requisitus. Imò si vitium sit manifestum, locanti tamen constat, illud esse conductori occultum tenetur illud prorsus in conscientia ei manifestare, licèt in foro externo excusetur, quia quod omnibus perspicuum est, conducenti quoque notum esse iura præsumunt.

3 Hoc idem dicendum est de eo qui locat operas suas ad ea quibus minimè est idoneus, nam præter peccatum iniuriæ, quod committit decipiendo conductorem, ad restitutionem tenetur, si in illa arte, quam exercet, se ostentat peritum, & idoneum. Imò si quis se maximè idoneum, cum talis non esset, se iactaret, vnde alium maximè peritum pro eodem pretio se offerentem reiiceret, teneretur de damno etiam per leuissimam culpam ipsius subsequuto, iuxta Rebel.p.2. de oblig.lib. 14. q.4. Secus tamen esset, de iis qui suam simplicitatem & imperitiam præseferentes bona fide cõsulunt, vti medicamẽta docent, vel aliquid aliud artis fabrilis, quàm minimè callent, efficiunt, licèt etiam se ingerant ad hæc præstanda secundùm Sylu. verb. consilium quæst. 7. & Rebel. loco citato.

QVÆSTIO XXV.

Sed quid? si is qui bona fide rem apertè vitiosam locauit, postea dubitet an vitium tempore locationis à conductore fuerit cognitũ

1 REspondeo in hoc casu, locatorem ad nullam restitutionem teneri. Et ratio est, quia in æquali dubio melior est conditio possidentis.

QVÆSTIO XXVI.

An propter superuenientem fructuum sterilitatem locator teneatur conductori remittere pensionem?

1 IN hac quæstione adeo graui, tot opinionum multitudine difficili, quatuor sunt certa, & extra controuersiam posita, vnum vero obscurum, & quod magna Inquisitione indiget, vt dilucidetur.

2 Primò certum est Locatorem remittere debere, aut solutam reddere integram pensionem, quando ob casum fortuitum sterilitas, aut calamitas prædij siue fundi locatio est tanta, vt conductor nihil omnino fructuum ex re conducta percipiat. Vt si innundatione maris, vel fluuiorum, calore frigore, tempestate, hostium incursu, locustis, bruchis, & id genus aliis, quæ absque aliqua culpa agricolæ eueniunt, vastentur segetes, vel fructus; si molendini elocati aditus intercipiantur, ita vt nemo ampliùs illud accedat molendi causa. Si domus locata ob terræmotum corruat, iuxta leg. ex conducto §. si vis vers. sed etsi ff. locati & tradit Less. lib. 2. cap. 24. dub. 3.

Secundò certum est locatorem teneri remittere pensionem pro rata, quando sterilitas nõ est tanta quin aliqui fructus colligantur, tamen re vera est notabilis, ac magna, vt expressè decernit Greg. IX. cap. propter sterilitatem de locato, & conducto. Hoc autem ex quadam æquitate constitutum est, ne solus conductor sit semper in periculo damnorum, locatore securo.

3 Tertio certum est, non teneri locatorem remittere pensionem, quando præcedentiũ annorum fertilitas, compensat præsentem sterilitatem; quod si præcedentes anni eam non compensent, tamen sequentes id præstant, tunc id quod remisit annis præcedẽtibus, potest inde repetere iuxta leg. ex conducto, ff. locati &c. Ratio huius est, quia æquitas id postulare videtur, si enim ob sterilitatem fit remissio, pars est, vt ob fertilitatem id compensetur.

Quartò & vltimò certum est, locatorem, non teneri remittere, aliquid pensionis quando conductor est partiarius, seu quãdo pensio consistit in parte aliquota fructuum v.g. in dimidia, vel tertia. Ratio huius est, quia partiarius colonus quasi societatis

tatis iure,& damnum, & lucrum cum domino fundi patitur,vt habet in lege si merces ff. locati. Hæc itaque certa sunt apud omnes.

4 Sed controuertitur inter Doctores est. Quando censeatur sterilitas fructuum tãta vt veniat facienda pensionis remissio pro rata.

In qua re tres sunt opiniones.Prima est affirmantium esse in hac parte adhærendum opinioni vulgi,siue consuetudini gentis,Prouinciæ,vel populi;ita vt ea sterilitas censeatur magna,quam conuentio partium aut consuetudo, vel communis opinio regionis probat,ita tenet Nauar.c. 17. nu.188. Sylvest.verb. locatio q.13.& Rebell. pag.2. de oblig.lib.14.quæst.8.

Secunda est ea censeri magnam,quando res conducta vix dat duas partes fructuũ ex tribus partibus, quas alioqui dare consueuerat,tũc enim locator cogitur mercedem diminuere pro rata portione,vt si decem tãtùm reddat,cum solitum sit reddere quindecim, quo casu , si prædium erat locatum tribus aureis,duo tantum soluantur. Ita Lop.lib.2.de contractib. cap. 26.& Nauar.loco citato.

Tertia verò opinio est aliorum dicentium eam sterilitatem sufficere,quando deductis expensis , & semine non supereſt, quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni.Si autem id,quod supereſt, sufficiat dimidiæ pensioni , tunc nulla remissio est facienda, quia non censetur sterilitas magna,sed modica. Ita Couar.de pra. q.9.30. nu.1.Ang.verbo Locatio nu.116.Rosel. eod. verb.quæst.12. Gom.tom.2.var.cap.3.nu.18. & multi alij. Has omnes tres opiniones censet esse probabiles , & in praxi tutas. Molina tom. 2. de contractibus disp. 495.

QVÆSTIO XXVII.

Quot , & quibus euentibus nulla fit remissio pensionis conductori in casu sterilitatis ?

1 REspondeo Molina to. 1. de contract. disp.495.Rebell.p.2.de oblig. lib.14. quæst.8. Lop. lib.2. de contract. cap. 26.& multi alij octo casus assignant, quibus denegatur remissio conductori in casu sterilitatis.

2 Primus est , quando sterilitas vecordia conductoris euenit,vt quia non seminauit, vel malè,aut intempestiuè prędium coluit, vel fructus ex eo intempestiuè colligit,vel quia segetes non purgauit vitiosis herbis, vel custodiam debitam non adhibuit.

QVÆSTIO XXVIII.

Sed quid ? si sterilitas per culpam famuli conductori ministrantis eueniat?

1 REspondeo in hoc casu, satis esse,putat Rebel. culpam leuem famuli conductori ministrantis , ad denegandam remissionem conductori, contrahendamq; obligationem restituendi damna rebus locatis illata.Quod est verum,quando culpa operarij ex culpa conductoris processit, quia nimirum non idoneum ministrum per latam,vel leuem negligentiam elegit.

QVÆSTIO XXIX.

Sed quid ? si conductor non seminauit,vel negligenter coluit prædium , & aliàs ex casu fortuito fructus non protulit, poteritne conductor à soluenda pensione excusari?

1 MOlina tom.2.de contract. disp.495. negat.

2 Alij verò excusant , & meritò quidem quia conductor non tenetur soluere pensionem,nisi ratione fructuum,in eorumque compensationem , vt omnes dicunt, atque adeo cum nullos recepturus foret , quantumcunque coluisset , ad vllam restitutionem videtur teneri. Ita Rebell. part. 2. de oblig.lib.14.quæst.8.

Secundus est quando sterilitas,quæ fructus abstulit,sæpe solita est in talibus locis siue prædiis , aut rebus de quibus agitur, euenire,eaque de causa longè minori pensione locantur, quam alioquin locarentur, quoniam eo ipso reiici in conductorem eiusmodi calamitas censetur , ipseque suo periculo eam suscipere.

3 Hinc , locator non tenetur remittere pensionem ei qui conduxit prædium in locis, in quibus solent esse hostiles incursus, & prædæ : vel conduxit agrum iuxta flumẽ quod sæpius inundat. Et ratio est, quia in his,& similibus casibus conductor id quod sæpè contingit,præuidisse creditur,ac proinde tacitè consensisse nec eis locator remittere

Digitized by Google

rere ei pensionem cogatur, ob casum sæpiùs accidentem.

Tertius est quando sterilitas non ex casu fortuito, sed ex vitio, & debilitate rei locatæ prouenit. Et ratio est, quia si sterilitas ex praua qualitate rei locatæ prouenit, non euenit per casum fortuitum, aut insolitum, siquidem idem in quantum idem, semper aptum est facere idem, cum tamen ad remissionem aliquis euentus præter consuetudinem exigatur.

Tum quia sterilitas ex terræ vitio proueniens, censetur præuisa tempore contractus, atque adeò non deobligat à pensione soluenda.

4 Quartus, quando vbertate præcedentium, aut sequentium annorum ex iis, pro quibus prædium erat conductum compensatur sterilitas.

Quintus quando res ad longum tempus puta decem, vel plures annos, aut etiam vnam, vel plures vitas, aut in perpetuum locatur, nam tunc veluti contractus emphyteuticus esse censetur. In contractu autem emphyteutico propter bella, & sterilitates, & huiusmodi non fit recompensatio annui census. Ratio huius esse potest, quia tunc copia fructuum vnius anni, compensat sterilitatē in alio anno contingentē.

5 Sextus, quando inter locatorem, & conductorem conuentum est, vt propter sterilitatem pensio non remittatur, quia nimirùm conductor suscipit supra se periculum casus fortuiti, renunciátve euentibus fortuitis, siue in specie, siue in genere, tunc enim esto sterilitas adueniat, tenetur ad integram pensionem.

QVÆSTIO XXX.

An renuncians casibus fortuitis in genere censeatur renunciare rarissimis, & extraordinariis, de quibus nullus omninò esse poterat timor in ea regione, quia inauditi in ea erant à quadraginta annis, aut ab hominum memoria?

1 MVlti ex iurisperitis affirmant.

Mihi verò longè probabilius videtur contrarium. Et ratio est, quia contrahentium intentio sub illis verbis generalibus, non videtur se extendere nisi ad casus fortuitos, consuetos, ac solitos, de quibus tūc cogitari poterat euenire posse.

Tum quia pactum de eiusmodi renunciatione, stricti iuris esse videtur, ergò si ea verificatur quoad euentus rarò contingentes, non videtur ad rarissimè contingentes, & præter hominum cogitationem eorúmque prouidentiam extendenda. Quod si huiusmodi renunciatio casibus fortuitis confirmaretur iuramento, vtique non ad plures casus, ea renunciatio sese extenderet, quàm si iuramento non esset confirmata. Et ratio est, quia iuramentum non ad plura se extendit, quàm comprehendantur in promissione, aut pacto, quæ iuramento confirmantur. Si autem mens renunciantis fuisset casus etiam rarissimos, & insolitos comprehendere, tunc in conscientia etiam ex illis teneretur. Ita Mol. disp. 495. Roder. p. 1. sum. c. 22. & Lop. lib. 2. de contr. c. 27.

3 Septimus quando calamitas, qua damnificantur, surripiantur, aut pereunt fructus, superuenit post eorum perceptionem, & aliò transportationem, quia id sterilitas dici non potest.

QVÆSTIO XXXI.

Sed Quid? si fructus à solo separati in area pereant, tenebiturne conductor soluere pensionem?

1 SYlu. verb. locatio q. 13. Ang. ibidem §. 17. Tab. eod. verb. §. 13. & Nau. c. 17. nu. 187. affirmant.

Alij verò vt Valasc. & Gom. relati à Rebell. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 8. negant.

2 Hæ duæ opiniones possunt conciliari hoc modo, vt prima sit vera in casu quo calamitas contingit, postquàm more humano fructuum collectio facta cēsetur; vt si vuæ à vitibus excisæ sint, etiam si nondum pressæ sint, nec domum transportatæ; vel si triticum computrescat postquàm fuerit planè in domum receptum, vel etiam si in area asseruetur, vt non eadem æstate, sed posteà trituretur, humano enim more facta collectio censebitur. Secùs autem si triticum in area antequam purgetur, atque in domum afferatur, alluuione, incendio, rapina, aut aliter absque Domini, & suorum culpa pereat, quia tunc amplectenda esset secunda opinio.

3 Octauus, & vltimus casus est, quando colonus conducit agrum pro dimidia, vel tertia parte fructuum, tunc enim esto sterilitas adueniat, debitor est talis partis aliquotæ fructuum, quos collegit. Et ratio huius

huius est,quia hic contractus non est contractus locationis sed societatis.

QVÆSTIO XXXII.

Dubitabit aliquis hoc loco,quanta esse debeat vbertas præcedentium, aut sequentium annorum, vt locum habeat compensatio sterilitatis?

GLossa ad l. licet, exigit, vt vbertas duplo excedat solitos fructus.

Card. in cap.propter, vt minimum duplicatos exigit,vt si prædium solebat ferre viginti, reddat quadraginta vel ampliùs.

4 Rebel.p.2.de oblig.lib.14.q.8.eam vbertatem exigit, quæ communiter pleno ore vbertas appellatur, sicut de sterilitate dictum est; vt ergo sterilitas ad remissionem requisita, continere debet damnum vltra dimidium iustæ pensionis, seu solitorum fructuum; nec minor pleno ore sterilitas appellari communiter soleat;ita abundantia ad compensationem requisita, vltra dimidium solitorum fructuum debebit esse (nisi contraria consuetudo recepta sit) vt si soliti sint percipi viginti, percipiantur plusquam quadraginta.

Nauar.cap.17. num. 189.& Lop.lib.2.de contr. cap. 26. censent sufficere collegisse eam summam fructuum,quam pactum vel consuetudo constituit,vt si plus solito tertia pars collecta sit. Nam si ad sterilitatem inducendam satis est, tertiam partem minùs solito collegisse: quarè à contrario ad huiusmodi sterilitatem compensandam cũ anno antecedenti, aut consequenti tertia pars plus solito in aliquo eorum percepta sufficiens causa erit.

5 At vero Gom. tom.2. var.cap.3.nu. 18.& Less.lib.2.de Iust. cap.24.dub.3. existimant eam vbertatem sufficere,quando anni præcedentes, & sequentes simul collati tantum afferunt colono commodi supra consuetum modum, quantum annus sterilitatis damni; ita vt omnibus inter se collatis non censatur esse in damno.

QVÆSTIO XXXIII.

An si aliquo anno sit extraordinaria fertilitas conductor teneatur augere pensionem locationis?

1 IN qua re conuenit inter omnes, conductorem qui euentibus omnibus fortuitis renunciauit etiam extraordinariis, propter insolitam vbertatem non teneri augere pensionem.Et ratio est,quia qui dicunt propter extraordinariam vbertatem, augendam esse pensionem, ea ratione id affirmant, quoniam sicut locator propter extraordinariam sterilitatem patitur damnum pensionis ita propropter extraordinariam vbertatem sentire debet commodum augmenti pensionis,quoniam qui sentit damnum commodum etiam sentire debet,& è contra vt habet Regula Iuris.

Quæstio igitur solùm est, quando conductor non renunciauit euentibus fortuitis.

2 Ad hoc dico primò, quod quando extraordinaria fertilitas fructuum ex sumptibus,diligentia, industriaue coloni prouenit, vt quia plus seminauit, & diligentius coluit, aut melioramenta fecit in re conducta, conductor ad pensionem locationis augendam non tenetur. Et ratio est, quia id suæ industriæ debetur. Sicut nec augetur merces, si vbertas ex bonitate fundi locati contingat, quemadmodum non fieret remissio propter negligentiam, vel si parum valerent fructus. Ita Less. lib.2. de Iust.c.24.dub.3. Rebel. p.2.de oblig. lib.14. q.q.Lop. lib.2.de contract. c.26.& Sylvest. verbo locatio num.14.

3 Secundò dico quod quando fertilitas fructuum ex cœli clementia, vel casu fortuito, & insolito, prouenit, qui præuideri non solet,vt si molendinum meum tibi locatum,longè plus solito tibi fructificat teneris iuxta proportionem aucti fructus, augere mihi pensionem, vt si in hoc casu ex molendino meo quinquaginta percipere solebas, & quia reliqua molendina aquarum impetu destructa sunt hoc anno centum percepisti, in foro conscientiæ teneris duplicatam pensionem soluere.Ratio huius est, quia sicut pensio ob sterilitatem casu fortuito euenientẽ extenuari solet,ita ratio postulat,vt propter insolitam vbertatem fructuum, quæ cogitari non consueuit augeatur, cum contrariorum eadem sit disciplina. Quod intelligitur quando eorum copia multò maior est, consueta, & ordinaria, non autem quando fructus pluris æstimantur,& venduntur, sicut nec minuitur pensio, si fructus hoc, vel illo anno minoris

Digitized by Google

minoris sint pretij. Ita Nauar. cap. 17. nu. 191. Molina d. 495. Less. li. 2. c. 24. dub. 3. Lop. lib. 2. de contr. cap. 26. Gom. tom. 2. c. 3. nu. 19. & Sylvest. verbo Locatio quæst. 14.

4 Quam doctrinam veram esse arbitror secũdum Ius Cæsareum, & nihil aliud deductum sit in pactum: cæterum hodiè contrarium mihi videtur dicendum propter contrariam consuetudinem vbique terrarum receptam, vt cum Pincian. de contract. cap. 34. Pinel. Eman. Suarez in thesaur. verb. conductor. §. vltim. Valasc. & multis aliis non contemnendis authoribus resoluit Rebe. loco cit. vnde contrahentes modò huiusmodi consensum tacitum habere censentur, cum iuxta receptam consuetudinem contrahere saltem tacitè intendant.

QVÆSTIO XXXIV.

Quot, & quibus euentibus locator possit antè finem locationis inuitum conductorem è re locata amouere?

1 DOctores ex Iure Cæsareo approbato Iure canonico, cap. propter sterilitatem §. verùm passim recensent quatuor euentus.

2 Primò, quando res fuit locata ad longũ tempus, nimirùm ad decem, vel plures annos, aut saltem in quinque, vel sex, & conductor in duobus primis annis pensionem non soluit, aut quando res in minus tempus locata est, scilicet tres, vel quatuor annos, & die signato non soluit, neque celeri satisfactione sibi prouidit, potest statim à locatione depelli. Ratio est, quia locator non astringit fidem suam, nisi sub conditione, vt sibi fides soluendi pensionem tempore debito præstetur, quam si violat conductor nec locator suam seruare iure Iustitiæ tenetur iuxta illam Reg. Iuris, frustrà sibi fidem quis postulat ab eo obseruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat. Ita Sylvest. verb. locatio q. q. Nauar. cap. 17. num. 193. Rebel. p. 2. de oblig. lib. 14. quæst. 10. & Roder. p. 1. sum. cap. 20.

Hæc autem satisfactio tunc dicitur celeriter fieri, quando post modicum tempus à die præfinito fit; quàm verò modicum id temporis debeat esse Lop. lib. 2, de contr. cap. 26. cum Glossa super c. potuit de locatione arbitrio Iudicis relinquendum esse ait.

Dixi notanter (iure iustitiæ) quia interdum ex charitate sub mortali tenebitur nõ expellere conductorem à domo conducta, vt si præ paupertate, & graui necessitate pensionem soluere nequeat, vt in materia Eleemosynæ dictum est.

3 Secundo, quando locator improuisè re locata indiget ad suos vsus v.g. Titius Caio locauit domum, & domus deinde in qua Titius habitabat, insperatè corruit, nec Titius aliam habet, in qua possit commodè habitare, vel si Titius incipiat hostes in ea vicinia habere, aut aliud periculum, ita vt tuta non sit illi habitatio in ea domo, neq; aliam commodam habeat præter illam quam locauit. Vel si ex aliqua repentina, & vrgenti causa necesse illi sit migrare ex loco, vbi habitabat, in eum vbi locatam habebat domum, neque aliam cõmodam habeat ad suam habitationem, vel si Titius vxorem duxit, quod tempore contractus non sperabat, atque ad habitãdum cum ea, est sibi necessaria domus locata quia aliam commodam ad id non habet. Vel si matrimonio Insperatè copularet aliquem filiorum, aut filiarum, & similiter ad eorum habitationem indigeret, domo locata. Vel si Titio superueniat dignitas, ob quam maiori indigeat familia, eaque de causa necessaria sit ad habitandum domus locata, potest Caium conductorem expellere. Ita Less. sup. dub. 6. & Rebel. quæst. 10.

Aduertit tamen quod hic euentus solùm habet locum in domibus, quoniam est priuilegium iure humano concessum, neque inuenitur circa alia concessum, eaque de causa extendi non debet vltra id, in quo concessum inuenitur, vt optimè tradit Molina disp. 499.

QVÆSTIO XXXV.

Quid? si domus Titio incipiat esse necessaria, non quidem pro se, sed pro patre, vel auo ver filio?

1 REspondeo posse etiam tunc conductorem expellere. Ratio huius est, quia iure naturali horum singuli conductori præferuntur.

QVÆSTIO XXXVI.

Quid? verò si Titius tempore locationis, aliam domum

Digitized by Google

domum in qua habitaret, non habebat, poterit ne domum locatam à conductore repetere?

1 ANgel.verb.locatio nu.13. & Sylueſt. eod.verb.q.9.abſolutè negant.

2 Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui cenſent poſſe dari caſum, in quo antè præfinitum tempus, inquilinus poſſit à domo locata excludi,puta ſi Titius tempore locationis in communi domo cum alio viuebat,& poſtea vxorem duxit, cum qua neceſſe eſt ſeparatim in alia domo habitare.Ita Lop.lib.2. de contr.c.26. & Nauar.cap.17.num. 193.

Tertiò quando domus indiget refectione,qua tempore locationis non indigebat, quæ non poteſt fieri inhabitante conductore;illa tamen inſtaurata,domus eſt conductori reſtituenda,vt finiat tempus totum contractus. Ita Leſſ. lib.2. de Iuſt. cap. 24. dub.6. Rebel. pag.2.de oblig. lib.14.quæſt. 10.& Mol.diſp.499.

3 Quartò & vltimò quando conductor re ſibi locata abutitur, damnum illi inferendo, vt ſi intra cubicula ſues alat, arbores incidat, agrum debito tempore non colat vel ſi abſque læſione, rei vt ſi meretrices, lenones, aleatores, fures, vſurarios, & id genus homines prauæ famæ & vitæ in eam introducat,vel aliud turpe,aut indecens in ea exerceat, vnde detrimentum, aut ſcandalum viciniæ ſequatur. Ratio huius eſt, quia in hoc caſu conductor,vel damno locatorem afficit vel domum eius reddit infamem.Ita Leſſ.lib.2.cap.24. dub.6.

Hoc autem de meretricibus, & lenonibus intelligit Molina loco citato quando domus locata eſt inter probos viros, ac fœminas : ſi domus eſſet iuxta lupanar, aut inter aliàs domos, in quibus ſimilia exercentur, quia tunc inde corruptio morum,aut ſcandalum viciniæ non ſequeretur expelli ea de cauſa conductor à locatore non poſſet.

4 Alij autem vt Alex. & Imola conſ. 126. addunt quintum euentum, quando ſcilicet conductor iurauit omni anno ſoluere lege ſi quis maior C.de tranſact.Hoc autem cõmuniter,vt tradunt Doctores in dicta lege locum habet in omnibus contractibus iuramento vallatis.

QVÆSTIO XXXVII.

An in his caſibus in quibus expellitur conductor, locans teneatur remittere penſionem pro rata temporis, quo re conducta non vtitur

1 IN hac quæſtione ardua ſanè, & difficili omnes conueniunt in ſecundo & tertio euentu,in quibus conductor ſine vlla ſua culpa in locatoris commodum expoliatur re conducta,quia locator ad ſuam habitationem propter aliquam neceſſitatem ſuperuenientem poſtea ea opus habet vel quia ipſa eget reſtauratione, cõdonandam eſſe penſionem pro rata temporis, vt habetur in cap. præter ſterilitatem §. verum de loca. & lege qui inſulam in pr. ff. locat.§.verum.

In aliis autem duobus euentibus eſt res controuerſa inter Doctores.

Nauar.cap. 17.nu.194. de quarto euentu loquens negat eo fundamento quia conductor ſua culpa fuit in eo electus de re conducta. Hoc idẽ ſenſit Leſſ.lib.2. de iuſt. cap. 24. dub. 6. loquens de primo euentu.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabilius ſentiunt Mol.d.499. & Rebel. p.2 de oblig.lib.12.q.10.qui diſtinguunt in primo, & quarto euentu, quoniam ſi locator expulſo conductore,poteſt rem alteri ita locare,vt nullum damnum patiatur,faciendа eſt condonatio ; ſi autem non poſſit ſine damno tenetur conductor illud reſarcire, quia cenſetur cauſa iniuſta illius damni.

QVÆSTIO XXXVIII.

Num in his prædictis euentibus poſſit locator propria authoritate abſque Iudicis officio conductorem expellere?

1 REbel.pag.2.de obligat.lib.14. quæſt. 10.negat.

2 Alij verò affirmant, tamen ſi tutiùs ſit adire Iudicem, atque ab illo petere miniſtrum publicũ, qui id executioni mandet; tenerique Iudicem illum ſtatim concedere ſi duo §. cum inquilinus iuncta gloſſa ibi ff. vti poſſidetis, & tradit optimè Molina d.499. Verùm in certis locis lege cautum eſt,vel conſuetudine introductũ, ne id faciat abſque publica authoritate, & meritò vt ſic multorũ malorũ occaſio præcidatur.

QVÆSTIO XXXIX.

An locator reſarcire teneatur expenſas quas conductor fecit.

Reſpon

1 REſpondeo teneri, modò ſint neceſſariæ, aut vtiles rei locatæ. vt ſi reficiat domum conductam, quæ ruinam minatur, aut plantet, inſeratve arbores in cõducto agro &c. ſicut ipſe conductor tenetur ad ſatisfactionem damni, ſi domum, vel vites antea plantatas deſtrueret. Quod intelligitur, quando id, quod per eiuſmodi expenſas fit, ſiue magnas, ſiue modicas ad perpetuam prædij vtilitatem, vel longioris temporis, quam ſit tempus conductionis, durare debet. Si verò duraturum non eſt, niſi tempore conductionis, atque adeò futurum eſt, ad conductionis tantùm vſum, non tenetur locator illas reſarcire. Ita Reb. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 9. & Mol. d. 496.

QVÆSTIO XL.

An conductor poſſit impenſas repetere, quas fecit, eo quòd ſoluit gabellas, & ſuſtinuit alia onera impoſita rei locatæ?

1 RESP. ſalua contraria regionis conſuetudine, ſi onera, & tributa impoſita ſint ratione fructuum vtilium, qui ex re locata colliguntur, non poteſt ea repetere. Vt definitur in l. 1. C. de annonis, & tributis. Secus autem ſi ratione rei locatæ impoſita ſint, cum rei nec directum, nec vtile dominium habeat. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 9.

QVÆSTIO XLI.

Quod-nam ſit iuſtum locationis ſtipendium?

1 ALexand. de Neuo conſ. 95. cenſet illud eſſe iuſtum locationis ſtipendium quod viginti annis collectum exæquat iuſtum pretium rei.

Panorm. in cap. cum cauſa, & Barth. in l. ſi merces §. vis maior ff. locat. volunt conſuetudinem loci ſpectandam eſſe, & ſecundùm eam iuſtum ſtipendium in locationibus cenſeri.

2 Cæterum mihi videtur dicendum ſic. Si inter locatorem, & conductorem fuerit pactum vt certum quoddam pretium ſoluatur, pacto ſtandum eſt; quo ceſſante, illud pretium (ſi per legis taxam conſtitutum non ſit) erit iuſtum, quod paſſim eo loco huiuſmodi rebus dari ſolet, ita vt non ſit minus infimo, nec maius ſummo, quod dari conſueuit; ſi verò locari ſolita non eſt, ſeruanda eſt conſuetudo gentis, prouinciæ, vel populi. Quòd ſi nulla fuerit conſuetudo, boni viri arbitrio ſtipendium ſtatuendum eſt. Ita Leſſ. lib. 2. c. 24. dub. 4. & Rebell. lib. 14. qu. 3.

QVÆSTIO XLII.

Quo tempore ſit ſoluenda locationis penſio?

1 RESP. ſi in contractu fuit tempus expreſſum, in quo penſio eſſet ſoluenda ſtandum eſſe contractui, ſi verò nihil fuit conuentum, conſuetudo gẽtis, prouinciæ, vel populi eſt attendenda; quòd ſi ea non apparet, regulariter facienda eſt in fine anni, vt colligitur ex l. ſemper in ſtipulat. ff. de reg iuris, Quando autem res locata eſt in multos annos pro certa annua penſione, neque eſt expreſſum quando penſio ſit ſoluenda, nec aliud habet conſuetudo regulariter, tunc in fine cuiuſque anni ſoluenda eſt penſio eius anni; quoniam illæ cenſentur diſtinctæ locationes in ſingulos annos. Ita Nau. 7. n. cap. 198. Mol. diſp. 497. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 14. q. 10. Lop. lib. 2. de contr. c. 27. & Sylueſt. verb. locatio n. 5.

2 Panorm. in cap. peruenit de arbitriis, differentiam ponit inter ſoluere annuatim, & omni anno: quia qui tenetur ſoluere annuatim, in principio anni ſoluere tenetur, qui autem omni anno, in fine anni debet. Vnde verſus.

Annua ſi debes, tunc inſpicies caput anni.
Anno ſi debes, in fine teneberis.

QVÆSTIO XLIII.

An locationis renouatio præſumatur ex patientia, & taciturnitate domini permittentis conductorem lapſo tempore conuento continuare?

1 RESP. ſi conductor competenti tempore maneat in re conducta, ſciente, & patiente locatore ſub eiſdem conditionibus cenſetur contractus renouatus. Vt ſi locauerim tibi agrum meum ad annum, & anno finito cum in eodem agro permaneas, ego ſciens taceo, eo ipſo videor iterum locare ad annum, nam ex tali taciturnitate vtriuſque tam locatoris quàm conductoris conſenſus inducitur qui ad huiuſmodi renouationẽ præſumẽdã ſufficit,

l.item quæritur §.qui impleto ff.locat.& l. qui ad certum ff.eo.tit.

QVÆSTIO LXIV.

Quid? si locauerim agrum in triennium. An singulis annis transactis, si sciens patiar te in eodem agro permanere, eo ipso iterum loco in triennio, an solùm in annum sequentem?

1 REsp.solùm in annum sequentem, vt in eadem lege dicitur. Quòd si finito sequenti anno, iterum conductor perseueret in eodem agro, sciente & patiente locatore, censetur similiter locationem prorogare in sequentem annum,& ita consequenter quousque finito aliquo anno eiusmodi tacitæ prorogationis, discessus fiat à contractu, deserente conductore agrum, aut locatore expellente conductorem ab agro.Ita Mol.disp.498.

QVÆSTIO XLV.

Quantum tempus requiratur, vt locator censeatur tacitè renouasse contractum in annum sequentem?

1 REsp. iure communi non est definitum, sed arbitrio Iudicis relinquitur definiendum pro foro iudiciali, sicut pro foro conscientiæ prudentis arbitrio determinandum erit, vt Gom.t.2.var.c.3.n. 16.cum Barth.& aliis affirmat.

Lex 20. Castellæ decernit sufficere tres dies: & ita dicendum esse, etiam de iure communi, ac in foro conscientiæ, vt cum Greg. Lop. Rebellus p.2. de oblig.lib.14.q. 12. resoluit. Cuius oppositum refert Mol. disp. 498. asseruisse Odof. & Bal.dicentes non sufficere duos aut tres dies, sed necessarium esse competens tempus.

QVÆSTIO XLVI.

An conductor qui re ad vnum vsum locata contra voluntatem saltem tacitam, aut debitam locatoris, ad alterum vsum vtitur, peccet peccato furti?

1 REspon.lethaliter eum peccare peccato furti, cum obligatione restituendi rem, etiam si culpa leuissima, aut casu fortuito pereat, alioquin non peritura in alio casu concesso, vt si equo conducto ad pacem, vel Siciliam, vtatur ad bellum, vel Mediolanum, & ibi pereat, alioquin non periturus.Rebell.lib.14.q.15.

QVÆSTIO XLVII.

Vtrùm is, qui cum sociis domum conduxit, possit loco sui cameram, partémve eius in suum vsum conductam pro eodem tempore alteri locare?

1 REsp. posse, nisi aliud à principio sit conuentum inter locatorem,& cõductorem iuxta l. nemo C.locat.& secundus conductor non sit persona inhonesta, & sociis præiudicans; imò si socij fuerint inuiti, nec etiam honestæ personæ licebit eam locare.Et ratio est quia quamuis conductionis ratio non obstet, obstat tamen inita societas,ad quam conditio, vel industria personæ electa fuisse videtur.Quando tamen ea electa non fuisse crederetur, nec alia esset ratio, vnde rationabiliter socij inuiti essent, oppositam sententiam sequi deberemus vt docet Sylu. verb.locatio q.2. Rebell.lib.14.q.17.& alij.

QVÆSTIO XLVIII.

An qui operas suas locauit ea lege, vt inseruiat certo alicui Monachorum conuentui, crescente familia Monachorum, possit petere augmentum salarij?

1 SYluest.verb. locatio q.7.Ang. ibidem §.18.Tab. eod. verb. §. 15. & alij negant.

2 At Albericus quem refert Rebel.p.2.de obligat.lib.14.q.15.affirmat.

Pro cuius tamen quæstionis decisione dico primò quòd si medicus v. g. locauit operas suas pro tota familia determinata, puta pro quadraginta personis,tunc aucta familia, licitè potest exigere auctiorem mercedem, sicut è contrario diminuta familia,extenuare mercedem tenetur, vt tenet Lop.lib.2.de contract.cap.26.& Rebel. lib.14.q.15.

3 Secundò dico quòd quando numerus familiæ erat indefinitus, vt vsu euenit in Monasterio Religiosorum, vbi aliquando sunt plures, aliquando pauciores.tunc nec augebitur, neque minuetur salarium pro

augmen

augmento fratrum, aut diminutione. Si tamen sic locans operas suas nimis grauetur, in foro conscientiæ non tenebitur inseruire tantæ multitudini, si tempore contractus non fuit præuisa; & è conuerso nec Monasterium ad pretium conuentum tenebitur, si eodem modo notabiliter numerus Monachorum diminuatur. Ita Rod.p.1.sum. c.21. & Lop.loco cit.

QVÆSTIO XLIX.

An quando consuetudine patriæ, vel lege Principis, aut statuto Reipublicæ merces famulis soluitur eam soluere Domini teneantur, etiam si tempore locationis nulla facta fuerit pactio ac mercede?

1 RESp. eos ad illam teneri. Et ratio est, quia tunc famuli tacitè videntur suas operas locare ea lege, vt solitam mercedem recipiant.

QVÆSTIO L.

Quid? si Domini eam soluere renuant?

1 AD hoc dico primò quòd quando famulo, vel operario non omninò constat, se diminutam accipere mercedem, non potest sibi secreto recompensare, subtrahendo de rebus domini, quia in dubio vtrùm aliquid sit iustitiæ lege debitum, nõ habet locum compensatio: non esse autem diminutam ex eo constare potest, si multi alij non deessent, qui libenter tale officium, vel obsequium pro tali mercede præstarent. Ita Sot.lib.5.q.3.art. 3. Nau.c.17.n. 114. Rebel.li.14.q.15. & Lop.lib.2.de contr.c.25.

2 Secundò dico quòd si famulus commodè via iuris nequeat salarium sibi de iustitia debitum obtinere, potest propria authoritate clam de bonis Domini tantum sibi capere, quantùm est, quod sibi debetur, dummodò vitetur damnum tertij. & caueatur ne dominus compẽsationis factæ inscius, conscientia instigante, vel confessore iubente, vel iterato restituat, vel in conscientia sit, putans se debere, quod reuera non debet. Quòd si absque prædictis conditionibus sibi recompensaret, peccaret quidem, ad nullam tamen restitutionem faciendam teneretur, cum dominus de iustitia integrum stipendiũ soluere teneatur. Ita Caie.2.2.q.66.ar.3. & 5. & Lop.loco cit.

QVÆSTIO LI.

An qui famulantur Domino, solo victu, & vestitu contenti, possint aliquid amplius exigere vel clam ex bonis Domini surripere?

1 RESp. non posse. Et ratio est, quia contractus ex conuentione contrahentium legem accipiunt, ergò famuli qui solo victu, & vestitu contenti, à domino admittuntur, conuentis stare tenentur. Ita Lop.lib.2.de contr.cap.25.

QVÆSTIO LII.

An quando quis eo pacto Domino famulatur, vt à Domino certam aliquam artem addiscat, possit dominus ab eo maiora seruitia exigere, ita vt ei tempus addiscendi non relinquat?

1 RESp. non posse. Quòd si fecerit, non solùm peccat mortaliter cum onere restituendi graue damnum iacturæ peritiæ artis, verumetiam tenetur ei soluere quantum aliis famulis absque pacto artem addiscendi conductis persolueret iuxta Nauar.c.17.n.109. & Mol.disp.506.

QVÆSTIO LIII.

An quãdo quis absque vlla mercede adductus, sola spe alicuius beneficij, vel officij consequendi, famulatur, eam soluere Dominus teneatur, si postea cum nullo beneficio afficiendum curauerit?

1 RESpondeo si famulus omninò liberè non poterat iustam mercedem, vt hac ratione alliciat animum Domini ad procurandum beneficium, vel officium, tunc eam soluere Dominus minimè tenetur. Si tamen tacitè intenderet dominum suum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium Ecclesiasticum, esset simonia, & Dominus hanc intentionem aduertens, cum non possit talem obligationem admittere, de iustitia teneretur ei iustam mercedem sui seruitij erogare, non enim ille intendit seruire gratis, sed cum eo onere, quod dominus non potest suscipere. Si verò intenderet illum obligare ad procurandum officium seculare, tunc dominus id aduertens, vel teneretur quantum in se est, curare, vt id consequatur, (modò tamen

sit dignus)vel si hoc nollet,teneretur ei iustum stipendium rependere. Si dominus fecerit quantum in se est, vt ille officium obtineret, & nihilominùs non obtinuit, ad nihil teneretur,quia famulus non videtur ad aliud voluisse eum obligare, nisi id expresserit.Ita Lop. lib. 2. de contr.cap.25. Less.lib.2.de iust.& iure cap 24. dubit.4.& Mol.tom.2.de iust. disp.506.

QVÆSTIO LIV.

An dominus qui sine iusta causa è domo sua famulum expellit ante constitutum tempus, integram mercedem ei soluere teneatur?

1 REsp. secundùm conscientiam dominum teneri famulum expulsum intra constitutũ seruitij tempus recipere: & integram seruitij exhibiti mercedem exoluere, atque ad totius damni inde famulo subsecuti satisfactionem vt si propterea quod alium dominum non inuenit, aliquid consumpsit, vel amisit, quod non foret consumpturus, vel

QVÆSTIO LV.

Ad quid tenetur famulus, qui antè finitum tempus sine iusta causa à domino recedit?

1 REsp. famulum, licèt ante condemnationem non teneatur restituere mercedem temporis, quo seruiuit, teneri tamen non solùm redire ad Dominum, si dominus velit,sed etiam ad restituendam mercedem accepti temporis, quo seruiuit, atq; ad totius damni indè domino subsecuti satisfactionem.

QVÆSTIO LVI.

An famulus qui se locauit per annum & per partem tantum seruiuit non complens annum, finito tempore conductionis teneatur om ſſum tempus suppicre?

1 REsp.non teneri.Ratio huius est,quia seruiendi onus fuit præcisè temporis in contractu præscripti, ideóque transacto tempore contractus,non onus in tempus sequens, sicut qui non soluit diuinum officium, aut non audit sacrum tempore,quo ab Ecclesia præcipitur,non tenetur postea id refacreire,quia fuit onus loci, seu temporis.

Hoc idem dicendum est de cæteris locationibus.si ex defectu locatoris, vel rei locatæ non possit conductor illa frui,non enim finito tempore in contractu constituto tenetur conductor in re locata perseuerare,quousque tempus illud, in quo ad ea fruendum fuit impeditus resarciat.

QVÆSTIO LVII.

An famulus qui promisit inseruire per annum, possit petere dimidiam partem stipendij, si postea non seruiuit ei nisi per dimidium anni,& hæc fuit pars hiemalis?

1 REspondeo non posse.Ratio est,quia labor hiemis non est æqualis labori æstatis,& veris,in quo colliguntur fructus,& è contrario si famulatum præstitit in medietate æstatis in qua plus laboris subire contingit,plus medietatis salarij ad arbitrium boni viri exigere poterit. Ita Roder.p.1.sum.cap.20.& Lop.lib.2.de contract.c.25.

QVÆSTIO LVIII.

Ex qua culpa famulus, & Dominus teneatur?

1 REspondeo ex lata,& leui.Ratio est, quia est quasi contractus inter dominum,& famulum gratia vtriusque.Nam famulus domino famulatum debet,& dominus famulo mercedem, aut victum.

QVÆSTIO LIX.

An famulus cui casus fortuitus sibi impedimento fuit,quominùs suas operas præstaret, ad se tamen præparandum ad quas fecit expensas,possit illas reposcere?

1 REspondeo posse. Vt habetur l. pecuniam in principio. ff. de cond. ob causam,& tradit Lop.lib.2.de contract. cap.25.

QVÆSTIO LX.

An conductor teneatur suis sumptibus curare famulos,vel operarios,si postquàm sunt conducti,grauiter in domo eius ægrotent?

1 Respon

REspondeo non teneri, sed posse ab eo illos exigere; quoniam sumptus illi non ad dominum, sed ad ipsum famulum se locantem spectant: quamuis honestas contrarium suadeat, vt solent facere Religiosi, ac nobiles, & interdum charitas exigat etiam sub mortali, si videlicet in extrema, vel graui necessitate sit, nec sit alius qui succurrat.

QVÆSTIO LXI.

An qui locat oues, & boues possit obligare conductorem ad reddendum ea animalia sic locata æquè integra, & sana?

1 REspondeo non posse, nisi tale onus locator iusta mercede compenset, cum conductor id oneris gratuito subire recuset. Ratio huius est, quia natura contractus locationis exigit, vt res locata, si perit, locatori, qui dominus eius est, pereat, & non conductori, quando in cūlpa leui non fuit, ergò si locator velit obligare conductorem ad reddendum oues, & boues sic locata sana, & integra vsuram committit, quia perinde est, ac si mutuaret decem, vt quindecim redderentur. Ita Barth. Med. inst. confess. §. 27. de contr. societ.

QVÆSTIO LXII.

An sit vsura locare boues ad colenda prædia sub certo pretio, hac tamen lege, vt conductor alios boues eiusdem ætatis, quam habebant isti, qui conducti sunt tempore conductionis reddere teneatur?

1 REspondeo nisi locator minuat pensionem, vel aliunde compenset onus, quod imponit conductori, vsurarium esse contractum, quia obligat sibi conductorem ad reddendum boues æquè bonos, etiam si boues absque culpa conductoris sint facti deteriores. Vnde iste contractus æquipollet contractui mutui, quia perinde accidit in hoc casu, ac si diceret, accipe hos boues mutuatos, vt postea reddas mihi alios meliores, quia cum boues laborando moderatè, locatori deberent perire, vel deteriorari, si periissent, vel deteriores euasissent, id periculi appretiabile pretio conductorem facit subire. Vt cum Soto, Med. & aliis resoluit Roder. p. 1. sum. c. 19.

QVÆSTIO LXIII.

An sit licitum emere ab alio aliqua animalia, quæ scit ipsum non habere, & postea item de nouo locare illa pro certa mercede?

1 REspondeo non licere. Et ratio est, quia in hoc casu talia animalia non subsistunt, nec conductor ea emit. Verum est, quòd si iste credebat bona fide, talem hominem habere dicta animalia, in tali casu non teneretur ad restitutionem eius, quod durante eadem bona fide cōsumpsit, nec ad restitutionem eius quod non consumpsit, sed remanet, & cum eo factus est ditior, in casu quòd emisset dicta animalia ab alio, si ille non obtulisset sua, & sic ratione sui interesse potest tuta conscientia exigere suam pensionem iuxta Nauar. c. 17. n. 230. Roder. p. 1. sum. c. 19. & alios.

QVÆSTIO LXIV.

An. vbi terminus locationis non est ab initio contractus constitutus, possit locator cum damno cōductoris equum locatum reuocare?

1 REspondeo si tempore contractus terminus locationis tacitè vel expresse non est constitutus, locator reuocando suum equum cum damno conductoris ad cultandum æquale, aut maius damnum, quod ex non vsu sui equi, sibi immittet non peccat, quia cæteris paribus vnusquisque sibi magis quam alteri obligatur. Secùs si ex non vsu sui equi locator nihil damni pateretur, quia tunc contra charitatem debitam proximo peccaret, licèt non contra iustitiam, si cum graui damno conductoris suum equum reuocaret.

2 Dixi notanter (si tempore contractus, terminus, locationis tacitè, vel expresse non est assignatus) quia si pro aliqua instanti necessitate equus locaretur, licèt verbis tempus locationis constitutum non fuerit, tunc tacitè videtur equus locatus pro toto illo tempore, quo illa necessitas durauerit; quare ante completum tempus illius necessitatis, contra conductoris voluntatem ac cum eius notabili detrimento locatio nō poterit reuocari, quia si illa necessitas tēpore contractus locanti innotuit,

eo ipso censetur voluisse sua sponte non solum equum locare, sed etiam incommodum illud in conductoris gratiam subire.

QVÆSTIO LXV.

An locator possit præter pensionem stipendij, aliquid aliud accipere propter periculum mortis, cui probabiliter ipsius conductoris culpa equum exponit?

1 MEd.C.de rest. q. 38. affirmat posse, quia tale periculum est pecunia æstimabile. Alij verò Doctores non minoris nominis negant, nisi mercedem minuat. 2 Cæterum prima opinio mihi videtur verior, & tenenda.

QVÆSTIO LXVI.

An conducens equum, liber maneat à custodia equi, si pereat, quando eius locator pro custodia eius mittit suum famulum?

1 REspondeo si conductor pro comperto habet, dominum misisse famulum pro custodia & hoc fecit ab initio, tunc non tenetur de custodia, quia videtur à principio eum voluisse releuare à custodia. Si verò pro comperto habet Dominum locasse equum, & famulum, negligentia famuli non excusat incuriam conductoris, antequàm restituat equum famulo. Si autem post restitutionem equi famulo factam, equus pereat, non tenebitur conductor. Vbi verò nihil apparet, an ab initio miserit famulum pro custodia, vel non, sed vtrumque tam famulum, quam equum locauit simpliciter, non videtur in tali dubio remissa custodia equi.

QVÆSTIO LXVII.

Ex dictis sese offert occasio ad inquirendum. An custos carceris sit immunis à custodia carceris, quando potestas publica parùm de custodia eius fidens, mittit satellites suos ad custodiam?

1 REspondeo non esse immunem, quia non videtur per hoc ei esse remissa custodia carceris. Vt habetur ex l. si mei causa ff. commod.

QVÆSTIO LXVIII.

Quid? dicendum de eo, qui conduxit equum, eo pacto, vt solùm septem leucas quotidiè in eo conficeret: confecit verò otio, & mortuus est, tenebiturne restituere pretium illius locatori?

1 REspondeo teneri, si id causa, aut occasio fuit mortis equi: secùs autem si neque causa, neque occasio fuit, quod moreretur, quia simili modo erat moriturus, vt regulariter accidit, si morbo perit; neque enim conficere vnam leucam vltra septem efficax causa esse solet eius interitus neque ad eius mortem ordinata. Ita Mol.d.494.

QVÆSTIO LXIX.

Hinc decidenda venit quæstio illa, cuius meminit Medina in sua inst. conf. fol. 157. vbi quærit. An si conductor equi decepit eum locatorem, qui eum expressa conuentione locauit ad iter agendum pro quatuor diebus ex Taurino Mediolanum, ipse autem accelerans iter, confecit illud in tribus, teneatur restituere valorem illius locatori, si eum interire contigerit?

1 REspondeo nisi alia interceserit culpa leuis, aut alia fraus ex parte conductoris circa interitum equi, qua sola deceptio, qua sic locantem decepit, ad nullam restitutionem faciendam teneri, quia ex Taurino Mediolanum non plus itineris est, quàm quòd solitus est equus peragere tribus diebus. Si igitur hic subministrauit ei sufficienter pabulum, si in itinere obiit, Domino suo videtur periisse, quia talis deceptio non videtur fuisse causa mortis equi. Secùs autem si iuxta Medinam, locator prædictam conditionem posuit, quia videbat equum fatigatum, & lapsum, & ideò non potuisse facere illud iter nisi in quatuor diebus, non verò in tribus.

QVÆSTIO LXX.

An si locans nauim ad merces asportandas, transtulit merces in aliam nauim sine consensu Domini mercium, & hæc alia nauis periit, teneatur ad restitutionem?

1 Ad

1 AD hoc dico primò, quòd si huiusmodi merces non periissent, si in locis pro talibus rebus asportandis locatis & cõductis remansissent, ad eas restituẽdas suo domino tenetur. Ratio est, quia transferendo illas in aliam nauim, inuito domino mercium, causa fuit, quòd perirent. Molina disp. 494.

Secundò dico, quòd si locator nauis fecit hoc sine culpa sua, quia credidit bona fide res futuras esse securiores, vel dominium futurum contentum, ad nullam restitutionem tenetur. Imò etiamsi mala fide eas posuisset in alia naui, si casu fortuito ita periissent res in naui conducta, sicut in alia vbi repositæ sunt, de eis non teneretur, quoniam translatio illa non fuit causa, quòd perirent. Ita Mol. supra.

QVÆSTIO LXXI.

An res locari possit eo pacto, vt conductor rem locatam suo periculo suscipiat?

1 REspondeo posse. Ratio huius est, quia huiusmodi pactum non est contra, sed præter substantiam locati, & tunc locator ratione talis oneris, & periculi quod in se suscipit, conductor tenetur, vel minuere pensionem, vel alio modo tale onus compensare.

QVÆSTIO LXXII.

An quando locatio fit cum tali pacto, transeat in venditionem?

1 SOt. lib. 6. de iust. quæst. 9. ar. 2. ad 3. affirmat.

2 At melius id negat Nauar. in com. de usur. num. 35. & ratio est, quia si transiret in venditionem, non cogeretur conductor idem quod accepit restituere, quando extaret, sed solum pretium.

Deindè susceptio periculi non facit venditionem, solùm enim operatur, vt qui rem suo periculo suscipit, debeat rei pretium restituere, si perierit, alioqui si res salua manserit, res ipsa restituatur.

QVÆSTIO LXXIII.

An conductor teneatur ex culpa eorum, quorũ ministerio vtitur?

1 REspondeo si conductor seruos habuit moribus, & vita probos, & diligentes, quos vir prudens excepisset, tunc culpam eorum conductor non luet. At verò si seruos habuit non probos, tunc damnum in re locata culpa eorum ipsi imputatur, Vt habetur in l. videamus ff. locat.

QVÆSTIO LXXIV.

An locare domos meretricibus, vsurariis, ac cæteris similibus, ibi suis sceleribus vacaturis sit licitum?

1 AD hoc dico primò, quòd licet potestati publicæ permittere vt in aliqua ciuitatis parte sint meretrices, vt cõcedit D. Aug. lib. 2. de ord. c. 4. dicens quòd quemadmodum Deus permittit aliqua mala, quo maiora caueantur, vel maiora bona sequantur, ita potestas humana imitans eum id permittere potest.

2 Secundò dico, quòd non licet locare domos meretricibus in ea parte Ciuitatis, in qua lex non permittit eas commorari: & ratio est, quia sic locans legem, & consuetudinem iustam violat.

Tertiò dico, quod non licet locare domos meretricibus cum intentione principali, vel minùs principali, vt ibi meretricẽtur. Ratio huius est, quia hoc esset contra charitatem proximo debitam.

3 Quartò dico, quòd in locis permissis à Republica nullum est peccatum de se locare domos meretricibus ad bonum finem consequendum, scilicet iustam mercedem, & rationabili de causa id fiat, cum displicentia vera locantis coram Deo illius meretricij. Et ratio est, quia fas est cooperari ad opus de se indifferens: etiam si inde peccatum sequatur vt patet exemplo Naaman per Eliseum comprobato. 4. Reg. cap. 5. Tum Eliæ eiusdem historiæ lib. 3. cap. 18. ac Iudith, vt refert eius historia cap. 10 qui diuino consilio similia egerunt, alioqui nefas esset vendere eis victum, & vestitum ad conseruandam salutẽ qua abuntur. Quamuis si ex locatione præberetur occasio committendi peccata, aliter non committenda, quæ sine damno notabili locator vitare posset, illicita contra charitatem reddi posset. Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 11. Rebell. l. 14. q. 17. & Mol. d. 500. Vide Nauar. c. 17. nu. 195. qui licèt trepidus,

tandem huic opinioni assentitur.

4 Quintò,& vltimò dico quod non licet locare domos vsurariis pro exercendis vsuris. Ratio est, quia vsuræ nunc inter Christianos in vtroque foro interdicuntur.

Tum quia hoc genus artis vsurariæ semper vergit in præiudicium tertij, & tendit contra iustitiam commutatiuam quod non apparet in meretricio, licet non exerceatur sine peccato mortali.

5 Ex quo colligitur licitum esse, permittere meretricibus patronos, non quidem ad opem ferendum meretricum peccatis, quia ad id eis patronos designare peccatum est, sed ad defendendum eas ab iniuriis lenónum, & ad explorãdum an aliqua earum infecta sit morbo gallico, aut aliis contagiosis morbis, ne permittatur meretricari cum periculo inficiendi ad eam accedentes. Possuntque supradicti patroni ratione sui offidij quod præstant mercedem accipere ex illo lucro meretricio. Ratio huius est, quia post commissum peccatum licitè illud pretium accipitur à meretricibus,ac retinetur.

QVÆSTIO LXXV.

An famulus qui videt alium famulum rem aliquam domesticam suffurari, & tacet, ad restitutionem teneatur?

1 REspondeo per distinctionem in hunc modum,aut enim rei custodia est famulo demãdata, aut non.Si primum, tenetur damnum illatum resarcire ratio est, quia ratione sui muneris,& officij, ac proinde ex iustitia tenetur id damnum impedire, quia scilicet ad hoc conductus est, vt custodia ei domesticarum rerum crederetur, cuiusmodi est, qui præfinitur toti domui,qui Italicè Maiordomo dicitur, cui de omnibus rebus domesticis cura cõmissa est, is enim si ex culpa sua etiam leui, non tamen leuissima aliquid è domo perierit, id restituendi obnoxius sit: sicut etiam cameræ seruandæ præpositus, qui camerarius latinè nuncupatur, tenetur ad id restituendum,quod sua incuria ex camera perit, quia custodia huius fibiæx officio incumbit. Quin si non potuit impedire, tenetur admonere auferentem,vt restituat qui si nolit tenetur non solum lege charitatis vt alij, sed etiam de iustitia sub obligatione restituendi oblatum,curare vt restituat, etiam detegendo delinquentem, quando ea ratione efficaciter resarciretur damnum,& absq;suo graui periculo id detegere potest.

2 Si secundum, ad nullam restitutionem tenetur,quia solùm lege charitatis tenetur id damnum impedire,& curare postea, vt resarciatur,perindè ac si nõ esset famulus, sed aliquis extraneus, quia ipse rei talis custos non est, tenetur tamen delinquentem corrigere qui si correctus non præstat emendam est denunciandus, si delictum potest probari. Ita Mol. tom. 2. de contr. d. 506. Et hæc satis de locato & conducto.

DE EMPHYTEVSI.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE hac materia differunt Canonici Iuris interpretes cap. Potuit de locato & conducto. Molina tom. 2. de contract. disp. 444. Rebell. p.2. de obl. lib. 13. Less. lib. 2. de iust. cap. 24. dub. 8. Azor. p. 3. inst. mor. lib. 10. Lop.lib. 2. de contract.c.29. Roder. p. 1. sum.c. 113. Nauar. in Man. cap. 17. num, 192. Salon.tom. 2. de contract. disp. de cens.lib. ar.2. & Iul. Clar.lib.4. sent.§. Emphyteusis. Summistæ vero vt Angel. Tab. Rosel. Syluest. Armil. & alij verbo emphyteusis.

1 Et vt a significatione nominis exordiamur. Syluest.verbo emphyteusis,Lop.li. 2. de contract. c. 29. & plerique alij relati à Valasco quæst.2. de iure emphyteutico cẽsent emphyteusis nomen ab emponemate esse dictum, quasi contractum meliorationis;emponema enim græcè idem significat, quod latinè melioratio: quoniam a principio solùm prædia sterilia tradebantur in emphyteusim, vt melioris conditionis, & fertiliora per culturæ Industriam redderentur:vsus tamen deindè obtinuit,vt fertilia

is etiam, & quæ melioranda non creduntur, in emphyteusim tradantur.

2 Rectiùs tamen iuxta Alciatum, & alios quos sequitur Mol. tom. 2. de contr. disp. 444. emphyteusim dictam esse ab emphyteuo verbo græco, quod latinè significat infero, vel planto, quasi emphyteusis idem sit, quod plantatio, insitio: nam qui rem in emphyteusim datam suscipit idcò accipit, vt reddat eam meliorem, videlicet ex sterili fertilem, & ex infructuosa fructuosam efficiat, ac proinde inserat, & plantet arbores, & ita colat, vt ex ea fructus percipiat.

QVÆSTIO I.

Quid sit emphyteusis?

1 REspondeo quòd est contractus, quo res immobilis in perpetuum aut in longum tempus colenda & vtenda salua eius substantia, conceditur, aliqua pensione constituta, & retenta proprietate siue directo dominio. Et est duplex, Ecclesiastica, & profana. illa in bonis Ecclesiæ, hæc in bonis non Ecclesiasticis fit. Nomine verò Ecclesiæ Monasteria, collegia, hospitalia, & alia loca pia comprehenduntur.

QVÆSTIO II.

An emphyteusis à venditione differat?

1 REspondeo differre. Ratio est; quia per venditionem transfertur tam dominium vtile, quam directum rei venditæ in emptorem; sed per emphyteusim solùm transfertur dominium vtile, remanente dominio directo, ideſt proprietate apud dominum.

QVÆSTIO III.

An Emphyteusis à locatione differat?

1 REspondeo differre. Primò quia in locatione nullum trãsfertur dominium: in Emphyteusi autem dominium tantùm vtile transfertur in Emphyteutam, vt aliquid domino directo, ideſt proprietario singulis annis soluat.

2 Secundò quia locatio est rerum mobilium, immobilium, & se mouentium, at emphyteusis solùm in rebus immobilibus quæ cultura possunt effici meliores, consistit.

3 Tertiò differunt, quia emphyteusis non fit ad breuius tempus, quam decennium: locatio autem fit breuiori tempore quam decennio, nam si res immobilis locetur alicui ad decennium, aut vlterius, vel ad vitam conductoris, quæ censeatur decennio futura prolixior, transfertur iure communi vtile dominium in conductorẽ, vt cum communi tenet Couar. lib. 2. var. c. 16. & colligitur ex l. 1. ff. de superficiebus. Et tunc non tam erit locatio, quàm contractus Emphyteuticus.

QVÆSTIO IV.

An Emphyteusis à contractu liuellario distinguatur?

1 REspondeo distingui. Et ratio est, quia liuellarius contractus fit, quando feudatarius, vel emphyteuta concedit alteri pro certa annua pensione prædium, quod ipse habuerat ab alio in feudum, vel emphyteusim. Vnde emphyteuticus contractus est, quando verus dominus rem vtendam dat alteri, liuellarius verò quãdo concedens non est dominus, sed qui illam in Emphyteusim acceperat. Et dicitur contractus liuellarius à liuella, quę teste Cicerone li. 4. in Verrem, apud Romanos erat minuta moneta. Vnde liuellum facere est modico pretio vendere, aut locare, & liuellarius contractus fit, quando res in perpetuum locatur modica pensione in singulos annos soluenda.

QVÆSTIO V.

Vtrum emphyteusis à contractu censuali distinguatur?

1 REspondeo distingui. Ratio est, quia per contractum censualem transfertur in recipientem dominium tam directum, quam vtile, per Emphyteusim autem non transfertur nisi vtile, directum verò remanet apud concedentem, vt cum communi resoluit Abbas in cap. constitutus, in verbo, iuxta ratam in fin. de relig. domibus nu. 20. & tradit Salon. tom. 2. de contr. disp. de censib, ar. 2.

2 Ex quibus colligitur sex necessariò requiri

quiri ad contractum emphyteuticum.

Primò vt constituatur solùm in rebus immobilibus,& fructiferis,vt in agris,domibus,pascuis,syluis, stagnis, & similibus, quæ cultu, & industria possunt fieri meliora. Nam hic dominium directum, ab vtili separari necesse est, quod in re mobili,non ità fieri potest.

Secundò vt dominium directum rei remaneat penes dominum, & vtile dominium hoc est indirectum in emphyteutam transeat.

Tertiò vt dominus ciuiliter rem possideat, quia possessionem solo animo habet, & rem de iure retinet, emphyteuta vero naturaliter,non ciuiliter, quia est in re,vel rem in suo conspectu videt.

Quartò vt amphyteuta teneatur ad certam pensionem quotannis soluendam.

3 Quintò vt emphyteuta si hanc pensionem præfixo tempore non soluerit, ipso iure amittat rem emphyteuticam cum omnibus melioramentis,quæ in ea fecit,eáque reddat ad priorem dominum, & dominium vtile consolidetur cum directo.

4 Sextò,& vltimò,vt si res sine culpa emphyteutæ omni ex parte pereat,emphyteuta liberetur à solutione pensionis:nisi obligauerit se ad casus fortuitos, vt constat ex l.1. C. de iure emphyteut. Ratio huius est, quia talis pensio soluitur, vt emphyteuta rei dominium agnoscat, ergo si res non extat, nullo iure compellitur dominum agnoscere. Imò perempta re totus contractus emphyteuticus finitur ac desinit. Ita Less.lib.2.c.24. dub.8.

QVÆSTIO VI.

An emphyteusis sit contractus nominatus?

1 RESp. quod sit, habet enim elegans nomen, & ab aliis distinctum, vt cum Angel. resoluit Iul. Clar. lib. 4. sent. verb.emphyteusis.

QVÆSTIO VII.

Quinam possint emphyteusim accipere?

1 RESpon. eos omnes, qui legitimè in iudicio conueniri possunt, vt pensionem soluant, vel vt meliorem efficiant rem sibi in emphyteusim datam.

Hinc clerici, mulieres, & qui egestate premuntur, & qui potentia nimia valent, non possunt emphyteusim accipere, quia non possunt facilè in iudicium vocari.

2 Hinc, curiales, & milites non possunt res in emphyteusim accipere, quia non possunt res conductas colere, ac meliores efficere, nec ità facilè possunt in iudicium vocari, & propterea deterior fieret Domini conditio.

QVÆSTIO VIII.

An Ecclesia,collegium, vel ciuitas possint emphyteusim accipere?

1 RESp.non posse.Ratio est,quia Ecclesia, & alia quælibet communitas non moritur, ac proinde Domini conditio deterior redderetur, quia nunquam res ad ipsum rediret obita emphyteutæ.

QVÆSTIO IX.

Quinam possint in emphyteusim dare?

1 RESp. eos omnes,qui bonorum liberam administrationem habent. Et ratio est, quia emphyteusis est quædam alienationis species, cum res in perpetuum,vel saltem in longum tempus datur, & vtile dominium rei ad emphyteutam transfertur.

2 Hinc pupillus,minor,furiosus, & prodigus nequeunt iure in emphyteusim dare,quia suorum bonorum liberam administrationem non habent.

QVÆSTIO X.

An emphyteuta iure possit rem acceptam in emphyteusim,alteri dare in emphyteusim?

1 RESp.non posse. Ratio est, quia emphyteuta non habet rei dominium directum, quod sibi reseruet, translato in alium vtili.Syluest.verb.emphyt.q.14. Lop. lib.2.de contr.cap.30.& alij.

QVÆSTIO XI.

An Prælatus possit concedere bona Ecclesiæ in emphyteusim?

1 Resp.

Digitized by Google

1 REspondeo non posse, nisi subsistente legitima causa, & debitis solennitatibus requisitis ad bona Ecclesiæ alienãda. Et ratio est, quia Emphyteusis cum sit in perpetuum, vel saltem ad longum tempus, eo ipso est species quædam alienationis, at res Ecclesiæ alienari nequeunt, nisi ex legitima causa, & seruatis solennitatibus in rei Ecclesiæ alienatione requisitis, vt habetur in c. vt super de reb. Ecclesiæ non alien. si vero res Ecclesiæ solitæ essent in Emphyteusim concedi, benè posset prælatus iusta de causa, si ad Ecclesiam aliquo casu reuerterentur, illas concedere in Emphyteusim sine solenni formula iuris, vt colligitur ex textu in cap. 2. de feud. & tradit Couar. lib. 2. var. cap. 17. num. 4.

QVÆSTIO XII.

Dicet, quando res censeatur dari solita in Emphyteusim?

1 REspondeo si res data bis est, aut est semel in Emphyteusim, & elapsi fuerint quadraginta anni, tunc dari solita in Emphyteusim videtur.

QVÆSTIO XIII.

An si prædium Ecclesiæ datum in Emphyteusim, eo quod sterile esset, & deinde opera, & industria Emphyteutæ factum sit fertile, possit iterùm dari in Emphyteusim, finita prima Emphyteusi?

1 REsp. non posse. Ratio est, quia legitima causa, quæ fuit ab initio, cũ cæpit in Emphyteusim dari, nũc cessauit, ergo non potest denuò in Emphyteusim tradi, sine iusta, & legitima causa, & absque debitis solennitatibus iuris.

QVÆSTIO XIV.

An arbores iure dari queant in Emphyteusim?

1 REspondeo posse. Ratio est, quia arbores quandiu solo hærent, pro rebus immobilibus habentur.

QVÆSTIO XV.

An redditus annuus perpetuus in Emphyteusim dari possit?

1 REspondeo non posse. Ratio est, quia non est res soli, quo possit fructuosior reddi.

QVÆSTIO XVI.

In quibus casibus Emphyteuta amittit in suum, quod est dominium vtile.

1 REspondeo septem. Primo quando emphyteuta negat se rem in emphyteusim accepisse, vel habere.

Secundò quando pensionem negat domino eam exigenti. Ratio horum est, quia Emphyteuta tenetur dominum directum recognoscere, ergo si contra hoc reperitur infidelis, res cadit in commissum. Quod totum intelligitur, quando scienter negat & postea conuincitur de mendacio. Secùs autem est, si neget ignoranter, putans sic esse, habens ad illud rationes apparentes, & iustas, vt dicit Innoc. in cap. cæterum de Iudiciis.

2 Tertiò quando culpabiliter non soluit pensionem intra terminum assignatum. Dixi (culpabiliter) quia si ex paupertate, aut alia difficultate notabili, aut alia quauis causa iusta, quæ à mortali excusat, non soluit à pœna commissi, excusatur, quia tanta pœna non debet respondere culpæ citra mortalem, vt docet Rebel pag. 2. de oblig. lib. 13. quæst. 8.

QVÆSTIO XVII.

Dices quando Emphyteuta non soluens pensionem à suo iure cadit?

1 REspõdeo eum est si Ecclesiæ Emphyteuta, à suo iure cadere, si per biennium pensionem non soluerit, nisi celeriter soluat; quam celeritatem arbitrio Iudicis fore committendam. Si autem est priuati Emphyteuta à suo iure cadet, si per triennium pensionem soluere desistat. cap. fin. de locat,

QVÆSTIO XVIII.

Quomodo biennium hoc, trienniumve soluendæ pensionis, sit computandum? An videlicet à numero pensionum, quæ debentur, an verò à numero annorum?

1 REspon. esse computandum à pensionum numero v. g. est prædium

Emphy

Emphyteuticum,quod ſolitum eſt ſingulis annis fructificare;tunc Emphyteuta priuati ſi non ſoluit per triennium à ſuo iure cadit;ſi verò eſt Eccleſiæ,ſuo iure priuatur, ſi per biennium non ſoluit,niſi celeriter ſoluat. Si verò prædium naturaliter fructus facit,tantùm ſecundo quoque anno, tunc Emphyteuta debet ſoluere tres penſiones infrà ſex annos,ſi emphyteuſis ſit ſecularis: ſi Eccleſiaſtica debet duas penſiones infra quatuor annos.Quare ille ſi infrà ſex annos à ſolutione trium penſionum ceſſauerit, à ſuo iure cadit;hic verò ſi infra quatuor annos duas penſiones non ſoluerit. Neque tenetur dominus penſionē requirere, quia dies ſtatuta pro domino interpellat. Ita Rebel.pag.2.de obligat.lib.13.quæſt.7.

2 Aduerte tamen hic, quod ſi dominus debebat aliquid emphyteutæ, quod penſionis retentione compenſari poſſet, non cenſetur emphyteuta idcircò in pœnam commiſſi incidere, ſi termino à iure præſcripto non ſoluit.

QVÆSTIO XIX.

An ſi res emphyteutica ſit magna,& penſio ſoluenda parua,vt vnius ſolidi,vel nummi,& illa termino præfixo omittatur ſolui, incidat Emphyteuta in commiſſum?

1 REſpondeo incidere. Ratio eſt, quia penſio præcipuè ſoluitur in recognitionem dominij directi: æquale autem damnum, quod attinet ad eam recognitionem, eſt,Non ſolui paruam,ac non ſolui magnam penſionem ad id lege præſcriptam.

2 Et confirmatur, nam huiuſmodi penſio non imponitur tam ad præſens domini emolumentum, quam ad dominij recognitionem, & quo propter exiguitatem facilius ſolui potuit, eo in maiorem domini contemptum cadere videtur ea omiſſio, præterquàm,quòd in periculum vergit, nè omnino pro domino recognoſci deſinat; vnde omiſſio eiuſdem exiguæ penſionis, non debet cenſeri exigua,ſed grauis culpa; quo etiam fundamento peccatum primi Patris noſtri Adami propter eſum dimidiæ ficus lethale eſſe potuit.

Tum quia huiuſmodi pœna non eſt priuationis aliorum bonorum, quæ ſunt propria Emphyteutæ, ſed dominij vtilis,quod erat proprietarij,& illud conceſſit Emphyteutæ ſolum in tempus, quouſque ceſſaret à ſoluenda penſione, vt habetur in lege 1. §.vectigal.ff.ſi ager vect.vel emphy.Quare cum ſub illa conditione fuerit conceſſum, mirum non eſt ſi deficiente conditione culpa emphyteutæ, dominium illud vſile redeat ad proprietarium. Ita Molina diſp. 453.& Rebel.quæſt.8.

QVÆSTIO XX.

An Emphyteuta qui ſoluit quidem quotannis penſionem, ſed non totam, per omiſſionem minimæ partis totius penſionis, quamuis paruæ, incidat in commiſſum, ita vt rem totam amittat?

1 MOlina tom.2. de contr. diſp. 453.& Rebel. pag.2. de oblig. lib. 13. q.8. exiſtimant emphyteutam ſolùm rem amittere pro rata eius,pro quo ceſſauit ſoluere.

Alij verò vt Sylueſt. verb. Emphyteuſis quæſt. 4. docet cum rem totam amittere.

Cæterùm cum hac diſtinctione melius reſponderi poſſe videtur. Quoniam vel præſtabatur vna penſio pro tota re emphyteutica,puta decē aureis ſuper vna domo, vel fundo vt regulariter fieri ſolet,vel pro rata partium rei emphyteuticæ præſtabatur rata penſionis, vt pro quinquaginta dictis terræ,quinquaginta argentei, ad rationem vnius argentei pro ſingula dicta. In hoc poſteriori euentu, dicendum eſt, emphyteutam non amittere niſi illas dictas, pro quibus non perſoluit penſionem, quoniam reliquarum partium penſionem ſoluit.Ita priori verò euentu,ſi partem notabilem penſionis,puta dimidiam, aut tertiam partem ſine iuſta de cauſa nō ſoluit, & tunc cadit in commiſſum, ſecùs autem ſi minimam non ſoluit,vt ſi vnius argentei ſolutionem omitteret ex integra penſione decem argenteorum, quia tunc ſolum incideret in commiſſum partis proportionabilis rei Emphyteuticæ.Et in hoc ſenſu vera eſt opinio Molinæ.

QVÆSTIO XXI.

An ſi ſint multi Emphyteutæ,& omnes ſoluant ſuas portiones præter vnum,incidant omnes in commiſſum totius rei Emphyteuticæ, an verò iſte ſolus qui omittit ſoluere?

Armil.

Digitized by Google

1 ARmil. verb. emphyteusis §. 19. tenet solum istum incidere in cõmissum. Sed hoc non obstante concors est omnium Doctorum sententia, scilicet omnes incidere in commissum. Ratio est, quia res traditur in emphyteusim ab ipso proprietario sub conditione, si pensio solvatur, ergò vt pœnam euadant, debent singuli totam pensionem soluere, & deinde agere contra non soluentem. Ita Sylvest. verb. emphyt. q. 4. Mol. disput. 453. Lop. lib. 2. de contr. cap. 30. & Iul. Clar. lib. 4. sent. q. 13. hanc sententiam ait esse consuetudinẽ, & viu receptam.

QVÆSTIO XXII.

Hinc colligitur quid sit dicendum, quãdo plures sunt hæredes, ad quos res Emphyteutica peruenit, vnus eorum non soluit partem pensionis rei illius, quæ ad ipsum spectat, cæteris suas pensiones soluentibus. An omnes in commissi pœnam incurrant?

1 RESP. omnes in pœnam commissi incurrere: Ratio est, quia emphyteusis ex sui natura est indiuidui, qua & emphyteuta in solidum tenebatur, ac proinde eo onere transtulit eius emphyteuticum in suos hæredes. Ita Mol. disp. 453. & Lop. c. 30.

QVÆSTIO XXIII.

An vt emphyteuta commissi pœnam euadat, satis sit intra tempus à iure præscriptum, offerre domino pensionem?

1 RESP. sufficere, modo loco, & tempore opportunis emphyteuta realiter illam offerat, etiam si nolint eam recipere. Ita Molin. d. 453. & Rebell. p. 2. de obli. lib. 13. q. 10. qui dicit communem.

QVÆSTIO XXIV.

An pensio debeatur, si res emphyteutica pereat?

1 AD hoc dico primò, quòd si res emphyteutica per incendium aut terræmotum, aut bellum, aut fluminis illuionem, aut aliter sine culpa emphyteutæ, ex toto, quo ad substantiam pereat, absque recuperationis spe, non tenetur emphyteuta soluere ab eo puncto pensionem. Ratio est quia tota obligatio soluẽdi pensionem cum reipsa perit, vt habetur exp. cit. in l. 1. C. de iure emphyt. §. adeò inter. locat. Imò verò in hoc euentu finitur contractus emphyteuticus, adeò vt, si casu postea recuperetur res, quæ perierat, neuter contrahentium, hoc est proprietarius, & antiquus emphyteuta teneatur stare contractui, vt cum aliis tenet Sylvest. verb. emphyt. q. 7. & Mol. disp. 4. 4.

2 Secundò dico, quòd si per bellum, vel casu fortuito, non tota res Emphyteutica pereat, sed solùm quoad partem, ita vt maneat salua altera ipsius rei pars etiam minima, qui exiguam præstabat pensionem magis ob correspondentiam, & recognitionem domini directi, quam vt soluat fructus, ab ea soluenda emphyteuta non liberatur. Quod intelligitur quando pars salua, & si ratione aliarum partium sit minima, est tamen in se notabilis, ac ad pensionis solutionem sufficiens; non enim credendum est, satis esse permanere quamcunq; minimam particulam, quæ in genere moris nullius momenti sit, vt cõmunis praxis testatur. Si tamẽ pensio est tam magna, quod aliquo modo æquatur fructibus qui colliguntur ex dicta re, tunc pro rata debet fieri remissio, & quando quarta pars fructus qui solebat colligi, perit, quarta pars pensionis debet demi vt docet Sylu. verb. emphyteusis, q. 1. §. 4. & D. Nauar. in Manu. cap. 17. num. 190.

3 Tertiò dico, quòd si domus emphyteutica supradicto modo ita pereat, vt area solùm maneat, non tenetur emphyteuta domum reædificare, nec antiquam pensionẽ soluere. Idem intelligẽdum est de vinea vel oliueto, vel alia re simili, cuius forma, & substantia, in sola area, salua nõ consistit, sed est talis, vt mutata forma, tota rei substantia perire censetur. Ratio huius est, quia in hoc videtur contractus emphyteuticus cessare, cum tota rei emphyteuticæ substantia pereat. Esto enim maneat area, nõ tamen manet actu pars rei emphyteuticæ, ea enim area non magis actu est pars domus, quam vinea, vel oliuetum, quod ibi plantari potest.

4 Quartò dico, quòd in casu, quo pars emphyteutica per bellum, vel casu fortuito cum

cum Spe eam recuperandi periit tùnc à pensione exigua soluenda, quam Emphyteuta in recognitionem dominij præstabat non liberatur, quia stante hac recuperationis Spe, dominus directus non videtur directum amisisse dominium, tum quia stante hac Spe, si Emphyteuta vellet vendere eius dominium vtile, illius posset reperire emptorem.

5 Quintò, & vltimò dico, quòd si res per culpam Emphyteutæ suprà dicto modo pereat in optione domini est Emphyteutã cõpellere ad ipsius rei ædificationem solutionemque pensionis, vel eumdem ab Emphyteusi removere, & ad interesse agere: potest enim dominus, tunc eum non solùm Emphyteusi expoliare, sed etiam totum damnum ex ea iniusta culpa profectum ab eodem exigere.

QVÆSTIO XXV.

An pensio debeatur, quando res Emphyteutica quæ casu fortuito ex toto periit, denuò cum lapidibus eiusdemmet domus reparetur?

1 RESpon. non debere, nisi denuò in emphyteusim detur. Et ratio est, quia omnis obligatio cum re ipsa perit, nec reuiuiscit, nisi res quoque pariter extincta eadem numero reparetur: at domus denuò reparata non est eadem numero, quæ fuit anteà. Si verò res periit non quidem simul & semel in totum, sed paulatim, & successiuè reparetur, tunc iuxta opinionem meliorem, quæ fundatur super D. Thom. 3. p. q. 82. art. 3. non tollitur pensionis soluendæ obligatio, quia non amittitur forma eius antiqua. Ita Lop. lib. 2. de contract. cap. 36. & Roder. pag. 1. cap. 113

Obiicies, quando aliqua pars rei Emphyteuticæ manet, pensio debetur; at in casu posito, solũ domus prolapsæ manet, ergò.

Resp. per distinctionem hoc modo, aut Emphyteusis constituta est in solo domus aut in domo ipsa. Si primum, pensio debetur, exusta, vel destructa domo. Si secundum, tunc pensio non debetur, quia forma domus non manet; nec pars aliqua domus extat, quia quamuis maneat, solum tota domus periit.

QVAESTIO XXVI.

Vtrùm Emphyteuta alicuius personæ particularis, qui intra triennium non soluit, possit moram soluendo purgare, ne incidat in commissum?

1 RESpondeo non posse, sed statim à suo iure cadit, vt habetur ex lege 2. C. de iure Emphyt. & tradit Mol. d. 455.

Illud tamen aduerte, quod emphyteuta in mora esse intelligitur, etiamsi proprietarius pensionem non exigat, quia vt habet commune Iuristarum proloquium, dies statuta pro domino interpellat.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm Emphyteuta Ecclesiæ, qui biennio non soluit, possit suam moram purgare?

1 RESpondeo posse, si elapso biennio citò satisfaciat Ecclesiæ, vt expressè habetur in c. potuit de locato. Ratio huius est, quia mitiùs agit Ecclesia, quã priuatus cum suo Emphyteuta.

Tum quia Emphyteutæ priuati satis tẽporis videtur indultum ad purgandam moram, cum longius tempus ideò triennium sit sibi per ius ciuile indultum, quod non contingit in Emphyteuta Ecclesiæ, cui breuius conceditur spatium ideò biennium. Molina disp. 453.

QVÆSTIO XXVIII.

Intra quantum tempus debeat Emphyteuta satisfacere, ad purgandam moram?

1 NAuar. c. 17. nu. 192. Couar. lib. 3. var. c. 17. nu. 4. & communis censent hoc esse Iudicis arbitrio relinquendum. Refert autẽ Molina loco cit. in Lusitania legatum quemdam à latere, in quodam euentu particulari iudicasse eum qui intra bimestre moram non purgasset, non purgasset illam celeriter, ac proinde incidisse in pœnam commissi.

2 Quartò Emphyteuta amittit ius suum quando rem Emphyteuticam vendit, aut alienat irrequisito domino lege vlt. C. de iure Emphy. Requiritur enim vt Emphyteuta dominum faciat certiorem, tam de personis ipsis, quam etiam de pretio, vt illi potiùs si velit pro eodem pretio vendatur, quòd si dominus non declaret, an velit emere, expectandus erit per duos menses, alioquin alienatio erit irrita.

QV AE

QVÆSTIO XXIX.

An vt Emphyteuta amittat ius ſuum, ſufficiat quòd res ſit venditа, etiamſi ſecuta non ſit traditio?

1 RESpon. non ſufficere, ſed requiritur quod poſt ipſam venditionem ſubſequatur traditio ipſius rei venditæ. Ratio eſt, quia antè traditionem non cenſetur venditio perfecta, ac proinde alienans non debet ex ea pœnam pati. Rebel. ſuprà quæſt.4. & Couar. lib.2.var. cap. 16.n. 7.qui dicit communem.

Adde ſi plures ſint domini directi eiuſdem rei Emphyteuticæ, & vnus conſentiat venditioni, alter verò nō, non cadit à toto iure Emphyteutico, ſed tantùm pro parte, quæ eſt illius, qui non conſenſit,non enim plùs debet puniri, quam deliquerit.Rebel. q.4.Sylueſt. verb.Emphy.quæſt.15.& communis.

2 Hinc ſi alienatio facta per Emphyteutam iuris Emphyteutici eſt nulla, eſto facultas domini deeſſet, per eam alienationem non incideret in commiſſum. Ratio eſt, quia alienatio nulla, neque eſt alienatio perfecta, nec propriè appellari poteſt alienatio.

QVÆSTIO XXX.

An ſi Emphyteuta rem vendat, aut tradat ſub hac conditione, ſi dominus conſenſerit, aut ſaluo domini conſenſu, incidat in commiſſum?

1 RESpond.non incidere.Ratio eſt,quia venditio ſub hac conditione facta nō eſt perfecta & conſummata, niſi quādo impleta fuerit conditio. Hoc idem dicendum eſt de donatione,vel quauis alia alienatione conditionali:huiuſmodi enim conditio ſuſpendit alienationem, quouſque domini conſenſus habeatur.

3 Neque arbitror neceſſarium eſſe, poſtquàm Emphyteuta dixit, ſe alienare ſaluo, & reſeruato domini conſenſu,aut ſub conditione,ſi conſentiat, addat, & non aliter, neque alio modo,vt cum Baldo, Iul. Clar. & aliis opinatur Rebel. q.4. quoniam hæc verba poſteriora virtute continentur in illis prioribus, neque eſt ius aliquod, vnde colligatur debere addi, vt Emphyteuta a pœna commiſſi liberetur.

QVÆSTIO XXXI.

An ficta traditio poſſeſſionis ſufficiat ad hoc vt Emphyteuta cadat à iure ſuo? v.g.ſi fiat per clauſulam conſtituti,qua vendens, etiāſi adhuc retineat rem, tamen non nomine proprio, ſed alieno rem illam retineat?

1 MVlti relati à Tiraquel. 4. p. lib. de conſt.limit.c.16.n.2.negant. Quam ſententiam cenſet eſſe veram de æquitate Iul.Clar.ſup.quæſt.13.

Alij verò affirmant, ducti ea ratione, quia ficta traditio eſt verè traditio virtualis,ſiue virtute realis, ergo effectum realis operari debebit.Ita Molina diſp.459.

2. Prior tamen ſententia probabilior multò eſt, & magis recepta inter Doctores, quàm rectè,& efficaciter probat Rebel.loco citato quia cùm hæc materia ſit pœnalis,& odioſa,obligatióq; Emphyteuſis ſtricti iuris ſit, non debet extendi, præſertim quo ad totam pœnam, maximeque contra reum, & poſſeſſorem, quibus in dubio fauendum eſt. Vnde etiam ad pœnam commiſſi euadendam, quælibet colorata cauſa admittitur.

QVÆSTIO XXXII.

An Emphyteuta qui irrequiſito domino vendidit, & omnino alienauit ius Emphyteuticum,atque adeò incidit in commiſſum, & poſteà ſtatim illud recuperet, liberetur à commiſſo?

1 REbel.pag.2.de oblig.lib.13. quæſt.4. putat liberari.

Sed oppoſitum quod tenent Molina diſp. 459.Roder.p.1.ſum.cap.113.& Sylueſt.verb. emphy.q.5. eſt veriùs Et ratio eſt, quia ius ſemel perfectè ea de cauſa acquiſitum proprietario, non poteſt ab eo auelli abſque eius culpa.

QVÆSTIO XXXIII.

An Emphyteuta in commiſſum incidat, ſi ex implicito præſumptóne domini conſenſu rem alienat?

1 RESpondeo non incidere. Ratio eſt, quia cum iura denuntiationem exigunt

Digitized by Google

gunt, vel alienationem negant, totum in fauorem domini, ac vt ipsius iuri satisfiat, ita disponunt, vt omnes Doctores tradunt: ergo quotiescunque dominus reuerà est contentus non est vnde culpam saltem cõtra Iustitiam committat, vbi verò culpa nõ est, pœna locum non habet.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui non totam rem emphyteuticam, sed partem alienauit irrequisito domino, incidat in commissum totius iuris?

1 REbel. pag. de oblig. lib. 13. q. 4. simpliciter, & absolutè tenet hunc non incidere in commissum, quia solius partis alienatio, non censetur perfecta emphyteusis alienatio, dispositio autem pœnalis ad imperfectam alienationem non debet extendi.

Molina disp. 459. tenet hunc incidere in commissum totius iuris.

At verò Iul. Clar. li. 4. sent. §. Emphyteusis q. 13. censet non incidere in commissum totius iuris, sed tantùm partis alienatæ.

2 Cæterum mihi videtur secunda opinio esse vera in illis regionibus, vbi res Emphyteutica est indiuidua, in aliis verò locis, vbi est diuidua, veram esse arbitror opinionem Molinæ.

QVÆSTIO XXXV.

An absque domini consensu possit emphyteuta vendere melioramenta, quæ ipse suo labore & industria in re emphyteutica fecit?

1 REspondeo non posse. Ratio est, quia in his etiam melioramentis præferendus est dominus, si ea velit emere, quia sunt melioramenta facta in re, cuius ipse sibi dominium directum reseruauit.

QVÆSTIO XXXVI.

An emphyteutæ liberum sit ius suum videlicet vtile dominium, meliorationesque illius alteri donare, domino non admonito?

1 IN qua re cõuenit inter omnes, fàs esse emphyteutæ ius suum alteri donare causa mortis, vel legare, irrequisito domino, quia ea traditio non censetur propriè donatio, cum emphyteuta à se superstite non alienet, sicut nec alia bona, quæ per testamentum, siue ab intestato hæredibus relinquit.

Sed quod habet difficultatem est, de donatione inter viuos.

2 In qua etiam quæstione verum est, id esse licitum quando emphyteusis est secularis. Ratio est, quia cum ibi non agatur de pretio, ob quod præferri debeat proprietarius, si illam dare velit, neque emphyteuta teneatur gratis rem emphyteuticam illi potius concedere quàm alteri, non est, cur tunc necesse sit illum admonere, quemadmodum admonendus est, quando res venditur. At necesse est, vt donatio fiat saluo iure domini, & vt fiat ei, in quem transire res Emphyteutica possit, & ne donatarius possessionem rei apprehendat citrà domini voluntatem: ac proinde antè traditionem est dominus requirendus, vt in possessionem mittat nouum Emphyteutam, & duobus mensibus domini responsum expectare, alioqui à suo iure caderet. Hoc autem ideò necessarium est, quia dominus habet ius exigendi à donatario fidem, & promissionem de pensione debito tempore soluenda, & recipiendi etiam ab eo certum quid, vt eum finat possessionem nanciscì. Ita Sylvest. verb. emphyt. quæst. 16. & alij communiter.

Sed tota concertatio consistit, quando emphyteusis est Ecclesiastica.

Barth. negat conuictus ex lege vniuersas, C. ne rei dominicæ, &c.

3 Sed oppositum quod tenet communis Doctorum sententia est verius, dummodò non donet vt rem propriam, sed exprimat se donare saluo iure Ecclesiæ. Nam lege vniuersas, citata solum prohibetur donare Ecclesiæ tanquam propriam, nulla facta mentione Ecclesiæ.

QVÆSTIO XXXVII.

An emphyteuta possit ius suum in dotem tradere?

1 REbel. pag. 2. de oblig. lib. 13. q. 5. negat eo fundamento, quia ea traditio est propria, & perfecta alienatio.

Verum contraria est communis, & certa, vide Sylvest. verb. emphyt. q. 17. Azor. p. 3. instr. mor. lib. 10. cap. 8. & Mol. disp. 461.

QVÆ

QVÆSTIO XXXVIII.

An emphyteuta possit ius suum in solutum dare, vel cum alia commutare, citra domini consensum?

1 MOuet hanc difficultatem Azor.p.3.lib.10.c.8.cui respondet affirmatiuè. Cogitur tamen in hoc casu emphyteuta dominum monere, vt rei possessionẽ tradat ei, cum quo commutauit &c. rem emphyteuticam, vt ille dominũ agnoscat, laudemium soluat,& se obliget ad pensionem reddendam quotannis. Et hoc locum habet tum in sæculari,tum etiam in Ecclesiastica emphyteusi,

QVÆSTIO XXXIX.

Ex qua culpa emphyteuta teneatur?

1 RESp.ex dolo, & culpa lata,& leui, Ratio est, quia in contractib. qui vtilitatem vtriusque dantis,& accipientis concernunt, non solum de lata culpa sed etiam de leui, non tamen de leuissima contrahentes tenentur : atqui emphyteusis fit in vtriusque vtilitatem, ergo.

Quintò emphyteuta amittit ius suum, quando dolo, vel culpa lata, vel leui facit rem deteriorem, & quidem extra controuersiam est,quando emphyteusis est Ecclesiastica, vt habetur expressè ex auth. de alien.

Verùm tota vis dubitationis consistit de emphyteusi sæculari?

Multis visum est,& viris quidem doctis, hunc non incidere in commissum.

2 Sed verius ac probabilius multo est, quod docet Mol.disput.457. Sylvest.qu.5.& alij,scilicèt hunc in pœnam commissi labi. Ratio est, quia melioratio est causa finalis emphyteusis, & cessante causa finali,cessat effectus.

Tum quia axioma dictat,quod frangenti fidẽ,fides frangatur eidem. Quod intelligitur, quando deterioratio est notabilis in ipsa substãtia rei emphyteuticæ, & perpetua,non enim pro modica cõceditur resilio cõtractus,vt si aliquot annis non putetur vinea,vnde venit eius perditio in totum, nam tunc à iure caderet.

3 Hinc emphyteuta hanc pœnam non incurrit,si damnum sit illatum fructibus,non verò rei emphyteuticæ,vt si quia nõ coluit prædium,nullos fructus attulit.Nec item si emphyteuta incidat Syluam, vel arbores cæduas, quæ succisæ solent iterum pullulare : nec si aliquas arbores succidat, loco earum alias fructiferas plantet,vel inserat. Ratio horum est,quia emphyteutæ obligatio non est de fructibus conseruandis, sed de re emphyteutica conseruanda,quare licebit prædicto modo vt eiusmodi arboribus,quæ pro agri fructibus censentur, nec enim graue detrimentum in dominum posteà redundat.

4 Sed duo hic aduertenda sunt. Primum est, quod vt emphyteuta à iure suo cadat, non opus est, vt per actum commissionis rei emphyteuticæ damnum inferat, sed sufficit, quòd omissione, siue negligentia cauendi ea, quæ nocere solent, delinquat, vt si extirpationem vineæ, vel domus ruinam non impediat,cum possit.

Secundum est, cum huiusmodi lex sit pœnalis, non obligat in conscientia, nisi dominus velit,vt pœna commissi incurratur,vt communis Theologorum schola fatetur. Quare dum dominus non declarat se velle exigi pœnam commissi, tutus est emphyteuta in conscientia perseuerando in emphyteusi. Imò si antequam dominus exigat pœnam,moriatur, vel emphyteuta, vel ipse dominus, à pœna commissi excusatur,vt docet Nauar.c.23.num.104.

5 Ex quo fit,vt si dominus per totam suã, vel emphyteutæ vitam nõ exigat pœnam, præsumitur remisisse, vt tradit Rebell.p.2. de oblig.lib.13.q.10.

Sexto cadit à suo iure, quando emphyteuta decedit sine liberis legitimis,relictis tamen naturalibus. Quod intelligitur esse verum,quando emphyteusis data est ab Ecclesia, præsumitur enim tunc quod Ecclesia de illegitimis non cogitauerit,tum propter eorum indignitatem.Tum quia haberi non possunt sine peccato. Secùs autem quando res emphyteutica data est à priuato, quia tunc ad illegitimos in tali casu traducetur.

6 Sptimo,& vltimo, quando is qui accepit rem in emphyteusim,sibi,& filiis hæredibus,& filij hæreditatem refutarunt. Sylvester.verb.emphyteusis q.5.

QVÆSTIO XL.

An si emphyteuta in commissum incidat, amittat ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit?

1 REspondeo illa eum amittere, vt colligitur ex l. 2. C. de iure emphyt. Et ratio huius est, quia emphyteuta ex ipso contractu cogitur rem meliorem efficere. Ita Molina disp. 455. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 13. q. 2. & communis. Quam communem opinionem censent esse veram Gregor. Lop. l. 28. tom. 8. p. 5. & Mol. loco citato in melioramentis, & sumptibus communibus & ordinariis, ad quæ vi contractus tacitè, aut expressè tenetur; non autem de insolitis, & magnæ extimationis, & pretij, vt si ædes in prædio emphyteutico construeret, aut molendinum, vel aliud simile extra ordinariũ, & magni sumptus, hæc enim non amitteret emphyteuta in cõmissum incidens. Atque ita refert Aluar. Valas. de iure emphy. q. 25. se vidisse iudicatum in Lusitano Senatu. Sed huius oppositum defendit Rebell. supra allegato vbi dicit communem.

QVÆSTIO XLI.

An emphyteuta possit repetere expensas, quas fecit in re emphyteutica?

1 REspondeo nõ posse, etiamsi absq; eius culpa emphyteusis finiatur, sed de suo eas facere tenetur, si modicæ sint, cuiusmodi sunt, quæ causa colligendorum, aut conseruandorum fructuum adhiberi solent; quia cum fructus eius sint, ad eum quoque pertinent impensæ in fructibus colligendis vel conseruandis factæ, impensas tamen magnas in re emphyteutica potest repetere finita emphyteusi citra tamen eius culpam, vt cum communi resoluit Reb. pag. 2. de oblig. lib. 13. q. 2.

QVÆSTIO XLII.

Dices. Quænam dicendæ sint hoc loco paruæ, quænam magnæ expensæ comparatione rei ac fructuum?

1 REspondeo eas modicas esse arbitror, quæ rei perpetuam vtilitatem non concernunt: è contrario verò magnas esse censeo, quæ rei comparatione sunt notabilis valoris, & finita emphyteusi perpetuam rei vtilitatem respiciunt, ne alioquin cum iactura aliena contra Regul. iuris in 6. locupletetur dominus, vt tenet Rebell. loco supra citato.

QVÆSTIO XLIII.

An si res emphyteutica augeatur, propter hoc augeri debeat pensio?

1 REspondeo non debere. Et ratio est, quia cum emphyteuta causa meliorandi prædium, eius susceperit dominium, recta ratio petit vt omne incrementum indistinctè pertinere debeat ad eum.

QVÆSTIO XLIV.

An liceat emphyteutæ locare rem emphyteuticam irrequisito proprietario?

1 COuar. lib. 2. var. c. 16. num. 2. affirmat ea ratione, quia in odiosis, vt est ad effectum, vt pœna commissi incurratur, alienatio sumi debet strictè, & propriè.

Alij verò vt Iur. Clar. lib. 4. sent. §. emphy. q. 19. Gemma decis. 26. nu. 5. & Aluar. Valas. de iure emphyt. q. 29. nu. 23. negant.

2 Sed cum hac distinctione melius respõderi mihi posse videtur, ad breue tempus fas est emphyteutæ locare rem emphyteuticam domino certiore non facto, quia locatio ad breue tempus non censetur propriè, & perfectè alienatio. Ad longum verò tempus non licet, quia talis locatio censetur propriè alienatio.

Tum quia locatio ad longum tempus verè est emphyteusis, transfertque dominium vtile: emphyteuta autem inconsulto proprietario rem emphyteuticam alteri in emphyteusim dare non potest, alioquin in commissum incidit, vt cum communi tradit. Iul. Clar. q. 22. §. emphy. & Valasc. de iure emphyt. q. 13. nu. 11. vbi affirmat ita seruari in praxi.

Ad longum verò tempus satis esse decennium omnes Doctores affirmant. Item longum tempus censetur, si locatio fiat ad vitam locatoris, vel conductoris, siue quandiu locator, vel conductor velit.

QVAEST.

Digitized by Google

QVÆSTIO XLV.

An emphyteuta, qui non soluit pensionem tempore à iure præscripto, ipso facto commissi pœnam sustineat?

1 REspondeo ipso facto sustinere, in casu quo dominus vult, vt emphyteuta rem emphyteuticam amittat. Ratio est, quia istud verbum omninò præcisum verbum est, sicut ista particula mox, & statim. At verbum præcisum adiectum verbo de futuro ipso iure videtur sonare iuxta Barth. & omnes scribentes in l. iubemus C. de sacrosanct. Eccles. Hîc autem vtitur hoc verbo omnino in auth. de non alien. §. scire autem; ergo. Ita Lop. lib. 2. de contr. c. 29. Sylu. verb. emphy. n. 3. & Azor. 3. p. inst. mor. lib. 10. c. 19. dicit esse communem.

2 Illud tamen admonuerim, quòd omnia iura, quæ pœnam imponunt ipso iure, vel facto, debent intelligi modò secuta sit sententia declaratoria, per quam declaratum sit fuisse commissum id, propter quod illa pœna veniebat imponenda, alias illa pœna suum effectum, & executionem non sortiatur, vt cum Soto, & Sylvest. resoluit Lop. lib. 2. de contract. cap. 30. Quæ tamen regula fallit in pœna excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & aliorum similium, quæ executionem Iudicis non requirunt, atque adeò Iudicis sententia declaratoria super pœnam, aut super crimen non indigent, vt in conscientia statim incurratur, vt docet Nauar. c. 25. nu. 117. & 118.

QVÆSTIO XLVI.

An emphyteuta, qui oò suam culpam in commissum incidit, expelli à proprietario possit authoritate propria, nulla expectata Iudicis sententia?

1 ANgel. verb. emphyt. num. 42, Rebell. p. 2. de oblig. lib. 15. qu. 12. & multi alij docent, non posse, nisi Iudicis authoritate, & officio.

2 Communis tamen Doctorum sententia affirmat ius esse domino propria authoritate emphyteutam à rei possessione amouere, quamuis melius foret, si ex præscripto Iudicis fieret, ad euitanda scandala. Et ratio est, quia eo ipso quòd emphyteuta commissi pœnam contrahit, res desinit eius esse, & ad dominum redit, & vtile dominium, quod emphyteuta habet, cum proprietate consolidatur. Ita Sylvest. verb. emphy. num. 3. Rosel. ibidem num. 8. Gutier. de iur. confir. p. 1. cap. 31. numer. 2. & Salon. 2. lib. de contr. disp. de censibus, art. 2. Hanc opinionem esse communem testantur Iul. Clar. 4. senten. §. emphyt. quæst. 11. & Greg. Lop. leg. 28. tom. 8. par. 5. vbi dicunt eam locum habere, quando emphyteuta domino non resistit, aut causas non habet, quibus contra dominum aliquid excipiat, aut litem, vel rixam excitet: nam quando res est controuersa, neutra pars debet sibi ius dicere aduersus alteram partem, sed opus est Iudicis authoritate, qui emphyteutam aliquid excipientem & opponentem audiat, & dissidium, & litem dirimat, rixam componat.

3 Cæterùm prima opinio mihi videtur verior, pro qua non solùm æquitas pugnat, sed etiam consuetudo, quæ vbique terrarum communi opinioni anteponenda est. Tum quia præterquàm quòd opposita scâdalosa videtur, & paci Reipublicæ aduersa, non est verisimile hac in re non requiri saltem declaratoriam criminis sententiam, vt rectè ex aliis notauit Immola ad l. Si quis maior C. de transactionib. Cum fortè non soluerit emphyteuta rationabili de causa.

Tum quia expulsio authoritate domini facienda, cum det materiam rixæ, fugienda est.

Tum demum, quia emphyteuta habet ius possessionis in re illa, vt patet ex l. 1. ff. si ager vectig. ergò non est illa actu, & de facto expoliandus, & ab illa expellendus, nisi præcepto Iudicis.

QVÆSTIO XLVII.

Quo anni tempore emphyteuta teneatur soluere pensionem?

1 REspondeo in fine anni, quando nihil aliud ex pacto, vel consuetudine loci habetur, vt testatur Iul. Clar. Quarto sent. §. emphyt. quæst. 12.

QVÆSTIO XLVIII.

An laudemium sit domino directo soluendum, dum res emphyteutica ad alium transit per venditionem.

1 REspondeo affirmatiuè, vt habetur ex l. vlt. C. de iure emphyt. Huiusmodi autem laudemium soluitur pro consensu præstito à domino emphyteutæ, vt alteri possit alienare. Et dicitur laudemium à verbo laudo, quia teste Alciato in Parergis, antiqui vsurpabant pro approbare, vnde dictum esse videtur, laudemium laudatiuum, quemadmodum à dono donatiuum, quia nimirum, emphyteticarius, cum de consensu domini rem alienat, & certam pretij partem domino soluit pro noua inuestitura, tunc dominus laudat, hoc est approbat venditionem, & emphyt. renouat.

QVÆSTIO XLIX.

Quis teneatur ad solutionem laudemij, emphyteuta qui vendit, an qui acquirit rem ipsam emphyteuticam?

1 REspondeo emphyteutam, qui rem emphyteuticam vendit, teneri soluere laudemium domino directo, vt cum communi docet Nauar. c. 23. nu. 65. Contraria est prius apud Gallos; nam emptor tenetur soluere laudemium.

QVÆSTIO L.

An si res emphyteutica in alterum transeat per donationem, vel legatum, laudemium debeatur?

1 AZor. p. 3. instr. mor. lib. 10. cap. 15. affirmat.

2 Sed oppositum quod tenent Sylvest. verb. emphy. quæst. 21. §. 28. Nauar. cap. 23. num. 65. & Lop. lib. 2. de contract. cap. 32. verius. Et ratio est, quia laudemium debetur à vendente tam in foro exteriori, quam interiori, quia est pars pretij, propter quod emphyteusis fuit minori pretio concessa, sed in donatione, vel in institutione hæredis nullum accipitur pretium, ergò nulla soluenda est pars pretij, ac per consequens neque laudemium.

QVÆSTIO LI.

Quota pars pretij alienationis rei emphyteuticæ, in laudemium sit soluenda directo domino?

1 REspondeo Iure Cæsareo esse quinquagesimam partem pretij l. fin. C. de iure emphyt. tamen de more est introductum vt trigesima pars in laudemium soluatur, quæ secundum Host. debet seruari. Imò vt attestatur Garc. lib. 2. de contract. vsu receptum est, vt solum decena, vel quinquena pars pretij recepti in laudemium soluatur. Lop. lib. 2. de contract. c. 32. Aduertat lector hîc, habendam esse rationem consuetudinum, & decretorum seu statutorum locorum, & Prouinciarum circa solutiones Laudemiorum.

QVÆSTIO LII.

An lex de soluendo laudemium sit pœnalis, ita vt non debeatur in conscientia nisi post Iudicis sententiam?

1 REspondeo non esse tam pœnam, quàm interesse domini directi, qui ob id rem emphyteuticam minoris vendidit, quia partem pretij, dum venderetur, posteà recepturus erat, ideò in vtroque foro debetur, vt docet Nauar. c. 23. num. 65. & Lop. lib. 2. de contr. c. 32. & de huiusmodi contractu hæc nobis sufficiant.

DE FIDEIVSSIONE.

DISPVTATIO DVODECIMA.

DE hac materia differunt Theologi in quarto, distinct. 15. Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 2. Azor. p. 3. instr. mor. lib. 11. c. 1. Sot. lib. 6. de iust. qu. 1. ar. 2. Mol. tom. 2. de contr. disp. 559. Less. lib. 2. de iust. c. 28. dub. 1. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica, Lop. lib. 2. de contract.

Digitized by Google

de contract. cap. 17. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. à num. 146. Salon. tom. 2. de contr. disp. de fideiussione. Conrad. de contr. q. 40. Med. de rest. q. 4. Nauar. in Man. c. 17. nu. 285. Cou. lib. 3. var. cap. 2. Summistæ vero vt Ang. Syluest. Tab. Armil. & alij verb. fideiussor. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit fideiussio?

1 REspondeo quod est contractus, quo quis pro alieno debito fidem suam obstringit, ita vt principali debitore non soluente, ipse satisfacere creditori teneatur. Vnde fideiussor dictus est à fide, & iubeo, quoniam antiquitus contractus fideiussionis hoc modo fieri solebat, fide tua id esse iubes, hoc est, suscipis, ad quod se Titius mihi adstringit? respondebatque fideiussor, quod suscipiens in suam fidem, hoc est in suum periculum impletionem obligationis alterius, atque in illius defectum ad eam se adstringens.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit fideiussio?

1 REspondeo duplex, iudicialis, & extra iudicialis. Iudicialis est, cum quis se astringit ad restituẽdum reum carceri, vel Iudici, quando opus fuerit, vel fuerit requisitus, quo tunc ita restituto ad amplius non tenetur, eo verò aufugiente tenebitur ad eam pecuniam persoluendam sub qua fidem suam astrinxit. Extra iudicialis verò est, cum quis fidem suam obligat, se creditori soluturum, si principalis debitor non soluerit.

QVÆSTIO III.

Quot modis fideiussor possit se obligare?

1 REspondeo duobus. Primo modo tanquàm principalis debitor, ita vt ex æquo ipse & principalis debitor sint in solidum obligati: & tunc integrum est creditori tam in foro fori, quàm in foro poli, exigere debitum primo loco à fideiussore, principali debitore non requisito. Secundo verò modo potest se obligare non tamen vt principalis debitor ex æquo, sed solùm vt teneatur debitum soluere principali debitore non soluente; & tunc non potest creditor ab illo exigere, nisi præcipuo debitore, cum possit, non soluente, & facta prius discussione in bonis illius.

QVÆSTIO IV.

Quisnam possit pro alio fideiubere?

1 REspondeo eum omnem, qui habet bona debitis, pro quibus se obligat soluendis sufficientia, & liberam eorum administrationem, potestque facilè coram Iudice conueniri, posse pro alio fideiubere.

Ex quo colligitur, tria desiderari, vt quis sit idoneus fideiussor. Primum vt habeat bona sufficientia, vnde soluat debitum, cui suam astringit fidem.

Secundum vt liberam suorum bonorum administrationem habeat.

2 Tertium vt præcipuo debitore non soluente, possit ille facilè coram Iudice conueniri.

Hinc, filij familias qui non habent in bonis, vnde aliorum debita persoluant, non possunt pro aliis fideiubere, nisi habeant bona castrensia, vel quasi castrensia, vel creditor sciens, & prudens velit illum sic egentem in fideiussorem admittere.

Similiter pupilli, & quicunque alij sub alterius cura cõstituti, & amentes non possunt esse fideiussores, quia non habent suorum bonorum administrationem, nec contractus eorum censentur validi.

QVÆSTIO V.

An Religiosus possit esse fideiussor pro alio?

1 REspondeo non posse cap. penult. de fideiussor. cum nihil habeat suum, vnde possit pro alio soluere, & si secùs faciat, fideiussio non valet, sed puniri debet. Poterit tamen Religiosus fideiubere de cõsensu maioris partis capituli, & superioris sui facultate; alioqui non tenetur conuentus pro eo satisfacere, nisi quatenùs versum in eius vtilitatem, vt habetur in cap. Quibusdam de fideiussor. Similiter

nec Prælatus ſine conſenſu maioris partis capituli, niſi in re parua, de qua per ſe poteſt diſponere, vt ibidem decernitur. Et tradit Sylueſt.verb.fideiuſſor nu.4.Leſſ.li.2. c.28.dub.1.& Lop.lib.2.de contr.c.17.

2 In religione verò, in qua res capitulariter non geruntur, ſufficit facultas eius, qui ſecundùm propria ſtatuta, & priuilegia poteſt ad id eam concedere in ſocietate Ieſu.

QVÆSTIO VI.

An mulieres poſſint eſſe fideiuſſores?

1 REſpondeo non poſſe, propter ſexus fragilitatem, ita vt neque pro viro ſuo illud vxor poſſit l.2.ff. ad Senat. Conſult. Neque pro aliquo alio.l.quamuis.ff.ad Velleianum,& ſi fide iubeat, fideiuſſio non valet, ope exceptionis Senatus Conſulti Velleiani, ſi eo priuilegio, ac exceptione mulier quæ fideiuſſor extitit, vti velit, vt poteſt, non ſolùm in exteriori, ſed etiam in conſcientiæ foro. Ita Rebel.p. 2. de oblig. li.16.q.vnica.& Sylu.verb.fideiuſſor.q.2.

Caſus tamen excipiuntur aliqui, in quibus mulier fideiubere validè poteſt.

2 Primus quando pro libertate alicuius mancipij ſe obligat ad aliquid ſoluendum, vel fideiuſſor exiſtit.l.penult.C.ad Velleianum.

Secundus, quando fideiuſſor exiſtit pro re in dotem alicui promiſſa.l. vlt. C. ad Velleianum.

Tertius, quando poſtquàm fideiuſſionem præſtitit, vel pro alio ſe obligauit, elapſo integro biennio pignus dedit, aut obligationem innouauit, tunc enim maturo conſilio id videtur facere, & rem ſuam agere, l.ſi mulier 2. C.ad Velleianum.

Quartus quando certum pretium recipit, vel quid aliud pretio æſtimabile pro fideiuſſione alteri præſtanda. l. antiquæ C. ad Velleianum.

Quintus quando creditorem decipiendo fideiubet, vt ſi veſtibus virilibus induta virum ſe eſſe ſimularet.l.2.& l.ſi decipiendo ff.ad Velleianum.

Sextus, quando tantumdem debiti pro ſuo creditore in ſe ſuſcipit, quantùm ipſa illi debet.l.ſi mulieri dederim l.debitrix.ff. ad Velleianum.

Septimus & vltimus, quando fideiuſſionem iuramento confirmat. extra de iureiu. Cap.ſi vero. Ita Lop.lib. 2. de contr. c.17.Salon.tom.2. de contr.diſp.de fideiuſſ. & alij.

3 His tamen caſibus exceptis, ſi mulier fideiubeat, non tenetur ex illa fideiuſſione tam in foro fori, quam in foro poli aliquid perſoluere, & ratio eſt, quia cum contractus ille ita iure prohibeatur, vt efficiatur omninò nullus, & inualidus, ex contractu autem omninò nullo, nulla naſcitur obligatio tam in foro exteriori, quàm in foro conſcientiæ. Vnde ſi cauſa huius fideiuſſionis aliquid ſoluit, creditor tenetur ei illud reſtituere, tanquàm acceptum à non debitore, vt rectè docet Leſſ. lib.2. de iuſt.c.28. dub.1. Apud Gallos mulier de licentia viri fideiubere poterit, quinimò etiam liber modò ſit prouectæ ætatis.

QVÆSTIO VII.

An Mulier poſſit non vti beneficio Velleiani?

1 REſpondeo poſſe, & hoc in tribus caſibus. Primo ſi expreſsè huic priuilegio renunciauit; quiſque enim poteſt renunciare iis, quæ in ſuum fauorem ſunt inducta. Verùm non ſufficit ſimplex renunciatio in inſtrumento (eadem enim facilitate, qua mulier inducitur ad fideiubendum, induci poteſt ad renuntiandum huic priuilegio, & ſic eſſet nullius momenti, vt optimè annotauit Molina diſp.540.) ſed exigitur vt fiat coram Magiſtratu.

Secundo ſi iureiurando ſuam fideiuſſionem confirmauit, tunc enim tenetur implere, etiamſi ſuum priuilegium ignoraret, dum iuraret.

2 Couar.tamen in cap. quamuis pactum p.2.§.3.nu.5.cum multis aliis, quibus accedit Sanch.lib.4.de matrim.diſp.9.nu.15.putat eam hoc caſu poſſe vti hoc priuilegio Velleiani. Quia iuramentum non ſe extendit ad incognita.

3 Sed contraria ſententia eſt communis, quia quæ mulier iureiurando promittit ſe impiere fideiuſſionem, intelligit omnino ei implere, quo ad ſe attinet, ac proinde nullo vtendo ſuffragio: vnde implicitè renunciat etiam huic priuilegio. Ita Molina diſp. 540. Quod cenſet eſſe verum Leſſ.loco cit. in caſu quo mulier ſi ſciuiſſet priuilegium, ſim-

Digitized by Google

similiter iureiurando se astrinxisset implere fideiussionem, vt regulariter euenit.

Tertiò si pretium pro fideiussione accepit. Ita Mol. disp. 540. vide alios casus minoris momenti apud Sylvest. verb. fideiussor num. 5.

QVÆSTIO VIII.

An clericus possit fideiubere pro laico?

1 REspondeo non posse, quia est ei prohibitum 11. quæst. 1. can. Te quidem, & cap. 1. de fideiuss. Si tamen fideiubeat, licet peccet fideiubendo, fideiussio tamen tenet vt colligitur ex cap. perueniet. Multa enim sunt, quæ licèt prohibeantur fieri, facta tamen tenent. Debetque, debitore præcipuo non soluente ille soluere ex suo patrimonio, vel fructibus, quos percipit ex suo beneficio. In carcerem tamen clericus pro fideiussione tradi non potest. Mol. to. 2. de contr. disp. 540. & Rebel. p. 2. de oblig. lib. 16. quæst. vnica.

2 Hanc tamen prohibitionem eos tantùm clericos incurrere vult. Less. loco cit. qui frequenter fideiubent pro laicis quia non habet textus, vt clericus fideiubens abiiciatur à Clero, sed fideiussionibus inseruiens, id est assiduè illas præstans, idque fortè ob quæstum.

Alij verò rectiùs docent, nullo modo posse clericum fideiubere pro laico, præterquàm in casu necessitatis, in quo sicut debet subuenire indigenti, ita quoque potest in eo casu fidem suam pro illo iubere, exercetque tunc opus pium. Vt cum Sylu. & Armil. resoluit. Eman. Sà verb. fideiussio num. 7.

QVÆSTIO IX.

An clericus possit fideiubere pro alio clerico vel Ecclesia?

1 REspondeo posse. Vt cum communi tenet Sylvest. verb. fideiussor. quæst. 3. & tradit. Eman. Sa. verb. fideiussio, num. 7.

QVÆSTIO X.

An fideiussor licitè possit exigere pretium à debitore pro fideiussione?

1 REspondeo posse. Et ratio est, quia huiusmodi lucrum, siue pretium non exigitur ex mutuo, quo fideiussor soluendo pro debitore, pecuniam ei mutuet, sed ex obligatione, qua se obligat ad soluendum pro debitore, & qua se obligat ad mutuandum ipsi debitori, vt habeat pecuniam, qua suo creditori satisfaciat: huiusmodi autem obligatio est pretio æstimabilis, ergo fideiussor non tenetur gratis hanc obligationem suscipere pro debitore. Sic Illustriss. Caiet. 2.2.q.78.ar.2. Sot. lib. 6. quæst. 1. ar. 2. Couar. lib. 3. var. cap. 2. num. 6. Nauar. c. 17. num. 285. & in com. de camb. in principio.

QVÆSTIO XI.

An quando fideiussor in fideiubendo nihil periculi subit, nec molestiam, aut laborem patitur moderatum aliquod pretium recipere possit pro fideiussione?

1 COuar. lib. 3. var. c. 2. nu. 6. & Sylvest. vbi suprà negant in hoc casu posse pretium aliquod pro ea recipere.

2 Sed communis opinio est, absolutè, & in vniuersum licere pro fideiussione pretium aliquod accipere, etiamsi nullum ex illa fideiussione periculum fideiussori immineat, modò nulla interueniat fictio, vel dolus in fraudem vsurarum, aut collusio inter creditorem, & fideiussorem. Ratio est, quia in fideiussione semper existit aliquod periculum vel damnum pretio æstimabile. Nam vel se exponit periculo fideiussor soluendi pro debitore, cum rerum temporalium euentus adeò varij sint, & periculosi: vel incurrit saltem hoc damnum, etiamsi nullum immineat ei periculum, vt fides ipsius, & bona eius, ad alios contractus deinde exercendos non tanti habeantur propter obligationes anteriores ex illa fideiussione, contractas.

Tum quia fideiussor non solùm exigit pretium propter periculum iacturæ vel damni sui, vel propter laborem, & molestiam in soluendo pro debitore vt putant authores primæ opinionis, sed etiam propter obligationem, quam in se suscipit ad soluendum pro debitore, quæ obligatio cũ ciuilis sit, est sua natura pretio æstimabilis, quemadmodum obligatio qua quis se obligat ad laborandum in fundo alicuius,

etiamsi fiat sub eodem stipendio quod à quocunque alio reciperetur:vel obligatio qua quis se obligat ad deferendum triticum ad molendinum alicuius,etiamsi molendinum illud minùs distet,quàm alia,nec maius pretium in eo recipiatur, quam in aliis,est pretio æstimabilis.Ita Mol.d.319.

3 Dices,secluso periculo,maius beneficiũ præstat mutuans,qui pecuniam suam alteri illa indigenti confert, quàm fideiussor,qui solo verbo pro illo spondet;at pro mutuo non licet aliquid accipere absque nota vsuræ,ergò neque pro fideiussione.

Respondeo mutuantem nihil posse accipere pro mutuo, quia mutuum est actio quæ ex natura rei,non habet pretium, sed debet gratis fieri iuxta illud,mutuum date, nihil inde sperantes. At fideiussio cum cõtineat periculum aliquod, vel saltem obligationem ciuilem, quæ est pretio æstimabilis, tuta conscientia potest illud pro ea exigi.

QVÆSTIO XII.

An creditor licitè possit aliquod pretium accipere vt fideiussorem liberet ab obligatione, qua se obstrinxit fideiubendo pro debitore?

1 ET quidem conuenit inter omnes, posse licitè exigere,si dubia sit solutio debiti, quam debitor tenetur facere creditori.

Sed tota concertatio est, si certa sit debitoris solutio, ita vt nullum periculum immineat fideiussori.

2 Couar.lib.3.var. resolut.c.2.nu.6.negat.

Alij verò rectiùs affirmant, cũ ea obligatio onerosa sit ex se,ac pretio æstimabilis,reddatque mutuantem vsurarium,si sub ea lege pecuniam mutuet, vt omnes Doctores tradunt, non secùs ac obligatio veniendi ad mutuantis gymnasium sub solito stipendio.Ita Rebell.lib.16.q.vnica.

QVÆSTIO XIII.

An si fideiussor creditori vsuras soluat, à debitore eas repetere possit?

1 REspondeo si fideiussor spontè, & sine obligatione, & consensu debitoris vsuras soluit, eas à debitore nullo pacto repetere poterit;suæ enim culpæ imputari debet, si aliter quàm debuit, fecit. Secùs verò si cum iuramento,vel sine illo, de consensu debitoris soluere vsuras promisit, quia tunc eas à se solutas à debitore repetere poterit, quia id in culpam debitoris vertitur, quòd sic de soluendo vsuras fideiubere iussit.

QVÆSTIO XIV.

An si creditor terminum solutioni præfixum proroget in fauorem debitoris, fideiussor liber maneat ab obligatione fideiussoria?

1 IN hac re,quæ non minùs vtilis, quàm difficilis est,duæ sunt Doctorum contrariæ penitus, & dissentientes inter se sententiæ. Prior est Mol. tom. 2. de contr. disp.546.qui tuetur partem negatiuam,ductus eo fundamento, quia prorogato termino solutioni præfixo,non censetur facta nouatio obligationis, nisi contrahentes exprimant se recedere à priori obligatione, & secundam loco illius subrogare, aut amplecti.

Altera sententia omninò contraria est Sylu.Armil.P.Nau.& aliorum quos citat,& sequitur Eman.Sà verb.fideiussio nu.5.

2 Mihi tamen sub distinctione videtur respondendum sic.Si fideiussor fidem suam iussit vsque ad certum tempus solutionis, eoque adueniente creditor negligens fuit in petendo, aut recipiendo suum debitum, sed longiorem terminum debitori prorogauit sine consensu, nouaque obligatione fideiussoris, & eo tempore debitor efficitur impotens ad soluendum.tunc fideiussor liber manet à debito soluendo, cum culpa creditoris longiorem terminum debitori concedentis, ille effectus sit non soluendo. Secùs si obligatio qua se deuinxit,fuit absoluta, quia tunc prorogato debiti termino, adhuc manet obligatus.

QVÆSTIO XV.

In quibus casibus fideiussor teneatur satisfacere creditori pro debitore principali?

1 REspondeo duobus. Primo quando debitor non habet,vnde soluat.Secundo,quando debitor est absens,& commodè

Digitized by Google

modè cõueniri non poteſt. Quod niſi præſtet, cũ poſſit, & ex mora, aut culpa ipſius, creditor aliqua damna patiatur, tenetur ad illa omnia compenſanda.

QVAESTIO XVI.

In quibus caſibus poſſit conueniri fideiuſſor, ante excuſsionem principalis?

1 REſp. tribus. Primo, quando præcipuus debitor non eſt ſoluendo. Secundo quando debitor eſt abſens, & commodè abſque detrimento, aut difficultate conueniri non poteſt, nec habet bona in eodem territorio.

Tertio quando fideiuſſor in principalem debitorem ſe conſtituit, & renunciauit omni beneficio, & iuri ſibi à lege conceſſo, vt paſſim hodiè fit, quod facere poteſt, quia tantùm eius fauore eſt conſtitutum. Ita Leſſ. & Rebell. locis citatis.

QVÆSTIO XVII.

An debitor teneatur compenſare damna, quæ paſſus eſt fideiuſſor, eo quòd pro ipſo ſoluerit creditori?

1 REſp. teneri, ſi ea damna fideiuſſor patiatur ob culpam ipſius debitoris, quia cum poſſet ſatisfacere creditori, noluit, & ob id compulſus fuit fideiuſſor cum iactura ſuorum bonorum ſoluere creditori, tunc debitor tenetur reſarcire in integrum, tum debitum, quod pro eo ſoluit, tum expenſas, & omnia damna quæ recepit. Si tamen damna fideiuſſori contingunt ſine vlla culpa debitoris, tunc debitor ad nihil horum tenetur, ſed ſolùm, ad principale debitum, quod pro ipſo fideiuſſor ſoluit creditori. Ita Sylu. verb. fideiuſſor quæſt. 12. Ang. ibidem nu. 15. & Salon. to. 2. de contr. diſp. de fideiuſſ.

QVÆSTIO XVIII.

An fideiuſſor ante tempus ſolutionis debiti, poſsit licitè agere contra debitorem, vt liberet eum ab obligatione fideiuſſoria?

1 REſpondeo non poſſe, niſi in quatuor caſibus. Primo ſi fideiuſſor diù in ea fideiuſſione ſtetit.

Secundò ſi poſt fideiuſſionem debitor principalis bona ſua diſſipare incipiat, ita vt periculum ſit tempore ſolutionis non fore ſoluendo.

Tertio ſi fideiuſſor ſit in iudicio condemnatus, vt ſoluat totum debitum, vel partem eius.

2 Quarto, & vltimo ſi ab initio ſic inter eos conuentum fuit. Qui caſus habentur in cap. fin. de fideiuſſ. & tradunt rectè Mol. d. 546. & Rebell. lib. 16. q. vnica.

QVÆSTIO XIX.

An fideiuſſor poſsit in plus obligari, quàm principalis debitor?

1 REſp. non poſſe. Et ratio eſt, quia cum obligatio fideiuſſoris acceſſoria ſit principal s, eique innitẽs, non poteſt ad amplius ſe extendere, quàm obligatio debitoris principalis, hoc eſt, nec ad maiorem quantitatem ſoluendam, nec difficiliori in loco, nec breuiori tempore, Vnde ſi obligatio principalis debitoris eſt nulla, etiam fideiuſſoris eſt inualida ipſo iure, Vt quando filius familias vel pupillus ſine conſenſu tutoris contractum celebrat oneroſum, ſicut contractus ille, & obligatio pupilli non tenet, ita neque fideiuſſio illi accedens, niſi iuramento firmetur, tunc enim fideiuſſor tenetur ad ſoluendum debitum pupilli, vi illius iuramenti, non tamen vi illius contractus cum pupillo, qui fuit nullus. l. Cum lex. ff. de fideiuſſor. & tradit Leſſ. lib. 2. c. 8. dub. 1.

2 Hinc fideiuſſor non priùs cogi poteſt ad ſoluendum pro debitore principali, niſi facta excuſſione in bonis principalis debitoris, conſtiterit ipſum non eſſe ſoluendo. Ita in authen. præſente C. de fideiuſſor.

QVÆSTIO XX.

An quando fideiuſſor ad amplius obligatur, quàm debitor principalis, inualida ſit talis fideiuſsio ſolùm quoad exceſſum, an verò ſit omninò nulla?

1 REbel. p. 2. de oblig. lib. 16. qu. vnica cum cõmuni Canoniſtarum ſententia tenet talem fideiuſſionem reddi omninò nullam.

2 Alij verò Doctores nõ minoris nominis

Digitized by Google

docent solùm reddi nullam quoad excessum. Ita sapientissimus Molina to.2.de contract.disp.541. Vtrumque est probabile.

QVÆSTIO XXI.

An si fideiussor qui se ad amplius obligauit, quàm debitor principalis, obligationem suam iureiurando confirmet, ad totum teneatur?

1 REspondeo teneri in totũ etiam stando in iure communi ciuili, quoniam res eo iuramento confirmata, illicita non est, sed solùm nulla secluso iuramento. Verùm ad eiusmodi iuramentum obligaretur tanquam debitor principalis, & non vt fideiussor, ac proindè illud solum ab eo exigi posse ante factam excussionem in bonis principalis debitoris; reliquum verò nõ nisi post factam eiusmodi excussionem. Ita Reb.p.2.de oblig.lib.16.q.vnica, & Molina disp.541.

QVÆSTIO XXII.

An si fideiussor suam fideiussionem iuramento confirmet, conueniri possit nulla facta excussione principalis debitoris?

1 MVlti Doctores affirmant.

2 Sed verius, ac probabilius multo est contrarium, quod docet Molina disp. 545. ducor, quia iuramentum, quo fideiussio confirmatur, licèt arctiùs obliget, quàm sola fideiussio, non tamen ad amplius se extendit, quàm ipsa simplex natura contractus, quem confirmat ex intentione contrahentis, vel iuris dispositione extenditur, vt de cœteris promissionibus, alioquin validis iuramento confirmatis omnes Doctores affirmant at fideiussio si iuramento non esset confirmata, non obligaret ad solutionem, nisi facta priùs excussione in bonis principalis, debitorem ergò. Hanc sententiam sequuntur Couar. cap. quamuis pactum p.2.§.6.num.2. Gomes.tom.2.cap.13.& plerique alij.

QVÆSTIO XXIII.

An singuli fideiussores teneantur in solidum?

1 REspondeo, quando sunt plures fideiussores: siquidem obligent se, quasi singuli in singulas partes, & diuisim, tenebitur tantùm vnusquisque ad partem debiti: quòd si omnes pro eodem debito, singuli tenentur in solidum, & vno soluente poterit ille suas partes ab aliis repetere, creditore ipso suum ius, & ctionem, sicut debet in illum transferente. Ita Less.lib.2.de iust.cap.28.dub.1.

QVÆSTIO XXIV.

An creditor possit pasciscí cum debitore hac ratione. Tu eras daturus Titio decem, vt suo periculo susciperet pecuniam, quam mihi debes, da mihi ergo ista decem vt te liberem ab onere constituendi Titium fideiussorem?

1 REspondeo non posse. Ratio est, quia in isto contractu fideiussor promittit creditori solutionem certam, & fidelem sui debiti, tenetque se ex parte debitoris; at repugnat vt idem sit creditor, & debitor respectu eiusdem rei: ergò repugnat vt sit simul creditor, & fideiuss. Ita Salon.to.2.de contr.disp.de fideiuss.

Dices, sicut Titius potest esse fideiussor pro Caio qui debet centum Seio, sic etiam ipsemet Seius potest esse fideiussor pro Caio.

2 Respondeo esse disparem rationem, quia creditor ex natura rei, est persona distincta à fideiussore, quia iste vt dixi se habet ex parte debitoris, & suscipit obligationem in se pro ipso debitore. Itaque hæc de fideiussione sufficiant.

DE PIGNORE.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

DE hac materia disputant Iurisciui- s. & Pontificij interpretes in C. & ff. de pignoribus Nauar. in Man. c.17.n.204. Molina to.2.de contra. disp.528. Rebel.p.2.de oblig.li.16.de pignore q.vnica, Less.li.2.de iust.c.28.dub.5. Azor.p.3.inst. mor.

mor. lib.7. Sot.lib.6. de iuſt.q.1.ar.2. Salon. to.2.de contract. diſp.de pignore Lop.li.2. de contr.c.18. Summiſtæ vero vt Ang.Tab. Sylu. Armil.& alij verbo pignus, & hypotheca. In cuius explicationis gratiam primo inquirendum eſt.

QVÆSTIO I.

Quid hoc nomen Pignus ſignificet?

1 REſpondeo, pignus vocabulum eſſe Latinum, dictum à pugno,quia res pignori data pugno capitur, & ſtringitur, & quæ pignori dantur,manu traduntur;licèt autem iuxta hanc nominis etymologiã pignus propriè ſit rerum mobilium,quæ in creditorem tranſeunt, eique traduntur in ipſius ſecuritatem,latè tamen ſumptum,eſt omne id, quod obligatur in ſecuritatem debiti, vt inde ſatisfiat, niſi impleatur,ſiue id res ſit mobilis,ſiue immobilis.

2 Hypotheca verò Græcum vocabulum eſt,dictum ab hypo,quod eſt ſub, & theſis quod eſt poſitio, quaſi res ſuppoſita, & obligata creditori pro debito. Et quidem hypotheca generaliter ſumpta,idem prorſus eſt græcè, quod pignus generaliter ſumptum Latinè: atque ita paſſim in Iure pignus comprehendit hypothecam,& hypotheca comprehendit pignus. Vnde in l. res.§.vlt.ff.de pignoribus ſic habetur.Inter pignus, & hypothecam tantùm nominis ſonus differt.Sumitur verò ſæpiſſimè propriè, vt diſtinguitur à pignore expreſsè ſumpto,pro re manente quidem penes debitorem,ſed debito alterius ſubiecta. Cóq; modo non ſolùm res immobiles,ſed etiam mobiles hypothecantur, non facta earum rerum traditione.Vnde in l.Si rem alienam §.propriè ff.de pignor. ſic habetur. Pignoris appellatione eam propriè rem comtineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur creditori.At eam,quæ ſine traditione nulla conuentione continetur,propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Pignus?

1 REſpondeo, quod eſt contractus,quo aliquid creditori obligatur, & traditur in ſecuritatem debiti.Vndè ſicut depoſitum datur ad cuſtodiam, ſic pignus creditori datur ad cautionem,vt in tuto ſit ipſum debitum contractum. Perficitur autem hic contractus,ſicut,& cõtractus emptionis,& venditionis ſolo conſenſu exterius expreſſo,ſiue in præſentia contrahentium,ſiue per epiſtolam,aut internuncium, ſiue res quæ deſignantur in pignus præſentes ſint,ſiue abſentes.

QVÆSTIO III.

Quot modis Pignus accipiatur?

1 REſpõdeo tribus.Primo pro re ipſa, quæ pignori traditur,& ſic pignus dicitur res aliqua, quæ creditori traditur in ſecuritatem debiti.

Secundo pro contractu, ſeu conuentione illa, qua pignus conſtituitur.

Tertio,& vltimo pro obligatione, quæ ex contractu in re naſcitur.

QVÆSTIO IV.

Quot modis Pignus, ſeu hypotheca contrahatur?

1 REſpondeo duobus, ſcilicet tacitè, & expreſsè. Tacita hypotheca eſt, quæ legis diſpoſitione ſine vlla conuentione contrahentium conſtituitur. Expreſſa autem hypotheca eſt, vbi expreſsè in particulari tale bonum, vel expreſsè omnia bona obligationi, vel debito manent obnoxia, & hæc contrahitur dupliciter.

2 Primò conuentione partium,& dicitur conuentionalis, ad quam ſolùm opus eſt partium conſenſu,nec requiritur præſentia rei, aut traditio.

Secundo decreto Iudicis,& dicitur Prætoriana, ad quam requiritur, vt quis mittatur in poſſeſſionem, ſeu detentionem rei auth. Iudicis, vel Magiſtratus.

QVÆSTIO V.

Quibus de cauſis tacita hypotheca contrahatur?

1 RESp.Primò,bona omnia contrahentis cum fiſco ſeu camera Regis, vel Principi

Principis sunt tacitè illi hypothecata, vndè qui vectigal, tributum, vel censum fisco debet, eius bona statim fisco obligata manent. Quando autem ratione criminis bona ipso facto sunt confiscata, non censentur hypothecata, sed debita fisco, si posteà feratur sententia.

Secundò bona omnia mariti sunt tacitè hypothecata pro dote vxoris. Item pro bonis paraphernalibus, quando illa administrat maritus.

Tertiò bona eius qui dotem promisit manent tacitè marito obligata, donec illam actu tradat.

Quartò bona mariti tacitè obligata manent pro rebus acceptis ex donatione propter nuptias ei facta.

Quintò bona Tutoris tacitè obligantur pro bonis, & rebus pupilli.

Sextò bona Curatoris sunt tacitè hypothecata pro bonis Minoris.

2 Septimò bona Prælati, & administratoris Ecclesiæ, tacitè manent Ecclesiæ obligata pro bonorum eius administratione, quia Ecclesia se habet vt Minor, & gaudet Minorum priuilegio: & iure, ergò sicut Minor tacitam hypothecam habet in bonis Curatoris, sic Ecclesia tacitè sibi habet obligata bona Prælati?

Octauò bona eorum qui administrant res Ciuitatum pro administratione, sunt tacitè hypothecata, quia ciuitas fruitur priuilegio Minoris, sicut & Ecclesia.

Nonò bona patris administrantis bona filiorum siue castrensia, siue quouis alio titulo ad filios spectantia, tacita obligatione tenentur pro bonis eorundem.

Decimò bona filij administrantis bona paterna sunt tacitè ei hypothecata.

3 Vndecimò bona omnia Testatoris pro legatis, & fideicommissis ab eo factis tacitè sunt obligata.

Duodecimò Res emptæ pecunia pupilli, vel minoris, tacitè manent obligatæ pupillo, vel minori pro pretio.

Decimotertiò Res emptæ pecunia militis, manent ei hypothecatæ pro pretio.

Decimoquartò bona omnia conductoris fundi alicuius, seu prædij sunt tacitè hypothecata domino illius pro fructibus conductis.

4 Decimoquintò inuecta in prædium cõductum, sunt tacitè obligata domino prædij pro pensione soluenda, & pro damnis rei conductæ illatis.

Decimosextò bona matris contulæ ad secundas nuptias tacita hypotheca subduntur filiis prioris mariti, pro restitutione eorum, quæ à primo viro lucratæ sunt.

Decimoseptimò ædificium ad quod reficiendum pecunia mutuo data est, hypothecatum manet pro tali pecunia.

5 Decimooctauò nauis ad quam reficiendam, vel armandam, vel ad alimenta eorum qui nauem exercent, pecunia est mutuata, manet tacitè obligata pro ea pecunia.

Decimononò Emptum pecunia mutuata tacitè manet obligatum pro ea pecunia.

Vigesimo res vendita, & emptori tradita accepta fide de pretio soluendo, est tacitè hypothecata pro pretio.

Vigesimoprimò omnis res, ad cuius conseruationem pecunia mutuo data est, manet tacitè obligata pro ea pecunia.

6 Vigesimosecundò bona defuncti tacita obligatione tenentur pro expensis factis in funere.

Vigesimotertiò bona furis sunt tacitè obligata pro restitutione rei furtiuæ, vt teste Negus. de pignor mor. 4. p. 2. tenèt Paul. & Salicet. At communis opinio tenet contra furem dari actionem, quæ dicitur in iure conditio furtiua, qua rem surreptam repetit dominus à fure, si extet, sin minùs, æstimationem, & pretium eius.

7 Vigesimoquartò, Omnia vsurarij bona, tacitè hypothecæ subdũtur pro restitutione vsuratum: Bona item ex lucro vsurario empta, sunt tacita obligatione obstricta, vt Barth. relatus à Megus. loco cit. n. 154. docet. At communis Doctorum sententia tenet ea non esse tacitè obligata.

Hæc itaque, & his similia, & si nullo cõtractu expresso offerantur creditoribus in pignus, implicitè tamen, & tacitè manent eis obligata dispositione Iuris, quam videre est apud Sylvest. verb. pignus q. 1. vbi affert varia Iura, in quibus hæc, & his similia definita sunt.

QVÆSTIO VI.

Quænam possint, vel non possint impignorari?

1 RESP. ea quæ possunt vendi, possunt etiam obligari, & tradi in pignus.

Quæ

Quæ verò absolutè, & omninò vendi non possunt, neque pignori, aut hypothecæ subiici, vt habetur ex l.1.§.eam rem.ff.quæ res pignori dari possunt. Et tradit Sylvest.ver. pignus qu.2.& Mol.tom.2.de contr.d.530.

Ex qua doctrina colligitur primò posse pignori obligari non solum res præsentes, & quæ iam existunt, & tempore contractus transeunt in manum creditoris, verum etiam,& futuras,quæ existant aut futuræ sperantur,vt fructus pendentes, partus ancillarum,fœtus pecorum, & similia. Et ratio est, quia in huiusmodi rebus accipit creditor actu Ius, quamuis ipsas nondum actu recipiat.

Secundò, posse dari in pignus res mobiles, vt aurum, argentum, gemmam, librum, vestes,& immobiles,vt fundum, domum, prædium, & res quæ se mouent vt seruum,ancillam:pecus. Res itidem incorporeas,vt iura,iurisdictiones,cautiones, & similia. leg. cum conuenit de pignoribus.

3 Tertio posse oppignorari seruitutes personales, & prædiales, ac rusticas, vsus fructus,& similia l.si cum is eo.tit. seruitutes verò vrbanæ, vt viæ, & plateæ, & alia deputata communi vsui eorum,qui sunt de populo,quemadmodum vendi non possunt sine consensu supremi Principis, aliterque venditio est nulla: sic subiici pignori, aut hypothecæ nequeunt sine facultate eiusdem supremi Principis.

Quartò colligitur, quæ res non possint constitui,& tradi in pignus. Primò igitur, non possunt pignori obligari quæ absolutè vendi nō possunt,vt ecclesia, cœmeterium, sepulchrum: nec sacra vasa,vestimenta, libri,vel alia ornamenta ecclesiastica, quæ licèt benedicta non sint, cultui tamen diuino inseruiunt,ac dicata sunt, nisi in casibus iure concessis,in quibus conceditur, vt res ecclesiæ alienari queant.

3 Primo causa necessitatis,vt si æs alienum ecclesia contraxerit, & aliundè soluere nequeat,nisi ex bonis suis.

Secundò causa pietatis ad captiuos nimirum redimendos, vel sustentandos, & alendos pauperes.

Tertiò, causa maioris vtilitatis, hoc est vt res ecclesiæ meliores reddantur.

Quarto,causa damni,& detrimenti, vel minoris etiam incommodi euitandi,ne videlicet res ecclesiæ deteriores fiant, aut quia sunt res exiguæ,& ideò difficilè conseruantur.

4 Secundò non potest pignorari homo liber,etiam pro delicto,sicut nec vendi potest,vt habetur c.2.de pignor. Potest tamen homo liber dari obses, præsertim in causa belli,vt stetur pactis.Vnde Gen.42.Simeon manfit Aegypti, non in pignus, sed in obsidem promissionis,quàm fecerant Iosepho fratres eius deferendi ad illum minimum fratrem Beniamin.Quod si Respublica, vel Princeps qui illum tradidit in culpa sit non stando promissis, non potest idcircò interfici, vel mutilari, vel flagellis cædi, quia hæc sine culpa directè irrogari non possunt,iuxta illud Exod. 23. insontem, & iustum non interficies. Potest tamen spoliari bonis,& detineri, & in captiuitatem redigi,si Christianusnon sit,sicut alij innocentes in bello.Vt docet Mol.disp.530.Less. li.2.c.28.dub.5.& Salon.to.2. de contr.disp. de pignore.Similiter qui fideiussit pro reo, cui pœna capitis, vel mutilationis imminebat,vt à carcere ad tempus exeat,si reus absque culpa fideiussoris fugam arripiat, non potest loco rei pœna capitis vel mutilationis,vel flagellorum plecti: quia hæc sunt supplicia criminum, non solutiones debitorum. Tum quia non intendit se ad hoc obligare, sed solùm ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur à Iudice.Imò nec potuit se ad illa obligare, cum non sit dominus vitæ,& membrorum.

5 Tertiò non potest tradi in pignus res aliena, nisi annuente, vel ratum habente domino,ac sine præiudicio, & damno tertij, vt rectè docent Iurisperiti in l. potior §.1.ff.qui potior in pignore.Estque nulla ea obligatio,secùs autem si consentiat,aut posteà id ratum habeat.

Denique in multis Prouinciis, non possunt oppignerari stipendia publica ac militum,vel aliorum similium:nec instrumenta aratoria, aut boues,& alia animalia ad arandum destinata,vel serui aratores.Quæ leges vbi vigent, iustissimæ sunt, ac obligant in conscientia.

QVAESTIO VII.

Quinam possint res pignori, aut hypothecæ subiicere.

1 RESP. eos qui habent liberam suarum rerum,vel alienorum bonorum admini

administrationem. l. solutum §. vlt.& l. fi. conuenerit ff. de pignor. Prælati tamen quamuis non possint res ipsius Ecclesiæ pignori obligare, possunt tamen in contractibus iure permissis, obligare generaliter bona Ecclesiæ sine traditione illorum cap. Nulli de reb.Eccles.non alienand.

Hinc filij familias, qui non habent in bonis,vnde aliquid pignori,vel hypothecæ subiiciant, non possunt pignori dare, nisi habeãt bona castrensia, vel quasi castrensia. Similiter pupilli,& quicunque alij sub alterius cura cõstituti,& amentes non possunt aliquid oppignerare,quia non habent suorum bonorum administrationem, nec contractus eorum censentur validi.

QVÆSTIO VIII.

Quot,& quæ obligationes ex pignore oriantur?

1 REsp.obligationes ex pignore duplices oriuntur.Aliæ pertinent ad debitorem,qui rem oppignerauit:aliæ ad creditorem, qui pignus suscepit.

Ex parte debitoris, prima obligatio est, ne rem, quam vni contulit in pignus alteri quoque creditori similiter offerat, quia esset in fraudem & damnum posterioris creditoris, cum in illo pignore anterior esset præferendus. Quod intellige quando pignus illud vni tantũ debito sufficeret,quia si eius valoris esset, vt vterque creditor posset ex illo vendito solutionem suorum debitorum sufficienter recipere, potest debitor illud vtrique offerre.

2 Secunda obligatio debitoris est, vt soluat omnes expensas necessarias, quas creditor fecit in pignore accepto, conseruando, & tuendo, ne periret, neve deterius redderetur.Vt si pignus erat ager,expensas quas in eum colendo, si erat animal, in eo pascendo fecit. Et ratio est, quia pignus quandiu pignus est, pertinet ad dominum debitoris, at vna quæque res expensis domini sui seruanda est.

QVÆSTIO IX.

Verùm dubiæ quæstionis est, An teneatur soluere vtiles expensas,quibus pignus efficlum est melius?

SVnt qui existiment, hunc non teneri.

2 At ceteri authores volunt hunc ad id teneri, dummodò non sint e[illegible] videlicet debitor, quia paupe[illegible] nequeat. Et ratio est, quia pignus quo effectum est melius vtilius est ri.Tum quia pignus est contractus gratia creditoris,& debitoris,ergò menta pignoris non solùm fiunt g ditoris, sed etiam debitoris. Ita M 535. Lop.lib. de contr.cap.19. Rebell.p. de oblig.lib.18.q.vnica Sylu. verb. pignus q.13. & alij.

4 Tertia obligatio est,vt pignus repetere non possit quousque sit facta integra debiti solutio. Nec sufficit,si soluerit ex maiori parte,potest enim creditor retinere pignus pro minima etiam parte sortis, vt docet Nau.c.17.num.205.At verò tam magna posset esse res in pignus data, & tam paruum residuum debitum,vt iniquum esset pignus ea ratione inuito debitore vendere, vt rectè tradunt Sylu. verb. pignus q.5. & supplementum ibidem §. 4.ibi enim sic aiunt, Pignus tamdiu manere obligatũ, quamdiu vnus denarius non solutus remaneat sed nec denarius potest esse certa regula, nam si res esset pretiosa, nec pro duplici denario seu argẽteo regali,liceret eam vendere nisi graui creditoris necessitate ita exigente. Si quis tamen extra hunc casum rem in pignus datam venderet, peccaret quidem, non contra iustitiam,sed cõtra charitatem.

5 Sunt quoque ex parte creditoris obligationes quinque. Prima obligatio est, vt creditor diligenter curet, ne pignus acceptum pereat, aut deterius fiat, Nam si dolo,vel culpa ipsius lata,vel leui,illud in toto,vel ex parte periret, teneretur ad omne damnum illud reficiendum,& compensandum debitori. Secùs res habet, si periret culpa tantùm leuissima creditoris. Quia cum pignus in vtilitatem tum debitoris, tum creditoris tradatur, non tenetur in eo creditor de culpa leuissima, nec à fortiori de casu fortuito, nisi sit in mora,vel intercedat pactum, vt teneatur etiam de culpa leuissima, & casu fortuito, vt rectè docet Nauar. in Manual.cap.17.num.204.

6 Secunda obligatio est,ne creditor citra consensum tacitum, vel expressum debitoris vtatur pignore accepto. Et ratio est, quia vti re aliena cum notabili damno domini, absque eius voluntate expressa, vel tacita, & nullam habens causam verisimilem credendi dominum id æquo animo la-

turum

…Si verò vtatur pignore … modum, debitore con… …rem illius vsus com… …mitteret vsuram. … q.78.art.1. Nau.cap.17. … pignus. num.7.Rebell. … vnica.

QVÆSTIO X.

… ne alios casus, in quibus pignoris vsus creditori permittitur?

1 RESP. esse aliquos casus quorum primus est quando creditor vtitur pignore in gratiam debitoris, vt si tapetes in pariete aliquando suspenderet, ne teneatur demoliri tabulam cum equo aliquando deambularet, ne eo torqueret.

2 Secundus casus est, quando vsus rei nullo pignus afficit incommodo, nec est creditori expressim interdictus. Vt si pignus sit vas argenteum, & semel, aut bis creditor ad conuiuium vtatur, nam bona fide creditur debitor in eo consensurus, vel id permissurus.

3 Tertius casus est, quando vsus pignoris talis est, vt gratis, & liberaliter inter amicos cõcedi soleat; qualis est lectura libri per aliquot dies sine eius detrimẽto, tunc enim debitor probabiliter creditur tacitè consentire. Vide doct. D.Th.2.2.q.78.art.1.Salon. tom.2.de contr.disp.de pignore, & Nauar. cap.17.num.

Tertia obligatio est, vt nulla misceat pacta iniqua, seu lege prohibita, vt si debitor intra certum tempus non soluat pignus transeat in creditum, vel cadat in cõmissum, idest sibi cedat, est enim in fraudem. Vel vt non possit redimere pignus, nisi post certum diem, quod prohibetur c. precarium de precar. Ratio prohibitionis est, ne detur occasio iniustitiæ, & vsuræ, ne scilicet quis indigens pignus, aut dilatione debitæ solutionis rem suam sub prætextu pignoris dare cogatur pro debito minoris valoris, cum obligatus eo tempore soluere, quo intelligit se posse. eo pacto, vt pignus venditum maneat pro debito non soluto.

3 Sed fallit prohibitio intelligenda est, quando pactum istud fit intentione vsuraria, ratione videlicet dilatæ solutionis, vel adimendæ potestatem debitori redimendi suum pignus. Quod si valor sit æqualis debito, saltem in conscientia licet: imò etiã quando pignus plùs valet, si non fiat intentione vsuraria, sed vt indemnem se seruet, & excessus non sit admodum notabilis, ratione videlicet pœnæ cõuentionalis ad negligentiam debitoris coercendam, tunc pactum honestum est, & licitum, vt rectè docet Nau.c.17.num.205.Sylu.verb.pactum §. 14. & in Rosa aur. casu 28. & Lop.lib.2.de contr.cap.19.

4 Hinc, quando creditor pro comperto habet, debitorem futurum esse imporẽtem ad redimendũ pignus; vel quando mauult creditor sibi pignus pro vendito relinqui, & debitorem incurrere hãc pœnam, quam pignus statuto tempore redimi, vsuraria videntur esse huiusmodi pacta, & machinata in vsurarum fraudem.

Obicies, pactum istud legis commissoriæ in venditione, & emptione esse iure ciuili approbatum, ergò & in pignore non videtur reprobandum.

Respondeo negando sequelam. Et ratio negationis est, quia venditor emptorem nulla iniuria afficit, si rem suam emptori vendat eo pacto, vt si pretium tempore præfixo non soluerit, pro non empta habeatur, & ad ipsum redeat. At pignus regulariter solet esse maioris pretij, quàm debitum, ergò pactum vt pignus fiat creditoris pro debito non soluto, est cum damno, & iniuria debitoris, cogitur enim plus soluere, quam debet, & minoris vendere rem suam.

5 Quarta & vltima obligatio est, vt creditor computet in partem solutionis debiti omnes fructus, quos ex pignore percepit, deductis tamen Sumptibus, ac expensis, quas fecit in illis colligendis, & habendis.

QVÆSTIO XI.

An creditor computare debeat in sortem fructus agri sterilis, sibi dati in pignus, quem non colebat dominus antè, quia sterilis reputabatur?

1 SOtus lib.6.de iust. quæst.1.artic.2.ait, quando fundus datus in pignus, non erat per se sterilis, sed negligentia domini, quia incultus, tunc fructus ex eo percepti debent computari in sortem, quia res illa non erat omninò sterilis, se fructifera

ergò

ergo fructus cum ex ipsa re descendant, domino sunt tribuendi. Si verò secundum se,& natura sua sterilis erat,arte autem, & industria creditoris excultus, fructus edit, fructus illos esse creditoris, nec computandos in sortem,quia soli industriæ,& arti ipsius tribuendi sunt, præsertim quando fructus non sunt magni, aut multi, secùs verò esse, si vberes, & copiosi sint. Ratio ipsius est,quia quando fundus est per se,& natura sterilis, fructus quos inde percipit creditor,non veniunt ex fundo, sed ex industria creditoris.

Tum quia debitor nullos erat fructus percepturus,ergo nullum damnum patitur si fructus creditor retineat.

Alij vero vt Nau.c.17.n.216.Lop.lib.2. de contr.c.20.& Azor.p.3.inst.mor.li.7.c.8. rectiùs docent, eos fructus esse in sortem computandos.Et ratio est, quia fundus est res propria debitoris, domino autem proprio cedunt fructus possessionis fructificantis,sicut vsus equi priùs indomiti,& industria pignoratarij domesticati, & vtilis facti cederet domino equi, & non pignoratario : potest tamen pignoratarius seu creditor sibi retinere tantumdem,quantùm eius industria,& diligentia meretur.

2 Nec obstat,debitorem eos fructus percepturum alioqui minimè fuisse : quoniam saltem sunt fructus rei, quæ si fructificat, domino debet fructificare.

Nec impedit,quod dicit Sotus, debitorem nullo damno affici, quippe qui nullos fructus ex suo fundo percepisset.Quoniam hæc obligatio,qua creditor tenetur huiusmodi fructus in partem solutionis deducere,ex ipsa re descendit, quæ cum sit debitoris, ipsi sunt attribuendi. Quam ego sententiam existimo esse veram,nisi fructus ex eo percepti essent modici, & labores, quibus ille ager aliàs sterilis adiutus, illos modicos attulit fructus essent tam magni momenti, vt pignoratario non remaneret nisi modicum fructus,quod tunc quasi pro nihilo reputatur, aut quod suæ industriæ tantùm debetur.

QVÆSTIO XII.

An creditor teneatur computare in sortem non solùm fructus,quos pignus iam attulit, verum etiam quos tulisset, negligentia tamen ipsius creditoris non tulit?

1 HOst.in sum.tit.de pign.nu. 9. absolutè negat, ductus eo argumento quòd possessor bonæ fidei non tenetur ad fructus,quos percipere potuit.

2 Rebell.p.2.de obl.li.16.q.vnica ait eum qui recepit pignus,quamuis non sit in mora, teneri etiam de leui culpa quo ad fructus seruandos, non minùs, quàm quoad seruandam rem fructiferam in pignus,datam, quoad procurandum verò fructuum productionem,non teneri nisi de dolo, & lata culpa.

3 At cæteri authores volunt, eos etiam fructus esse computandos. Sic Angel.verb. pignus nu.12.Sylu.eod.verb.q.11. Rosel.ibi. nu.8.Armil.eodem.verb.nu.6.Nau. c.17. nu. 216.Salon.to.2.de contr.disp.de pign.Azor. p.3.inst.mor.libr.7.c.8.Mol.disp.535.& Lop. lib.2.de contr.ca.53. Ita enim definitum est in l.creditor C.de pign.act.vbi sic habetur creditorem computare fructus debere, quos percepit ex pignore, vel percipere debuit. Ratio huius est, quia cum contractus pignoris in bonum tam creditoris, quàm debitoris celebretur, meritò sancitum est, vt creditor computare debeat in partem solutionis debiti, etiam fructus, quos percipere non potuit, sed incuria sua non percepit.

QVÆSTIO XIII.

Quinam sint huiusmodi fructus computandi? hoc est, An fructus quos pignus ex se fructiferum, dolo, lataque culpa creditoris non tulit, an verò ij, quos leui sua culpa non edidit?

1 IN hac re certum est apud omnes, debere creditorem in sortem deducere fructus, quos pignus dolo vel lata culpa sua non tulit.

Sed quod habet difficultatem est, de leui culpa. An videlicet sint etiam computandi in sortem fructus, quos pignus ex leui culpa creditoris non tulit ?

Host.tit.de pignor.n.9.& Rebel.par.2.de obl.li.16.q.vnica negat.

2 Communis tamen opinio habet, eos etiam fructus esse deducendos, quoniam creditor tenetur non solùm ex dolo,& lata culpa, sed etiam ex leui, quamuis non ex leuissima, vel casu fortuito. Et ratio est, quia

contractus pignoris est gratia vtriusque creditoris,& debitoris,& ideò fructus quos ex leui sua culpa pignus non tulit, computare debet ; non tamen eos qui ex leuissima culpa non tulit.

4 Obiicies , depositarius non tenetur lucrum,quod ex pecunia deposita comparauit,restituere, sed potest illud sibi retinere, & hoc non alio fundamento , nisi quia pecunia de sua natura non parit ; sed pari ratione ager hic(vt suppono) de se est sterilis , ergo pignoratarius eum colens eius fructus sibi applicare poterit.

5 Resp. disparem esse rationem de pecunia deposita,& de agro quamuis sterili impignorato,quia pecunia de se non parit,nisi accedente hominis industria;& ideò cum quis ex pecunia apud se deposita lucrum comparat,suũ efficit, quia ex sua industria, non pecunia effectus. At verò ager pignori datus , quamuis reputatus sterilis , suapte natura frugiferus est , cuius indicium est, quod in casu,de quo agimus,industria hominis adiutus fructus etiam protulit ex se.

QVÆSTIO XIV.

An creditor qui habitat domum sibi oppignoratam , teneatur eam pensionem soluere, quam ipse soluisset pro domo quam alioqui conducturus erat , an verò eam quam ex ea domo accepturus fuerat ab alio conductore, cui domum locasset ?

1 SPeculator tit.de pignor.§.2.& Neguisant.tract.de pignor.p.2.mem.5. nu.7. tenent debere eam pensionem soluere, quam ipse creditor soluisset pro domo quam conducturus erat ad habitandum.

2 At Molin.disp. 535. Sylvest.verb.pignus q.12.& Angel.ibidem nu. 13. rectiùs docent debere tantam pensionem soluere , quantam accepisset ab alio,cui eam domum locasset. Et ratio est,quia satis est,ac sufficit, si soluat eam pensionem,quæ solet ab aliis conductoribus solui,non enim est creditor deterioris conditionis,quàm quilibet alius conductor.

QVÆSTIO XV.

Sed Quid ? si creditor nullam aliam domum conducturus erat,& nihilominus voluit domum sibi pignori traditam habitare,an tunc debeat eam pensionem in sortem computare, quam accepisset , si eam domum alteri locasset ?

Multi Doctores negant.

1 CAlteri verò affirmant. Et meritò quidem;quia creditor cogitur fructus pignoris restituere , quos ex dolo,vel culpa lata,aut leui non percepit,percepturus alioqui : ergò cum creditor potuerit eam aliis locare , sibi imputet quòd eam minimè locauerit.

QVÆSTIO XVI.

Sed Quid ? si nullus adsit , qui velit eam domum pignori obligatam conducere , & ipse creditor domum habitet,ne deformetur absque habitatore relicta ?

1 REsp. nihil tunc temporis pro habitatione eum debere ; quoniam beneficium præstat domino domus,illam habitando, neque ipse inde fit locupletior.Si tamen libenter ipse aliquid dedisset pro habitatione eius domus splendidæ, tunc id duntaxat tenebitur in sortem computare. Ita Mol.disp.535.

QVÆSTIO XVII.

An creditor qui pignus ab aliquo accepit,possit illud alteri oppignorare ?

1 REsp.posse,non solùm semel,aut bis, sed etiam millies. Et ratio est,quia ius acquisitum à creditore super pignus est reale,& trãsitorium de persona in personam in mille manus , dummodò solùm det, & obliget in tanta pecuniarum quantitate,quantam ipse primo debitori credidit , & si primus debitor liberam facultatem dederit distrahendi , potest ipsi eandem cõcedere suo creditori,eo tamen ipso, quòd primus debitor soluit integrè, quod sub eo pignore debebat,dissoluitur secundum pignus,eáq; de causa debitor primus vendicare potest suum pignus:quia res soluto priore iure,cui ius posterius pignoris nitebatur,resoluitur ius secundum : secundus tamen creditor exigere potest à primo creditore , vt vel sibi soluat statim suum debitum,vel sibi tradat pignus aliud æquè bonũ. Ita Nau.c.17.n.205.Lop.li.2.de contr. c.59. & Reb.p.2.de oblig.lib.16.q.vnica.

QVÆSTIO XVIII.

An Pignoratarius possit pignus diuendere si pretium rei non soluatur?

1 RESP. posse, nam quamuis pignoratarius Dominus pignoris non sit, potest tamen pignus distrahere, eo quòd non sit sibi solutum debitum tempore constituto, quod ius habet ex l. si conuenerit ff. de pignorat. act. & Inst. quibus alienare licet, vel non licet §. contra. Verùm vt pignoratarius valeat pignus alienare, requiritur primò, vt debitor sit in mora soluendi. Secundò post moram requiritur vna denunciatio facta debitori, vt rectè docet Nau. c. 17. num. 205. Mol. d. 538. & Salon. to. 2. de contr. d. de pignor.

QVÆSTIO XIX.

Quibus de causis fructus pignoris in solutione debiti non computantur?

1 RESP. in iure Canonico assignantur tres causæ, in quibus pignoratarius minimè cogitur fructus pignoris in sortem debiti computare.

Prima causa est, quando gener pro dote promissa, & non soluta recipit pignus, vti ex eo fructus colligat, donec promissam sibi dotem accipiat; huiusmodi fructus facit suos maritus, nec cogitur eos in solutionem debiti computare, quia salua sorte, ex eius fructibus tenetur onera matrimonij portare. Ita est definitum in cap. salubriter de vsuris.

2 Secunda causa est, quando Titius dat Caio fundum nomine, & iure feudi, quem deinde ipse Titius loco pignoris accepit à Caio, qui in feudum susceperat fundum, tunc fructus illius pignoris Titius facit suos, nec cogitur eos computare in sortem debiti, donec ei integrum debitum soluatur, cuius ratio potissima affertur, quia cum Titius sit Dominus directus, eo ipso quo in pignus debiti recipit fundum feudalem, censendus est ipso iure sic interpretante restitutus esse in dominium vtile illius fundi, ac per consequens vt de re iam omnino effecta sua illos iam percipere fructus non computando in sortem. Ita est definitum in c. conquæstus de vsur.

3 Tertia, & vlt. causa est, quando pignus censetur in bonis eius, cui datur v. g. vi, vel furto fuit equus tibi sublatus, quem fur alteri vendidit, & ille postea tibi impignorauit pro pecunia, quam mutuam à te accepit nullo iure cogeris restituere fructus ex eo perceptos, quia ex re tua cepisti. Ita est definitum in cap. 1. de vsuris. Hæc sunt quæ ad contractum pignoris spectant.

DE ASSECVRATIONE.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

DE hac materia disputant Theologi in 4. dist. 15. Sot. lib. 6. de iust. q. 7. art. vnico Ban. 2. 2. q. 78. art. 4. Conrad. de contract. q. 71. Salon. tom. 2. de contract. Less. lib. 2. de iust. cap. 28. dub. 4. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica Lop. p. 2. de instr. confess. cap. 72. & lib. 2. de contract. cap. 16. Nauar. in cap. fin. de vsuris à principio, & in Man. cap. 17. num. 254. & 285. Molina tom. 2. de contract. disp. 507. Couar. lib. 3. var. ca. 2. nu. 5. Garc. de contract. p. 2. c. 15. Summistæ vero vt Angel. Tab. Syluest. Armil. & alij ver. assecuratio, verb. negotium, & verb. vsura. In cuius explicationem quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit assecuratio?

1 RESpondeo, quod est contractus, quo rei periclitantis valor in tuto constituitur. Vel est contractus, quo quis alienæ rei periculum pro certo pretio in se suscipit v. g. Titius habet in portu nauem mercibus onustam, vt trajiciat eas in Siciliam, & Caius securum eum reddit fore vt nauis salua & integra cum mercibus mare trajiciat, & ob id pretium certum sibi soluendum exigit a Titio, si nauis tutò ad Siciliam peruenerit.

QVAE

QVÆSTIO II.

Quotnam modis contractus assecurationis fiat?

1 REspondeo quatuor. Primò fit, per modum salui conductus, quem Principes mercatoribus merces per loca suæ iurisdictionis deferentibus concedunt. Ex quo fit, vt Principes dando mercatoribus saluum conductum explicitè, vel implicitè periculum mercium subeunt, saltem de consuetudine, adeò quòd si per latrones auferantur merces, tenentur earum æstimationem soluere, quia ex iustitia tenentur viam publicam a latronibus purgare.

2 Hinc Reges, & Domini temporales qui recipiunt pedagium à subditis, tenentur saluare soluentes infra districtum suum in personis, & rebus: quia propter hoc, pedagium solui consueuit: & si non faciunt, peccant mortaliter cum obligatione restituendi damna illata secundum Arch. communiter receptum in cap. Si quis peregrinus &c. Quod tamen limita, nisi damnum passus sua culpa inciderit in discrimen, eundo sine iusta causa per loca insolita, & inusitata.

Secundò modo assecuratio fit per modum sponsionis, quæ italicè dicitur lascommessa. v. g. si Titius promiserit Caio 100. si Seius fuerit Cardinalis, & Caius promiserit Titio se soluturum decem, si Seius non fuerit factus Cardinalis, tunc assecuratio est, & spondens, seu assecurans licitè potest aliquid accipere ratione periculi, cui seipsum exponit.

3 Tertiò modo assecuratio fit, per modum fideiussionis, vt do tibi centum si nauis mea plena mercibus salua, & incolumis veniet ex India, vel si tua vxor pariet tibi filium, vel si cras pluet, vel si talis infra annum morietur. Et quemadmodum fideiussor potest recipere pretium pro obligatione, qua se adstringit, debitore principali non soluente pecuniam alicui debitam soluere, ita & assecurator pro sua assecuratione ratione periculi, cui se subiicit.

4 Quartò, & vltimo, fit quando quis suscipit in se periculum mercium per mare vehendarum v.g. Titius habet nauem onustam mercibus, quam parat mittere in Siciliam, timens autem eius submersionem, petit à Caio vt saluam eam faciat vsque ad portum destinatum, cum pacto dandi ei sex pro centenario.

QVÆSTIO III.

Ad quam speciem contractus assecuratio reducatur?

1 SYlvest. verb. negotium q. 5. & Tab. verb. vsura 11. nu. 2. reducunt ad contractum innominatum Do vt facias, & facio vt Des. Quoniam Dominus mercis quæ periclitatur, dicit mercatori, en do tibi quinquaginta, vt merces meas valentes mille, quæ naui in Siciliam deferuntur, efficias mihi incolumes, & securas.

D. Ant. 2. p. t. 1. c. 7. circa finem §. 2. reduci ad contractum locationis contendit, nam Titius qui securum reddit Caium de naui tutò peruentura ad Siciliam, locat suam operam in custodienda naui Caij, & ob locationem pretium exigit.

2 Molina tom. 2. de contract. disp. 507. & Less. lib. 2. de iust. cap. 28. dub. 4. reducunt ad emptionem, & venditionem, nam qui assecurat merces videtur vendere pro certo pretio susceptionem periculi, ac obligationem soluendi illarum valorem in euentum, quo perierint: & alter hanc videtur emere. Sicut enim iactus retis, hoc est ius ad pisces, qui retis iactu capientur, emitur, ac venditur: ita onus, seu obligatio soluendi rem, si pereat, vendi, ac emi potest.

3 Alij autem vt Lop. lib. 2. de contract. c. 16. & Salon. tom. 2. de contract. probabiliùs reducunt contractum assecurationis, ad fideiussionem. Nam sicut fideiussor promittit pecuniam alicui debitam, debitore ipso non restituente, fideliter soluere, sic assecurans merces periculo expositas promittit, eis non peruenientibus saluis, & integris ad portum illarum valorem fideliter suo domino soluere.

4 Profectò, quamuis omnes supradictæ opiniones satis probabiles esse videantur, posterior tamen mihi magis placet, quia iam habet hic contractus proprium nomen assecurationis.

Tum quia tam emptio, & venditio, quàm locatio non fiunt sine aliquo pretio, adeò vt, sit pretium de intrinseca ratione

emptionis & venditionis. merces quoque, & stipendium de intrinseca ratione locationis, assecuratio autem, sicut & fideiussio potest, & gratis, ac sine vllo pretio fieri, vel eo accepto, vt constat.

QVÆSTIO IV.

An contractus assecurationis sit licitus?

1 QVidam Doctor Salmaticensis, vt refert Salon. tom. 2. de contrac. disp. de assecurat. hunc contractum tanquam iniquum, & iniustum damnauit.

2 Conrad. quæst. 71. de contract. fatetur licitum quidem esse hunc contractum. quando is qui rei periculum suscipit, recipit pro illo moderatum pretium, adhibetque suam operam, & industriam in illius rei conseruationem: vt si nauta sub moderato pretio in se suscipiat periculum mercium, quas in sua naui portat. Quando verò qui rei periculum in se suscipit, nullam operam circa illam est adhibiturus illicitus est contractus.

3 His tamen non obstantibus, concors est Theologorum, & Canonistarum sententia, contractum hunc seruatis debitis illius conditionibus iustum esse, & licitum. Probatur. Contractus in quo vterque contrahentium æquè se exponit damno, & lucro, est honestus, & licitus: atqui contractus assecurationis est huiusmodi, vt constat, ergò, &c.

Deinde hic contractus vt ex dictis constat, est quædam fideiussio: sed fideiussio vt omnes Doctores tradunt, est cõtractus iustus & licitus, ergò erit similiter contractus assecurationis iustus, & licitus.

4 Præterea contractus vadiationis seruatis debitis illius conditionibus ac legibus, est contractus iustus & licitus, atqui contractus assecurationis est veluti quidam contractus vadiationis, in quo assecurator perinde se habet, ac si diceret assecuratario, assero hanc nauem tutò peruenturam in Indiam, pro quo da mihi centum, & ego nisi peruenerit, reddam tibi mille, ergò est contractus hic assecurationis iustus, & licitus.

Tandem est conclusio expressè definita in iure ciuili ff. de nautico fœnore l. 1. & 4. & C. eod. tit. l. 1. & tradit eleganter So. l. 6. q. 7. a. vnico. Ban. 22. q. 78. a. 4. & cõmunis.

QVÆSTIO V.

An idem qui mutuat, possit pecuniam, quam mutuauit aliò cum periculo transferendam assecurare? v. g. ego tibi mutuo mille aureos, An possim tecum conuenire hac ratione: tu eras daturus centum Caio, vt mihi securam redderes redditionem mille aureorum, quos tibi mutuo, ego suscipio in me assecurationem, quam Caius erat susceperus pro te, & ratione huius assecurationis solue mihi centum, quos fueras daturus Caio?

1 GArc. lib. 2. de contr. c. 15. & nonnulli alij negant. In eandem sententiam afferunt Nauar. in comment. resolutor. cap. Nauig. n. 1. 2. 3. & 5.

Alij verò affirmant.

2 Mihi tamen in hac re cum distinctione videtur respondendum hoc modo, si ego hoc pacto pecuniam tibi mutuo volenti eam transferre per mare procellosum, vt mecum illius pecuniæ contractum assecurationis contrahas, & pro tali à me præstita assecuratione aliquid vltra sortem exigo, sum vsurarius. Ratio est, quia ratione mutui, mutuatarium astringo ad ineundum mecum assecurationis contractum, quæ ciuilis obligatio cum sit pecunia æstimabilis ex mutuo lucrum vltra sortem contendo, ergo sum vsurarius. Secùs si postquàm absolutè, & sine pacto, & sinistra intentione mutuaui pecuniam, non vltroneus, sed rogatus, & ad instantiam & petitionem tui subiero periculũ pecuniæ sic mutuatæ, quia tunc ratione assecurationis istius periculi æstimabilis pretio, potero licitè sine nota vsuræ accipere aliquid vltra sortem. Ratio huius est, quia ego qui mutuo in foro conscientiæ non sum peioris conditionis ad assecurandum, quam alius tertius, si reuera hanc securitatem tu, (quia ea indigebas) petiturus eras à tertio. Vnde sicut posset quiuis alius pecuniam illam cum periculis traiiciendam sub iusto pretio assecurare, ita & ego qui pecuniam mutuaui, modò nullum interueniat pactum, quod cedat in fraudem vsurarum.

Tum quia hi duo contractus seorsũ effecti, & diuersis personis sunt liciti, & honesti, ergo & cum eadem, cessante omni fraude, & dolo. Ita tenet Nau. com. de camb. n. 1. Lop. lib. 2. de contr. c. 16. & alij.

QVÆ

QVÆSTIO VI.

An esto sit vsurarium mutuare pecuniam traijciendam per loca periculosa ea lege vt mutuatarius mutuantem, & non alium illius pecuniæ assecuratorem eligat, teneatur mutuans restituere pretium acceptum pro præstita securitate?

1 REspondeo non teneri. Et ratio est, quia sicut qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius teneatur venire ad suum molendinum, peccat peccato vsuræ, hoc tamẽ non obstante, pretium suæ molæ exigere potest, licèt non excusetur à satisfactione aliqua mutuatario facienda pro obligatione ciuili æstimabili pretio ei imposita in suo molendino molendi, iuxta mentem Caiet. in sum. verb. vsura. Sic etiam dicendum est in casu, quo mutuans astringit mutuatarium, vt pro eius pecuniæ assecuratione à mutuante illius securitatem capiat. Ita enim referunt respondisse Victoriam in Scholis à se editis super 2.2. S. Thom. anno 1535. super q. 78. de vsuris. Cuius sententiam arbitror esse veram, in casu quo mutuatarius, quia tali assecuratione indigebat cum alio tertio re verâ illam pecuniam mutuo accepram assecuraturus erat, quia tunc si ratione mutui mutuatarius cũ mutuante contractum assecurationis iniit, non obstare vsuræ labe, assecurationis præstitæ, potest à mutuatario exigere pretium.

2 Secùs si mutuatarius pecuniã mutuò accipiẽdo, illius pecuniæ ab alio tertio securitatem nõ erat capturus, siue quia tali securitate non tãtoperè se indigere censebat; quia tunc si cõtemplatione mutui mutuans duxit in pactum, vt deberet mutuatarius celebrare simul cũ ipso assecurationem pecuniæ mutuatæ, videtur saltem in cõscientia fuisse inualidus assecurationis iste contractus, quia ex parte mutuatarij non fuit omnino voluntarius, cum aliàs (vt suppono) certè nollet talis pecuniæ securitatem capere, ac proinde non poterit mutuator huiusmodi assecurationis pretiũ accipere.

3 Circa hoc tamen vnum est aduertendum quòd is qui mutuauit cum pacto vt mutuatarius teneretur cum ipso inire contractum assecurationis tenetur ad remittendum, & reuocandum tale pactum, & eximendum mutuatarium ab illa obligatione, relinquendumque liberum vt de illius pecuniæ periculo cõtrahat pro libito cum quo voluerit, & si propter illud pactum & conuentionem mutuatarius aliquod damnum recepit, tenetur mutuans illud compensare, quod si nullum passus est damnum, tenebitur nihilominùs eo ipso quo per pactum illud fuit mutuatarius priuatus libertate contrahendi pro libito cum alio assecuratore, aliquid ei reficere, quantum Iudicio boni viri libertas illa mutuatarij censebitur valere.

QVÆSTIO VII.

Quænam conditiones requirantur, ad hoc vt contractus assecurationis sit iustus?

1 REspondeo septem Prima est, vt merces, vel res quæ assecurantur, vel existant. Quæ conditio petit, vt inquiramus.

QVÆSTIO VIII.

An qui nullas habet merces in naui, sed fingit eas habere, posset petere illas sibi assecurari?

1 AD hoc dico primò, quod si assecurator sciens, & prudens in illa naui nullas esse merces, vel non tanti valoris vult nihilominus illam perinde assecurare, ac si reuerà esset onusta mercibus, ac tãti valoris, si pereat, tenetur in conscientia eius iacturam soluere. Ratio est, quia in hoc casu non decipit assecuratorem, nec potest ille censeri inuoluntarius, sed liberè, & maximè voluntarius, & qui si quod patitur damnum, vel iniuriam, sibi ipsi illud intulit.

Tum quia talis assecuratio censetur esse contractus sponsionis, vt si nauis salua peruenerit ad portum lucretur, v.g. centum si perierit, amittat mille. Ita Lop. lib. 2. de contr. c. 16. Less. lib. 2. cap. 28. dub. 4.

2 Secundò dico, quod si assecurator bonâ fide putabat nauem esse onustam, non tenetur iacturam nauis refarcire si pereat. Ratio est, quia in hoc contractu nulla est assecuratio, si quidem reuera non est rei periclitantis contractus, deficit enim materia, quæ contractui præsupponitur, & consequenter consensus contrahentium: numquam illum contractum iniret, si sciret reuerà esse vacuum, eo quòd prudenter

Digitized by Google

timeret periculum nauis quia non adhiberetur tanta diligentia in ea seruanda, atque si esset mercibus onusta, quin verò timenda esset fraus, ne consultò eam submergi timeret, vt lucraretur merces assecuratas.

Tum quia cum hic contractus sit quædam fideiussio, res assecurata talis esse debet, vt si pereat, eius valorem assecurator persoluat, maneatque illius dominus, cum iure recipiendi illam tanquam verè suam, in euentum quod alicubi appareat, quo iure expoliatur assecurator, qui ita decipitur, si merces, quas assecurat, verè non existant. Ita Ban. 2.2. quæst. 78. art. 4. Lop. lib. 2. de contract. cap, 16. & Rebel. p. 2. de obligat. lib. 16 quæst. vnica.

3 Poterit tamen secundùm Victoriam iste assecurator bonæ fidei mercedem assecurationis licitè retinere si quidem bonæ fidei illam securitatem præstitit.

Tum ratione lucri cessantis, si hac deceptione, prohibitus fuit lucrari, quod alias iustè lucraturus erat.

4 Tum demùm, quia sicut in ludo ludens cum chartis fallis, licèt non possit lucrari, tamen colluſor eius in eodem ludo sincere ludens, benè potest quæ illic lucratus fuerit retinere: ita in hoc casu, assecurator deceptus, videtur quòd possit retinere mercedé assecurationis, licèt in euentum, quòd nauis perierit, iacturam mercium, cum eam non sit passus dominus mercium, non possit expoſcere ab assecuratore decepto.

Tertiò dico, quòd si talis assecurator cum ea animi dispositione fecit contractũ, vt etiamsi sciuisset nauem esse vacuam, nihilominus voluisset contrahere, & in hoc euentu tenetur eius iacturam soluere, quia tacita mens eius erat, etiam in eo euentu se obligare, & lucro, damnóque exponere. Ita Bannes 2.2. quæst. 78. artic. 4.

5 Quartò, & vltimò dico, quòd talis contractus est validus, si adhibeatur tanta diligentia in seruanda vacua naui, atque si esset onusta mercibus. Ratio est, quia tunc nulla fit iniuria assecuratori, neque exponitur maiori periculo, sed omnino est quoddam genus sponsionis quia eodé modo sponsionem possent facere alij, ad quos salus, vel submersio nauis nihil attinet, dicendo si salua ad portum applicuerit, dabo tibi centum sin minùs dabis mihi mille. Ita Bannes 2.2. quæst. 78. artic. 4.

QVÆSTIO IX.

Quid? si Titius existens in Sicilia, præcipiat Caio commoranti in Lisbona, vt in tali nauigio ad se mitteret centum choros tritici, existimansque venturos, petiit assecurari eos à Scio, assignato iusto ei pretio. An si nauis illa pereat, teneatur Seius valorem integrum illarum mercium Titio restituere?

1 HVic quæstioni respondet luculenter Molina tom. 2. de contr. disp. 507. sic. Si nihil mercium fuit nauigio impositum, contractus fuit nullus, ac proindè, nec Titius tenetur ad pretium, nec Seius ad valorem mercium. Si verò minus mercium fuit impositum, Titius tenetur solùm ad pretiũ assecurationis pro quantitate mercium naui impositarum, & Titius solùm ad valorem earundem mercium, si perierint. Ratio est, quia in hoc casu deest materia contractus, sine qua subsistere nequit.

Tum quia contractus videtur tacitè esse factus sub hac conditione, si merces naui imponerentur, ergo illis non impositis, vel non in tanta quantitate, defuit consensus qui est de intrinseca ratione contractus.

2 Secunda conditio est, vt euentus rei quæ assecuratur, sit vtrique contrahentium incertus, saltem comparatione notitiæ, quam vterque contrahentium ea de re habet, quoniam id satis est, esto res iam perierit. Ratio huius est, quia cum Iustitia huius contractus in eo consistat, vt vterque eorum lucro, & dãno æqualiter sit expositus requiritur necessariò, euentum rei quæ assecuratur vtrumque latere: nam aliter is cui ille certus esset ac cognitus nulli profecto periculo se exponeret.

3 Hinc, si assecurator tempore contractus nouit iam merces peruenisse ad portum, in quem illas assecurat, non potest pro tali assecuratione pretium exigere ab assecuratario ignorante, quia nulli se periculo exponit, sed tenetur cum expensis contractus, & damnis secutis illud restituere. Si tamen nesciret pro certo illas esse in portu posset exigere, quanti periculum cui se exponit, æstimatur, etiamsi ex parte rei nullum sit periculum: nam periculum censetur tale, quale bona fide æstimatur.

4 Hinc, si dominus mercium tempore quo cele

Digitized by Google

celebratur assecuratio, sciebat merces iam esse naufragio deperditas, vel à piratis captas, non potest conuenire cum alio, vt assecuret eas, nec petere earum æstimationem sibi restitui, quin potiùs tenetur restituere omnes expensas, vel damna quæ assecurator ille, quem decepit, ea ratione pateretur. Et ratio est, quia assecuratio supponit rem adhuc esse in periculo, vel certè esse posse. At si scitur periisse, scitur non posse in periculo esse, ac proinde scitur non posse assecurari; assecutor autem tenetur ei refundere pretium acceptum, quia contractus fuit nullus. At si non erat omninò certus rem periisse, videtur dominus eius aliquid posse exigere ab assecuratore, quia soluendo pretium, exponit se alicui periculo amittendi illud pretium in euentum quod non perierit, ergò si perierit, poterit ab illo tantum exigere, quãtum prudens æstimabit in tali casu spectatis omnibus circumstantiis, debuisse offerri. Si tamen bonam fidem habebat, hoc est, ignarus erat talis naufragij, poterit rei assecuratæ valorem recipere. Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica.

5 Obicies, assecuratio non valet, quando merces, quæ assecurantur non extant, ergò nec valebit, si naufragio deperditæ eo tempore sint.

Respondeo disparem esse rationem quia in hoc casu de mente contrahentium iuxtà receptam praxim, periculum intelligitur susceptum etiam quoad præteritum, si fortè iam contigisset; vnde solet apponi clausula, vt præstet totum periculum de apotheca, ad apothecam. At in priori casu mens contrahentium non est assecurare merces, si nullæ naui impositæ sint, nec plus quam inter eos expressum sit.

Tertia est, vt periculum cui res assecuratæ subiiciuntur sit verum, & reale. Hæc conditio postulat, vt inquiramus.

QVÆSTIO X.

An merces nulli periculo expositæ, possint licitè pretio assecurari?

1 ARch. & Laur. quos refert Sylvest. verb. negotium q. 5. negant.

Alij verò vt Garc. p. 2. de contr. c. 15. & Sylu. loco cit. affirmant, quia semper est ex natura rei aliquod periculum in eo, quòd res exposita est casibus fortuitis, quibus perire potest.

2 Ego igitur, vt rem paucis absoluam, quatenus ad rem nostram pertinet, dico primò, quòd si res, quam vnus petit assecurari nulli prorsus periculo sit exposita, non potest alius pretium pro assecuratione accipere, quia nullum onus in se suscipit; alioquin res in tuto, & ab omni periculo libera posset pro pretio assecurari, quod est plusquam falsum.

Secundò dico, quòd quotiescunque rei quæ assecuratur, subest aliquid periculi, tunc pro ratione periculi, quod nunc maius, & nũc minus inuenitur, potest assecurator iustè pretiũ assecurationis accipere.

Tertiò & vlt. dico, quòd quia semper subest aliquid periculi in reb. casui fortuito expositis, ideò pro assecuratione huiusmodi, iustè assecuraror potest pretium exigere. Ratio est, quia talis susceptio periculi, est pecunia æstimabilis.

3 Quarta conditio est, vt pretium sit iustum pro ratione periculi, cui assecurator se exponit Quam ob rem considerandæ sunt diligenter omnes circumstantiæ temporis, loci, & personarum, vt pretium constituatur. Non enim cõstat illud in indiuisibili. sed habet sicut & in cæteris rebus suã latitudinem, infimi, medij, ac rigorosi, & supremi, augeriq́ue potest, vel minui non solũ pro maiori, aut minori valore rei, quæ assecuratur, sed etiam pro maiori, aut minori periculo, cui assecurator se exponit, vt si nauis in qua merces asportantur longiorem, & difficiliorem confectura sit nauigationem, aut multi sint piratæ &c.

QVÆSTIO XI.

Quodnam sit iustum pretium in assecuratione?

1 REsp. esse illud, quod fuerit communi omnium æstimatione, vel aliqua lege, & constitutione Principis, vel statuto Reipublicæ constitutum. Vbi verò nec lex, nec communis æstimatio hominum certum pretium taxauit, pro maiori vel minori valore rei, quæ assecuratur, & pro maiori, aut minori periculo cui assecurator seipsum exponit, maius minusue pretium determinandum est. Ex communi tamen, fori pro assecuratione decem solent exigi quatuor, quinque, aut sex &

timeret periculum nauis quia non adhiberetur tanta diligentia in ea seruanda, atque si esset mercibus onusta, quin verò timenda esset fraus, ne consultò eam submergi timeret, vt lucraretur merces assecuratas.

Tum quia cum hic contractus sit quædam fideiussio, res assecurata talis esse debet, vt si pereat, eius valorem assecurator persoluat, maneatque illius dominus, cum iure recipiendi illam tanquam verè suam, in euentum quod alicubi appareat, quo iure expoliatur assecurator, qui ita decipitur, si merces, quas assecurat, verè non existant. Ita Ban. 2.2. quæst. 78. art. 4. Lop. lib. 2. de contract. cap, 16. & Rebel. p. 2. de obligat. lib. 16 quæst. vnica.

3 Poterit tamen secundùm Victoriam iste assecurator bonæ fidei mercedem assecurationis licitè retinere si quidem bonæ fidei illam securitatem præstitit.

Tum ratione lucri cessantis, si hac deceptione, prohibitus fuit lucrari, quod alias iustè lucraturus erat.

4 Tum demùm, quia sicut in ludo ludens cum chartis falsis, licèt non possit lucrari, tamen colluſor eius in eodem ludo sincere ludens, benè potest quæ illic lucratus fuerit retinere: ita in hoc casu, assecurator deceptus, videtur quòd possit retinere mercedē assecurationis, licèt in euentum, quòd nauis perierit, iacturam mercium, cum eam non sit passus dominus mercium, non possit exposcere ab assecuratore decepto.

Tertiò dico, quòd si talis assecurator cum ea animi dispositione fecit contractū, vt etiamsi sciuisset nauem esse vacuam, nihilominus voluisset contrahere, & in hoc euentu tenetur eius iacturam soluere, quia tacita mens eius erat, etiam in eo euentu se obligare, & lucro, damnóque exponere. Ita Bannes 2.2. quæst. 78. artic. 4.

5 Quartò, & vltimò dico, quòd talis contractus est validus, si adhibeatur tanta diligentia in seruanda vacua naui, atque si esset onusta mercibus. Ratio est, quia tunc nulla fit iniuria assecuratori, neque exponitur maiori periculo, sed omnino est quoddam genus sponsionis quia eodē modo sponsionem possent facere alij, ad quos salus, vel submersio nauis nihil attinet, dicendo si salua ad portum applicuerit, dabo tibi centum sin minùs dabis mihi mille. Ita Bannes 2.2. quæst. 78. artic. 4.

QVÆSTIO IX.

Quid? si Titius existens in Sicilia, præcipiat Caio commoranti in Lisbona, vt in tali nauigio ad se mitteret centum choros tritici, existimansque venturos, petiit assecurari ei à Seio, assignato iusto ei pretio. An si nauis illa pereat, teneatur Seius valorem integrū illarum mercium Titio restituere?

1 HVic quæstioni respondet luculenter Molina tom. 2. de contr. disp. 507. sic. Si nihil mercium fuit nauigio impositum, contractus fuit nullus, ac proindè, nec Titius tenetur ad pretium, nec Seius ad valorem mercium. Si verò minus mercium fuit impositum, Titius tenetur solùm ad pretiū assecurationis pro quantitate mercium naui impositarum, & Titius solùm ad valorem earundem mercium, si perierint. Ratio est, quia in hoc casu deest materia contractus, sine qua subsistere nequit.

Tum quia contractus videtur tacitè esse factus sub hac conditione, si merces naui imponerentur, ergo illis non impositis, vel non in tanta quantitate, defuit consensus qui est de intrinseca ratione contractus.

2 Secunda conditio est, vt euentus rei quæ assecuratur, sit vtrique contrahentium incertus, saltem comparatione notitiæ, quam vterque contrahentium ea de re habet, quoniam id satis est, esto res iam perierit. Ratio huius est, quia cum Iustitia huius contractus in eo consistat, vt vterque eorum lucro, & dāno æqualiter sit expositus requiritur necessariò, euentum rei, quæ assecuratur vtrumque latere: nam alter is cui ille certus esset ac cognitus nulli profecto periculo se exponeret.

3 Hinc, si assecurator tempore contractus nouit iam merces peruenisse ad portum, in quem illas assecurat, non potest pro tali assecuratione pretium exigere ab assecuratario ignorante, quia nulli se periculo exponit, sed tenetur cum expensis contractus, & damnis secutis illud restituere. Si tamen nesciret pro certo illas esse in portu posset exigere, quanti periculum cui se exponit, æstimatur, etiamsi ex parte rei nullum sit periculum: nam periculum censetur tale, quale bona fide æstimatur.

4 Hinc, si dominus mercium tempore quo cele

Digitized by Google

celebratur assecuratio, sciebat merces iam esse naufragio deperditas, vel à piratis captas, non potest conuenire cum alio, vt assecuretur eas, nec petere earum æstimationem sibi restitui, quin potiùs tenetur restituere omnes expensas, vel damna quæ assecurator ille, quem decepit, ea ratione passus est. Ita ratio est, quia assecuratio supponit rem adhuc esse in periculo, vel certè esse posse. At si scitur periisse, scitur non posse in periculo esse, ac proinde scitur non posse assecurari; assecutor autem potest ei refundere pretium acceptum, quia contractus fuit nullus. At si non erat omninò certus rem periisse, videtur dominus eius aliquid posse exigere ab assecuratore, quia soluendo pretium, exponit se alicui periculo amittendi illud pretium in eventum quod non perierit, ergò si perierit, poterit ab illo tantum exigere, quantum prudens æstimabit in tali casu spectatis omnibus circumstantiis, debuisse asserri. Si tamen bonam fidem habebat, hoc est, ignorus erat talis naufragij, poterit eti assecuratæ valorem recipere. Ita Rebuff. p. 2. de oblig. lib. 16. q. vnica.

Obiicies, assecuratio non valet, quando merces, quæ assecurantur non extant, ergò nec valebit, si naufragio deperditæ eo tempore sint.

Respondeo disparem esse rationem quia in hoc casu de mente contrahentium iuxta receptam praxim, periculum intelligitur susceptum etiam quoad præteritum, si forte ita contigisset; vnde solet apponi clausula, vt præter totum periculum de ipotheca, ad apothecam. At in priori casu mens contrahentium non est assecurare merces, si nullæ naui impositæ sint, nec plus quam inter eos expressum sit.

Tertia est, vt periculum cui res assecurata subiicinntur sit verum, & reale. Hæc conditio postulat, vt inquiramus.

QVÆSTIO X.

An merces nulli periculo expositæ, possint licitè pretio assecurari?

1 Arch. & Laur. quos refert Sylvest. verb. negotium q. 5. negant.

Alij verò vt Gare. p. 2. de contr. c. 15. & Sylv. loco cit. affirmant, quia semper est in mensura rei aliquod periculum in eo, quòd res exposita est casibus fortuitis, quibus perire potest.

2 Ego igitur, vt rem paucis absoluam, quatenus ad rem nostram pertinet, dico primò, quòd si res, quam vnus petit assecurari nulli prorsus periculo sit exposita, non potest alius pretium pro assecuratione accipere, quia nullum onus in se suscipit; alioquin res in tuto, & ab omni periculo libera posset pro pretio assecurari, quod est plusquam falsum.

Secundò dico, quòd quotiescunque rei quæ assecuratur, subest aliquid periculi, tunc pro ratione periculi, quod nunc maius, & nũc minus inuenitur, potest assecurator iustè pretiũ assecurationis accipere.

Tertiò & vlt. dico, quòd quia semper subest aliquid periculi in reb. casui fortuito expositis, ideò pro assecuratione huiusmodi, iustè assecuraror potest pretium exigere. Ratio est, quia talis susceptio periculi, est pecunia æstimabilis.

3 Quarta conditio est, vt pretium sit iustum pro ratione periculi, cui assecurator se exponit Quam ob rem considerandæ sunt diligenter omnes circumstantiæ temporis, loci, & personarum, vt pretium constituatur. Non enim cõstat illud in indiuisibili. sed habet sicut & in cæteris rebus suã latitudinem, infimi, medij, ac rigorosi, & supremi, augeriq́ue potest, vel minui non solũ pro maiori, aut minori valore rei, quæ assecuratur, sed etiam pro maiori, aut minori periculo, cui assecurator se exponit, vt si nauis in qua merces asportantur longiorem, & difficiliorem confectura sit nauigationem, aut multi sint piratæ &c.

QVÆSTIO XI.

Quodnam sit iustum pretium in assecuratione?

1 Resp. esse illud, quod fuerit communi omnium æstimatione, vel aliqua lege, & constitutione Principis, vel statuto Reipublicæ constitutum. Vbi verò nec lex, nec communis æstimatio hominum certum pretium taxauit, pro maiori vel minori valore rei, quæ assecuratur, & pro maiori, aut minori periculo cui assecurator seipsum exponit, maius minusue pretium determinandum est. Ex communi tamen, vsu fori pro assecuratione centũ solent exigi quatuor, quinque, aut sex &

communiter vita vnius hominis solet assecurari ad sex, septémue annos.

Quo loco obserua quòd si communi vsu fori pretium assecurationis sit excessiuum ob magna pericula, quæ plerumque vel à tempestate, vel a latronibus imminent, quamuis per astrologiam, vel reuelationé assecurator sciat non fore tempestatem, aut ex literis amici non fore latrones, potest nihilominus pretium ordinarium assecurationis accipere, tacito secreto, quia illa susceptio periculi secundùm communem æstimationem hominum tanti æstimatur; illud enim secretum assecuratori duntaxat notum, quod periculum extenuat, non minuit communem hominum æstimationem, quia est ignotum. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 28. dub. 4.

Quinta conditio est, vt qui assecurat habeat, vel probabiliter speret se in proximo habiturum bona sufficientia, vnde soluat fideliter valorem mercium, quas suo periculo suscipit, si perierint in cuius tamen explicationem quæritur.

QVÆSTIO XII.

An qui actu nihil de suo habet, nec prudenter sperat in breui se habiturum bona, vnde persoluat, si merces assecuratæ perierint, possit stipendium assecurationis recipere, si nauis salua applicauerit, ad portum?

1 RESP. non posse, & si recipit, tenetur illud restituere danti. Ratio est quia hic reuera nulli se exponit periculo, cum si perierit nauis, abdere se, aut bonis cedere parat.

2 Tum quia de facto iste nullam præstat securitatem, cum non habeat, vnde soluat pretium rei, si fortè perierit, sed potiùs totum periculum imminet negotiatori. Vnde sicut vacans ludo, qui nihil potest perdere, nihi subindè ex ludo potest lucrari, sic prorsus assecurans nauem pro mercede, cum nihil habeat in bonis, quod possit perdere, neque illam mercedem potest lucrari. Si tamen alius conscius de assecuratoris inopia, antequàm de successu nauis quicquam sciret, vellet stare contractui, vt scilicet æstimationem nauis soluat, si pereat, ipse quoque stare eidem debet, & mercedem assecurationis soluere. Sot. lib. q. 7. ar. vnico.

3 Dices, hic pro tali assecuratione potest carceri tradi, quin, & apud aliquos [illegible] gi in seruitutem, & veniens ad [illegible] fortunam, cogitur rem perditam [illegible] si nauis perierit, ergò pro illo [illegible] & damno cui assecurator se expo[illegible] terit mercedem recipere, si nauis [illegible] fuerit, & acceptum non restituere.

Respondeo negando consequen[illegible] quia ratione delicti, & fraudis in [illegible] curando commissæ potest in carcere[illegible] trudi, & ratione damni, quod illi in[illegible] veniens ad ditiorem fortunam ad [illegible] restitutionem tenetur, non autem [illegible] contractus assecurationis, cum [illegible] ualidus, & nullus in foro animæ, [illegible] tione cuius, nec assecurator iste [illegible] aliquid accipere, nec dominus merci[illegible] quid aliud ab eo exigere, quam repe[illegible] nem pretij, quod illi contulit.

QVÆSTIO XIII.

Sed quid? si contraheret quidem cum [illegible] sed non sub tanto pretio scisset?

1 RESpondeo assecuratorem in hoc [illegible] su debere restituere eiusmodi [illegible] cedis excessum. Ita Rebell. p. 2. de ob[illegible] q. vnica.

QVAESTIO XIV.

An si iste assecurator habeat tantùm in [illegible] quingentos aureos, possit assecurare [illegible] titatem vt mille, accepto pretio iusto [illegible] curationis illorum mille.

1 REferunt, Magistrum Vict. & [illegible] Ioan. à Penna huic dubitationi [illegible] respondisse. Si illa mille in multis [illegible] bus erant per mare deferenda, poterit [illegible] habeat in bonis quingenta, assecurare [illegible] mille sic diuisa, & accipere integram [illegible] cedem assecurationis illorum mille[illegible] non est verisimile, quòd omnia illa nau[illegible] sint naufragium passura: sufficit enim [illegible] cturæ verisimiliter possibili reparandæ [illegible] contingat assecuratorem illa quingenta [illegible] bere in bonis. Quod si illa mille in vna eadem naui erant transferenda, non po[illegible] habentem tantum in bonis quingenta, [illegible] assecurare, sed solùm quingenta, cum hæ[illegible] tantum possit persoluere, nec similiter po[illegible] se integram mercedem assecurationis [illegible] le aureorũ accipere, sed solũ quingẽto[illegible]

Digitized by Google

2 Salon. tom. 2. de contr. disp. de assecur. Lop. lib. 1. de contr. c. 16. & p. 2. instr. conf. c. 73. & Rebell. p. 2. de oblig l. 16. q. vnica sunt huius opinionis, vt etiâsi illa mille in diuersis nauigiis diuisa deferantur, habentem in bonis solùm quingenta, non posse illa mille assecurare, sed solùm quingenta, quia ille tantùm quingenta potest amittere.

3 Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui censent hunc assecuratorem nihil posse recipere, fundamentum huius opinionis est, quia talis assecurator non alio titulo potest totum, vel medietatem pretij assecurationis recipere, nisi ex vi contractus assecurationis: sed ille contractus fuit nullus, & inuoluntarius ex parte petentis assecurationem, ergò nihil potest recipere assecurator. Maior propositio est per se nota. Minor verò probatur, quia petens assecurationem, si sciret impotentiam assecuratoris, nullo modo iniret contractum cũ eo, sed potiùs cum alio, ergò rationabiliter est inuoluntarius, & per consequens contractus est nullus. Ita Ban. 2.2.q.78.2.4.

4 Non obstat ratio Victoriæ, quia non est omninò rarò contingens, sed satis multa nauigia simul perire, & bona in eis cõtenta.

Nec etiam obstat ratio Lop. quia ipse assecurator sponte se exponit tali periculo, sine consensu alterius contrahentis, qui intendebat facere contractum assecurationis pro toto, non autem pro parte.

5 Sexta conditio est, vt dominus rei, quæ assecuratur, teneatur explicare assecuratori omnia pericula, & incommoda, quibus exposita est res illa, cum ex illis quantitas iusti pretij assecurationis desumenda sit.

6 Septima, & vltima conditio assecurationis est, vt ille cuius merces assecurantur, seruet fideliter omnes conditiones, & pacta appositа in contractu. Vt v. g. nauis quæ assecurata est, non recipiat alia onera, quibus magis illa grauetur ac periclitetur præter ea, quæ tempore contractus fuerunt expressa; non teneat aliam viam nec dirigatur in alium portũ, quàm fuit promissum assecuratori.

QVÆSTIO XV.

An qui pro pretio assecurat nauem nauigantem ad vnum portum, si postea dirigat nauis cursum ad alium, vbi subitè naufragium teneatur iacturam illius soluere?

1 QVæstio est, cuius meminit Sotus l. 6. de iust. q. 7. ar. vnico respondet autem ipse, quod si dominus mercium nauem ad alium portum minùs securum dirigat, quàm erat ille, qui fuerat in contractu assecurationis expressus, tunc si nauis periit, susceptor periculi non tenetur restituere valorem mercium, imò ipse dominus mercium tenetur soluere pretium assecurationis.

Hinc qui assecurauit merces per mare transferendas, cum hoc pacto, vt nauigatio fieret mense Maij, sed dominus nauis nauigauit mense Nouembris, vbi casu periit, non tenetur assecurans ad restituendum valorem mercium, imò dominus nauis tenetur ad pretium assecurationis. Quod secùs est, si non fuit in culpa, sed casu fortuito, vel ex aliqua causa iusta nauigationem distulit, quia tunc non tenetur soluere pretium assecurationis.

2 Hinc, qui conuenit cum alio de deferendis mercibus in vna naui magna & firma, ille autem merces detulit in alia minùs bona, quæ tamen periit, non tenetur assecurans soluere valorem mercium, imò debetur ei pretium assecurationis. Quod existimo verum, nisi in eodem itinere perierit vtraque nauis firma, & minus bona.

3 Hinc, qui assecurauit merces licitas per mare vehendas, sed dominus nauis transuexit illicitas, & prohibitas, ob quod fuerunt à fisco compreheusæ, non tenetur soluere valorem mercium, cum dominus nauis fuerit in culpa, & dolo, variando merces. Vnde hoc sibi debet imputari.

QVÆSTIO XVI.

An vita hominis liceat assecurari?

1 SYluest. verb. negotium §. 4. tenet non licere. Ratio est, quia potest subesse periculũ, vt alter, cuius interest, optet mortem illius, de cuius vita concertatur.

Tum quia huiusmodi assecuratio nulli vtilitati, sed solũ cupiditati videtur seruire.

Tum demùm, quia vita hominis nullo pretio æstimari potest; assecuratio autem circa eas tantum res versatur, quæ sunt pretio æstimabiles, & alicui periculo expositæ, ergò,

Digitized by Google

2 Sed his non obstantibus concors Theologorum sententia, Soti lib. 6. de iust.q.7. art.vnico,Molinæ tom.2.de contract. disp. 507.Saloinj tom.2.de contract.disp.de assecurat.& omnium recentiorum,id ex natura sua, & ex obiecto semper esse licitum. Probatur,in hoc casu nulla est iniustitia,& contrahentes ex æquo se exponunt pariter damno,& lucro,ergò.

Deinde,omnis res pretio æstimabilis & periculo exposita est idonea,& accommodata materia contractus assecurationis : at vita hominis licet secundùm se nullo pretio sit æstimabilis, quatenus illo moriente accidere possunt alicui aliquod commodum, vel damnum temporale, est pretio æstimabilis, ergò sub ea ratione pretio aliquo æstimata, cum mille periculis subiiciatur,idonea est,& accommodata assecurationis materia.

Et confirmatur,nam licèt libertas secundum se,& in genere naturæ,omne pretium superet, at quatenùs illa multorum bonorum occasio est, & illius defectus multorum damnorum causa, aliquo pretio æstimatur,ita quoque & vita.

3 Nec obstat, quod obiicitur in prima opinione, nimirum ex tali assecuratione dari occasionem optandi mortem alterius: quia hoc est per accidens, & ex malitia hominum tantummodò, non ex ipso contractu prouenions. Imò licèt in donatione causa mortis, aut hæredis institutione, occasio accipiatur à donatario,aut hærede donantis, aut testatoris captandæ mortis, nec propterea donatio ipsa causa mortis, aut hæredis institutio improbantur, quia talis occasio non est data, sed accepta, sic etiam in assecuratione vitæ,si aliqua huiusmodi occasio interueniret, non obstaret, quia accepta esset,non data.

4 Nec obstat etiam quod obiicitur, huiusmodi assecurationem solùm deseruire cupiditati lucrandi, quia interdùm huiusmodi assecuratio est in Republica profícua, vt explicat Sotus in casu quo filiusfamiliàs petit à me mutuum,qui si præmaturè priùs patre suo mortem obierit, mihi non soluet;si autem patri suo fuerit superstes,in tuto erit pecunia mea,& ideo nolo mutuare illi,nisi mercator aliquis vitam illius filijfamiliàs assecuret mihi pòst mortem patris.

Neque in hoc casu appretiatur vita illius hominis, quantùm valet in se, sed iuxta damnum, quod inde assecuratori succresceret, si prædictus homo intra illud tempus à vita discederet. Atque ista de contractu assecurationis sufficiant.

DE PRECARIO.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

DE hac materia disputant Canonici Iuris interpretes in lib. 3. Decret. tit.16.de precariis Couar.lib.3.var. resolut.cap.15.n.1.Mol. tom. 2. de contract. disp.298.Azor.p.3.instr.mor.lib.7.c. 1. Lop. lib.2.de contr.c.34.Garc.lib.1.de contr.pa. 101.Nauar.in Man.c.17.n.182.& alij.Summistæ vero vt Ang.Tab.Sylvest.Armil. & plerique alij verbo precarium. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit Precarium ?

1 REspondeo,quod est contractus,quo aliquid precibus, petenti vtendum conceditur tamdiu,quamdiu is qui concessit,petierit. Et dicitur precarium, quia ad preces eius,qui id petit, solet concedi.

QVÆSTIO II.

An Precarium, & commodatum distinguantur ?

1 REspondeo distingui. Et ratio est, quia commodatum datur ad certum tempus, aut ad certum vsum expressum,vel tacitum. Vt si quis commodet aliquid ad mensem, aut ad decem dies, vel ad aliud tempus determinatum; vel si commodet librum, vt transcribatur, aut equum ad iter agendum à

Sicilia

Sicilia Neapolim, eo enim ipso censetur commodasse librum in tantum tempus, quantum iudicatum fuerit necessarium, vt transcribatur, nisi aliud in contractu fuerit expressum, & equum in tantum tempus, quantum fuerit necessarium ad eundum Neapolim, ac redeundem, nisi aliud similiter fuerit expressum. Precarium verò datur vsque ad beneplacitum commodantis, quia videlicet ita expressum fuit in contractu, vel quia neque talis vsus fuit expressus, vnde tacitè intelligitur ad certum tempus prudentis arbitrio iudicandum fuisse commodatum, vt si dicatur, poteris vti hac re mea vsque ad mensem sequentem, nisi antè ego vel filius meus repetat.

2 Ex quo colligitur precarium reuocari, vel repeti posse ante vsum, commodatum verò non item, quia precarium tandiu retineri potest ad vsum accipientis, quandiu placuerit ei qui dedit.

QVÆSTIO III.

Quinam possint precario dare, & accipere?

1 REspondeo eos omnes, qui contrahere possunt, quia precarium est contractus. Vnde necessarium est, vt sint doli capaces, quia absque consensu contrahentium contractus nullam vim habet.

QVÆSTIO IV.

In quibus rebus precarium consistat?

1 REspondeo in his omnibus, in quibus consistit commodatum, nimirum in rebus immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, & in his quæ in iure consistunt, cuiusmodi sunt seruitutes prædiorum vrbanorum, siue rusticorum. Vnde concedi potest ius transeundi per agrum alienum, vsque ad concedentis beneplacitum.

QVÆSTIO V.

An is qui precarium dedit, possit suo arbitratu, etiam sine vlla causa illud reuocare?

1 REspondeo posse. Et ratio est, quia precarium ex libera dantis voluntate existit, ac pendet. Id tamen facere non deberet cum magno dãno precatarij, absque rationabili causa, quia non obstaret exceptio doli, cum negari nequeat, quia precarium sit beneficium, quo iuuari, & non decipi accipiens debet. Ita Couar. lib. 3. var. cap. 15. nu. 6. Nauar. cap. 17. n. 182. Lop. lib. 2. de contr. c. 34. Syl. verb. precarium nu. 1. & Garc. lib. 1. de contr. p. 101. vbi addit quod repetitio precarij in hoc casu, quando scilicet sine causa, & cum magno damno precatarij reuocatur, tantum est contra charitatem, & non contra debitum iustitiæ.

QVAESTIO VI.

An is qui precarium dedit, possit illud reuocare statim ac concessum est?

1 REspondeo non posse, nisi superueniat rationabilis aliqua causa, cur statim reuocetur, quoniam qui accipit posset doli exceptionẽ opponere, cum negari nequeat, quin precarium sit liberalitatis beneficium: at de beneficio iuuandi sumus, non decipiendi, & lædendi, vt habetur in lege commodato §. sicut autem in fine ff. commod. Quare doli exceptione cogetur concedens, qui sine iusta causa ita voluerit reuocare precarium, ad iudicium boni viri concedere aliquod tempus quo precatarius possit precario vti Ita Nau. c. 17. nu. 182 Couar. lib. 3. var. c. 17. num. 6. & Molina disp. 298.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm possit aliquid precario concedi cum hoc pacto, vt non repetatur, nisi finito toto tempore, pro quo conceditur?

1 REspondeo non posse. Et ratio est, quia huiusmodi est contra substantiam, & naturam contractus precarij. Vt habetur in lege cum precario 1. ff. de precario, & tradunt egregiè Molina, & Couar. locis citatis.

QVÆSTIO VIII.

Ex qua culpa teneatur precatarius?

1 REspondeo ex dolo, & lata culpa Vt habetur in lege contract. ff. & de Reg. iuris. Et in lege quæsitum est §. eum

quo

Quæſtio Quarta. Quomodo dari poſſit Pecunia ad Fœnus, & quomodo non poſſit.

Articulus Primus. An Fœnus ſit Lucrum ex Mutuo, ſine ullo Labore, Induſtria, aut Impenſa Mutuantis.

Videtur quod ſic. Quia Lucrum, quod ex Re aliena provenit, acquiritur Domino illius Rei: ſed Pecunia mutuata eſt aliena Re: ergo Lucrum, quod ex ea provenit, acquiritur ejus Domino, ſine ullo Labore, Induſtria, aut Impenſa ipſius Domini.

Preterea, Quod ex Re aliena provenit, acquiritur Domino illius Rei: ſed Fœnus provenit ex Re aliena: ergo acquiritur Domino illius Rei.

Sed contra, Quod ex Re aliena provenit, acquiritur Domino illius Rei: ſed Fœnus provenit ex Re aliena: ergo acquiritur Domino illius Rei

numerata traduntur, & quæ functionem recipiunt. Quarè libri, pecudes, & alia huiusmodi mutuari non solent, sed commodari, quia functionem non recipiunt in rebus eiusdem generis. Panis tamen mutuò dari solet, quia in pondere consistit, & in pondere datur: sic etiam argentum, & aurum, & quodlibet aliud metalli genus, quia in eodem genere functionem recipiunt.

Hinc non est propriè mutuum, si quis alteri det ouem, vel equum recepturus aliâ ouem, vel equum, Quia hæc non consistunt in pondere, numero, & mensura. Vnde non solemus dicere, mutua mihi vnam ouem, sed potiùs est contractus innominatus. Do vt Des.

3 Consistit ergò mutuum in his rebus, quæ functionem in suo genere recipiunt, quia quo ad vsus hominum spectat, res huiusmodi quando sunt eiusdem generis, hoc est speciei, & formæ, vt logici dicunt, perinde nobis sunt vtiles, ac si essent in substantia, & numero eædem, dummodò sint in bonitate pares, ac proinde in eodem genere functionem recipiunt, quia vna vicem alterius supplet.

Dicuntur autem vsu consumi, quarum vsus est consumptio, vt oleum, vinum triticum, pecunia, & similia. Pecunia enim vbi primum alienatur, consumi dicitur ab ipso alienante, quia eiusmodi vsu, dominium illius in alium transfertur.

4 Tertia pars est (eo animo, vt statim fiat accipientis, hoc est mutuatarij) quia mutuum dicitur quasi ex meo tuum fiat: Atque ea de causa etiamsi res mutuata fortuito casu, & sine vlla mutuatarij culpa pereat, ipsi perit, non mutuanti.

Quarta pars est (cum obligatione) quia hæc traditio non habet rationem mutui, nisi cum obligatione fiat.

Quinta pars est, (vt postea) quia de ratione mutui est, vt restitutio non fiat statim, alioquin esset permutatio.

Sexta, & vltima pars est (vt tantumdem eiusdem rationis, ac qualitatis reddatur) quia sub ea obligatione res mutuo datur, vt non teneatur accipiens eandem numero reddere; benè tamen aliam eiusdem naturæ, quantitatis, ac qualitatis, siue bonitatis, quamuis abundè satisfaciat, idipsum reddendo, quod accepit, modò deterius factum non sit. Vndè non satisfacit, qui vinû nouum, pro veteri reddit, quia non restituit vinû æquè bonum, cû eo quod accepit.

5 Ex quo colligitur mutuum differre à venditione, vbi non res eiusdem rationis dantur, & à contractu permutationis, in quo res diuersæ rationis, vt frumentum pro vino, permutantur.

QVÆSTIO II.

An mutuum, & commodatum differant?

1 REspondeo differe, non solùm quia materia mutui sunt regulariter res, quæ vnico actu secundum earum proprium, ac præcipuum vsum, cô-sumi solent, & quibus non possumus vti quin simul illas consumamus, quales sunt, quæ pondere, numero, & mensura constant, vt pecunia, vinum, oleum, triticum, & similia, quæ cum tales sint, non potest mutuo concedi alicui earum vsus, quin simul côcedantur quoque res ipsæ, & earum dominium. Materia verò commodati sunt res, quæ licet vsu quandoq; deteriores reddantur, non tamen consumuntur vsu, sed permanent, vt equus, domus, vestis &c. Sed etiam quia in commodato non transfertur dominium rei commodatæ in commodatarium, sed apud commodantem permanet: commodatario autem tantum vsus rei conceditur cum pacto vt res eadem numero reddatur, vt cùm commodo tibi meum equum, manet ille sub meo dominio. In mutuo verò vsus simul, & dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur, dicitur enim mutuum, quia ex meo fit tuum, sub ea tamen obligatione res mutuo datur, vt non teneatur mutuatarius eandem numero reddere; benè tamen aliam eiusdem rationis.

Dixi notanter (secundùm eorum proprium, ac præcipuum vsum) quia si huiusmodi res ad aliquem vsum minus principalem duntaxat traderentur, vt si mercatori copia pecuniæ vel tritici ad ostentationem, non ad consumptionem concederetur, non mutuo traditæ, sed commodatæ essent.

2 Vt autem mutuum à commodato discernas, nota Regulam. Quoties enim res ita gratis conceditur à mutuante; vt statim fiat mutuatarij, ita scilicet vt vsus sit eius consumptio, nec reddenda necessariò sit eadem numero, siue res in numero pondere & men

Digitized by Google

& mensura consistant, vt vinum oleum &c. siue non item, vt si lapides ligna, & similia mutuo petantur, ad construendam domum sub onere reddendi postea alia similia, contractus mutui erit. Quod si res concedatur ad vsum, vt domus equus, qui non sit ipsius consumptio, sed eadem numero reddenda contractus commodi dicetur.

Hinc, si res mutuata crescit, vel decrescit, quoad valorem, ipsi mutuatario crescit vel decrescit, quia iam dominus eius effectus est. Secùs tamen de re commodata dicendum; commodanti enim qui dominus adhuc eius est, crescit vel decrescit.

3 Conueniunt tamen in hoc, quòd vterque contractus tam commodati, quam mutui debet esse gratuitus. Ita Nauar. in comment. de vsuris numero tertio.

Vbi notandum, quod diuersarum rerum diuersus est vsus; quædam enim sunt, quarum vsus est earum consumptio, sicut patet in vino cuius proprius vsus est eius potatio, quod quidem vinum consumitur eo vtendo ad potum, & in tritico, quod consumitur, eo vtendo ad cibum humanum, cuius est prorius vsus. Quædam vero sunt res, quarum vsus non est earum consumptio, vt patet in domo, equo, & similibus quorum vsus est inhabitatio, vel equitatio & huiusmodi, non autem dissipatio; cum nõ eo ipso, quo illis vtimur, deglutimus ea, aut annihilamus, & ideò in talibus seorsum potest vtrumque concedi. Potest enim aliquis vendere domum, retento sibi vsu habitationis ad tempus, & similiter vendere vsum retento sibi dominio domus, & item vendere dominium, & vsum. Sed in illis rebus, quarum vsus est consumptio substantiæ, earum consumptio nõ est aliud quàm vsura. Vnde bibendo vinum, quod est vsus vini, consumitur vinum & expendendo pecuniam, quod est vsus pecuniæ, consumitur pecunia.

4 Hinc, qui mutuat pecuniam ea conditione, vt restituatur sibi pecunia integra, & vlteriùs pro vsu pecuniæ, vult aliquod lucrum, vendit seorsum vsum pecuniæ, & ipsam pecuniæ substantiam: vsus autem pecuniæ vt diximus non est aliud, quam eius substantia, vnde vendit id quod non est, vel vendit idem bis, vnde dicitur vsura, quia vult pretium pro vsu.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit mutuum?

1 REspondeo duplex, formale, seu expressum, vel explicitum, & virtuale seu implicitum, palliatum, præsumptum, tacitum, fictum, & interpretatiuum. Mutuũ formale, seu expressum, vel explicitum est quando apertè celebratur contractus mutui, & ratione mutui exigitur aliquid vltra sortem, vt cum quis mutuat centum alicui, lege vt postea restituat ei centum viginti, in hoc casu est mutuum expressum & manifesta vsura.

Mutuum autem virtuale seu interpretatiuum, vel implicitum, est quãdo sub titulo & colore alterius contractus v.g. emptionis, & venditionis, quæ ad terminum dicitur, in quo pretium rei anticipatur, vel differtur suo tempore soluendum, implicite, & virtute aliquid mutuatur recipiendum cum lucro: vbi licet forma contractus sit emptio, & venditio, tacitè tamen ipsa pretij auticipatio, aut solutio dilatio est suo modo mutuatio v.g. vendo tibi meas merces, quarum iustum pretium summum, & rigorosum sunt centum, & quia expecto solutionem per annum, vendo tibi eas centum & decem. Hic contractus habet titulum & colorem venditionis, est tamen reuera mutuum, quamuis occultum, & tacitum, & similiter vsura virtualis, & palliata, quia in hoc casu perinde me habeo, ac si tu actu, & in pecunia numerata mihi soluisses statim iustum pretium mercium, nempe illa centum, & ego illa mutuassem per annum, eo pacto vt eo transacto mihi ratione illius mutui, centum & decem redderes in quo vsura palliata tamẽ cernitur.

2 Similiter conduco, vel emo à te fructus, vel prouentus tuæ possessionis, quorum iustum pretium pium, & infimum sunt quatuor millia aureorum, & quia anticipo solutionem vnius anni, conduco, vel emo illos fructus tria millia. In hoc casu est vsura virtualis, & implicitum mutuum, quia talis contractus virtualiter idem est, ac si antè annum mutuassem tria millia, & in fine illius redderes quatuor millia.

Et idem est dicendum de omnibus aliis contractibus, quibus ratio mutui aliquo modo intercedit. Et dicitur mutuum palliatum

lium quia cooperatur pallio, nam ſub contractu apparenti, latet vſura.

3 Hoc autem pactum poteſt eſſe duplex, explicitum, & tacitum. Explicitum, vt cum dico apertè, mutuo tibi centum, eo pacto, vt in fine vnius anni ratione mutui reddas mihi centum & decem. Implicitum ſeu tacitum dicitur, vt cum dico mutuo tibi centum, ſcis tamen qualis ſit vſus, & quod non habeo vnde viuere poſſim. Vbi aduerte quod ſors in præſenti diſputatione, non ſumitur pro bona, aut mala fortuna, ſed pro capitali, id eſt pro re mutuata, puta pro mille aureis mutuatis, vel modiis centum tritici, & huiuſmodi. Mutuatarius à Doctoribus appellatur is, cui fuit aliquid mutuatum, ſicut legatarius dicitur is cui fuit aliquid legatum; mandatarius is, cui aliquid fuit mandatum, & donatarius, is cui fuit aliquid donatum.

QVÆSTIO IV.

An mutuum aliquando ſit de præcepto?

1 HVic quæſtioni, quæ latiſſima eſt, breuiſſimè reſpondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia mutuum eſt opus & officium charitatis ad indigentium neceſſitatem ſubleuandam.

Tum quia Luc. 6. Chriſtus Dominus dixit, mutuum date, nihil inde ſperantes, vbi quamuis illa verba (mutuum date) ſint conſilium, & illa (nihil inde ſperantes) præceptum. vt Papa Vrban. III. in c. conſuluit de vſuris annotauit, nihilominus tamen ea, quæ in ſacra Scriptura nobis ſub conſilio proponuntur, aliquando in legem, & præceptum tranſeunt, quia neceſſitas interdum occurrit, cui iure ſubuenire compellimur.

2 Tandem præceptum habemus elargiendi Eleemoſynam, vt omnes Doctores tradunt, ergo & dandi mutuum. Probo conſequentiam, quia maius incommodum eſt Eleemoſynaliter aliquid elargiri, quam mutuare gratis.

QVÆSTIO V.

In quibus caſibus iure cogimur mutuare?

1 REſpondeo in duobus. Primò quando proximus extrema neceſſitate laborat, & petit mutuum à nobis. Et ratio eſt, quia corde, & opere tenemur diligere proximum, ſicut nos ipſos. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 5. & 6. & Caiet. ibidem. Nauar. ca. 24. nu. 5. & alij. Secundò, quando vehementer indiget, quia nimirum vita & ſalus, libertas vel honor eius maximè periclitatur, & mutuum petit: ſecundum Conrad. q. 19. conc. 4. dixi notanter (& mutuum petit) quia ſi alter eſſet abſolutè, & ſimpliciter pauper, quia nec ibi, nec alibi haberet, nec vlla eſſet illi ſpes probabilis habendi aliquid in futurum, vnde mutuum ſolueret, & abſolutè peteret Eleemoſynam, (quidquid contra hoc obmurmuret Nauar. cap. 24. nu. 5.) obligaremur ad dandum, nec mutuando impleremus præceptum dandi Eleemoſynam.

QVÆSTIO VI.

Quid hæc vox vſura ſignificet?

1 REſpondeo ex D. Thom. opuſc. 73. cap. 1. communiter recepto, vſuram, nomen Ciceronianum eſſe, ſuaque primæua origine habere amplam ſignificationem, ſignificat enim vſum cuiuſque rei, ſiue bonum, ſiue malum, iuxta illud eiuſdem pro Rabirio, vſuram huius lucis. Tamen ex vſus accommodatione, inter Doctores huiuſmodi vocabulum in malam partem tantùm accipitur, vt ſignificet lucrum iniuſtũ quod recipitur ex re mutuata. Quæ quidem acceptio quaſi per antiphraſim, ideſt per contrariam locutionem ortum habuiſſe videtur, ſicut bellum dicitur, quia eſt res minimè bella, ſed deformis, & perturbans Rempublicam, & lucus, quia non habet lucem, & piſcina, quia piſcibus caret. Sic etiam quando quis vult pretium vltra ſortem, pro re quæ nullum habet fructum, aut vſum, præter diſtractionẽ, & conſumptionem ipſius, dicitur tale pretium vſura, quia accipitur pro re, quæ caret vſu. Et in hac ſignificatione ſumitur in præſenti. Sicque ſemper eſt nomen vitij, aut peccati, quod contra Iuſtitiam committit ille, qui pro vſu rei conſumptibilis accipit aliquod pretium. Vnde Hebræi accommodatiſſimo nomine ad ſignificandum huiuſmodi vitij malitiam vocat eam Neſchec, ideſt morſum: nam Deuter. 23. vbi noſtra editio habet, non fœnerabis fratri tuo ad vſuram, ad veritatem Hebraicam vertit Vatablus, fratrem tuum

tuum non mordebis. Et appellatur optimè morsus, nam sicut fere, & robustiores bestiæ agri, morsibus dilacerant, & excoriant inferiores, vt Lupi, & vt si Oues, & pecudes, ita diuites vsurarij vsuris & fœneribus dilacerant, destruunt, & consumunt substantias pauperum. Vnde Psal. 75. dicitur de Messia, ex vsuris, & iniquitate redimet animas, idest vitas, quia vsurarij vsque ad vitas pauperes consumunt. Cui Chrysost. super illud Matth. 5. Inquit pecunia vsurarij similis est morsui Aspidis, qui enim mordetur ab Aspide, quasi delectatus abit in somnum: & per suauitatem saporis moritur: quia tunc venenum latenter per omnia membra discurrit. Sic qui vsura pecuniam accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed reuera per omnes facultates decurrit, & totam illius facultatem conuertit in debitum. Vnde D. August. ad Macedon. ait crudelior est qui trucidat pauperem fœnore, quàm qui subtrahit diuiti aliquid, vel eripit. Et Cicero 2. offi. ait fœnerare est hominem occidere. Vnde vsura dicitur vorago, idest deuoratio, & vsurarij deuoratores vocantur populorum, eo quòd eorum labores comedunt contra Domini præceptum, qui dicit in sudore vultus tui &c. Aspectus vsurarij hominibus valdè odiosus est, repræsentat enim Lupi effigiem, de quo Arist. cap. 7. de animalibus ait, Lupus est, animal quoddam bestiis aspectu horribile, & inter cætera voracissimũ, ita quòd quanto plus comedit, tanto plus esurit, deglutiens omnia nil aliud sibi curæ est, nisi vt deprædetur, non vt impleatur; ita vsurarius aspectu suo debitorem terret, nunquàm diuitiis satiatur. Vnde Eccles. iast. cap. 5. ait auarus nunquam impletur, & quanto plus possidet, tanto magis desiderat anima eius: de quo desiderio sic fertur, crescit amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit.

2 A Græcis dicitur Tochos id est partus quasi sit partus proueniens monstruosè à re non parienti, & sterili & non fructifera ex se, qualis est pecunia &c.

Apud Latinos dicitur vsura ab vsu, siue lucro, quod immediatè ex mutuo acquiritur. Dicitur etiam fœnus, quasi quidam pecuniæ fœtus, vel partus.

QVÆSTIO VII.

Quid sit Vsura?

1 REspondeo, quod est lucrum rei pecunia æstimabilis, immediatè ex mutuo proueniens. In qua definitione quatuor sunt partes. Prima est lucrum per quod intelligitur omne incrementum, seu commodum temporale, quod quis acquirit supra sortem principalem, siue maius sit, quod dicitur à manu, à lingua, & ab obsequio, siue onus, obligatione, aut quidquis aliud iuxta D. Tho. 2. 2. qu. 78. art. 1. communiter receptum. Quod non obscurè colligitur ex Leuit. 15. non accipias vsuras ab eo, nec amplius, quam dedisti: tunc etiam ex illo Luc. 6. mutuum date, nihil indè sperantes. Si expendantur illæ vniuersales dictiones, nec amplius, & nihil indè.

Secunda pars est (rei pecunia æstimabilis) quæ ponitur primò ad excludenda bona cœlestia, & spiritualia, vt gratia, & gloria, quas potest mutuans ex mutuatione propter Deum facta sperare, quia non sunt temporalia bona, pretio æstimabilia.

Secundò ad excludendam benevolentiam amicitiam, & similia, quæ habentur vt spiritualia, & quæ suaptè natura pretio non æstimantur, licèt ab hominibus maximè expetantur. D. Thom. 2. 2. quæst. 78. artic. 2.

2 Tertia pars est (ex mutuo) quia non est vsura, vbi mutuum non supponitur; siue formaliter, vt cum quis expressè aliquid mutuauit sine virtute, vt cum quis vendit rem plus iusto ob dilatam solutionem, aut emit minùs iusto, ob anticipatam; dum enim venditor concedit dilationem, implicitè illi mutuat pretium vsque ad tempus solutionis: & dum emptor anticipat solutionem, implicitè mutuat vsque ad tempus traditionis rei emptæ. Vnde lucrum hinc proueniens est vsurarium.

Hinc, qui equum valentem centum aureis, centum viginti venderet, illoque statim reciperet, esset quidem iniustus venditor, non tamen esset vsurarius quia lucrum illud viginti aureorum, non ex vi mutui formalis, vel virtualis, sed ex iniusta venditione proueniret.

3 Hinc, si quis locet pecuniam suam auream ad ostentationem, ac pompam, vel vt tibi cum ea coquatur ægroto, accipiatque immoderatum pretium pro eo vsu, huiusmodi pretium, ac lucrum vsurarium non est, sed iniustum. Ratio est, quia lucrum illud non ex mutuo, sed ex locatione iniusta

Digitized by Google

iniuſta pecuniæ, perſeuerante domino eius pecuniæ apud locantem.

Idem dicendum de aliis contractibus in quibus cernitur lucrum iniuſtum, non tamen ratione mutui ſaltem virtualis.

Quarta, & vltima pars eſt (immediatè prouenies) quia huiuſmodi lucrum debet prouenire ex vi mutui, ſi enim immediate proueniret ex amicitia, vel gratitudine, vel ex ſpe alliciendi mutuantem ad cõtinuandum mutuum, non eſt vſura. Vt autem cenſeatur vi mutui prouenire, exigitur vt mutuans intendat ex vi mutui obligare mutuatarium ciuiliter, ſeu obligatione iuſtitiæ.

4 Vt ergò ſcias diſtinguere contractus vſurarios à reliquis, perpende an aliqua ratio mutui ſaltem virtualis interueniat: deinde an ratione ipſius mutui præcisè lucrum aliquod, tanquam pretium vltra ſortem intendatur. Nam tunc talis contractus in vniuerſum erit vſurarius, quod ſi alterum deſit, minimè. Ita Molina diſp. 303.

Ex qua definitione colligitur, quinque eſſe de eſſentia vſuræ.

5 Primò vt interueniat mutuum formale vel virtuale.

Secundò vt interueniat lucrum ſcilicet aliquod commodum temporale.

Tertiò vt illud lucrum ſit pretio æſtimabile.

Quartò vt hoc lucrum proueniat propriè ex mutuo, nõ autẽ ex aliquo intereſſe.

Quintò. & vltimò, vt tale lucrum proueniat ex mutuo immediatè.

Ex his paucis dictis confeſſarius diſcernere poſſet, inter contractus vſurarios, & non vſurarios, ſcilicet quando concurrunt hæ conditiones, & quando non: ſed propter ſimpliciores ponentur multi caſus examinandi per omnes conditiones.

QVÆSTIO VIII.

Quotuplex ſit vſura?

1 REſpondeo duplex ſcilicet realis, & mentalis. Vſura realis eſt, quando quis mutuat cum pacto tacito, vel expreſſo accipiendi aliquid vltra ſortem, ſiue pactum illud fiat verbis, ſiue ſignis, ſiue aliquo alio modo. Et hæc rurſus diuiditur in vſuram apertam, & palliatam. Aperta dicitur, quando apertè in pactum, lucrum deducitur. Palliata verò quando verbis fucatis, & fallacibus exercetur, vt ſi mutuatario dicat, noſti conſuetudinem, aut confido pecuniam hanc non reuerſuram ad me vacuam, aut memineris me priuari vſu meæ pecuniæ, & habere filios, aut aliud ſimile.

2 Vſura verò mentalis eſt, cum quis mutuat hac intentione, vt ex mutuo aliquod lucrum vltra ſortem accipiat, tamen talem intentionem nullo modo exterius manifeſtat mutuatario, ſed externùs eſt ſimplex mutuum, interiùs autem lucrum intendit ex mutuo, quia ſcit mutuatarium id daturum, non quidem ex liberalitate, & gratitudine, ſed timore, ne alia vice mutuum ei denegetur, vel aliqua alia ratione. Talis vſura, & ſi mutuum reale ſit, mentalis dicitur, quia pactum de lucro, neque expreſſè, nec tacitè intercedit callida tamen mente lucrum ex mutuatione intenditur.

Vſura realis iterùm diuidi ſolet in formalem, & virtualem: formalis dicitur in qua mutuum cũ lucro cernitur formaliter verbi gratia mutuo tibi centum, vt elapſo anno reddas mihi centum viginti. Vſura autem virtualis dicitur, in qua mutuum virtualiter cernitur, verbi gratia, quia vendo tibi meas merces pecunia credita, vendo eas cariùs, quàm valent pecunia numerata. Eſt hic mutuum virtuale, quia perindè eſt, ac ſi mutuaſſem pretium mercium, vt in fine anni mihi ſolueretur cum lucro. Similiter quia emi merces anticipata ſolutione, emi eas viliùs, eſt in hoc caſu mutuum virtuale, quia perinde me habeo, ac ſi centum mutuaſſem, vt in fine vnius anni reciperem centum viginti, quo pretio æſtimabuntur merces tempore, quo tradentur.

QVÆSTIO IX.

An vſura ſit prohibita?

1 GRæci, & Albanenſes, vt author eſt Guido Carmelita in ſumma hæreſũm, ſentiunt vſuram nullo iure eſſe prohibitam. Huic opinioni ſubſcripſit Carol. Mol. iuriſta in tract. de commer. nu. 7. vbi probat vſuras moderatas, quas ius ciuile permittit, eſſe licitas.

2 Sed his non obſtantibus, concors eſt omnium Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, vſuram eſſe prohibitam, & oppoſitũ aſſerere, eſſe hæreſim damnatã in Conc.

Vien. ſub Clem. 5. & habetur in Clem. vnica tit. de vſuris §. vlt. vbi ſic dicitur. Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præſumat, exercere vſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum, eſſe puniendum.

Sed difficultas eſt. Quo iure vſura ſit prohibita?

Abulenſis tom. 7. ſuper Matth. c. 25. q. 171. & 172. exiſtimat vſuram eſſe prohibitam tantum iure poſitiuo.

Contraria tamen ſententia & communis, & vera eſt. Pro qua dico primò, quod vſura eſt prohibita iure naturali. Et ratio eſt, quia contra ius naturæ eſt vendere idē bis, ſeu duplici pretio, vel vendere id quod non eſt, ac ſi eſſet, ſed qui accipit vſuram pro pecunia mutuata, vendit idem bis, vel certè vendit id quod non eſt, ergò peccat contra ius naturæ. Maior propoſitio eſt per ſe nota: Minor verò probatur, nam qui dat mutuum ad vſuram, recipit poſtea quidem tantùm, quantùm dedit: & inſuper pro vſu illius, qui non diſtinguitur a ſubſtantia mutui, ac proindè nullius eſt pretij, ſeorſum à mutuo accipit aliquid aliud. ergo aut rem ipſam bis vendit; aut certè pro vſu, qui non eſt pretio æſtimandus, pretium accipit. Ratio eſt D. Th. 2. 2. quæſt. 78. ar. 1.

2 Deindè contra ius naturæ eſt, vt quis accipiat pretium pro re, quæ nullo modo eſt ſua, nec quo ad vſum, nec quoad dominium: ſed mutuans neque dominium, neque vſum habet rei mutuatæ, ſed eo ipſo, quo mutuat, totum omnino transfert à ſe in mutuatarium, ideò enim dicitur mutuũ, quaſi ex meo tuum, ergò ratione illius rei nihil poteſt percipere, vltra redditionem æquiualentis, in quo conſiſtit mutuum.

3 Tandem contra naturam eſt, percipere fructum ex re, quæ natura ſua non parit, ſed eſt ſterilis: atqui pecunia ſua natura nõ parit, niſi induſtria, & opera vtentium, ergo contra ius naturale eſt, vt ex mutuata pecunia vſurarius lucrum accipiat, quia etſi aliquando expoſita mercaturæ fructificet, hoc non eſt tribuendum pecuniæ, ſed induſtriæ mercatoris, & ideò pertinet ad ipſum mutuatarium tanquàm res ſua. Ita D. Tho. 2. 2. q. 78 ar. 1. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 20. dub. 4. Arag. 2. 2. q. 78. a. 1. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 8. q. 2. ſect. 2. Bañ. 2. 2. q. 78. a. 1. Val. t. 3. d. 5. q. 21. p. 1. §. 1. Sa. 2. q. 78. a. 1. & Ariſt. 1. polit. c. 6. & 7. & 4. Ethy. c. ſola naturalis rationis luce ductus, veriſſimè iudicauit, vſuram contra naturam eſſe.

Secundò dico, quod vſura eſt prohibita iure diuino. Probatur primò ex Ezec. 18. vbi inter lethalia peccata, quibus iuſtitia & gratia amittitur, ter computatur ad vſuram dare, & ampliùs accipere. Et in Pſal. 14. docens Regius propheta, quiſnam ſine macula in Montem ſanctum domini foret ingreſſurus ait. Qui pecuniam ſuã non dedit ad vſuram: quem locum perpendentes Patres Concilij Niceni can. 18. ita inquiunt. Multi Clerici turpia lucra ſectantes, obliti ſunt diuini præcepti, quo dicitur. Qui pecuniam ſuã non dedit ad vſuram. Et Pſ. 54. eã inter alia vitia cõmemorat dicẽs non defecit de plateis eius vſura & dolus. Pſ. 71. de Meſſia dicitur, ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum. Item Prouerb. 28. qui coaceruat diuitias vſuris, oratio eius erit execrabilis. Hoc idem habetur Exo. 22. Leuit. 25. Deut. 23. & aliis in locis.

4 Tertiò dico, quòd vſura eſt prohibita lege Euangelica. Probatur. Vſura eſt prohibita lege Euangelica. Probatur, Vſura eſt contra legem naturalem, ergo, & contra legem. Euangelicam. Probo conſequentiam, quia lex Euangelica perficit legem naturalem, nec eam deſtruit.

Deindè in lege Euangelica prohibetur furtum, & omnis vſurpatio rei alienæ, cum dicitur, non furaberis; ſed vſura eſt vſurpatio rei alienæ inuito domino, vt conſtat, ergo eſt contra legem Euangelicam.

Tandem eſt concluſio definita ab Vrbano iij. cap. conſuluit extra de vſuris, & ab Alex. iij. in Conc. Lateran. pro vt habetur in cap. ſuper eo de vſuris vbi dicitur Crimen vſuræ vtroque teſtamento dãnari.

QVÆSTIO X.

An in Euangelio apertè ſit vſura prohibita in illo loco Luc. 6. Beneſacite & mutuum date, nihil inde ſperantes?

1 SOtus lib. 6. de iuſt. q. 1. ar. 1. putat illis Chriſti verbis, ſolùm contineri conſilium, quia ſenſus illorum verborum eſt, vt benefaciamus proximo, eiſque mutuum demus, abſque intuitu humanæ mercedis, vt diuina merces recipatur, & hoc ſolum eſt conſilium.

Quòd ſi quæras ab ipſo, vbi ergò continetur

tinetur in Euangelio prohibitio vſuræ?

2 Reſp.contineri directè in illo præcepto (non furaberis) quia illo prohibetur quæuis iniqua acceptio rei alienæ,qualem eſſe vſuram ſatis conſtat ex dictis. Hanc ſententiam ſequitur Arag.2.2.q.78. a.1.eandem ſentiunt eſſe probabilem Leſſ.li.2.c.20.dub. 4.& Rebel.p.2.de oblig.lib.8.q.2. ſect.2.

3 Sed communis ſententia, quæ multò probabilior eſt,vult vſuram prædicto loco Euangelico,eſſe prohibitam à Chriſto Domino, ita vt illis verbis partim conſilium contineatur quatenus,dicitur(mutuum date.) partim præceptum quatenus dicitur (nihil inde ſperantes.Nam Vrb. Papa III. in c.conſuluit de vſuris, Alex. III. in illo c.ſuper eo.Et Leo X.in Bulla approbata in Conc.Lat.ſeſſ.10.adducunt illa verba Lucę 6.mutuum date,nihil inde ſperantes,vt reprobent lucrum ex mutuo.Ita D.Th.2.2.q. 78.art.1.ad 4.Couar.lib.3.var.c.1.n.5. Salon. 2.2.q.79.art.1.Med.C. de vſura q.2. Bann.2. 2.q.78.art.1.Nauar.comment.de vſur. 14. q. 3.cap.1.num. 10. Rebell.lib.8. q. 2. ſect.2.& Leſſ.lib.2.c.20.dub.4.

Quartò dico, quòd vſura eſt prohibita iure humano tam Eccleſiaſtico,quam ciuili.De iure Eccleſiaſtico conſtat ex Decreto cauſa 14.q.3. & 4. & ex Decretalibus toto titulo de vſuris, & lib.6.ac Clem.vnica de vſuris §.vlt. De iure verò ciuili conſtat ex l.placuit ff. de vſuris l. ſi non ſortem ff. de condit.indeb.l.1.c.de naut.fœn.

4 Quintò,& vlt.dico,quòd vſura eſt prohibita legibus gentilium, vnde Plato in lib.de legibus ſtatuit, vt quicunque pecuniam ad vſuram mutuaret,lucro,& capitali priuaretur.Marc.Tull.2.off. & Cato non parum vſuram, vt rem pernicioſam condemnat, & Ariſt. pr.Polit. 6. & 4.Ethyc.1. vſuram contra naturam eſſe indicauit.

5 Ex quo deducimus vſuram ſecundùm ſe, & ex ſuo genere eſſe peccatum mortale. Probatur. Omne dictum,factum, vel concupitum contra legem Dei ex D.Aug.contra Fauſtum, eſt peccatum mortale. Atqui vſura eſt cõtra legem Dei vt habetur Exo. 22. ergò ex ſuo genere eſt peccatum mortale;atque ex conſequenti nulla conſuetudine immemorabili,vel humanæ,ac diuinæ poteſtatis cõceſſione,diſpenſationeue poſſe reddi licitã vſuram,quia in his,quæ ſunt intrinſecè mala,& quæ iure naturali,ac diuino, interdicuntur, nulla poteſt eſſe diſpenſatio,vt habetur inſt.de iure naturali §. ſed naturalia.

6 Obiicies, Ius ciuile vſuram permittit, & ad eam exigendam concedit actionem vt patet l.1.2.& aliis C.de vſuris,ergo.

Reſp.quamuis vſura iure canonico, diuino,& naturali ſit prohibita, tanquam ex ſe mala,& omnino iniuſta,Ius tamen ciuile ob bonum Reipublicæ illam permittit, & impunitam reliquit, ſicut & plura alia peccata,vt lupanaria,ad euitanda grauiora mala, quæ eis non permiſſis neceſſariò ſuborirentur. Ratio eſt, quia finis iuris ciuilis eſt, conſeruare pacem, & quietem Reipublicæ.At finis iuris naturalis, diuini, & Canonici eſt conſulere hominum conſcientiis,& animarum ſaluti. Ita D. Thom. 2.2.q.78.art.1.ad 3.

QVÆSTIO XI.

An Princeps ſecularis vſuram in Republica permittens,peccet?

1 RESp.non peccare. Imò ſtando intra terminos iuris naturalis, & diuini licitum eſt condere legem vſurarum permiſſiuam,non quidem propter lucrũ Principis,quod ab vſuris perciperet, hoc enim eſſet participare in crimine,quod ex genere malum eſt, ſed propter vitanda maiora mala,nimirũ furta,latrocinia,ſicut licitum eſt condere leges meretricum permiſſiuas, propter vitanda adulteria &c. nec huiuſmodi legum conditores peccant,vt omnes Doctores tradunt. Imò ſublato iure canonico, poteſt Princeps ſecularis denegare actionem repetendi vſuras iam ſolutas in iudicio, vt cum Paulo de Caſtro probat Rebell.p.2.de oblig.lib.8.q.2.ſect.2.non ſecùs, ac creditoribus negat actionem repetendi mutuum à filiofamilias, quod alioquin iure naturali creditori debetur.

2 Dixi notanter (ſublato iure canonico) quia Clement. vnica de vſuris excommunicat Iudices,Rectores,& Officiales communitatum,qui per ſua ſtatuta compellunt ad vſuras ſoluendas, vel denegant actionẽ in iudicio ad repetendum. Ita Arag. 2.2.q. 78.ar.1.Leſſ.lib.2.c.20.dub.4.Ban.2.2.q.78.a. 1. & Rebel.p.2.de oblig.lib.8.q.2.ſect.2.

QVÆSTIO XII.

An vſura fuerit Iudæis permiſſa,tanquã minùs malum, ad euitanda maiora incommoda,an verò potiùs permiſſa fuerit tanquam licita?

1 IN hac quæſtione cõuenit inter omnes, Iudæis eſſe interdictam vſuram accipere à ſuis fratribus, id eſt Iudæis. Nam Deut.23.dicitur fratri tuo nõ fœneraberis.

Sed tota controuerſia conſiſtit. An Dei authoritate fuerit licitum Iudæis vſuras accipere ab alienigenis, ſeu Gentilibus an verò ſolùm fuerit illis permiſſum vſuras accipere impunè?

2 Abulens.tom.7.ſuper Matth.q.171.& 172. quia opinatur vſuram non eſſe malam ex genere,ſed tantùm malam, quia prohibitam,conſequenter cenſet licitam fuiſſe Iudæis reſpectu alienigenarum hoc eſt Gentilium,quia reſpectu talium illis non interdicebatur.ſed potiùs concedebatur vt licita, vt patet ex Deut. 23. vbi habetur. Non fœneraberis fratri tuo ad vſuram pecuniam, ſed alieno.

Falſitas huius opinionis ex ſuperioribus ſufficienter colligitur, quibus probauimus vſuram tam iure diuino,quàm naturali,eſſe interdictam,atque adeò eſſe ex eorum genere, quæ intrinſecam malitiam habent. Quare ſicut furtum quia eſt malum ex genere,non poteſt eſſe licitum,etiam per potentiam Dei abſolutam, ita neque vſura poteſt a Deo concedi tanquam licita.

3 Conrad.de contract.q.24 quamuis exiſtimet probabilem ſententiam, quæ aſſerit non eſſe Iudæis permiſſam vſuram, vt licitam, ſed vt minus malum, contrariam tamen dicit eſſe probabiliorem, & probat quia Deus diſpenſauit cum Iudæis in præcepto de non mutando ſub vſuris, ſicut diſpenſauit cum eiſdem in præcepto de non furando, quando præcepit illis, vt ſingulos Aegyptios expoliarent.

Sed nec iſta ſentẽtia poteſt defendi,quia in his quæ ſunt intrinſecè mala,non poteſt cadere diſpenſatio etiam diuina:atqui vſura quando ex vi mutui accipitur,eſt ex natura ſua mala, vt ex dictis conſtat,ergo.

4 Maior in 4.diſt.15.q.29.Med.de vſuris q. 2.ad 3.Gabr.in 4.diſt.15.q 2. art. 1. Mich de Palatio de contr.lib.4.c.11.plerique alij tenent fuiſſe vſuram Iudæis licitam cum exteris,tanquam cum hoſtibus bona illorum iniquè detinentibus, & à quibus per mutuum ſub ſpecie, & ſimilitudine vſuræ poterant illa recuperare. Hanc opinionem cenſent eſſe probabilem D. Ant.p.2.t.1.c.7. §.2.Cou.lib.3.var.c.1.n. 7. Val.tom.2.d.5.q. 21.p.1.§.3.& Salon.2.2.q.78.art.1.

5 At verò S.Thom.2.2.q.78.art.1.& Caiet. ibidem,Sot.lib.5.q.1.art.1.Leſſ.lib.2.de iuſt. cap.20.dub.4.Salon.2.2.q.78.art. 1. & multi alij docent non fuiſſe Iudæis permiſſam vſuram contra infideles,vt licitam,ſed ſolùm tanquam impunitam, ad maiora mala euitanda,ne videlicet ex auaritia,ad quam populus ille multum erat propenſus, fratres ſuos vſuris opprimeret. Ratio huius eſt,quia vſura ex natura rei eſt iniqua,cum ſit quædam iniqua venditio; quod autem ex natura rei iniquum eſt, ſimpliciter, & omninò in ordine ad quoſcunque homines iniquum eſt,& illicitum.

Deinde in Pſal. 14. vbi damnatur vſura, cum dicitur de viro iuſto. Qui pecuniam non dedit ad vſuram.Et Ezech.18.vbi dicitur. Qui vſuram non acceperit, in vniuerſum loquitur Spiritus ſanctus à quocunque homine,nec diſtinguit inter Iudæos,& Gentiles.

Tandem Exod. 22. Deut. 23. præcipitur Iſraeliticis,ne darent ad vſuram fratribus, & proximis ſuis,frater autem & proximus, quicunque homo eſt, vt docuit Chriſtus Luc.19.in illa parabola Samaritani, contra errorem Phariſæorum exiſtimantium ſolos Iudæos eſſe ſibi proximos,ergò.

6 Ex his tamen opinionibus,re diligenter, & maturè inſpecta,ea tantùm, quam vltimo loco propoſuimus, quæ eſt D. Thom. habenda eſt, tanquam vera, ac propterea meritò inter Doctores magis communis, magiſque recepta videlicet fuiſſe vſuram Iudæis à Deo permiſſam quoad alienigenas, idque propter eorum nimiam auaritiam ne fratres, & conciues ſuos fœnoribus deſtruerent Sicut eis libellum repudij Moiſes permiſit,vt habetur Deu.24.ne alioquin vxores occiderent iuxta illud Matth. 19. permiſit vobis Moyſes libellum repudij propter duritiam cordis veſtri, vtrobique Deo, minus malum ad euitandum maius permittente,non tamen vſuram licitam faciente, vel eos à reſtituendo deobligante, ſed impunitam eſſe per legem Moſaycam, volente, ſicut inter nos permittitur meretricium, quod cum iure naturali pugnat, ad maiora mala vitanda.

Quare locus ille Deut. 23. explicandus erit,ſicut explicatur à D.Th.nempe,fœnerabis alieno,id eſt, impunis eris, ſi alienigeno ſub vſuris mutuabis.Vel vt alij interpretantur, ſi fœneratarius es,potiùs fœne-

rare

rre alieno,quàm fratri tuo,quo pacto non conceditur, vt licitus vſus vſuræ,ſed quòd minus malum ſit explicatur.

Fateor tamen opinionem Medinæ non eſſe adeò falſam, vt exiſtimat Sotus imò eſſe ſatis probabilem, & quæ defendi poteſt,nam eam apertè habet D.Ambroſ. lib. de Tobia cap.15. & refertur c.vlt.14.q.4.Et ratio id probat quia vt inquit D. Ambroſ. ab his, quos iure belli poſſumus occidere, licitè poſſumus vſuras exigere,cum publica adeſt Principis authoritas.

8 Deinde ſicut conceſſit Deus Iudæis in egreſſu Aegypti,vaſa Aegytiorum,ſimiliter dedit eis totam terram promiſſionis,& hæreditates,ac bona,quæ Gentiles in ea agẽtes retinebant iuxta illud Pſal. 104. dedit illis regiones gentium, & labores eorum poſſederunt.Sed Iudæi egredientes Aegypto non commiſerunt furtum, aut aliam iniuſtitiam, ſpoliantes Aegyptios, quia retinuerunt ſpolia illa ex diuina donatione, & ipſis debita ob ſuos labores, ergo pari ratione,fœnerantes Gentilibus,vt ſub ſpecie lucri, & fœnoris reciperent bona ſua quæ Pagani iniuſtè detinebant, nec peccabant, nec alienum iniquè accipiebant, ſed ſuum, nec cõmittebant vſuram formalem, ſed materialem tantùm, & ſimilitudinariã. Et hoc titulo putant modò Iudæi poſſe licitè exigere vſuras à Chriſtianis, maximè Romanis, & ſubiectis Imperio Romano, quia cum Principes Romani deſtruxerint locum eorum & gentem, ac bona eorum, hac via recuperant ipſi,quæ poſſunt aliqua ex parte. Nec intelligunt miſeri Regnum eorum, & gentem deſtructa eſſe iuſto Dei iudicio, quia ſuum verum Regem,& Meſſiam crucifixerunt.

Hanc tamen cõceſſionem reſtringitConrad.ad illos alienigenas,quibus cum Iudæi iuſtum bellum gerebant;vt enim iure belli bona hoſtium,diripere fas eſt ſic ab eiſdem lucrum ex mutuo in recompenſationem, vel bonorum noſtrorum quæ iniuſtè ipſi detinent, exigere rectè poſſumus : quando verò aliquid aliundè debitum, pro lucro in mutuo exigitur,iam ibi vſura non eſt.

Sed cautè legendus eſt Medina,qui loco ſupra citato putat libellum repudij in lege veteri non fuiſſe Iudæis per ſimplicem tolerantiam permiſſum, ſed etiam pro tempore illo conceſſum,vt licitum;ſed fallitur procul dubiò, quia vinculum Matrimonij ex iure naturæ eſt indiſſolubile vt communiter tradunt Doctores.

Tum quia Matth. 19. Chriſtus Dominus apertè docet Iudęis libellum repudij fuiſſe permiſſum ob duritiam cordis eorum.

QVÆSTIO XIII.

An ratione mutui aliquod lucrum liceat ſperare?

1 IN hac graui, difficili, quotidiana, & perutili quæſtione ſex ſunt opiniones.

Prima eſt Illuſtriſſ. Caiet. 2.2.q. 78.art.1. dicentis non ſemper lucrũ ſperatum, quod eſt cauſa, ſine qua non mutuationis, eſſe vſurarium, ſed tunc tantùm, quando mutuans ſperat lucrum ex mutuo. Nam ſi illud ſperat ex gratitudine, ſiue ex liberalitate mutuatarij,eſto illud non ſperaret,non eſſet mutuaturus, non eſt vſurarius, nec peccatum committit.

Secunda eſt Soti lib.6.q.1.art.2.affirmantis nunquam eſſe licitum lucrum ex mutuo ſperare, ſiue principaliter, ſiue minùs principaliter lucrum intendatur.

Ex quo infert obligationem reſtitutionis in vſura,neq; ex principali,aut minùs principali intẽtione perpendenda eſt,ſed ex eo quòd mutuanti datur gratis,vel nõ gratis.

Tertia eſt Conradi tract. 2. de contr. q. 29. aſſerentis mutuantem eſſe vſurarium, etiamſi mutuando intendat beneuolentiam mutuatarij, ſi rurſus ex ipſa beneuolentia per mutuum intendat etiam lucrum, quia inquit, mutuans ex mutuo lucrum mediatè intendit.

2 Quarta eſt Medinæ C. de vſura qu.1. dicentis, videndum eſſe, an intentio lucri ſit cauſa finalis mutui,an verò ſit ſolùm cauſa motiua,& impulſiua. Si enim eſt cauſa finalis mutui, tunc ſiue ſit principalis, ſiue ſecundaria, ſiue intendatur immediatè ex mutuo, ſiue mediatè ratione ſcilicet beneuolentiæ, facit mutuantem vſurarium; ſi verò eſt tantùm cauſa motiua,vel impulſiua,etiamſi cauſa ſit,ſine qua non-non facit vſurarium, vt ſi moueatur ad mutuandum ex eo quòd credat mutuatarium ex gratitudine liberaliter ſibi aliquid daturum.

3 Quinta eſt Card.Tolet.lib.5.ſum cap.29. diſtinguentis inter habere Spem & habere intentionem : nam aliud eſt ſperare, ſeu

desiderare rem, aliud intendere rem: intentio enim non solùm dicit velle rem, sed etiam dicit finem operationis, vt propter rem illam homo operetur. Spes autem, & desiderium solùm dicunt simpliciter velle. Quo posito dicit, quod habere spem, aut desiderium habendi aliquid vltra sortem, non facit mutuãtem vsurarium, sed intentio sic; quamuis enim quis mutuet alicui, sperans, seu desiderans se aliquid recepturum vltra sortem, non est vsurarius, tamen si intendit scilicet hac intentione mutuet, vt lucrum ex mutuo acquirat, vsuram committit. Sicut in simonia mentali, inseruire alicui Prælato hac spe, quòd ille beneficium dabit non est simonia, tamen tali intentione, & animo seruire, vt obligetur Prælatus ob seruitium, ad dandum beneficium, simonia est.

Sexta, & vltima sententia est Nauar. c. 17. nu. 209. Couar. lib. 1. var. c. vlt. num. 4. Syluest. verb. vsura 1. q. 1. & aliorũ qui dicũt quòd minùs principaliter, & impulsiuè, potest quis mutui occasione, lucrum intendere, non tamen ita vt iterum sit causa principalis, seu finalis mutui. Et in hac sententia omnes Doctores ferè conueniunt. Verum quænã intẽtio principalis, quæ minùs principalis dicatur, differentiunt.

4 Syluest. verb. vsura 1. q. 1. illam dicit esse causam principalem, sine qua mutuans non mutuaret: illam minus principalem, & impulsiuam, sine qua nihilominus mutuaret, etamsi tale lucrum non speraret. Sit hoc exemplum. Titius mutuat Caio partim ob lucrum, partim ob beneuolentiam, & amicitiã, tunc inquit lucrum est intentio principalis, quoniam si lucrum non interueniret, non mutuasset: quando verò è contrario, si beneuolentia non esset, non mutuasset, tunc principalis intentio est beneuolentia, & non lucrum, & ita tunc mutuans non est vsurarius

Sed hæc explicatio Sylu. (pace tanti viri sit dictum est) est apertè falsa, nam quandoq; accidit, vt homo faciat aliquid propter aliquem finem, quo cessante, illud non faceret, & tamẽ finis ille nõ est causa principalis. Probatur, Canonicus non adiret ad chorũ gratia persoluendi horas canonicas, nec celebraret, nisi speraret distributiones, & tamen distributiones non sunt causa principalis orationis, & Missæ, vt recte docent D. Th. in quodl. 8. a. 2. & Na. c. 17. n. 209.

5 Petr. Arag. 2. 2. q. 78. ar. 1. docet illam dicendam esse causam principalem alicuius, quæ per se appetitur, & propter quam aliquid appetitur. Est enim de ratione finis vt per se appetatur, ex illiusq; affectu, alia sint volita, vt media ad illam. Et sic causa principalis, & finalis pro eodẽ hic reputatur. Causa verò minùs principalis, seu impulsiua est, quæ non per se, sed alterius affectu est volita, & nuncupata; etiamsi sit causa, sine qua non.

Medina C. de vsura q. 1. ait, quando lucrũ est causa, vt Titius simpliciter mutuet, alioquin non mutuaturus, tunc est causa principalis, propter quam mutuum fit simpliciter. Quando verò est causa, vt facilius, & propriùs Titius mutuet, tunc solùm est causa impulsiua, & minùs principalis.

6 At Nauar. c. 17. n. 209. existimat illam esse causam principalem, qua lucrum magis intenditur, quam beneuolẽtia, vel quopiam aliud, illam verò minus principalem, cum mutuatio non fit præcipuè propter lucrum, sed propter aliud quod magis mutuantem mouet, siue foret, siue non foret sine spe talis lucri mutuaturus. Quando verò hoc modo lucrũ principaliter intenditur contemplatione mutui, cõmitti vsuram, quando verò minùs principaliter intenditur non committi putat. Quod probat ex eo, quòd non licet cum spe, sine intentione principali obtinendi beneficium inseruire Prælato, vel, Ecclesiæ ministrare propter distributiones quotidianas, licitum est tamen cum intentione minùs principali, ac secundaria eadem præstare.

7 His ita cõstitutis, vt veritas huius quæstionis perspicua maneat, existimo in primis, quod qui mutuat cum spe aliquid recipiendi vltra sortem vi mutui, siue primaria intentione, siue secundaria, & hoc tanquàm iure debitum, & ex obligatione ciuili, propter mutuum, est reuerà vsurarius. Probat primò ex illis verbis Christi, mutuum date, nihil inde sperantes, vbi non solũ prohibet aliquid accipere vt mutui, sed etiam prohibet, & tollit omnem spem accipiendi aliquid ex mutuo. Nec Christus distinguit, speretne illud mutuans principali intentione, vel minùs principali, ideft speretne ità, vt alias non esset mutuaturus, vel secùs, sed Christus absolutè, & in vniuersum prohibet aliquid sperare ex mutuo quomodocũq; illud mutuãs speret.

Deinde

Digitized by Google

Deinde vſura eſt lucrum ex mutuo, ergò qui intendit lucrum ex mutuo, ſiue primaria intentione, ſiue ſecundaria, eſt vſurarius; actus morales obiecto ſpecificatur.

6 Præterea qui furatur, vt fornicetur, licet principaliter intendat fornicationē, adhuc tamen habet in voluntate malitiam furti; ergò pari ratione, qui intendit lucrum ex mutuo, quamuis principaliter intendat amicitiam, eſt vſurarius.

Demùm, ſi mutuans minùs principaliter ex mutuo poteſt lucrum intendere; ergò & illuc in pactum deducere, quod nemo concedit. Illatio probatur, quia quidquid intendere poſſumus ratione mutui, poſſumus de eo paſciſci. Neque hic facienda eſt diſtinctio inter habere ſpem, & habere intentionē lucri, quaſi hoc non liceat, illud ſit licitum, vt fecit Tolet. quia ſpes, & intentio non ſunt actus diſtincti.

7 Secundò dico contra Conrad. & Med. quòd qui in mutuo tam principaliter, quàm minùs principaliter intendit lucrum non antequàm iure debitum, & ex obligatione ciuili, ſed ex amicitia, vel gratitudine non eſt vſurarius. Ratio eſt, quia vſura eſt lucrum ratione mutui proueniens tanquam debitum ex iuſtitia. At in hoc caſu mutuans non intendit lucrum aliquod tanquam debitum ex iuſtitia, ſed ex ſola honeſtate gratitudinis, ergò.

Deindè vſura formaliter, & intrinſecè eſt iniuſtitia, at ſperare lucrum ex ſola beneuolentia, amicitia & liberalitate, nulla eſt iniuſtitia, quia vbi nulla eſt ratio debiti, aut obligationis iniquæ, nulla eſt iniuſtitia, ergò ibi nulla eſt vſura.

9 Præterea, qui cupit lucrū ex ſola gratitudine, ſperat illud omninò voluntariè, & liberè; vbi autem talis donatio omninò libera intercedit, nulla eſt iniuſtitia, quia nullus patitur iniuſtum volens, ergò ibi nulla poteſt eſſe vſura.

Et confirmatur, lucrum vſurarium ex eo eſt illicitum, quia eſt inuoluntarium mixtè ex parte dantis, ergò qui aliquid intendit à mutuatario liberaliter donandum, iā eius intentio circa voluntarium omninò verſatur, ergò non eſt vſurarius.

Adde, ex amicitia licitum eſt intendere admirabilem compenſationem, vt docet D. Th. 2. 2. q. 106. a. 5. ergo & mutuo, quod eſt actus amicitiæ erit etiam licitum eandem compenſationem etiam principaliter intendere, non ex debito iuſtitiæ; ſed ex beneuolentia.

10 Et confirmatur, qui mutuum accipit, tenetur mutuanti gratitudinem rependere, vt tradit D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. ergò & qui mutuat poterit eandem gratitudinem etiam principaliter intendere. Probo conſequentiam, quia quod alter tenetur facere, ego poſſum intendere.

Tertiò dico, quòd qui ita mutuat ſub ſpe recipiendi lucrum ex amicitia, & gratitudine, quod non mutuaret, niſi illud ſperaret, non eſt vſurarius. Ratio eſt, quia in actionibus liberis, licet apponere conditionem honeſtam, ità vt ea deficiente non fierent tales Actiones, mutuare autem eſt actio libera, expectare aliquod lucrum ex gratitudine eſt conditio honeſta, licet ergo ita mutuare ſub hac ſpe, vt ea deficiente, non mutuaret.

11 Tum quia, quod eſt vſura in mutuo. eſt ſimonia in rebus ſpiritualibus, at quia ita ſeruit Epiſcopo, vt non ſeruiret illi, niſi expectaret ab eo beneficium, non tanquam pretium ſui obſequij, ſed ex beneuolentia, & gratitudine, non eſt ſimoniacus, ergò pari modo qui ità mutuat ſub ſpe lucri, non ex mutuo, ſed ex gratitudine, vt aliter non mutuaret, non eſt vſurarius.

Hinc collige, quàm decipiantur multi Confeſſarij idiotæ, qui hoc ſigno vtentes talē mutuantem damnāt. Nam benè poteſt mutuator ſolùm mutuare his, qui grati futuri ſunt, ſicut ego ſolū illis poſſū amicari, quos mutuis officiis reſponſuros intelligo.

Hinc non eſt vſurarius, qui per mutuum alterum amicitia deuincere intendit, vt ab eo poſtā gratis omninò ob amicicitiam, quouis commodo pecuniario afficiatur. Nec obſtat illud Luc. 6. mutuum date, &c. quia ibi non prohibetur lucrum ex mutuo, ratione beneuolentiæ, ſed tanquam pretium mutui intentum.

12 Aduertant tamen hic, Confeſſarij, quòd niſi diligentiſſimè examinent pœnitentiū intentiones, vix diſcernēt, quando mutuantis intentio feratur in lucrum ratione mutui, vel ratione beneuolentiæ; ſimiliterque difficilè diſcernent, quando mutuatarius liberè, aut inuoluntariè mixtè, propter verecundiam, aliámue cauſam lucrum concedat: coniectura tamen facienda erit, tum ex re data, tum ex qualitate dantis. Si nimirùm pauper erat, aut diues, liberalis,

aut parcus vel auarus : Item ex modo dãdi, & aliis circumſtantiis. Quando tamen mutuans de animo mutuatarij, à quo aliquid vltrà ſortem accepit dubitat, num ex liberalitate, aut inuoluntariè lucrum tribuat, peccat peccato vſuræ, ſi animo retinendi, cum tali dubio recipiat, quia periculo peccandi ſe exponit, ac proindè ad reſtituendum ſic acceptum obligabitur, niſi poſteà gratis donatum eſſe conſtet. Ita Mol. d. 305.

Hinc, qui ſciens ſe habere iuſtam cauſam in aliqua lite, dubitat tamen ne propter malitiam Iudicis feratur ſententia iniuſta, poteſt ſine vſuræ labe mutuare centum Iudici, vt iuſtè iudicet : & totidem teſtibus, vt veritatem deponant. Ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans nihil lucratur, ſed ſolùm ſuam vexationem redimit. Vt docet D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. Caiet. in ſum. verb. vſura, & Sot. lib. 6. q. 1. ar. 1. & 2.

13 Hinc, qui abſque chyrographo, vel teſtibus mutuauit alicui quinquaginta, poteſt ſine peccato vſuræ pro eorum aſſecuratione, eidem alia quinquaginta mutuare ſub obligatione, vt coram Notario ſibi fingraphum ſubſcribi faciat pro centum. Ratio eſt, quia licet iſta obligatio ſit æſtimabilis pecunia, ea tamen eſt illi debita, ac proinde vltra ſortem nihil lucratur ratione mutui. Ita Valen. tom. 3. d. 5. q. 21. p. 1. §. 1.

Hinc qui mutuat alicui cum pacto, vt pro ſua indemnitate mutuatarius iuramento, vel aliquo contractu iuſto ſe aſtringat ad reddendum mutuum, vel vt obligetur ad aliquid ſibi impignorandum, non cauſa lucri, ſed pro mutui aſſecuratione, non eſt vſurarius. Ratio eſt, quia mutuatarius ad id tenetur, nec mutuans ex hoc aliquid vltra ſortem lucratur, ſed ſolùm indemnẽ ſe ſeruat. Ita Arag. 2. 2. q. 78. ar. 2.

Similiter, ſi quis paſſus eſt damnum in bonis, vel in perſona ab aliquo, quem ad reſtituendum damnum ſibi illatum inducere, non valet, poſſet eodem modo mutuando recuperare, quod ſibi pro tali damno debetur.

14 Hinc, vſurarius eſt contractus, quem video eſſe in vſu apud mercatores. v. g. debet quis alteri centum aureos ad ſecundum annum : & agit cum illo, vt ad primum annum ſoluat quinquaginta, cum pacto, vt pro reliquis quinquaginta ad tertiũ expectet. Ratio huius eſt, quia hoc nihil aliud eſt, quàm mutuare quinquaginta eà lege, vt creditor teneatur pro alio anno expectare ſolutionẽ, quę quidẽ obligatio cũ ſit ciuilis, eſt pretio æſtimabilis. Ita M. d. 3. 5.

Hinc, qui mutuat centum non in pecunia numerata, ſed exigendos ab aliquo debitore, a quo non poſſunt exigi ſine difficultate, labore, & expenſis, eſt vſurarius. Et ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans ſẽſit beneficium pecunia æſtimabile, & mutuatarius vltra expenſas, quas facit, grauatus laboribus ad recuperandũ eos, quos poſtea in integrum mutuanti reſtituere tenebitur.

15 Poterit tamen id eſſe licitum, in caſu, quo mutuatarius non inuoluntariè mixtè, ſed ſua ſpontè ſuſcipiat mutuum in eiuſmodi debito litigioſo, vel quia ipſe facilè illud ſperat recuperare, vel quia lege gratitudinis, & amicitiæ vult onus illud ſuſcipere, ob mutui beneficium, tunc mutuans nec vſuram, nec iniuſtitiam committit hoc modo mutuando. Ratio huius, eſt quia in hoc caſu ratione mutui, nihil lucratur.

Hinc, apparet eſſe damnabilem, ac vſurarium contractum, quem frequentiſſimum video eſſe in praxi v. g. Titius debet Caio centum perſoluendos ad ſecundum annum, Caius vult, emittere Titio quartam partem, ſi ſoluat ei in primo anno, eſt illicitum, quia hoc fit ratione anticipati. Nã Regula eſt vniuerſalis in materia vſuræ, quam tradit D. Thom. in Opuſc. 73. cap. 8. quòd quando plus recipitur, quàm datur ratione temporis, contractus eſt vſurarius.

Poterit tamen eſſe licitus in duobus caſibus. Primo quando gratis, & liberaliter Caius huiuſmodi quartam partem tribuit Titio, & Titius non cauſa temporis accipit.

Secundo quando Titius quia anticipato ſoluit, incurrit damnum in propriis bonis, quod tanti æſtimatur, quanti quanta pars debiti, quod remittit.

QVÆSTIO XIV.

An qui animo vſurario aliquid accipit vltra ſortem, ſine vllo externo pacto etiam implicito, teneatur ad reſtitutionem?

1 PRo cuius quæſtionis deciſione obſeruandum eſt primò, quòd quadrupliciter poteſt contingere, vt mutuator vltra ſortem aliquid accipiat à mutuatario

Digitized by Google

tario abſque vllo pacto tacito, vel expreſſo illud accipiendi.

Primò quando mutuatarius ex mera gratitudine,ac liberalitate dat,& mutuans accipit vt eo modo datum.

Secundò quando mutuatarius dat aliquid vltra ſortem ratione mutui, & mutuator etiam accipit vt datum ſibi contemplatione mutui.

Tertiò quando mutuatarius dat immediatè ratione mutui, ſed mutuator recipit bona fide putans ſibi dari ex gratitudine, ac merè liberaliter.

Quartò,& vlt. quando mutuatarius dat aliquid vltra ſortem liberaliter, & gratis. Sed mutuator vſuraria intentione accipit, tanquam pretium mutui.Quo poſito.

2 Dico primò,quòd quando neutrius eſt corrupta intentio, quia nimirum nec mutuatarius dat ratione mutui, nec mutuans recipit vt pretium illius,ſed ſolùm in ſignũ amoris,& gratitudinis,tunc omnes conueniunt,ibi nullum eſſe peccatum vſuræ, nec obligationem reſtitutionis.Ratio eſt, quia in hoc caſu nec datum, nec acceptum eſt ratione mutui.Ita Arag.2.2.q.78.art.1.

Secundò dico, quòd quando ex parte vtriuſque intentio eſt vſuraria, quia nimirùm mutuatarius dat aliquid vltra ſortem tanquam pretium mutui, & mutuans recipit tanquàm debitum, ratione mutui, tunc etiam iudicio omnium mutuans tenetur reſtituere id, quod vltra ſortem accepit. Ratio eſt,quia datum, & acceptum eſt lucrum vltra ſortem ratione mutui.

Tum quia mutuatarius, nec liberè, nec voluntariè dat, ergò qui accipit tenetur reſtituere.Probo conſequentiam: quia per talem actionem non transfertur dominium.Ita Salon.2.q.28.art.3.

3 Tertiò dico, quòd quando tantùm ex parte mutuatarij eſt mens vſuraria, & mutuator bona fide accipit,lucrum ſibi oblatum, putans ſibi gratis, & benevolè dari, tunc etiam iudicio omnium, mutuans non tenetur illud reſtituere, quandiu manet in ipſo illa bona fides. Quamprimum verò ſciret alterum dediſſe ob mutuum, teneretur cum fructibus extantibus illud domino reſtituere.Et ratio eſt, quia non fuit libera donatio,ac proinde per eam non fuiſſe dominium tranſlatum. Ita Arag.2.2.q.78.ar.1.Val.to.3.d.5.q.21.p.3.Caie.2.2.q.78.ar.2. & Nau.c.17.n.209.

QVÆSTIO XV.

Sed quid? ſi durante bona fide id quod vltra ſortem mutuans accepit, ita conſumpſit, vt nihil ipſius apud ſe retineat, an poſtea cognita veritate teneatur illud reſtituere?

1 RESP. non teneri, ſi non fuerit inde factus ditior. Ratio eſt, quia tunc mutuans nec ratione iniuſtæ acceptionis, nec ratione rei acceptæ,quam apud ſe non habet, ad aliquam reſtitutionem obligatur.Ita Leſſ.li.2.q.20.dub.6. Caiet.2.2.q.78. art.3.& Valen.tom.3.d.5.q.21.p.3.

4 Quartò & vlt.dico, quòd quando ex parte mutuantis tantùm eſt mens vſuraria, quia nimirum mutuans accipit mente vſuraria quod ſibi à mutuatario gratis,& liberè donatur, tunc etiam iudicio omnium, mutuans ad illius reſtitutionem tenetur, quando opinatur illud non eſſe ſibi collatũ gratis,& liberè,ſed vi mutui.Ratio eſt,quia qui habet rem,quam putat eſſe alienam,tenetur ad illius reſtitutionẽ,ſed iſte ratione conſcientiæ erroneæ, habet rem quã putat eſſe alienam,ergò tenetur illam reſtituere. Ita Mol.d.306.Cou.in Reg.peccatum p.2.n. 4.Sot.lib.6.q.1.a.2.Arag.2.2.q.78.ar.1.& alij. Et in his omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XVI.

Sed dubium eſt. An poſtquàm mutuator nouerit optimum animum mutuatarij, & gratis, ac liberè ſibi datum eſſe,poſſit illud retinere?

1 ALmay.in 4.diſt.15.q. 2. & multi alij quos Couar.in Reg. peccatum p.2. n.4.refert, tuentur partem negatiuam.Huius verò ſententiæ authores non conueniunt,cui facienda ſit reſtitutio. Almay. & quidam alij cenſent faciendam eſſe pauperibus. Alij verò exiſtimant reſtitutionem faciendam eſſe ei,qui illud dedit.

2 Communis autem ſententia Doctorum habet hunc poſſe tuta conſcientia illud retinere, nec teneri ad reſtituendum. ſed ad pœnitendum tantùm de ſua iniqua,& vſuraria voluntate,quam habuit accipiendi ex mutuo.Ratio eſt, quia mutuatarius in hoc caſu reuera tranſtulit dominium in mutuantem,quia gratis,& liberè donauit, ergò ceſſante conſcientia erronea mutuans non tenetur reſtituere.

Tum quia non tenetur debitor reſtituere id quod debet, etiamſi non ſit paratus reſtituere, quando ei à creditore fit liberalis remiſſio debiti.

Tum quia nemo tenetur ad reſtitutionem, niſi qui habet alienum, vel iniuſtè læſit: atqui hic non habet alienum, nec iniuſtè læſit, ergò.

Tum quia ſi ego animo furandi accipiam librum ex tua Bibliotheca, & tamen poſtea noui librum reuerà eſſe meum, non teneor ad reſtituendum eum.

3 Tum demùm, quia obligatio reſtituendi pauperibus, ſolùm eſt, quando res quidem aliena, & retinetur inuito domino, ſed ignoratur cui ſit reſtituenda, aut etiã quando donatio eſt prohibita ſpecialiter per leges, ſicut eſt donatio ſimoniaca. Neutrum autem illorum accidit in propoſito, ergò. Ita Caie. 2.2.q.78.a.1. Mol. d.306. Sot. lib.6.q.1.art.4. Leſſ. lib.2.c.20.dub.6. Rebell. p.2. de oblig. lib.8.q.3. Couar. in Reg. peccatum p.2.num.8. Et eſt concluſio definita in l. inter omnes ff. de vſuris §. rectè.

Dices, mutuator non accipit illud lucrum vt donum, ſed vt debitum, ergò talis donatio non eſt valida.

4 Reſp. donationem non eſſe validam, quando qui accipit, non intendit donum accipere titulo donationis, ſed debiti duntaxat. At ſi intendit acceptare omni titulo, & modo quo poteſt, quod is qui lucrum quærit ſemper cenſetur facere, ſi non formaliter, certè virtute, dum contrarium non exprimit, valida eſt donatio.

Adde, quòd quamuis mutuator non acceptauerit, vt donum, poſteà tamen ſemper poterit acceptare, quandiu alter non reuocat donationem, quare non tenebitur ad reſtitutionem. Ita Leſſ. lib.2. de iuſt. & iure c.20.dub.6. Rebel. p.2. de oblig. lib.8.q.3. Caiet. & alij locis ſupra citatis.

QVÆSTIO XVII.

Sed quid? ſi mutuans nolit lucrum ſibi datum à mutuatario vt donum, ſed vt lucrum ex mutuo, tenebitúrne reſtituere ei, qui dedit, an pauperibus?

MVlti ex Summiſtis affirmant hunc teneri ad reſtituendum pauperibus.

1 Contra tamen, & meo iudicio probabilius ſentiunt Salon.2.2.q.78.ar.2. & Caie. loco cit. nimirum eum debere reſtituere lucrum acceptum mutuatario. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd mutuans non accepta illud lucrum vt donum, mutuatarius non donat voluntariè.

Deinde in vſura reali, reſtitutio non eſt facienda pauperibus, ſed ei qui dedit, ergò & in vſura mentali. Probo conſequentiam, quia vtriuſque eadem eſt ratio.

Demùm, quando apparet verus dominus rei alienæ, reſtitutio non eſt facienda pauperibus, ſed vero domino, ſed in caſu noſtro apparet dominus rei, vt ſuppono, ergò reſtitutio illius non eſt facienda pauperibus, ſed mutuatario qui dedit.

Dices, mutuatarius quantum eſt ex parte ſua gratis, & liberaliter dat, & conſequenter abdicat à ſe dominium.

Reſpondeo ſi mutuans non acceptat illud titulo donationis, eo ipſo mutuatarius non abdicat à ſe dominium, quia eo caſu nihil intendit donare.

2 Obiicies, ſimoniacus mentalis etiamſi beneficium accipiat, non tenetur illud reſignare, vt habetur in cap. fin. de ſimonia, ergò nec vſurarius mentalis tenetur reſtituere id quod in pretium mutuationis accepit. Probo conſequentiam, quia vtriuſque eadem videtur ratio.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia in ſimonia mentali, qui pretium dat pro re ſpirituali, liberè dat, ac proinde vult à ſe omninò transferre dominium pretij, at in vſura, qui ſolum lucrum, nec transfert, nec transferre vult illius rei dominium, quia non liberè, & gratis dat, ergò qui recipit tenetur ad reſtitutionem accepti. Ita Ban.2.2.q.78.art.3. & Aragon. ibidem art.1.

QVÆSTIO XVIII.

An in caſu quo mutuans liberè mutuauit, & poſteà mutuatarius dum ei reſtituit ſortem, aliquid ei largiatur, poſſit illud tuta conſcientia retinere, nihil interrogando propter conſcientiam?

1 ILluſtriſſimus Caiet. to.2. Opuſc.8.q.5. cenſet poſſe ſibi id dari vltra ſortem licitè retinere, nihil interrogando à mutuatario, an gratis dederit, vel non, quia præſumendum eſt, inquit, gratis dediſſe.

2 Oppoſitum tamen eſt verius, nempè teneri

Digitized by Google

neri huiuſmodi, ſi datum ſit alicuius momenti, interrogare, quo animo id dederit, gratis, vel non; vel ſi ex aliqua iuſta cauſa pudet id interrogare, attendat circunſtantias largitionis lucri ex ratione qualitatis perſonæ dantis, ex quantitate dati. Nam ſi mutuatarius qui id largitur eſt pauper, parúmque lucratus eſt ex pecunia ſibi mutuata, vel datum eſt ita magnum, quod non præſumitur dari gratis, mutuãs non poteſt iuſtè illud retinere, niſi reponat mutuatarium in ſua libertate, & roget illum, an det gratis. Secùs eſt, ſi mutuatarius ſit diues, liberalis, nec in dando præ ſe fert triſtitiam, aut aliquam moleſtiam, aut metum, ſeu coactionem, neque adeò ſit magna quantitas dati, quæ attenta perſona dantis non ſoleat dari gratis, quia tunc ſine ſcrupulo poteſt illud accipere tanquam dono datum, non interrogando, quia hic rationabiliter præſumitur mutuatarius, id dare gratis. Ita Med. C. de vſura q. 1. & Leſſ. li. 2. c. 20. dub. 6.

QVÆSTIO XIX.

An ſit vſura mutuare alteri eâ conditione, vt ille viciſſim ſe obliget ad mihi remutuandum tantumdem, quando indiguero?

1 ADrian. in 4. in tract. de reſtit. Maior ibidem diſt. 15. q. 29. ad 2. & Ang. verb. vſura. 1. nu. 4. negant eſſe vſuram.

Alij verò vt S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. & Caiet. ibidem affirmant. Pro quo tamen.

2 Dico primò, quòd non eſt vſura, ſi mutuans à mutuatario petat, vt ſibi tantumdem alia vice remutuet, ea ſola obligatione, qua lege gratitudinis, & ex honeſtate tenetur benefacere benefacienti. Ratio eſt, quia tunc nulla ciuilis alia obligatio ab eo exigitur, præter eam, quam ipſe habet ex iure naturali, & ex ipſa beneficij natura. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 20. dub. 8.

Secundò dico, quòd non eſt vſura, ſi tam mutuans, quàm mutuatarius ad remutuandum ſibi inuicem in futurum in æquali quantitate, & qualitate ſe obligent, vt ſi mutuo conueniunt, vt eo quòd mutuabit triticum in futurum, mutuetur vinum ſibi. Ratio eſt, quia vſura eſt pretium rei mutuatæ, in hoc autem caſu mutuans nullum pretium exigit ratione rei mutuatę, ſed alterius obligationis, ergò non eſt vſura.

Et confirmatur, vtérque alteri ſeipſum obligat, & in obligatione ſunt pares, ac proinde obligatio vnius, alterius obligationem compenſat, & cum ea commutatur, & ideò neuter ex mutuo lucrum acquirit. Ita Mol. diſp. 308. & Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2.

3 Tertiò, & vltimò dico, quòd vſura eſt, obligare in futurum mutuatarium, vt ratione mutui recepti, mutuanti remutuet, intendendo obligare eum ciuiliter, mutuante ipſo manente libero, nec ſubeunte ſimilem obligationem. Ratio eſt, quia grauamen illud, vt in futurum velit, nolit, ciuiliter tenetur remutuare, eſt quid pretio æſtimabile, eáque de cauſa exigere obligationem illam pro mutuo, eſt exigere vltra ſortem quidpiam pretio æſtimabile, atque adeò eſt vſura.

4 Confirmatur. Qui lege gratitudinis tenetur remutuare, & non remutuat, non tenetur ad reſtitutionem damni, quod ſequitur ex omiſſione remutuandi. Qui verò ex obligatione ciuili, & iuſtitiæ debito, ad illud obligatur, tenetur conſequenter ad reſtitutionem totius damni conſequuti ex illa omiſſione, ergò magnam obligationem inducit, & pecuniá maximè æſtimabilem, qui obligat alterum ad remutuandũ ex iuſtitiæ debito, etiam pro illo tẽpore, quo ex charitate, vel gratitudinis lege tenebatur. Ita Ban. 2. 2. q. 78. art. 2. Cou. lib. 3. var. c. 2. n. 5. Leſſ. li. 2. c. 20. dub. 8. Sot. li. 6. q. 1. art. 2. & alij.

QVÆSTIO XX.

An mutuans, qui obligat mutuatarium vt mox viciſſim ſibi remutuet aliam rem, ſit vſurarius? v. g. Titius petit à me triticũ mutuum, an poſſim ego illi reſpondere, mutuabo tibi triticum, ſed hac lege, vt ſtatim tu mihi remutues oleum, quo ego indigeo, aliter nolo tibi mutuare triticum quod petis?

1 MOlina to. 2. de contract. d. 308. Sot. lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 2. & multi alij abſolutè negant eſſe vſurarium, ex eo quòd mutuans nec pretium, nec obligationem extorquet à mutuatario ratione mutui; quòd enim ille remutuet ſtatim non eſt obligatio pretio æſtimabilis, cum ille in poſterum nõ maneat ad aliquid obligatus.

Huius opinionis videtur eſſe D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. vbi ait, licet ſimul mutuanti vnũ, aliud aliquod recipere, non autem licet eũ obligare ad mutuandũ in poſterum.

2. Ban.

2 Ban.2.2. q. 78. art.2.& Mag. Victoria in Scholiis à se dictatis super 2.2. D.Tho.docent esse valdè probabile, hunc non esse vsurarium.

At verò Rebel.p.2.de oblig.lib.8. quæst. 4.cum multis aliis tenet esse vsurarium.

3 Pro decisione dico primò, quòd quando obligatio est mutua, & reciproca ex vtraque parte, quia nimirum tàm mutuans, quàm mutuatarius ad inuicem se obligant ad mutuandum tantumdem eodem tempore,nulla est vsura.Ratio est,quia in hoc casu seruatur æqualitas ex vtraque parte,ergo non est vsura. Probo consequentiam, quia vsura est inæqualitas, quia mutuans dat vnum nempe sortem, mutuatarius autem reddit, duo nempe sortem,& lucrum.

Tum quia in hoc casu nihil omnino accipitur vltra sortem ratione mutui, sed pro obligatione ad mutuandum, recipit mutuator aliam similem obligationem.

4 Secundò dico, quod si is qui aliquid mutuat,ex mutuo nullum damnum patitur etiamsi obliget seipsum ad illud mutuandum,non potest obligare mutuatarium ad remutuandum sibi rem cum damno, vel incommodo,verbi gratia existit abundantia tritici, & penuria olei, non possum dicere alteri,mutuabo tibi triticum,cum pacto, vt statim tu tenearis mihi mutuare oleum.Ratio est,quia in hoc casu,& si obligatio sit mutua,& reciproca ex parte mutuationis, non tamen est æqualis ex parte rei mutuatæ, quia maiori pretio æstimatur oleum, quàm triticum, ratione igitur huiusmodi inæqualitatis ex parte rei mutuatæ,hic contractus est vsurarius.

Tertiò dico, quòd valdè probabile est, hunc contractum,in quo mutuans obligat mutuatarium ad statim remutuandũ mutuante ipso manente libero esse licitum. Ratio est,quia ista obligatio,qua te obligo ad mihi remutuandum in præsenti,non est onerosa.Nam sicut rogatus audire alterius confessionem, potest sine simoniæ labe nõ audire, nisi alter vicissim audiat eius confessionem, sic licitum est,dicere, mutuare nolo triticum, nisi mihi mutuetur oleum. Ratio huius est, quia reuera illa obligatio ad statim remutuandum, moraliter loquẽdo non æstimatur pretio,magis quàm obligatio ad audiendam confessionem in præsenti vel ad statim celebrandum:non enim potest Sacerdos vltra iustum stipendium aliquid accipere pro illa obligatione ad statim celebrandum.

5 Quartò, & vltimò dico, quod probabilius est, & rationi conformiùs, hunc contractum in quo mutuatarius obligatur ad statim remutuandum, mutuante non subeunte similem obligationem esse vsurarium. Ratio est, quia vltra sortem mutuans recipit ratione mutui illam obligationem ciuilem,quæ est pretio æstimabilis.

Tum quia licet obligare in futurum videatur maior obligatio, & magis onerosa, quàm obligare illum in præsenti,nihilominus tamen vtraque est verè obligatio, & pretio æstimabilis.

Nec S.Thom. dicit contrarium,nam loquitur solùm de eo, qui statim gratis, & non ex conuentione alterum mutuum recipit.Vbi consultò vsus est tantùm hac voce (accipere)quia quamuis liceat accipere, non tamen licet obligare.

QVÆSTIO XXI.

An sit vsura mutuare pecuniam alicui ea lege, vt iusta mercede teneatur colere suum agrum, emere,ex sua officina,coquere panem in suo furno, ducere triticum ad suum molendinum,frequentare suam Scholam &c.

1 IN hac quæstione D.Anton. 2. p. tom.2. ca.7.§.10.Ang. verb. vsura 1.nu.5.Rosel. ibidem §. 11. Adrian. in 4. tract. de rest.& Rebel.p. 2.de oblig.lib.8. qu.4. negant esse vsuram, quia nihil lucri mutuans sibi acquirit ex ea obligatione, nec mutuatarius aliquod damnum patitur,quia supponimus hunc mutuatarium idem omninò commodum recepturum in Schola,vel molendino vel fornace, aut officina sibi mutuantis, quod ab aliis poterat recipere,nec mutuatarium maius pretium ab eo accepturum, quam quod ab aliis reciperetur.

2 Aliis verò contraria sententia longè verior videtur, hunc scilicet contractum esse vsurarium. Ratio huius est, quia obligatio ad colendum agrum mutuantis,ad frequentandam suam Scholam,ad emendum in sua officina, ad veniendum ad suas molas etiã persoluta iusta mercede,est vtilis,& pecunia æstimabilis, ergo non potest exigi à mutuatario ratione mutui citra vsuram. Consequentia est per se nota antecedens vero probatur quia per eam qui se obligat

Digitized by Google

tur ſua libertate quæ pretio æſtimabilis eſt Ita tenet Illuſtriſſ. Caiet. 2. 2. q.78.ar.2.& in ſum. verb. vſura exterior. Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2. Nauar. c. 17.num. 220 & alij.

3 Ego autem vt reni paucis abſoluam, dico quòd ſi prædicta conditio, vel colendi agros,vel emendi in ſua officina, ponitur ſub obligatione antidotali, ita vt mutuatarius manens in ſua libertate ſolùm teneatur illam adimplere lege gratitudinis, talis contractus non eſt vſurarius, quia hic nulla iniuria fit mutuatario,vt conſtat. Cæterùm ſi talis conditio ponitur ſub obligatione ciuili,ità vt mutuatarius lege iuſtitiæ cogatur illam adimplere,talis contractus erit vſurarius, quia mutuans accipit vltra ſortem aliquid pretio æſtimabile, nempe illam obligationem.

QVÆSTIO XXII.

An ſit vſura mutuare, non quidem ſub ea lege vt mutuatarius teneatur frequentare officinam mutuantis, ſed mutuare interim, dum mutuatarius ſuam officinam frequentet?

1 REſpondeo non eſſe vſuram. Ratio eſt, quia ſi animus mutuantis non ſit obligare mutuatarium obligatione ciuili ad id, quòd ſolùm ratione gratitudinis facere tenetur, v. g.ad frequentandam ſuam officinam, ſed ſolùm nolle perſeuerare in beneficio mutui cum eo,qui rependere non vult aliud beneficium, eo quod mutuatarius eo propter ingratitudinem indignus ſit, nullam videri cerni vſuram ex parte mutuantis. Quod ſi mutuans poſteà intelligat mutuatarium non grato,ac liberali animo ſuam officinam frequétaſſe,ſed coactè ratione mutui, tunc vſura erit ob cauſam mutui recipere, cum obligatione reſtituendi quantum æſtimatur grauamen illud. Quòd ſi bona fide mutuans recepiſſet illum ad ſuam officinam, putans ex gratitudine id efficere, tunc eſto poſteà conſtaret de illiberali animo illius, ad nullam reſtitutionem teneretur.

QVÆSTIO XXIII.

An ſit contractus vſurarius pro pretio anticipato conducere operas mercenarij?

1 PRo deciſione huius difficultatis aduertẽdum eſt primò contractũ iſtum bifariam celebrari poſſe, aut ſub ratione mutui, ità vt teneatur is,qui pecuniam accipit,reddere eam pecuniæ ſummam,ei qui dedit. Aut ſub ratione conductionis,& locationis, ita vt qui pecuniam accipit, non teneatur ad eam reddendam vllo tempore, ſed tantùm ad exhibendas operas ſuas in colendo agro eius qui pecuniam dedit. Quo poſito.

2 Dico primò,quòd ſi primo modo celebretur contractus nempè ſub ratione mutui, vſura eſt manifeſta,obligare mutuatarium ad colendum agrum,etiam iuſta mercede.Ratio eſt,quia in hoc caſu mutuãs ex mutuo obligat ſibi agricolam ad colendũ ſuum agrum, quæ quidem obligatio cum ſit ciuilis, eſt pecunia æſtimabilis. Ita Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2. Mol. d. 309. Caiet. in ſum. verb. vſura exterior.Nauar.c.17. n. 220.Salon.2.2. q.78. art. 2. & alij, & in hoc communiter Doctores conueniunt.

Sed tota concertatio verſatur, quando contractus celebratur ſecũdo modo, nempe ſub ratione locationis, ità vt pecuniam illam non accipiat tanquàm mutuatam,ſed tanquàm ſibi datam in ſtipendium laboris futuri.

Sotus loco citato cenſet in hoc etiam contractu eſſe vſuram palliatam.

3 Sed concors eſt Theologorum ſententia Mol. diſp. 309. Ban. 2. 2. q.78. art. 1. & omnium recentiorum aſſerentium hunc contractum non eſſe vſurarium. Ratio eſt, quia vſura eſt pretium rei mutuatæ,ſed in hoc caſu qui dat pecuniam ruſtico,non recipit illius operas, neque illam obligationem pro vſu pecuniæ, ſed pecuniam illam confert vt pretium illarum operarum, & illius obligationis, quæ omnia pretio æſtimantur, ergo ibi non eſt vſura. Quinimò poterit etiam conductor ſtatuere tunc pretium iuſtum, etiamſi infimum probabiliter futurum, arbitrio boni viri. Ratio diuerſitatis inter vtrumq; contractum eſt,quòd in mutuo tantùm mutuatarius remanet obligatus ad reddendum debitum, & veniendum ad colendum agrum. Sed in contracta locationis,& conductionis,vterque remanet obligatus, conducto quippe venire ad colendum,& conductor non poteſt eum expellere,ſed tenetur ſupplere pretium.

QVAE

QVÆSTIO XXIV.

Ex qua doctrina colligitur, quid sit dicendum ad quæstionem illam, quæ quæritur, An sit vsura mutuare sub pacto, vt mutuatarius conducat fundum mutuantis?

1 AD hoc dico primò, quod qui mutuat ea lege, vt mutuatarius coactè ratione mutui obligetur ciuiliter ad conducendum agrum mutuantis, est vsurarius. Ratio est, quia talis obligatio cum sit de Iustitia debita, est pretio æstimabilis.

Dixi notanter (coactè) quia si mutuatarius reuerà conducere vellet fundum, quia tamen id opere præstare non posset, nisi mutuum eidem daretur ad sumptus in illo colendo necessarios, tunc vsura non esset, ei mutuare, vt fundum mutuantis conduceret, quia tunc conductio non esset vt pretium mutui, sed potiùs mutuum esset medium ordinatum, vt ille conducere posset fundum, vt optat.

Secundò dico, quòd si mutuans in agri locatione, ratione mutui augeat pretium illius, est manifestè vsurarius. Ratio est in promptu, quia illud pretij augmentum est pecunia æstimabile.

2 Tertiò dico, quod mutuans est etiam vsurarius, etiamsi pretium non augeat in locatione, in casu quo pauci sunt coloni, qui velint agrum cõducere, dat autem mutuum, vt mutuatarius conducat agrum eodem pretio, quo tempore copiæ mercatorum locatus fuerat. Ratio est, quia emptorũ raritas iustè diminuit de pretio, ac subinde cum in præsenti sint pauci conductores agri, pretium iustè decrescit: vsura ergo manifesta est ratione mutui locare in eodem pretio.

Quartò & vltimò dico, quod talis contractus potest iustificari, si mutuans ad Iudicium boni viri diminuat aliquid de pretio propter talem obligationem, quam à mutuatario ratione mutui extorquet. Ita Ban. 2. 2. quæst. 8. artic. 2.

QVÆSTIO XXV.

An qui mutuat Aduocato, cum pacto vt ratione mutui, sibi patrocinetur tempore quo indiguerit, iusta tamen & consueta mercede, sit vsurarius?

1 REspondeo esse vsurarium. Ratio est, quia ex mutuo lucrum acquirit nimirum obligationem, qua Aduocatus ciuiliter obligatur ad locandam operam suam, secùs autem si det pecuniam tanquam stipendium patrocinandi quo anticipato cõducit operam Aduocati, quia tunc mutuũ non est, nec vllum vsuræ peccatum admittitur. Ita Sot. lib. 6. q. 1. art. 2. Caiet. in sum. verb. vsura ca. 2. Nau. c. 17. nu. 220. & Couar. lib. 3. var. cap. 2. num. 5. & in hoc omnes conueniunt.

Sed dubium est, quando Aduocatus sub reatu mortali tenetur patrocinari, vtrùm tunc vsura sit illi mutuare ea lege vt iusto stipendio id efficiat, quod strictè lege charitatis facere tenetur?

1 MOlina to. 2. de contract. disp. 309. & Med. de vsura q. 4. negant esse vsuram, quoniã ad id solũ obligatur quod absolutè, ac simpliciter ipse alioquin teneatur.

2 Mihi sanè non placet hæc sententia sed opposita, quæ docet esse vsuram: moueor autem ex eo quòd tunc mutuator ob causã mutui obligationem exigat ciuilem, & ex Iustitia à mutuatario, quæ pretio est æstimabilis, & longè est maior, quam obligatio ex sola lege charitatis.

Hinc qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius pro eo deprecetur Regem, vel Principem est vsurarius. Ratio est, quia suprà sortem exigit obligationem iustitiæ, quam alter ratione mutui libens pretio redimeret, nã hæc obligatio adimit ei libertatem alteri gratificandi, quæ libertas pretio est æstimabilis. Secùs autem si mutuatarius ex mera liberalitate ac gratitudine ob mutui beneficium id præstaret, quia tunc nullum esset peccatum, hoc modo mutuare, nullaque restituendi obligatio consurgeret vt ex dictis constat.

3 Hinc, qui mutuat Regi, vel Principi, vel communitati cum pacto tacito vel expresso vt liber sit à tributis soluendis, vel aliis oneribus subeundis in perpetuum, vel ad tempus, nimirum durante mutuo, est vsurarius. Ratio est, quia illud pactum ex quo nascitur obligatio ciuilis, & ex Iustitia est pretio æstimabile.

Hinc, qui mutuat cum pacto vt mutuatarius teneatur tempore vindemiæ vendere sibi vinum pretio currenti, pro vt alius vendi

Digitized by Google

vendi ſolet, eſt vſurarius, ratione obligationis, quæ eſt pecunia æſtimabilis.

4 Hinc, qui mutuat triticum, quod habet in loco remoto, ea lege vt in hoc loco vbi mutuans agit, illud reſtituatur etiam in eodé numero & menſura eſt vſurarius. Ratio eſt, quia mutuatarius grauatur vectura quæ eſt pretio æſtimabilis. Secùs autem ſi ſine eo pacto ei mutuaret, ſed ipſe ex mera gratitudine tale onus ſubire vellet quia tunc nulla eſſet vſura ſic mutuare; imò ſi indigeret tritico pro illo loco remoto, & deinde, ſine eius grauamine hoc loco perſolueret, non videretur vſura, eſto in ſuũ commodum cederet, quia id reuerà non tam eſſet mutuum, quàm commutatio iuſta tritici in vno loco, pro tritico in alio. Molina diſp. 210. & Rebel. lib. 8. quæſt. 4.

QVÆSTIO XXVI.

Ad quid teneatur mutuans, qui obligauit mutuatarium ad frequentandum ſuam officinam, ad molendum in ſuo molendino, vel ad præſtandum operas ſuas &c.

1 ET quidem certum eſt, mutuantem teneri reſtituere totum illud damnũ quo tali obligatione paſſus eſt mutuatarius, quia pacto vſurario ſibi mutuatariũ obligauit. Vt ſi mutuatarius, quia illum ſibi obſtrinxit mutuator, ad frequẽtandum ſuã officinam, vel furnum, fecerit impenſas, quas non erat alioqui facturus, nimirum in ſua officina emit maiori pretio, quam alibi eſſet empturus, tenetur ſecundùm conſcientiam mutuator totum illud damnum mutuatario reddere.

Vis igitur quæſtionis eſt in caſu, quo mutuatarius idem omninò commodum reciperet in officina, vel fornace ſibi mutuantis, quod ab aliis fuiſſet receptuius, nec mutuans maius pretium ab eo recepit, quam quod ab aliis.

2 In qua re etiam conuenit inter Theologos, teneri mutuantem qui ſic obligauit, mutuatarium à tali obligatione liberare, & pro illa tantùm ei reſtituere, quantùm iudicio boni viri æſtimatur illa obligatio oneroſa, qua ſibi mutuatarium obſtrinxit, vt eius officinam, vel molendinum frequẽtaret ad emendum, vel molendum. Ita Illuſtriſſ. Caiet. in ſum. verb. vſura exterior. caſu 8. Nauar. cap. 17. num. 220. Molina diſp. 309. Rebel. lib. 8. quæſt. 4. & alij.

Hoc tamen eſt contra. Adrian. in 4. Gab. ibidem d. 15. q. 11. art. 3. Maior. d. 25. q. 25. Ang. & Roſel. verb. vſura, qui exiſtimarunt, ſatis eſſe hanc tollere obligationem. Eſt etiam contra Sylueſt. verb. vſura 1. qu. 7. qui docet talem reſtitutionem faciendam eſſe pauperibus.

QVÆSTIO XXVII.

Sed tota controuerſia eſt de lucro, quod mutuans acquiſiuit ex frequenti mutuatarij aduentu in ſuam officinam, vel molendinum?

1 SVnt enim multi, qui tuentur partem affirmatiuam ex eo quòd frequens mutuatarij aduentus peperit bonam mutuanti opinionem, & exiſtimationem, vnde plures alij ad officinam vel molendinum acceſſerunt, quo factum eſt, vt mutuans lucraretur. Quod tantumdem, quanti boni viri arbitratu æſtimatur huiuſmodi lucrum debet pauperibus reddi. Ita ſenſit Graff. lib. 2. Aur. deciſ. cap. 104.

Alij verò vt Molina diſp. 309. Rebel. p. 2. de obligat lib. 8. q. 4. & plerique alij rectius docent hunc non teneri huiuſmodi lucrũ acquiſitum reſtituere, ex eo quòd mutuatarius officinam ſuam frequentauerit, in hoc enim recipiendo, nec iniuriam facit aliis eiuſdem muneris hominibus, licèt enim inde detrimentum aliquod ſubierint, cum mutuatarius non teneretur de Iuſtitia eorum officinas frequentare, conſecutumque per accidens id ſit: nec item mutuatario, qui apud alias officinas tantumdem ſoluturus fuerat, iniurius exiſtit, ſed in ſola impoſitione talis oneris, quod tamen ſatisfaciendum eſſe diximus.

2 Quare cautè legendus eſt Sylueſt. verb. vſura, q. 7. qui peccato vſuræ damnat eum qui pecunia credita vendit ſuas merces, quò plures emptores ad ſe trahat: quia licèt vendendo pecunia credita, virtute det mutuo pretium vſque ad terminum ſolutioni præfixum ſi tamen iuſto pretio, licèt rigoroſo vendat, vtique, neque vſuram committit neque ad aliquam reſtitutionem tenetur, quin potiùs ſuo vtitur iure, via iuſta, beneficio videlicet expectandi pretium, attrahendo ad ſe emptores.

QVAE

QVÆST. XXVIII.

An sit vsura, si quis mutuet Regi, cum pacto vt ei conferat aliquod officium.?

1 PEtr.Nauar.lib.3. de rest.cap.2.nu.267. & Adrian.in 4 distingunt, si officium est sæculare,& fructus non excedunt operas, non est vsura, si quis mutuet cum tali lege,vt statim officium ei conferatur,secùs verò si fructus excedant.

2 Sed contraria sententia nobis multò probabilior videtur, videlicet hunc contractum esse vsurarium, siue fructus excedant operas,siue non.Ratio est,quia omnis conuentio in qua ratione mutui aliquid mutuatario imponitur,quasi de Iustitia,ad quod alioqui non tenebatur, est vsuraria, quia omnis talis obligatio tollens libertatem, est pecunia æstimabilis; quare tenebitur mutuans restituere mutuatario, quantum grauamen illud arbitrio prudentis æstimabitur.Secùs si officium sit tale,vt ex amicitia bene idoneis conferri soleat, quia tunc non esset vsura mutuare cum tali pacto amicitiæ,vt huiusmodi officium cõferatur. Ita Arag.2.2.q.78.art.2.Sot.lib.6.de Iust.qu.1.art.2.Less.lib.2 de Iust.cap.20.dub. 9. Molina to.2. de contract.disp.310.& Rebel.p.2.de oblig.lib.8. quæst.4.

QVÆST. XXIX.

An si quis mutuet Prælato, cum pacto,vt sibi conferat beneficium, sit vsurarius?

1 NAuar.in Man. cap. 17.num. 206.existimat hunc non esse vsurarium, quia nihil pecunia æstimabile ratione mutui lucratur.

Attamen Arag.2.2.q.78.a.2.Mercad.tract. de vsuris c.7.& Barth.Med.lib.5. inst. conf. c.14. §. 24. probabilius multò volunt verè, & proprie hunc esse vsurarium.Et ratio est, quia exigit aliquid supra sortem tanquàm ex iniustitia debitum ratione mutui.

2 Tum quia illa obligatio, qua Episcopus obstringitur ad dandum beneficium cum sit ciuilis, & tollat libertatem, est pretio æstimabilis vt patet,ergo est vsura.

Tum quia quamuis beneficium sit spirituale,& per consequens de iure comparari nequeat. cum non cadat in nostro commercio, dicitur tamen pretio æstimabile non in se,sed propter prouentus.

QVÆST. XXX.

An sit Simonia dare mutuum, vt sibi ab Episcopo conferatur beneficium Ecclesiasticum?

1 REspondeo esse Simoniam. Ratio est, quia datur temporale pro spirituali. Dices illud temporale non est pretio æstimabile, quia mutuum gratis fieri debet, ergo non est Simonia, etiamsi fiat pro beneficio.

Respondeo, & si mutuum non sit pecunia æstimabile, est tamen contractus temporalis, temporalia afferens emolumenta, ac proinde non potest dari pro re spirituali.Ita Less. lib.2. cap.20. dub.9. & Aragon. 2.2.quæst.78. art.2

Dices,ergo ob amicitiam non licet sperare beneficium, quia amicitia est res temporalis.

2 Respon.negando consequentiam. Et ratio negationis est, quia quod ex amicitiæ munere fit,non ex pacto, sed gratis fit; at verò nos loquimur in præsenti de beneficio, quòd in pretium mutui ex pacto, & obligatione ciuili confertur.

Hinc, qui mutuat animo accipiendi beneficium pro mutuo vsurarius simul, & simoniacus est, duplicisque deformitatis peccatum in confessione necessarium explicandum committit. Ita Aragon. 2.2. qu. 78.art. 2.& Rebel.lib.8.quæst.4.

QVÆST. XXXI.

An qui ratione mutui acquisiuit aliquod officium temporale à Rege, vel Magnate teneatur ad illius restitutionem?

1 LEss.lib.2.de Iust. cap. 20.dub.9. putat ad id teneri.

2 Bann.2.2.quæst. 78.art. 3. & Roder. p.2. sum. cap. 106. num. 6. negant, ex eo fundamento, quia vbi nulla est inæqualitas, ibi nulla debet esse restitutio, sed in casu posito, siue officium detur iusto pretio, siue gratis, vt alteri erat donandum, nulla est inæqualitas, quantum spectat ad ipsum officium, ergò qui per mutuum illud accipit, non tenetur ad illius restitutionem.

Tum

Digitized by Google

Tum quia vſurarius ſolùm tenetur reſtituere id,quod ſupra ſortem ratione mutui acquiſiuit,ſed in hoc caſu qui mutuum dedit tantùm lucratus eſt ſupra ſortem, obligationem,qua mutuatarius ſe obſtrinxit ad conferendum ſibi officium, ergo id ſolùm tenetur reſtituere, facta ad arbitrium prudẽtis eius grauaminis iuſta compenſatione.

3 Ego autem ſic diſtinguendum cenſeo, aut is qui ſe obligauit ad obtinendum officium illud,erat quidam tertius qui ſe obſtrinxit ad faciendam certam quandam diligentiam, nimirùm ad deprecandum Regem,& tunc tenebitur vſurarius illi reſtituere tantum, quantum æſtimabitur illa diligentia. Aut eſt Rex ipſe, qui propter mutuantis merita,contulit illi officium, & tunc proculdubiò non tenebitur pro officio quicquam reſtituere. Aut tandem Rex ipſe eſt mutuatarius,& ex vi mutui obligauit ſe ad conferendum officium mutuanti, & contulit,tunc vſurarius quandiu exercet officium, non tenebitur reſtituere ſtipendiũ quod pro operis ſui officij ei debetur, excepto, niſi tale ſtipendium ſit exceſſiuũ, quia tunc id quod plus eſt,quam operæ,& labores impenſi merentur,reſtituendũ eſt: tenebitur tamen reſignare officium in manibus ipſius Regis vt ſi poſteà velit, eidem liberè,& ſine pacto aliquo conferat.Ratio eſt, quia tale officium eſt aliquod commodum vſurariè acquiſitum : nullum autem taliter acquiſitum poteſt licitè retineri, ſicut nec recipi vt ſuprà dictum eſt. Si tamen præſumeretur collator nolle illum obligare ad relinquendum officium, vt regulariter fit, poſſet retinere. Ita ſentit D.Tho. in opuſc. ad Duciſſam Brabantiæ, Ban.2.2.q.78.art.3.Lop.p.2.inſt.conſ.cap.56. & Graff.lib.2 deciſ.aur.cap.104.

4 obiicies, collatio officij facta vſurario ratione mutui,eſt nulla ergo non habet titulum accipiendi ſtipendia taxata ei qui eſt officialis.

Reſpondeo diſtinguendo de ſtipendiis taxatis.quædam enim ſunt ſtipendia honorifica pro dignitate officij, alia verò ſunt mercenaria, puta pro labore operum. De primis ſtipendiis certum eſt,quòd qui non habet verum titulum, non poteſt illa percipere,ſed tenetur in conſcientia ea reſtituere. At verò ſecundi generis ſtipendia, poteſt iuſtè retinere quando illa reſpondẽt labori vtili communitati. Ita Mol.diſp.310. & Med.de vſura qu.4.

Hinc qui habet beneficium Eccleſiaſticum per vſuram acquiſitum, tenetur cum fructibus receptis illud reſignare,demptis laboribus,& expenſis,quæ ſemper veniunt defalcanda. Ita Medina loco citato.

QVÆSTIO XXXII.

An ſit vſura mutuare alicui pecuniam ea intentione, vt eius amicitiam, & beneuolentiam contrahat?

1 REſpondeo ex cõmuni omnium ſententia,non eſſe vſuram. Ratio eſt, quia amicitia, & beneuolentia non ſunt pecunia æſtimabiles.

QVÆSTIO XXXIII.

An ſit vſura dicere,mutuo tibi pecuniam,cum pacto vt ſis mihi amicus, gratus, vel beneuolus ?

1 SOtus lib.6.q.1.ar.2. putat nullam hic eſſe vſuram,quia amicitia,& beneuolentia ita ſunt effectus animi liberi, & voluntarij,vt nullo modo cadant ſub debito, vel obligatione ciuili.

2 Alij verò vt Valen. to.3. d.5.q.21.p.2.& Molina to.2.de contr.d.309.rectius docent eſſe vſuram,quia ex obligatione antidotali fieret obligatio ciuilis, quæ eſt lucrum pecunia æſtimabile.

QVÆSTIO XXXIV.

An ſit vſura mutuare pecuniam alicui, vt ex mutuo eius amicitiam contrahat, vt poſteà ex amicitia ſic contracta, lucrum aliquod acquirat?

1 CAld. cap.vlt. de vſuris, Conrad. de contr. q. 29. concl.2. & Med. C.de vſur.q.1.tenent eſſe vſuram ex eo,quòd qui ſic mutuat,ſperat principaliter amicitiam, & minùs principaliter ſperat lucrum,quia qui ſperat primum,id quoque quod ex primo procedit, expectare videtur.

2 At huius oppoſitum tenet Mag.Sot.lĩ.6. q.1.ar.2.quia qui ſic mutuum dat,nõ ſperat lucrum ratione mutui, in quo eſſentialiter conſiſtit vſura,ſed ex amicitia. Pro quo.

Dico primò,quòd qui per mutuũ ſperat,

QVÆST. XXVIII.

An sit vsura, si quis mutuet Regi, cum pacto vt ei conferat aliquod officium?

1 PEtr.Nauar.lib.3. de rest.cap.2.nu.267. & Adrian.in 4 distingunt, si officium est sæculare,& fructus non excedunt operas, non est vsura, si quis mutuet cum tali lege,vt statim officium ei conferatur,secùs verò si fructus excedant.

2 Sed contraria sententia nobis multò probabilior videtur, videlicet hunc contractum esse vsurarium, siue fructus excedant operas,siue non.Ratio est,quia omnis conuentio in qua ratione mutui aliquid mutuatario imponitur,quasi de Iustitia,ad quod alioqui non tenebatur, est vsuraria, quia omnis talis obligatio tollens libertatem, est pecunia æstimabilis; quare tenebitur mutuans restituere mutuatario, quantum grauamen illud arbitrio prudentis æstimabitur.Secùs si officium sit tale,vt ex amicitia bene idoneis conferri soleat, quia tunc non esset vsura mutuare cum tali pacto amicitiæ,vt huiusmodi officium cõferatur. Ita Arag.2.2.q.78.art.2.Sot.lib.6.de Iust.qu.1.art.2.Less.lib.2 de Iust.cap.20.dub. 9. Molina to.2. de contract.disp.310.& Rebel.p.2.de oblig.lib.8. quæst.4.

QVÆST. XXIX.

An si quis mutuet Prælato, cum pacto,vt sibi conferat beneficium, sit vsurarius?

1 NAuar.in Man. cap. 17.num. 206.existimat hunc non esse vsurarium, quia nihil pecunia æstimabile ratione mutui lucratur.

Attamen Arag.2.2.q.78.a.2.Mercad.tract. de vsuris c.7.& Barth.Med.lib.5. inst. conf. c.14. §. 24. probabilius multò volunt verè, & proprie hunc esse vsurarium.Et ratio est, quia exigit aliquid supra sortem tanquàm ex iniustitia debitum ratione mutui.

2 Tum quia illa obligatio, qua Episcopus obstringitur ad dandum beneficium cum sit ciuilis, & tollat libertatem, est pretio æstimabilis vt patet,ergo est vsura.

Tum quia quamuis beneficium sit spirituale,& per consequens de iure comparari nequeat. cum non cadat in nostro commercio, dicitur tamen pretio æstimabile non in se,sed propter prouentus.

QVÆST. XXX.

An sit Simonia dare mutuum, vt sibi ab Episcopo conferatur beneficium Ecclesiasticum?

1 REspondeo esse Simoniam. Ratio est, quia datur temporale pro spirituali.

Dices illud temporale non est pretio æstimabile, quia mutuum gratis fieri debet, ergo non est Simonia, etiamsi fiat pro beneficio.

Respondeo, & si mutuum non sit pecunia æstimabile, est tamen contractus temporalis, temporalia afferens emolumenta, ac proinde non potest dari pro re spirituali.Ita Less. lib.2. cap.20. dub.9. & Aragon. 2.2.quæst.78. art.2

Dices,ergo ob amicitiam non licet sperare beneficium, quia amicitia est res temporalis.

2 Respon.negando consequentiam. Et ratio negationis est, quia quod ex amicitiæ munere fit,non ex pacto, sed gratis fit; at verò nos loquimur in præsenti de beneficio, quòd in pretium mutui ex pacto, & obligatione ciuili confertur.

Hinc, qui mutuat animo accipiendi beneficium pro mutuo vsurarius simul, & simoniacus est, dupliciſque deformitatis peccatum in confessione necessarium explicandum committit. Ita Aragon. 2.2. qu. 78.art. 2.& Rebel.lib.8.quæst.4.

QVÆST. XXXI.

An qui ratione mutui acquisiuit aliquod officium temporale à Rege, vel Magnate teneatur ad illius restitutionem?

1 LEss.lib.2.de Iust. cap. 20.dub.9. putat ad id teneri.

2 Bann.2.2.quæst. 78.art.3. & Roder. p.2. sum. cap. 106. num. 6. negant, ex eo fundamento, quia vbi nulla est inæqualitas, ibi nulla debet esse restitutio, sed in casu posito, siue officium detur iusto pretio, siue gratis, vt alteri erat donandum, nulla est inæqualitas, quantum spectat ad ipsum officium, ergò qui per mutuum illud accipit, non tenetur ad illius restitutionem.

Tum

Digitized by Google

Tum quia vſurarius ſolùm tenetur reſtituere id,quod ſupra ſortem ratione mutui acquiſiuit,ſed in hoc caſu qui mutuum dedit tantùm lucratus eſt ſupra ſortem, obligationem,qua mutuatarius ſe obſtrinxit ad conferendum ſibi officium , ergo id ſolùm tenetur reſtituere , facta ad arbitrium prudẽtis eius grauaminis iuſta compenſatione.

3 Ego autem ſic diſtinguendum cenſeo, aut is qui ſe obligauit ad obtinendum officium illud,erat quidam tertius qui ſe obſtrinxit ad faciendam certam quandam diligentiam , nimirùm ad deprecandum Regem,& tunc tenebitur vſurarius illi reſtituere tantum, quantum æſtimabitur illa diligentia. Aut eſt Rex ipſe , qui propter mutuantis merita,contulit illi officium, & tunc proculdubiò non tenebitur pro officio quicquam reſtituere. Aut tandem Rex ipſe eſt mutuatarius,& ex vi mutui obligauit ſe ad conferendum officium mutuanti, & contulit,tunc vſurarius quandiu exercet officium , non tenebitur reſtituere ſtipendiũ quod pro operis ſui officij ei debetur, excepto, niſi tale ſtipendium ſit exceſſiuũ, quia tunc id quod plus eſt,quam operæ,& labores impenſi merentur,reſtituendũ eſt: tenebitur tamen reſignare officium in manibus ipſius Regis vt ſi poſteà velit, eidem liberè,& ſine pacto aliquo conferat.Ratio eſt, quia tale officium eſt aliquod commodum vſurariè acquiſitum : nullum autem taliter acquiſitum poteſt licitè retineri, ſicut nec recipi vt ſuprà dictum eſt. Si tamen præſumeretur collator nolle illum obligare ad relinquendum officium, vt regulariter fit , poſſet retinere. Ita ſentit D.Tho. in opuſc. ad Duciſſam Brabantiæ, Ban.2.2.q.78.art.3.Lop.p.2.inſt.conſ.cap.56. & Graff.lib.2 deciſ.aur.cap.104.

4 obiicies, collatio officij facta vſurario ratione mutui,eſt nulla ergo non habet titulum accipiendi ſtipendia taxata ei qui eſt officialis.

Reſpondeo diſtinguendo de ſtipendiis taxatis quædam enim ſunt ſtipendia honorifica pro dignitate officij , alia verò ſunt mercenaria , puta pro labore operum. De primis ſtipendiis certum eſt,quòd qui non habet verum titulum , non poteſt illa percipere,ſed tenetur in conſcientia ea reſtituere. At verò ſecundi generis ſtipendia, poteſt iuſtè retinere quando illa reſpondẽt labori vtili communitati. Ita Mol.diſp.310. & Med.de vſura qu.4.

Hinc qui habet beneficium Eccleſiaſticum per vſuram acquiſitum , tenetur cum fructibus receptis illud reſignare,demptis laboribus,& expenſis,quæ ſemper veniunt defalcanda. Ita Medina loco citato.

QVÆSTIO XXXII.

An ſit vſura mutuare alicui pecuniam ea intentione, vt eius amicitiam , & beneuolentiam contrahat?

1 REſpondeo ex cõmuni omnium ſententia,non eſſe vſuram. Ratio eſt, quia amicitia , & beneuolentia non ſunt pecunia æſtimabiles.

QVÆSTIO XXXIII.

An ſit vſura dicere,mutuo tibi pecuniam,cum pacto vt ſis mihi amicus, gratus, vel beneuolus ?

1 SOtus lib.6.q.1.ar.2. putat nullam hic eſſe vſuram,quia amicitia,& beneuolentia ita ſunt effectus animi liberi, & voluntarij,vt nullo modo cadant ſub debito, vel obligatione ciuili.

2 Alij verò vt Valen. to.3. d.5.q.21.p.2.& Molina to.2.de contr.d.309.rectius docent eſſe vſuram,quia ex obligatione antidotali fieret obligatio ciuilis , quæ eſt lucrum pecunia æſtimabile.

QVÆSTIO XXXIV.

An ſit vſura mutuare pecuniam alicui , vt ex mutuo eius amicitiam contrahat , vt poſteà ex amicitia ſic contracta , lucrum aliquod acquirat?

1 CAld. cap.vlt. de vſuris, Conrad. de contr. q. 29. concl.2. & Med. C.de vſur.q.1.tenent eſſe vſuram ex eo,quòd qui ſic mutuat,ſperat principaliter amicitiam, & minùs principaliter ſperat lucrum,quia qui ſperat primum,id quoque quod ex primo procedit , expectare videtur.

2 At huius oppoſitum tenet Mag.Sot.lĩ.6. q.1.ar.2.quia qui ſic mutuum dat,nõ ſperat lucrum ratione mutui, in quo eſſentialiter conſiſtit vſura,ſed ex amicitia. Pro quo.

Dico primò,quòd qui per mutuũ ſperat,

& exigit non ſolùm amicitiam, verum etiã commoda, quæ amici præſtare ſolent, ſine tamen pacto,vel obligatione aliqua,ſed ex ſola amicitia, & gratitudine,non eſt vſurarius. Ratio eſt,quia actus interior,& exterior ſunt eiuſdem bonitatis, & malitiæ;atqui ſperat per mutuum non ſolùm amicitiam, verum etiam effectus amicitiæ, non ex debito, ſed ex gratitudine non peccat, ergo qui huiuſmodi effectus ita exigit, nempe non ex debito, ſed ex gratitudine non peccat,nec eſt vſurarius. Quod eſt verum, etiamſi mutuans iſta beneficia à mutuatario extorqueat,modò inter ipſos conſtet, non ratione mutui immediatè, ſed ex gratitudine requiri.

Et confirmatur,proprium obiectum vſuræ eſt lucrum pecuniarium, quod intenditur ex mutuo tanquàm pretium illius ex iuſtitia debitũ,in hoc autem caſu quo mutuator expetit amicitiam, ac eius effectus, non expetit illos tanquam pretium mutui, vel iure debitos, ſed ex gratitudine. Ita Sot.lib.6. q.1.ar.2.

3 Secundò dico, quòd qui in mutuo expetit, vel exteriùs exigit effectus amicitiæ,& gratitudinis cum pacto, vel tanquam iure debitos,eſt vſurarius.Ratio eſt,quia iſta noua obligatio, quam mutuans exigit,vt mutuatarius teneatur ex iuſtitia ad præſtandum beneficia, quæ amici præſtare ſolent, eſt pretio æſtimabilis. Quod reputo eſſe verum, etiamſi iſta beneficia exigantur in graui,& extrema neceſſitate.Ratio eſt,quia mutuatarius in caſu grauis, vel extremæ neceſſitatis tenebatur ſolùm ex charitate, at interueniente pacto, tenetur etiam ex iuſtitia, & obligatione ciuili, ergo tenetur noua obligatione, quæ eſt pretio æſtimabilis.

Obiicies, qui confert alicui beneficium ſpirituale, cum intentione recipiendi aliquid temporale ex gratitudine eſt ſimoniacus, vt ex proprio motu Pij V.habetur, ergo qui mutuat cum ſpe lucri obtinendi ex gratitudine eſt vſurarius. Probo conſequentiam, quia quod in ſpiritualibus eſt ſimonia,in temporalibus eſt vſura.

Reſpondeo quòd ex natura rei donatio prædicta non eſt ſimonia, ſed tantũ eſt mala,quia prohibita. Vnde non ſequitur idem de vſura, niſi ſummus Pontifex tale mutuum prohiberet, quod tamen nunquam tale feciſſe legitur.

4 Hinc,qui ita explicaret ſuam prauam intentionem,nimirum ſe mutuare ſub ſpe lucri obtinendi, alias non mutuaturus, tanquàm ſuſpectus de vſura eſſet habendus. Ratio huius eſt,quia difficile eſt admodum diſcernere,an huiuſmodi mutuans ex iuſtitia, an ex amicitia lucrum intendat,maximè cum lucri amor oculos hominũ ſoleat excæcare, ita vt ipſe mutuator facilè falli poſſit. Quare prudens confeſſarius de hac re conſultus regulariter debet eos vt vſurarios damnare, nec in hoc facit eis iniuriam,quia prudenter,ac proindè moraliter ſint hæc diiudicanda.

Ex quo ſequitur tales regulariter non eſſe abſoluendos, niſi confeſſarius pro cõperto habeat, ipſos ex gratitudine, & non ex vi mutui lucrum intendere.Quare optimum erit conſilium,vt mutuans ità dubius à mutuatario quærat, an tale lucrum ex vi mutui immediatè dederit: nam ſi ita eſt, mutuans tenebitur illud reſtituere, alias non erit abſoluendus.

QVÆSTIO XXXV.

An ſit vſura ex mutuo obligare mutuatarium, vt ſibi particularia aliqua ſigna amicitiæ exhibeat?

1 SOtus lib.6.de iuſt.q.1. ar.2. ſequutus Sylu. verb. vſura §.12.negat eſſe vſuram.Ratio ipſius eſt,quia lege amicitiæ exhiberi ſolent externa amicitiæ ſigna, ergo ex vi mutui poſſunt deduci in pactum.

2 Sed verius videtur,quod ait Ban.2.2.q.78. ar. 2. ſcilicet omnia ſigna affabilitatis v.g. nudare caput, aut genuflectere &c. eſſe pretio æſtimabilia,ergo ratione mutui non poſſunt deduci in pactum.

Tum quia licet ſecundum Sotum huiuſmodi ſigna amicitiæ,& vrbanitatis ſecundùm ſe ſint eiuſdẽ rationis cum ipſa amicitia, & actus nobiles,qui nõ ſunt venales, at obligatio ciuilis præſtandi illa, quæ naſcitur ex pacto eſt pretio æſtimabilis,ergo qui obligat mutuatarium ad iſta præſtanda, eſt vſurarius.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſit vſura mutuare alteri ea lege, vt liti cedat, vel aliquod debitum condonet?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi quiſpiã iniuſtè me in iudicium vocat, vel pro

pro debito iniustè vexat, non est vsura, ei mutuare sub pacto, vt liti cedat, vel à debito petendo desistat. Ratio est, quia in hoc casu nihil pretio æstimabile lucror ratione mutui, sed tantùm redimo meam vexationem, quod vnicuique licet.

Secundò dico, quòd si quispiam iustè me in iudicium vocat, vel reuera aliquod debitum pecuniarium ei debeo, tũc vsura est, ei mutuare ea lege vt liti cedat, vel debitũ mihi condonet. Ratio est, quia cessio litis, & condonatio debiti sunt pretio æstimabiles, ergo vsura est, pro mutuo illas petere à mutuatario. Ita Nau. c.17.nu.237.& Rebel. p.2.de oblig. lib.8.q.4.

QVÆSTIO XXXVII.

An sit vsura mutuare ea lege, vt offensus iniuriam remittat?

1 SOtus lib.6.de iust.q.1.art.2.tenet non esse vsuram, esto qui iniuriam est passus ea actione recompensationem exigeret in iactura læsionis honoris. Quoniam inquit, licet iactura honoris, & famæ pecunia compensari possit, solet tamen ea iactura per amicitiam condonari.

2 Nauar.c.17. nu.237.distinguit, si pactum sit de remissione iniuriæ quoad pœnam, quam mutuatarius iustè potest exigere, id nõ esse vsuram; quoniam pœna ante latam sententiam non debetur. Si autem sit de remissione iniuriæ, quoad recompensationem damni illati, cõmitti vsuram; eo quòd recompensatio illa, nulla expectata sententia debeatur.

Ego tamen existimo in primis, quòd qui mutuat ea intentione, vt iniuria læsus, gratiam, & beneuolentiam reconciliet, non est vsurarius. Ratio est quia reconciliatio gratiæ, non est lucrum pecunia æstimabile.

Secundò dico, quòd qui mutuat offenso eo fine, vt cum illo amicitiam ineat, ex qua postea ipse iniuriæ remissionem exigit, non est vsurarius. Ratio est, quia tunc tantùm sperat ratione mutui amicitiam, quæ nõ est pretio æstimabilis. Ita Arag.2.2.q.78.ar.2.

3 Tertiò dico, quòd qui mutuat offenso, vt lege amicitiæ, aut vrbanitatis grati animi iniuriæ à se latæ remissionem faciat, nõ est vsurarius. Ratio est, quia non exigit hãc remissionem vt pretium mutui, neque immediatè ex pacto, & obligatione iustitiæ, sed vt officium amicitiæ. Ita Less.lib.2.c.20. dub.7.

Quartò dico, quòd qui mutuat alicui cũ pacto vt priuatam vindictam sibi remittat, non est vsurarius. Ratio est, quia sic nihil lucratur ratione mutui, sed solùm euitat damnum, quod timet subire, ad quod inferendum mutuans nullum habet ius. Ita Molina disp. 307.

4 Quintò dico, quòd qui mutuat sub pacto, vt offensus pœnam, ad quam per sententiam Iudicis condemnatus est, ratione mutui remittat, est vsurarius, ratio est, quia huiusmodi pœna post sententiam condemnatoriam est debita de iustitia offenso. Ita Nauar. c.17.nu.237. Less.lib.2.c.20.dub.7.& Reb.lib.8.q.4.

Sextò dico, quòd qui mutuat vt iniuria affectus, iustam vindictam condonet, id est vt cedat iuri prosequendi iniuriam ad iustam vindictam exigendam in iudicio est vsurarius. Ratio est, quia talis condonatio est lucrum pretio æstimabile, nec mutuanti debitum.

Tum quia cum iniuria læsus, iustè possit in iudicio agere ad satisfactionem, qui ratione mutui exigit obligationem ciuilem de condonanda iusta vindicta, priuat illum libertate, & iure petendi, quod habebat, manetque obnoxius ad non petendũ, quod est pecunia æstimabile. Ita Mol.d.307.Arag. 2.2.q.78.ar.2. Rebell.lib.8.q.4. & alij. Hoc tamen est contra Nauar.

5 Dices, pœna non est debita ante Iudicis sententiam, ergo saltem non est vsura mutuare cum pacto, vt vindictam remittat, quam in iudicio poterat exigere.

Respondeo, licet pœna non sit ante condemnationem proximè debita, est tamen debita remotè, quia potest accusari. Huius autem debiti remissionem lucratur supra sortem, qui mutuat læso, vt talem vindictã remittat, quæ condonatio multum apud homines æstimatur. Vnde non tenebitur ad restitutionem valoris pœnæ, cuius remissionem pro mutuo expectat, sed solùm ad valorem illius cessionis, & obligationis ciuilis, qua ad non agendum in iudicio se obligauit. Ita Less.supra dub.7.

Septimò, & vlt. dico quòd qui mutuat cum pacto, vt offensus damnum, quod per iniuriam passus est in fama, vel honore, vel re alia remittat, est vsurarius. Ratio est, quia cõdonatio damni per iniuriã illati est

Digitized by Google

res magno pretio æſtimabilis, ergo vſura eſt, ſi ratione mutui pacto ciuili mutuatarius ad talem cõdonationem obligetur. Ita Mol.d.307. Leſſ.lib.2.de iuſt. cap.20.dub.7. Reb.lib.8. q.4. Eſt tamen contra Sotum.

QVÆSTIO XXXVIII.

An ſit vſura, ſi quis mutuet mutuatario gratia recuperandi ab eo aliquid aliud ſibi debitum?

1 NAuar. c.17. nu.209. abſolutè negat quia in hoc caſu nihil accipit à mutuatario ratione mutui.

5 Mihi tamen in hac re vtendum eſſe videtur diſtinctione. Pro quo dico primò quòd qui mutuat gratia recuperandi quod ſibi liquidò debetur ex iuſtitia, non eſt vſurarius, v. g. mutuo tibi centum, vt mihi ſoluas alia centum, quæ mihi ex iuſtitia debes, quia ea mihi ante furripuiſti? Ratio eſt, quia tunc non exigo illa centum vi mutui, ſed vi iuſtitiæ. Ita Nau.c.17.nu.209. Mol.d.309. & Sot.lib.16.q.1.ar.2.

Secundò dico, quòd qui mutuat gratia recuperandi debitum litigioſum eſt vſurarius. Ratio eſt, quia mutuans recuperando tale debitum, ratione mutui multùm lucratur, quia ſine expenſis, & lite, & certò recuperat debitum, quod aliàs ſine his, aut certò non erat recuperaturus. Ita Mol. d.309.

3 Tertiò, & vltimò dico, quòd qui mutuat gratia recuperandi id quod ſibi debetur lege charitatis, vel gratitudinis, eſt vſurarius. Ratio eſt, quia tunc mutuans ratione mutui obligationem inducit legalem ſeu ex iuſtitia ſuper mutuatarium, quæ pretio eſt æſtimabilis, & longè eſt maior, quam obligatio ex ſola lege charitatis, vel gratitudinis, v.g. vſura eſſet, ſi ego morbo laborans mutuarem medico cum pacto vt mihi mederetur in caſu quo medicus, non tenetur me curare ex officio. Ita Nau. c.17.nu. 209.& Lop.p.2.inſt.conſ.cap.55.

QVÆSTIO XXXIX.

An ſaltem ſit peccatum, vt quis per viam mutui recuperet ſibi debitum, quando via iuridica poſſet illud recuperare?

1 Ad hoc dico primò, quòd qui propria authoritate per viam mutui proprij debiti recompenſationem facit, quando via ordinaria poteſt illud recuperare peccat. Et ratio eſt, quia agit cõtra ordinem iuris, quamuis ad illius reſtitutionem non teneatur. Ita Med.de vſura q.1.

Secundò dico, quòd qui apertè dicit ego tibi mutuo centum hac lege vt alia centũ, quæ aliàs mihi furripuiſti ſicut cum ſorte mutuata ſoluas, non peccat, ſiue ego poſſim alia via iuridica meum debitum recuperare, ſiue non. Ratio eſt, quia in hoc caſu nec lucrum ex mutuo quæro, nec fraudulenta eſt huiuſmodi recompenſatio, ſe aperta, accedente inſuper ipſius debitoris conſenſu.

2 Hinc, ſi Titius deberet conſequi à Caio quinquaginta aureos, quos non valeret via ordinaria recuperare, vel quia Titius non poteſt debitum probare, vel quia Caius eſt potens opere, & ſermone poſſet ſecluſo ſcandalo mutuare ei centum, vt per cõtractum obligetur ſoluere centum quinquaginta.

QVÆSTIO XL.

An ſit vſura, ita mutuare, vt teneatur mutuatarius recipere dimidium mutui in pecunia, & dimidium in mercibus, & poſteà totum teneatur reſtituere in pecunia numerata?

1 REſpondeo eſſe vſuram manifeſtam. Ratio eſt, quia obligatio illa ad emendas merces mutuantis, etiam credita pecunia, æſtimabilis eſt pretio.

Tum quia accedit lucrum mutuãti, venduntur enim merces ſuæ officinæ, quæ ſine dubio ęgriùs, ac difficiliùs vendi poterant, & hoc eſt pretio æſtimabile.

Tum quia cum mutuatarius accipiat merces, quibus non indiget, ſed pecunia, compellitur illas ſtatim vendere viliùs, quam valent.

2 Hinc, vſurarij ſunt mercatores, qui mutuo dant Regi ad ſoluenda ſtipendia militibus ea lege vt Rex accipiat mutuum in mercibus, quibus poſteà diuenditis à miniſtris Regis ſatisfaciunt militibus. Ratio eſt, quia vi mutui grauant Regem eas merces accipere, quibus non indiget, & quas viliùs multò venditurus eſt Rex aliis, vt ſibi comparet pecunias.

Tum quia mercatores exonerantur ratione mutui ab onere vẽdendi illas merces aliis, in quo labor, & tempus expenditur.

Ita

Digitized by Google

Ita Mol.d.310.Sot.lib.16.q.1.ar.2. & Bann.2. 2.q.78.ar.3.

QVÆSTIO XLI.

Sed quid ? ſi mutuator non obliget mutuatarium ad recipiendum in mercibus, ſed dicat petenti mutuum, nolo tibi meam pecuniam mutuare, quia volo ea vti ad mea negotia, vendam tamen tibi merces iuſto pretio, quibus diuenditis poteris tibi ſubuenire. An talis contractus ſit vſurarius ?

1 REſpondeo non eſſe vſurarium. Ratio eſt, quia hic nullum intercedit mutuum ſed venditio iuſto pretio facta, ergo non eſt contractus vſurarius.

Dices in hoc caſu emptor cogitur eaſdem merces minoris vendere, quam emit, ergò eſt iniuſtus.

2 Reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia licet ſit fortè cõtra charitatem nolle mutuare, cum poſſit mutuando, liberare proximum à damno quod patietur vendendo viliùs, quæ priùs cariùs emerat, contractus tamen ille non eſt iniquus, vel vſurarius, ſi iuſto pretio expectata ſolutione merces eas vendidit.

QVÆSTIO XLII.

An liceat mercatori merces, quas iuſto pretio, pecunia tamen credita vendidit, ſtatim minoris redimere ?

1 SYlueſt. verb.vſura 1.nu.60.& Mercat. lib.2.de contr.cap.21.tenent abſolutè id non licere, non ſolùm ratione ſcandali, verum etiam ex natura rei.

At Nauar.cap.23.nu.91. Mol.d.310.Bann. 2.2.qu.78. ar.2. Caiet. in ſum.cap. de vſura implicitè caſu 10.& plerique alij exiſtimãt id eſſe licitum ſtantibus duabus conditionibus. Prima eſt, vt ſeruetur ſemper iuſtum pretium. Altera eſt, vt tollatur omne ſcandalum, & vſuræ ſuſpicio.

2 Cæterùm hæ duæ opiniones conciliari facilè poſſunt, ita vt prima loqui intelligatur in eo caſu, quando mercator iſte præſcius indigentiæ, & neceſſitatis, quam emptor ille patitur, intelligenſque merces illas ſtatim ab illo vendendas, mala fide, & cum intentione redimendi viliori pretio, eas vendit creditò, quia tunc vſuræ labe non videtur carere, quia in eo ſub nomine venditionis, & venditionis cõfert mutuum cum vſura. Cui fundamento nititur op.n. Sylu. & in quo ſenſu illius ſententia veriſſima iudicatur ab omnibus, ac tenenda.

Secunda vero opinio loquitur in eo caſu, in quo mercator iſte ſincerè emptori ad officinam ſuam venienti, merces ſuas vendidit pecunia credita, ſub pretio quamuis ſummo, iuſto tamen, ſine intentione redimendi eas maiori pretio, poſtea verò videns emptorem illum quærere alios earumdem mercium emptores, iuſto pretio licèt pio, illa emat, ſicut poterat quiuis alius, & hoc modo vendens, & reemens nullam vſuram committit, quia cum iſte qui vendidit, iuſtè vendiderit eas merces, quia merces non vltroneæ ſed expectantes emptores cariùs venduntur, cum non ſit peioris conditionis, quàm alius tertius, poterit ſine vlla fraude vel dolo eas minoris emere, ſicut & alius tertius poſſet vltrò oblatas ſic minori emere. Cui rationi nititur opinio Nauar. & in quo ſenſu cenſetur etiam à recentioribus vera.

QVÆSTIO XLIII.

An ſit vſura mutuare pecuniam, cum pacto vt mutuatarius tempore meſſis tentetur eam reddere in tanto tritico iuſto pretio, quo tunc futurum triticum valebit ?

1 SOtus lib.6. de iuſt.q.1.ar.2.& Molina diſp. 309. affirmant eſſe vſuram, ea potiſſimum ratione, quia obligationem vtilem mutuans acquirit ratione muti.

At verò Roſel.verb.vſura 1.num.5. Adr.in 4.in materia de reſt.& multi alij exiſtimãt non eſſe vſuram, quia reuera non eſt mutuatio, ſed emptio anticipata ſolutione.

2 Sed hi facilè conciliari poſſunt, ſi dicamus Sotum loqui de eo qui dat pecuniam & ex mutuo ſibi obligat Ruſticum, ad ſuum triticum vendendum, quia hæc obligatio eſt vtilis, & pretio æſtimabilis, quare ex mutuo haberi non poteſt. Adrianum,& Roſel.de eo qui dat pecuniam Ruſtico tanquam pretium, quo emit ab eo anticipato fructus, quo eſt licitum, quia non eſt contractus mutui ſed emptionis, & vẽditionis, poſſunt enim futuri fructus emi anticipata pretij ſolutione, quia quemad-

modum agricola se obligat ad vendendos suos fructus,sic ille alius se obligat agricolæ ad emendos ab eo fructus.

Hinc, qui sub ratione mutui confert alteri pecuniam sub ea conditione,vt teneatur mutuatarius restituere pecuniam mutuo acceptam in mercibus, est vsurarius. Ratio est,quia mutuare cum pacto,ex quo nascitur obligatio ciuilis, est vsura, atqui huiusmodi obligatio vt teneatur mutuatarius restituere pecuniam mutuatã in mercibus, quas non habet, est ciuilis, & illi onerosa,ergo est vsura. Dixi (sub ratione emptionis,& anticipatæ solutionis illarum mercium)pecuniam conferat,modò seruetur in tali contractu iustum pretium, non est vsurarius.Ratio est,quia ex intentione, & non ex verbis diiudicandi sunt contractus, at in casu posito, & si petens pecuniam, vsus sit nomine mutui,reuera tamen à parte rei intendit emere merces illas cum anticipata solutione, iusto tamen pretio, ergo nulla est vsura.

QVÆSTIO XLIV.

An sit vsura vendere obligationem mutuandi alteri? v.g. Titius certa mercede se astringit ad mutuo dandum Caio. Quæritur. An iste contractus sit vsurarius?

1 REspondeo non esse vsurarium. Et ratio est,quia ista obligatio cum sit ex pacto inducta,& ciuilis, est pretio æstimabilis, atque ex consequenti licitum erit illam vendere,& pretio accepto ad illud se obligare: dummodo Titius obliget se ad mutuandum, non quando ei libuerit, sed quotiescunque Caius qui obligationem illam dato pretio,ab ipso emit, petierit. Ita tenent Mol.disp.308.& Sotus lib.6.q.1.ar.2.

QVÆSTIO XLV.

An sit vsura mutuare fœminæ, sub pacto, vel intentione occulta, vt turpes amplexus sui corporis concedat?

1 ET videtur quòd non,quia isti turpes amplexus ex beneuolentia solent procedere.

Sed hoc non obstante dico primò,quod qui ratione mutui immediatè procurat amicitiam mulieris, vt inde illecta, ex amore, & liberè in turpitudinem consentiat,non est vsurarius,sed fornicarius. Ratio est, quia in hoc casu non ex vi mutui, sed ex beneuolentia turpe lucrum requirit. Ita Sot.lib.6.q.1.art.2.

Secundò dico, quòd qui mutuat fœminæ sub ea lege, vt in pretium pro mutuo vsum sui corporis concedat, est vsurarius. Ratio est,quia copula,& tactus,non vt sunt peccata, sed vt delectabiles actus (quidquid dicat Nau.) sunt pretio æstimabiles. Ita Mol.disp.307.& Rebel.lib.8.q.4.

QVÆSTIO XLVI.

An qui mutuat, possit aliquid vltra sortem accipere propter onus quod sustinet in numeranda pecunia?

1 ET quidem certum est, quòd quando summa pecuniæ mutuanda est modica,tunc vsura est pro ea numeranda vltra sortẽ aliquid accipere.Ratio est, quia sicut tenetur (supposito quod mutuat) mutuare gratis,ita tenetur,& hunc modicum laborem numerandi mutuationi annexum,gratis exhibere.

Sed dubium est apud Authores,quando egregia est summa pecuniæ numeranda.

Nauar.c.17.n.209.affirmat, ex eo fundamento,quod non ex vi mutui,sed pro labore numerandi, vel mensurandi,vel ponderandi accipiat iustam mercedem.

2 Mihi autem magis eorum probatur sententia,qui cẽsent id non licere.Ducor quia hoc onus quod sustinet mutuans in numeranda pecunia est tam in bonum eius qui mutuat,quàm eius qui accipit,quia vtriusque interest, vt mutuum numeretur,mensuretur, vel ponderetur, ne minus reddatur, quàm est acceptum, ergo qui mutuat non potest aliquid accipere pro labore numerandi,magnam summam pecuniæ.

Tum quia hoc onus, & labor numerãdi &c. intrinsecus hærent ipsi mutuo; ergo quemadmodum in spiritualibus, quæ iussu domini gratis dari & conferri debent ob laborem.& onus quæ ipsis rebus sunt annexa,pretium accipi non potest,vt v.g.ob Sacramentorum administrationem, ob sacrificium Missæ &c. ita & in mutuo,quia mutuum gratis dari debet, ergo ob onus, & laborem intrinsecum in mutuo dando, nihil accipi potest.

3 Posset

3 Posset tamen opinio Nauar. recipi primo in casu, quo mutuans in numerãdo magnam summam pecuniæ, tantum insumit temporis, vt reuera pro eodem tempore, desinit vacare negotiis aliis, quibus erat aliquid lucraturus, quia tunc ratione lucri cessantis poterit id licitè post admonitionem à mutuatario exigere.

Secundò posset recipi in casu quo mutuans cogitur mittere pecuniam mutuatam longè absenti, hoc enim non fit absque periculis, laboribus, & expensis, extrinsecè annexis mutuationi, quæ mutuans non tenetur gratis subire.

QVÆSTIO XLVII.

Sed quid? si mutuatarius accersat alium à mutuante, qui fidelius, certius, & expeditius eam magnam pecuniæ summam numeret, an possit pro suo labore numerandi, pretium accipere?

1 REspondeo posse. Ratio est, quia locat operam suam, ad numerandum pecuniam.

QVÆSTIO XLVIII.

Sed vter eorum pretium laboris soluere debeat, mutuans, an mutuatarius?

1 REspondeo mutuatarium, in cuius gratiam mutuatur pecunia.

An qui tradit pecuniam alicui ad vsum, quo non distrahitur dicta pecunia, sed solum ad ostensionem, & pompam, ea lege, vt teneatur eandem pecuniã numero restituere possit sine vsuræ labe, aliquid vltra sortem accipere?

1 REspondeo posse. Ratio est, quia cum in hoc casu pecunia non distrahatur, talis traditio pecuniæ non dicitur esse contractus mutui, sed locationis: Vnde tunc non accipit fructum ex alieno, sed ex suo, quia quando accommodatur pecunia, non transfertur dominium. Ita D. Tho. 2.2. q. 78. art. 1. ad 6. & Caiet. ibidem, & in summa verb. vsura.

QVÆSTIO XLIX.

An mutuans ratione periculi recuperandi mutuum, licitè possit aliquid vltra sortem exigere?

1 IN qua re conuenit inter omnes, posse, quando res ipsa mutuata subiacet periculis, vt contingit, quando quis mutuat pecuniam alteri, qui per mare, vel loca latronum, est eam transportaturus.

Tota igitur difficultas inter authores est, quando periculum mutui prouenit ex parte mutuatarij, quia facilè potest ad pauperiem deuenire, vel quia fraudulentus, vel dubiæ fidei. An tunc ratione huiusmodi periculi aliquid possit exigi vltra sortem?

1 NAuar. c. 17. nu. 243. & c. 23. nu. 81. Sot. lib. 6. q. 4. ar. 1. Salon. 2.2. q. 78. ar. 2. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 8. q. 9. & Conrad. q. 59. absolutè negant ex eo fundamẽto, quòd mutuans sciens, & volens subit huiusmodi periculum, ergo sibi debet illud totum imputare, alioquin non mutuet mutuatario infideli.

Hoc non obstante communior, & probabilior videtur contraria sententia videlicet in mutuo ratione huiusmodi periculi probabilis, cui mutuum expectatum exponitur, licitum esse aliquid vltra sortem mutui percipere. Ita Med. C. de rest. q. 38. Arag. 2.2. q. 77. ar. 4. Cordub. in sum. q. 78. P. Nau. lib. 3. de rest. c. 2. n. 343. Less. li. 2. de iust. c. 20. dub. 13. Eandem sententiam tenet Nauar. sui oblitus in sum. hisp. c. 17. n. 239. & 240. Ratio huius est, quia licet, debita periculosa difficiliaque recuperatu, minoris emere, ratione periculi, & difficultatis ea recuperandi, ergo è contrario mutuanti, quia subit ista pericula, licebit pro illis aliquid accipere, quia contrariorum contraria est ratio.

Tum quia fideiussor potest ratione periculi, cui se subiicit soluendi ex propriis debitũ, pro quo fidem obtulit, ergo & mutuator licitè poterit aliquid vltra sortem mutui exigere pro periculo probabili, quod subit in recuperando illud in futurũ.

3 Tum quia qui vendit pecunia credita, potest ratione periculi, quod subit in recuperando postea debitum, aliquid exigere vltra iustum rei pretium: sed dilatio solutionis est tacitum quoddam mutuum, ergo.

Digitized by Google

Tum Demum,quia mutuans poteſt exigere, vt mutuatarius det ei fideiuſſorem, aut pignus, ergo poteſt etiam ipſe aliquid exigere,ſi periculum fideiuſſionis ſubeat.

4 Verùm vt hoc iuſtè fieri poſſit, tria requiruntur.Primò vt mutuatarius non obligetur ad ineundum contractum aſſecurationis cum mutuante, ſed liber maneat, an velit pignore, vel fideiuſſore mutuantem aſſecurare;quia obligatio illa,qua teneatur mutuatarius accipere mutuantem loco fideiuſſoris potiùs,quàm alium,cum ſit ciuilis, eſt pretio æſtimabilis.

Secundò vt mutuans non plus exigat ratione huius periculi,quod ipſe alteri vellet dare pro talis periculi redemptione.

Tertiò vt periculum ſit verum, & non fictum:hoc eſt, quod tempore mutuationis veriſimiliter appareat incommodum futurum;nec refert,& ſi euentus poſteà declaret nullum fuiſſe incommodum, quia non pro ipſo incommodo futuro,ſed pro periculo incommodi pactus eſt. Ita Leſſ.lib.2. c.20.dub.13.

QVÆSTIO L.

An ratione ſumptuum,qui probabiliter timentur futuri in recuperando mutuum, liceat aliquid vltra ſortem exigere?

1 REſpondeo ex communi omnium ſententia licere.Ratio eſt,quia ratione damni emergentis licitè lucrum exigitur; ſed ſumptus qui fiunt in recuperatione mutui, ſunt certum damni genus, ergo poteſt exigi lucrum ratione ſumptuum,qui in eo recuperando rationabiliter metuũtur.Ita Leſſ.lib.2.c.20.dub.13.

QVÆSTIO LI.

An liceat pecuniam mutuare, & pro aſſecuratione aliquid vltra ſortem exigere?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum qui gratis,& liberaliter mutuat,deinde verò mutuatarius ſponte ſua init cum ipſo mutuante contractum, vt ſit periculo eius pecunia mutuata, nullum vſuræ peccatum admittere.Ratio eſt,quia in hoc caſu mutuans ſine vllo pacto recipiendi aliquid ſupra ſortem mutuat,quamuis poſteà contractum aſſecurationis cum mutuatario conficiat.

Sed tota controuerſia conſiſtit, quando quis mutuat cum pacto vt nullus præter mutuantem, pecuniam aſſecuret.

Adr.in 4. in materia de reſtitut.tenet id eſſe licitum,dummodò mutuator pro aſſecuratione,qua pecuniæ periculum in ſe ſuſcipit,iuſtam mercedem accipiat.

2 Contrariam tamen ſententiam meritò Doctores communiter affirmant, nempe eum qui mutuat pecuniam ſub eo pacto,vt mutuatarius obligetur ad ineundum contractum aſſecurationis ſecum, nimirùm vt mutuans,pecuniæ, quam alteri mutuo dat, iuſta mercede periculum in ſe ſuſcipiat,eſſe vſurarium. Ratio eſt, quia grauamen illud, quod mutuatarius celebrare teneatur contractum aſſecurationis, cum mutuante circa rem,quam mutuo accipit,tradereque illi pretium, tametſi iuſtum, propter periculum,quod in ſe ſuſcipit,ſanè eſt pecunia æſtimabile, non minùs quam grauamen,vt teneatur quis molere in molendino mutuantis,de quo ſupra dictum eſt.Ita Caiet. 2.2.qu.7.art.2.Cou.lib.3.var.c.2.nu.5.& Sot. lib.6.q.4.ar.1.ad 1.

3 Eſt autem hic conſiderandum, quòd ſi mutuans non plus accipit pro periculo, quod in ſe ſuſcipit, quàm moderatum, ac iuſtum pretium nihil de pretio reſtituere tenetur,ſed ſolùm, quantùm prudentis arbitrio æſtimabitur grauamen,quod mutuatario impoſuit, celebrandi eum aſſecurationis contractum. Vt tenet Reb. p.2. de oblig.8.q.4.

QVÆSTIO LII.

An qui mutuat pecuniam,quam ſub vſuris accepit,ſub hoc pacto vt mutuatarius vſurario ſoluat, quod ipſe ſoluturus erat, ſit vſurarius? v.g.accepi centum ab vſurario,deinde Titius poſtulat à me illa centum,vtrum poſſim licitè tantum exigere à Titio, quantum ſoluo vſurario?

1 NAuar.c.17.n.233.& Almay.in 4.d.15. q.2. putant non licere.

Aliorum tamen opinio eſt in cõtrarium.

Pro deciſione tamen huius difficultatis dico primò, quòd non eſt abſolutè licitum mutuare pecuniam acceptam ab vſurario, cum pacto vt mutuatarius ſoluat vſurario, quod mutuans ſoluturus erat. Ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans perinde facit cũ

Digitized by Google

mutuatario, ac fecit cum vſurarius cum ipſo, quod vt conſtat fuit illicitum. Et in hoc ſenſu vera eſt ſententia Nauar.

2 Secundò dico, quod ſi mutuans cum ſit diues, habet aliam pecuniam, quâ ſine ſuo detrimento poſſet mutuare, vel acceptam ſub vſuris iam conſumpſit, ad petitionem tamen indigentis mutuat ea lege, vt eam mutuo petens, vſurario ſoluat vſuras, vſurarius eſt. Ratio eſt, quia qui cum tali pacto mutuat, vt alius vſuras, quas ipſe ſoluturus erat, ſoluat, cõtractum mutui in alium non transfert, ſed ipſe ſub vſuris mutuat.

Tertiò & vltimo dico, quod qui cum nõ habeat aliam ad mutuandum, mutuat pecuniam acceptam ſub vſuris, nondum tamen cõſumptam, cũ hoc pacto, vt mutuatarius ſoluat vſurario, quod ipſe cogitur ex mutuo ſoluere, non eſt vſurarius. Et ratio eſt, quia in hoc caſu ſolùm ſe indemnem conſeruat, & pecuniam ſub vſuris à ſe acceptam, cum eodem onere ſoluendi vſurario vſuras, transfert.

QVÆSTIO LIII.

An ſit vſura mutuare frumentum pretio, quod in præſenti valet, ſoluendum tamen poſtea menſe Maij vel in frumento vel in pecunia pro vt mutuanti placuerit?

1 REſpõdeo eſſe vſuram. Ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans ponit ſe in tuto, & mutuatarium in periculo ponit, fortè enim frumẽtum plus valebit tempore redditionis, & ita ex mutuo lucrum recipiet, ſi pretium nolit, & frumentum eligat. Secùs tamen dicendum, ſi electio alternatiuè eſſet mutuatarij, cum fiat in gratiam ipſius, vt in altero prout maluerit, ſoluere poſſit.

QVÆSTIO LIV.

An mutuans ratione obligationis non repetendi mutuum ante certum tempus, poſſit licitè aliquid exigere vltra ſortem?

1 MEd. C. de reſt. q. 32. putat hoc titulo poſſe aliquid exigere: & probat, quia licitum eſt aliquid exigere pro obligatione mutuandi in futurum certam pecuniæ ſummam; ergo etiam pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam tanto tempore.

2 Cæterùm contrariam ſententiam tenẽt Mol. d. 308. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 20. dub. 14. & alij, & meritò quidem, quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, eſt quid intrinſecum mutuationi, quia ſi mutuum debet gratis fieri vt conſtat, nihil pro hac carentia, vel obligatione petendum eſt.

QVÆSTIO LV.

An qui non repetit mutuum, niſi tempore quo illud maiori pretio æſtimatur, peccet, & ſit vſurarius?

1 AD hoc dico primò, quod quando in mutuo ſoluendo non eſt cõſtitutus certus terminus, nullum eſt peccatum ex natura rei diſſimulare, & non petere triticum mutuatum, niſi tempore quo maiori pretio venditur. Ratio eſt, quia tunc mutuatarius ſibi imputare debet, quod non priùs ſoluerit, cum commodè potuerit. Ita Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2. & Nau. c. 7. n. 225.

Secundò dico, quod qui non repetit mutuum, quando videt vilius æſtimari, ſed oppetit tempus opportunum, quo maiori pretio venditur, & hoc facit ex auaritia, & nimia cupiditate lucrandi, peccat cõtra charitatem, vt poſt alios reſoluit Salon. 2. 2. qu. 78. ar. 2.

2 Tertiò dico, quod qui non repetit mutuum, niſi quãdo res illa cariùs æſtimatur, non peccat contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia cum non ſit ſignata certa dies, habet ius, & facultatem repetendi rem mutuatam, cum primùm ſibi placuerit, qui autem vtitur iure ſuo nulli facit iniuriam. Quod verò illi damnum ſit tunc reſtituere, ſibi imputetur, quia cum poſſet ſuæ vtilitati conſulere reſtituendo, quando res illa vilius æſtimabatur, reſtituere nolit.

Quartò, & vltimò dico, quod peccatum contra iuſtitiam cõmittit, qui operam dat, ne mutuatarius quando ipſi vtile, & commodum eſt, mutuum reſtituat, ſed eo ſolùm tempore, quo eius pretium augetur. Ratio eſt, quia cum debitor illud tempus expectare non teneatur, mutuans prohibens, vel impediens, ne tunc ſoluat, priuat illum iure ſuo, nocetque illi cum iniuria, ergò peccat contra iuſtitiam.

Tum quia mutuans nolens ſibi mutuum reſtitui, vult lucrari impenſas quas in

cuſtodiendo faceret, inſuper & periculum amiſſionis euitare, ergo non caret iniuſtitia. Ita Nauar.cap.17. num.225.

Hinc peccant contra iuſtitiam diuites, qui ſunt impedimẽto ſaltem indirectè agricolis, ne cenſus, vel annua pretia ſuorum fundorum, quos ab illis conduxerunt, in termino conſtituto reſtituant, cum vellent illi tempore ſibi commodo reſtituere, vt illa deinde in maiori pretio recuperent: eſt enim hoc quoddam genus fraudis ad augendum illorum pretium in ſuum commodum, fraus autem & dolus nemini debent patrocinari.

QVÆSTIO LVI.

An quando tempore caritatis annonæ, frumentum eſt carius, liceat illud mutuare alicui ea conditione vt reddatur iuxta pretium, quo valet tempore traditionis?

1 REſpondeo licere. Et ratio eſt, quia licet huiuſmodi cõtractus mutuum eſſe dicatur, ſed in effectu eſt vera venditio frumenti pretio præſente, expectata tamen ſolutione in futurum tempus. Ita Sylu. verb.vſura 1.q.16. Conrad.qu.38. & Salon. 2.2.q.78.art.2.

QVÆSTIO LVII.

An ſit vſura, ſi quis mutuet frumentum, vel oleum vetus, cum pacto vt mutuatarius tempore meſſis teneatur reddere nouum?

1 MEd. C. de reſt. q. 38. probat hunc cõtractum in caſu, quo vtrumque frumentum eſt paris æſtimationis.

Sotus lib.6. de iuſt.q.1.ar.2.abſolutè, & ſimpliciter damnat.

2 At verò Sylu.verb.vſura 1.nu.17.conſtituit hanc Regulam, quam vocat huius rei clauem. Vſuram eſſe, quotieſcunque ex huiuſmodi mutuo intenditur lucrum: iuſtum verò contractum, quando intenditur ſola euitatio proprij damni, ſine incommodo, & damno mutuatarij. Hoc idem ſenſit Nau. c.17.nu.224.

3 Pro clariori tamen notitia huius difficultatis dico primò, quòd qui mutuat frumentum vetus cum pacto, vt tantumdem ſibi ex nouo tempore meſſis reſtituatur, pro certò, vel probabiliter ſciens, recens melius, & maioris pretij futurum, quàm ſit ſuum vetus, tempore quo illud mutuo dedit, eſt vſurarius, ſi priuat mutuatarium libertate reſtituendi, quando ipſi libuerit. Ratio eſt, quia tunc ratione mutui recipit lucrum. Ita Molina diſp.311. Rebell. lib.8. q.8. Nau.c.17.n.224.Salon.2.2.qu.78.ar.2. & Sot.lib.6.q.1.ar.2.

Secundò dico, quòd qui mutuat frumentum vetus, ſed integrum, & vtile pro recenti non cauſa lucri, ſed vitandi damni, ne ſuum corrumpatur, ſi modò illud tempore mutuationis tantumdem, vel pluris valet, quam recens ſibi ſoluendum, non eſt vſurarius. Hoc autem ſecundum Nauar. contingit in tribus caſibus.

Primò, quando eſt maior penuria frumenti, quando mutuo datur, & ideò maioris pretij æſtimatur, quam recens tempore abundantiæ reddendum.

Secundò, quando vetus frumentum eſt ſiccius recenti, & ideò maior quantitas illius recipitur in menſura, quàm recentis.

Tertiò, quando ſubſtantia frumenti veteris eſt melior, quàm ſubſtantia recentis.

4 Hinc qui mutuat frumentum vetus, pro nouo in poſterum ſoluendo, poteſt exigere maiorem menſuram recentis ratione detrimenti quod patitur, dando vetus melius pro nouo non ita optimo, dum verisimiliter non valeat pluris illud plus recens reſtituendum, quàm vetus, cum mutuatur. Ratio eſt, quia in hoc caſu mutuans nihil lucratur ex mutuo, nec mutuatarius perdit quidquam, quamuis mutuator vitet damnum, quod ex corruptione frumenti incurrere poſſet, quod citra vſuram, vel iniuſtitiam velle poteſt abſq; damno mutuatarij.

Tum quia hoc non exigitur ratione mutui, ſed ratione detrimenti, quod patitur, quia vetus bonum maiorem copiam farinæ reddit, quàm ſoleat recens in principio anni.

Tum etiam quia nouum cum exſiccatur, & areſcit, redditur minus progreſſu anni, vetus autem cum iam exſiccatum ſit, & aridum, liberum eſt ab illa diminutione, & hac de cauſa vetus maiorem farinę copiam reddit, quàm nouum.

5 Tertiò dico, quòd qui tempore caritatis annonæ mutuat frumentum vetus iuxta pretium, quo tunc communiter venditur, cum pacto vt mutuatarius teneatur reſtituere frumentum nouum pro pretio, quo tempo

tempore ſolutionis valebit, non eſt vſurarius. Ratio eſt, quia licèt iſte contractus verbo tenùs effigiem mutuationis repræſentet, reuera tamen non eſt mutuatio, ſed venditio veteris pretio iuſto, & anticipata emptio noui pro iuſto etiam pretio, licèt inæquali, vel vnius frumenti pro alio iuſta ſecundùm valorem permutatio, vt docet Nauarr.c.17.n.225.

6 Quod arbitror eſſe verum, modò liberum ſit recipienti frumẽtum, reddere pretium illius, vel in frumento nouo iuxta æſtimationem, qua tempore ſolutionis valebit, vel in pecuniis, quia obligare illum, vt non poſſit aliter pretium illud reddere, quàm in frumento (cum hæc obligatio ſit pretio æſtimabilis, quia poteſt forſan afferre ſecum aliquem laborem, & difficultatem in quærendo frumento illo) eſſet profectò exigere ab illo vltra iuſtum valorem frumenti ſibi traditi aliquid aliud pretio æſtimabile, quod eſt iniuſtum, & vſurarium. Vt tradit Conrad.de contr.q.38.& Rebell. p.2.de obl.li.8.q.8.

Quartò dico, quòd qui mutuat frumentum vetus, timens eius corruptionem maiorem, qua iam ſemi-corruptum eſt, cum pacto vt tantumdem ſibi ex nouo integro reddatur, vſurarius eſt. Ratio eſt, quia ratione mutui frumenti ſemi-corrupti acquirit obligationem ciuilem ſoluendi in frumento nouo incorrupto. Ita Mol.d.311.

Quintò dico, quòd qui mutuat frumentum tempore meſſis, cum pacto vt deinde in menſe Maij, in quo ſperatur frumentum plus valiturum, ſoluatur in frumento, & non antè, eſt vſurarius, ſi non erat vſque ad illud tempus tale frumentum ſeruaturus. Ratio eſt, quia ratione mutui recipit lucrum. Secùs ſi erat ſeruaturus, & frumentum erat aptum ſeruari vt habetur in c.Nauig.de vſuris.

7 Sextò, & vlt.dico, quòd qui mutuat frumentum vetus, ſed bonum, nec ſignauit certam diem ſolutioni, vel ſi ſignauit, liberum erat recipienti, reddere illud anteà, ſi deinde tempore quo illud ſoluit, contingat cariùs valere, ſine labe vſuræ, licitè poteſt illud frumentum auctum in valore exigere. Et ratio eſt, quia ſicut contingit tunc frumentum cariùs valuiſſe, potuit accidere, vt viliùs valeret, ergo ſicut tunc tenebatur mutuans recipere frumentum illud etiam diminutum in valore, ita etiam poterit illud in valore auctum recuperare, quia æqualiter ſe ſubiecit diſcrimini lucri & damni. Vt docet Sot.li.6.q.1.a.2.

QVÆSTIO LVIII.

An qui mutuat centum aureos alicui, & deinde authoritate Principis valor aureorum augetur, poſſit idem pondus auri exigere, id eſt totidem centum aureos?

1 SVnt multi ex Iuriſperitis, qui teſte Syluestro verb.vſura 1.§.14.exiſtimãt quòd ſi tempore mutui æquale dubium ſit, num magis, vel minùs ſit valiturus aureus tempore ſolutionis, quàm æſtimatur tempore traditionis, tunc eadem moneta aurea eſt reſtituenda.

Alij verò vt Sotus li.6.q.1.a.2. & Mol.d.312.abſolutè docent, non eſſe totidem aureos reſtituendos, ſed valorem receptum tempore mutui, id eſt iuxta valorem, quem tunc habebant.

2 Pro deciſione tamen dico primò, quòd ſi mutuans aureos erat illos ſeruaturus vſque ad illud tempus, quo authoritate Principis, eorum valor creuit, licitè poteſt illos centum aureos integros, & in valore auctos exigere. Ratio eſt, quia tunc ratione mutui, nihil lucratur, ſecundùm Syluest. verb.vſura 1.§,14.& Lop.li.2.ca.67.

3 Secundò dico, quòd ſi mutuans illos centum aureos, non erat ſeruaturus in illud vſque tempus, quo aureus pluris eſt valiturus, quia nimirùm parabat illos ſtatim diſtrahere, tũc non poteſt licitè illos integrè, & in valore auctos recipere, quia eſſet vſura, ſicut vſura quoque eſſet, ſi venderet triticũ tempore meſſis pro pretio cariori Maij, ſi ipſe non erat ſeruaturus triticũ vſque ad illud tẽpus. Et ratio eſt, quia aurei ſunt moneta, ideſt menſura pretij rerum, & ideò quando authoritate publica eius valor augetur, iã in ratione pecuniæ, & menſuræ mutatur, ergò quemadmodũ quando mẽſura tritici mutuata, poſteà eſt aucta, nõ tenetur mutuatarius mutuũ reſtituere, ſecũdũ menſurã auctã, ſed ſatis eſt, quod eãdẽ mẽſuram reddat, quam accepit, ità nec quando aureus eſt auctus in valore, tenetur mutuatarius ſoluere illum cũ illo augmento, ſed ſufficit rẽddere centum aureos in menſura, qua tempore mutui valebant.

4 Hinc

4 Hinc, ſi mutuem tibi viginti modios tritici valentes tempore mutui viginti, ſi poſtea eorum valor creuit vſque ad triginta, teneris mihi reddere eoſdem modios tritici eiuſdem bonitatis, qualitatis,& numeri.& ſi tunc conuentum ſit inter nos, vt triticum in pecunia ſoluas,non ſufficit ſoluiſſe viginti aureos, quos tempore mutuationis valebant,ſed triginta, qui ſunt tempore ſolutionis pretium auctum.Et è contra ſi tempore ſolutionis triticum decreuit in pretio,quia tempore mutui valebant viginti, & deinde tempore ſolutionis valent tantum decem,non viginti,ſed tantum decem, teneris ſoluere. Et ratio eſt, quia ratione mutui mutuatarius non debet pretium, ſed corpora in eadem ſpecie,& qualitate. Sot.lib.6.q.1.a.2.

Hinc qui decem modios tritici ab aliquo ſurripuit,tempore furti valentes decem, ſi poſteà eorum pretium auctum eſt ad viginti, legi iuſtitiæ non ſatisfacit ſoluendo decem, quos tempore furti valebant, ſed viginti,qui ſunt tempore reſtitutionis pretium. Ratio eſt, quia fur quia non debet eſſe melioris conditionis, quàm mutuatarius,tenetur domino tantumdem tritici in eadem bonitate reſtituere,quod cum tunc in illa ſpecie,& qualitate valeant viginti.ſi in pecunia reſtituat, viginti,& non decem reſtituere tenetur.

Hinc, ſi mutuo tibi dedi decem amphoras vini, & deinde authoritate Principis, vel Reipublicæ talis amphora facta eſt maior, non teneris mutuum reſtituere ſecundùm menſuram nouam,ſed veterem.Et ratio eſt, quia tantumdem teneris reddere, quantum accepiſti.

5 Ex qua doctrina colligitur aliam eſſe rationem pecuniæ, aliam verò frumenti, olei,vini,& ſimilium,aliæ enim res,& ſi augeatur illarum valor,manèt tamen eædem res immobiles,& immutatæ in ſua natura, qua de cauſa mutuatarius ſatisfacit ſuæ obligationi reddens rem ſimilem, & eiuſdem bonitatis,& menſuræ,quidquid ſit de valore pretij. At pecunia, vt pecunia eſt, cum ſit pretium rerum, mutatur mutato illius valore,& æſtimatione, vnde non debet reſtitui niſi pretium æquale. Ita Leſſ. lib.2.c.20.dub.17.& Rebel.lib.8.q.8.

Hinc habes Chriſtiane lector, regulam generalem,quod excepto numiſmo,in mutuo non attenditur, an pretium rei mutuatæ valeat plus, minuſue tempore ſolutionis, quam cum mutuatur, ſed eadem menſura, quæ datur, reddenda eſt.

QVAESTIO LIX.

Sed quid?ſi tam mutuans, quàm mutuatarius tempore mutui nihil cogitauerunt de auctione,vel diminutione pretij,vel de conſeruando eos ad id temporis,aut non reſeruando?

1 NOnnulli ex Iuriſtis cenſent mutuatarium teneri illos centum aureos ſoluere cum illo augmento, id eſt totidem integros.

Sed mihi oppoſiti videtur probabilius, quia eruditè tradit Magiſter Sotus lib. 6. qu.1.ar.2. ſicut cum menſura olei mutuata poſteà authoritate Principis augetur, ſat eſt eandem menſuram reddidiſſe,ita ſi aureus eſt auctus in valore, & æſtimatione, quia in ratione monetæ, id eſt menſuræ eſt auctus, ſatis eſt ſoluiſſe mutuatarium in recepta menſura,id eſt valore,quo tempore mutui aureus valebat. Secùs ſecundùm Nauar. ſi mutuans tempore cõtractus mutui, pactus fuiſſet, vt illi centum aurei ſibi in eadem ſpecie ſoluerentur. Ita Leſſ. lib.2.c.20.dub.17.& Lop.lib.2.c.67.

QVÆSTIO LX.

An habens pecuniam auream, vel argenteam, quam ſcit, vel probabiliter timet in futurum banniri,vel minorari iuxta ordinationes Principis, vel Reipublicæ, poſſit citra vſuram tam mutuare alicui, cum pacto, vt ea ſibi reddatur ſecundùm eam æſtimationem,in qua eſt,quando mutuatur?

1 REſpondeo poſſe citra vllam vſuram mutuare, quando mutuatarius ante bannitionem, vel eius diminutionem vult eam in ſuos vſus conſumere, quia tunc in nullo damnificatur mutuatarius, nec mutuans vltra ſortem aliquid lucratur, ſi quidem dat pecuniam ſecundùm æſtimationem, quam habet. Ita Sylueſt.verb.vſura 1. q.15. Ang. ibidem §.36. Tab. eodem verbo q.15.& Lop.lib.2. cap.7. Et ità ego credo; ducor, quia quamuis ex mutuo non liceat ſperare lucrum, licèt tamen ſperare cuſtationem damni, ſine mutuatarij iactura: ſicut

Digitized by Google

ſicut fas eſt mihi mutuare pecuniam, quam certò noui mihi ſurripiendam, & vendere rem, quam video breui tempore corrumpendam.

QVAESTIO LXI.

An liceat dare alicui centum menſuras panni, cum pacto vt in futurum totidem alias reſtituere teneatur?

1 REſpondeo licere, dummodò pannus reddendus non ſit melior, ſiue maioris pretij. Ratio eſt, quia licèt hic contractus prima fronte videatur mutuum, in effectu tamen eſt permutatio licita vnius rei cum alia. Et ratio eſt, quia licet mutuum conſiſtat in rebus, quæ menſurantur, menſura tamen eſt modius tritici, amphora vini, & aliarum rerum ſimilium aridarũ, & liquidarum. Sylu. verb. vſura 1. q. 13.

QVÆSTIO LXII.

An qui mutuum accepit in pecunia aurea, vel argentea, poſſit inuito creditore eam reſtituere in pecunia ærea?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia in debitis pecuniariis potius haberur ratio valoris, quàm materiæ, vel formæ. Ita Mol. tom. 2. de contract. diſp. 299. Eſt tamen hoc contra Sylu. verb. ſolutio q. 2. Armil. verb. pecunia §. 4. & Lop. lib. 2. cap. 65.

QVÆSTIO LXIII.

An qui mutuat pecuniam auream vel argenteam, poſſit cum mutuatario paciſci, vt tantumdem in pecunia aurea, argentea ue ipſi reſtituatur?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia pecunia aurea, & argentea eſt cõmodior, quàm ærea, ergò mutuãs poteſt mutuatarũ obligare ad ſoluendum in ſimili pecunia, nemo enim cogitur cum ſuo incommodo alteri mutuare. Ita Mol. d. 299. & Sylueſt. verb. ſolutio q. 2.

QVÆSTIO LXIV.

At è contrario, qui mutuat in pecunia ærea, poſſit cum mutuatario paciſci, vt auream, vel argenteam pro ea ſibi reſtituat?

1 NOnnulli ex recentioribus iudicant id licere.

Sed communis opinio eſt in cõtrarium. Et ratio eſt, quia mutui natura, & ſubſtantia exigit, vt tantumdem reddatur eiuſdem naturæ, quantitatis, & qualitatis, ſiue bonitatis, ergo tale pactum apponere ſine mutuatarij conſenſu, eſt contra naturam mutui, & per conſequens illicitum.

Tum quia ratione mutui non licet aliquid lucri velle reportare, aut aliquam obligationem ciuilem, vel oneroſam alteri iniungere, ergo neque licet mutuare pecuniam æream, vt ſibi tantumdem reddat in pecunia aurea, vel argentea. Ita Nau. c. 17. num. 226.

QVÆSTIO LXV.

An qui dat pecuniam argenteam, pro aurea cum aliquo lucro, ſit vſurarius?

1 REſpondeo eſſe vſurarium, ſi ratione mutui illud lucrum recipiat: ſi verò ratione venditionis, vel permutationis, hoc eſt vendendo, vel permutando aurum pro argento illud recipit, non eſt vſurarius, quia aliquando cõtingit, vt pecunia aurea, ob neceſſitatem argẽti minùs valeat, quam pecunia argentea. Ita Nau. c. 17. nu. 226.

QVÆSTIO LXVI.

An qui mutuo dat maſſam argenteam, hac lege, vt tantumdem reddatur in pecunia, ſit vſurarius?

1 REſpondeo eſſe vſurarium. Et ratio eſt, quia hic ratione mutui lucrum acquirit, nimirùm obligationem ciuilem, & oneroſam, qua mutuatarius obſtringitur ad ſoluendum in pecunia, quod accepit in maſſa argentea.

Tum quia cum maſſa argentea vt merx communi foro minùs ſoleat vendi, ſi huiuſmodi mutuator eam mutuet, vt quantum argentum illius maſſæ iuxta gradus ſuos ſecundùm legem valet tantùm in pecunia ſibi reddatur, vſuram committit, quia ratione mutui aliquid lucratur. Ita Lop. lib. 1. de contract. cap. 18.

QVAEST.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXVII.

An qui mutuam accepit pecuniam, possit citra iniustitiam tantumdem reddere in frumento, vel oleo inuito creditore?

1 REspondeo non posse. Et ratio est, quia de substantia mutui est, vt tantumdem eiusdem naturæ, & bonitatis restituatur.

2 Hinc, qui triticum mutuum accepit non potest tantumdem restituere in pecunia. Et ratio est, quia pecunia, & triticum naturâ diuersa sunt; ergo inuito creditore, vnum pro alio reddi non potest.

QVÆSTIO LXVIII.

An sit vsura mutuare frumentum, aliámve rem similem cum pacto, vt mutuatarius teneatur tantumdem reddere in eadem specie, vel pondere vel mensura?

1 IN qua re existimo in primis, eum qui titulo venditionis tradidit frumentũ pecunia credita, quod deinde authoritate Reipublicæ creuit in æstimatione, solùm posse exigere pretiũ iuxta valorem, quem habuit tale frumentum tempore venditionis, & traditionis. Et ratio est, quia in hoc casu non debetur frumentum posteà restituendum sed tãtùm pretium eius, nec enim vendi potuit pluris quàm tunc tempore traditionis æstimabatur, & in hoc omnes conueniunt.

Quæstio ergo tantùm est, quando traditur frumentum per viam mutui.

2 Ad hoc dico primò, quòd si mutuatio fiat nullo præfixo termino solutionis, potest mutuator sine vsuræ labe, frumentum mutuatum repetere, quando videt pluris illud valere. Et ratio est, quia tunc mutuatarius sibi imputare debet, quod expectauerit, donec pretium creuit.

Quod arbitror esse verum primò, quando mutuans vi, aut fraude non impedit anteà fieri solutionem, casu quo mutuatarius prius soluere voluisset.

Secundò in casu, quo mutuans non pro certo scit mutuatarium non posse frumentum illud restituere, nisi eo tempore, quo plus valiturum erit, quia vbi illud pro cõperto haberet, perinde se haberet, ac si obligaret mutuatarium ad restituendum tempore maioris valoris, & tempore quo certò reciperet lucrum ex illo mutuo.

3 Secundò dico, quòd si mutuatio fiat assignato certo tẽpore solutionis, & æquè dubium sit, num magis, vel minùs sit valiturum frumentum tempore redditionis, quàm æstimatur tempore mutuationis, non est vsura illud mutuare ea conditione, vt in eo tempore, & non antea tantumdem reddatur in eadem specie, pondere, vel mensura, etiamsi interim pretium eius valde creuerit, siue mutuans sit rem seruaturus, siue non ad illud tempus. Ratio est, quia tunc par est vtriusque conditio, cum vterque ex æquo seipsum exponat periculo, & commodo maioris vel minoris pretij illius rei; quando tamen periculum ascensus, & descensus valoris frumenti nõ est æquale, sed longè minus est, ne descendat, quam ne ascendat, tunc mutuans estò ad restitutionem teneatur, si frumentum quod ei est redditum tempore solutionis ascenderat in valore, non tamen restituere tenetur totum incrementum valoris, sed partem, pro ratione periculi descensus, cui se ex posuit. Ita Sot. lib. 6. q. 1. ar. 2. Reb. lib. 8. q. 8. & Mol. d. 311.

4 Tertiò dico, quòd si certum sit, vel humana probabilitate verisimilius, frumentum tempore solutionis plùs valiturum quam modò valeat, vel erat seruaturus mutuans illud vsque ad id tempus, vel non erat seruaturus. Si primum, tunc non est vsura, si postulet, vt tantumdem in eadem specie, & bonitate sibi frumentum reddatur, dummodò ex valore rei mutuatæ detrahatur æstimatio custodiæ vsque ad tempus præfixum restitutioni, ac solutioni illius faciendæ, & æstimatio periculi corruptionis. Si secundum, tunc vsura est, exigere à mutuatario, vt sibi tantumdem frumenti reddat quia ex mutuo petit lucrum, nimirùm excessum valoris in frumento, quod alioqui non erat seruaturus. Ita Salon. 2. 2. quæst. 78. ar. 2. Med. C. de rest. qu. 38. Molina disp. 311. & Nauar. in Manual. cap. 17. num. 219.

5 Quartò, & vlt. dico, quòd si certum sit vel saltem verisimiliter, frumentum tempore redditionis minùs valiturum, quam modo valeat, potest mutuator pacisci cum mutuatario, vt maiorẽ quàm accepit, mensuram reddat (prout id magis, vel minùs certum

certum fuerit) vt fiat æqualitas,idque siue rem illam esset seruaturus, siue non. v.g.si mutuo tibi decem modios tritici,dum valent viginti aureis, possum pacisci,vt restituas mihi viginti modios , si tempore redditionis singuli modij non valebunt nisi singulis aureis,quia illi viginti æquales erãt æstimatione meis decem. Ratio huius est, quia qui mutuat potest spectare in re sua non solùm naturalem bonitatem,sed etiam pretium,& exigere, vt restituatur tantumdem non solùm in bonitate , sed etiam in pretio. Ita Less.lib.2.de iust.c.20.dub.17.

QVAESTIO LXIX.

Quid ? si tempore contractus non fuerit conuentum de reddenda maiore mensura , vel de exequendo pretio , sed tantum de reddendo mutuo,tenebiturne mutuatarius cum pretium decreuerit , maiorem mensuram soluere ?

1 PEtr.Nau.li.3.de rest.c.2.n.252.& Reb. lib.8. q.8.dicunt eum teneri.

2 At huius oppositum tenent Sot.li.6.q.1. a.2.& Less.lib.2.c.20.dub.17.& meritò quidem,quia mutuatarius absolutè secundum propriam, & nudam rationem mutui, non tenetur restituere mutuãti pretium rei sibi mutuatæ, sed solùm rem similem specie,& parem bonitate, & mensura,ità vt nec teneatur ad amplius, nec debeat minus siue tempore solutionis frumentum illud maiori pretio vendatur,siue minori,quàm valeat tempore mutui,nisi ratione mutationis pretij aliter sit conuentum.

QVÆSTIO LXX.

An sit vsura mutuare centum, cum pacto, vt si mutuatarius intra duos annos moriatur,nihil reddere teneatur , sin autem vltra duos annos viuat , reddat duplum?

1 NAuar.c.17.n.20.2.Sylu.verb.vsura 1. q.36.& 37.Armil.eodem verb.n.36. & 37. Tab.ibidem 15.qu.10. Angel. vsura 1. n.42.& 43. & alij tenent esse vsuram , quia ex mutuo lucratur mutuator illam obligationem soluendi duplum,quamuis dubiam. Secùs si donet gratis,cum pacto amicitiæ, vt donatarius si vsq; ad illud tempus vixerit,duplum gratis reddat.quia tunc nullum ibi mutuum interuenit , sed est contractus innominatus scilicet do,vt mihi des.

2 Mihi verò contraria sententia longè verior cum aliis videtur,hunc scilicet contractum non esse vsurarium , sed licitum, quia illa centum accipit mutuans , non vi mutui,sed ratione periculi,quoniam potest perdere illa centum, si moriatur mutuatarius,& ea lucrifacere,si superuiuat.

Tum quia hic non est contractus mutui, sed contractus innominatus scilicèt do vt des,do enim tibi pecuniam ea conditione, vt si intra tale tempus decedas , eam tibi lucreris , quòd si vixeris , reddas duplum. Vel contractus ludi , in quo ego centum aureos pono , vt si intra duos annos vixeris , totidem lucrifaciam , si obieris , eam amittam, & in hac cõuentione sunt pares.

Quòd autem in hoc contractu non sit mutuum patet , quia mutuum in omnem euentum restitui debet , etiamsi fortuitò perierit:at si mutuatarius obierit , centum aureos sibi datos lucratur,ergò non in omnem euentum eos restituere cogitur,atque ex consequenti ibi non est mutuum;vbi autem non est mutuum,ibi non est vsura. Ita Sot.lib.6. de de iust.qu.1.ar.2. ad finem , & Nau.sibi contrarius lib.5.de vsuris cons.25.

3 Hinc,qui dat centum alicui volenti cum naui onusta mercibus transire in Siciliam, sub ea lege,vt perdat illa centum, si nauis perierit, sin autem euadat incolumis, reddantur sibi centum viginti , non est vsurarius. Ratio est, quia in hoc casu mutuans accipit lucrum, non vi mutui , sed ratione assecurationis.

QVÆSTIO LXXI.

An sit vsura mutuare pecuniam ea conditione, vt si mutuatarius ad terminum statutum non soluat mutuum , certam pecuniæ summam vltra sortem soluere teneatur?

1 PRo cuius quæstionis intelligentia præsupponendum est primò,pœnam quantùm ad rem nostram facit , esse in triplici genere , conuentionalem,legalem, & iudicialem.

Pœna conuentionalis dicitur illa,quæ de consensu partiũ contra morosum debitorẽ imponitur, vt promissa firmiora consistant. v.g.mutuo tibi centum reddendos in festo S.Bartholomæi , sub eo pacto,vt nisi in tali die illos reddideris , in pœnã huius moræ, tenearis vltra sortem,soluere mihi decem.

Lega

Legalis eſt,quæ à lege cõtra debitorem imponitur, niſi ſtatuto die creditori ſatisfaciat.

Iudicialis verò pœna eſt,quam in particulari cauſa, Iudex imponit debitori,ſi intra certum tempus debitum non ſoluat.

2 Et quidem loquendo de pœna legali,& iudiciali,non eſt dubiũ,quin poſſit imponi, & iuſtè à moroſo debitore exigi, modò ſit moderata, quæ etiam ad finem ad quem imponitur, deſeruiat.

Sed dubium eſt, de pœna conuentionali, an videlicet iuſtè ex partium conſenſu ſtatuti poſſit,ſimiliter,& ſuo tempore exigi, & recipi?

1 In qua re,etiam conuenit,eum qui mutuat,& ex pacto pœnam adiicit,vt ſi ſtatuto die non ſoluerit mutuum,in compenſationem damni emergentis,vel lucri ceſſantis, impoſitam vltra ſortem ſoluere tenentur,non eſſe vſurarium. Ratio eſt,quia cùm iuſtè poſſit mutuans exigere à mutuatario lucrum ceſſans,vel damnum ſibi emergens ex mutuo, vel mora mutuatarij, poterit ſimiliter idipſum ſub nomine pœnæ, mutuo vtriuſque conſenſu appoſitæ exigere, ac recipere.

Tota igitur controuerſia inter Authores eſt,quando non timetur aliqua iactura lucri ceſſantis & damni emergentis,ſed ſolũ vt mutuatarius metu pœnæ appoſitæ diligentiùs curet ſoluere debitum in termino præfixo.

Scot.in 4.diſt.15.q.2.ar.2.putat nõ licere.

2 Mihi tamen cũ eius bona venia oppoſitum videtur tenendum, nempè non eſſe pactum vſurarium,vel iniuſtum hac intentione pœnam imponere contra moroſum debitorem,vt metu illius pœnæ diligẽtiùs ſoluat in termino præfixo, etiamſi nullum intereſſe patiatur mutuans ex illa mora. Ratio eſt,quia pactum,& cõuentio in qua priuati inter ſe conueniunt, eſt veluti lex, quam vel vterque viciſſim, vel alter alteri libero illius conſenſu imponit:ſed licet legibus,vt diligentiùs promiſſa obſeruentur, apponere pœnas, ergò & huiuſmodi pactis,& cõuentionibus, ne à contractu illo, & pacto recedatur. Ita Nau.c.17.nu.215.& c.23.nu.68.Leſſ.lib.2.c.20.dub.15. Rebel.li,8. q.9. Mol.diſp.317. Salon.2.2.q.78.ar.2. Med. de vſur.q.3. Sylueſt.verb.vſura 1.num.28.& Conrad. de contr.q.21.

3 Oportet tamen aliquas cõditiones ſeruari, vt huiuſmodi conuentionalis pœna licitè imponatur, & exigatur. Prima eſt,vt non apponatur in fraudem vſurarum, vt eo ſcilicet prætextu vſura pallietur. Quod contingit,quando mutuans non curat,vtrũ mutuatarius ſoluat ante terminum præfixum,an non,ſed vt poſſit lucrari ex mutuo, terminum illi cum pacto pœnali cõſtituit. Debet igitur apponi, non vt ex mutuo lucrum recipiat,ſed ex eo,quod intereſt mutuanti,vt in tempore præfixo mutuum ſoluatur, vel quia in eo termino habere vult quod ſibi debetur, ſiue interſit illud tunc habere, ſiue non : eo enim ipſo quòd mutuatarius contra mutuantis voluntatem id vltra terminum præfixum detinet,iniuriam illi facit,inciditq; in culpam, pro qua pœna conuenta iuſtè exigi poteſt. Quod ſi appoſita iam pœna, mutuator optet potiùs mutuatarium tranſgredi terminum, & teneri ad pœnam,quã ſoluere tempore præfixo,peccat contra charitatem optãdo culpam proximi ob ſuum commodum,non tamen contra iuſtitiam, quoniam lucrum ex mutuo non intendit, ac proinde eius exactio non eſt iniuſta.

4 Secunda vt pœna ſit moderata pro ratione culpæ, ſiue ea ſit iudicialis,ſiue legalis, ſiue conuentionalis. Vnde ſi pro re leuioris momẽti ingens pœna imponeretur, iniquè cogeretur mutuatarius in eam conſentire,ac proindè quoad exceſſum inualida erit. Vt ſi dicat,elapſo termino eris ſingulis diebus obligatus ad ſoluendam tantam pecuniæ ſummam.

Tertia, ne quis mutuet appoſita pœna alicui,quem ipſe tempore mutui,& cõtractus intelligebat futurum eſſe impotentem ad ſoluendum tempore ſtatuto.

5 Quarta ne pœnam exigat ab eo,qui ſine culpa ſua (ſiue per omnimodam impotentiam,ſiue per moralem impotentiam, hoc eſt,difficultatem tantùm, vt mutuans irrationabiliter inuitus circa impletionis dilationem cenſeatur)non ſoluit mutuum,quia pœna, & culpa ſunt correlatiua, ergò vbi nulla eſt culpa, ibi nulla debet eſſe pœna.

Tum quia quamuis huiuſmodi pœna habeat vim pacti, ne requirit Iudicis ſententiam imponitur tamen in punitionem moræ, vnde debet talis mora neceſſariò eſſe culpabilis. Cenſetur autem mora eſſe inculpabilis,quando debitor caſu aliquo,vel infortunio,vel morbo facultatibus ſuis expoliatur

expoliatur & efficitur impotens ad ſoluendum. Secùs autem ſi ex ludo, vel luxu, aut imprudentia, vel negligentia ipſius, redditus ſit impotens.

6 Quinta vt mora ſit notabilis, nam ſi ſtatim atque mutuatarius per duos, vel tres dies differt ſolutionem ſine vllo incommodo mutuantis, mutuans pœnam illam citò exigeret, certè iniquè ageret. Ratio eſt quia vbi nullum mutuator patitur intereſſe differre per duos, vel tres dies ſolutionem iudici prudentum non cenſetur mora, quæ pœnâ illâ conuentionali punienda ſit.

7 Sexta & vltima conditio eſt, vt ſi partem debiti ſoluit, non exigatur tota pœna, ſed pars pro rata, niſi cum debitum forſan non erat in partes, ſed totum ſoluendum. Quod contingit, quando ſolutio alterius partis ſeorſim eſt inutilis creditori, vel vt alij dicunt, quando obligatio eſt indiuidua, vt ſi vnam veſtem conficere ad certũ diem ſub certa pœna tenebaris, iuſtè tota pœna exigetur, ſi dimidiam veſtem præſtiteris, eo quòd cum obligatio indiuidua ſit, ſolutio ex parte facta vtui creditoris inutilis ſit. Si tamen diuidua eſſet obligatio v. g. ad duas veſtes conficiendas, excuſaberis à tota pœna impoſita, ſi vnam veſtem conficias, cum pars ſeorſim creditoris vſui poſſit deſeruire.

8 His exiſtentibus conditionibus, pœna conuentionalis poſt moram culpabilem incurſa in mutuo licitè exigi poteſt. Secùs erit vſura palliata, quia licet appareat ſe accipere illud lucrum ratione pœnæ, ſed reuerà exigit ratione mutui. Ita ſentiunt Nau. c. 17. n. 215. Tolet. l. 5. c. 32. Arag. 2. 2. q. 78. ar. 2. Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 15. Mol. to. 2. de contr. diſp. 317. Rebell. lib. 8. q. 9. Salon. 2. 2. q. 7. ar. 2. Sylu. verb. mora. q. 4. Med. de vſur. q. 5. & Ro. p. 2. ſum. c. 84. n. 2.

Apponit Conrad. de contr. q. 31. alias duas conditiones, quarum prima eſt, vt ex appoſitione pœnæ non ſequatur infamia mutuanti, vel ſcandalum. Sed hæc conditio non eſt neceſſaria, quia iuſtitia contractus non pendet ex fama mea vel ſcãdalo aliorum, ſed ex æqualitate rei ad rem.

9 Secunda eſt, vt apponatur pœna, quando mutuans ex præcepto charitatis, vel ex aliqua alia cauſa tenetur mutuare. Sed nec hæc conditio eſt neceſſaria, quia qui poteſt obligare mutuatarium ad reddendam ſortem termino præfixo poterit etiam apponere pœnam: qui verò per eleemoſynam tenetur ſubuenire proximo, vel mutuare, nullo præfixo termino nullam poterit apponere pœnam, cum huiuſmodi mutuatarius ita egeſtate prematur, vt non ſit culpandus de aliqua mora.

QVÆSTIO LXXII.

An pœna conuentionalis poſt moram incurſa ante Iudicis ſententiam, in conſcientia debeatur?

1 IN qua re certum eſt, eam deberi, quãdo hæc pœna eſt neceſſaria ad compenſandum intereſſe lucri ceſſantis, vel dãni emergentis, quia mutuans non tenetur hoc detrimentum pati, ſed debet ſeruari indemnis.

Sed dubium eſt, quando non eſt neceſſaria ad compenſandum intereſſe, ſed ſolum ad effectum, vt mutuatarius timore eius, ſuo tempore mutuum reddat?

2 Nauar. c. 23. nu. 67. & 68. vbi mutat ſententiam, quam olim tenuerat cum Felino, & Decio, quam ait, ſibi nunc plurimum diſplicere Lop. lib. 1. de contr. c. 31. & lib. 2. c. 34. Arag. 2. 2. q. 78. art. 2. & Victoria tuentur partem negatiuam ducti ea ratione, quia cum pœna ſit contra voluntatem, eius conditio naturalis poſtulat, vt non ſit debita ſolutio, niſi quis cogatur. In eadem ſententia eſt Sanchez lib. 1. de matrimon. d. 37. vbi dicit multos neotericos doctiſſimos ita ſentire, & Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 20. dub. 15. cenſet hanc opinionem eſſe probabilem.

3 Oppoſitum docet Couar. in epitom. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 8. num. 11. quem ſequuntur omnes ferè recentiores vt Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 15. Rebell. lib. 8. q 9. & Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. & meritò quidem, quia in hoc diſtinguitur pœna conuentionalis, à legali, & iudiciali, quod legalis, & iudicialis ſolui non debent, niſi poſt ſententiam, quia non ex vi pacti, & promiſſionis rei, ſed Iudicis præcepto delictum punientis debetur; at conuentionalis ſolui debet ante ſententiam, quia eſt debita ex conuentione partium, & partes ad hoc ſe obligarunt.

Poſſet tamen prima opinio recipi in caſu, in quo eſt æquale dubium, an debeatur, quia cum pœnæ ſint ſtricti iuris, nemo ante Iudicis ſententiam eam ſoluere tenetur.

QVÆSTIO LXXIII.

An hæc pœna sit in conscientia soluenda, antequam à creditore in iudicio, vel extra iudicium exigatur?

1 AD hoc dico primò quòd si mutuãs, vel creditor huiusmodi pœnam nullo modo expresè, vel tacite exigat, debitor qui fuit in mora, non tenetur ei in cõscientia eam soluere. Ratio est, quia non petẽdo cum possit, videtur cedere suo iuri.

Tum quia nimis durum videtur, vt solutio pœnæ debeatur ante exactionem.

Tum demùm, quia ita habet vsus, & consuetudo omnium nationum celebrantium contractus, appositis huiusmodi pœnis. Ita Nau c.23.n.67.& 68. Mol.d. 97. Less. lib.2.c.20.dub.15. Rebell.lib.8.q.9. Couar.in epitom.4.decret.2.p.c.6.§. 8.n.11.& alij.

2 Secundò dico, quòd si mutuans, vel creditor huiusmodi pœnam expresè, vel tacitè à mutuatario, vel debitore, qui fuit in mora notabili, pœnam incursam exigat, tenetur in conscientia huiusmodi morosus, nulla expectata sententia illam persoluere. Ratio est, quia iure naturali, & diuino pacta licita, & honesta sunt obseruanda, atqui pactum de huiusmodi pœna imposita soluenda, est honestum, & licitum, ergo creditore exigente vt seruetur sibi pactum illud, est in conscientia soluenda. Ita Less. Rebell. Couar. & Salon. locis sup. cit.

QVÆSTIO LXXIV.

An mutuans ratione damni emergentis possit aliquid supra sortem exigere?

1 PRo huius quæstionis, & aliarum multarum, quæ de hac materia post modùm tractabuntur obseruandum est primò, quòd interesse est duplex, aliud damni, emergentis, & aliud lucri cessantis.

Damnum emergens est iactura, quam mutuans directè, & per se ratione mutuationis in bonis iam habitis patitur. v.g. habebam paratam pecuniam ad fulciendam domum meam, quæ minabatur ruinam, vel ad emendum frumentum tempore messis, postulat illam Titius à me mutuo, propter quod, nec domum meam reficere, nec frumentum tempore commodo mihi parare valeo, si postea domus mea corruat, vel frumentum cariùs vendatur, nocumentum quod ego reuera non fuissem passus, nisi Titio pecuniam meam mutuassem, dicitur damnum emergens.

2 Similiter est damnum emergens, si mutuatarius non soluat mutuum tempore præfixo, propter quod mutuans ad debita sua soluenda, vel ad alias necessitates leuandas cogatur cum fœnore pecuniam quærere, vel minoris iusto, merces suas vendere.

Lucrum verò cessans est cessatio lucri acquirendi, vt si propter mutuationem pecuniæ negotiationibus destinatæ, à lucro, quod mutuans sperabat, impediatur. Et est duplex, propinquum, & remotum. Propinquum, vt si mutuans erat gallinam, aut rem aliam fructiferam empturus, vnde fructus inde recipere sperabat, & tamen ratione mutui impeditur, ne rem illam fructiferam emat, & fructus illos acquirat. Interesse verò remotum, seu mediatum lucri cessantis est, vt si empta gallina lucretur ouum ex illa, & ex ouo speret inde pullam assequi, ex qua rursus alia oua sperat, &c. Dempto primo fructus sperato, reliqui dicuntur lucrum remotum, & carentia illius ob mutuum, dicitur interesse remotum.

3 Secundò est obseruandum quòd interesse damni emergentis est duplex, scilicet in re, & extra rem. Interesse damni emergentis in re, vel circa rem, est interesse intrinsecum, quod in ipsa re mutuata cernitur, quando ipsius valor augetur, v. g. mutuaui tibi frumentum, quod valebat decem, reddendum in festo S. Bernardi, quod tua culpa non reddidisti, valuit mense Octobris viginti, teneris quanti plurimi valuit à tempore moræ, id est ad viginti.

Interesse verò damni emergentis extra rem, quod alio nomine dicitur damnum extrinsecum est, quando prouenit non ex ipsa re, quæ semper immutata manet, sed aliunde emergit propter ipsam rem, v. g. vendidisti mihi fœnum, & quia non tradidisti tempore præfixo, equi mei perierunt.

4 His itaque suppositis, vt certa, ab incertis separemus, illud in primis apud omnes certum est, eum qui vi, vel fraude, vel metu etiam reuerentiali cogitur mutuare, licitè potest exigere iustum interesse damni emer

Digitized by Google

emergentis,esto nullum pactum de soluendo interesse præcesserit, si tempore mutui erat ante formidatum & mutuatario illud manifestauit.Ratio est,quia qui causam efficacem damni dat, damnum dedisse videtur, & ita tenetur satisfacere:talis est mutuatarius,qui vi,vel metu causa efficax est, vt alter inuitus sibi quod petit, mutuet,ob quam mutuationem scit damnum ipsi mutuanti euenturum, igitur tenebitur illi, de tali damno.Ita Sot.lib.6.q.1.art.3. Arag.2.2. q.78.art.2.Nau.c.17.n.211.Salon.2.2.q.78.art. 2.Tolet.lib.5.c.32.& communis.

QVÆSTIO LXXV.

Sed quod habet difficultatem, est, vtrùm ille qui gratis, & ex benuolentia alteri mutuat,possit deducere in pactum,quod probabiliter timet ex illo mutuo sibi imminere?

1 DOctor subtilis in 4.d.15. q. 2. tenet non posse.

2 Adrian. in 4. in materia de rest. ait, si nulla præcessit in mutuatario mora, mutuator nullum damnum emergens potest deducere in pactum,quia iste gratis, & libere mutuauit,ac voluit per totum tempus præfixum illa pecunia carere, & consequenter consensit in illud damnum, quod ex defectu illius pecuniæ poterat sibi euenire.Si verò præcessit mora,siue culpa,tunc tenetur ad reficienda omnia damna, quæ post illam moram mutuans patietur, quia tunc iam retinet pecuniam inuito Domino, cum ipse solùm consenserit vsque ad tempus præfixum.

3 Communis tamen sententia tam inter Theologos:quam Canonistas habet, posse mutuantem deducere in pactum etiam damnum verè ex tali mutuo sibi emergens,non solùm vbi præcessit mora mutuatarij,verum etiam à principio mutuationis, & ante omnem moram mutuatarij. Ita D. Th.2.2.q.78.art.2.ad 1.& Caiet. ibidem Sot. lib.6.q.1.art.3.Mol.disp.314. Salon.2.2. q.78. art.2.Cou.lib.3.var.c.4.§.5.Med.q.3.de vsur. Nau.c.17.n.211.& alij.Pro quo.

4 Dico primò, quòd qui omninò sponte, & gratis mutuat nullo appositio pacto de recipiendo iusto interesse damni emergentis, esto deinceps ex defectu mutui patiatur reuera aliquod damnum, antequam mutuatarius sit in mora, non potest tuta conscientia illud exigere. Ratio est, quia nec tenetur illud compensare ratione moræ,nec ratione contractus mutui, qui cum sit stricti iuris ex sua natura ad nullum interesse obligat,sed ad reddendum tantumdem duntaxat.

Tum quia,fortè,si mutuatarius id sciret, sub obligatione ad interesse soluendum, nollet mutuum accipere, ergò fit ei iniuria, si absque suo consensu aliquid supra sortem mutuans accipiat.Ita Arag.2.2.q.78. art.2.Less.lib.2. c. 20. dub.10.Rebell.p.2.de oblig.lib.8.q.5.Salon.2.2.q.78.art.2.& alij.

5 Secundò dico,quòd qui sua sponte,vel rogatus mutuat,potest à principio mutuationis adiicere pactum de recipiendo iusto interesse damni emergentis,etiamsi ante moram mutuatarij contingat.Ratio est, quia secluſa extrema necessitate,nullus tenetur alteri benefacere cum notabili suo incommodo,sed qui mutuat,alteri benefacit, ergo non tenetur illud præstare cum damno suo notabili, atque ex consequenti poterit illud deducere à principio in pactum.

Tum quia qui ad alterius instantiam rem suam illi vendit, si per eius carentiam aliquod damnum incurrit,vt suæ indemnitati consulat, potest illam cariùs vendere, quàm absolutè valet,dummodò emptorem admoneat,vt ex mente S.Th.omnes Doctores tradunt : ergo similiter qui alteri rem mutuat,ex cuius carentia damnum patitur, poterit suæ indemnitati consulere, aliquid accipiendo pro damno emergenti. Ita D. Tho.2.2.q.78.art.2. & Caiet.ibidem. Sotus lib.6.q.1.ar.3. Nau.17.n.211.Molina disp.314. Salon.2.2.q.78.art.2.& alij.

6 Tertiò dico,quòd quando mutuatarius est in mora, in qua non consensit mutuans, si inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur mutuatarius illud reficere, etiamsi à principio non fuerit deductum in pactum. Ratio est, quia qui alteri reuera nocet, & cum iniuria, tenetur omnia nocumenta illi reficere ex illa Regula iuris. Si tua culpa damnum datum est, iure super his te restituere oportet. At quando mutuatarius est in mora, propter quam mutuans patitur damna,inferuntur reuera ipsi talia damna à mutuatario, & cum iniuria ipso scilicet inuito, ergo tenetur mutuatarius illa reficere Caiet. 2.2.q.78.art.2. Less.lib.2.de iustit.cap.20.dub.10.Salon.2.2.

Digitized by Google

quæſt.78.art.2.Sylueſt. verbo vſura 1. q. 19. & multi alij.

7 Notandum tamen, mutuatarium, & quemuis alium debitorem dici eſſe in mora, quando elapſo iam termino non ſoluit, cum tamen poſſit. Nec opus eſt, vt creditor cum interpellet de ſolutione, quia ipſa dies ſatis interpellat virtute pacti taciti, quod ſemper interuenit in omni contractu, in quo conſtituitur terminus ſolutionis, vt v.g. non ſoluës teneatur ad intereſſe.

Adde, ſi mutuatarius bona fide putaret mutuantem non eſſe inuitum circa dilationem, non cenſeretur eſſe in mora, ac proinde non teneretur in foro conſcientiæ illud damnum refarcire, niſi à principio deductum eſſet in pactum. Ita Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 10.

QVÆST. LXXVI.

Quotnam conditiones requirantur, vt mutuans licitè poſſit exigere damnum ſibi emergens ex vi mutui?

1 Respõdeo tres. Prima eſt vt mutuum reuera ſit cauſa damni, v. g. domus mea minatur ruinam, nec habeo alias pecunias, ad eam reficiendam, niſi quas tibi mutuo, tunc mutuum eſt cauſa damni. Si tamen alias habeo pecunias, quibus eam poſſim reficere, vel ab alio meo amico faciliter poſſum pecuniam quærere ſine aliquo meo detrimento, tunc damnum mihi non prouenit ex mutuo.

Dixi notanter (faciliter) quia ſi hoc ſine difficultate facere non potui, non teneor ad euitandum damnum debitoris mei, vt hac via alteri obliger.

2 Secunda vt à principio mutui admoneat mutuatarium de damno, quod ratione mutui incurrit, vt vel liberè in illius recompenſam conſentiat, vel dimittat, ſi noluerit in eam conſentire.

Tertia vt mutuans non cogat mutuatarium paciſci de periculo damni, potiùs quàm de damno, ſed relinquat ipſius arbitrio, quia & ſi periculum illud damni probabiliter euenturi ſit ipſo tempore mutui pecunia æſtimabile, non poteſt tamen alterum cogere, vt pro ipſo periculo vltra ſortem aliquid ſoluat, nam ſi mutuatarius paratus eſt omne damnum compenſare, quod euentus patefecerit, mutuator ſeruatur indemnis. Si tamen ipſe velit pro periculo de certo pretio paciſci, poteſt mutuans illud exigere, etiamſi damnum poſtea non euenerit.

3 Scotus in 4. d. 15. quæſt. 2. art. 4. & Conrad. de contract. q. 30. apponunt quartam conditionem, vt mutuans, ex conſilio, vel ex ſola amicitia humana mutuet, non ex præcepto charitatis; Sed hæc conditio eſt omnino ſuperflua, quia neque ex iuſtitia, neque ex charitate tenetur homo alteri beneficium præſtare cum proprio damno, & iactura. Nam vel is qui petit mutuum eſt ſimpliciter pauper, aut non, ſi primum, non eſt illi ſubueniendum per mutuum, ſed per veram eleemoſynam donando; Si verò non ſit ſimpliciter pauper, ſed ſecundùm quid, id eſt hic, & nunc, alio tamen loco, vel tempore habeat, tenetur illi mutuare, hac tamen lege, vt ipſe ſeipſum obliget ad reſtituendum mutuum, quando potuerit, & ex conſequenti ſicut poteſt obligari ad reſtituendum principale, quia non eſt ſimpliciter pauper, ita ad damna emergentia.

4 Apponunt aliqui quintam conditionem, vt mutuans rogatus mutuet. Sed nec hæc conditio eſt neceſſaria, quia iuſtitia huius contractus mutui conſiſtit, vt mutuans nihil vltra ſortem exigat, ex vi mutui, ſed in recompenſam damni verè ſubſequuti, vel probabiliter euenturi, ad quod parum, vel nihil refert, mutuantem rogari, vel non rogari à mutuatario, cum ſolùm intendat per mutuum vtilitatem mutuatarij & non ſuam.

Hinc, qui mutuat, non in vtilitatem mutuatarij, ſed in ſuam, & quia ita illi expedit, non poteſt exigere damnum emergens. Ratio eſt, quia fundamentum propter quod mutuans poteſt conuenire de damno emergente cum mutuatario eſt, quia nullus tenetur gratis damnum ſubire, vt alteri mutuet, ergo poterit mutuans ſuæ indemnitati conſulere illud deducendo in pactum; in hoc autem caſu ſic mutuans ratione mutui nullum damnum incurrit, ergò.

QVÆSTIO LXXVII.

An vter poſſit in principio contractus, & ipſo tempore mutui de illo damno, quod probabi

probabiliter timetur euenturum pactiſci, ſiue illud poſtea eueniat, ſiue non?

1 CAiet. & Conrad. locis ſup. citatis negant.

2 Sed communis ſententia eſt in contrarium, pro qua facit primò, quia cum periculum cuiuſcunque damni emergentis ſit pecunia æſtimabile, licebit profectò vbi mutuans viderit aliquod periculum ſibi ex mutuo imminere, exigere pretium aliquod periculi illius à mutuatario, ſiue poſtea eueniat, ſiue non, dummodò tamen non pacifcatur de toto damno formidato, nã adhuc incertũ eſt, & minus eſt, quã præſens.

Secundò facit, quia ex ſententia omnium, damnum emergens eſt magis iure debitum, quàm lucrum ceſſans, ſed ad deducendum in pactum lucrum ceſſans non requiritur vt ſit in actu, ſed ſatis eſt vt potuerit lucrum illud probabiliter obtineri, ergò à fortiori, vt damnum emergens poſſit in principio contractus in pactũ deduci, nõ opus eſt, vt actu appareat, ſed ſufficit vt probabiliter illud immineat ex mutuo.

3 Tertiò & vlt. facit, quia contractus aſſecurationis ob id eſt licitus, quia in eo vterque contrahentium fortunæ ſe exponit, aſſecurans reſtituendi totum valorem mercium, in euentum, quo perierint, alter verò perſoluendi pretium aſſecurationis ſine vllo damno. Hoc idem cõtingit in caſu noſtro, nam mutuãs ſe exponit huic fortunæ, vt acceptis tantùm decem, patiatur forſan damnũ vt centum, mutuatarius quoque vt perſoluat illa decem ſine vllo damno.

QVÆSTIO LXXVIII.

An qui non ſoluit mutuum tempore præfixo, teneatur ad damna, quæ mutuans poſt illam moram paſſus eſt, accipiendo v.g. pecuniam ſub vſuris?

1 RESP. teneri. Ratio eſt, quia mutuans fuit in culpa ſoluendi. & ob id mutuans paſſus eſt illud damnum. Exiguntur autem ad iuſtificationem huius cõtractus duæ conditiones. Prima eſt, vt mutuans accipiat pecuniam ſub vſuris neceſſariò, & propter vſus neceſſarios, vel vtiles, non enim tenetur mutuatarius ſoluere vſuras, ſi mutuans accepiſſet pecuniam ſolùm ad vſus voluntarios, non vtiles, vel neceſſarios.

Secunda verò eſt, vt mutuans moneat mutuatarium, ſe velle pecuniam ab alio accipere ſub vſuris, quia fortaſſis mutuatarius de hoc monitus, vel ſoluiſſet mutuum, vel alio modo prouidiſſet, ne mutuans damnum pateretur. Ita Molin. diſp. 315.

QVÆSTIO LXXIX.

An mutuatarius teneatur reſarcire intereſſe damni emergentis, quando abſque culpa ſua non ſoluit mutuum tempore conſtituto?

1 IN hac graui, difficili, quotidiana, & perutili quæſtione dico primò, quòd ſi mutuatarius omninò, & abſolutè eſt pauper, quia nec re, nec ſpe habet, vt ſibi ſubueniat, tunc non videtur obligandus ad intereſſe, quia in hoc caſu mutuans teneretur ex præcepto charitatis, illi ſubuenire, non per contractum mutui, ſed per ſimplicem donationem, & eleemoſynam. Ita Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 10.

Secundò dico, quòd ſi mutuatarius iſte non eſt omninò pauper, quia ſolùm in loco, & tempore mutui indiget pecunia, in alio autem loco, & tempore habet, vnde mutuum illud, & damna ex illo emergentia reſtituat, ad huiuſmodi damna compenſanda tenebitur, quia tunc non tenetur mutuans ad ſubueniendum illi per eleemoſynam, aut per ſolutam donationem, ſed ſatis eſt, vt per mutuum ei ſubueniat ea lege, vt cum potuerit vltra ſortem damna ſibi emergentia reſarciat. Ita Salon. 2.2.q. 78. art. 2.° & Leſſ. vbi ſup.

2 Tertiò & vltimò dico, quòd ſi mutuatarius tempore mutui potens erat ad reddendum mutuum tempore conuento, deinde verò morbo, vel infortunio redditus ſit impotens ſolutionis, non tenetur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti emerſerunt, niſi à principio mutui ita conuenerint. Ratio eſt, quia mutuatarius duplici tantùm titulo tenetur reficere damna ex mutuo emergentia, vel ratione pacti à principio contractus conſtituti, vel ratione moræ. In caſu autem poſito, nulla eſt talis conuentio vt conſtat, mora verò in qua eſt, accidit abſque vlla eius culpa, ergo mutuatarius hic ſolùm tenebitur ad reddendum principale, minimè verò damna poſt moram ſine culpa eius ſubſequuta, vt Salon. 2.2.q.78.art.2. reſoluit.

QVÆSTIO LXXX.

An in casu, quo solutioni mutui præfixum sit tempus, sed antequam illud adueniat, mutuans repetat suum mutuum, aliter damnum incursurus, teneatur mutuatarius ad illud restituendum?

1 TVrrecremata in summa qu. 13. & multi alij existimant teneri, vbi commodè id possit,& si non facit,peccare contra iustitiam,ac proinde teneri ad reficienda damna, quæ ex detentione mutui, mutuanti prouenient.

2 Mihi tamen in hac re vtendum esse videtur distinctione,quam ponit Salon.2.2.q. 78.a.2. vnde sequendo eius doctrinam dico primò, quòd si à principio contractus mutui mutuator deducit in pactum damnum emergens, tenetur mutuatarius ratione illius pacti, & conuentionis illud compensare, siue commodè id possit,siue non,quia ex vi pacti liberè in illud consensit.

3 Secundò dico, quòd si à principio mutuans non deduxit in pactum damnum emergẽs,sed absolutè mutuauit, esto deinde ex defectu mutui patiatur aliqua damna antequam tempus solutioni destinatum adueniat, non tenetur mutuatarius illud resarcire ex iustitia, quia eo ipso,quo alter illi mutuauit v.g.per annum, mutuatarius habet ius ad detinendum toto eo tempore apud se illud mutuum,qui verò vtitur iure suo,nemini facit iniuriam, vel iniustitiam, peccabit tamen mortaliter contra charitatem, si cum commodè possit,non liberat proximum suum ab omni damno, quod ei imminet,& contra gratitudinem,cum non rependat beneficium,quod ab altero accepit,cum commode possit.

QVÆSTIO LXXXI.

An fideiussor,qui pro debitore coactus fuit accipere pecuniam ab vsurario, vt satisfaciat creditori, possit vsuram quam soluit vsurario,repetere à debitore?

1 REspondeo posse.Ratio est,quia fideiussor damnum patitur accipiendo pecuniam ab vsurario ad soluendum creditori pro debitore, ergo debitor tenetur de iure illud resarcire.

QVÆSTIO LXXXII.

An in mutuo aliquid vltra sortem exigi possit ratione lucri cessantis?

1 VT in hac quæstione(quæ vna est ex grauioribus, & difficilioribus earum,quæ in hac disputatione de vsuris occurrere possunt) explicanda rectè ordine procedamus, dicam priùs, quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea,in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum,& clarissimum.

Dico ergo primò certum esse, eum qui inuoluntariè per vim,metum vel fraudem, aut præceptum etiam iustum superioris impulsus, extrahit pecuniam à negotiatione,vt det illam mutuo, iustè, & sine vsuræ labe potest integrum illud lucrum cessans exigere, esto deductum non fuerit in pactum,v.g.mutuo tibi mille, quia mihi minaris mortem, possum sine vsuræ nota id, quod ex eis lucratus fuissem, recipere.

2 Item mutuo tibi mille, quos paratos tenebam ad negotiandum, quia vult Rex vt tibi mutuem, alioqui nisi mutuem, prudenter timeo fore ab eo vexandum aut graues molestias ab eo passurum, possum securè exigere interesse lucri cessantis, quamuis dictum interesse excedat decem pro centenario, quia circa interesse habetur oculus ad veritatem. Vnde si de mille deductis deducendis, lucratus fuissem viginti pro centenario possum licitè percipere interesse ad præfatam rationem.

Coactus etiam,& inuitus mutuare dicitur, qui per preces importunas mutuat, quia vis,metus,& preces importunæ æquiparantur,v.g.habebam pecuniam negotiationi expositam, quam precibus importunis tibi mutuaui, possum intrepidè sine peccato vsuræ huius lucri compensationem abs te exigere.Ratio huius est,quia in hoc casu sic mutuans habet reuera minus, quàm debet habere, patiturque interesse contra suam rationabilem voluntatem, ergo qui est causa huius inæqualitatis, & damni tenetur ad restitutionem.

3 Secundò est certum, mutuatarium qui est

eſt in mora ſoluendi mutuum, in qua non conſentit mutuans, ſi indè aliquod lucrum ceſſet mutuanti, teneri illud lucrum compenſare, etiamſi mutuans à principio propria ſponte, & voluntariè illi mutuauerit. Ratio eſt, quia eo ipſo, quo eſt in mora ſine mutuantis conſenſu, retinet eius pecuniam contra ipſius voluntatem, habetque illam mutuans ſeparatam à negotiis, & à via lucrandi inuoluntarius, & coactus.

Tertio eſt certum, poſſe ſine vſuræ labe exigi lucrum ceſſans, ſi à principio mutui fiat pactum, vt ſi mutuatarius ad diem præfixum non ſoluerit, teneatur mutuanti reſtituere lucrum ceſſans ob moram reſtituendi mutuum. Ratio eſt, quia in hoc caſu licitum eſt mutuanti huiuſmodi intereſſe exigere, quia eſt veluti pœna, ob moram ſolutionis, & quia poſt moram prædictum lucrum ceſſat ipſi inuitò.

4 Quartò eſt certum, eum qui ſua ſponte propter proprium commodum, ante mutui contractum ſuam pecuniam à negotiatione extrahit, non poſſe ſine vſuræ labe lucrum exigere ratione mutui. Ratio eſt, quia lucrum ceſſans ſolùm exigi poteſt, quando ceſſat illud ratione mutui, ſed in caſu poſito, non ceſſat lucrum ratione mutui, ſed aliundè ex ſola, ſcilicet voluntate ipſius intendentis ſolùm ſuam vtilitatem.

Tum quia pecunia non poteſt pluris æſtimari, quàm abſolutè valet, niſi quia eſt expoſita negotiationi, ergò quando mercator propriam vtilitatem intendens eam à negotiis aufert, nó poterit accipere pro ea, niſi quod reipſa ſecluſa negotiatione valet.

5 Quintò etiam eſt certum, quòd quando pecunia tantum eſt in potentia naturali, & remota ad lucrandum, quæ conſequitur naturaliter ipſam pecuniam, ſiue ſit apud negotiatores, ſiue non, non poteſt mutuans aliquid vltra ſortem exigere ratione lucri ceſſantis, ſiue ſua ſponte, ſiue inuitus mutuet. Ratio eſt, quia pecunia ſecundùm iſtam remotam, & naturalem potentiam conſiderata, ſterilis eſt, nulloque modo fructifera, aut lucratiua, ergo ex illa iſto modo ſumpta nullum poteſt exigi lucrum.

Tum quia cum huiuſmodi potentia intrinſeca ſit, & connaturalis omni pecuniæ à quo habeatur, non eſt æſtimabilis pretio diſtincto à proprio pretio, & valore ipſiuſmet pecuniæ, ergò non poteſt pro iſta potentia vltra ſortem aliquid exigi, aliter idē bis venderetur, vel certè venderetur quod nullum habet pretium, quæ omnia ſunt abſurda.

Hinc Magnates, & nobiles qui non ſunt negotiatores, non poſſunt ratione lucri ceſſantis exigere aliquid, cum mutuant, quia huiuſmodi pecunia tantùm eſt in potentia iſta remota ad lucrum.

6 Hinc, qui non habet pecunias ſuas negotiationi expoſitas, non poſſunt etiamſi mutuatarius ſit in mora ſoluendi, aliquid exigere ab eo ratione lucri ceſſantis. Ratio eſt, quia reuera his qui non negotiantur, nullum lucrum ceſſat ex ſua pecunia.

Hinc qui aliquam pecuniam ab huiuſmodi hominibus furantur, non tenentur aliquid ipſis reſtituere vltra ſortem, quia nullum reuera illis lucrum ceſſat, Hæc itaque certa ſunt, & extra controuerſiâ poſita.

QVÆSTIO LXXXIII.

Tota igitur difficultas inter Authores eſt, An quando ſponte ſua, vel leuiter rogatus alteri mutuat, & à lucrando vltrò deſiſtit, licitè poſſe à mutuatario aliquid ratione lucri ceſſantis exigere?

1 DVrand. in 3. diſt. 17. q. 2. ad 1. Sotus lib. 6. q. 1. ar. 3. & multi alij ex Canoniſtis abſolutè negant ex eo fundamento, quod contraria ſententia oſtium magnum vſuris aperiat: quiuis enim facilè finget, lucrum ſibi ceſſare ex mutuo, eoque veluti pallio aliquid vltra ſortem accipiet. Et ita videtur ſentire D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad primum vbi ait, licet ratione damni emergentis lucrum accipere, non tamen ratione lucri ceſſantis.

2 Alij verò communiter rectiùs docent oppoſitum, & reuerà ita eſt, nam licèt pecunia in ſe conſiderata plus non valeat, quàm tantumdem, vt tamen ſubeſt induſtriæ mercatoris, qui illam negotiationi deſtinauit, ex eaque ſperat probabiliter lucrum, plus illi valet, ergò mutuans licitè poteſt accipere vltra ſortem pretium pro lucro ceſſante.

Tum quia lucrum quòd mercatori ceſſat, ex eo quòd alteri mutuat, eſt pecunia æſtimabile, cum ſit in ſpe, & parùm differat à damno emergente, ſi ergò eſt licitum lucrum exigere ratione damni emergen-

tis, sequitur etiam, vt possit mercator licitè exigere lucrum, quod ei cessat, non solùm damnum est, quod patimur in bonis iam re acquisitis, sed etiam quod patimur in bonis spe habitis.

Et confirmatur, qui caulam efficacem dat, vt alter aliquod bonum iam habitum amittat, tenetur illi: sed lucrum de quo loquimur, licet non sit actu habitum, est tamen quasi habitum, quia in rebus ipsius impedit contentum, quod alias esset actu habiturus, ergo.

3 Tum demum, quia venditor pro re sibi magis vtili, quam emptori, iustè accipit ratione maioris vtilitatis rei venditæ, aliquid ampliùs, quàm res emptori valet iuxta D. Thom. 2. 2, q. 77. art. 1. communiter receptum, ergo &c. Ita Sentiunt Nau. c. 17. n. 17. num. 211. & commun. de vsur. à num. 47. Mol. disp. 315. Rebell. lib. 8. q. 5. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. Less. lib. 2. c. 20. dub. 11. Ban. 2. 2. q. 78. art. 2. Med. q. 3. de vsuris Couar. l. 3. var. cap. 4. num. 5. Arag. 2. 2. q. 78. art. 2. Conrad. de contract. q. 3. Sylvest. verb. vsura 1. q. 19. & communis.

4 Et ad authoritatem D. Th. respondeo, negando eum in ea fuisse sententia, ex iis enim, quæ 2. 2. q. 62. art. 4. in corpore, & ad primum & secundum, plerisque aliis in locis docuit, fas est aliquid accipere ratione lucri cessantis in mutuo, si pecunia mutuo tradita in proxima potentia ad lucrum existat. Quando verò in quæst. 78. ar. 2. ad primum oppositum videtur dicere, loquitur de pecunia pro vt est in potentia remota ad huiusmodi lucrum, quia scilicet pecunia mutuata non erat destinata negotiationi, poterat tamen destinari.

Vel certè solùm vult, non posse tantùm exigere, quantum in actu valet, sed pro maiori, vel minori, prout fuerit actui propinquius.

Vel dic cum Sylvest. verb. vsura 1. q. 19. eum loqui de lucro incerto, & quod tantùm poterat obuenire, & accidere, non autem de lucro certo, siue probabili quod fuerat quis habiturus, idque patet ex ratione ipsa, quam S. Tho. sibi adducit, nemo inquit, debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter.

QVÆSTIO LXXXIV.

Quotnam conditiones requirantur, vt lucrum cessans licitè exigatur.

1 DE hac re non omninò conuenit inter Doctores, quibusdam plures, & aliis pauciores constituentibus. Conrad. de contract. q. 30. octo assignat conditiones necessarias ad recipiendum legitimum interesse lucri cessantis in mutuo, alij verò duodecim, sed plures illarum sunt superfluæ, & impertinentes.

Prima conditio est, vt lucrum sit moraliter certum, & non fictum; hoc est, quod tempore mutuationis verisimiliter & probabiliter appareat, nam si reuerà nulla est spes certa moraliter, lucrum non cessat propter mutuum. Probabile autem illud esse dicitur, quando securiùs est lucrari, quam non lucrari.

2 Secunda conditio est, vt huiusmodi lucrum verè cesset ratione mutui, & nõ aliũdè: quia si mutuans aliam habet pecuniam otiosam, qua commodè negotiari posset præter eam, quam mutuat, non potest lucrum cessans exigere, quia tunc reuera non cessat ei lucrum ex mutuo, sed voluntate propria, qui vel vult mutuare eam, quàm habet destinatã negotiationi, vel non vult negotiari cum alia, quã habet otiosam.

Dixi notanter (si aliam habet pecuniam otiosam) quia vt probè aduertit Nauar. c. 17. num. 212. si alia quam habet in arca est ei necessaria pro casibus fortuitis, & aliis negotiis, quæ euenire solét, perindè se habet, ac si nullam aliam haberet, quia pecunia ad casus imminentes necessaria, non est otiosa. Quod est verissimum in casu, quo pecunia reseruata est modica, quia nemo se pecuniis exhaustum reddere debet, vt currente aliqua necessitate non possit sibi prouidere; secùs autem si illa pecunia quam habet in arca esset multa adhæc, & ad alia sufficiens, quia tunc non posset tuta conscientia quærere lucrum cessans sub tali prætextu, vt rectè docet Rebell. p. 2. de oblig. lib. 8. q. 6. quidquid contra hoc dicant Molina disput. 316. Less. lib. 2. de iust. c. 20. d. 11. & Azor. p. 3. inst. mor. lib. 8. cap. 5. qui absolutè tenent posse exigi interesse lucri cessantis, etiam si mutuator alias pecunias habeat otiosas, si quidem mutuat hanc pecuniam, quam negotiationi destinatam habebat, nec tenetur, vel hanc extrahere, vel ex aliis pecunis mutuare.

3 Hinc si mutuãs relicta mercatura propter mutuum, suscipiat aliam rationem lucrandi per artificium &c. & ita compen-

set

set totum lucrum mercaturæ, non potest ratione lucri cessantis aliquid supra sortem exigere. Et ratio est, quia ob mutuum non cessat illi lucrum absolutè datur enim ei occasio tantumdem lucrandi alia via, quam non habuimus, si non mutuasset. Si tamen illa ratio lucrandi est molestior, potest illam molestiam æstimare, & pro ea exigere compensationem. Ita Mol. disp. 316. Less. lib. 2. c. 20. dub. 11. Rebel. lib. 8. q. 6. & Lop. lib. 2. de contract. c. 23.

Tertia conditio est, vt mutuans verè & reipsa habeat animum exercendi cum illa pecunia negotia lucrativa, & de facto cum ea fuisset negotiaturus, si eam non mutuasset. Vnde clericus, cui interdicitur negotiatio, & Doctor cuius non interest negotiis vacare, non possent petere hoc lucrum de sua pecunia mutuata.

4 Quarta conditio est, vt talis animus negotiandi cum pecunia, quam dat mutuo duret toto tempore mutui, nam cum ex eius animo pendeat pecuniam suam esse in proxima potentia ad lucrandū, ex animo eiusdem similiter pendet lucrum illud cessare v.g. mutuo tibi per biennium pecuniā, qua tantùm primò anno intendebam negotiari, non possum postea exigere lucrum cessans pro toto tempore, quo mutuo, sed tantum pro primo anno, quia eo ipso, quo solo primo anno volebam negotiari, in eo tamen cessauit mihi lucrum ex mutuo, in secundo verò anno sicut in eo non destinabam negotiari, ita neque aliquod lucrum ex eo mihi cessauit.

Hinc eadem ratione, si toto illo biennio intendebam negotiari Mediolanum tempore mutaui animum, cum primùm illum mutaui, nullum mihi iam cessat lucrum causa mutuationis, quia ab eo tempore, quo mutaui animum, & intentionem quam habebam, pecunia mea cessauit esse exposita, aut destinata negotiationi, & consequenter lucrum mihi non cessat ex mutuo. Ita Arag. & Salon. 2. 2. q. 78. art. 2.

5 Quinta conditio est, vt intentio mutuantis sit recta, ideſt illud quòd accipit mutuans, intendat accipere ratione lucri cessantis, & non ex mutuo: nam si intenderet accipere lucrum ratione mutui, esset vsurarius, etiāsi reuera pateretur interesse, quia illa praua intentio vitiaret actum, sicut qui emeret cum pacto retrouendendi & intentio sua non esset emere, sed mutuare, & ratione mutui fructus rei traditæ perciperet, esset vsurarius, cum onere restituendi fructus perceptos.

Sexta conditio est, vt lucrum sit iustum, & non vsurarium, nam qui mutuat pecuniam, quā tenebat expositam negotiationi illicitè, puta proponebat dare sub vsuris, non potest licitè petere interesse, quamuis mutuando cesset à lucro, quia erat iniustum.

Septima conditio est, vt mutuatarius statim à principio mutui admoneatur de lucro cessante, vt sic admonitus videat quid sibi expediat, posset enim accidere mutuatarium nolle fortè mutuum sub illo onere accipere & imo si tacitus mutuat, sibi imputet. Sot. l. 6. q. 1. ar. 3. & Ar. 2. 2. q. 78. ar. 2.

6 Octaua conditio est, vt mutuans non exigat totum, & integrum lucrum, quod sua pecunia negotiis exposita erat lucraturus. Ratio est, quia illud lucrum est in potentia, potestque pluribus modis impediri, ergò non tantùm valet, quantùm quando est in actu: atque ex consequenti, non potest accipi ratione lucri tantum quantum est futurum, sed aliquam quotam arbitrio prudentis iustam, & moderatam, qui debet diligenter considerare expensas, & pericula quibus exposita est negotiatio: vt si paratus sit spem illam lucri vendere decem aureis, labores, & expensas, quæ ob illud subeunda redimere tribus, non potest exigere nomine lucri cessantis nisi aureos septem.

Hæc autem conditio est necessaria, quādo lucrum ita deducitur in pactum, vt simul à principio mutui taxetur illius pretium secùs autem si in fine fiat eius taxatio, & lucrum cessans est certissimum, & sine periculis, & expensis assequendum, quia tunc nulla est vsura totum lucrum cessans ratione mutui vltra sortem exigere. Ratio est, quia tale lucrum cessans ob sui certitudinem, damno emergenti, quod totum est exigendum æquiparatur. Ita Mo. disputat. 316.

7 Hinc patet quàm falsa sit quorundam opinio, quos tacitis nominibus refert Ara. 2. 2. q. 78. ar. 2. qui asseruerunt posse mercatorem tanti vendere merces in hoc loco, si ad preces alterius id faciat quanti eas vendidisset, si ad alium locum eas deferret. Ratio huius est, quia res quæ solùm

in ſpe habentur,minoris ſunt pretij, quàm res in actu.

Nona conditio eſt, vt mutuans non recipiat lucrum ceſſans ſtatim à principio, cum mutuat.Hæc conditio petit vt inquiramus.

QVÆSTIO LXXXV.

An mutuans poſſit ſtatim à principio, contractus recipere pretium lucri ceſſantis à mutuatario ?

1 PAlat.lib.4.de contractibus cap. 4. & multi alij affirmant.

Sed his non obſtantibus concors eſt Theologorum ſententia, Molinæ diſp.316. Salon.2.2 q.78.art.2.Conrad.de contract.q. 30.Med.q.3.de vſuris,& omnium recentiorum, ſic mutuantem nulla ratione poſſe ſtatim à principio contractus recipere intereſſe lucri ceſſantis v.g. mutuo tibi centum,non debeo ſtatim exigere lucrum ceſſans,dando nonaginta,ſi fortè lucrum erat decem,ſed debet mutuum integrum dare, & expectare lucrum ab illo,cum voluerit dare intra aliquod tempus aliàs eſſet vſura manifeſta, quia perinde eſſet,ac ſi mutuarem tibi nonaginta,vt poſtea mihi redderes centum.

Deinde,hoc ipſo quòd mutuans reciperet decem pro centum, falſum eſſet, quòd ceſſaret illi lucrum ex centum,pro quibus decem exigit, ſed tantum ceſſabit illi ex nonaginta, quandoquidem tantum abdicat à ſe nonaginta cum ſtatim retineat,vel recipiat ex illis decem,cum quibus aliquid lucrabitur.

2 Tandem, ſi mutuans poſſet ſtatim à principio mutui exigere pretium lucri ceſſantis,ſequeretur, vt nonnunquam mutuatarius nihil per mutuum reciperet, quod apud ipſum ad ſui vtilitatem permaneret, & tamen teneretur mutuanti reddere ſortem,quam reuera non accepit v. g. mutuo tibi centum, cum quibus iudicio prudentis, & periti mercatoris negotiatione iuſta eram lucraturus alia centum; in hoc caſu ſi poſſet mutuans exigere, & recipere ſtatim lucrum ſibi ceſſans, tenereris integra centum quæ à me mutuo accepiſti, ſtatim mihi reſtituere in compenſam lucri, quod ex illo mutuo mihi ceſſat, nihil de ſorte apud te manente,& tamen tenereris in termino illa centũ mutuata ſoluere,ac ſi apud te remanſiſſet, quod eſt pluſquam falſum.

Opinio tamen Palatij recipi poteſt,primo in caſu quo mutuatarius cum illis decem non poteſt negotiari, & voluntariè reddit ſtatim illa decem,illa tuta conſcientia poterit accipere,vt rectè annotauit Ban. 2.2.q.78.art.2.

3 Secundò recipi poteſt, quando ob ſolutionem lucri ceſſantis nihil detrahitur ex ipſa ſumma pecuniæ mutuatæ, vt ſi ego mutuem tibi centum, & conuenit inter nos,vt ratione lucri ceſſantis tu ſoluas mihi decem,& ego ſtatim mutuo tibi integra centum, & recipio à te tot par caponum, ex iis quos domi nutris, quæ æſtimantur decem.Ita Mol.d.316.Val. tom.3.d.5.q.20.p. 2.& Rebell.lib.7.q.6.

Tertiò recipi poteſt in caſu quo mutuans erat facturus tale aliquòd lucrum,ad quod adæquatè requirebantur illa centum, ita vt paucioribus quàm centum, nullum lucrum eſſet facturus, quia tunc poterit ſtatim illa decem recipere, quia reuera ceſſat illi lucrum, ſi quidem iam non habet centum, quæ ad illud lucrum, quod erat facturus,adæquatè requirebantur.

QVÆSTIO LXXXVI.

An liceat in principio mutui taxare pretium lucri ceſſantis ad euitandas lites,quæ tempore ſolutionis accidere poſſent ?

1 NOnnulli ex Canoniſtis negant illud licere.

Oppoſitum docent Nauar.c.17.num.211. Caiet.in Sum.verb.vſura c.2. Ban. 2.2.q.78. art.2.& Couar.lib.3.var.c.4.num.5.quos ſequuntur omnes recentiores,dummodò(deductis expenſis, periculis, & laboribus) taxa fiat moderata. Ratio eſt, quia ſicut fructus acerbi poſſunt minùs emi,eo quòd ſubſunt periculo fortunæ, ita poteſt minùs taxari lucrum, quod ſubeſt incertitudini, v. g. mutuo tibi centum, quos ſi negotiationi exponerem,vt deſtinaueram poteram lucrifacere decem, & poteram etiam ſolùm lucrifacere quinque, & ideò propter dubium, conuenit inter nos, vt tu ſoluas mihi ratione lucri ceſſantis ſeptem, aut octo. Melius tamen eſſet, ſi expectaretur euentus aliorum negotiatorũ eodem genere negotiationis,eodem tẽpore, & loco, & tunc

Digitized by Google

tunc perſoluatur tanta quantitas pecuniæ proportionabiliter ad lucrum aliorum.

2 Decima conditio requiſita ad legitimũ intereſſe ratione lucri ceſſantis quòd recipiendum eſt ſecundum Conrad. de contract.q.30.Lop.lib.1.de contr. c. 23. Sylueſt. verb.vſura.1.q.19. & alios doct. ne mutuatarius in ea neceſſitate exiſtat, vt teneatur ex præcepto charitatis ei mutuare.

At Nauar. in comment. de vſuris nu. 53. & in Man.cap. 17.nu.61. Palat.de contract. lib.4. & multi alij tenent hanc conditionẽ non eſſe neceſſariam, quia ſiue ex conſilio ſiue ex præcepto mutuet, licite exigit lucrum ceſſans, quia præceptum mutuandi ſolùm eſt charitatis, non iuſtitiæ, & lucrum ceſſans ex iuſtitia poteſt exigere.

3 Nobis tamen ſub hac diſtinctione videtur reſpondendum, quia aut mutuatarius extremè indiget taliter, vt in toto mundo non habeat, nec in futurum ſperet habere aliquid, vnde ſoluat mutuum, aut non. Si quidem extremè indigeat, non poteſt dues, qui habet ſuperflua naturæ, mutuare illi gratis,ſed tenetur donare, & per Eleemoſynam illi ſubuenire : & in iſto caſu extremæ neceſſitatis iſta conditio eſt neceſſaria,ſcilicet quòd ſic petens mutuum tali extrema neceſſitate non ſit oppreſſus. Quòd ſi non ità indigeat,ſicut poterit mutuare illi ſub pacto recipiendi ſortem, ita & cum pacto recipiendi lucrum ſibi ex illo mutuo ceſſans, quia nulla æquitas poſtulat, vt quis alteri beneficium præſtet cum ſuo damno.

4 Apponunt aliqui quinque alias conditiones. Quarum prima eſt,vt mutuans non ſit ſolitus fœnerari, quia ex tali conſuetudine præſumeretur talem habere voluntatem exercendi vſuras.Sed vt rectè docet Nauar.cap. 17. num. 212. hæc conditio non deſideratur in foro conſcientiæ,in quo non tam ſuſpicio reſpicienda eſt, quam veritas facti,quia poteſt fieri,vt vſurarius aliquis in aliis caſibus ſit, non in hoc lucro ceſſante.

Secunda conditio eſt, vt hic lucrandi modus non tantum ſibi placeat, quantùm negotiationis modus. Quæ conditio petit vt inquiramus.

QVÆSTIO LXXXVII.

An ad exigendum lucrum ceſſans oporteat vt mutuans potiùs velit cũ pecunia negotiari, quàm eam mutuare cum pacto lucri ceſſantis.

1 MEdina C. de vſur. qu.3. & Sylueſt. verbo vſura 1.qu. 19. tenent ad legitimũ intereſſe lucri ceſſantis, neceſſariò requiri, vt ſaltem mutuans in ſuo animo ſit indifferens ad negotiandum,vel ad mutuandum.

Illuſtriſſimus Caie.& Victoria quos refert, ac ſequ.tur Lop. lib.2. cap. 61. tenent neceſſarium eſſe ad iuſtificandum exactionem lucri ceſſantis, vt mutuans malit ſua pecunia negotiari, quam ex mutuo lucri facere, niſi charitate fraterna induceretur magis ad mutuandum.

At Nauar.cap. 17.num. 212.& in com.de vſuris nu. 53. quem ſequuntur in hac parte omnes ferè recentiores,ſentit conditionem iſtam non eſſe neceſſariam, ſed ſatis eſſe quòd in rei veritate alias decreuerat negotiari,& de facto fuiſſet negotiatus,ſi pecuniam illam non mutuaſſet. Ratio eſt, quia qui mauult ſic mutuando lucrari, non exigit lucrum ratione mutui, in quo eſſentialiter conſiſtit ratio vſuræ,ſed petit,quia reuera deſinit lucrari, quòd alias deſtinauerat per negotiationem lucrifacere.

3 Deinde nulla lege,vel ratione conſtat,vt aliquis lucrandi modus,qui ſecũdùm ſe eſt iuſtus, reddatur iniuſtus propterea quod voluntas lucrandi magis feratur in illum quàm in alterum.

Demum Iuſtitia cuiuſcunque contr.non pendet ex hac, vel illa intentione, ſed ex æqualitate rei datæ, & acceptæ, vt poſt Ariſt.docuit S.Tho. 2.2.q.38.ar.10.& q.56.a. 2.ſiue ergo ſua ſponte,ſiue affectu charitatis,ſiue ex amore lucri aliquis mutuet,non peccat ſaltem contra iuſtitiam, vel peccato vſuræ, etiamſi magis procliuis ſit ad lucrandum ex mutuo, quam ex negotiatione, dummodo mutuans decreuerit negotiari,& ſolùm ad preces petentis mutuum ab iſta ſpe, & potentia proxima lucrandi, pecuniam ſuam ſeparet. Ita etiam Leſſ.lib. 2.cap.20. dub. 11. Rebel. lib.8.q.6.& Salon. 2.2.quæſt.78.artic.2.

4 Ex hac doctrina deducimus ad legitimum intereſſe lucri ceſſantis exihendum requiri vt pecunia mutuata ſit negotiationi expoſita, & ſit in potentia propinqua lucrandi, & vt optimè annotauit S.Thom.in quodam opuſc. de vſura, mutuans ſit in præcinctu,& de proximo quaſi in actu paratus negotiari illam pecuniam, non enim ſufficit

ſufficit habere illam paratam ſolummodò negotiis quæ occurrere ſolent tempore indeterminato.

Tertia conditio quæ à Conrad. & aliis adducitur eſt, ne mutuans exigendo lucrũ ceſſans iucurrrat infamiam vſurarij, quia ſimplices exiſtimabunt illud intereſſe eſſe vſuram ob ſimilitudinem. Reiicitur tamen hæc conditio ab omnibus Doctoribus vt ſuperflua, & meritò, quia quamuis hæc conditio ſit neceſſaria ad euitandum notam infamiæ, non tamen ad euitandum vſuram, & obligationem reſtituendi, quæ ex ſola iniuſtitia naſcitur, quale non eſt peccatum, ſe infamandi.

Quarta conditio eſt, vt mutuans non ſua ſponte, ſed rogatus, & ad petitionem indigentis pecunias ſuas extrahat à negotio, ſed vt optimè docuit Nauar. cap.17.nu.212. hæc conditio (& ſi Conrad. id exiſtimet) non eſt neceſſaria, ſed impertinens, ſcilicet quòd rogatus, & ad petitionem indigentis mutuet, an non, quia in aliis contractibus vbi interuenit ratio Iuſtitiæ commutatiuæ parùm refert, vt contrahens faciat contractus rogatus, vel non rogatus, quia vtroque modo contractus iuſtus erit.

Quinta conditio eſt, vt abſit ſcandalum. Hanc tamen reiiciunt communiter Doctores, quia ad iuſtitiam contractus, non requiritur, vt peccatum contra charitatem proximi euitetur, quod generaliter in omni actione facere tenemur.

Ex ſupradictis colligitur decem debere eſſe conditiones ad iuſtificandum exactionem qua mutuans aliquid ſupra ſortem à mutuatario ratione lucri ceſſantis, tempore mutuationis exigit.

Prima vt lucrum ſit moraliter certum & non fictum.

Secunda vt huiuſmodi lucrum verè ceſſet ratione mutui, & non aliunde.

6 Tertia vt mutuans verè, & reipſa habeat animum exercendi cum illa pecunia negotia lucratiua.

Quarta vt talis animus negotiandi cum pecunia, quam dat mutuo, duret toto tempore mutui.

Quinta vt intentio mutuantis ſit recta, ideſt, vt illud quod exigit mutuans, intendat exigere ratione intereſſe, & non ratione mutui.

Sexta vt lucrum ſit iuſtum, & non vſurarium.

Septima vt mutuatarius ſtatim à principio mutui admoneatur de lucro ceſſante.

Octaua vt mutuans non exigat tantùm, quãtum futurum creditur lucrum ceſſans, ſed deductis expenſis, periculis, & laboribus æſtimetur ad iudicium boni viri.

Nona vt lucri ceſſantis compenſatio nõ exigatur ſtatim, cum mutuum recipitur, ſed conuenienti interuallo.

Decima, & vltima, vt petens mutuum non exeat extremè.

7 His omnibus concurrentibus licitum erit mutuare cum pacto exigendi legitimũ intereſſe, ratione lucri ceſſantis: ſed quoniã difficile eſt omnes præfatas conditiones ſimul concurrere, magna cautio eſt adhibenda, ne detur anſa iniuſtitiæ, & diſſuadendi potiùs ſunt huiuſmodi contractus, in quibus lucrum ceſſans in pactum deducitur, quam ſuadendi ante factum, poſt factum verò diligenter examinandi ne temerè, ſcilicet iuſtificentur, vel condemnentur.

QVÆST. LXXXVIII.

An in æſtimatione lucri ceſſantis, aliqua ſint deducenda?

1 IN qua re conuenit inter omnes, expenſas, & pericula eſſe deducenda.

Sed tota difficultas conſiſtit de laboribus.

2 In qua etiam quæſtione conuenit inter omnes eos eſſe deducendos, quando quis coactus mutuat, ſicut operarius, qui cogitur ab aliquo, non laborare, non tenetur deducere laborem à mercede, ſed integram exigere, vt docent Molina diſp. 316. & Tolet. lib.5.cap.33.

Tota igitur controuerſia verſatur, quãdo ſua ſponte, & rogatus mutuat.

Sylueſt verb. vſura 1.quæſt.19. & Palat. lib.4. de contractibus ca.4. docent eos eſſe deducendos.

3 Sotus lib.6.qu.1. art.3. & Ban.2.2. qu.78. art. 2. aiunt non eſſe detrahendos labores, operas, & induſtrias, quæ mutuans erat facturus in negotiatione, quia ſi mutuator non laborat, hoc prouenit ex parte mutuatarij impedientis negotiationem illam, & ideò poterit vendere proprium otium dãnificatiuum rei familiaris.

Tum quia labores, quibus vtitur mercator

cator in acquirendo lucro, frequenter æquantur ipſi lucro, vnde ſi illorum valor, & pretium eſſet deducendum, nullum maneret lucrum, de quo deberet, vel cum mutuatario paciſci.

Franc. Vict. & Lop. li. 1. de contr. cap. 14. tenent labores non eſſe deducendos cũ rigore, ſed in aliqua quota, & moderata ad arbitrium periti, & prudentis viri.

4 At verò Garc. lib. 1. de contr. c. 24. & Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 8. c. 5. docent labores intrinſecos ſine quibus negotiatio exerceri non poteſt, non eſſe deducendos, quia ſunt omninò neceſſarij, deduci verò debere labores extrinſecos, ſiue antecedentes, ſiue comitantes fuerint, quia illi non ſunt omninò neceſſarij, niſi ex ſuppoſitione: vt ſi mercator erat merces ſuas tranſportaturus in locum, vbi pluris æſtimantur.

Ex his opinionibus verior, & probabilior multò eſt illa Soti, in caſu quo iſte labor talis eſt, vt mercator non optet illum pecunia redimere, quia vel cupit illum ſubire, vt otium, aliamúe moleſtiam vitet, vel facili conatu cum cæteris negotiis eum præſtabit. Ita Mol. d. 316. & Rebell. lib. 8. quæſt. 6.

QVÆSTIO LXXXIX.

An qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, illis non computatis in ſortem principalem ſit vſurarius.

1 RESP. eſſe vſurarium. Et ratio eſt, quia qui ratione mutui accipit aliquid pecunia æſtimabile ſupra ſortem principalem, eſt vſurarius; atqui fructus pignoris ſunt pecunia æſtimabiles, ergò qui accipit illos vltra ſortem ratione mutui eſt vſurarius.

Tum quia res fructifera debet ſuo domino fructificare, atqui pignus non eſt eius cui datum eſt, ſed illius qui dedit, donec ſoluat, debent ergò fructus illius pignoris illius eſſe, qui dedit, ac proinde ſi a retinente pignus accipiantur, deductis expſiés, & laboribus in partem debiti computari debent. Ita enim definitur in c. 1. & 2. de vſuris, & tradit Mol. d. 320.

QVÆSTIO XC.

An mutuans teneatur computare in ſortem ſibi debitam, fructus à ſe perceptos ex agro pro ſorte impignorato, quos mutuatarius non colligebat, nec colligere cogitabat?

1 SOt. lib. 6. q. 1. ar. 2. ait, ſi debitor ſterilem agrum, quem colere non intendebat, creditori dederit in pignus, & creditor ſua induſtria, & labore ex eo colligat modicos fructus, tunc fortè creditorem non teneri computare illos in ſortem, quoniam inquit, ſine creditoris detrimento illos percepit, neque tenetur computare in ſortem fructus ſuæ induſtriæ. Addit tamen ſi fructus alicuius ſint momenti, perceptique eſſent ex agro, qui non reputabatur ſterilis, ſed domini ignauia non colebatur, computandos eſſe in ſortem. Nau. c. 17. n. 216. hanc Soti opin. impugnat dicens, tam modicos, quàm magnos fructus eſſe computandos in ſortem, quando expenſas, & valorem induſtriæ pignoratarij excedunt, niſi libera omnino donatio eorundem præſumat. Pro quo.

2 Dico primò, quòd ſi ager ille ſit omnino, & abſolutè ſterilis ex natura terræ, induſtria verò, & diligentia pignoratarij aliquos fructus ferat, non tenetur illos referre in ſortem, ſed ſunt ipſius, cum in hoc caſu ſoli induſtriæ ipſius fructus illi debeantur. Ita Salon. 2. 2. quæſt. 78. artic. 2.

Secũdò dico, quòd qui tantùm expendit in pignore pro re ſibi debita tradito quantum vtilitatis ex eo percipit, non eſt vſurarius, etiamſi eam vtilitatem in ſortẽ mutuatam non computet, vt qui equum paruæ vtilitatis accepit cũ onere alendi eum, vel qui domum egentem tanta impenſa refectionis, quam penſio eius valeat: nam, & pro labore, quem ſubiit pignoratarius in ſeruando, vel excutiendo, vel curando pignus ne deterioretur, poteſt aliquam iuſtam mercedem expetere.

3 Tertiò dico, quod ſi ager ille ſterilis quidem erat ex incuria, & ignorantia domini, ex natura tamen fructifer, tunc pignoratarius non poteſt colens illum, ſi quos fructus ex eo colligit, facere ſuos, ſed tenetur deductis expenſis, & periculis, deducere illos in ſortem. Ratio eſt, quia tunc non ſolùm induſtriæ ipſius ſed fœcunditatis illius agri ſunt fructus.

Tum quia fructus, hoc ipſo, quo na-

ſcuntur ex agro alterius, pertinent ad dominum illius agri, quia eius ſunt fructus, cuius eſt poſſeſſio, & dominium eius directum,& vtile.Ita Molin diſp.320.Salon.2.2. qu.78.art.2.Leſſ.lib.2.cap. 20.dub.16.Rebel. lib.8.quæſt.11. & Nauar.cap.17.num.216.

4 Adde, ſi pignus eſſet fructiferum,& creditoris culpa etiam leui fructus non perciperentur ex illo,teneretur creditor computare intereſſe eorum fructuum in ſortem, vt ſi pignus eſſet domus, & eam ſua negligentia non locaret.

Dixi (etiam leui) quoniam ſi pignoris contractus in vtriuſque commodum ſit celebratus, vt regulariter celebrari conſueuit, teneretur etiam de culpa leui, ſed non de leuiſſima iuxta ea quæ ſuprà diximus.

Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus pignoratarius non tenetur fructus pignoris computare in ſortem.

5 Primus eſt quando feudatarius debet aliquid domino directo, eique in pignus tradit feudum; tunc enim dominus directus feudi poteſt eius fructus percipere, non computando illos in ſortem,vt definitur ab Innoc.III. in cap.1. de feudis, & ab Alex.III.in ca. conqueſtus de vſuris.

Secundus eſt, quando Emphyteuta oppignorat domino directo rem Emphyteuticam; tunc enim dominus directus poteſt fructus rei illius percipere, ſorte manente integra,vt rectè docet Nauar.cap.17. num. 217. & 218.

Exiguntur autem tria vt licitè dominus poſſit fructus iſtos percipere.

Primum, vt quādiu fructus percipit,non exigat obſequium, vel penſionem ſolitam.

Secundum, vt non percipiat eos, quos prædium producit, qua parte eſt melioratum ab Emphyteuta.

Tertium, vt feudum, vel Emphyteuſis gratis, aut ferè gratis ſit conceſſa,vt communiter feudatarius ſolet obtinere. Ita Couar.lib.3. var.cap.1.num.4.Sot.lib.6. q.1. art.2.Conrad.de contractibus quæſt. 32.& Nauar. cap.17. num.218.

QVÆST. XCI.

An Gener ſit vſurarius, qui interim dum dos ei non perſoluitur, pignus fruendum accipit non computādo fructus in ſolutionem principalis?

1 DVo ſunt hîc apud Doctores certa, & vnum controuerſum. Primò certum eſt,quòd ſi ſocer velit ſoluere dotem, & Gener renuat eam recipere,ſed poſtulet vt detur ſibi in pignus ager fructuoſus, ex quo ſingulis annis fructus percipiat, ſalua ſorte principali,eſt vſurarius.Ratio eſt,quia tunc vult lucrum ex mutuo quod eſt vſura.

Secundò etiam eſt certum,quod ſi Gener ſemel accipiat dotem,& iterum illam mutuet ſocero, cum pacto, vt toto tempore, quo durat mutuum, det ei agrum fructiferum in pignus, ex quo quotannis fructus percipiat,non numerandos eos in ſolutionem principalis,erit vſurarius, niſi id faciat ratione lucri ceſſantis.

2 Quod autem in dubium vertitur eſt, quando ſocer nō ſoluit dotem Genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum. An tunc liceat Genero fructus illius percipere non computando eos in dotem.

Sunt qui putent,id non licere.

Communis tamen tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet abſolutè,& in vniuerſum id eſſe licitum. Ratio huius eſt, quia eos non capit vi mutui, ſed alia ratione. Sic enim definiuit Innoc. III.in c. ſalubriter de vſuris.

QVÆSTIO XCII.

Tota igitur controuerſia inter Doctores eſt, in explicanda ratione, propter quam Gener fructus pignorū dotales percipere poſſit, non computando eos in dotem.

1 GLoſſa in ca.ſalubriter ait hoc priuilegium fuiſſe conceſſum Genero in fauorem Matrimonij.

Sed ratio iſta falſa eſſe conuincitur,quia vſura eſt intrinſecè mala, ergo in fauorem Matrimonij, concedi non poteſt: nec Eccleſia poteſt licitum reddere, quod aliàs eſt vſurarium.

2 Sylu.verb. vſura 3.q.2.Conr.de contr.q. 35.Almay.in 4.diſp.15.q.2.Adria.in 4.in materia de reſtit.& multi alij citati à Cou lib. 3.var.ca.1.n. 3.quorum ſententia teſte Nau. in com. de vſuris. num. 64. communis eſt, pro cauſa reddunt lucrum, quod Genero ex dilatione dotis ceſſat,impeditur enim à negotiatione,quandiu illi dos nō traditur.

Sed nec iſta ratio ſatisfacit, primò quia vt poſt Sotum;Caiet.& alios Nauar. argumentatur, titulus lucri ceſſantis eſt communis in omni contractu. At in iſto cap. ſalubri

Digitized by Google

ſalubriter aliquid peculiare cõceditur Genero,quod non eſt aliis commune.

Secundò iuxta hanc ſententiam, ſi dos ſoluenda eſſet in pecunia, & Gener negotiaturus non eſſet cum ea,ſed ſe ,,vxoremque ſuam ſuſtentaturus eſſet ex redditibus ſui patrimonij, nihil accipere poſſet vltra ſortem, quippè ex dilata dote nullum lucrum ei ceſſaret :At ſummus Pontifex ſimpliciter,& abſolutè concedit Genero illos fructus, ergo.

3 Tertiò ſi fructus iſtius pignoris eſſent adeò pingues,vt excederent intereſſe lucri ceſſantis, teneretur Gener exceſſum iſtorum fructuum cõputare in dotem.At ſummus Pontifex abſolutè illos concedit Genero, ſiue tenues ſint ſiue pingues, neque obligat illum ad reſtitutionem alicuius exceſſus.

Quartò lucrum ceſſans ille tantùm poteſt exigere,qui negotiationi incumbit,ergo ſi Gener non eſſet mercator, non poſſet titulo lucri ceſſantis recipere fructus pignoris dotalis. At ſummus Pontifex illos abſolutè concedit cuicunque Genero, ſiue ſit negotiator, ſiue non.

Nauar. cap.17.num.213. Medina qu. 2. de vſuris Valent. to.3.d.5.q.21.p.1.§.3.& Merc. de vſuris cap. 8. putant eam eſſe rationem percipiendi fructus iſtos vt ſuos,non computando illos in dotem, quia præſumuntur donari à ſocero interim dum dos non ſoluitur.

4 Hæc tamen ratio, vt multis aliis diſplicet,ſic mihi non probatur,quia iuxta hanc ſententiam, vbi de veritate oppoſita,præſumptioni donationis conſtaret, ſana conſcientia Gener fructus iſtius pignoris dotalis recipere non poſſet.

Deinde ſummus Pontifex non de gratuita donatione,ſed de iure fuit interrogatus, & in hoc ſenſu reſpondet fructus pignoris ipſo iure intereſſe Generis.

Sotus lib.6.de Iuſt.qu.1.art.2. ad vlt. ait Generum poſſe accipere fructus pignoris vt ſuos vltra dotem, quia Gener tenetur alere vxorem ſalua tamen dote, quàm diſſoluto Matrimonio, ipſe integram vxori reſtituere tenetur. Vnde credit ſummum Pontificem præſumere, quòd dote aliquid eſſet empturus,ſi ſtatim traderetur, ex quo vtrumque poſſet præſtare.

5 Sed hæc ratio reiicitur etiam à recentioribus, quia ex ea ſequitur, quod ſi Gener non erat dote negotiaturus nihil poſſet ex fructibus illius pignoris accipere.

Lopius lib.2. de contr. cap.60. concedit illos Genero ratione damni emergentis. Nam ob dilationem dotis Gener patitur damnum, quia ſuis ſumptibus cogitur ſubire onera coniugalia, quæ ex fructibus dotis ſibi ſtatim promiſſæ, & non ex propriis tenebatur ſuſtinere.

Sed nec hæc expoſitio mihi quadrat, quia eo dato, ſequeretur quòd ſi fructus iſtius pignoris excederent intereſſe damni emergentis, teneretur iſtum exceſſum ſocero reſtituere, quod falſum eſſe conſtat ex dictis.

6 Doctiſſimus Couar.lib.3.var. cap.1.num. 3.tenet quòd potiſſima cauſa ob quam Gener poteſt illos fructus percipere,eſt, quia ſocer tenetur filiam alere vel eam dotare; quare cum dotem non ſoluit, poteſt Gener fructibus pignoris pro dote traditis frui,non computando illos in dotem.Addit tamen hoc non procedere, ſi puella dotetur ab eo qui ſocer non eſt.

Sed hæc expoſitio etiam reiicitur, quia maritus, & non ſocer tenetur filiam alere poſtquam ei coniugata eſt.

Tum quia vt Nauar. rectè ait, immeritò reſtringit deciſionem ſummi Pontificis ad Generum comparatione ſolius ſoceri:quod tamen communis Doctorum ſententia intelligit comparatione ciuſcunque qui dotem promiſit.

Reliqui verò vt Catet.2.2.q.78.art.2.Rebel.lib.8. q.11.Arag.2.2.q.78.art.2.Leſſ.lib.2. cap.20. dub.16.Molina diſp.321. & Salon.2. 2. q. 78. art. 2. exiſtimant potiſſimam cauſam, ob quam Gener vltra dotem promiſſam poteſt percipere fructus pignoris vt ſuos, eſt, vt illis ſuſtentet onera Matrimonij. Hoc idem tenuerat Nauar. in com. de vſuris num. 65. vt ipſemet teſtatur cap. 17.num.213.

7 Ex his opinionibus re diligenter,& maturè inſpecta, ea tantùm, quam vltimò loco propoſuimus,habenda eſt,tanquàm vera,ac propterea meritò inter Doctores magis communis, magiſque recepta, præſertim inter recentiores interpretes D.Thom. probaturque apertè hæc ratio ex ipſomet textu,ait enim Innoc. III. illo cap.ſalubriter. Sanè Generum, ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à Socero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ computandos

in

in ſortem non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera Matrimonij ſupportanda.

Tum quia huiuſmodi pignus, quando non datur dos, eſt tanquàm dos, & ad eundem finem, nimirum ad ſuſtinenda onera Matrimonij datur, ergò quemadmodum qui dat dotem, eo ipſo dat fructus eius, ſiue excedant, ſiue non, ita & qui dat pignus loco dotis, ſimul dat fructus eius, ſiue illi excedant onera Matrimonij, ſiue non.

QVÆST. XCIII.

Sed quid? ſi Gener verò non ſuſtentet onera Matrimonij, An tunc poſſit petere fructus?

1 REſpondeo non poſſe. Ratio eſt, quia iuxta deciſionem Pontificis intalubriter cit. tantùm pro ſubſidio onerũ Matrimonij poteſt Gener fructus iſtos percipere, ergò ceſſante iſta cauſa, debet ceſſare effectus. Ita Molina diſp. 321. Rebel. lib. 8. quæſt. 12. & Salon. 2.2. quæſt. 78. artic. 2.

QVÆST. XCIV.

An ſi Gener accepto pignore fructifero, concedat ſocero ne per aliquod tempus dotem ſoluat, poſſit facere fructus ſuos?

1 MViti abſolutè negant.

Armilla verb. vſura. §. 23. diſtinguit hoc pacto. Si promiſſio dotis facta fuit à principio, vt non ſoluatur dos vſque ad certum tempus, non poteſt facere fructus illius pignoris ſuos; ſecus ſi non eſt poſitus dilationis terminus.

2 Contraria tamen ſententia eſt hodie communis inter Doctores, nempè & ſi gener accepto pignore fructifero concedat ſocero dilationem, nihil exprimendo de fructibus, adhuc poterit accipere fructus illius pignoris, non computando illos in ſortem. Et ratio eſt, quia ſi conceſſit dilationem, viſus eſt eam iuxta ius conceſſiſſe, ita ſcilicet vt fructus recipiat vltra dotem, quia nemo cenſendus eſt iuri ſuo cedere in damnum proprium, niſi illud apertè exprimat. Si verò exprimat ſocer ſe velle, vt fructus illi computétur in ſolutionem dotis, nihil poteſt vltra dotem accipere. Ratio huius eſt, quia ſicut poteſt vir indotatam fœminam ſibi deſponſare, ita etiam poteſt remittere fructus pignoris quos ad ſuſtinenda onera Matrimonij erat acceptu-rus, validaque erit talis remiſſio.

Et in hoc ſenſu vera eſt opinio Armillæ. Ita Salon. 2.2. q. 8. art. 2. Sylueſt. verb. vſura 3. qu. 2. Arag. 2.2. qu. 78. art. 2. Nauar. cap. 17. num. 213. Lop. lib. 2. cap. 60. & alij.

QVÆST. XCV.

An ſi gener non accepto pignore conceſſit dilationem dotis, poſſit tunc petere fructus?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia & ſi gener conceſſit dilationẽ dotis, iuxta conſuetudinem iuris eam videtur conceſſiſſe, ac proinde licèt non præacceperit pignus, poteſt nihilominus petere fructus dotis, interim dum ſolutio dotis differtur, quia ſalua dote, eius fructibus, tenetur onera matrimonij portare. Ita Ban. 2.2. q. 78. art. 2. Molina diſp. 321. Aragon. 2. 2. qu. 78. art. 2. Sotus lib. 6. quæſt. 1. art. 2. & Lop. lib. 2. c. 60.

2 Ex quo deducimus poſſe generum paciſci cum ſocero, vel alio qui dotem promiſit, & non ſoluit, vt quo ad vſque ſoluatur, pro oneribus coniugalibus ſuſtinendis, tribuat quotannis tantùm quantùm aliquis mediocriter in negotiis verſatus, ex ipſa dote, ipſa ſalua, ſibi comparare poſſet. Ratio eſt, quia ex natura contractus dotalis debet ſponſus recipere vel dotem, vel aliquam rem vtilem loco dotis, ex cuius fructibus ſuſtineat onera Matrimonij, ergo quando nec dos, nec pignus aliquod fructiferum ei datur, ad illa leuanda, iure poteſt exigere aliquam penſionem annualem loco fructuum, quos ex dote, vel pignore erat recepturus. Ita Molina diſp. 321.

QVÆST. XCVI.

An gener poſſit percipere omnes fructus pignoris vltra dotem, etiam ſi excedant onera Matrimonij?

1 IN hac quæſtione duæ extant opiniones Prima eſt Sylueſt. verb. vſura 3. q. 3. Ang. eod. verb. 1. §. 25. Tab. ibid. nu. 20. Soti lib. 6. q. 1. art. 2. Lop. lib. 2. cap 60. & aliorum qui abſolutè negant, quia neceſſitas & obligatio mediorum deſumitur ex fine, ergo ceſſante cauſa, quæ eſt ſubſidium onerum Matrimonij effectus ceſſare debet.

2 Secunda verò opinio quam ſequor eſt

Illuſtriſ

Illuſtriſſ. Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 2. Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 16. Bann. 2. 2. q. 78. ar. 2. Rebell. lib. 8. q. 12. & Salon. 2. 2. q. 78 a. 2. qui affirmant poſſe generum omnes fructus pignoris ſibi vendicare, etiamſi ſuperfluant, & excedant onera matrimonij. Ratio eſt, quia ità eſt natura contractus dotalis, vt qui dotem promiſit, videatur promittere omnes fructus pignoris, ſiue excedant onera matrimonij, ſiue non.

Et confirmatur, qui dotem promittit videtur implicitè promittere etiam id quod iure ſtatutum eſt, circa huiuſmodi contractum, ſed in iure canonico in cap. ſalubriter de vſuris decernitur, poſſe Generum fructus pignoris obligati pro dote, facere ſuos, nec debere eos in dotem computare, ſiue excedant onera matrimonij ſubleuanda, ſiue non.

3 Hinc eſt, quòd ſponſus etiam ſi diues ſit habeatque aliundè, vnde valeat onera coniugalia ſuſtinere, nihilominus poteſt tunc in conſcientia percipere tanquàm ſuos, omnes fructus pignoris obligati pro dote. Ratio eſt, quia cum ex natura contractus dotalis, fructus illi, ipſius ſint ſicut eſſent fructus dotis, ſi illam actu recepiſſet: ſicut fructus dotis faceret ſuos, quamuis eſſet diues, ità & fructus pignoris. Ita Salon. & Ban 2. 2. q. 78. ar. 2.

QVÆSTIO XCVII.

An Gener poſſit cum extraneo ſimilem contractum inire, illi eandem pecuniam dotalem, mutuando, cum pacto, vt quàndiu mutuum non redditur ab extraneo, aliquid ab eo vltra ſortē pro oneribus matrimonij recipiat?

1 IO. Maior in 4. diſt. 15. tuetur partem affirmatiuam.

2 Sed communis ſententia eſt in contrarium, & meritò quidem, quia a Socero, & quouis alio dotante poteſt percipere fructus pignoris ab eodem accepti loco dotis, quia ex natura cõtractus dotalis manet ipſe obligatus ad præſtandum illi ſubſidium pro oneribus matrimonij; extraneus autem qui non promiſit dotem non habet talem obligationem, Vnde quoad extraneum, non habet Gener alium titulum accipiendi aliquid vltra ſortem, quàm mutui, ergò ſi accipit, erit vſurarius. Ita Rebell. lib. 8. q. 12.

QVÆSTIO XCVIII.

An vidua ſoluto matrimonio per mortem mariti, vel ſeparata in cauſa diuortij, poſſit percipere fructus pignoris, quandiu ſibi ſua dos non redditur?

1 IN hac re certum eſt apud omnes, quod quotieſcunque hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſequutum repetere, vt ſi propter moram recuperandi ſuam dotem vidua cogitur accipere pecuniam ſub vſuris, aut deſiſtit lucrari, quod alias ſua dote lucrata fuiſſet. Ratio huius eſt, quia non tenetur vidua etiam ditiſſima cum hoc ſuo detrimento, expectare ſolutionem dotis.

Tota ergo dubitatio eſt, quando ex dilatione dotis, vidua, nullum intereſſe damni emergentis, vel lucri ceſſantis incurrit.

2 Illuſtriſſ. Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 2. & Mol. diſp. 322. abſolute negant, ducti eo fundamento, quia fructus pignoris dotalis poſſunt licitè recipi ad leuanda onera matrimonij, ſed vidua ſoluto matrimonio, non habet onera matrimonij, ergò non poteſt illos percipere.

Couar. lib. 3. var. c. 1. num. 3. & Sylu. verb. vſura 3. §. 6. dicunt quòd quando vidua non poteſt via iuridica recuperare ſuam dotem ab hæredibus mariti, tuta conſcientia poteſt percipere fructus pignoris, aut quantitatem ipſam pecuniariam, quam maritus percipiebat, quandiu non ſoluebatur dos, cum primùm verò poteſt illa dotem ſuam in iudicio vel extra iudicium recuperare, non poteſt facere tanquam ſuos fructus illius pignoris, ſed tenetur illos computare in dotem.

3 Alij verò vt Nauar. in com. de vſur. n. 64 Ban. 2. 2. q. 78. ar. 2. Rebel. lib. 8. q. 11. Salon. & Arag. 2. 2. q. 78. ar 2. rectiùs docent poſſe viduam fructus pignoris percipere, donec ſoluatur ei dos, ſicut poterat vir eius viuens, durante matrimonio. Et ratio eſt, quia ſi verè fuiſſet ei data ſua dos, & non pignus, vidua non haberet ſuam dotem, & fructus eius, ſicut habebat vir eius, ſed pignus dotale ſtat loco dotis quandiu illa non ſoluitur, ergò poterit vidua percipere fructus illius pignoris non computando illos

in dotem, ſicut percipiebat vir eius.

Deinde, maritus cum illo onere ſuſcepit dotem, aut pignus dotale, vt donec ei ſoluatur, alat vxorem, & eius familiam ſalua dote, ergo poteſt vidua ſoluto matrimonio, vel ſeparata, percipere illa alimenta pro ſe, & familia, quandiu ſibi ſua dos non redditur.

4 Demùm quandiu ſua dos non reſtituitur, non definit eſſe dos, neque definit gaudere priuilegio dotis, quia cum illo onere tranſiuit ad maritum, & hæredes mariti, vt quandiu ſibi non ſolueretur, ſalua dote, aleretur, non ſolùm familia, ſed etiam ipſa, ſi remaneret ſola; & non ſolùm per annum, ſed quandiu inuita patitur dilationem dotis, quia vſque ad redditam dotem perſeuerat in marito onus ſuſtinendi onera coniugalia, ſalua dote.

Quæ doctrina vera eſt ſtantibus tribus conditionibus. Quarum prima eſt, vt vidua ſoluto matrimonio verè ſuſtineat onera matrimonij, quia ſi fiat Religioſa, vel reuertitur ad domum patris, & ab eo pro ratione ſui ſtatus exhibentur quęcunque ipſi, ſuæque familiæ cenſentur neceſſaria, tunc non poteſt percipere fructus pignoris dotalis, quia ceſſat tunc omninò cauſa, propter quam poterat illos percipere.

Secunda ne ipſius culpa, ſolutio dotis differatur, quia ſi culpa illius differtur, non poteſt percipere fructus, cum eo ipſo, quo hæredes mariti ſunt parati, culpa vero viduæ differatur ſolutio, hæredes mariti perinde ſe habent, ac ſi actu ſoluerent.

Tertia, vt promiſſio dotis ſit abſolutè, & ſimpliciter facta, quia ſi fiat ſub eo pacto vt fructus illius pignoris computentur in dotem, tunc nihil poteſt vltra dotem accipere.

5 Dices vidua non tenetur alere familiam, integram ſeruando dotem, ergo.

Reſp. quòd licèt vidua non teneatur alere familiam ſalua dote, tenebatur tamen maritus, quia cum illo onere ſuſcepit vſque ad reſtitutionem dotis.

Ex quo ſequitur non eſſe in malo ſtatu mulieres viduas, quæ recipiunt ſeptem, vel decem pro centenario ſuæ dotis ab hæredibus mariti. Et ratio eſt, quia cum poſſit tuta conſcientia percipere fructus pignoris ab eiſdem dati loco dotis, poterit etiam iſtam pecuniam recipere loco fructuum ſuæ dotis, vel pignoris fructiferi, quod ei tradendum eſſet.

6 Et ad argumentum Caie. reſp. quòd non ſolùm ſunt dicenda onera matrimonij, ea quæ proueniunt durante matrimonio, ſed etiam illa, quæ relicta ſunt ex matrimonio, ſed illa vidua habet multa eiuſmodi onera, tenetur enim educare filios, & filias, ſi habeat, & ſi non habet, familiam pro dignitate ſua, & mariti ſuſtentare. Ita Ban. 2. 2. q. 78. art. 2. & Sot. lib. 6. q. 1. art. 2.

QVÆSTIO XCIX.

An mortua etiam matre, filij eius poſſint ratione dilationis dotis, illos fructus percipere?

1 MOlina tom. 2. de contr. diſp. 322. negat, quia mortua matre, non manet idem matrimonij onus.

2 Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum cum Lop. lib. 2. de contr. 6. nimirum etiam in hoc caſu poſſe liberos à quibuſcunque detinentibus dotem matris exigere, aut quòd reſtituant eis dotem maternam, aut ſalua ea, præbeant eis alimenta. Ratio huius eſt, quia filij ſucceſſerunt in Ius matris, ſicut mater ſucceſſit in Ius, quod habebat maritus dum viuebat, in dotem, & in pignus loco dotis illi traditum, & fructus illius.

QVÆSTIO C.

An vſurarius dominium eorum comparet, quæ per vſuram acquirit?

1 ANtiqua eſt quæſtio, quæ pro vtráque parte fautores habet non paucos. Scotus in 4. d. 15. q. 2. art. 3. Palud. ibidem q. 2. art. 5. Adr. in 4. q. de vſura, & Nauar. ca. 17. n. 265. aſſerunt vſurarium effici dominum rerum, quas vſurariè acquiſiuit ſiue illæ ſint vſu conſumptibiles, vt vinum, oleum, triticum, pecunia, ſiue non, vt veſtes, annuli. Et probant, quia traditione rei transfertur dominium vt habetur Inſt. de rerum diuiſ. §. per traditionem: atqui mutuatarius ſua libera voluntate tradit vſurario lucrum, vt eius dominium habeat, ergo reuera illud transfert.

Ang. verb. vſura 2. nu. 18. Sylueſt. ibid. 6. q. 1. & Cathar. 6. annotat. contra Caiet. pag. 144. aiunt vſurarium acquirere dominium earum rerum, quæ per vſuram lucratur, ſi modò

Digitized by Google

modò ſint vſu conſumptibiles : ſecùs verò ſi tales non ſint.

2 At vero D.Tho.2.2.q.78.art.3.Caiet.ibidem,& in opuſc.tom.2. opuſc.8.c.1.Sot.lib. 6.q.1.art.4.Bann..2.2.q.78.art.3. Leſſ.lib.2.c. 20.dub.18.Arag.2.2.q.78.art. 3. Rebell.lib.8. q.14.Med.q.4.de vſura, Couar.lib.3.var.c.3. num.6.Salon.2.2.q.78.art.3.& multi alij tenent vſurarium nullius omnino rei per vſuram acquiſitæ,ſiue conſumatur vſu,ſiue non,habere dominium ſed illud apud mutuatarium perſeuerare, ſecundùm legem ſaltem diuinam. Pro qua.

3 Dico primò,quòd ſi res per vſuras extortæ,conſiſtentes in numero, pondere, & menſura,quales ſunt pecunia, frumentum, oleum, vinum, & ſimilia ita miſceantur cum rebus vſurarij eiuſdem generis, vt non poſſint ab eis diſtingui vel conſumentur, vel expendantur, tunc earum dominium transfertur in vſurarium. Ratio eſt, quia vt diximus in materia de dominio, vnus modus acquirendi dominium eſt per admixtionem rei, cum alia eiuſdem materiæ,vt ſi vſurarius frumentum, vel oleum, vel pecuniam per vſuram acceptam, miſceat cum frumento, vel oleo ſuo, vel ſuis pecuniis.Ita Mol.d.326.& communis.

Secundò dico quòd ſi res vſurariæ, ſiue ſint vſu conſumptibiles, ſiue non extent eædem in ſpecie impermixtæ, non transfertur earum dominium in vſurarium. Ratio eſt, quia per contractum qui per omnem legem eſt nullus, nullum transfertur dominium iuxta Reg. iuris in 6. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. Sed contractus vſurarius per legem diuinam,& canonicam, & ciuilem eſt nullus vt patet ex c.conſuluit de vſuris,ergo per illum, nullum transfertur dominium.

7 Tum quia traditio non transfert dominium, niſi iuſta cauſa,hoc eſt iuſtus titulus præcedat,iuxta l. nunquam.ff.de acquirendo rerum dominio. Vbi dicitur nunquam nuda traditio dominium transfert, niſi præceſſerit venditio,aut iuſta aliqua cauſa. Traditio autem vſurarum fit ſine cauſa iuſta,ac titulo,imò cum iniuſta,& turpi cauſa,quia contra iuſtitiam lucrum vſurarium accipit,ergo.

Tum quia latro rei furtiuæ nullum acquirit dominium, vt habetur in l.vlt.ad finem ff. de vſufructuariis; vſura vero ad furtum pertinet,quia eodem furti præcepto in decalogo prohibetur,ergo &c.

Tum quia vſurarius tenetur reſtituere omnes fructus rei per vſuram acceptæ, ſi fructifera eſt, vt eſt definitum in c. grauis de reſt.ſpoliat.ergo non transfertur dominium rei vſurariæ. Probo conſequentiam, quia res ſi fructificat, ſuo domino debet fructificare.

5 Tum demùm quia tranſlatio dominij, vel fit ex rigore legis illud præcipientis,vt in præſcriptione, vel ex priuata voluntate donantis, his enim duobus modis poteſt fieri dominiorum tranſlatio:atqui in traditione rei vſurariæ, neque transfertur dominium authoritate legis, quia nulla extat lex,quæ decernat tale dominium transferri in vſurarium,imò oppoſitum, neque priuata voluntate mutuatarij donantis vt conſtat,ergo nullo modo transfertur.

Et confirmatur, de eſſentia donationis eſt,vt omnino ſit ſpontanea; ergo donatio vſuraria, quæ vt patet admixtam habet coactionem,nec valida eſſe poteſt,nec ſufficiens transferre dominium.

Dices,ad quid ergo donat mutuatarius, ſi non intendit abdicare à ſe dominium?

6 Reſpondeo quia videt, quòd alia via non poteſt obtinere mutuum. Vnde reſpectu tranſlationis dominij nunquam habet voluntatem, ſed tantùm penes tranſlationem poſſeſſionis, quæ poteſt eſſe ſine dominio,ſicut qui in naufragio proiicit merces in mare, vult quidem illas proiicere, non tamen vult illarum dominiũ amittere.

Si replices, ergo mutuatarius decipit vſurarium,qui putat ſibi rei datæ transferri in ſe dominium.

Reſpondeo negando conſequentiam,imò vſurarius ſeipſum decipit; ex quo enim fine iuſto titulo accipit lucrum,ipſe reſpicere tenetur,quo modo recipit.

QVÆST. CI.

Sed quid?ſi mutuatarius iuret ſe velle transferre dominium in vſurarium, cum mentiri non intendat,nec ficte iuret, transfertur-ne tunc lucrum in vſurarium?

1 REſpondeo non transferri, quia vſurarius lege diuina, & humana ſic conſtituente eſt incapax talis dominij ratione mutui principaliter. Ita Lop.lib.2.c. 79.vbi citat Ioannem à penna.

QVÆSTIO CII.

An vſurarius compareat dominium eorum, quæ ex re vſuraria lucratur?

1 QVidam vt refert Med. in quæſt. de reſt. vſurarum, tenent vſurarium obligari ad reſtituendum id lucrum, quod facit ex pecunia vſuraria.

2 His tamen non obſtantibus, contraria ſententia D. Thom. vera, & communis eſt, pro qua dico primò, quòd ſi res per vſuram extorta eſt vſu conſumptibilis, vt pecunia, vinum, oleum, triticum, & ſimilia, tunc ſi quid ex ea vſurarius acquirit, dominium habet eius, quod acquirit, vt ſi ludendo, negotiando, vel emendo aliquid acquiſiuit. Ratio eſt, quia tale lucrum non eſt fructus rei per vſuram acceptæ, ſed potiùs induſtriæ vſurarij, ergo non mutuatario, quamuis domino rei, ſed vſurario competit, ad quem etiam ſpectat illius periculum. Ita tenet D. Th. 2.2.q.78.art.3. Valent. tom.3.d.5.q.21.p.3. Leſſ. lib.2.cap.20. dub.18. Reb. lib.8.quæſt.15. Mol. d. 327. Arag. 2.2.q. 78.art.3. Couar. lib.3.var.cap.3.num.6. & alij communiter.

Hinc, depoſitarius ſi aliquid emat ex pecunia depoſita, & fur ex pecunia furtiua aliquid lucretur, ſibi acquirunt. Ratio eſt, quia pecunia de ſe non eſt fructifera, ſed vt ſubeſt induſtriæ negotiantis, ergo ſi per eam, aliquid lucri aduenit, non pecuniæ, ſed induſtriæ tribuendum eſt, ac proinde ad negotiantem pertinebit, ad quem etiam periculum eiuſdem pecuniæ pertinebit, & cui totum lucrum ceſſans, & damnum emergens ex tali retentione compenſare ex iuſtitia incumbit.

Secundò dico, quòd ſi res per vſuram extorta non eſt vſu conſumptibilis, ſed permanens, & fructifera, vt domus, ager & ſimilia, tunc vſurarius non habet dominium fructuum ex ea perceptorum, ſed deductis expenſis mutuatario tenetur reſtituere. Ratio eſt, quia ſicut vſurarius non habet dominium rei per vſuram acceptæ, ſed perſeuerat penes mutuatarium, ſic nec habet dominium fructuum, quos ex ea percepit, quia ſunt fructus rei, cuius mutuatarius eſt Dominus. Ita D. Th. 2.2.q.78.a.3. Mol. d.327. & alij ſup. cit.

3 Tertiò dico, quòd quando ex detentione rei vſurariæ, mutuatario aliquod ſequitur nocumentum, tenetur vſurarius ſimul cum re per vſuram acquiſita, illud reſtituere: vnumquodque enim damnum alteri illatum cum iniuria neceſſario eſt reſarciendum, vt iuſtitiæ æqualitas ſeruetur, vt ait D. Tho. 2.2.q.78.art.3. Sot. lib.6.q.1.art. 4. Couar. lib.3.var.c.3.num.6. & Arag. 2.2.q. 78.art.3.

Quartò dico, quòd ſi vſurarius res per vſuram partas, vel earum fructus vendat, fit dominus pretij, dominium tamen iſtarum rerum non transfert in emptores. Prima pars patet ex l. Qui vas in fine ff. de furtis, vbi dicitur, nummus qui redactus eſt ex pretio rei furtiuæ, non eſt furtiuus. Secunda verò pars probatur, quia qui non eſt dominus rei, non poteſt illius dominium in alium transferre. Vt docet Mol. diſp.327. & Rebell. lib.8.q.15.

Hoc tamen limitat Leſſ. lib. 2. de iuſt.c. 20.dub. 18. quod ſolùm verum ſit, quando bonâ fide res illas emit neſciens eſſe alienas, ſi enim id ſciuit, contractus eſt nullus. Vnde tunc vſurarius non acquirit dominium pretij. Vt habetur l. ſi in emptione ff. de contrahenda emptione.

4 Quintò, & vltimò dico, quod eſt valdè probabile, vſurarium non fieri dominum pretij rei vſurariæ. Ratio eſt, quia res vendita poteſt per euictionem vindicari ab emptore, & re illa euicta, vſurarius tenebitur in conſcientia totum pretium reſtituere emptori, à quo res eſt per euictionem extorta.

Tum quia talis contractus eſt inuoluntarius ex parte emptoris, ſi enim ſciret rem eſſe alienam, nollet emere, ergo eſt nullus.

Tum quia emptor non intendit transferre dominium pretij in venditorem, niſi venditor transferat viciſſim dominium rei in illum: atqui venditor hoc non poteſt vllo modo facere, ergo.

QVÆSTIO CIII.

An contractus gratuiti, vel oneroſi cum vſurario initi ſint validi?

1 AD hoc dico primò, quòd qui titulo donationis, vel emptionis accipit aliquid ab vſurario per vſuram extortum, tenetur idem, ſi ſit fructiferum, cum ſuis fructibus reſtituere mutuatario, a quo vſurarius illud acquiſiuit per vſuram. Ratio eſt,

Digitized by Google

eſt, quia cum vſurarius talis rei non habeat dominium, non poteſt illud in alium transferre. Ita Ban.2.2.q.78. art.3.Leſſ.lib.2. c.20.dub.19. Lop. lib.2.cap.81.& Salon.2.2. q.78.art.3.

2 Secundò dico, quòd qui aliquo titulo gratuito, vel oneroſo accipit aliquid vſu conſumptibile, vt pecuniam, oleum, frumentum, & ſimilia, per vſuras extorta ab vſurario habente alia bona, vnde reſtituat idem ſpecie,vel æquiualens,peccat quidem mortaliter, vel venialiter iuxta maiorem, vel minorem moleſtiam, quæ ex eius receptione mutuatario infertur, ad reſtitutionem tamen illius non tenetur.Ratio eſt, quia in re vſu cõſumptibili vſurarius quãuis non reddat eandem rem numero,ſatisfacit tamen legibus iuſtitiæ, modò reddat eandem ſpecie,vel æquiualentem,ergò.

Tum quia in rebus vſu conſumptibilibus,non habet locum obligatio realis, ſed perſonalis tantum, qua tenetur vſurarius illam,vel eius valorẽ reſtituere,ergo translata in alium per contractum aliquem oneroſum, vel gratuitum, verè tranſit in dominium recipientis illam. Ita Valen.to. 3.d.5.q.21.p. 3. Bann.2.2.q.78.art.3.& alij,eſt tamen hoc contra Mol.diſp.330.

3 Tertiò dico,quòd qui titulo donationis, vel eleemoſynæ accipit aliquid vſu conſumptibile per vſuram extortum ab vſurario non habente alia bona, vnde reſtituat, peccat contra iuſtitiam, & ad reſtituendum acceptum obligatur. Ratio eſt, quia qui rem omninò alienam, cuius loco non poteſt alia conſtitui ab alio accipit,peccat contra iuſtitiam,at bona vſuraria, quando vſurarius non habet alia,quæ loco illorum reſtituat, ſunt omninò aliena, ergo qui ea accipit,peccat contra iuſtitiam,& per conſequens ad reſtitutionem tenetur. Ita Ban. 2.2.q.78.art.3.

4 Hinc, qui mutuat alicui,quem ſcit eſſe vſurarium, in fines illicitos, aut vanos non poteſt licitè illud recuperare,ſi ex eius ſolutione facta, vſurarius fieret minùs idoneus ad reſtituẽdum vſuras.Ratio eſt,quia hoc eſſet in fraudem priorum creditorum; ſecùs autem quando mutuo ei dedit bona fide,non credens impotentem illum ea occaſione reddendum ad debita ſoluenda.Ita Sylu.verb.vſura 8.q. 7. & Lop.lib.2.c.81.

Quartò dico, quòd qui titulo gratuito, vel oneroſo accipit ab vſurario, vel fure aliquid eorum, quorum ipſe habet dominium,non peccat,nec ad reſtitutionem tenetur.Ratio eſt, quia cum talis res non ſit in ſe aliena, licet obnoxia ſit reſtitutioni, iniuria nõ infertur creditoribus,præſertim ſi huiuſmodi contractus vſurarium impotentem ad ſoluendum vſuram nõ efficiant.

5 Quintò,& vltimò dico,quòd vſurarius non habens niſi bona reſtitutioni obnoxia, poteſt validè à nobis emere domos, vel agros,in eorum pretium tradendo pecuniam, quam per vſuram extorſit. Ratio eſt,quia ex tali emptione poſſeſſionis, vel domus vſurarius non fit impotens ad ſoluendas vſuras.Ita Sot.lib.6.q.1. art. 4. Valentia tom.3.d.5.q.21.p.3. Salon. & Ban.2.2. q.78.art.3.

6 Hinc vſurarius,licèt peccet,& quidem contra legem iuſtitiæ differendo reſtitutionem, quantùm tamen ad validitatem contractus, ſi exerceat negotiationem, in qua emendo,& vendendo lucratur,contractus tamen illi ſunt validi,& ſi non habeat aliam pecuniam niſi reſtitutioni obnoxiam.Et ratio eſt, quia vt diximus per huiuſmodi contractus non efficitur minùs potens ad reſtituendum.

QVÆSTIO CIV.

Sed quid? ſi per eiuſmodi contractus fiat impotens in totum, aut ex aliqua parte ad reſtituendum vſuras?

1 SVnt qui cenſeant accipientem teneri ad reſtitutionem,quia accipit in fraudem creditorum,ac proinde iniuſtè.

2 Nobis tamen ſub hac diſtinctione videtur reſpondendum.Vnde dico primò quòd quando vſurarius non inductus,ſed ſpontè res ſuas etiam titulo gratuito alienat, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiamſi ſciat ipſum per eiuſmodi contractus fieri impotentem ad ſoluendum. Ratio eſt quia res illæ nemini ſunt reali obligatione obnoxiæ, ſed ſunt ipſius vſurarij, qui nullo iure eſt inhabilis ad transferendum earum dominium, ergo transfert reipſa. Ita Mol.d. 328. Roder.p.2. ſum.c.106.n.11.Arag.2.2.q.78. art. 3. & Leſſ. lib.2.c.20.dub.19.

Obiicies,qui ſciens,& prudens in creditorum fraudem alienat,peccat cõtra iuſtitiã aduerſus eoſdem creditores, quatenùs

per eam alienationem impotentem se reddit ad soluendũ debita: ergo qui id sciens, aliquid ab eo accipit, peccat etiam contra iustitiam aduersus eosdem creditores, cooperando peccato alienationis, atque adeò ad restituendum illis tenetur.

3 Respondeo negando consequentiam, quia qui accipit nõ est causa, cur vsurarius velit alienare, sed supposito, quòd ipse spõte velit, ille alius acceperat, vtens iure suo. Nulla enim æquitas exigit, vt quis negligat suum commodum, etiamsi inde per accidens, sequatur alteri tantumdem damni.

Secundo dico, quòd quando vsurarius inductus ad donandum, vel alienandum, donat, vel alienat, qui ab eo aliquid accipit, aduertens eum sic reddi impotentem ad soluendum, tenetur ad restitutionem, si hæc impotentia sit causa non soluendi. Ratio est, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Si tamen hæc impotentia non sit causa, cur non soluat, non tenetur, vt si vsurarius ea esset industria, vt facilè posset tantumdem lucrifacere, & sic restituere, tunc enim non impotentia, sed negligentia esset causa non soluendi. Pari modo si iam antè statuerat non soluere, tunc enim, & si prouocatus ab alio fiat impotens, tamen non tenetur ad restitutionem, quia hæc inopia non est causa non soluendi, sed propositum illud prauum. Ita Less. lib. 2. c. 20. dub. 19. & Arag. 2. 2. q. 78. ar. 3.

4 Tertiò dico, quòd qui in casu posito prouocauit vsurarium ad dandum, vel alienandum, sciens eum per hoc fore impotentem, tenetur esse paratus ad restituendum, quandocunque viderit illum velle soluere suis creditoribus, & per inopiam impediri. Ratio est, quia in eo casu ipse est causa non soluendi, cum sit causa impotentiæ, propter quam vsurarius non soluit vsuras. Ita Less. lib. 2. c. 20. dub. 19.

QVÆSTIO CV.

An omnia bona vsurarij sint restitutioni obnoxia, & qua obligatione, & vinculo?

1 IN hac graui, & difficili quæstione, tres sunt Doctorum opiniones.

Prima est veterum Canonistarum, qui generaliter aiunt, omnia bona vsurarij esse tacitè hypothecata pro soluendis vsuris.

2 Secunda opinio ait, quòd licèt omnia bona vsurarij non sint ipso iure tacitè hypothecata pro vsuris, nihilominùs tamen possessiones de pecunia vsuraria emptas esse tacitè hypothecatas. Sic Med. q. 4. de vsura ad quartum principale, & Gab. in 4. dist. 15. q. 11. art. 2.

Tertia verò opinio asserit generaliter, omnia bona vsurarij, etiamsi sint parta ex pecunia vsuraria, non esse ipso iure, nec expressè, nec tacitè hypothecata realiter pro vsuris soluendis, sed illa tantùm, quæ per vsuram sunt extorta, sunt specialiter hypothecata. Ratio est, quia tacita hypotheca non est ex natura rei, nisi vbi iure aliquo humano est inducta: sed nullo iure humano ciuili, vel Canonico huiusmodi tacita hypotheca est inducta in bonis propriis vsurarij quæ, scilicet non sunt per vsuram acquisita, ergo. Ita Illustrissimus Caiet. in Opusc. tom. 2. tract. 8. c. 4. Sot. lib. 6. q. 1. art. 4. Nauar. c. 17. n. 265. Couar. lib. 3. var. c. 3. n. 6. Sylu. verb. vsura 6. q. 5. Reb. lib. 8. q. 16. sect. 1. & alij.

3 Pro resolutione tamen dico primò, quòd omnia in vniuersum vsurarij bona, tam permanentia, quàm vsu consumptibilia, quamdiu apud ipsum sunt, obnoxia manent restitutioni vsurarum obligatione personali. Ratio est, quia ipsemet vsurarius personaliter est obligatus ad soluendum vsuras mutuatario, ergo omnia bona illius sunt obligata obligatione personali. Probo consequentiam, quia obligatio personalis transit à persona obligata in omnia bona ipsius. Ita D. Tho. 2. 2. q. 78. art. 3. ad 2. Mol. disp. 329. & Ban. & Arag. 2. 2. q. 78. art. 3.

Secundò dico, quòd bona permanentia, & fructifera acquisita per vsuras, obnoxia sunt restitutioni obligatione reali, migrante cum ipsa, apud quemcunque existant, & quacunque via, & contractu in aliquem transierint. Ratio est, quia huiusmodi bona sunt restituenda eadem numero mutuatario, à quo vsurarius extorsit, ergo obligatione reali sunt obnoxia restitutioni. Et est cõclusio definita ab Alex. III. in c. Tua nos.

4 Tertiò dico, quòd bona per vsuram extorta vsu consumptibilia, non sunt obligata pro vsuris soluendis, obligatione reali, sed personali tantùm, quando vsurarius habet aliunde bona iusto titulo acquisita ad satisfaciendum sufficientia. Ratio est, quia bona vsu consumptibilia per vsuram extorta, cum functionem recipiant,

non

non ſunt eadem numero reſtituenda, ſed ſufficit, quod alia ſimiliter æquiualentia reſtituatur, ergò nõ ſunt reſtitutioni obnoxia, obligatione reali, ſed perſonali. Probo conſequentiam, quia obligatio realis ſemper comitatur eandem rem in indiuiduo, non autem in ſpecie, ergo. Ita Ban. Arag. & Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3.

Dixi notanter (quando vſurarius habet vnde reſtituat) quia ſi non habet alia bona legitimè acquiſita, præter vſuraria, non poteſt vſurarius illa conſumere vel alienare pro ſua voluntate, ſed tenetur illa eadem reſtituere. Et ratio eſt, quia non habet alia, quæ loco illorum valeat reſtituere; ergo in tali caſu, iſta bona ſunt etiam obnoxia reſtitutioni obligatione reali. Hinc de pecunia habita per vſuram, vel furtum, poteſt fieri eleemoſyna, ſi raptor, vel vſurarius proponat reſtituere æquiualentem, & habeat, vnde reſtituat, nec dando reddat ſe impotentem ad ſufficienter reſtituendum.

5 Quartò, & vlt. dico quod res aliæ, quæ ſunt legitimo iure habitæ, vel pecunia vſuraria emptæ ab vſurario, ſunt obnoxiæ reſtitutioni non quidem obligatione reali, ſed perſonali. Ratio eſt, quia qui per vſurã contrahit debitum, eſt obnoxius reſtitutioni, & ratione illius cuncta, quę poſſidet, ergò talia bona iuſtè habita non obligatione reali, ſed perſonali ſunt obnoxia reſtitutioni.

Et confirmatur, ſi huiuſmodi bona ſunt fructifera, & non vſu conſumpribilia, fructificant ipſi vſurario, non autem mutuatario, ergò non habent obligationem realem. Ita Ban. Arag. & Salon. vbi ſupra.

6 Ex dictis infero primò, quòd ſi huiuſmodi bona iure hæreditario tranſeant ad hæredes vſurarij, manẽt etiam reſtitutioni obligata, obligatione perſonali, quia obligatio perſonalis defuncti tranſit ad hæredes bonorum ipſius, eo quòd ad hæredes, vtpotè perſonam defuncti repræſentantes tranſeant actiones perſonales defuncti. Si verò tranſeant in alias perſonas, quæ non ſunt hæredes vſurarij, eo tamen tempore, quo vſurarius habet, vnde vſuras reſtituere poſſit manent omninò liberæ ab omni obligatione. Ratio eſt, quia huiuſmodi bona ſolùm erant reſtitutioni obnoxia obligatione perſonali, quæ ſolùm tranſit ad hæredes, minimè vero in emptores, quibus non incumbunt onera, & debita defuncti. Ita Mol. d. 329.

7 Secundò infero, quòd ſicut huiuſmodi bona permanentia, & fructifera per vſurã acquiſita, nulla ratione poteſt vſurarius diſtrahere conſumere, vel alienare, neq; contractu oneroſo, puta vendendo, aut permutando neque contractu gratioſo, puta donando, ſine conſenſu, vero, aut rationabiliter præſumpto mutuatarij ad cuius amicitiam ſpectat: ità nec alter illa ſcienter recipere, nec titulo gratuito, nec oneroſo, quia eſſet rem alienam inuito domino cõtrectare. Cæterum res, quæ vſu conſumuntur, poterit alter de manu vſurarij recipere, tam titulo donationis, quam emptionis, vel permutationis, modò per hoc non euadat vſurarius minùs aptus ad ſufficienter reſtituendum.

8 Hinc, ſi vſurarius nihil habet præter vſurariè acquiſita, aut ſi habet, omnia ſunt neceſſaria ad integrè reſtituendum, tunc ſicut ipſe donare non poteſt, ità nec alij titulo donationis ab eo recipere poſſunt. Poterunt tamen alij titulo oneroſo tales res, quæ vſu conſumuntur recipere, tantùm ipſis vſurariis tradendo, quantùm de eorum manu ſuſceperunt, veluti ſi vſurarius emat vineam ex pecunia vſuraria, quam ex aliis bonis propriis reſtituere poteſt, quia tunc æquè idonei remanent ad integrè reſtituẽdum, ac antea erant. Ita Arag. 2. 2. q. 78. a. 3.

QVÆSTIO CVI.

An famuli, vel operarij, accipientes ſtipendium ab vſurario peccent, & ad reſtitutionem teneantur?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd famuli qui miniſtrando vſurariis, alia bona non habentibus, ex quibus poſſint vſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantùm emolumenti afferunt bonis talium vſurariorum, quantùm pro victu, veſtitu, & ſtipendiis inſumunt, non peccant, nec ad aliquam reſtitutionem faciendam obligantur. Ratio eſt, quia ex eo vſurarij non efficiuntur impotentiores ad reſtituendum vſuras. Ita Sot. lib. 6. q. 1. art. 4. Tolet. lib. 5. ſum. c. 35. Roder. p. 2. ſum. c. 106. n. 10. Lop. lib. 2. de contr. c. 81. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 8. q. 16. ſect. 3. & alij.

2 Secundò dico. quòd famuli qui ſeruiendo vſurariis, qui non habent alia bona,

Digitized by Google

quam vſuraria, vel reſtitutioni obnoxia, nihil eis per ſuum famulatum afferunt vtilitatis, aut commodi temporalis, quo ſubſtantiam vſurariorum augeant, vel conſeruent, quales ſunt, qui ſolùm eis famulantur ad faſtum, & pompam, nihil poſſunt ab eis in pretium ſtipendij recipere, & ſi recipiant, peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi acceptum, ſi quidem intelligebant vel facilè intelligere poterant, vſurarios per talis ſtipendij ſolutionem, fieri impotentes ad ſoluendas vſuras. Ratio eſt, quia qui cum illa mala fide tale ſtipendium accipiunt non minùs peccant, & tenentur ad reſtitutionem, quam accipientes à fure rem, quam norunt eſſe furtiuam. Ita Nau. c. 17. nu. 270. Arag. 2. 2. quæſt. 78. a. 3. Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 3. Sot. lib. 6. q. 1. ar. 4. Lop. lib. 2. c. 81. & Roder. p. 2. ſum. c. 106. num. 10.

3 Tertiò dico, quòd venditores illi, qui vſurariis, vel debitoribus non habentibus alia bona, ad reſtitutionem vſurarum res vſu conſumptibiles ad luxum, voluptatem vel ad alios illicitos, ſuperfluos, & vanos vſus vendunt, ſcientes vel ſcire debentes, eos inde effici minùs idoneos ad reſtituendum vſuras, peccant mortaliter, cum onere reſtituendi ſic acceptum creditoribus eorum. Ratio eſt, quia id in fraudem, damnumque creditorum vergit, dum reſtitutionem eis debitam exinde impoſſibilem reddunt. Ita Mol. diſp. 330. Sot. lib. 6. q. 1. art. 4. Lop. lib. 2. cap. 81. & Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 3.

Quartò dico, quòd qui ſciunt vſurarium non habere alia bona, quam fœneratitia, non poſſunt locare illi operas ſuas, nec artifices, vt ſutores, calcearij, ferrarij, & ſimiles poſſunt aliquid ab eo accipere in pretium rerum ſuæ artis, quibus non indiget extremè. Ratio eſt, quia cum vſurarius nullum habeat illorum bonorum dominium, neque alia, quæ loco illorum reſtituat, nulla ratione poteſt in aliquem, illorum vſum, & dominium transferre, ac proinde qui ex eis, aliquid ab eo recipit, tenetur illud in conſcientia creditoribus reſtituere. Ita Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. & Molina diſp. 330.

4 Quintò dico, quòd artifices qui iuſto pretio vendunt vtenſilia vſurariis non habentibus alia bona præter vſuraria, non peccant, nec ad aliquam reſtitutionem tenentur, ſi ea vtenſilia ſint pro conſeruatione ſubſtantiæ vſurariorum neceſſaria, vt ſi conſtruant eis domos, ſerasferreas, oſtij portas, arcas pro cuſtodia pignorum. Ratio eſt, quia hæc pro cuſtodia rerum ſunt, non pro earum diſſipatione. Secus ſi vendant res inutiles, nihil deſeruientes niſi ad luxum, quia tunc ſcientes eos inde impotentes, vel impotentiores ad ſoluendum vſuras euaſuros tenentur reſtituere creditoribus, ea quæ ab eiuſmodi debitoribus pro rerum pretio recipiunt. Ita Lop. lib. 2. c. 8. & Reb. lib. 8. q. 16. ſect. 3.

5 Sextò dico, quòd qui aliquid emit ab vſurario, vel illi mutuat pecuniam ſciens, vel debens ſcire eum velle pretium, vel mutuum ad illud per ludum, vel ſcortationes, aliaſue res profanas expendendum, ex quo probabiliter euadere debet impotens ad ſoluendas vſuras, non poteſt ab eo ſolutionem recipere, & ſi recipit, reſtituere creditoribus tenetur. Ratio eſt, quia occaſione talis emptionis, & mutuationis, vſurarius efficitur impotens ad reſtituendum vſuras. Ita Rebell. lib. 8. quæſt. 16. ſect. 3. & Molina, diſp. 330.

Septimò dico, quòd qui bona fide ſcilicet cum ignorantia talis impotentiæ, locant operas ſuas, vel alium ſimilem cum eo contractum inuciat, licitè ab eo poſſunt recipere iuſtum ſtipendium, etiamſi iſtam impotentiam poſt operas impenſas ante ſolutionem reſciant. Ratio huius egregia hæc eſt, quia vſurarius ſicut eos à quibus vſuras extorſit creditores habet, ſic etiam debet prædictis miniſtris iuſta ſtipendia, ergo vt alij poterunt ab eo ſolutionem iuſti ſtipendij recipere. Ita Med. q. 4. de vſura ad tertium principale, Mol. tom. 2. de contr. diſp. 330. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 8. q. 16. ſect. 3. & alij.

6 Octauò, & vltimò dico, quòd qui vſurario non habenti alia bona præter vſuraria, nec valenti proprio labore, & induſtria parare ſibi, ſuiſque neceſſaria, vendunt attinentia ad cibum, veſtitum, & alios quotidianos vſus, pro his iuſtum pretium recipere poſſunt abſque reſtitutionis obligatione. Ratio eſt, quia quiuis in extrema, vel ferè extrema neceſſitate conſtitutus, poteſt ex domo diuitis neceſſaria ſibi accipere, ergo & vſurarius poterit ex his, quę habet, etſi alienis, neceſſitatem extremam, quam ipſe, & ſua familia patiuntur, leua-

Digitized by Google

re. Ita Salon. 2. 2. quæſt. 78. art. 3. Sot. lib. 6. q. 1. art. 4. Mol. d. 320. Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 3. & Sylueſt. verb. vſura 8. quæ. 9.

QVÆSTIO CVII.

An vxor, & filij vſurariorum nihil præter bona vſuraria, & reſtitutioni obnoxia habentium, poſſint ex huiuſmodi bonis ſibi victum capere?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione dico primò, quòd vxor, filij, & ſerui vſurarij non habentis niſi bona fœneratitia, & reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis vſurariis victum, & veſtitum capere. Ratio eſt, quia in tali neceſſitate aliena rapere licet. Nau. c. 17. nu. 268. Ban. 2. 2. quæſt. 78. art. 3. Caiet. in ſum. verb. reſt. Sylu. verb. vſura 8. quæſt. 2. & Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 3.

Secundò dico, quòd filij vſurarij non habentis alia bona præter ea quę reſtitutioni obnoxia ſunt, qui aliis inſeruiendo, vel proprio labore, & induſtria poſſunt victum ſibi commodè, & honeſtè parare, non poſſunt de bonis per vſuram acquiſitis victū quærere. Ratio eſt, quia eos ſuſtentare pater non tenetur. Ità Roder. par. 2. ſum. c. 160. num. 8. Rebell. lib. 8. quæſt. 16. ſect. 3. & Lop. lib. 2. cap. 81.

2 Tertiò dico, quòd vxor, & filij vſurarij extra caſum extremæ neceſſitatis non poſſunt ex bonis permanentibus per vſuram extortis, quorum dominium in vſurarium non tranſit, qualia ſunt pignora frugifera, victum quærere. Ratio eſt, quia cum tam dominium, quàm fructus huiuſmodi bonorum ſemper maneant apud mutuatarium, recipere illa, vel fructus eorum ab vſurario, perinde eſt, ac recipere furtiua à latrone, quod nulli licet extra extremam neceſſitatem, vt docet Nau. c. 17. nu. 268.

3 Quartò dico quòd vxor, & filij vſurarij, qui ſuo labore, ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarē vſurarij impotentis ſoluere vſuras, vel alia debita quantùm inſumunt, poſſunt licitè de bonis vſurariè acquiſitis decenter viuere iuxta ſtatum patris vſurarij. Ratio eſt, quia famuli, vt dictum eſt, ſeruitia conferentia ad tuenda, & conſeruanda, vel augenda bona vſurarij, vnde reſtituendæ ſunt vſuræ, impendentes, mercentur victum & mercedem, ergo filij, & vxor ſimilia ſeruitia vtilia exhibentes alimenta ſaltem merebuntur. Secùs eſt, ſi vxor, & filij aliundè ſibi victum quærere potentes, vſurario ſolùm ſeruiunt ad mentiam, vel, ad alias res inutiles, nihil vtilitatis rei familiari afferentes vt Mol. d. 330. Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 3. & Lop. lib. 2. c. 81.

4 Quintò dico, quòd vxor, & filij vſurarij, qui præter bona vſuraria, habent alia iuſto aliquo titulo acquiſita poſſunt ex illis victū quærere. Ratio eſt, quia vſurarius iure naturæ tenetur illos alere, quando commodè poteſt, poteſt autem commodè abſque iniuria creditorum, quando habet alia bona ſufficientia pro reſtituendis vſuris, cum propter huiuſmodi alimenta non reddatur impotens ad ſoluendum.

Sextò dico, quòd quando iuncta vſurarij bona ſunt per vſuram extorta, ſed incerta, quia eorum domini facta diligenti inquiſitione ignorantur, poſſunt vxor, & filij tanquàm pauperes ex illis, etiam inconſulto Epiſcopo, alimentari iuxta Lop. l. 2. c. 81. Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. & alios.

Septimò dico, quòd poſſunt vxor, & filij ex rebus vſurariè acquiſitis alimenta neceſſaria accipere, quando ſua admonitione, vel correctione conantur continuo perſuadere vſurario, vt bona illa per vſuras extorta reſtituat. Ratio eſt, quia in hoc caſu agunt negotium creditorum, & illorum vtilitati proſpiciunt, quo nomine iuſtè illis debetur tale ſtipendium, cenſendique ſunt creditores in illud conſentire. Ita Roder. p. 2. ſum. c. 106.

6 Octauò dico, quòd vxor, quæ competentem attulit dotem, ex bonis licitè ac quiſitis ab vſurario, obnoxiis tamen reſtitutioni, licitè poteſt pro ſe, & ſuis filiis etiamſi non extremè indigeant neceſſaria alimenta ſuſcipere, ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno, neque inducendi maritum ad reſtitutionem, neque cuſtodiendi, aut augendi per ſuum laborem bona mariti, vt poſſit reſtituere. Ratio eſt, quia ratione dotis acceptæ, vſurarius tantùm, vel magis obligatur ad alendam vxorem, & filios ſub ſua poteſtate conſtitutos, quam ad perſoluendas vſuras. Ita Mol. d. 330. & Nau. c. 17. nu. 268. & in hoc omnes Doctores conueniunt.

Digitized by Google

QVÆSTIO CVIII.

Verum dubiæ quæstionis est, quando vxor non attulit dotem, nec ipsa aut filij sua industria, vel labore conseruant, vel augent bona paterna. An tunc sine onere restituendi, possint ex bonis vsurarijs, aut licitè acquisitis, obnoxijs tamen restitutioni vsurarum, congruam sustentationem accipere?

1 NAuar. loco suprà citato videtur id affirmare ea ratione, quia tanto, & plus obligatur maritus ad vxorem liberósque iure naturali sustentandos, quàm ad vsuras restituendum.

2 E contrario Ban. 2. 2. q. 78. art. 3. Lop. lib. 2. c. 81. Sylvest. cum aliis sentiunt in hoc casu vxorem, & filios qui sua industria, & labore non gerunt vtiliter negotium creditorum, non posse ex pecuniis vsurariè acceptis, si alia eis non suppetunt bona, sibi victum capere, sine obligatione restituendi sic acceptum, cum fuerint sui iuris, & ad pinguiorem fortunam venerint. Ratio est, quia non est rationi consentaneum de re aliena, cum iactura Domini, sine intentione restituendi etiam in graui necessitate velle victum sibi capere.

Tum quia vxor, & filij non debent esse melioris conditionis, quàm pater, at ipse pater in casu grauis necessitatis potest ex bonis restitutioni obnoxiis sibi subuenire, non tamen sine obligatione restituendi, cum primùm commodè potuerit, ergo etiam tenebuntur similiter filij, & vxor id quod consumpserunt, etiam de licitè acquisitis, obnoxiis tamen restitutioni, pro sua necessaria sustentatione.

3 Nonò dico, quòd vxores, & liberi constituti sub aliena potestate, qui etiam extra casum extremæ necessitatis, de rebus alienis, vel restitutioni obnoxiis viuunt decenter tamen, iuxta statum suum, non peccant saltem mortaliter, si id faciant cum timore Domini, & solùm pro necessariis sumant, cum animo restituendi, quando poterunt, & de hoc creditores debent esse rationabiliter contenti, quoniam si ipsi in tali reperirentur casu, vellent sibi sic fieri, sicque secum geri, ideò tales non videntur vti re aliena inuito domino secundùm ordinem rationis. Ita Lop. lib. 2. c. 81.

4 Decimò, & vlt. dico, quòd Gener ducens filiam vsurarij non habentis alia bona præter restitutioni obnoxia, accepit in dotem, bona vsuraria, vel licitè acquisita, restitutioni tamen obnoxia, sciens, vel debens scire, propter talem acceptionem dotis suum socerum fieri impotentem ad soluendas vsuras, tenetur creditoribus restituere, quod in dotem accepit. Secùs si bona fide accipiat dotem, nesciens talis vsurarij impotentiam, tunc enim nec ratione iniustæ acceptionis tenetur vt patet, nec ratione rei acceptæ, si Dominus fiat traditæ dotis. Ita tenent Reb. lib. 8. q. 16. sect. 3. & Lop. lib. 2. c. 81. vbi citat pro hac opinione Nau. in tract. de redditibus. Quam sententiam arbitror esse veram, quando illa bona non erant in se vsuraria, sed alias licitè acquisita, licèt restitutioni obnoxia.

QVÆSTIO CIX.

Ad quid teneatur vsurarius?

1 REspondeo ad multa. Primò tenetur restituere quidquid per vsuram vltra sortem extorsit.

Secundò tenetur restituere omne damnum, quod mutuatario emergit ob solutionem vsuræ, vt quia vilius vendidit rem suam, vel accepit pecunias sub vsuris, vt restitueret vsurario vsuras.

Tertiò tenetur, deductis expensis, omnes fructus rei fructiferæ perceptos restituere.

2 Quartò tenetur restituere fructus, quos sua culpa non percepit, quia per hanc negligentiam suam læsit eum à quo rem fructiferam per vsuram extorsit, & sibi imputare debet, quòd fructus non perceperit.

QVÆSTIO CX.

Dices, an vsurarius teneatur restituere fructus perceptos, quos tamen Dominus rei ob negligentiam suam, vel casum fortuitum non fuisset alioqui percepturus?

1 REsp. teneri. Ratio est, quia satis est, quòd sint fructus rei alienæ.

QVÆSTIO CXI.

Dices etiam, An vsurarius teneatur restituere fructus, quos culpa sua desit percipere, quos tamen

Digitized by Google

tamen mutuatarius etiam non percepiſſet?

1 RESP. non teneri. Ratio eſt, quia tunc nec ratione rei acceptæ, tenebitur, ſi quidem fructuum nihil ex illis recepit, nec ratione iniuſtæ acceptionis, damniue inde ſubſequuti, cum nullum intulerit vſurarius, poſito quòd nullos dominus rei erat percepturus. Ita Rebel. lib. 8. qu. 15.

Quintò, & vltimò, vſurarius tenetur hæc omnia reſtituere mutuatariis, à quibus vſuras extorſit, quod ſi mortui ſint, eorum hæredibus, & his deficientibus, pauperibus reſtituere oportet. Quod eſt verum etiamſi ille qui ſoluit vſuras, habeat animum trãſferendi dominium, quia realiter, & verè hæc voluntas eſt coacta, & violenta, & ideò non eſt ſufficiens ad tranſlationem dominij.

QVÆST. CXII.

Vtrùm hæredes vſurarij teneantur ad vſurarum reſtitutionem?

1 RESPONDEO teneri. Ratio eſt, quia hæredes ſuccedunt loco defuncti, cuius hæreditatem acceperunt; ſed defunctus vſurarius tenebatur ex ſuis bonis etiam iuſtè acquiſitis, quando alia non ſuppetunt omnes vſuras reſtituere ergo tenentur ſimiliter hæredes.

Confirmatur, bona defuncti tranſeunt ad hæredes cum onere, & hæredes ſicut defuncto in bonis ita & in oneribus, & obligationibus ſuccedunt. Et eſt concluſio definita in cap. Tua nos de vſuris.

QVÆST. CXIII.

An hæredes teneantur ad reſtitutionem vſurarum vltra vires, & facultates hæreditatis, quam acceperunt?

1 RESP. ſi debita vſurarij excedant totam hæreditatem, hæredes in foro conſcientiæ non tenentur ſoluere omnes vſuras, ſed iuxta facultates ſibi à defuncto relictas. At verò in foro externo qui hæreditatem acceptant cum beneficio inuentarij non obligantur ad ſoluendas vſuras, niſi quantum hæreditas ſe extendit. Quòd ſi abſolutè illam recipiant ſine beneficio inuentarij, coguntur ex bonis propriis ſoluere omnes vſuras, & debita defuncti, etiam ſi excedant hæreditatem. Nihilominus ſi reuerà defunctus non tanta relinquit, quanta ſunt debita, hæredes in foro conſcientiæ, licèt non confecerint inuẽtarium, non tenentur ampliùs reddere creditoribus, quàm acceperunt, quia Lex, quæ nititur alicui præſumptioni, ceſſante illa non obligat in conſcientia. Ita Tolet. lib. 5. cap. 35. Aragon. 22. qu. 78. art. 3. Couar. lib. 3. var. reſol. cap. 3. num. 8. Ban. 2. 2. q. 78. art. 3. & alij à quibus ſine firma ratione recedit Molina tom 2. de contr. diſp. 332.

QVÆST. CXIV.

An ſi duo ſint vſurarij hæredes, quorum vnus aut nolit, aut non poſſit, ſoluere, alter verò poſſit teneatur is qui potens eſt, integrum reſtituere?

1 HANC quæſtionem celebrem inter Canoniſtas, & Theologos diſputat egregiè Illuſtriſſ. Caiet. tom. 2. Opuſc. 8. de vſur. q. 5. vbi refert ſententiam veterũ Canoniſtarum aſſerẽtium vnumquemque hæredem teneri in ſolidum ad ſoluendas omnes vſuras, alio non ſoluente, quatenus tamen vires hæreditatis adeptæ patiuntur. Quod & ſenſit D. Nauar. in Man. c. 17. nu. 278. ibi enim ſic ait: Si quis eorum hæredum non habet, vnde reſtituat, alius ad id pro ſuæ hæreditatis parte, quantum feret, obligabitur. Quaſi dicat, non ſolùm pro rata, ſed quantùm feret, id eſt quantùm pars à ſe lata adæquauerit ad debitum, vel partem debiti.

2 Ex quo infert, etiam legatarios, & donatarios, qui gratuito aliqua acceperunt ab vſurario, teneri reſtituere, ſi quæ obuenerunt ad hæredes, non ſufficiant, quatenus facti ſunt locupletiores, fundamentum huius opinionis eſt, quia omnia bona defuncti etiam licitè acquiſita ſunt obligata pro vſuris; & ſucceſſio non potuit tollere iſtam præcedentem obligationem.

Tum quia hæres quilibet ſuccedit loco defuncti: ſed defunctus tenebatur omnia debita perſoluere, & omnia illius bona ad ea ſoluenda tenebantur, ſaltem obligatione perſonali, ergò hæres quilibet tenebitur in ſolidum omnia debita perſoluere, ſi non excedant partem hæreditatis ſibi obuenientem.

Sylueſt. verb. vſura 6. qu. 10. irreſolutam videtur relinquere quæſtionem, tantùm con

contentus dixiſſe, iuxta veteres Canoniſtas tenentes omnia bona vſurarij eſſe tacitè hypothecata vſuris teneri alteri hæredem in integrum; ſecundùm verò iuniores Canoniſtas tenentes non omnia eſſe hypothecata de rigore iuris, alterum non teneri, niſi pro rata.

3 At verò Caiet. loco citato, Sotus lib. 6. q. 2. art. 4. Arag. 2. 2. q. 78. art. 3. Tolet. lib. 5. c. 35. Ban. 2. 2. q. 78. art. 3. Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 20. Salon. 2. 2. q. 78. art. 3. Molina 332. Medina de vſura q. 4. ad 5. & Rebel. lib. 8. qu. 16. ſect. 2. aſſerunt alterum hæredem non teneri ad reſtituendum in ſolidum, ſed ſecundùm portionem tantùm, & partem hæreditatis quàm recepit.

4 Pro deciſione tamen dico primò, quòd ſi res accepta per vſuram à defuncto, adhuc in ſpecie extat vt domus, fundus, & ſimilia, tunc hæres cui in partem hæreditatis res illa ſucceſſit, tenetur in integrum illam reſtituere mutuatario. Ratio eſt, quia huiuſmodi res erat obligata obligatione reali, quæ comitatur rem apud quemcunque exiſtat, ſiue apud vſurarium, ſiue apud hæredes, ſiue apud eos quia ab vſurario, vel eius hæredibus emit. Hic autem qui reddit, ab aliis cohæredibus poteſt exigere partes ſuas, ſi minor pars ab eo erat reſtituenda, vt ſic ſeruetur æqualitas, aliter ſolus ille qui hæreditaret rem permanentè grauaretur, quòd eſt iniquum. Ita Arag. Ban. Salon. Tolet. Leſſ. & alij vbi ſup.

5 Secundò dico, quòd ſi nihil iſtorum bonorum, quæ in ſe fuerunt vſuraria iam ſuperſit, tunc hæredes ex aliis legitimis bonis, vel emptis pecunia vſuraria, nõ tenentur in ſolidum, nec alter pro altero, ſi alter nolit ſoluere, vel non ſit ſoluendo, ſed ſinguli tantummodò pro ſua parte iuxta vires hæreditatis. Ratio eſt; quia hæredes non alia ratione ſuccedunt in obligatione reſtituendi vſuras defuncti quàm ratione hæreditatis acceptæ: at non ſuccedunt ſinguli eorum in tota hæreditate, ſed in parte tantùm, ergo neque ſuccedunt in obligatione reſtituendi omnes vſuras, ſed tantùm partem illarum iuxta diuiſionem bonorũ defuncti: atq; adeò maior, vel minor obligatio tranſibit ad illum, qui in maiori, vel minori parte bonorum ſucceſſit.

Deinde, hæredes ſolùm tenentur reſtituere vſuras ratione obligationis perſonalis ipſius defuncti, ſed obligatio perſonalis defuncti diuiditur per ſingulos hæredes iuxta ſingulas portiones hæreditatis, ergo iuxta illas tenebuntur ſoluere vſuras. Maior per ſe conſtat. Minor verò probatur, quia ſinguli hæredes non ſuccedunt, repræſentantes totam perſonam defuncti, ſed partialiter, collectiuè verò repræſentant totam perſonam.

Demùm, hæredes vſurarij non tenentur reſtituere vſuras defuncti ratione iniuſtæ acceptionis, ſed ſolùm ratione rei acceptæ; ſed ſinguli acceperunt duntaxat ſuas portiones, ergo tantùm tenebuntur vſuras reſtituere ſecundùm proportionem illius partis, quàm hæreditate acceperunt. Ita Caiet. Sot. Ban. & alij ſuprà.

6 Tertiò dico quod etiam ſi omnes hæredes vſurarij nolint reſtituere, vel iam non ſint ſoluendo debita vſuraria, quia omnia conſumpſerunt, tamen donatarij, & legatarij non tenentur ad reſtitutionem, ſi illa, quæ hæredibus relicta ſunt, ſufficiant ad ſoluẽdas vſuras. Ratio eſt, quia onera debitorum defuncti non tranſeunt ad legatarios, & donatarios, ſed ad hæredes, qui ſubſtituuntur in locum defuncti, illumque repræſentant.

Dixi notanter (ſi illa quæ hæredibus relicta ſunt ſufficiant) quia ſi bona hæredibus titulo hæreditatis cum oneribus defuncti relicta non ſufficiant, vt ipſi ſolutis debitis habeant ſuam legitimam, tunc legatarij, & donatarij, quibus aliquid cauſa mortis donatum eſt, tenentur contribuere, ſeruata proportione, vt ſolutis debitis legitimam ſibi debitam obtineant. Ita Mol. diſp. 332. & Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 20.

7 Arbitror eiuſmodi opiniones hac ratione poſſe conciliari, ſi dicamus, opinionem Caiet. Sot. Tolet. Ban. &c. eſſe veram, in caſu quo aliis cohæredes poſſunt pro rata reſtituere, ſed nolunt, quia tunc cum via iuridica mutuatarius poſſit ab omnibus cohæredibus vſuras pro rata recuperare, ratio exigit, vt vnus ſolus (etiamſi alij nolint ſuas partes ſoluere) vltra ratam non cogatur reſtituere, quia malitia nolentium ſoluere, alteri nocere non debet.

Opinionem verò veterum Canoniſtarum, & Nauar. poſſe defendi, quando alij cohæredes ſunt impotentes ad ſoluendum, quia tunc rationi magis conſentaneum eſt vt iſte qui ſolùm poteſt ſoluere, ſoluat, vt reſtituat integrè partem totam, ſi neceſſa-

Digitized by Google

ria ſit pro ſoluendis vſuris tota. Alij tamen manebunt obligati ad recompenſandum ſibi eam partem, quam vltra ratam ſoluit. quia alij non fuerunt pro tunc ſoluendo.

QVÆSTIO XCV.

An vſurariorum cooperatores, & coadiutores ad aliquam reſtitutionem teneantur?

1 IN qua re conuenit inter Iuriſtas & Theologos, eos omnes qui cooperãtur ad vſuras, agentes partes mutuatarij petentis mutuum, non teneri ad reſtitutionem, quales ſunt illi, quos precibus mutuatarius inducit, vt ipſi petant ab vſurario mutuum ſub vſuris. Ratio eſt, quia mutuatarius non peccat contra iuſtitiam, ſic nec qui partes ipſius agunt, vnde a reſtitutione deobligantur, ſcienti enim & volenti non fit iniuria.

Tum quia iſti non concurrunt efficaciter ad damnum vſuræ, etiamſi videantur cooperari, ſed ad ſolam acceptionem pecuniæ, quod eſt quid materiale, & neceſſarium ad redimendam vexationem & neceſſitatem mutuatarij. Tamen ſi incurrere poſſint lethale peccatum ſcandali, vſuram ſuadẽdo, ad eamque vſurariũ incitãdo.

Quæſtio igitur eſt de his, qui agunt partes vſurarij. An videlicet qui conſulunt, vel ſuadent vſurario, vt mutuet ſub vſuris, teneantur ad reſtitutionem?

1 Ang. verb. reſtitutio 1. n. 4. Sylu. verb. vſura 7. q. 2. Gab. in 4. diſt. 15. q. 11. art. 2. Med. de vſura quæſt. 4. & alij nonnulli damnant hos de mortali, ſed non obligant ad reſtitutionem, ſi nihil ad ipſos ex lucro vſurario peruenit. Ratio eorum eſt, quia hi non præbent occaſionem efficacem dãni, ſi quidem adhuc poteſt vſurarius ab exigenda vſura deſiſtere, & mutuatarius ſe defendere.

Sot. tamen lib. 6. q. 1. ar. 4. Nauar. cap. 17. num. 217. Rebell. lib. 8. q. 16. ſect. 4. & plerique alij hos ad reſtituendum in ſolidum obligant, etiamſi nihil de vſuris ad ipſos peruenerit. Ratio huius eſt, quia vt quis reſtituere teneatur tanquam cooperans ad iniuſtitiam, ſatis eſt, ſi inde effectus ſequatur cauſæ partialitate, eſtò effectus ab aliis cauſis liberis intermediis pendeat.

Nobis verò ſub hac diſtinctione videtur reſpondendum Vnde dico primò, quòd qui conſulit, vel ſuadet vt mutuans contractum vſurarium celebret, vel vt mutuet ſub vſuris, in ſolidum ad reſtitutionem tenetur in defectum vſurarij. Ratio eſt, quia eius conſilium eſt cauſa efficax damni.

2 Secundò dico quòd qui poſt celebratum contractum vſurarium, vel datam pecuniam ſub vſuris, conſulit, vel ſuadet vſurario, vt vſuras ſibi ex pacto promiſſas recipiat, ad nullam reſtitutionem obligatur. Et ratio eſt, quia ante tale conſilium iam erat damnum illatum, nec ſuo conſilio aliquid fecit ad vſuras acquirendas, & licèt ille potuerit impedire receptionem vſuræ, non tenetur tamen ex officio, ſed ſolùm lege charitatis, ex cuius violatione nulla obligatio reſtitutionis inſurgit.

3 Hinc, Domini temporales. Iudices, Aduocati, Procuratores, Teſtes, & quiuis alij qui ſua authoritate, præcepto, ſtatuto, lege, ſententia, patrocinio, aut quouis alio modo mutuatarium ad ſoluẽdas vſuras, vel eas repetentes ab vſurariis damnant, non ſolùm peccãt mortaliter, ſed ad reſtituẽdas vſuras tenentur, quarum fuerunt concauſæ, ſi vſurarij, ad quos vſuræ peruenerunt non reſtituant, reſtituentibus tamen cooperatoribus, vſurarij ipſi pro reſtitutione illis facienda obnoxij remanent, quoniam hi omnes verè ſunt cauſa efficax iniuſtitiæ, ac damni mutuatarij ſequuti. Ita Molina diſp. 331. Valen. p. 3. d. 5. q. 21. p. 3. Nau. c. 17. nu. 275. & Sylueſt. verb. vſura 7. q. 10.

Illud tamen nota, quòd Iudices, & Principes tẽporales, qui ſuis præceptis vel ſententiis compellunt mutuatarios ad ſoluendas vſuras, vel decernunt vt ſolutæ non repetantur, ſunt ipſo facto excommunicati, vt habetur in Clemen. vnica de vſuris. Secùs eſt, ſi vſurarios ſolùm in Republica permittant ad maiora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes, tunc enim non cenſerentur vſurarum cauſa.

QVÆSTIO XCVI.

An Notarius qui inſtrumentum vſurarium conficit, peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quod Notarius qui fideliter conficit inſtrumentũ vſurarium, fideliterque dicit totum id quod verſatur inter contrahentes, ad nullam tenetur reſtitutionem, ſed ſui operis mercedem iuſtã recipere poteſt. Ratio eſt, quia vi huius inſtrumenti mutuatarius nõ

poteſt

Digitized by Google

poteſt cogi in iudicio ad reſtituendas vſuras, quin potiùs liberabitur ab ea vi,& fauore illius inſtrumenti continentis vſuram manifeſtam.Ita Molina diſp.331.Val.tom.3. diſp.5.quæſt.21.p.3.Ban. 2.2.quæ. 78.art.3.& Roder.p. 2.ſum.cap. 106.num.7.

Secundò dico,quòd Notarius qui conficit inſtrumentum ſimulatum de induſtria, occultando vſuram in fauorem vſurarij, vel ob ſuã vtilitatem, vt ſi res verè pignoretur,ſcribit eam vendi,vel pro centum,ſcribit,centum & decem, vel è contra tenetur ad reſtitutionem vſurarum. Ratio eſt,quia effectiuè concurrit ad exactionem vſurarum & damnum illud, cum virtute talis inſtrumenti exigatur poſteà, & ſoluatur vſura.Ita Ara 3.2.2.q.78.art.3 Med. de vſura quæ.4.Salon. 2.2.q.78. artic.3. Molina diſp. 331. & plerique alij.

Tertiò dico,quòd Notarius qui in Prouinciis,in quibus mutuatarij coguntur ſoluere vſuras, conficit ſcripturam continentem manifeſtam vſuram, tenetur ad reſtitutionem vſurarum. Ratio eſt, quia in huiuſmodi locis Notarius iſte ratione ſui inſtrumenti, eſt cauſa moralis,cur vſura ſoluatur,vel ſoluta non repetatur.Ita Valent. tom.3.diſp.6. q.21.p.3.Ban.2.2.qu.78.artic.3. Molina diſp.331. & Aragon. 2.2. q.78. art.3.

3 Quartò dico, quòd Notarius qui conficit inſtrumentum vſurarium, in quo vſura non exprimitur, ſed palliatur in fauorem tantùm mutuatarij petentis mutuò pecunias,non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi vi illius inſtrumenti vſura ſoluatur. Ratio eſt, quia tunc non eſt cooperator vſurarij, cum non ſit inductus ab ipſo, nec negotium illius agat, ſed cooperator potiùs eſt mutuatarij,agens negotium eius,vt liberetur ab alia neceſſitate.

Tum quia ſcienti, & conſentienti ſine vlla vi, vel fraude non fit iniuria. Ita Sot. lib.6.q.1.art.4.Nauar.cap.27 nu.276. Rebel. lib.8.qu.16.ſect.4.& Valent.tom.3.diſp.5.q. 21. p. 3. Hoc idem tenet Leſſ. lib.2. cap.20. dub. 21. vbi etiam addit, qualecunque inſtrumentum conficiat, ſi id faciat, volente mutuatario, non teneri ad reſtitutionem, quia non lædit inuitum. Rarò tamen vſu venit vt Notarius teneatur, quia non facit inſtrumentum, niſi volente mutuatario. Quod eſt valdè notandum.

4 Quintò dico, quòd Notarius qui bona fide conficit inſtrumentum, ignorans illud eſſe vſurarium, quia iudicat iuxta ea quæ in contrahentibus videt,eſſe iuſtum,& honeſtum, ſed reuerà eſt iniquum, & vſurarium,nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia Notarius tenetur ex officio præſtare fidem ſuam inſtrumentis ad quæ vocatur, niſi videat illa eſſe iniqua & vſuraria, in hoc autem caſu cum bona fide conficiat inſtrumentum, nullam intelligens iniquitatem,præſtat quòd ſui mũneris eſt ſine vlla fraude, vel dolo,ergo. Ita Ban.2.2.quæſt. 78.art.3.Molina diſp.331.Sot. lib.6.quæſt. 1.art.4. & Salon. 2.2. q.78.ar.3.

5 Sextò dico, quòd ſi Notarius conficiens inſtrumentum ſuſpicetur ibi latere vſuram vel aliam iniuſtitiam,tenetur illud indicare contrahentibus, & ſi ex narratione partium probabiliter colligat, ibi nullam eſſe vſuram, deponat dubium conficiatq; inſtrumentum: quod ſi ex qualitate contrahentium, & modo contractus prudenter dubitet de inſtrumento, an ſit vſurarium, vel iniuſtum, quidquid dicat Ban.2.2.q.78. art.3.non conficiat tale inſtrumentum,quia in re adeò prudenter dubia, non tenetur Notarius exercere ſuum officium in fauorem ciuium.

Septimò dico, quòd Notarius qui conficit inſtrumenta illicita, vel continentia vſuram apertam,vel palliatam in fauorem vſurarij,aut eius,qui indiget mutuo,eſt ſacrilegus, ac periurus. Ratio eſt, quia cum Notarii creantur iurant ſe non facturos inſtrumenta vſuraria, vel illicita. Vt rectè tradit Nauar.cap.23.num.52.

6 Octauò, & vltimò dico quòd Notarius qui cõficit inſtrumẽta vſuraria inter Chriſtianos,& Iudæos,nec peccat,nec ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia inſtrumẽta illa de ſe non dant cauſam exactioni, non repetitioni vſurarum, ſed ſunt veluti aut teſtimonium veritatis, niſi vbi fuerit conſuetudo,vel Lex,vt tales vſuræ ſoluantur,vel ſolutæ non repetantur.

Tum quia extat Bulla Iulij III. quæ incipit. Cum ſicut accepimus. Vbi dicitur, Notarios Chriſtianos abſque ſcrupulo cõſcientiæ,& incurſu pœnę poſſe inſtrumenta conficere in omnibus cõtractibus celebratis inter Chriſtianos, & Iudæos iuxta formulam capitulorum ipſorum toleratis & permiſſis. Ita Azor. pag. 3. inſtr. mor. lib.1. cap. 18.

7 Idem dicẽdum eſt de teſtibus,qui ſcienter

Digitized by Google

ter interueniunt contractui vsurario, ſicut dictum eſt in omnibus de Notariis, cum contractus huiuſmodi abſque teſtibus non valeant. Ita Nauar. c. 17. n. 277. Mol. diſp. 331. Ban. 2. 2. q. 78. art. 3. Sylu. verb. vſura 7. q. 9. & Arag. & Salon. 2. 2. qu. 78. art. 3.

QVÆST. CXVII.

An famuli vſurariorum ad aliquam reſtitutionem teneantur?

1 VT in hac quæſtione adeò difficili rectè progrediamur, ſeparemus priùs quæ certa ſunt apud omnes, & indubitata ab his quæ incerta ſunt, & dubia.

Primũ igitur illud certum eſt apud omnes famulos, & factores vſurariorum, qui eorum nomine, & authoritate faciunt cõtractus vſurarios, teneri in ſolidum poſt ipſos vſurarios ad reſtitutionẽ. Ratio enim eſt, quia eo ipſo quo vice, & authoritate ſuorum dominorum celebrant contractus vſurarios, concurrunt effectiuè ad vſuras.

2 Secundò etiam eſt certum, famulos vſurariorum, qui eorum nomine cogunt mutuatarios ad ſoluendas vſuras, habentes authoritatem ad compellendos illos corã Iudice, teneri in ſolidum eas reſtituere. Ratio eſt, quia hi verè dicuntur cauſa cooperans vſurarum, atque ex conſequenti tenebuntur, dominis non reſtituentibus, ipſi vſuras reſtituere.

Tertiò etiam eſt certum, famulos liberos eſſe à peccato, & ab obligatione reſtituendi ſi culpabiliter ignorent contractus illos eſſe vſurarios, & bona fide exequãtur imperia dominorum ſuorum, ſic enim agẽtes neque ratione rei acceptæ, cum nihil vſurarum ipſi acceperint, nec ratione iniuſtæ acceptionis cum bona fide illi contractui, vel exactioni interfuerint, ad aliquid obligantur.

3 Quartò etiam eſt certum, eos qui cooperantur ad vſuras gerentes tamen partes mutuatarij, quales ſunt illi, quos mutuatarius ſuis precibus inducit, vt nomine ſuo petant ab vſurario ſub vſuris, nec peccare, nec teneri ad aliquam reſtitutionem. Ratio eſt, quia cum partes agant mutuatarii, non ſunt cauſa moralis iniuſtæ acceptionis, magis quàm ipſe mutuatarius, qui patitur vſuras, qui nec peccat, nec aliquid reſtituere tenetur.

QVÆSTIO CXVIII.

Vtrùm tota controuerſia verſetur inter Doctores, de illis famulis, qui non cooperantur in vſurario contractu nec mutuatarios compellunt in Iudicio ad ſoluendas vſuras, ſed ſolùm ſeruiunt poſt factum vſurarium contractum, in chartis ſcribendo mutuum, quod datur, vel pignora: vel ſolum recipiunt vſuras, quas ſoluit mutuatarius, vel ſolùm ſine authoritate impulſiua petunt ſimpliciter à mutuatario lucrum, vel ſolùm ſeruant, aut numerant pecuniam in dando, vel accipiendo mutuo?

1 IN qua quæſtione Sot. lib. 6. qu. 1. art. 4. Aragon. 2. 2. qu. 78. art. 3. Sylueſt. verb. vſura 7. q. 4. Ban. 2. 2. qu. 78. art. 3. Tolet. lib. 5. c. 35. Leſſ. lib. 2. ca. 20. dub. 21. Lop. lib. 2. c. 82. & multi alij docent iſtos famulos nec peccare, nec ad reſtitutionem teneri, quia nihil cooperantur in contractu vſurario.

At verò Nauar. cap. 17. nu. 267. Molina tom. 2. de contr. d. 331. Angles in Flor. 4. ſent. in materia de vſuris, & plerique alii tenent huiuſmodi famulos peccare, & ad reſtitutionem teneri, etiamſi nihil ex vſuris ad ipſos peruenerit. Et probant, quia verè ſunt concauſæ vſurarii effectus.

2 Ex his opinionibus, prima verior, & probabilior multò eſt, & magis recepta tam inter Doctores, quã in Scholis, quàm rectè & efficaciter probat ratio Soti, quia iſti non ſunt propriè cauſæ efficaces, aut morales accipiẽdi vſuras, neque aliquid actiuitatis influunt ad exactionem vſurarum, ſed ſolùm materialiter ſe habent in iſtis actibus reſpectu exactionis vſurariæ.

QVÆSTIO CXIX.

Grauc hinc oritur dubium. An in Regionibus vbi vſuræ permittuntur, & libri rationum dati, & accepti vſurariorum fidem faciunt, famuli Amanuenſes qui in dictis libris ſcribunt contractus omnes, quos exercent ſuorum dominorum, & quidquid alijs conferunt, vel ab alijs recipiunt, teneantur in ſolidum ad reſtitutionem vſurarum?

1 RESP. teneri. Ratio eſt, quia cum huiuſmodi libri in iudicio eam habeant vim, quàm inſtrumenta Notariorum videntur concurrere effectiuè ad damnum

Digitized by Google

vſurarium, vbi verò non ſoluuntur vſuræ, & libri illi non faciunt fidem in iudicio contra mutuatarium, ad nihil tenentur reſtituere, quia ex vi talium ſcripturarum non compelluntur mutuatarii ad ſoluendas vſuras.

2 Ex qua doctrina colligitur, proxenetas, ſeu internuncios qui diſcurrunt inquirentes mutuatarios, qui ad vſuras mutuum accipiant, & ipſi firmant pacta, & conuentiones inter vſurarium, & indigentem pecunia, teneri ad reſtitutionem. Ratio, eſt, quia hi verè cooperantur ad iniuſtum effectum. Ita Aragon. 2.2. qu. 78. art. 3. Tolet. lib. 5. cap. 36. Ban. 2.2. q. 78. art. 3. Rebel. lib. 8. q. 16. ſect. 4. Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 21. Nauar. cap. 17. nu. 67. & Sotus lib. 6. qu. 1. art. 4. Quamuis Sylueſt. verb. vſura 7. q. 3. contradicat, dicit enim ſi ſolùm concurrant vt vſurarius mutuet ſub vſuris, non obligantur, ſi verò concurrant ad hoc vt vſuras exigat, obligantur, quia in dando mutuum ſub vſuris, non damnificatur proximus, ſed in exigendo illas. Cuius diſtinctio (pace tanti viri ſit dictum) mihi non placet, quia idem videtur concurrere ad dandum ad vſuram, & exigendum : nam ſi dat, planum eſt, quòd exiget.

3 Dixi notanter (qui firmant pacta) nam ſecundùm Toletum, & Leſſium locis citatis, ſi nullum faciunt pactum inter mutuãtem, & mutuatarium, ſed ſolùm quærunt eos qui pecunia egent, & adducunt ad vſurarium, non videntur obligari, quia hi potiùs beneficium præſtant, quàm iniuriam inferunt.

QVÆST. CXX.

An prædicti Miniſtri, caſu quo tenentur vſuras reſtituere, quia executores fuerunt contractus vſurarij, magis ſint obligati ad reſtituendas vſuras, quàm Domini iubentes?

1 NAuar. cap. 17. num. 167. tenet magis obligari.

Sed hæc opin. Nauar. (pace tanti docti & de omnibus ſtudioſis adeo benè meriti dixerim) non mihi ſatisfacit, ſed oppoſita Soti lib. 6. q. 1. art. 4. Et ratio eſt, quia domini iubentes, & ratione iniuſtè acceptionis quia iniuſtè acceperunt vſuras, & ratione rei acceptæ, quia eas apud ſe retinent eas reſtituere tenentur, ergo magis ſunt obligati ad eas reſtituendas quàm miniſtri, qui nihil inde ſibi perceperunt, ſolùm ratione iniuſtæ acceptionis tenentur.

QVÆST. CXXI.

An confeſſarius non monens vſurarium ad reſtitutionem, teneatur loco illius reſtituere?

1 NAuar. in Man. ca. 17. nu. 21. Ang. verb. reſt. vlt. q. 5. Roſel. eod. verb. 2. nu. 5. Sylueſt. ibid. 3. qu 7. & Petr. Nauar. lib. 3. de reſt. nu. 124. affirmant eum teneri in ſolidum ad reſtitutionem, ſi ex ignorantia negligentia, vel lata culpa non monet pœnitentem vſurarium vt reſtituat.

Aliorum tamen opinio eſt, non teneri. Pro quo.

Dico primò, quòd confeſſarius qui ex malitia, vel lata culpa omittit admonere pœnitentem vt reſtituat, quòd tenetur reſtituere, peccat mortaliter. Ratio eſt quia agit contra charitatem proximo debitam, iuxta illud Eccle. 17. vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo; qui autem agit contra charitatem, peccat mortaliter.

2 Secundò dico, quòd confeſſarius qui interrogatus, vel non interrogatus : verbis ſuis eſt cauſa, vt pœnitens non reſtituat vſuras quas debet reſtituere, tenetur reſtituere loco pœnitentis. Ratio eſt, quia in hoc caſu ſe habet, vt conſulens, vel inducens alium ad non reſtituendas vſuras. Ita Rebel. p. 2. de oblig. lib. 2. quæſt. 14. ſect. 8. & Leſſ. lib. 2. ca. 7. dub. 7.

Tertiò dico, quòd confeſſarius qui ex incogitantia, aut ex ignorantia non craſſa, non monet pœnitentẽ, vt reſtituat, ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia cum confeſſarius gratia tantum pœnitentis audiat confeſſionem, non tenetur niſi de lata culpa, vt docet Nauar. cap. 17. num. 22.

Quartò, & vltimò dico, quod confeſſarius, qui ex malitia, vel lata culpa, ſeu craſſa ignorantia definit admonere pœnitentem de vſuris reſtituendis, non tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia confeſſarius non tenetur ex officio conſulere bono tertij, ſed ſolùm ex officio tenetur conſulere bono pœnitentis, & lege ſola charitatis tenetur bonum tertij procurare Quod ſi id negligat, ſolùm peccat contra charitatem, ac proindè mortaliter. Ita Rebel. lib. 2. q. 14. ſect. 8. & Leſſ. lib. 2. c. 7. dub. 7.

QVÆSTIO CXXII.

An qui deponit apud aliquem pecunias, quibus ſcit ipſum fœneraturum, peccet, & ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 IN qua re, in primis conuenit inter omnes, eum qui committit rem aliquam cuſtodiendam cuſtodi, quem ſcit eſſe infidelem, vt ſi committat pecuniam furi, & cibum guloſo, regulariter peccare, quia cooperatur peccato, quod prudenter metuere tenetur.

Secundò conuenit, vſurarium, qui pecuniam, quam habet in depoſito inconſulto domino mutuat ad vſuram, duo peccata committere, vnum infidelitatis, eo quòd diſtrahit depoſitum ſine voluntate domini. Alterum iniuſtitiæ, contra mutuatarium, cum quo exercet vſuram.

2 Tertiò conuenit, eum qui deponit pecunias apud vſurarium nullas alias habentem præter illas, peccare peccato diſtractionis, & infidelitatis. Ratio eſt, quia dat illi materiam infidelitatis.

Quartò, & vlt. conuenit, eum qui deponit pecuniam apud vſurarium, qui habet aliàs, vnde vſuras exerceat, redderéque poſſit depoſitum tempore debito, nec etiam peccare peccato diſtractionis.

QVÆST. CXXIII.

Tota igitur difficultas conſiſtit in hoc. An deponens pecuniam apud vſurarium non habentem aliam pecuniam, peccet etiam peccato contra iuſtitiam participando cum vſurario in peccato vſuræ?

1 SOtus lib. de iuſt. q. 1. art. 5. affirmat hunc peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtituendas omnes vſuras, quas vſurarius ille extorquet à mutuatariis cum illis pecuniis. Ratio ipſius eſt, quia qui deponit gladium apud furioſum, quem præuidet aliquem occiſurum, peccat peccatum homicidij, cuius nulla alia ratio eſt, niſi quia præbuit materiam peccandi, & occaſionem inferendi damnum proximo, ſed qui committit pecuniam vſurario, quem nouit paratum ad fœnerandum, offert illi occaſionem proximam fœnerandi, ergo peccat peccato vſuræ, & tenetur ad reſtitutionem damni ſubſecuti.

Deinde qui reddit gladium apud ſe depoſitum domino volenti cum illo inferre damnum peccat contra iuſtitiam, tenetúrque ad reſtitutionem illius damni: ergo multò magis peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem qui deponit proprias pecunias apud vſurarium, quem ſcit vſurum illis ad extorquendas vſuras à mutuatariis.

2 Caiet. verò 2.2.q.78.art. 4. negat. Ratio eius eſt, quia qui petit mutuum ab vſurario, non peccat peccato vſuræ, ergo nec qui deponit pecuniam apud eundem. Probatur conſequentia, quia præbere materiam peccandi, non eſt peccatum, niſi ſimul qui talem materiam præbet peccato cooperetur, vt patet in eo qui incidens in latrones pecunias diripiendas manifeſtat, vt habetur Hier. 41. exemplo decem virorum, qui ad Iſmaël dixerunt. Noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro.

Si contra hoc obiicies D. Tho. 2.2. q. 78. art. 4. ad 3. dicentem, qui deponit pecunias apud vſurarium, fit particeps culpæ vſurarij.

Reſp. Caiet. D. Thom. eſſe intelligendum de peccato diſtractionis, & non de peccato vſuræ.

At ego ſatiùs duco in hac quæſtione fore per diſtinctionem reſpondendum hoc pacto. Si is qui pecuniam apud vſurarium deponit, ob aliquam neceſſitatem ſuam id facit, nec peccat nec ad aliquam reſtitutionem obligatur, quia vtitur iure ſuo; ſi verò abſque vlla neceſſitate, vel vtilitate deponit, peccat, quia occaſionem fœnerãdi præbet: ſed quia hoc peccatum non eſt contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, quia non tenetur ex officio impedire vſuras, fit vt ad nullam reſtitutionem teneatur, vt rectè docet Mol. d. 331. & Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 21.

QVÆSTIO CXXIV.

An liceat mutuum ſub vſuris petere vel accipere ab vſurario parato exercere omnem vſuram?

1 IN qua re, conuenit inter omnes, fas eſſe accipere mutuum ſub vſuris ab eo qui paratus eſt exercere omnem vſuram, modò accipiatur illud propter ali-

quod bonum; nempe ſubuentionem propriæ neceſſitatis, vel alterius. Ratio eſt, quia qui in hoc caſu accipit mutuum ab vſurario parato, non inducit illum ad fœnerandum, ſed qui vtitur malitia illius ad bonum, exemplo Dei, qui vtitur peccatis hominum ad aliquod bonum.

QVÆST. CXXV.

An liceat mutuum ſub vſuris petere vel accipere ab vſurario parato exercere omnem vſuram?

1 D. Tho.2.2.q.78.art.4. & Caiet. ibid. & in opuſc.17.reſp. 14. quæſtiunc. 3.Sot.lib.6.q.1.art.5.Nauarr.c.17. num. 262. Conrad.de contr. q. 47. & plerique alij ex Thomiſtis negant ex eo, quòd dare ſub vſuris eſt peccatum mortale omni iure prohibitum, nulli autem licet inducere fratrem ad peccatum aliquod mortale committendum.

2 Alij verò vt Palud.in 3.d. 37. qu. 2.Duran.ibidem quæ.7.D.Anton.2. p. tom.1.c.9. §. 1. & Melchior Cano tenent ab vſurario parato, quem certum eſt nullo modo aliter mutuaturum, poſſe petere mutuum ſub vſuris, ſtantibus duabus conditionibus. Quarum prima eſt, vt mutuatarius non habeat alium, qui velit ei mutuare ſine vſuris. Altera eſt, vt nullam habeat complacentiam peccati illius vſurarij, quia potiùs optaret gratis ſibi illam mutuare.

3 Hæ duæ opiniones conciliari facilè poſſunt. ita vt prima ſit vera, ſi inductio illa accipiatur formaliter, & per ſe loquendo ſecundùm ſignificationem verborum. Probatur, non licet petere, ab aliquo id quod eſt intrinſecè malum, ſed dare mutuum ſub vſuris eſt intrinſecè malum, ergo non licet illud petere.

Deinde, quod licitum eſt petere, licitum eſt appetere, & deſiderare vt fiat, & complacere ſi fiat, ſed non eſt licitum eſt appetere vt alius det mutuum ſub vſuris, ergo neque petere.

Demùm, non licet petere ab aliquo, quod ille abſque peccato facere non poteſt, ſed vſurarius non poteſt abſque peccato dare mutuum ſub vſuris, ergo neque licet ab eo illud ita petere.

4 Secunda verò, quæ eſt Palud. ſit vera, ſi verba petitionis verè non tam habeant vim petendi, quàm exponendi ſolùm quid is qui videtur petere ſit facturus, ſi alter velit etiam ex ſua parte facere (quantumuis cum peccato) quod ad illum pertinet. Vt ſi quis vſurario parato dicat, da mihi mutuum, etiam ſi debeas petere vſuram. Ratio huius eſt, quia intentio petentis non habet pro obiecto actionem dantis mutuum ſub vſuris, quatenùs ab illo procedit, ſed paſſionem ipſius recipientis mutuum ſub vſuris, quæ quidem paſſio bona eſt: eſt enim ſenſus illorum verborum attentis neceſſitate ipſius, & iniquitate alterius, da mihi mutuum, quod deberes gratis dare, ſed quia ſcio te non mutuaturum gratis, ſed cum hoc damno, vt ſoluam vſuras, paratus ſum illud ſuſtinere.

Exemplum huius habemus apud Gen. 25. quando Iacob dixit fratri ſuo Eſau, vende mihi primogenita: vbi licet prima fronte videatur petere aliquid ſimoniacum, quia primogenita habebant Sacerdotium annexum, reuera tamen non petit niſi ſolam redemptionem ſuæ vexationis, quia moraliter eſt, ac ſi diceret, da mihi gratis primogenita, quæ mea ſunt, & mihi de iure debentur, ſecùdùm quod ſcriptum eſt, Maior ſeruiet minori, ſed quia ſcio certò experientia teſte, te non daturum mihi gratis, paratus ſum accipere illa cum damno meo, vt ſic redimam meam vexationem.

5 Et confirmatur nam Matth. 23. cum eſſent parati Iudæi ad occidendum Chriſtum, & Apoſtolos, dixit eis Dominus. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum id eſt, paratus ſum pati perſecutionem, & mortem, quia implebitis menſuram patrum veſtrorum. Et Ioan. 13. Quod facis, fac citius, id eſt ſuppoſita tua mala voluntate, paratus ſum tradi a te.

QVÆSTIO CXXVI.

An in extrema neceſſitate conſtitutus, poſſit licitè petere à diuite non volente gratis mutuare, vt ſaltem mutuet ſub vſuris?

1 SVnt qui putent id fieri poſſe, fundamentum huius opinionis eſt, quia licet conſulere minus malum, ad euitandum maius, quod aliquis paratus eſt perpetrare, ſed grauius peccat diues nõ ſubueniẽs per gratuitum mutuum extremam neceſſitatem

tem patienti,quàm mutuans illi ſub vſuris, ergò licet conſulere illi, ac inducere illum in tali caſu ad mutuandum pauperi ſic indigenti ſub vſuris.Maior propoſitio conſtat ex illa Reg. topica, ex duobus malis minus eſt eligendum. Minor verò probatur, quia maius peccatũ eſt homicidium, quàm vſura,qui verò extremè indigenti non ſubuenit, perinde eſt,ac ſi pauperem illum fame interimeret iuxta illud D. Amb. lib. 3. offic. & habetur diſt. 86 can. paſce.Si non pauiſti occidiſti Ita ſentiunt Bann. 2. 2. q. 78. art. 4. Nauar.c. 17. nu. 263. Lop. lib. 2. c.83.Sot.li.6.q.1.ar.5. Caiet.in ſum.verb.tyrannus. Adr. quodlib. 1. q. 2. Ang. verb. vſura 2. §. 2. Sylu. eod. verb. 7. q. 1. Mol. d. 335. Salon. 2.2. q. 78. ar. 4. & Rebel.p.2. de oblig. lib. 8. q. 16. ſect. 6.

2 Mihi autem magis eorum probatur opinio,qui cenſent id non licere, cuius ratio ea eſſe poteſt, quia nunquam fas eſt, quacunque neceſſitate petere, quod alius ſine peccato præſtare non valet., cuius eſt mutuare ſub vſuris, ergò. Ita Caiet. ſibi contrarius 2. 2. q. 78. art. 4. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. ar. 3. Angles in flor. 4. ſenten. in materia de reſt. Eman. Sà in apho. conf. verb. peccatum num.8.& alij.

3 Exiſtimo tamen non ſolùm fas eſſe mutuum petere ab vſurario,quem ſcit nõ mutuaturum niſi ſub vſuris, ſed etiam petere mutuum, promittendo aliquid vltra ſortem, ſi ſciat non mutuaturum niſi id promittat,vt ſi dicat, mutua mihi centum, & ego reddam tibi centũ & decẽ, huiuſmodi enim promiſſio, ſicut ipſa vſurarum ſolutio de ſe mala non eſt, licèt receptio earum mala intrinſecè ſit. Vnde ſi iuret ſoluere vſuras non ſolùm non peccat, ſed etiam tenetur ſoluere ob reuerentiam iuramenti,quando ergo mutuò petit centum ab vſurario, & promittit reddere decem vltra centum, non petit vt ad vſuram mutuet, ſed ſolùm ei offert occaſionem illius peccati,oſtenditque ſe paratum ad ita accipiendum, ſi alter dare noluerit.

QVÆSTIO CXXVII.

An liceat abſque aliqua neceſſitate vel propria commoditate recipere mutuum ſub vſuris?

1 DOctor Angelicus 2.2. q. 78. art. 4. ad. 2. docet eſſe licitum recipere mutuum ſub vſuris cũ limitatione, ſcilicet propter bonũm proprium, vel alterius.

Durand. in 3. d. 37. q. 4.ſentit non licere accipere mutuum ſub vſuris, niſi ob ſuam vtilitatem, quæ quidem debet eſſe maior, quàm damnum, quod patitur in rependendis vſuris.

2. Illuſtriſſ. Caiet. 2.2. q.78.ar. 4. tenet eſſe licitum recipere mutuum ſub vſuris propter bonum ſuum vtile,vel delectabile, vel alterius cuiuſuis, nimirum propter ludos, ſpectacula,conuiuia &c.

Ang. verb. vſura 2. nu.2. ait licere accipere mutuum ſub vſuris, pro opere non ſolùm neceſſario, ſed etiam vtili, imò etiam indifferenti.

Sotus lib. 6. q. 1. ait ſufficere vt neceſſitas ſit ad conſeruandam decentiam ſtatus, & ornatum.

3 Sylueſt. verb. vſura 7.q. 1. ait non licere accipere mutuum ſub vſuris ab vſurario etiam parato, niſi tantùm pro opere licito, & neceſſario: & qui aliter facit (inquit) peccat mortaliter,quia peccatum eſt mortale offerre materiam, & occaſionem alteri peccandi. Eandem opinionem ſequuntur Mol. d. 335. Val. tom.3.d.5. q.21.p. 4. & Rebell. lib. 8. q. 16. ſect.6.aiunt enim eſſe lethale peccatũ ſine rationabli neceſſitate præbere alicui occaſionem noui peccati mortalis petendo mutuum ab vſurario,quem ſcit abſque vſuris non mutuaturum, eſtò paratus ſit ad vſuras exercendas, quoniam ſub reatu lethalis culpæ lege charitatis tenemur vitare peccatum mortale proximi, quando ſine noſtro, aut alieno incommodo, aut graui moleſtia id poſſumus, eſtò ex parte illius ſcandalum non ſit puſillorum, ſed phariſæorum.

Tandem Nauar, c. 17. nu. 262. ait non peccat mortaliter,qui accipit mutuum ſub vſuris, niſi ob finem mortalem accipiat, nec etiam venialiter, ſi ob cauſam iuſtam accipit, ſed ſic,ſi abſque ea accipit aut ob finem venialem, ſcilicet ob vanitatem, & ludos venales, aut vt eius negotiatione diuitias accumulet,cum alias habeat,vndè honeſtè viuat.

4 Cæterùm mihi videtur ſententia Caietani probabilior, quia non eſt peccatum, ſi ego vtar iure meo, etiam quando ſcio te ex malitia peccaturum, non enim tunc me obligat lex charitatis, vt ego me

abſtineam ab eo,quod eſt mihi liberum,& honeſtum.

Tum quia qui accipit mutuum ab vſurario ita parato, & ſolito exercere vſuras non inducit illum ad fœnerandum, ſed vtitur iniquitate,& cupiditate illius ad bonum, exemplo Dei,qui vtitur peccatis hominum ad aliquod bonum, iuxta illud D. Aug. in Ench. 11.ſumma Dei ſapientia nulla in nobis permitteret mala,niſi noſſet ex illis maxima elicere bona.

Et confirmatur, nam quod recipitur eſt bonum, & malum quod ſequitur tantum eſt ex malitia mutuantis, ergo illud accipiens nullo modo peccat.

Hoc idem probatur ex D. Auguſt. in epiſt. 154. qui ſcribens ad Publicolam ſic ait. Qui vtitur fide illius, qui per falſos deos iurat,non ad malum, ſed ad bonum, nequaquam peccato illius ſe ſociat, quo per dæmonia iurauit, ſed pacto eius bono, quo fidem ſeruauit. Hæc ille. Ex quo loco manifeſtè colligitur, eum qui vtitur peccato alterius ad ſuum bonum, nequaquam ſeipſum ſociat, aut cooperatur iniquitati illius; ſed ſolùm vtitur actione illius ob bonum, ad quod ea indiget.

QVÆSTIO CXXVIII.

An qui accipit mutuum ſub vſuris pro opere, quod eſt veniale,nimirum pro otioſè ludendo, vel epulandò peccet mortaliter.

1 BAn. 2. 2. q. 78. art. 4.Sylu.verb.vſur. 7. q. 1. & Rebell. lib. 8. q. 16. ſect..6 putant eum peccare mortaliter,ex eo fundamento,quia quilibet ſub mortali tenetur lege charitatis impedire peccatum mortale proximi, quotieſcunque poteſt ſine proprio incommodo, ſed qui recipit mutuum ſub vſuris pro opere vano poteſt impedire peccatum mortale proximi non recipiendo, ergò tenetur non recipere.

2 Mihi verò probabilius videtur cum Caiet. hunc non peccare mortaliter, ſed ſolùm committere peccatum veniale. Ratio eſt,quia in hoc caſu ſolum eſt peccatum in vano illo opere, pro quo mutuum petitur; nam ex alia parte, quia vſurarius ex malitia ſua peccat mutuando ſub vſuris, peccatum eius non imputatur mutuatario; ſicut ſi puella egrederetur è domo ſua cum ſciret ſe concupiſcendam ab amaſio, peccaret quidem venialiter, ſi otioſè egrederetur,non tamen mortaliter,quia peccatum amaſij ei non debet imputari.

Non obſtat D. Tho. in reſp. ad lectorem Florentinum, dicens, non excuſari à peccato accipientem mutuum ſub vſuris propter maiores negotiationes exercendas, quia D. Tho. intelligitur de peccato veniali, quia finis ille, vt aliquis abundatiores diuitias aſſequatur,eſt peccatũ veniale.

3 Hinc Magnates qui accipiunt mutuum ſub vſuris ad laſciuiam,ludos, venationes, comeſſationes,conuiuia, apparatum canũ, equorum & famulorum, ſimileſque ſumptus ſuperfluos, & vanos: tale peccatum committunt,qualis eſt finis, propter quem mutuum illud accipiunt, nam ſi finis illius ſit peccatum mortale veluti fornicatio,acceptio illius mutui mortale quoque peccatum eſt.Si verò finis illius ad ſolam prodigalitatem pertineat, quæ ex ſuo genere venialis tantùm eſt, erit venialis; ſi autem ad licitas exercendas negotiationes, nullũ erit peccatum.

QVÆSTIO CXXIX.

An qui accipit mutuum ab vſurario parato,vt illud conferat meretricibus, committat duo peccata diſtincta vnum fornicationis,& alterum ſcandali?

1 ILluſtriſſ. Caie. 2. 2. q. 78. ar.4.& Sot. lib. 6. q. 1. ar.5.tenent hunc non peccare duo peccata, ſed tantùm peccatum fornicationis.

2 At verò Durand.in 3. d. 37. q.4.& Sylueſt. verb. vſura 7. q. 1. ſentiunt hunc cõmittere duo peccata diſtincta. Alterũ fornicationis, accipiens mutuum vt fornicetur, alterum, quia ſine iuſta cauſa offert vſurario etiam parato materiam, & occaſionem committendi illum peculiarem actum vſurarium,quod eſt peccatum ſcandali, ex ſuo genere mortale, diſtinctum ſpecie ab aliis peccatis.

Sed re vera hæ duæ opiniones facilè conciliantur. Nam prima locum habet in vſurario parato ad fœnerandum ex malitia, quia hoc in effectu non eſt inducere non paratum ad peccatum, ſed vti iniquitate parati.

Secunda verò opinio Durandi. quando vſurarius eſt paratus exercere vſuras ex paſſione quadam, vel fragilitate humana

humana: quia tunc offerre ei materiam fœnerandi, peccatum eſt pertinens ad peculiarem ſpeciem peccati, quod diximus ſcandalum actiuum.

QVÆSTIO CXXX.

Quotnam ſint pœnæ ſtatutæ contra vſurarios notorios, ſeu manifeſtos?

1 RESP. ſeptem. Quarum prima eſt. quòd vſurarius eſt ipſo iure infamis, etiam ante latam ſententiam l. improbum fœnus C. ex quibus cauſis irrogatur infamia.

Secunda pœna eſt, quod eſt excluſus à communione altaris, id eſt, a perceptione Euchariſtiæ cap. in omnibus de vſuris. Vbi aduerte vſurarium non eſſe ipſo iure excommunicatum, ac proinde non eſſe ab hominum conſortio eiciendum, nec à diuinis, vt Sylu. verb. vſura 8. q. 4. Sot. lib. 6. q. ar. 2. Tolet. lib. 5. c. 56. & Mol. d. 334. annotarunt.

Tertia, quòd non admittitur ad oblationem offerendam. Et qui eius oblationes accipit ipſo facto eſt ſuſpenſus ab officio, donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, & compellitur reddere oblatum. Dicto cap. quia in omnibus.

Quarta eſt, quòd non poteſt abſolui, niſi de facto reſtituat, vel det ſufficientem cautionem per pignora, vel fideiuſſores, idque vel creditoribus ipſis, ſi præſentes ſint, vel Epiſcopo, aut eius Vicario, vel Parocho coram teſtibus, aut aliquo Notario habente mandatum ab Epiſcopo. Quòd ſi nec pignus, nec fideiuſſores præſtare poteſt, debet iurare ſe non poſſe, & ſe reſtituturum vſuras, cum primùm poterit. Vnde Sacerdos abſque prædictis cautionibus vſurarium notorium abſoluens peccat mortaliter, quamuis vſurarius dicat ſe in teſtamento relinquere, vt vſuræ ſoluantur, quia cum teſtari non poſſit, nullũ eſt teſtamẽtũ. Quòd ſi tempus non vacat ſupradicta faciendi, quia mors vrget, poteſt abſolui à quocunque Sacerdote, debet tamen iurare ea faciendi, ſi tempus vacauerit; ſimulque facultatem dare Cõfeſſario reuelandi Epiſcopo, à quo ſi conualuerit, exigi poſſint vſuræ, vel ſi moriatur ab eius hæredibus. Qui ſi nec loqui poſſit, & mors inſtet, detque ſigna contritionis, quæ ad abſoluendum ſufficiunt, eſt abſoluendus, & in hoc caſu non eſſet excõmunicatus, qui eum ſepeliret. Vt docet Molin. d. 3. 4. Tolet. lib. 4. c. 36. Nau. c. 17. num. 280. & Sylu. verb. reſt. 6. §. 1.

3 Vſurarius occultus prædictas cautiones præſtare non tenetur, ſed ſufficit vt confeſſario promittat ſe reſtituturum vſuras, quam primùm potuerit: niſi in aliis confeſſionibus propoſuiſſet reſtituere, & ſua culpa non ſeruaſſet, tunc enim ante abſolutionem expectanda eſſet reſtitutio, vt optimè aduertit Sylueſt. verbo reſt. 6. §. 1. Quòd ſi iſte vſurarius occultas in mortis articulo per ſe reſtituere poſſit, tamẽ vult reſtituere in teſtamento poſt mortem, eſt abſoluendus à confeſſario quando ſubeſt aliqua rationabilis cauſa ſic faciendi, & confeſſarius certò ſcit hæredes reſtituturos. Cum verò non poteſt vſurarius occultus morte vrgente aliquid facere, non eſt petenda promiſſio illa cum licentia reuelandi Epiſcopo, quia cum verè ſit occultus nec confeſſario reuelanti credetur, nec cõpellli poterit ſuperſtes, vel hæredes ad reſtitutionem.

4 Quinta eſt quòd caret Eccleſiaſtica ſepultura vt habetur in cap. quamquam de vſuris. Et qui eum ſcienter in loco ſacro ſepelire præſumit, eſt ipſo facto excommunicatus, nec poteſt abſolui, donec arbitrio Epiſcopi parti læſæ ſatisfaciat, Clem. 1. de ſepult. Vbi non ſolùm eum, qui corpus in ſepulchrum demittit, Leſſ. lib. 2. c. 20. dub. 22. putat comprehendi contra Nauar. & Caiet. verb. excommunicatio cap. 46. ſed etiam, & in primis, Parochum, qui funeri præeſt: hic enim propriè dicitur ſepelire: comitantes tamen non comprehenduntur, quia hi non propriè ſepeliunt, ſed funus honoris cauſa deducunt & adſtant.

Sexta pœna eſt, quòd eius teſtamenta, & codicilla ſunt nulla ipſo iure, niſi ante mortem ſoluerint, vel cautionem legitimam dederint. D. cap. quamquam.

Septima pœna eſt, quòd Domini, & vniuerſitates terrarum non poſſunt vſurariis alienigenis elocare domos ad exercendam vſuram, vel conductas habere; imò tenẽtur eos expellere ex ſuis terris intra tres menſes; alioquin ipſo facto incurrũt pœnã ſuſpenſionis ſi ſint Epiſcopi; excõmunicationis ſi ſint Minores Epiſcopis, Interdicti ſi ſit collegiũ, vel vniuerſitas Eccleſiaſticorũ

vt patet cap.1. vſuris in 6. Vide plura apud Sylueſt.verb.vſura 9. quæſt.4.

QVÆSTIO CXXXI.

An qui locant domos Iudæis vſurariis huiuſmodi pœnæ ſubiaceant ?

1 HAEc difficultas fuit controuerſa inter Sylu.verb.vſura 9.q. 22. & Angelum eodem verbo 2.num.4.ex vna parte, & inter Roſell.verb. reſtit.9.nu.34. & Tab. verb. vſura 1. qu. 5. ex alia parte,illi affirmant,hi verò rectius negant.

QVÆSTIO CXXXII.

Quiſnam in hoc loco per notorium, vel manifeſtum vſurarium intelligatur ?

1 REſp. intelligi eum, qui eſt notorius notorietate Iuris,puta quia per ſententiam Iudicis eſt de hoc crimine damnatus,vel per propriam cõfeſſionem iudicio,aut per duos teſtes idoneos coram Iudice eſt plenè de vſura conuictus. Quare non ſufficit, vt vſurarius proprium crimen fateatur, etiam coram teſtibus & Sacerdote extra iudicium.

2 Nec ſufficit ſi vſurarius infamia laboret, quia apud multos, & probos viros ea eſt opinio de illo, aut quòd adſint argumenta, vel indicia vſuræ contra eum. Quin eſto infamia coram Iudice probetur, & ſimul cum ea adſit teſtis vnus, aut multi, qui omni exceptione maiores non ſint, & qui cum infamia plenam non efficiant probationem, notorius vſurarius non dicitur. Imò verò eſtò ea de cauſa à Iudice damnetur pœna aliqua extraordinaria,ac arbitraria,non dicetur manifeſtus vſurarius. Multi etiam teſtes ſingulares, id eſt, qui conteſtes non ſunt circa eumdem numero actum vſurarium, ſed quorum vnus teſtificatur de vno actu,& alius de alio,non cenſetur probatio, vt quis notorius vſurarius dicatur, pœnáque ordinaria puniatur.

3 Item manifeſtus vſurarius dicitur, qui eſt notorius notorietate facti, puta quia publicè ad vſuram mutuat. Nec requiritur vt plures contractus vſurarios exerceat, vt Sylueſt. Tab. & alij falsò ſunt arbitrati, ſed ſatis eſt, vt vnum contractum vſurarium in conſpectu populi exerceat, tot id inſpicientibus, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari. Nec item eſt neceſſe, vt mutuo formali vſuram exerceat, ſed ſatis eſt, ſi eam virtuali mutuo exæquatur,vendendo ſuas merces cariùs ob dilatam ſolutionem, quàm ſit pretium iuſtum, & rigoroſum. Ita Nauar. cap. 17. num. 280. & Mol. d.333.

QVÆST. CXXXIII.

An huiuſmodi pœnæ comprehendant Iudæos, quando ſunt publici vſurarij ?

1 MOuet hanc difficultatem Roſella verb. reſt. quæſt.num. 74. cui reſpondet non comprehendi.

QVÆST. CXXXIV.

An princeps non cognoſcens in temporalibus ſuperiorem, peccet ſi authoritate ſua compellat mutuatarios, vt vſuras Iudæis promiſſas ſoluant ?

1 ANg. verb. vſura 4. & Sylueſt. eod. verb.9.p. 38. Affirmant eum peccare. Ita enim habetur in d.Clem. & in cap. poſt mirabilem de vſuris.

At Nauar. Conſ.3. lib. 5. tom.de Iudæis negant, quia conſuetudo in contrarium potuit abrogare iura profitiua.

2 Tum quia ſicut qui ſoluit vſuras non peccat, licèt is qui exigit, peccet, ita facere,vt mutuatarius ſoluat vſuram, quanquam ſoluere promiſit, non eſt peccatum. Et hæc de vſura pro inſtituti noſtri ratione dicta ſufficiant.

DE

DE MONTE PIETATIS.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

DE hac materia diſputant Illuſtriſſ. Caiet.to.2.Opuſc.tract.6.de Monte Pietatis,Sot.lib.6.de iuſt.q.1.art. 6.Ban.2.2.q.78.art.4.Lop.lib. 1. de contr.ca. 59. Salon. 2. 2. q. 78.art.2.Molina tom.2.de contr.diſp.325.Med. C. de vſura q. 10.Arag. 2.2.q.78.art.4.Leſſ.lib.2. de iuſt.c.20.dub.23. Roder.p.2.ſum.c.83.Nauar. in comment.de vſur.n.59.& in Man.cap.17.num. 213. Tolet. lib.5.ſum.cap.38.Summiſtæ vero vt Sylueſt. Ang.Arm.& alij verbo vſura. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Mons Pietatis ?

1 REſp. quòd eſt ſumma quædam pecuniæ publicè deputata ad ſubueniendum per mutuum illa indigentibus,vt ea ratione maiora mala, atque diſpendia vitarentur. Cuius frequens eſt vſus in Italia, cœpitque a.160.& amplius annis,tempore Pij II. qui fuit primus inter Pontifices,qui illum approbaſſe fertur.

QVÆSTIO II.

Quotuam ſint huiuſmodi Montis præcipuæ conditiones ?

1 REſp. quatuor.Prima eſt,vt ex huiuſmodi pecunia teneantur adminiſtratores illius mutuare vſque ad certam quandam ſummam v.g. decem aureos,decem modios tritici ſingulis indigentibus, non exteris,aut diuitibus.

2 Secunda eſt, vt mutuatarij intra breue aliquod certum tempus v.g. ad vnum, aut duos annos plus, minúſve pecuniam mutuo acceptam Monti reſtituant, vt poſſit pecunia illa multis mutuari, & per eam multis ſubueniri. Nam ſi per indefinitum tempus daretur. Mons deficere poſſet.

Tertia vt mutuatarij dent Monti pignus idoneum, donec acceptum reſtituant : ita vt ſi mutuatarij tempore præfixo reddiderint mutuum, recipiant pignus ſuum integrum, ſin minùs vendatur publicè, vt ex pretio pignoris Monti pecunia debita, & reliquum domino pignoris reſtituatur.

3 Quarta,& vltima eſt, vt iidem mutuatarij ſoluant vltra ſortem certum lucrum ſingulis menſibus,quandiu rem mutuo acceptam apud ſe detinent, non quidem ratione expectatæ ſolutionis, nec vt Mons augeatur,ſed pro ſumptibus neceſſariis ad Montis conſeruationem, vt pro ſtipendio miniſtrorum, qui Montem cuſtodiunt, & adminiſtrant, ſemper parati eſſe debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda, pro conductione domus, pro libris dati, & accepti, pro arca,qua pecunia aſſeruatur, cæteriſque neceſſariis inſtrumentis.

QVÆSTIO III.

An huiuſmodi Mons cum quatuor ſupra poſitis conditionibus ſit vſurarius ?

1 IN qua re conuenit inter omnes,huiuſmodi Montem quantùm ad tres priores conditiones eſſe honeſtum, & iuſtum. Sed tota concertatio eſt circa quartam conditionem. An videlicet Mons pietatis, in quo præcipitur,vt mutuatarij exhibeant vltra ſortem aliquam exiguam penſionem pecuniæ per ſingulos menſes, pro expenſis neceſſariis ad Montis conſeruationem ſit vſurarius?

In hac graui, & perdifficili quæſtione.

Sylueſt. verb. vſura 5. qu. 4. ait rem eſſe dubiam.

2 Illuſtriſſimus Caietan. tom. 2. Opuſc. tract.6. de Monte pietatis, cui videtur accedere Armill.verb.vſura num. 6. & Sotus lib.6.q.1.art. 6. abſolutè tenent hunc Montem iuxta quartam conditionem eſſe vſurarium. Probant ſuam ſententiam primò quia vſura eſt manifeſta ratione mutui aliquid lucri vltra ſortem exigere.

Secundò quia pauperes non ſunt domini illius pecuniæ, ergo non magis pertinet

ad ipſos miniſtrorũ ſuſtentatio,quàm illius qui mutuum confert ; atque ex conſequenti erit vſura ſtipendium ab illis exigere,quia daretur ratione mutui.

3 Sed his non obſtantibus concors eſt Theologorum,& Canoniſtarum ſententia, Med. de vſura q. 10. Nauar. in Comment. de vſur. num. 59. & in Man. c. 17. num.213. Lop. lib. 2. de contr. cap. 49. Arag. 2. 2. q. 78. ar. 4. Rebell. lib.8. q. 13. Tolet. lib.5.c. 38. Mol, d. 325. Leſſ. lib. 2.c. 20. dub. 23. & aliorum aſſerentium Montem cum ſupraposita conditione eſſe liberum ab omni labe vſuræ. Ratio huius eſt, quia lucrum, quod mutuatarij ſoluunt, ex vi mutui non ſoluunt , ſed propter expenſas ipſius Montis , ac proindè ratione damni emergentis; qui enim emit Mons ipſe vel ex parte , vel in totum perierit.

Reſpondit Caietet. eum qui Montem conſtituit teneri ad aliquid relinquet pro iſtis expenſis.

4 Sed contra ſic argumentor. Is qui Montem erexit cum illis conditionibus abdicauit à ſe dominium Montis , & tranſtulit in pauperes mutuatarios , & ideò ipſi tanquàm Ius habentes ad Montem , & non is qui eum conſtruit , debet ſuis expenſis Montem conſeruare.

Et confirmatur , qui ſentit commodum ſentire debet & incommodum iuxta Reg. iuris in 6. Conſtat autem , Montem illum eſſe erectum in pauperum commodum illiſque ſolis perire,ſi conſumeretur : ad illum verò pertinet cuſtodia rei , in cuius vtilitatem cuſtoditur, & cui perit , vel lucrifit ; expenſis igitur eorundem pauperum eiuſmodi Montis ſine indemnitate per ceſſarios miniſtros cuſtodia , conſeruatioque fieri debet.

5 Tum quia licèt ratione mutui non liceat aliquid exigere , quia eſſet vſura , tamen pro obligatione mutuandi , quia quis ciuiliter ſe obligat ad mutuandum pecuniam , vel frumentum omnibus indigentibus Ciuitatis cum petierint, aliquid vltra ſortem exigere poteſt , quia talis obligatio eſt æſtimabilis pretio ergo cum Mons ſe obliget mutuare petenti , pro tali obligatione,aliquid poteſt accipere.

Tandem eſt concluſio definita à Leone Decimo in Concil. Lateran, ſeſſ. 10.vbi huiuſmodi Mons cum conditionibus appoſitis apertè , & grauiſſimis verbis approbatur tanquam iuſtus , ſanctus, & pius , ſtatuta excõmunicationis latæ ſententiæ pœnâ iis, qui in cõtrarium aliquid prædicare, aut diſputare verbo , vel ſcripto auderent.

6 Hoc idem fuit determinatum , à Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. Alexan. VI. & Iul. II. vt dicit Nauar. & refertur in præfata Bulla , Leonis X. cuius tenorem habes apud Medin. quæſt. 10. de vſura.

Reſpondet Sotus, Caietanum,qui Concilio Lateranenſi interfuit , non obſtante hac determinatione Concilij integro libro contrarium docuiſſe , quod eſt manifeſtum indicium , eam determinationem non fuiſſe validam.

Reſpondeo , falſum eſſe Sotum , nam Caietanus ſcripſit opuſculum illud de Mõte Pietatis ante Concilium , nempe anno 1498.ſicut ex vltimo cap. eiuſdem opuſculi conſtat : Concilium autem hoc definiuit poſt 17. annos nempe die quarta Maij in feſto S.Monicæ anno àChriſto nato 1515. vt patet ex fine Bullæ. Imò potiùs creditur, Caiet. retractaſſe ſuâ ſententiam,quia cum in Concilio Lateran. in ſeſſ. citata interrogatus fuiſſet à toto Concilio : An placeret illud Decretum, reſponſum eſt ab omnibus , placere : vno excepto Hieremia Archiepiſcopo Tranenſi , cum ergò Ca.qui ibi aderat tanquam magiſter Ordinis prædicatorũ tacuiſſet viſus , eſt approbaſſe Decretũ, & ſuâ ſententiâ retractaſſe,

8 Reſpondet Sotus,Concilũ ſolùm approbaſſe Montem Pietatis in generali,non ſpeciali, hoc eſt approbaſſe factum cum conditionibus , & pactis licitis , & honeſtis; atqui conditio quarta , qua pauperes coguntur aliquid ſoluere pro ſtipendio miniſtrorum eſt illicita, & vſuraria.

9 Reſp. in Conc. Later.prædicto approbari Montem pietatis erectum cum illa quarta conditione , de qua tota erat controuerſia inter Doctores, nam in Bulla expreſsè habetur,& approbatur illa conditio his verbis.Declaramus,& definimus,Montes pietatis,in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum,ad illorum conſeruationem pertinentium,pro eorum indemnitate duntaxat vltra ſortem, abſque lucro eorumdem Montium recipitur,nec mali ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari. Hæc Concilium.

Reſp.

Digitized by Google

Resp. Sotus, in iusto loco solum approbari onus,& pactum,quo mutuatarij soluunt aliquid vltra sortem pro ministris Montis, idest pro obligatione,qua ministri mutuare tenentur indigentibus.

10 Resp. falsam esse huiusmodi glossam quia in prædicto Concilio expresse definitur, vt mutuatarij soluant aliquid pro ministris,& expensis ipsius Montis & pro ipsius montis conseruatione, vt patet ex illis verbis, (in quibus pro eorum impensis,& indemnitate,&c.)

Resp. Sotus, non omnia illius Concilij Decreta esse more, & vsu recepta.

11 Sed hæc responsio (pace doctissimi viri,ac de Theologia Christianaq; Religione benemeriti dixerim) falsa esse conuincitur. nam decreta quæ iuris sunt humani,si non recipiantur, vim habere desinunt, definitiones tamen & declarationes eorum,quæ ad fidem,& mores spectant qualis est hæc Mons pietatis sit licitus, non. Si consilij,& Sumi Pontificis sint ab acceptione populorum non pendent, cum in his errare non possint.

Resp. Sot. hanc quæst. non pertinere ad fidem,quia Concilia,& Pontifices non possunt aliquid statuere tanquam dogma fidei,nisi ex sacris literis colligendo. Ex quo infert,ad fidē pertinere vtrum vsura sit licita,an non, quia ex sacris literis colligitur esse prohibitam : sed non esse quæstionē fidei,nec posse Romanos Pontifices, aut Concilia definire vtrùm hic vel ille contractus sit vsurarius,quia hæc (inquit) quæstio solum est philosophiæ moralis

12 Resp.Sotum parùm reuerenter,nimisque audacter circa Summi Pontificis, ac Generalis Concilij definitionem, ad fidem & mores pertinentem loqui, & plus iusto potestatem quæ in Ecclesia est ad definiendum, & declarandum, quoad fidem, & mores spectant, coarctat, nec est tuta eius opinio,nam ad Ecclesiam pertinet definire omnia, ex quibus pendet salus animarum vt vtrum hoc sit licitum, an illicitum, peccatum, an meritum, hoc enim nosse, non minus necessarium est,quàm quæ merè speculatiua; nam proximè pertinent ad hominum mores.

Tum quia non est necessarium dum non agitur de veritate aliqua supernaturali, vt decisio ex sacris literis immediatè colligatur, sed satis est. ac sufficit, vt per necessariam, & euidentem co nsequentiam possit colligi hunc, vel illum contractum esse vsurarium, & consequenter poterit summus Pontifex definire hoc esse, vel non esse licitum, quomodò etiam ab Ecclesia definitum est, animam rationalem esse corporis formam.

13 Denique resp. quòd prædicta excommunicatio non absolutè fertur contra omnes prædicantes, vel disputantes Montem Pietatis : sed tantum contra non recipientes capitula illius, quæ nec cum iure canonico, nec naturali pugnant. Vndè cum capitulum illud, quo præcipitur aliquid dari vltra sortem singulis mensibus tam iuri canonico, quam naturali pugnet,non erit peccatum illud impugnare, & reprehendere.

Sed ista responsio nulla est, quia in illo decreto nusquam sunt talia verba, scilicet quatenùs sacris canonibus non contrariantur, sicut dicit Caiet. in Opus. de Monte pietatis,sic esse in originalibus, & vidisse copiam Bullæ, Mantuæ Calamo scriptam sic stare affirmat, & refert Armil. verb. vsura, nu. 49. Quin potiùs cum præfatæ conditiones expressè numerentur, & approbentur, declaratur, quòd sacris Canonibus,non contrariantur.

14 Hæc omnia confirmantur ex Concilio Trid. sess. 22. c. 8. de reformat. vbi inter opera pia,quæ ab Episcopo visitari debent: ponitur Mons Pietatis,supponit ergo Concilium esse opus pium,vt hospitale.

QVÆSTIO IV.

An si aliquid superfit ex lucris, quæ vltra sortem principalem mutuatarij soluunt, Mons possit illud iustè retinere?

1 RESp. non posse.Ratio est,quia vt supra diximus,&habetur expressè ex Bulla ipsius Leonis citata, huiusmodi lucrum solùm solui debet pro expensis necessariis ipsius Montis, non vt Mons locupletetur,vel augeatur,ergo tenetur superfluum restituere. Ita Lop. lib.2. c. 58.

QVÆSTIO V.

Dices, Quibus faciēda sit huiusmodi restitutio?

1 RESp. mutuatariis, à quibus est acceptum.

Digitized by Google

2 Dices, certò sciri non potest, quinam sint mutuatarij, quoniam sunt multi,& aliqui mortui,alij verò absentes,alij ignoti.

Resp.quando mutuatarij sunt ignoti,vel incerti, restitutio fieri debet pauperibus, & quia nomine pauperum, venit etiam Mons pietatis, quo pauperes, & egeni adiuuantur, ob id eidem Monti potest applicari,hoc enim totum cedit in bonum ipsorum pauperum.

Hinc, si experientia teste, notum sit ex quinque, quæ mutuatarij soluunt pro stipendio ministrorum Montis, duo supereſſe, non poterit deinceps exigere a mutuatariis vltra sortem, nisi tria.

3 Igitur ad argumenta in contrarium adducta oportet nunc respondere, & ad primum,quod mutuatarij soluunt Monti pietatis vltra sortem, non soluitur ratione mutui, sed ratione damni emergentis, nimirùm pro expensis necessariis pro conseruatione Montis.

QVÆSTIO VI.

Solutio secundi argumenti Caiet. petit vt inquiramus. An dominium Montis sit translatum in Rempublicam, an potius in Communitatem Pauperum?

1 RAtio dubij est, quia ille dicitur dominus alicuius rei, qui potest ea vti in quot vult vsus; sed neque Respublica,neque pauperum communitas potest vti hoc Monte in quot vult vsus, ergo neutra est domina.

Ad hoc dico primò, quòd siue dominium Montis sit translatum in Rempublicam, siue in pauperes, non tamen dominium est perfectum, & absolutum, sed limitatum à voluntate erectoris Montis, sicut Primogenitus est Dominus primogenituræ Maioratus, & tamen non potest in quot vult vsus illam insumere. Secundò dico quòd dominium Montis translatum est ad pauperes: administratio autem pertinet ad Rempublicam. Et ratio est, quia tota Montis vtilitas pertinet ad pauperes, ergo ad ipsos pertinet eius dominium. Et hæc satis de Monte Pietatis.

DE CENSIBVS.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

DE hac materia differunt Theologi in 4.dist.15. Sot.lib.6.de iust.quæst. 5.art.1.Ban.2.2.q.78.art.4. Val. tom. 3.dist.5.q.22.p.1.Mol.tom. 2. de contr. disp. 382.Less.lib.2.de iust. c. 22. Rebell. p. 2. de oblig.lib.10.Azor.p.3.inst.mor.lib.10.Tolet. in sum.lib.5.cap.42.Lop.lib.1.de contr.cap. 54.Couar.lib.3.var.resol.c. 7. Salon. tom.2. de contr.disp. de censib.art. 3. Conrad. de contr. q. 79. Io. Med. in quæst. speciali de censibus.Eman. Sà in Aphor. verb. census. Nauar. in comment. de vsuris num. 69. & 84.vbi refert Bullam Pij V. & in Man. c.17. num. 232. Summistæ vero vt Ang. Syluest. Tab.Rosell.Armilla,& alij verbo census,& verbo vsura.

1 Et vt à nominis etymologia exordiamur,obseruandum est primò, hoc nomen census varias habere significationes vt docet Couar.lib.3.var.cap. 7. num.1.accipitur enim primò pro æstimatione patrimonij, quod singuli ciues possident, quæ fieri solet, vt sciatur quantum quisque Principi, vel Reipublicæ tributi nomine soluere debeat. Vnde census à censendo, id est æstimando deriuatur.

Secundò pro ipso patrimonio, quod censetur iuxta illud, dat census honores, census amicitias.

2 Tertiò pro ipso tributo, quod alteri soluitur in signum subiectionis,iurisdictionis,imperij, aut dominij, quo pacto sumitur Matth. 22. quando interrogatus fuit Christus, licet censum dari Cæsari, an non?

3 Quartò & vltimò sumitur pro iure, quod aliquis habet in re alterius vtili, & fructifera, vt ex ea quotannis annuam pensionem percipiat: & hoc modo sumitur in præsenti,& à scriptoribus canonicis vocatur redditus annuus, cuius in Italia tam frequens est vsus.

QVAE

QVÆST. I.

Quid ſit cenſus?

1 RESpondeo quod eſt Ius exigendi annuam penſionem ex re vtili, & fructifera alterius. In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima eſt (Ius) quoniam cenſus non eſt res, quæ cenſui ſubiicitur: nec eſt ipſa penſio annua, quæ ſoluitur, ſed eſt Ius, id eſt facultas exigendi penſionem ex re cenſui ſuppoſita.

Secunda particula eſt (annuam penſionem) hoc eſt redditum annuum, qui ſiue fructuarius ſit, ſiue pecuniarius quotannis ſoluitur.

Tertia particula eſt (ex re vtili, & fructifera) quia ex re ſterili, & infructifera non poteſt conſtitui cenſus.

2 Quarta & vltima particula eſt (alterius) quia nemo ex re ſua percipit cenſum, quâuis fructum capiat emphyteuſis, aut locationis. Vel ad denotandum quòd exigens cenſum non habet dominium ſuper cenſui obligata, ſed tantùm Ius ad percipiendum cenſum, verbi gratia, obligat ſe Titius Caio ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ, vel domus ſingulis annis. Ius quod habet Caius eam penſionem exigendi dicitur cenſus; is qui ſe obligat ad penſionẽ ſoluendam nominari ſolet cenſuarius, is verò, cui ſoluitur cenſualiſta.

QVÆST. II.

Quotuplex ſit cenſus?

1 RESpondeo, Conradum de contract. q. 72. varias afferre cenſuum diuiſiones, quas omnes ad ſex capita reducere poſſumus: vt diuidatur primò ratione modi, quo conſtituitur, in reſeruatiuum, & conſignatiuum.

2 Reſeruatiuus dicitur, cum quis rei ſuæ dominium directum, & vtile in alterum transfert, reſeruata ſibi aliqua penſione annua in pecunia vel fructibus, ſingulis annis reddenda. Vt cum verbi gratia Titius dat Caio, domum ſuam, & ſibi reſeruat certam penſionem quotannis ſoluẽdam à Caio. Hic autem cenſus non eſt multum in vſu apud ſæculares, vt tradit Sotus lib. 6. quæſt. 5. artic. 1. quamuis apud Eccleſiaſticos ſit valdè vſus receptus, vt notat mercat. lib. 2. de contractibus cap. 15. Sæpe enim vſu euenit Canonicatum, vel præſtimoniale beneficium, vel ſimilem præbendam in alium reſignari cum retentione, qua reſignans retinet ſibi Ius recipiendi aliquotam penſionem ex fructibus; Sed quia hæc diſputatio ad materiam de ſimonia potiùs pertinet, ad illum locum eam remittendam ducimus.

3 Conſignatiuus eſt quando quis retinet quidem dominium domus ſuæ, obligat tamen illam ad ſoluendam aliquam annuam penſionem, quàm quotannis ſoluat alteri. Et hic eſt cenſus, qui habetur in vſu, de quo in præſenti tractare intendimus.

Secundò diuiditur ratione penſionis quæ recipitur in fructuarium, & pecuniarium, fructuarius eſt, quando penſio reddenda eſt in fructibus vt in tritico, oleo, vino &c. Pecuniarius verò, quando in pecunia. Et hic cenſus magis in vſu verſatur.

Tertiò diuiditur ratione fundamenti in quo fundatur cenſus in realem, perſonalem, & mixtum.

Realis eſt, qui ſuper re aliqua conſtituitur, vt ex ea re pẽnſio debeatur.

Perſonalis eſt qui ſuper ſola perſona cenſuarij ſe obligantis, imponitur.

4 Mixtus eſt, qui fundatur ſuper re, & ſuper perſona immediatè, ita vt etiam ſi res pereat, manet nihilominus & perſona obligata ad illius cenſus ſolutionem.

Quartò diuiditur ratione rei ſoluendæ, in cenſum certum, & incertum.

Certus eſt, quando certa pecuniæ quantitas in penſionem conſtituitur, ſiue annus abundans, ſiue ſterilis exiſtat.

5 Incertus verò quando indeterminata quantitas videlicet quarta, vel quinta pars fructuum alicuius prædij ſoluenda conſtituitur. Talis autem erat cenſus à Ioſepho, inſtitutus, vt ſcilicet quartam partem fructuum ſoluerent Egyptij Pharaoni. Hic enim modus locum habet in cenſu reſeruatiuo, non autem in conſignatiuo, de quo nunc loquimur.

Quintò diuiditur ratione durationis, in perpetuum, & temporalem.

Perpetuus eſt, quando tranſit ad hæredes, & non finitur obitu alicuius, hoc eſt, nec venditoris, nec emptoris.

Temporalis eſt, quando penſio ſolùm ad

ad tempus ex obligatione ſoluitur, Qui ſecatur in eum qui certo tempore, vt ad 20. aut 30. annos; aut in certo, vt cum conſtituitur durante vita vnius, vel plurium qui vitalitius dicitur.

6 Sextò & vltimò diuiditur ratione pacti in redimibilem, & irredimibilem.

Redimibilis dicitur, cum is qui rem ſuam ad reddendum annuam penſionem obligauit, reddito eodem pretio, quod pro illa accepit, poteſt ab illa rem ſuam liberare, & redimere.

Irredimibilis verò, quando illud non poteſt. De quorum ſingulis hic (Deo fauente) agere oportet.

QVÆSTIO III.

An cenſus, & emphyteuſis diſtinguantur?

1 RESP. diſtingui, & hoc in tribus. Primò, quia per contractum emphyteuticum ſolùm transfertur in emphyteutam dominium vtile, & directum manet apud concedentem; per hunc verò cenſualem contractum ram directum quam vtile transfertur in cenſuarium, ſolumque manet apud priorem, & antiquum dominum Ius illud percipiendi annuam penſionem.

Secundò ſi in Emphyteuſi non ſoluatur penſio per triennium priuatis, aut per biénium Eccleſiæ iuxta Ius commune Emphyteuta incidit in commiſſum, ideſt amittit vtile dominium illius rei. Hoc autem non cõtingit in cenſu, etiam ſi mille annis cenſus non ſoluatur, niſi de hoc expreſsè ſit pactum inter contrahentes. Ratio diuerſitatis huius eſſe poteſt, quia in contractu emphyteutico res non deſinit eſſe domini & videtur conceſſa quaſi ſub conditione, ſi penſionem ſoluerit. Sed in contractu cenſuali transfertur dominium in totum, ità quòd recipiens obligatur ſolum ad cenſum ſoluendum.

Tertiò, Emphyteuta non poteſt rem emphyteuticam vendere, aut alienare ſine facultate domini directi, alioquin cadet in commiſſum, & præterea ex pretio tenetur ſoluere proprietario laudemium. Cenſuarius verò liberè poteſt rem cenſitam diſtrahere inconſulto priori domino, neque ex pretio tenetur illi ſoluere laudemium. Cuius ratio clara eſt, quia cum Emphyteuta ſolùm habeat vtile rei dominium, abſolutum verò remaneat penes dominum directum, recta ratio poſtulat, ne rem quæ ſub alieno dominio exiſtit, inconſulto verò illius domino alienare queat, cenſuarius verò cùm habeat plenum perfectum, & abſolutum rei traditæ dominium, iure illud poſſit.

QVÆSTIO IV.

Ad quod genus contractus propriè cenſus reducatur?

1 AD hoc dico primò, quòd cenſus cum ſit exigendi annuam penſionem ex re vtili, & fructifera alterius, eſt materia diuerſorum contractuum. Nam ius hoc poteſt emi, & vendi, donari, locari, commodari, & cum alio Iure, vel re commutari.

Secundò dico, quòd cenſus propriè eſt contractus emptionis, & venditionis non rei, quæ cenſui ſupponitur vt Barth. Abornos, lib. 3. de arte contract. tom. 2. putat. Non pecuniæ alicuius, vt perperã multi Notarij in ſuis inſtrumẽtis ſcribunt. Nec partis fructuum illius rei, cui cenſus imponitur, vt falſo Ang. verb. vſura 3. Sylu. eod. verb. 2. qu. 12. D. Ant. 2. p. tit. c. 8. §. 11. D. Bernard. de Euang. æterno ſerm. 41. cap. 2. & Franc. Sarmiento lib. 7. ſelect. interpret. c. 1. nu. 13. opinantur. Sed eſt contractus emptionis, & venditionis, in quo res ab vno empta, & ab alio vendita, eſt Ius illud percipiendi annuam penſionem, vt expreſsè in conſtitutionibus Pontificis Martin. V. & Calixti III. quibus cenſualis contractus approbatur, habetur.

3 Ex quo deducimus cenſum eſſe contractum nominatum, non ſolùm quia habet nomen proprium, & ſpecificum, ſed etiam formam contractus habet, non minùs quã cæteri nominati contractus. Tum quia eſt quædam ſpecies emptionis, & venditionis vt ex prædictis conſtitutionibus conſtat, omnis autem emptio ac venditio inter nominatos contractus, nemine contradicente nominari debet.

QVÆST. V.

An emptio, & venditio cenſus ſit licita?

1 Henric.

Digitized by Google

1 HEnric. Gandau. quodlib.1. p. 39. & quodlib. 8.9. 24. Innoc.ſuper,Cap. in Ciuit.de vſuris Greg. Arimin. & alij relati à Cou. lib. 3. var.c. 7. docent emptionem noui cenſus ideſt qui tunc primùm inſtituitur, quando venditur, illicitam eſſe. etiam ſi in re aliqua fructifera conſtituatur, ſi penſiones recipiendæ putentur tãtumdem ſuperare pretium. Secùs tamen eſſe de antiquo,ideſt iam anteà licitè conſtituto,verbi gratia,non poteſt Titius vendere cenſum, quem de nouo vult conſtituere in ſua domo, vel vinea,& conſequẽter neque Caius ab ipſo emere; poteſt tamen vendere cenſum ex domo aliqua, vel vinea, qui fuit ante collatus eidem Titio per donationem,vel etiam poteſt Princeps vendere cenſum qui ipſi aliàs,ſolet ſolui à ciuibus. Ratio horum authorum eſt, quia emptio redditus noui, non emptio, ſed purum mutuum eſt:ſed in mutuo non licet plus pecuniæ accipere,quã datum eſt,ergò.

2 Communis tam Theologorum quam Iuriſperitorum ſententia habet, pro minùs licitè emi nouum cẽſum, quàm antiquum. Ratio huius eſt,quia Mart.V.Calixtus III. Nicolaus V.&Pius V.in ſuis extrauagantibus generatim declararunt cenſuum emptionem,& venditionem eſſe iuſtam & licitam,nec diſtinguunt hi Pontifices inter antiquos & nouos, ſed in genere de omnibus loquuntur.Quæ declaratio vt de fide tenẽda eſt, cum Eccleſia in rebus fidei ac morum, ad quam rei propoſitæ determinatio pertinet, errare non poſſit, vt ex diuinis literis, & Concilio Complut. contra Petrum Oxonienſem per Sixtum IV. confirmato, aliisque Eccleſiæ decretis conſtat.

3 Tum quia antiqui aliquando fuerunt, noui,& lapſus temporis non fecit eos eſſe iuſtos,ergo ſicut antiqui vendi poſſunt, ita & noui. Per Reg.Iuris non firmatur lib. 6. vbi habetur,non firmatur tractu temporis, quod ab initio iure non ſubſiſtit.

Tum quia huiuſmodi emptio, & venditio eſt actus cadens ſuper debitam materiam, & obiectum,nempe Ius percipiendi annuam aliquam penſionem, quia eſt debita materia venditionis, ergo ſeruatis aliis circumſtantiis,nempe vt fiat iuſto pretio, & à perſonis legitimis ad contrahendum,ac ſine vlla fraude,vel dolo, iuſta eſt, & licita.

Tum quia contractus cenſualis non eſt mutuum vt Henri. & alij perperam exiſtimarunt. Nam mutuatarius in omnem euẽtum cogitur pecuniam mutuo acceptam reſtituere. At venditor cenſus nullo iure compellitur reddere principalem pecuniã, quam accepit,ergo.

4 Et confirmatur: ſi res cenſui ſuppoſita perierit,cenſus ipſe euaneſcit, & perit, & venditor cenſus ſit liber ab omni obligatione, quod in mutuo non accidit. Ita ſanè docent Sot. lib. 6. q. 5. ar. 1.Nauar. cõment. de vſuris num. 70.Couar. lib.3. var. c. 7. num. 2. Leſſ. lib.2.de iuſt. c. 22.dubit. 3. Tolet. lib.5. ſum.ca. 44. Valen.tom.3. q. 5.q.22.p.1. Conr. de contract.q. 75. 79. & 83. Med. C. de reſt. cap. de cenſibus, Ban. 2. 2. q. 78.ar. 4. & Eman. Sà, verb. cenſus.

QVÆSTIO VI.

Quot, & quænam conditiones exigantur, vt cenſus ſit licitus?

1 RESp. 19. Quarum prima eſt, vt vendens cenſum,aſſignet aliquem agrũ ſiue rem immobilem, ex cuius fructibus penſio ſoluatur. Et per rem immobilem intelligitur terra,& quæ ſuper terram ſunt conſtructa, vt ſunt ædificia, & ſuper iſtis immobilibus tantum cenſus conſtitui poteſt, non autem ſuper mobilibus, vt ſunt omnia ſuppellectilia,vt merces,pecuniæ,& ſimilia, vel ſe mouentibus,vt animalia.

QVÆSTIO VII.

An cenſus inſtitui poſſit ſuper nuda, ſolaque cenſuarij perſona?

1 NOn intelligitur quæſtio. An liceat ſecundum ius ſcriptum,& Pontificium inſtituere cenſum perſonalem, quoniam Pij V. conſtitutio prohibet, ne cenſus conſtituatur niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & cenſus aliter conſtitutos tanquam iniquos, & fœneratitios damnat.

Quæſtio igitur eſt. An ex natura rei ſublata humana prohibitione, cenſus rectè inſtitui poſſit ſuper ſola,nudaque perſona.

2 Sunt multi qui exiſtimant id fieri non poſſe. Ita Panorm. cap. in Ciuita. de vſur. D. Anto. 2.p. titu. 1.cap. 8. §.10.Angel. ver. vſura q. 78. Roſell. eodem verbo 1.num.31.

Mol.

Digitized by Google

Molina tom. 2. de contractibus disp. 389. Valasc. de iure Emphyt. cap. 32. num. 10. Gutier. 2. de pract. quæst. q.177. Lop.1. de contract. cap. 54. & Nauar. in comment. de vsur. num. 81. dicit hanc sententiam esse ferè omnium.

3 Alij docent stando in solo iure naturæ talem censum in sola persona posse constitui,dummodò persona super qua constituitur census, sit vtilis,& fructifera, id est talis, vt aliquem fructum sua opera, vel industria pariat, vnde annuum redditū sibi impositum soluat, quia alioquin Ius illud nullius esset momenti,& ira non esset pretio æstimabile.Ita Sot. lib.6.q.5.art 1. Gab. in 4.dist.15.art. 12.Conrad.de contr.q.74.& 75. Medina q.1. & 2. de censibus Palat. lib. 4.de contr.cap.7.Ban. 2.2.q.78.art.4. Barth. Med.in sua instr.conf.§.26.& Couar. lib.3. var.c.7.nu.5.vbi etsi oppositam sententiam fateatur communiorem, hanc tamen vt veriorem amplectitur.

4 Ex qua doctrina colligitur quòd vir nobilis qui nullum temporalé fructum propria arte,vel labore consequitur, quia neque mercator, neque mercenarius est,neq; etiam ex propria industria aliquem fructum habet, sed solùm redditibus nulla propria industria comparatis vescitur, hic neque vendere, neque alius ab ipso personalem censum emere potest,sed solum potest tantum censum vendere,quantum eius bona fructificant.

At verò Gaeta lib. de contract. p. 21. cap. 4. nititur has duas opiniones ad concordiam reducere, dicens primam opinionem esse veram in censu redimibilem. Secundam verò habere locum in censu, vitalicio.

5 Cæterùm quamuis prima opinio aliquo modo probabilis sit, longè tamen probabilior, imò omnino certa videtur secunda opinio, magisque Canonicis sanctionibus consentanea, ac multò proinde securior,fundamentum est,quia potest quis seipsum gratis obligare ad reddendum alteri annuum aliquem redditum, obligatione illa suæ personæ imposita,hāc autem obligationem cum temporalis sit, ac ciuilis, & pretio æstimabilis, potest ex consequenti pretio quo prudentum iudicio æstimaretur vendere; census autem personalis nihil aliud est, quàm emptio, & venditio huiusmodi obligationis, ergò secundùm se, & attenta sola natura contractus,potest instituí census super nuda, solaque persona.

6 Deinde potest quis accepto iusto pretio locare suas operas,ergo & eas vendere, & ex consequenti partem valoris illarum,hoc autem facit censuarius imponens sibi censum personalem, vendit enim censualistæ partem valoris suarum operarum, & vtilitatis earum.

Præterea homo ex natura rei non solùm capax est obligationis, sed etiam iusta de causa se vendere potest ad perpetuam seruitutem,nisi iure humano prohibeatur, ergò à fortiori poterit se ad annuum reditum pro iusto pretio obligare.

7 Et confirmatur,dubitari non potest,quin census possit constitui in persona serui,cuius industria,ars,& opera,cum sit cōmoda & vtilis potest locari,ac proinde vendi.Et certè Innocen. Abbas, & alij tradiderunt in persona serui posse censum annuum cōstitui:solùm videntur negasse constitui posse in persona libera, & hoc ideò, quia Ius humanum tam ciuile,quàm Ecclesiasticum prohibet quominus persona libera vendatur. At Ius naturale,& diuinum non vetat ne liber homo vendtaur: potest enim quis seipsum vendere, & operas suas alteri locare. Deuteron. enim 12. præceptum erat filiis Israel,vt offerrent primitias, & decimas manuum suarum. Et lib.2. Esdræ cap. 10. fideles constituerant super se annuum censum tertiæ partis sicli ad opus domus Dei.

Adde olim Ecclesia solebat exigere decimas personales, quas quisque soluebat ex decimis,& fructibus,& lucris suę industriæ, operæ,& laboris,vt patet cap. Decimæ 16. quæst.1. & cap. Apostolicæ,& cap. Pastoralis de decimis:ergo opera hominis potest vendi, & locari, est enim pretio æstimabilis.

8 Tandem videtur esse conclusio definita à Nicolao Quinto in sua extrauaganti, in qua agens Pontifex de rebus in quibus potest constitui census, 'solam illius naturam prospiciens apertè declarat posse constitui in personis, in redditibus, in iurisdictionibus,in iuribus, in proprietatibus, & in quibuscunque bonis,siue mobilibus,siue immobilibus.Verba illius sunt.Cum apposita contrahentium securitate, tuitione, & idemnitate, ac cum potestate vendentis personas, earumque proprietates reddi-

tus

Digitized by Google

tus, iura iuriſdictiones cenſus & omnia,& ſingula mobilia , & immobilia bona obligandi , & obligare faciendi &c. ergo.

QVÆST. VIII.

An ſtantibus conſtitutionibus Martini V. Calixti III. & Nicolai V. cenſus perſonalis ſit prohibitus?

1 LOpius lib.1.de contract. cap. 55. affirmat.

2 Hoc tamen non obſtante dico longè verius , atque probabilius eſſe contrarium, nam Pontifices ſolùm approbant in illis extrauagantibus cenſus ſibi propoſitos cũ illis conditionibus, minimè verò præcipiunt,aut definiunt eas, ita neceſſarias habere,vt illis , vel aliqua earum deficientibus contractus ſit iniquus,& vſurarius.Ita Sot. lib.6.q.5.ar.2.Couar.lib.3.var.c.7.n.5.Salon. lib. 2. de contract. diſp. de cenſibus artic. 3. & plerique alij.

QVÆST. IX.

An emptio cenſus mixti , ideſt qui partim ſit perſonalis, partim realis, ſit licita?

1 REſpondeo eſſe licitam. Et ratio eſt; quia emptio vtriuſque ſeorſim eſt licita,ergo etiam coniunctim facta.

Obiicies, in extrauagantibus Martin.V. & Calixti III. ſolùm cenſus reales approbantur,ergo perſonales ſunt illiciti.

2 Reſpon.Romanos Pontifices non approbaſſe ſolùm cenſus reales,quamuis de illis ſolis locuti fuerint , quia de his ſolis fuerunt conſulti, vt rectè Sotus Couar. & alij vbi ſuprà annotarunt.

Dices,ſi tibi darem 100. eo pacto vt pro eorum vſu quotãnis mihi ſolueres decem, eſſem proculdubiò vſurarius, quia vſum pecuniæ ſeorſim venderem iuxta doctrinam S.Thom.2.2.quæſt.78. art.1. Sed ita fit in cenſus perſonalis impoſitione, ergò talis contractus eſt vſurarius.

3 Reſpondeo in cenſu perſonali non vendi ab emptore vſum pecuniæ , ſed emi ius exigendi annuam penſionem,ad quam perſoluendam alter obligationem perſonalem ſibi impoſuit.

QVAESTIO X.

An in re mobili,vt in vino, oleo,frumento , & ſimilibus poſſit cenſus conſtitui?

1 QVæſtio intelligitur.An ſtando in ſolo iure naturali , & diuino id fieri queat ?

Nam iure Pontificio nimirùm Mart. V. Calixti III. & Pij V.conſtitutionibus, cenſus creari non poteſt, niſi in re immobili.

2 In qua re conuenit inter omnes,non poſſe conſtitui cenſum in his rebus, videlicet vino , oleo,pane, & ſimilibus, quæ ſtatim primo eorum vſu conſumuntur, in quibus dominium ab vſu non diſtinguitur. Et ratio eſt , quia cum huiuſmodi res ipſo vſu conſumantur, non ſunt vtiles, & fructiferæ,ſalua earum ſubſtantia.

Sed tota controuerſia conſiſtit de aliis rebus ſe mouentibus , vel mobilibus, quæ primò vſu non conſumuntur.

Sunt multi qui exiſtimant non poſſe conſtitui.

3 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium, dummodò cenſus minùs vendatur quàm ſuprà rem immobilem. Nam huiuſmodi res cũ ipſo primo vſu non pereant,ſeruata earum rerum ſubſtantia, ſunt vtiles & fructiferæ.Ita ſanè ſentiunt Sot.li. 6.q.5.art. 1.Conrad.de contract.q. 72. concluſ. 1. Gabriel. in 4. diſp. 15. q. 12. art. 2.

Dixi notanter (dummodò minùs vendatur)quia cum mobile citius pereat,cenſus citiùs extinguetur , quàm ſi ſuprà rem immobilem imponeretur. Et hac de cauſa hic cenſus , & perſonalis ſunt viliùs vendendi.

4 Ex quo colligitur poſſe cenſum vendi in rebus vſu conſumptibilibus , ſi ſint tamen in ſtatu fructificandi , vt in pecuniis expoſitis negotiationi. Et ratio eſt, quia ex rebus vſu conſumptibilibus exiſtentibus in tali ſtatu fructificandi , verè habet quis ius percipiendi vtilitatem;ergò verè habet quòd vendat,quando vendit cenſum,ex illis. Secùs ſi eiuſmodi res vſu conſumptibiles non eſſent in ſtatu fructificandi : tunc enim non eſſet verè ius aliquod recipiendi ex eis vtilitatem,quòd poſſet vendi ex illis.

QVÆSTIO XI.

An vbi conſtitutio Pij V. eſt vſu recepta, poſſit cenſus creari in diuerſis prædiis ſeparatis alicuius?

1 RAtio dubitanda eſt, quia prima conditio in conſtitutione poſita eſt hæc, vt cenſus conſtituatur in re aliqua immobili. Vbi Pontifex ſingulari numero vſus eſt.

2 Nauar.in comment. de vſur.nu. 113.Mol. tom.2.de contract.diſp.389.& Rebel.p.2.de oblig.lib.10. q.6. tuentur partem affirmatiuam. Et probant quia Papa non prohibuit in ſua conſtitutione, dum dicit, ſuper re immobili; & ſic in numero ſingulari non intendit excludere pluralitatem rerum immobilium, ſed res mobiles tantùm;& quia Lex loquens de vno habet locum in pluribus,vbi militat eadem ratio in illis.

Tum quia vna ex conditionibus aſſignatis à Martino V. & Calixto III. in ſuis extrauagantibus eſt, vt venditores cenſuum aſſignent prædia,vel poſſeſſiones in quibus cenſus conſtituunt.

3 At verò Virgin. 2. D. de cenſibus n. 127. docet cenſum non poſſe in tribus prædiis conſtitui, ſi quodlibet prædium per ſe ſufficit ad ſolutionem cenſus annui;at ſi nullum prædium per ſe poſſit tantumdem reddere.quantus eſt cenſus,tunc poteſt in tribus conſtitui cenſus quia perinde eſt, ac ſi in vno prædio conſtitueretur.

QVÆSTIO XII.

An Beneficiarius poſſit cenſum creare in bonis, vel fructibus ſui beneficij?

1 IN qua re certi Iuris eſt,beneficiarium non poſſe perpetuum cenſum conſtituere in bonis, vel fructibus ſui beneficij. Ratio huius eſt,quia tales fructus perpetui non ſunt.

Sed pũctum difficultatis cõſiſtit de cenſu ad tempus certum, vel etiam ad vitam.

Foller. de cenſualibus contractibus §. cenſus n. 22. affirmat, poſſe.

2 Sed communis opinio eſt in contrarium, nam in conſtitutione Pauli II. cap. amb. de rebus Eccleſiæ non alienandis vetatur, ne res Eccleſiæ, vel fructus beneficij locentur, ve obligentur vltra triennium.

Tum quia in conſtitutione Pij V.decernitur, ne cenſus conſtituatur niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur: ſed tales non ſunt fructus beneficij vt conſtat,ergo,

Tum demum, quia hodie non poteſt ad vitam cenſus emi, vel vendi ab aliquo,ſed debet emi, & vendi perpetuò cum pacto redimẽdi,ſtante dicta conſtitutione Pij V. Ita ſanè tenet Virg. 2. p. de cenſibus n. 75.

3 Secunda liciti cenſus conditio vt habet Pij V.diploma,eſt,vt res ſit ſua natura fructifera, id eſt apta ferre fructus de ſui natura. Et fructus appellatione venit omnis redditus,ſiue prouentus,qui nobis obtingit ex fructu terræ, ſiue in frumentis,vel aliis rebus. Imò omnis vtilitas,etiam amœnitas quæ ſolet,& poteſt ex re aliqua prouenire. Vnde arbores dicuntur fructiferæ tũ propter fructus,tum propter amœnitatem.Nauar. com. de vſur. num.113. & Virg. 2.p.de cenſibus num. 27.

4 Hinc ſi res aliqua immmobilis non eſt apta ferre fructum, vt ſunt montes ſaxei, arenoſi,ripæ maris,fluminum,& paludum, & in quibus non patet tutus acceſſus, non poteſt ſuper ea re immobili conſtitui cenſus, quia eſt contra formam dictæ conſtitutionis, quæ vult vt res ſuper quàm conſtituitur cenſus,ſit de ſui natura fructifera.

QVÆSTIO XIII.

An poſſit cenſus fundari ſuper re,quæ non fructificat, quamuis fructificare poſſit? Vt ſunt aliquæ turres, palatia, quæ locari non ſolent, quæ ſi locarentur fructificarent?

1 QVæſtio eſt cuius meminit Nauar.in comment.de vſuris n.113.reſpondet autem ipſe affirmatiuè. Et ratio eſt, quia apta nata eſt fructum reddere de ſui natura,cum ſit pretio locabilis.

Tum quia in lege competit ff. quòd vi, aut clam habetur Cupreſſum qui nullũ fert fructum, ſi amœnitatis gratia retineatur, poſſe dici fructiferam, propter domini,vel fructuarij voluptatem quam capit.

QVÆST. XIV.

Sed quid? ſi res cenſui ſuppoſita ſit talis, vt propter hoſtium incurſus, vel aeris intempe-

vies

riem locari non poſſit, nec ſoleat, quales ſunt turres id eſt, ſortilitia quædam, quæ ſolent retineri pro cuſtodia Ciuitatis?

1 REſpondeo, ſi huiuſmodi impedimenta crebra, & perpetua ſint, non poſſe cenſum conſtitui. Et ratio eſt, quia moraliter loquendo habetur tanquam infructifera. Ita Virg. 2. p. de cenſibus n. 27.

QVÆSTIO XV.

An cenſus inſtitui poſſit in re, quæ non reddit tantam vtilitatem, quantum valet cenſus?

1 MAgiſter Sotus lib. 6. q. 5. art. 1. Couar. lib. 3. var. c. 7. nu. 6. & Conrad. de contr. q. 88. concl. 12. affirmant, fundamentum horum authorum eſt, quia putant cenſum imponi ſuper perſonam directè: eſt enim ius exigendi à perſona, res autem illa, potiùs eſt veluti pignus.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò dicendum, nimirum requiri vt res tot fructus facere poſſit, qui deductis laboribus, & expenſis in fructibus colligendis, ſufficiant ad omnes in poſterum debitas penſiones, ſoluendas. Et ratio eſt, quia cum cenſus ſit venditio & emptio penſionis ſoluendæ ex fructibus rei, quæ cenſui ſupponitur, ſi fructus rei non ſit tantus, quanta eſt penſio, non erit emptio, aut venditio, quia res empta non extat, & ita contractus erit vſurarius.

Deinde ſi res ſit omnino infructifera cenſui obligari non poteſt: ergo ex ea parte, qua tot fructus non facit, qui exæquant cenſum, capax maioris penſionis non eſt.

3 Tandem ſi cenſuarius nullum alium fundum haberet, & ſe obligaret ad ſoluendum v. g. 50. & fundus ſuper quem fundatus eſt cenſus, non redderet niſi 40. ſequeretur ſe obligare perſonam pro ſolutione illorum decem, & ſic expreſsè faceret contra Bullam, quæ prohibet cenſum conſtitui ſuper perſona. Sed dices.

QVÆSTIO XVI.

An id neceſſarium ſit ex natura contractus cenſualis, An verò ſolùm ex Iure Pontificio?

1 REſpondeo ex natura contractus neceſſarium eſſe, vt res tot fructus facere poſſit, quantum eſt annua penſio ſoluenda. Ratio fundamentalis huius rei eſt, quia ſi res non eſt talis, dominus rei venderet Ius, quod non habet quia vendit rem, quæ non fert tot fructus, qui exæquant cenſum. Ita Nau. com. de vſur. nu. 79. Tolet. lib. 5. c. 47. Lop. lib. 1. c. 60. & alij.

2 Eſt autem hic conſiderandum, non opus eſſe, vt res ſuper qua creatur cenſus, eodem omnino anno, quo eſt penſio ſoluenda pariat fructus, ſatis enim eſt, vt ex fructibus illius, vnde cenſus venditur, poſſit tempore conuento ſolui penſio, quamuis res cenſualis alternis tantum annis fructum reddat.

Hinc, cenſu ſuper rem fructiferam ſemel conſtituto, quæ non plus fructificat, quàm ſit primus cenſus, ſuper illam alius cenſus conſtitui non poteſt. Et ratio eſt, quia nullus reddendus reſtat.

QVÆSTIO XVII.

An in re multùm fructifera poſſit imponi cenſus longè minor, quàm ſit fructus, quem res illa quotannis reddit?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia in contractu cenſuali non emitur totum Ius, quod eſt in re ſuppoſita cenſui, nec emuntur omnes fructus, quos per ſingulos annos reddit, ſed emitur pars illorum tantummodò.

Tum quia id habet conſuetudo totius Orbis, quam tamen nemo condemnat.

Tum demum quia Mart. V. Calixt. III. & Pius V. in ſuis extrauagantibus ſolùm declararunt rem cenſualem vt minimùm debere tantum fructum reddere, quantum valet cenſus non verò fructus vberiores eſſe non poſſe, quam ſit cenſus.

QVÆST. XVIII.

An in creatione cenſus habenda ſit ratio pretij, quo res valet, An verò fructuum, quos res quotannis reddit? v. g. eſt magnificum Palatium quod ex locatione modicam penſionem reddit, quod tamen Palatium æſtimatur decem millia aureorum, & contra eſt domus quæ quotannis ſolet reddere magnam penſionem, & tamen non tanti æſtimatur, quanti valet annua penſio quæ ex ea ſolet percipi?

Digitized by Google

1 DOctiſſimus Couar.lib.3. var.cap.7. num.6.putat habendam eſſe rationem æſtimationis rei,non fructuum,qui ex ea percipi ſolent.

Alij verò rectiùs docent,conſiderandam eſſe æſtimationem fructuum , qui percipi ſolent,& poſſunt ex re,non pretij, quo res ipſa valet. Ratio huius eſt, quia in contractu cenſuali non emitur res cenſui ſubiecta,ſed ius percipiendi annuam penſionem ex fructibus rei.

2 Tum quia Pontifices in ſuis conſtitut. fructum rei,non pretium expendunt, definientes fructum rei minorem eſſe non poſſe, quam ſit annua penſio , & re in totum, vel ex parte reddita inutili, cenſum extingui,vel minui pro rata portione ; vbi ſemper haberi videtur ratio fructus, nõ pretij.

QVÆSTIO XIX.

An res cenſualis dicatur reddita infructifera, ſi duobus , tribus , aut pluribus annis non fructificet ?

1 VIrg.de cenſib.p.2.nu. 40. diſtinguit, aut vno vel pluribus annis definit fructus ferre in modica , aut in magna quantitate. Si primum adhuc fructifera cenſetur. Si ſecundum , tunc deſinit eſſe fructifera.

2 Mihi autem magis eorum probatur opinio qui docent non ex eo rem dici redditam infructiferam, quòd vno, vel pluribus annis fructus conſuetos non producat , ſed ex eo , quòd in perpetuum impotens facta ſit ad fructus in futurum reddendos , vt quia prædium non ad tempus propter grandinem,vel pruinam, vel ſiccitatem,& ſimilia,ſed ſimpliciter atque abſque ſpe remedij à mari,vel à Turcis occupatum eſt , vel domus in qua cenſus erat fundatus, corruit tota aut exuſta eſt.

Tum quia paſſim minor cenſus imponitur , quam ſit fructus rei, ac proinde ſi in vno anno res non fructificat , alio anno vberiores, & pleniores fructus facit. Et in Pij V. conſtitutione non dicitur , cenſum in totum,vel ex parte extingui , ſi res fructum non reddat , ſed ſi facta ſit infructifera ex toto , vel ex parte. Ita Nauar.in com.de vſur.num.117. Conrad.de contract. q. 83. concl.12. Med.de vſur.q. vltima.Sot. lib.6.q.5.art.1. Lop.lib. 1. de contract.c.60. Leſſ.lib.2. de iuſt.cap.22.dub. 12. & Moſina d.391.

QVÆSTIO XX.

An poſſit cenſus fundari in re,quæ ſolùm propter induſtriam hominum facta eſt fructifera ?

1 REſp.non poſſe.Et ratio eſt,quia conſtitutio Pij V. vult vt res cenſualis ſit ex ſui natura fructifera.

QVÆSTIO XXI.

An cenſus poſſit collocari in alio cenſu ?

1 VIrg. de cenſibus par.1.nu.49.negat, quia iuxta conſtitutionem Pij V. neceſſe eſt,vt res cenſui ſuppoſita nominatim certis finibus deſignata ſit : At cenſus nequit certis finibus deſignari,ergo.

2 Nauar.in comm.de vſur.num. 87. Leſſ. lib.2.cap.22.dub.12. Mol. diſp.389.Valentia tom.3.d.5.q.22.par.2. & Med.q. 11. de vſur. affirmant poſſe conſtitui , fundamentum potiſſimum huius ſententiæ eſt , quia cenſus verè eſt quoddam bonum vtile,& fructiferum,quippè quòd parit penſionem annuam,ergo poteſt ex eo vendi Ius , & facultas accipiendi ex illo aliquam penſionis partem.

Tum quia cenſus inter bona immobilia numeratur in Clemen.1. §. cúmque annui redditus de verb. ſignif. Sed conſtat poſſe vendi cenſum ex bonis immobilibus, ergo etiam vendi poteſt ex alio cenſu.

3 Meo quidem iudicio quamuis exiguo ſatis, videtur dicendum primo opinionem Nau.veram eſſe ex natura rei,& ſecundùm conſtitutionem Nicolai V. in qua permittitur , vt cenſus conſtituatur in rebus immobilibus,& in redditibus annuis.

Secundò, cenſum non poſſe collocari in alio cenſu , qui perpetuus non eſt , ſed ad tempus , vel qui libera alterius facultate extingui poteſt,quia huiuſmodi cenſus inter bona immobilia non cenſetur.

Tertiò ſi cenſus eſt perpetuus,capax eſt alterius cenſus : nam conſtitutio Pij V. decernit vt cenſus conſtituatur in re immobili , vel quæ pro immobili habeatur : at cenſus perpetuus habetur pro re immobili ex Clement.I. citata,ergo.

4 Nec

Digitized by Google

4 Nec obstat argumentum Virginij, quia illa verba Pij V. (certis finibus designata) referûtur ad illud verbum, in re immobili.

QVÆSTIO XXII.

An possit census fundari in re onerata alio censu?

1 REspondeo non posse, sine consensu eius, qui habet censum. Et ratio est, quia res censualis est domino census obstricta, ergo contra eius voluntatem, alteri obligari non potest.

QVÆSTIO XXIII.

An census possit constitui in re aliena?

1 RESp. non posse, nisi dominus rei consentiat. Ratio huius est, quia res illa est, quæ obligata manet censui, licèt is in cuius commodum census fundatur, soluere teneatur annuam pensionem, dum ea res salua manserit. Nau.com. de vsur. num. 131. & Mol.d. 394.

QVÆSTIO XXIV.

Quid agendum, si quis in re aliena, vel aliis vinculis obstricta censum constituat?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione dico primò, quòd si emptor census sciebat, vel suspicabatur à principio, rem esse alienam, vel aliis vinculis obstrictam, non potest pensiones exigere, & si exigit, tenetur eas computare in partem pretij. Et ratio est, quia talis census reuera non subsistit; eius autem quod non existit, non possunt esse fructus, ac proinde nec percipi iustè ab illo possunt, qui conscius erat, censum non existere, quòd si accipiantur, obnoxij restitutioni erunt. Sicut qui emit boues ab aliquo, sciens non esse ipsius, & eosdem illi locat, non potest exigere pretium locationis, quia locatio non subsistit. Imò verò si in foro fori constet eo modo esse perceptos, pœnis vsurariorum in eo plectetur, qui illos acceperit, quando quidem tunc nullus alius titulus erit, quo accipiantur, quàm vi mutui. Ita Nauar. Com. de vsur. num. 119. Mol.d. 394. & alij.

2 Nec in hoc casu emptor census potest prætendere interesse, quia venditor non tenetur ei de euictione, cum emptor sciens & volens eum emat, ac proinde non est ei causa nullius interesse, vt patet ex l. si fundum C. de euictione.

Secundò dico, quòd si emptor ignorabat a principio domum esse incapacem illius census, licitè potest exigere pensiones à venditore, per totum tempus quo iusta ignorantia laborauit. Ratio est, quia ignorans ignorantia probabili non tenetur de damno cap. secundo de const.

3 Tum quia venditor celans vitia rei venditæ, tenetur emptori ad interesse l. Iulianus ff. de actione empti. Quod est verum, siue venditor census sciuerit rem illam esse talem, in qua census non poterat institui, siue non. Et ratio est, quia emptor census bona fide illas res recepit, sibique erant debitæ vi contractus emptionis census, vt aduertit Mol. loco cit. Postquàm autem sciuerit, non potest in posterum eas exigere, quia census re non subsistit, (nemo enim in rem alienam inuito domino, aut vinculatam Ius alteri vendere potest) potest tamen eum cogere, vt censum in alia re æquè bona constituat, vel vt pretium restituat.

4 Tertiò dico, quòd si venditor census sciebat v.g. fundum esse alienum, vel aliis obligatum, tunc cum dolus in contractu intercedat, & dolus nulli debeat patrocinari, iustè emptor census exigit pensiones à venditore, qui lege, & iure compellitur iterum collocare censum in re secura, vt census ex illa soluatur, vel domini consensum obtinere, dummodò res illa sit capax vtriusque census, vel contractum rescindere, quia ab initio contractus fuit nullus. Mol. disp. 392.

5 Quartò dico, quòd licet venditor census tempore venditionis illius, ignorauerit fundum, in quo constituebatur census, incapacem esse illius, iustè tamen emptor census accepit pensiones non computandas in partem pretij, toto eo tempore, quo ipse id etiam ignorabat, quoniam venditor census tenetur de euictione illius, eo ipso, quo comperitur rem non fuisse liberam, atque adeo tenetur ad interesse census, ex reg. Iuris si tua culpa damnum datum est, iure super his te satisfacere oportet.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXV.

An feudatarius possit constituere censum in re sibi feudum accepta?

1 FOller. de censualibus contract.§.cēsus num. 13. affirmat posse. Cuius ratio potissima est, quia feudatarius habet dominium vtile rei in feudum acceptæ, & ius percipiendi fructum quotannis: At ad contractum census sufficit vt res sit vtilis, & fructifera,ergo.

At Virg. de censibus p. 2. num. 74. negat,& meritò quidem quia res in feudum data alienari, vel alteri obligari sine consensu domini non potest, vt habetur ex c. imperialem. lib.2. feudorum &c.

Tum quia ad censum non sufficit vtile dominium,quia potest feudatarius in pœnam cōmissi incidere & tunc reus feudi ad dominum directum reuertitur, qui nullo iure cogitur censum persoluere, quando res vt potè sua ad eum liberè recedit.

Hoc ipsum dicendum est de re in Emphyteusim accepta, quod dictum est de re in feudum data.

QVÆST. XXVI.

An maritus possit constituere censum in feudo dotali, insciа, vel inuita vxore, non quidem in perpetuum, sed ad vitam suam?

1 FOller. loco citato affirmanter respondet.

2 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Virginio p. 2. de censibus nu. 77. Ratio huius plana est,quia maritus absque vxoris licentia rem dotalem alienare, vel alteri obligare non potest.Et idem prorsus dicendum est de re immobili alicui fide commissa, & de re qualibet restitutioni subiecta, vel quæ legitimè alienari, vel obligari non potest.

Tertia conditio ex constitutione Pij V. est, vt census super re nominatim certis finibus designata constituatur. Et finium appellatione intelliguntur limites quibus, feudi,vel agri; vel domus terminari,& distingui solent. Hanc conditionem Summus Pontifex petit,vt census extingui intelligatur pereunte re.

QVÆSTIO XXVII.

An possit constitui census generatim super omnia bona alicuius præsentia,& futura, quæ excedunt valorem?

1 REspondeo vbi constitutio Pij V. est in viridi obseruantia, perspicuum est, non posse, ibi enim decernitur, non posse aliter censum constitui, nisi in re immobili, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.

Quæstio igitur est,An iure naturali, & diuino id prohibeatur?

1 REspondeo non prohiberi. Ratio huius est, quia in constitutione Nicolai V. facta ad petitionem Alphonsi Aragoniæ Regis,permittitur vt Siculi & Neapolitani census constituant generaliter in omnibus suis bonis. Quod non permitteretur,si Ius naturale,vel diuinū prohiberet.

Tum quia verè habet quis Ius percipiendi vtilitatem ex omnius suis bonis indeterminatè,ergo, potest illud Ius vendere Ita Couar. lib. 3. var. cap. 7. num. 5. & 6. Sot. lib. 6. q. 5. artic. 1. Tolet. lib. 5. c. 5. Med. q. 1. de Censib. Conrad. quæst.74.& 75. de contract. & alij.

2 Cæterum mihi videtur dicendum sic. Si census,cum omnia bona alicuius collocatur, ita ponatur, vt pereuntibus ex toto, vel ex parte bonis, ipse quoque census in totum, vel ex parte pereat, non est contra ius naturale vel diuinum,vt in omnibus bonis constituatur. Si autem sit constitutus super omnia bona, vt pereuntibus quibusdam, census integer adhuc maneat in aliis rebus, quæ supersunt, tunc contra Ius diuinum videtur esse, vt in omnib. bonis constituatur,quia tunc censuarius multum oneris sustinere cogeretur, quia eo ipso quòd omnia sua bona cēsui supponit, non potest alium in suis bonis constituere.

Quarta conditio census in constitutione Pij V. est, vt non fiat, nisi in pecunia numerata.Cuius potissima ratio est,quia censualis contractus verè est emptio, & venditio census,& redditus annui: at in contractu emptionis necesse est, vt verè pretium soluatur numerata pecunia ff. de cōtrah. empt. & Inst. §.1.& 2. eodem tit. ergo.

QVAE

QVÆSTIO XXVIII.

An census possit institui, soluto pretio illius in alia re, quàm pecunia numerata?

1 NOn intelligitur quæstio. An possit iuxta Ius Pontificium institui census, redditis in pretium illius, aliquibus mercibus, quæ pretio æstimantur: quoniam Pius V. in sua extrauaganti prohibet, ne census constituatur, nisi in pecunia numerata.

Tota igitur vis quæstionis in eo versatur. An ex natura rei prohibeatur census aliter institui, quàm in propria pecunia?

Virgin. 2. p. de censibus n. 50. affirmat.

2 Alij verò vt Nau. in comment. de vsur. n. 107. Lop. in suo instr. negot. lib. 1. c. 59. & Salon. lib. 2. de contr. disp. de censib. negant ex eo fundamento, quia vt commune proloquium apud omnes receptum testatur, pecunia est quidquid pecunia æstimari potest, ergo qui reddit merces, quibus tunc venditor census eget, perinde est, ac si pecuniam numeratam illa traderet.

Deinde, si tibi deberem centum, abunde tibi satisfacerem, si darem merces totidem aureis æstimatas.

Profectò, quamuis vtraque opinio mihi satis probabilis esse videatur, posterior tamen mihi magis placet, tum quia mitior, tum quia plurium & grauiorum authorum consensu, & testimonio comprobata, & satis firma ratione fulta, dummodò hæ duæ conditiones adsint.

3 Prima est, vt merces illæ quæ traduntur in pretium census: exhibeantur in pretio iusto, moderato, & honesto.

Secunda vt res illæ verè, & in oculis Dei citra omnem fraudem, & dolum essent vtiliores, aut æquè vtiles venditori census, sicut pecunia numerata, quia eas aliunde erat quæsiturus, & empturus, si pecuniam numeratam ab emptore census accepisset.

4 Ex quo deducimus verum esse id quod tradit Couar. lib. 3. var. c. 11. n. 1. & seqq. videlicet Titius emit census à Caio, & loco pretij dat Caio domum, quæ quotannis ex locatione reddere solita est tantum, quantum est census, & censum ipsum constituit Titius in domo, quam tradit ipsi Caio loco pretij.

Quinta conditio, quæ etiam ex Pio V.

habetur, est, vt pretij solutio, & numeratio fiat præsentibus testibus, & notario, & in actu celebrationis instrumenti, & non aliter. Per quæ verba significatur, quòd notarius, & testes debent videre solui pretium integrè, & verè in pecunia numerata, qui videant realiter numerari, & tradi per emptorem venditori, & de hac numeratione in præsentia Notarij, & testium facta in instrumento census, fides debet per notarium fieri, ad hoc, vt pateat quòd sit seruata forma tradita in dicta constitutione Pij V.

5 Animaduertat hoc loco notarius, quòd nunquam debet scribere partem recepisse pecuniam, nisi numeratio facta fuerit eo præsente, & vidente, sed debet scribere, confessus fuit, habuisse, & recepisse, alioquin incidit in crimen falsi, quia affert testimonium de eo, quod non vidit, & potest venditor, si verè non fuit numerata pecunia allegare dictum instrumentum falsum, & probare producendo testes qui fuerunt præsentes.

QVAESTIO XXIX.

Interrogabis, An ex natura rei talis conditio sit necessaria?

1 MVltis visum est, esse necessariam.

2 Mihi verò longè probatur contrarium, ducor, quia solennes Iuris formulæ ad euitandas fraudes & dolos, seruari iubentur, ac proinde vbi nulla est fraus, seruato Iure naturali, & diuino, satis esse, si secundùm conscientiam contractus fiat; si reuera solutum sit pretium census, quamuis non coram testibus, & notario, contractus secundùm conscientiam valet, quia nihil fit in fraudem legis, cum posita sit lex ad euitandas fraudes. Ita sentiunt Nau. in com. de vsur. num. 106. Valen. tom. 3. d. 5. quæst. 22. p. 4. Salon. lib. 2. de contr. disp. de censibus art. 2. & Palac. lib. 4. de contr. cap. 6. Imò arbitror hanc Pij V. constitutionem non esse quantum ad hoc vsu receptam videlicet vt pecunia soluatur, & numeretur coram testibus, & notario: vsus solùm habet, vt pretium soluatur, præsentibus testibus, & notario, non autem vt pecunia quæ soluitur numeretur coram illis.

QVÆST. XXX.

An ex pecunia iam antea debita licitè, ac validè possit constitui census?

1 REspondeo vbi motus Pij V. est in viridi obseruantia, certum est, non posse censum aliter institui, quam ex pecunia præsenti, actu, & reipsa coram Notario & testibus numerata.

Quæstio ergo proposita ad ea tantùm loca, & Regna pertinet, in quibus illa constitutio, neque recepta est, neque obseruatur. Perinde est, ac si quæreretur.

QVÆSTIO XXXI.

An attento solo iure naturali, & diuino iustè possit institui census in foro animæ ex debitis præcedentibus, nimirum ex contractu emptionis, vel mutui, vel ex pensionibus iam excussis?

1 IN hac quæst. Michael de Palac. lib. 4. de contr. c. 6. Reb. 2. p. de oblig. lib. 10. q. 1. Azor. 3. p. inst. mor. lib. 10. c. 8. & Fel. de solis lib. 1. de censibus c. 8. n. 13. negant id licitè fieri.

2 At verò Nau. in com. de vsuris num. 88. & 121. Lop. lib. 1. de contr. c. 58, Barth. Me. in sua instr. conf. §. 26. Tiraq. lib. 2. de retract. n. 137. Salon. lib. 2. de contr. disp. de censib. art. 3. & Less. lib. 2. de iust. c. 22. dub. 12. affirmant id fieri posse tuta conscientia, seruatis duabus conditionibus.

Prima est, vt debita illa sint realia, & iustè contracta.

3 Secunda vt in creatione census nulla vis, aut fraus interueniat. Et ratio huius est, quia natura contractus censualis illud tantùm exigit, vt emens censum, verè, & realiter totum pretium soluat, ne venditor cogatur reddere pensionem eius, quod non accepit, quod esset ei nociuum; at quando creatur census ex debitis realibus, & iustè contractis, & in eius creatione nulla vis, vel dolus intercedit, emptor census totum pretium verè, & realiter persoluit, cum transferat in dominium sui debitoris omnem pecuniam, quæ ipsi debebatur, & quam poterat in iudicio ab illo petere, nec inde aliquod damnum venditori census sequitur, ergo. Hanc opinionem censet esse probabilem Rebel. loco cit. q. vlt.

QVÆSTIO XXXII.

An possit census constitui ex pecunia credita?

1 REspondeo vbi constitutio Pij V. est vsu recepta, certum est non posse, ibi enim expressè hoc vetatur. Quæstio igitur est.

An iure naturali, & diuino id fieri possit?

1 SOtus præclarus Thomista, & olim Salmanticæ S. Theologiæ Cathedraticus primarius lib. 6. de iust. q. 5. ar. 1. censet id posse fieri, & probat quia cũ contractus census sit quędam emptio, & venditio, sicut in omni venditione licet venditori credere emptori totum pretium, vel partem illius, ita quoque licebit illud in censu.

2 Hoc tamen non obstante, dico longè verius, atque probabilius esse contrarium quod tenent doctissimus Med. in sua instruct. conf. fol. 146. Lop. lib. 1. contract. c. 59. Nauar. comm. de vsur. n. 82. & Salon. lib. 2. de contract. disp. de censibus art. 3. cuius præcipuum fundamentum est, quia census non est quælibet venditio, sed de præsenti, & non in diem, cum ab ipso momento initi contractus venditor census maneat debitor soluendi pensionem annuam, ergo vt iusta, & honesta sit huiusmodi emptio, debet pretium illius in celebratione contractus statim reddi.

Sexta conditio est, vt pretium in numerata pecunia sit iustum, & in totũ solutum.

QVÆST. XXXIII.

Quodnam sit iustum pretium census?

1 REspondeo pretium census iustum, & æquum illud esse, quod vel lege Principis, siue Reipublicæ constitutum fuerit, vel vbi lex illud non præscribit, quod fuerit communi vsu loci receptum, dummodò non excedat decem dro centenario vt dicitur in constitut. Nicolai V. Et ratio huius est, quia cum contractus census sit vera emptio, & venditio, de pretio census eadem omnino ratione iudicandum esse, qua de pretiis aliarum rerum, & mercium: vnde cum in cæteris rebus, quæ non rarò emuntur, ac venduntur iustum rei pretium sit, quod lege, vel statuto Principis, vel Reipu

Reipublicæ taxatur, vel vbi lex illud non præscribit, fuerit communi vsu fori receptum, eadem omnino ratione iustum pretum census sit, quod in singulis Prouinciis lex superioris constituit, vel communi vsu eo in loco obseruatur. Vnde in Sicilia Nicol.V.& Greg.XIII. in suis extrauagant. probant census qui vendebantur ad rationem vnius pro decem quia sic erat in communi vsu ibi receptum. Idem Calixt. III. & Mart. V. approbarunt in censibus realibus pro Polonia, & Germania: deficiente autem lege, & consuetudine, tunc attendenda est similitudo locorum ad loca, in quibus est lex, vel consuetudo, nam cum sint similes regiones quantum ad rerum pretia, & res ipsas, potest simile seruari pretium licet contractus talis in vsu non fuerit. Ita Less.lib.2.c.22.dub.14. Conr.q.84. de censibus, & Cou.lib.3.var.c.10.n.1.

QVÆSTIO XXXIV.

An si census viliùs minoris iusto pretio emantur, pensiones sint restitutioni obnoxiæ, quæ parte superant iustum pretium?

1 IN qua re conuenit inter omnes, pensiones esse restitutioni obnoxias, si pretium census est lege Principis, vel vsu fori taxatum, cum clausula irritante contractũ. Et ratio est, quia contractus qua parte census superat pretium, est irritus, ergo nullus subest titulus quo recipiatur ille excessus pensionum. Vnde qui censum valentem centum, emit quinquaginta debet restituere dimidiam pensionum partem.

2 Sed tota concertatio est, quando pretium nullum est, lege, vel vsu fori taxatum, vel cum clausula irritante contractum?

Nonnulli censent excessum illum pensionum esse restituendum.

Alij verò negant, & meritò quidem, quia qui emit agrum minoris iusto pretio non tenetur fructus agri restituere, sed pretium supplere, & resarcire damnum, si quod ex carentia iusti pretij obuenit venditori: atqui pensiones sunt veluti fructus census, ergo ex pensionibus nihil est restituendum, sed tantùm pretium supplendum. Ita Less.lib.2.de iust.c.22.dub.15.

QVÆSTIO XXXV.

An propter modicitatem iusti pretij cum pacto de retrouendendo, contractus census sit vsurarius?

1 NAuar.cap.17.nu.149. sentit esse vsurarium.

2 At ego arbitror in hoc casu attendendum esse contrahentium animum, nam si animus eorum verè fuit emere, ac vendere ius illud exigendi annualem pensionem, contractus est quidem iniustus ob defectum iusti pretij, minimè verò vsurarius. Si verò animus eorum fuit non emere, sed mutuare, est vsurarius.

Septima conditio ex eadem constitutione Pij V. est, vt non fiat, nec in pactum deducatur anticipata solutio, id est vt venditor census non cogatur soluere pensionem, nisi pro rata temporis elapsi.

QVÆSTIO XXXVI.

An ista conditio sit necessaria ex natura contractus?

1 REspondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia cum illa obligatio anticipandæ solutionis sit pretio æstimabilis, venditor census plus apertè solueret, quàm valet census, quia soluit pensionem, & obligationem illam anticipãdi eam. Vnde emptor dum pretium soluit, non potest ex eo detrahere pensionem primi semestris, per modum anticipatæ solutionis, aut elapsa parte temporis exigere ampliùs, quàm pensionem illi parti respondentem.

QVÆSTIO XXXVII.

An pactum vt solutio pensionis anticipatè fiat, possit in aliquo casu licitè fieri?

1 REspondeo posse scilicet ex mutuo, & libero vtriusque contrahentis consensu, emptore pretium augente propter illam obligationem, quæ cum sit ciuilis, est pretio æstimabilis, & hoc locum habet in locis, vbi constitutio Pij V. non est vsu recepta, nam vbi illa vim habet, nullo modo neque aucto pretio illud licebit, nisi secluſa fraude censuarius velit sponte sua anticipatò soluere; tunc autem est fraus, quando est tacitum pactum, quia emptor non emeret, nisi venditor anticipatò solueret.

QVÆSTIO XXXVIII.

An ſi ex vi pacti aliquæ ſolutiones anticipatò fiant, tales ſolutiones ſint neceſſariò reſtituendæ?

1 REſpondeo eſſe reſtituendas. Et ratio eſt, quia Pius V. in ſua extrauag. nõ ſolùm vetat, ne venditor cenſus ad ſolutiones anticipatas obligetur, verum etiam decernit contractum cum tali pacto initũ, eſſe ipſo facto irritum, & nullum, ac talem ſolutionem anticipatam fœneratitiam, & vſurariam haberi, ergo non ſolùm pactum eſt iniquum, ſed etiam penſiones annuæ anticipatò ſolutæ reſtituendæ ſunt.

Octaua conditio in conſtitutione Pij V. eſt, vt nulla conſtituantur pacta, quibus aliquis contrahentium teneatur directè, vel indirectè ad caſus fortuitos ad quos ex natura contractus non teneretur. Hæc conditio poſita eſt in gratiam venditoris cenſus: & eſt æquiſſima, quia periculum & commodum rei venditæ, poſt quàm venditio eſt perfecta, ſpectat ad emptorem.

QVÆSTIO XXXIX.

An iſta conditio ſit neceſſaria ex natura contractus, an verò ſolum ex iure ſcripto humano?

1 SOt. Conrad. & Couar. locis ſup. cit. qui tenent in omni cenſu reali obligatam eſſe perſonam, affirmare coguntur hanc conditionem ex iure ſcripto, non naturali requiri.

2 Verùm contraria ſententia eſt communis, & certa. Et ratio eſt quia ſicut emolumentum, & commodum rei, venditione completa ad emptorem pertinet, ſic etiam periculum, & damnum.

QVÆST. XL.

An pactũ, vt venditor cenſus teneatur ad caſus fortuitos poſſit in aliquo caſu licitè fieri?

1 SVnt, qui putent id fieri non poſſe.

2 Arbitror tamen contrarium eſſe affirmandum, modò huiuſmodi pactum ex æquo compenſetur aucto pretio cenſus iudicio probi, & intelligẽtis viri. Ratio huius eſt, quia hic ſunt duo pacta, quæ ſeorſim iuſtè fieri poſſunt, vt ſi primo ematur iuſto pretio cenſus abſolutè; deinde iuſto pretio fiat pactum, vt venditor ſemper teneatur ad penſionem in quouis euentu, etiamſi res cenſualis pereat: ergò etiam poſſunt ſimul fieri, quæcunque enim ſeorſim ſunt iuſta, etiam iunctim iuſta ſunt.

Nona conditio eſt, ne vlla pacta indebita, aut conuentiones adiungantur, quibus alter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias ex natura contractus non teneretur. Quæ conditio iuſtiſſima eſt ſecundùm ſe & naturam rei, & ideo vbique eſt obſeruanda, non ſolùm in conſtitutione cenſus, verum etiam in omni contractu.

3 Hinc non poteſt pactum apponi, vt ſi debitor v. g. rem vendat, teneatur decimam partem pretij dare emptori cenſus niſi ſecluſa conſtitutione Pij v. ex æquo cõpenſetur. Et ratio eſt, quia eſt valdè oneroſum, & præter naturã cõtractus cẽſualis.

QVÆSTIO XLI.

An venditor cenſus teneatur ſoluere tributum Principi, vel Reipublicæ, quod ex re cenſui ſubiecta debetur?

1 REſpondeo teneri. Ratio eſt, quia vẽditor dominium rei cenſui ſubiectæ penes ſe retinet, & tributum eſt onus rei impoſitum, ergo is qui eſt dominus rei, tributum, ſoluere tenetur.

QVÆSTIO XLII.

An pactum poſſit apponi, vt debitor cenſus obligetur actione hypothecaria de euictione?

1 REſpondeo poſſe. Ratio eſt, quia Motus Pij. V. ſolùm prohibet, ne aliquis contrahentium obligetur contra naturam contractus: at huiuſmodi pactum eſt emptioni & venditioni intrinſecum: nam ſi res cenſualis euincatur, tenetur venditor emptorem indemnem ſeruare, ergo huiuſmodi pactum eſt ſecundum naturam contractus.

Decima conditio eſt, vt non fiat pactum reſtringens libertatem venditoris alienandi rem cenſui ſuppoſitã. Quæ conditio poſita eſt in gratiam venditoris, qui cum retineat penes ſe dominium rei, in qua cenſum

cenſum conſtituit, natura huius contractus poſtulat, vt poſſit liberè vendi.

QVÆSTIO XLIII.

An huiuſmodi pactum in contractu cenſus appoſitum cum iure naturæ congruat?

1 SVnt multi qui tenent congruere, Vt Sot. lib. 6. q. 5. ar. 2. & Palac. lib. 4.

2 Sed verius, ac probabilius multo eſt. quod docet Nauar. comm. de vſuris num. 91. & 114. aſſerens huiuſmodi pactum ſimpliciter, & abſolutè appoſitum ſola virtute contractus cenſualis, & communi tãtùm pretio cum iure ac natura cenſus repugnare. Probatur, hæc conditio eſt propria contractus emphyteuſim datæ directum dominium eſt penes eum, qui rem dat, & ideò poſſeſſor inconſulto domino eam rem alienare non poteſt, at verò directum dominium rei cenſui ſubiectę retinet penes ſe venditor cenſus, ergò non eſt, cur vetetur eam diſtrahere, & alienare, niſi ipſe in illud conſentiat quaſi diſtincto contractu, diſtinctoq; pretio pro tali pacto.

Vndecima conditio eſt, vt debitor cenſus non poſſit rem alienare, niſi prius indicet domino cenſus pretium, & conditiones, quibus res eſt vendenda, vt ſi ei libuerit tantidem rem illam emat, ita, vt ſit ille aliis præferendus, & per menſem expectetur illius deliberatio.

3 Quæ conditio habet quidem vim, vbi conſtitutio Pij V. recepta eſt. An autem in aliis locis vim habeat obligandi dubiũ eſſe poteſt. Perinde eſt, ac ſi quæreretur.

QVÆSTIO XLIV.

An iſta conditio ſit neceſſaria ex natura rei?

1 SOt. lib. 6. q. 5. ar. 3. Valentia tom. 3. d. 5. q. 22. p. 7. tuentur partem affirmatiuam, quia ſi res venderetur viro potenti, vel multis priuilegiis inſtructo, difficulter obtineretur ſolutio penſionum.

2 Oppoſitum tamen quod docet Salon. loco ſuprà citato eſt verius, atque tenendum. Probatur, quia nulli alteri iuri neque naturali, neque diuino aut humano innititur.

Tum quia hæc conditio pugnat cum natura huius contractus, quoniam per hunc contractum venditor cenſus non amittit plenum abſolutumq; dominium illius rei, ad plenum autem, abſolutúmque dominium, pertinet, vt habens illud poſſit de re, cuius dominus eſt, pro libito diſponere, & in quem voluerit, tẽ illam liberè trãſferre.

3 Poſſet tamen hoc pactum in contractu cenſus apponi ex mutuo, & libero vtriuſque contrahentis conſenſu, reddito pro eo aliquo iuſto pretio ſeorſum & diſtincto ab eo, quo cenſus ſecundum ſe venderetur.

Putat tamen Leſſ. lib. 2. c. 22. dub. 11. & quidem non improbabiliter poſſe huiuſmodi pactum apponi abſque augmento pretij, præſertim cum Pius V. illud inter requiſita ad conſtitutionem cenſus numeret. Niſi apud Gallos interueniat Decreto quòd ſit ſuper fundis debitoris domini Cenſus, deperdit cenſum ſiue annuam penſionem poſt Decreti adiudicationem ſeruatis ſeruandis.

QVÆSTIO XLV.

An hoc Priuilegium conueniat etiam hæredibus domini cenſus?

1 REſp. conuenire. Et ratio eſt, quia hæres neceſſarius & defunctus pro vna, & eadem perſona reputantur.

QVÆSTIO XLVI.

An hoc Priuilegium tranſeat ad eum, cui cenſum donauit, vel vendidit dominus eius?

1 REſp. tranſire. Et ratio eſt, quia dominus cenſus habet liberam facultatem vendendi, ergo ſi donet, vel vendat, cẽſus cũ ſuo Priuilegio, & beneficio trãſit.

QVÆSTIO XLVII.

An huiuſmodi Priuilegium, quod conceditur cenſuario ſuper re, in qua eſt cenſus duret redempto cenſu per venditorem, ſi alteri vendere voluerit?

1 QVæſtio eſt, cuius meminit Nauarr. com. de vſur. nu. 127. reſpondendum eſt ergo iuxta mentem eius, huiuſmodi priuilegium non durare, niſi pro eo tẽpore,

quo est censuarius, nam in constitutione Pij Quinti, sic habetur. Vbi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri: at si res est redempta à cēsus solutione, non adest dominus census, & sic dominus rei liberatæ à censu potest cuicunque libuerit, vendere.

QVÆSTIO XLVIII.

An per huiusmodi Priuilegium dominus census sit præferendus proximiori, qui ratione statuti Ciuitatis habet Ius prælationis?

1 NAuar.com.de vsur.n. 117. & Molina tom.2. de contr. d.394. negant quia non possunt sibi persuadere, esse intentionem Papæ velle tollere priores gratias, ac Priuilegia ritè anteà concessa, quare iuxta mentem Nauar. & Molinæ, dominus census solùm est præferendus cæteris communibus eiusdem rei emptoribus, non verò habentibus priuilegium prælationis. Hæc sententia est valdè probabilis.

2 Contrariam tamen puto veriorem, quia Pius V. voluit proximioribus, & vicinis præiudicare, ibi enim sic dicitur. Vbi autem res vendenda sit, volumus dominum census omnibus aliis præferri. Dictio enim (Omnis) est vniuersalis, & comprehendit omnes, nam qui omne dicit, nihil excludit.

Et in calce dictæ constitutionis adest clausula, (non obstantibus quibuscunque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis, & consuetudinibus, nec non priuilegiis,) ex quibus tolluntur constitutiones, statuta & consuetudines contrariæ. Domini census apud Gallos admittitur in ordine suo, vbi plures concurrunt creditores simul in debitorem census quod placet & videtur æquissimum.

QVÆSTIO XLIX.

A quonam die, ipse mensis debeat numerari?

1 REspondeo à die, quo dominus census fuit intimatus de venditione facienda.

QVÆST. L.

An primus dies illius mensis inter alios dies pro computato haberi debeat?

1 REsp. minimè, quia dies termini non numeratur in termino lege 1. & ibi Barth. & alij ff. si quis caut.

QVÆST. LI.

An si censuarius, inscio censualista rem censui obnoxiam alteri vendat, ac tradat, talis venditio sit valida?

1 REspondeo esse in conscientia validam. Ratio est, quia promissio rei futuræ alicui facta, non efficit, vt traditio actualis eiusdem facta alteri non teneat, quamuis peccet mortaliter, cum obligatione restituendi damna, non seruans fidem proximo datam in re graui, quia nocuit illi cum iniuria. Potest tamen in iudicio rescindi, quia Ius domino census acquisitum vi constitutionis Pontificiæ, tolli per priuatum hominem non potest. Huius opinionis post alios videtur esse D. Nau. qui cum in com. de vsuris nu. 92. dicat hanc vndecimam conditionem à Pio V. positam non esse necessariam, sed in contractu census iustè posse dimitti, necessariò fateri debet talem venditionem fuisse validam.

QVÆSTIO LII.

An si non facta intimatione emptori census de venditione facienda, res vendita fuerit, possit emptor agere contra venditorem pro censu soluendo?

1 COuar. lib. 3. var. cap. 7. num. 22. negat, ductus ea ratione, quia res cum suo onere ad possessorem transit, ergò tantùm possessorem conuenire potest.

2 At D. Nau. com. de vsur. n. 116. Virg. p. 1. de censib. nu. 23. & alij docent dominum census Ius, & actionem habere pro censu soluendo, etiam in venditorem, ita vt possit eum, vel eius hæredes in iudicio conuenire, etiam si non possideat, eo quòd ipso non consulto, res est alteri vendita, ac proinde potest annuam pensionem exigere, vel à possessore rei, vel à venditore. Secùs vbi fuit facta intimatio emptori census de vēditione facienda, quia tunc ipse venditor, & eius hæredes ratione personalis hypothecæ conueniri non possunt ampliùs, sed est conueniendus possessor rei super quam est impositus census.

QVÆ

QVÆSTIO LIII.

An debitor cenſus poſſit rem cenſualem in partes diuiſam duobus, tribuſue diuendere facta prius intimatione cum cenſualiſta, vt ſi velit emere talem poſſeſſionem ſuper qua eſt impoſitus cenſus, emat?

1 REſpondeo poſſe. Et ratio eſt, quia hoc nec cum contractu cenſus pugnat, nec à Pio Quinto in ſua conſtitutione prohibetur.

QVÆST. LIV.

An ſi res cenſui ſubiecta in plures hæredes diuidatur, vel pluribus vendatur per partes, poſſit dominus cenſus à ſingulis integram penſionem exigere?

1 COu.lib.3. var.c.7.n.7.negat, quia iſtæ obligationes ſunt in rebus diuiſis, igitur rebus diuiſis, diuiduntur obligationes.

2 Nauar.com.de vſur.n.118. Molina tom.2. de contr.diſp.383.& Leſſ.lib.2.de Iuſt. c.22. dub.12.putant dominum cenſus Ius habere exigendi annuum reditum tum à quolibet poſſeſſore, tum etiam à venditore rei. Et probant, quia multiplicatis hæredibus, vel emptoribus non debet fieri deterior conditio venditoris.

At verò Virg.de cenſibus p.2.n.32.& 33. ait, quando res vendita, vel relicta hæredibus diuiſionem non patitur, quilibet emptorum, vel hæredum creditori in ſolidum obligatur: quando verò res diuiſionem recipit, conſortium quilibet etiam hæredum ex ſua tantùm parte tenetur. Ratio eſt, quia res tranſit cum onere ſibi annexo: ergo ſi pars vna transfertur in Caium, non obligatur in ſolidum, ſed ex parte.

3 Cæterùm cum hac diſtinctione meliùs reſponderi poſſe videtur. Aut enim Titius qui poſſeſſioné ſuper qua eſt cenſus, duobus vel tribus vendidit, venditionem domino cẽſus intimauit iuxta conſtitutionem Pij V. aut non. Si primũ, tunc Meius qui eſt dominus cenſus, non habet ius à Titio exigendi penſionem: nec item in ſolidum poteſt à quolibet poſſeſſore poſtulare, ſed partem à ſingulis. Ratio eſt, quia ſi poſſet agere contra quem vellet pro tota ſumma, videretur facere contra Bullam Pij V. quia ſi periret, vel fieret infructuoſa pars alterius poſſeſſoris, nil ſentiret Meius de damno, conueniendo omnes, quia conueniret etiam illum poſſidentem partem deperditam, vel factam infructuoſam. Si verò inſcio Meio facta eſt venditio poteſt ipſe Meius à Titio totum cenſum annuum exigere, quia ex facto malo venditoris, non deterioratur conditio creditoris.

QVÆST. LV.

An ſi res cenſualis vendatur, minoris æſtimari debeat?

1 REſpon. affirmatiuè. Ratio huius eſt, quia minùs valet res onere, vel vinculis obſtricta, quàm libera; at cum venditur res cenſualis non venditur libera, ſed vinculis onuſta, eo quod emptor tunc obligatur domino cenſus, ergò multò minoris æſtimatur.

Duodecima conditio eſt, vt non fiat pactum, quo venditor cenſus cogatur emptori cenſus ſoluere laudemium. Nomine autem laudemij intelligitur id quod ſoluitur domino, quando conſentit in alienatione rei emphyteuticæ: ſolet autem ſolui 50. pars pretij illius rei alienatæ. Apud Gallos ſoluitur quinta, quarta, tertia, media pars pro laudemio etiam decima, duodecima, iuxta conſuetudinem locorum.

2 Decima tertia conditio, eſt vt re ſuper qua cenſus eſt conſtitutus in totum, vel pro parte perempta, ipſe quoque pro rata pereat. Hæc conditio petit vt inquiramus.

QVÆST. LVI.

An ſi res cenſui ſubiecta pereat, debitor teneatur annuam penſionem ſoluere?

1 REſp.vbi conſtitutio Pij V.eſt vſu recepta, affirmandum eſt, hunc non teneri, quia vna ex conditionibus aſſignatis in dicta conſtitutioñe eſt, vt re cui cenſus imponitur pereunte, in totum vel ex parte, vel effecta infructuoſa, ad ratam, ideſt ſecundùm proportionem pereat cenſus.

Quæſtio ergo propoſita in his tantùm Prouinciis locum habet, in quibus illa conſtitutio neque recepta eſt, neque obſeruatur

ſeruatur vt in Regnis Hiſpaniæ. Perinde eſt ac ſi quæreretur.

2 An remoto iure poſitiuo, ex natura rei perſona debitoris remaneat obligata ad ſoluendum annuam penſionem in caſu quo res cenſui ſuppoſita pereat?

3 Sot.lib.6.q.5.art.1.Couar.lib.3. var. c.7.n. 6.Salon.lib.2.de contr.diſp.de cenſib. art.3. Conrad.de contr.q.74.concl.4. Palat.lib.4. de contr.c.6. Felic.de ſolis lib.1. de cenſib. c.8.n. 19. & plerique alij docent ex natura rei, & propria ratione huius contractus, ſemper perſonam debitoris cenſus obligari,quantumuis interierit res,in qua fundatus eſt cenſus.Et probant,quia vbi eſt obligatio,ſiue actio realis ex contractu,eſt etiã obligatio & actio perſonalis.

Tum quia in more poſitum eſt, vt venditor cenſus bona ſua pariter, & ſe, obliget emptori.

4 His tamen non obſtantibus communis omnium tam Theologorum, quam Iuriſperitorum ſentẽtia habet, pereunte re cenſui ſubiecta, venditorem omni obligatione eſſe ſolutum, & liberum. Ratio huius eſt, quia cõtra naturam,& rationem venditionis,& emptionis eſt, venditorem ſeſe, ſuaque bona perpetua obligatione aſtringere ad aſſecurationem rei venditæ,etiãſi ipſam perire contingat. Nam natura contractus exigit, vt res empta poſt traditionem non venditori,ſed emptori pereat.

Tum quia contractus cenſus eſt venditio penſionis ſoluendæ ex fructibus certæ cuiuſdam rei: quapropter ſi non ſunt fructus, non erit penſio ſoluenda, cum non penſio quorumcunque fructuum, ſed determinatorum vendita ſit.

5 Tum quia cenſus ſuper rem immobilem creatus,habet ſe reſpectu illius ſicut accidens reſpectu ſui ſubiecti,at verò accidens huiuſmodi eſt naturæ,vt corrupto ſuo ſubiecto totaliter,ipſum quoque totaliter corrumpatur, & corrupto pro parte, pro ea parte etiam corrumpatur: ergo pari ratione extincta totaliter re cenſui ſuppoſita, totaliter debet extingui & cenſus, & extincta pro parte, pro parte etiam debet cenſus perire.

Nec conſuetudo eſt in contrarium,quia quando vẽditor emptori ſe cum bonis ſuis obligat,non id facit, quaſi ſuam perſonam cenſui ſubiiciat,ſed vt cenſus quem vendit tutus & ſaluus perſeueret,hoc eſt ſi res cẽſualis euicta fuerit tanquam aliena, vel aliis oneribus obſtricta, cogatur venditor aliam rem ſubrogare, vel pretium reſtituere.Ita Mol.tom. ſecundo de contract. diſp. 389. & 391.Tolet. lib.5.cap.45. Lop.lib.1. de contract.ca.53. & communis.

6 Hoc autem intelligi debet,ſi abſque negligentia cenſuarij res perit, ſi enim per eius negligentiam id accideret, tunc titulo damni illati deberet penſionem nihilominùs ſoluere, quandoquidem in cauſa ipſe eſſet,vt cenſualiſta amitteret ſuum cenſum.

QVÆSTIO LVII.

An hæc conditio etiam in cenſu irredimibili, & perpetuo ſit neceſſariò obſeruanda?

1 NOnnulli negant, quia de ratione cenſus irredimibilis eſt perpetuitas.Huius ſententiæ videtur eſſe Sotus lib. 6. quæſt.5.art.11.

2 Sed huius oppoſitum quod tenet Nau. com.de vſur. num.87.& Lop.lib.1. de contract. cap.60. eſt verius, atque tenendum.

QVAESTIO LVIII.

An ſi domus ſuper quã cenſus erat collocatus, omnino corruat, iterumque in eadem area, ex eadem materia alia ſimilis erigatur,cenſus quoque reuiuiſcat?

1 REſpondeo non reuiuiſcere. Et ratio eſt, quia diuerſæ ſunt domus, & prior omnino periit:Secus autem ſi domus per partes reficiatur,quia tunc cum eadem maneat,cenſus non perit. Ita Nauar. com. de vſur.nu.118.Molina diſp.394. & Leſſ.lib. 2.cap.22. dub.12.

QVÆSTIO LIX.

Sed quid? ſi molendinum in quo impoſitus erat cenſus deſtruatur à domino,ex eo quod aqua mutauit curſum & conſtruatur ab eodem domino in alio loco propè curſum dictæ aquæ?

1 REſpondet Nau. com. de vſur.nu.118. non teneri dominum de ſecundo molendino ſoluere cenſum? Et ratio eſt, quia molendinum ædificatum de materia deſtructi molendini non dicitur idem molendinum

molendinum l. inter ſtipulantem §. ſacram verſ. & nauis. ff. de verb. oblig. Tenetur tamen reddere pretium cenſus, vel conſtituere illum ſuper nouo molendino, vel alia eius re.

QVÆST. LX.

Sed quid? ſi res in qua cenſus erat collocatus dolo aut culpa debitoris aeſtruatur?

1 MOlina tom.2. de contr.d. 394.cenſet teneri eum collocare illum in re alia, in qua cenſus æqualis eſſet valoris, aut reddere tenetur pretium cenſus.

2 At oppoſitum quod tenent, Nauar.com. de vſur. num. 118. & Rebell. p.2. de oblig. lib. 10. q. 6. eſt verius, ſcilicet tunc etiam cenſum perire pro rata, non ſecùs, ac ſi per culpam cuiuſuis tertij res deſtrueretur: verùm vt dominus cenſus haberet cõtra tertium actionem doli quo ad cenſus pretium, totumque intereſſe lucri ceſſantis, ac damni emergentis, ſic contra ſuum cenſuarium eandem actionem dominus cenſus habere.

Decimaquarta conditio eſt, vt non fiat pactum, quo venditor cenſus ob moram ſolutionis penſionum obligetur ad aliquid vltra penſionem perſoluendam, vel ratione lucri ceſſantis, vel alicuius cambij, aut expenſarum, vel ad aliquam aliam pœnam.

QVÆSTIO LXI.

An poſſit cenſus conſtitui cum pacto, vt ſi debitor cenſus ſit moroſus in ſoluendo, teneatur reſundere lucrum quòd ceſſat domino cenſus?

1 IN qua re conuenit inter omnes attento iure naturali, & diuino poſſe venditorem cum emptore paciſci, vt ſi fuerit ad ſoluendum in mora, eo ipſo lucra, quæ ob moram ſolutionis ipſi ceſſant reſarcire teneatur vt cum communi Theologorum ſchola docet ſapientiſſimus Caiet. 2.2.q.78.ar.2.

Tota igitur difficultas conſiſtit in hoc, An huiuſmodi pactum cum Pij V. conſtitutione pugnet?

2 Reſpondeo pugnare. Vult enim ſapientiſſimus Pius V. vt debitor cenſus quoad eius fieri poteſt, oneribus ſit immunis, ac liber, præſertim cum inde nulla iniuria vel damnum emptori ſeu domino cenſus ſequatur; ſufficit enim vt poſſit conuenire in iudicio debitorem ſuum, & Iudicis ſententia cogetur debitor non ſolùm annuam penſionem ſoluere, verumetiam lucrum, quod creditori ceſſat. Prohibet itaque Pius V. hoc in pactum deduci ob fraudem vſurariam, poteſt tamen poſtea exigi tanquam debitum. Idem dicendũ ſi emptor aliquas rationabiles expenſas in exigenda, & recuperanda penſione contractus fuerit ſubire, idq; ex culpa debitoris. Ita Nau.com. de vſur. nu. 83. Mol. d. 390. & Virg. p. 1. de cenſib. num. 9.

QVÆSTIO LXII.

An pactum, quo venditor cenſus ſe adſtringit reſarcire damnum emergens, quod ex ſua mora contingit cum dicta conſtitutione pugnet?

1 REbell.p. 2. de oblig. lib. 10. q. 6. & D. Nauar. in. comment. c vſuris nu. 83. negant id eſſe contra prædictam conſtitutionem, quia Pius V. ſolùm meminit lucri ceſſantis, non damni emergentis.

2 Oppoſitum tamen videtur verius, nam debitor cenſus tam iure diuino quam humano tenetur ſoluere expenſas à creditore factas ob moram ſolutionis, & tamen motus Pij V. vetat, ne id in pactum deducatur, ne debitor cogeretur ſoluere tantum quantum arbitrio creditoris taxaretur, ſed tantùm, quantum Iudicis arbitrio, & ſententia decerneretur. Et vt vno verbo dicam non prohibet exigere ab illo quidquid ſemoto quocunque pacto, licitè exigere poterat, ſed ſolùm vetat exigere quippiã aliud pacti contractui cenſuali additi.

QVÆSTIO LXIII.

An venditor cenſus poſſit obligari ad aliquam pœnam, ſi in ſoluendo fuerit in mora?

1 REſpondeo non poſſe, quia tale pactum prohibetur in dicta Pij V. conſtitutione. Vnde ſi ab emptore cenſus, aliquid exactum ſit a debitore ob non ſolutum cenſum tenetur in conſcientia id reſtituere.

QVAE

QVÆST. LXIV.

An huiuſmodi pactum cum iure naturali, & iure ſcripto communi pugnet?

1 REſpondeo non pugnare. Ratio huius eſt, quia quando debitor ex malitia vel ex negligentia penſionem ſoluere negligit, ipſam pœnam meretur.

Tum quia huiuſmodi pactum poteſt fieri ex communi contrahentium conſenſu: & in contractibus conuenta, & pacta contrahentium ſeruari debent, ergo.

2 Exiguntur autem ad huiuſmodi pœnam rectè, & iuſtè imponendam, duæ conditiones.

Prima vt culpa venditoris intercedat, puta quia cum potuerit, ſua culpa non ſoluit; ſi enim abſque culpa ſua nō ſoluit, quia nimirum non habet, nec ſua culpa incidit in talem impotentiem, tunc poteſt exigi, non enim debetur vbi nulla eſt culpa. Secunda eſt, vt ſit pœna proportionata culpæ: non enim licitum eſt pro minima culpa, grauem imponere pœnam, nec iuſtè exigitur poſt culpam.

QVÆST. LXV.

An poſſit pactum adiici, vt ſi debitor cenſus intra certum tempus non ſoluerit, incidat in pœnam commiſſi, ſeu amiſſionis rei cenſuariæ?

1 REſpondeo non poſſe, ſtante conſtitutione Pij V. quæ prohibet fieri pacta, quibus venditor cenſus incidat in pœnam commiſſi ob moram ſolutionis. Sed quod habet difficultatem eſt.

QVÆST. LXVI.

An ſtando in ſolo iure naturali, & diuino, tale pactum cum natura cenſus pugnet?

1 REſpondeo pugnare. Et ratio eſt, quia hæc pœna commiſſi, eſt propria emphyteuſis, & cenſus reſeruatiui, in quibus is qui rem dat retinet ſibi directum, & abſolutum dominium; at cum cenſus eſt conſignatiuus, emptor non acquirit dominium rei cenſuariæ, ſed ſolum ius annuam penſionem exigendi.

Tum quia hæc pœna non eſt rationabiliter proportionata culpæ, ſed immoderata, & exceſſiua, vt ſi quis per biennium cenſum exiguum non ſoluat, poſſeſſionem valentem mille ducatos amittat. Ita Mol.d. 381. Cou.lib.3. var.c.7.n.1. Nau.com.de vſur. nu.93. Salon.lib.2. de contr.diſp.de cenſib. art. 3. & Virg.p.1.de cenſib.num.60.

2 Poteſt tamen huiuſmodi pactum eſſe iuſtum, ſi ratione huius pœnæ appoſitæ ad ſeruandam æqualitatem inter pretium, & cenſum, pretium cenſus augeretur. Nam certum eſt, cenſum cum tali pacto eſſe pretioſiorem, quam ſine illa.

QVÆSTIO LXVII.

An in contractu cenſus pactum poſſit apponi, vt ſi per biennium non ſoluerit, contractus reſoluatur, & cenſuarius cogatur reſtituere pretium?

1 REſpondeo vbi conſtitutio Pij V. eſt in viridi obſeruantia, certum eſt, nō poſſe, ibi enim expreſsè hoc vetatur.

Quæſtio igitur eſt, An iure naturali, vel iure ſcripto communi huiuſmodi pactum damnetur?

Virg.de cenſib.p. 2.nu.3. putat damnari.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò affirmandum, quia ſi mora, & culpa debitoris intercedat in ſoluendo annuam penſionem, repetetur ex pacto ab eo pretium, quod ab initio accepit, & ad id ſe ſponte domino cenſus obligauit. Ita Leſſ. lib.2.de Iuſt.c.22.dub.11. & Med.q.15.de vſura.

QVÆST. LXVIII.

An poſſit pactum apponi, vt ſi debitor cenſus, rem cenſualem vendiderit, teneatur eo ipſo cenſum extinguere?

1 REſpondeo non poſſe, quia hoc prohibet manifeſtè ipſa conſtitutio Pontificia, vbi decernitur, vt venditor cenſus liberam habeat facultatem vendendi, & alienandi rem cenſui ſubiectam. Nauar. com.de vſur.nu.115. & Virg.de cenſibus p. 2.num.54.

Decima quinta, quam exigit Pius V. in ſua extrauaganti eſt, vt ex penſionibus debitis, vel debendis non augeatur cenſus iam conſtitutus. Quæ ſicut, & cæteræ eſt obſer

obſeruanda, vbi dicta conſtitutio eſt vſu recepta, nam dominus cenſus poteſt facilè coram Iudice conuenire debitorem, vt Iudicis ſententia penſiones prætermiſſas ſoluere cogatur.

QVÆST. LXIX.

Sed dubium eſt. An iure naturali, vel iure ſcripto communi huiuſmodi pactum damnetur?

1 REſpondeo non eſſe iure naturali, vel ſcripto communi damnatum, vt cēſus augeatur ex debitis verè, ac reipſa ſubſiſtentibus, ſecluſa omni fraude, & dolo: at verò Pius V. id prohibuit, quia graui onere cenſus debitor premeretur. Ex debendis verò, nec dum actu, & reipſa debitis, nullo modò licet cenſum creare; tum quia pretium cenſus debet eſſe præſens, quòd autē nondum debetur, præſens eſſe non poteſt.

2 Decima ſexta conditio eſt, vt liberum ſit venditori redimere, & extinguere cenſum in toto vel in parte, quandocunque voluerit pro ſuo arbitratu idem pretium reſtituere. Nam cum contractus cenſus ad contractum venditionis reducatur, fit ſubinde ſane, vt ſicut contractus venditionis iniri poteſt cum pacto de retrouendendo, ſic etiam contractus cenſus cum eodem pacto celebrari poſſit.

Quæ conditio non eſt neceſſaria ex natura rei, alias omnis cenſus irredimibilis, & perpetuus, qui aucto pretio celebratur: negata tali facultate redimendi eſſet ſua natura reprobatus, quem tamen vſus acceptat, & comprobat.

QVÆST. LXX.

An cenſus conſtitui poſſit cum hoc pacto, vt emptor poſſit repetere pretium à venditore quando voluerit?

1 NOn diſputamus modo. An iuxta conſtitutionem Pij V. cenſus cum huiuſmodi pacto conſtitui poſſit, quoniam Pij V. conſtitutio ad cenſum requirit, vt ſit irredimibilis ex parte emptoris, niſi in caſu quo venditor intimat emptori redemptionem, tunc enim iuxta dictam conſtitutionem poteſt illum cogere ad reddendum pretium infra annum, & quando fuit impoſitus cenſus ignoranter ſuper re non libera.

Sed tota difficultas eſt. An iure naturali & diuino id fieri queat?

2 Sot. lib. 6. q. 5. art. 3. Ban. 2. 2. q. 78. art. 4. & Couar. lib. 3, var. cap. 9. nu. 3. putant tale pactum eſſe vſurarium, quia videtur mutuum virtuale cum lucro, poſtquam percipit emptor fructus ſaluo capitali.

3 Mihi verò longè probabilius videtur cōtrarium, quod tenent Gab. in 4. diſt. 15. q. 12. art. 2. Conrad. de contr. q. 84. Med. qu. 15. de vſura dub. 5. Arag. 2. 2. qu. 78. artic. 4. Tolet. lib. 5. cap. 45. Leſſ. lib. 2. cap. 22. dub. 11. & Val. tom. 3. diſp. 15. quæſt. 22. p. 6. & q. 25. p. 2. vbi refert eandem ſententiam à multis doctiſſimis Theologis Romæ in quadam conſultatione, cui ipſe interfuit, Anno à Chriſto Nato 1581. probabilem eſſe iudicatam, etſi ob periculum vſurarum minimè ſuadendam. Ratio fundamentalis huius eſt, quia adhuc cum tali pacto differt iſte contractus à mutuo: cum in cenſu emptor ſubeat periculum perdēdi capitale, ſi pereat res ſuper quam eſt cenſus, in mutuo autem hoc periculum non ſit, nec debere tunc emptorem computare penſiones interim perceptas in partem pretij, modo tamen aliquo alio modo grauamen quod per pactum imponitur iuſtè ipſi ab emptore cōpenſetur.

QVÆST. LXXI.

Quid? ſi cenſus conſtituatur, vt redimi queat poſt decennium, non antè?

1 REſpondeo hoc pactum cum conſtitutione Pij V. pugnare.

Vtrùm autem cum iure naturali & diuino pugnet controuerſum eſt inter Doctores.

2 Hoſt. Io. Andr. & alij in cap. ad noſtram de empt. tuentur partem affirmatiuam.

At verò Sylueſt. verb. vſura 2. quæſt. 15. Tolet. lib. 5. cap. 48. & alij negant, & quidem probabiliùs, modò huiuſmodi pactū iuſto pretio compenſetur.

QVÆST. LXXII.

An poſſit cenſus ita conſtitui, vt ſi venditor intra certum tempus non redemerit, maneat perpetuus, & irredimibilis?

Reſpon

1 REspondeo vbi constitutio Pij V. est vsu recepta,& obseruatur,non licet hoc pactum apponere, cum illud omnino prohibeat. An autem in aliis locis vbi recepta non est,id fieri queat, controuertitur inter Doctores.

2 Virg.de censib.p.1.nu.43.& p.3.nu.55. affirmat non posse. Eandem sententiam sequuntur Nau. com.de vsur.n.7.& Cou.lib. 3.var.ca.8.nu. 6. & 7.quamuis Couar. non censeat illum esse vsurarium. Nauar. verò vsurarium appellet.Nam Mart.V.& Calixt. 3.constitutiones præcipiunt, ne apponatur pactum,quo directè,vel indirectè venditor census priuetur libera facultate redimendi illum quocunque tempore, aliter esse fœneratitium.

Oppositum huius docent Gab.in 4.disp. 15.q.12.art.2. Conrad. de contr.q.83. concl. 8.Med.C. de rest.cap. de censu redimibili. Sot.lib. 6. q. 5. art.3. Less.lib.2.cap.22.dub. 9.Molina disp.391. & plerique alij.

3 Ex his duabus opinionibus, hæc posterior probabilior est,modo iustum pretium ratione huius pacti arbitrio prudentis cõstituatur. Ratio huius est quia tale Ius,est certo pretio æstimabile, ergo iustè poterit eo vendi.

Tum quia licitum est secundùm omnes emere censum perpetuum,& irredimibilem absolutè reddito iusto pretio, ergò à fortiori licebit illum emere data libertate venditori redimendi illum intra certum aliquod tempus,seruato iusto pretio ad iudicium boni viri, quia ista conditio est in fauorem venditoris.

4 Et confirmattur,quia quo census est minus redimibilis, eo est instior,magis enim tunc emptionis & vẽditionis qua dominiũ transfertur,naturam sapit,& quando tempus redimendi limitatur est minùs redimibilis, quam si non limitatur. Vnde iustum pretium talis census debet esse maius, quã si semper maneret redimibilis, & minùs quàm si absolutè esset irredimibilis, vt per se constat. Vnde quò tempus illud quo libertas relinquitur est longius, eo debet pretium esse minús, & quò tempus illud est breuius, eò debet esse maius.

Demum talis emptionis exemplum habemus Leuit.25.vbi dicitur, qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec impleatur annus,si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor, possidebit eam, & posteri eius in perpetuum & redimi non poterit etiam in Iubilæo.

5 Et ad fundamentum contrariæ opinionis respondeo,Martinum,& Calixtum,Romanos Pontifices approbare quidem in illis constitutionibus census sibi propositos cum illis conditionibus, nunquam tamen definire eas ita esse necessarias, vt illis deficientibus census sit vsurarius.

QVÆSTIO LXXIII.

An pactum possit apponi,vt venditor intra decennium illum redimere non possit,post verò illud tempus, possit ?

1 NOn disputamus modò. An possit huiusmodi pactum apponi iuxta constitutionem Pij V. quoniam prohibetur apertè in dicta constitutione, qua decernitur ne venditor priuetur libera facultate redimendi quotiescũque illi libuerit.Quod ergo quærimus est.

An huiusmodi pactum in contractu censuali appositum cum iure naturali & diuino pugnet ?

1 COuar.lib.3.var.cap.8.num.8.affirmat pugnare.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentiunt Conrad.de contr.q.83. concl. 8.Med.C.de restit.q.de censu redimib. Sot. lib.6.q.5.art.3.Tolet.lib.5.ca. 48.& Felician. lib.1.de censib.c.7.nu.9.modò ratione illius pacti reddatur venditori,qui illam obligationem onerosam in se suscipit, iustũ pretium ad iudicium boni viri.Ratio huius est quia seclusso iure Pontificio licet cõstituere censum perpetuum, & omnino irredimibilem, reddito iusto illius pretio,ergò licebit quoque fundare illum sub ea lege, vt intra decennium non possit redimi,reddito etiam iusto pretio ratione huius obligationis.Probo consequẽtiam,quia quæ est ratio totius ad totum,est partis ad partem.

QVÆST. LXXIV.

An possit fundari census cum eo pacto vt venditor ad redimendum censum eodem pretio astrictus maneat, quando emptori placuerit ?

Non

Digitized by Google

1 NOn intelligitur quæſtio. An ſecundum ius ſcriptum, & Pontificium cenſus cum huiuſmodi pacto conſtitui poſſit, quoniam conſtitutio Pij V. ad cenſum requirit, ne debitor creditori ſe obliget ad redimendum cenſum.

Sed tota difficultas conſiſtit. An iure naturali, & diuino id fieri queat?

2 Sot. lib 6. q. 5. art. 3. Nauar. com. de vſur. num. 97. & Virg. de cenſib. par. 3. n. 27. negant ex eo fundamento, quia tali pacto appoſito contractus huiuſmodi iam non eſſet cenſus, ſed mutuum cum lucro vltra ſortem, quod eſt manifeſta vſura.

3 Alij verò vt Gab. in 4. d. 15. q. 12. ar. 3. Conrad. de contr. q. 84. Med. C. de vſura quæſt. 15. Couar. lib. 3. var. cap. 9. nu. 3. & alij affirmant, ducti ea ratione quia huiuſmodi contractus non eſt mutuum, ſed vera emptio, & venditio, quoniam totum damnum, & commodum cenſus ad emptorem pertinet; nam re cenſuali in totum, vel ex parte pereunte, ipſe cenſus quoque ex toto, vel ex parte euaneſcit, & venditor liber eſt ab obligatione pretium reddendi; at mutuatarius in omnem euentum rem mutuo acceptam reddere tenetur. Et hæc opinio mihi videtur verior atq; tenenda, verum omninò eſſe ab huiuſmodi cõtractu abſtinendum, quoniam habet ſpeciem vſuræ, cum emptor ſibi reſeruet ius repetendi pretium, & lucrum interim accipiat, nec computet in ſortem.

QVÆSTIO LXXV.

An poſſit in pactum deduci, vt cenſuarius non poſſit redimere cenſum niſi in totum, non per partes?

1 QVæſtio intelligitur. An iure naturali, & diuino id fieri poſſit: nam iure Pontificio nimirum Mart. V. Calixti iij. & Pij V. conſtitutionibus relinquitur venditori cenſus libera facultas redimendi in totum, vel per partes.

Nauar. com. de vſur. nu. 95. & 102. Sot. lib. 6. q. 5. ar. 3. Virg. p. 2. de cenſib. nu. 8. & Foller. de contr. in verb. inſtrumentum gratiæ nu. 37. negant poſſe cenſum conſtitui cum tali pacto.

Roderiq p. 1. ſum. c. 44. & Lop. lib. 1. de contr. cap. 59. de. mente. R. Patris Ioan. de la Penna diſtingunt inter pauperem, & diuitem, nam ſi venditor cenſus dives eſt, & potens, iuſte poteſt fundari cenſus cum hoc pacto, ne poſſit alter redimi quam in totum, non per partes, quia cum ſit dives, & potens, nullum onus, vel grauamen illi ex hoc pacto accreſcit; quod ſi pauper ſit, & ita egens, vt moraliter loquendo cenſeatur nunquam habiturus tantam pecuniam, quanta requiritur ad illum redimendum, iniquum eſt apponere tale pactum, vt non poſſit ab illo redimi per partes, niſi ratione huius pacti, quod pauperi maximum onus eſt, & grauamen pretium aliquod iuſtum diſtinctum à communi pretio cenſus reddatur.

3 At verò Angles de cenſibus condit. 7. & Sarmient. lib. 7. ſelect. interpret. c. 1. n. 28 tenent abſolutè, & ſimpliciter poſſe cenſum iuſtè fundari cum tali pacto, vt non poſſit redimi, niſi in totum, non per partes; nec diſtingunt inter venditorem diuitem, vel pauperem, nec iudicant ratione huius pacti augendum eſſe pretium.

Ego igitur vt abſolutam rei huius cognitionem habeamus, dico primò quod attento ſolo iure naturali, & diuino, poteſt cenſus ex mutuo contrahentium conſenſu conſtitui cum pacto, vt venditor poſſit redimere cenſum per partes. Ratio eſt, quia cum Ius exigendi annuam penſionem vẽditori onoroſum ſit, nihil magis rationi conſonum, quam vt poſſit venditor huiuſmodi onus à ſe excutere via ſibi commodiori in integrum, vel per partem accedente emptoris conſenſu. Ita Lop. lib. 1. de contr. cap. 59.

4 Secundò dico, quòd poteſt in pactum deduci, vt venditor cenſus, non poſſit per minutiores, ſed per certas, ac definitas quantitates: vt ſi pretium cenſus ſint mille aurei, non poſſit illum redimere, niſi per partes, quarum vnaquæque ſint ducenti, vel trecenti aurei, quia emptor cenſus ſic paciſcendo ſuæ conſulit indemnitati, dum ſic cauere ſtudet damnum, quod aliàs ſubiret. Ita Sot. lib. 6. q. 5. ar. 3.

Tertiò dico, quòd ex natura rei poteſt cenſus conſtitui cum pacto, vt non poſſit redimi niſi totus ſimul. Et ratio eſt, quia contractus cenſus eſt vera emptio, & venditio, at non repugnat naturæ emptionis, & venditionis, vt res quæ emitur cum pacto retrouendendi, nõ poſſit aliter redimi, niſi in totum, & nõ per partes, ſicut paſſim fit

in emptionibus agrorum, & aliarum rerum immobilium, quæ quandoque cum simili pacto & conditione venduntur. Ita Less.lib.2.c.22.dub.11.

5 Quartò dico, quòd ratione huius pacti, augendum est pretium, & reddendum aliquod peculiare illi iustum, quia negari non potest, hoc pactum cedere in vtilitatem emptoris; etenim vbi census non potest nisi in integrum redimi, tardiùs, & difficiliùs redimetur. Ita Tolet.lib.5.sum.c. 45.

Quintò, & vltimò dico, quòd si constituatur census cum pacto redimendi illum, non tamen exprimatur in contractu, qua ratione redimendus sit, in totum an per partes, tunc seruanda est loci consuetudo, & illi standum, quia consuetudo recepta in commerciis, contractibúsque humanis pro lege habenda est, qua cessante probabile est, posse censum iure naturali per partes extingui, nihil enim impedit quominùs venditor census onus suis rebus impositum paulatim alleuet vt docet Nau. com. de vsur.num.95.

6 Nihilominùs Mol. disp. 393. Ban.2.2.q. 78.art.4.Lop.lib.1. de contract.c.59.Garc.2. p.de contract. condit. 5. & Sarmient.lib.7. select.interpret.c.1.n.28. probabiliùs putant, non posse redimi nisi in totum simul, quando non est in pactum deductum, vt redimi possit per partes, quorum sententia plerisque Doctoribus neotericis hodiè arridet. Ratio huius est, quia sicut pretium integrum in emptione census numerari debuit in fauorem venditoris, ita æqualitas iustitiæ, quæ inter vtrumque seruanda est, exigere videtur, vt in redemptione eiusdem census idem integrum pretium à censuario emptori reddatur.

Nec obstat quod in constitutionibus Martini, & Calixti apposita est conditio redimendi etiam per partes: nam Pontifices licet expressè approbauerint contractus ea conditione affectos, non tamen reprobauerunt ea conditione carentes.

QVÆSTIO LXXVI.

An pactum possit apponi, vt si venditor census velit illum redimere, teneatur redimere maiori pretio, quàm fuerit ab initio emptus?

1 REspondeo vbi extrauagantes Martini V. Calixti III. & Pij V. receptæ sunt, redactæ in vsum, certum est, non posse tale pactum apponi, ibi enim expressè hoc prohibetur.

Quæstio igitur proposita locum habet tantùm in locis, vbi illæ extrauagantes neque receptæ sunt, neque obseruantur. Perinde est, ac si quæreretur. An huiusmodi pactum cum iure naturali, & diuino pugnet?

Couar.lib.3.var.c.3.num.4. Salon.lib.2.de contract.disp.de censib.art.3. & Conrad.de contract.q.84 affirmant pugnare.

2 Alij verò rectiùs negant. Ita Mol.disp. 392.Med.C.de rest.q. de censu redimib. & plerique alij qui docent, quòd semota lege Pontificia potest ab initio apponi pactum, vt si venditor velit censum redimere, teneatur redimere eo pretio, quo tempore redemptionis æstimabitur, & quo aliis tunc vendi posset. Quòd si moraliter certum sit pluris valiturum, potest etiam pacisci, vt pluris redimatur.

QVÆSTIO LXXVII.

An census possit minoris emi, aut cariùs vendi, quàm fuerit ab initio constitutus?

1 NAnar. comm. de vsur. num.122. & Sarm.lib.7.Selec.interpret.c. 1. nu. 40. affirmant.

Alij verò negant.

2 Ego autem vt rem paucis absoluam quatenùs ad rem nostram pertinet dico primò quòd si census habet pretium taxatum à lege, vel receptum communi vsu fori, non potest minoris emi, quam à principio fuerit constitutus, vt per se constat, & tradit eleganter Cordub. de casibus conscientiæ q.79.

3 Dices, lex Principis tantùm est intelligenda de prima census emptione, & constitutione, non autem de emptione secunda, vel tertia.

Resp. negando antecedens, quia lex indefinitè loquitur, & vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, & quia iustitiæ ratio hoc suadet, vt res æquè bona, & sana æquali pretio, & non minori ematur.

Tum quia census qui de nouo instituitur, & qui iam erat constitutus secundùm veram rei substantiam, & effectum non differunt, neque aliam vtilitatem habet vnus, quam alter, at census qui iam priùs fuit

fuit constitutus, non poterat aliter emi quam pretio legis, vel fori, ergo neque qui de nouo constituitur.

4 Secundò dico, quòd si census non habet pretium à lege præscriptum, vel communi hominum æstimatione, tunc potest emi minoris, quam ab initio fuerit creatus.

Ratio huius est, quia pretium naturale non consistit in indiuisibili. Nam merces vltroneæ venditæ, vel cum existit illarum ac venditorum copia, vilescunt, sicut reduntur etiam cariores, quando existit illarum penuria, & emptorum abundantia.

Tertiò dico, quòd contractus census, qui cum hoc pacto fit, vt tanti redimatur, quanti valuerit tempore redemptionis, est licitus, & honestus. Et ratio est, quia vtriusque conditio incerta relinquitur.

5 Quartò & vltimò dico, quòd quando res in qua census est constitutus periclitari incipit, aut quia sine magnis expensis non soluitur pensio, tunc census viliùs emi potest, ac vendi pro ratione illius periculi. Ita Lop. lib. 1. de contract. c. 58.

QVÆSTIO LXXVIII.

An iuxta constitutionem Pij V. census viliùs emi possit, ac vendi in euentu quo ex se minoris valoris efficitur, aut quia litigiosus, vel difficilis, aut quia alicui periculo expositus est?

1 Resp. posse. Ratio est, quia talis euentus per epicheiam videtur excipiendus, quia si Pontifex de hoc fuisset interrogatus, an eum comprehendere ea constitutione intenderet, dubitandum non est, neganter fuisse responsurum. Ita Mol. disp. 392.

QVÆSTIO LXXIX.

An facultas redimendi censum concessa venditori locum habeat solùm in censu redimibili?

1 Respondeo locum habere etiam in censu perpetuo irredimibili. Et ratio est, quia constitutio Pij V. generaliter loquitur, & ita videtur generaliter intelligenda, nam vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nauar. comment. de vsur. num. 122.

QVÆST. LXXX.

An qui censum vendidit, possit dare partem pretij cuidam tertio ea lege, vt soluat partem pensionis, quæ ei parti pretij respondet?

1 Resp. non posse. Et ratio est, quia conferens partem illam pretij accepti alicui alteri simpliciter, ac sine alio contractu census inter ipsos inito, verè pecuniam illam ei mutuat; per mutuum autem obligare alterum ad soluendam partem pensionis, quam ipse emptori debet, est quærere lucrum ex illo mutuo, quod est vsura. Ita tenent Nau. in com. de vsuris num. 115. & Molina disp. 393.

QVÆST. LXXXI.

An census extingui possit per compensationem?

1 Resp. posse, modò debitum sit liquidum, quod est verum, etiam domino census renuente, & extraiudicialiter admonendo eum, vt deinceps censum pro extincto habeat ratione talis debiti æqualis. Ita Nau. comm. de vsur. nu. 213. Mol. d. 394. & Reb. p. 2. de oblig. lib. 10. q. 6.

QVÆSTIO LXXXII.

An iuxta Pij V. constitutionem liceat censum extinguere in alijs rebus à pecunia numerata?

1 Respondeo licere. Et ratio est, quia Pius V. vt optimè annotauit Mol. disp. 394. solùm loquitur de emptione census, nam in extinctione non erat periculum ea via palliandi vsuras, atque iniustitiam committendi sicut in illius emptione.

Tum quia Bulla cum sit à iure exorbitãs, nõ videtur ad redemptionem extendenda.

QVÆSTIO LXXXIII.

An in contractu census liceat adhibere fideiussores, vel pignora?

1 NOn intelligitur quæstio. An iuxta Ius Pontificium liceat in contractu census adhibere fideiussores, vel pignora, quoniã id motu proprio Pij V. prohibetur.

Sed quod quærimus eſt. An ex natura rei, hoc eſt, ſecundùm ius naturale id fieri queat.

2 Pro cuius deciſione dico primò, quod non licet in contractu cenſus exigere fideiuſſores, vel pignora, ita vt re in qua cenſus collocatur, pereunte, vel inutili facta poſſit emptor cenſus ad fideiuſſores, vel pignora recurrere. Ratio eſt, quia cenſus eſt emptio, & venditio, repugnat autem naturæ venditionis, vt venditor ſeipſum, & bona ſua obliget in ſecuritatem cenſus ab alio empti, cum de natura emptionis ſit, vt periculum rei emptæ maneat penes ipſum emptorem, & illi pereat, quia per emptionem eſt iam effectus illius Dominus, quidquid autem perit, domino ſuo perit. Molina diſp. 391.

3 Secundò dico, quòd quando cenſus ita conſtituitur, vt licet imponatur in re immobili, & fructifera, iudicio tamen boni viri aliquod imminet probabile periculum, vel non recipiendæ ſolutionis, aut interitus ipſius cenſus, licet emptori in ſui ſecuritatem exigere à venditore cenſus præter ſpecialem obligationem, & hypothecam fideiuſſores, & pignora. Ratio eſt, quia iure naturæ fas eſt vnicuique ſeipſum ſeruare indemnem, vt quemadmodum venditor optimam, probatámque recipit pecuniam in pretium, ita & emptor rem ſibi ſecuram, & vtilem emat, ne à venditore decipiatur, quod naturæ contractus non repugnat, imò eſt illi valde conſentaneum. Mol. ſupra.

4 Tertiò, & vltimò dico, quòd quando res quæ cenſui ſubiicitur, ſecura eſt, illúdque pro conſtanti habetur, ita vt nulla laboret ſuſpicione in contrarium, eſtque ſufficiens vt talis cenſus imponatur, iniquum eſt virtute huius contractus aliam ſecuritatem a venditore illius exigere. Ratio eſt, quia exigere duas ſpeciales obligationes, quarum vnaquæque abunde eſt per ſe ſufficiens, eſt contra iuſtitiam, cum ex natura rei, emptor nihil aliud petere poteſt, quàm debitam ſecuritatem, qua ſeruetur indemnis, ad quam abunde ſufficit prima illa hypotheca.

Dixi notanter (virtute huius contractus) quia virtute alterius contractus, ſcilicet aſſecurationis, ſicut obligari poteſt venditor aucto pretio ad aſſecurandum rem venditam, ita ad præſtanda pignora, & fideiuſſores pro hac aſſecuritate, poteſt arctari, ſed tunc tantò maior debet eſſe auctio pretij, quantò diuturnior fuerit hæc aſſecuratio.

QVÆST. LXXXIV.

An in contractu cenſus neceſſaria ſit ſcriptura?

1 REſp. eſſe neceſſariam, vbi extrauagans Pij V. eſt vſu recepta, cum cenſum aliter fundamentum nullum eſſe decernat; vbi verò conſtitutio illa non obſeruatur, perſpicuum eſt ſcripturam abſolutè, & ſimpliciter non eſſe neceſſariam, cum illa non tanquam neceſſaria ad ſubſtantiam contractus, ſed ad rei tantùm materiam, & fidem inter homines introducta ſit. Vt habetur in l. contrah. C. de pignor.

QVÆSTIO LXXXV.

An gabella debeatur in cenſus venditione cum pacto de retrouendendo?

1 REſpondeo deberi. Et ratio eſt, quia venditio fuit pura. Ex redemptione autem cenſus quæ poſtea fit, nullam gabellam deberi, quidquid dicat Couar. lib. 3. var. cap. 11. quia non cenſetur alia venditio, ſed ceſſatio prioris contractus ratione pacti de retrouendendo in eo appoſiti. Si verò ſine pacto de retrouendendo fuit à principio emptus, poſtea autem ex libera voluntate partium redimatur, tunc ſicut eſſet diſtinctus contractus, ita alia gabella publicano deberetur. Ita Molina diſp. 382. & 384.

QVÆSTIO LXXXVI.

Quonam tempore annus cenſus ſolui debeat?

1 REſpondeo in conſtitutione Pij V. decernitur, vt non fiat, nec in pactum deducatur anticipata ſolutio, hoc eſt in principio cuiuſque anni. Si quidem res ipſa nondum fructum reddidit, & cenſus annuus ex fructibus rei debetur. Vnde de more introductum eſt, vt cenſus annuus in fine cuiuſque ſemeſtris debeatur.

QVAE

Digitized by Google

QVÆSTIO LXXXVII.

Quid? ſi ante finem anni, quando penſio erat ſoluenda, redemptio cenſus fiat, an tunc integra penſio ſit ſoluenda?

1 REſp. pro rata temporis ſoluendam eſſe, vt docet Nau.com. de vſuris, n. 126. & Rebell.p.2.de oblig.lib.10.q. 6. condit.5. Tenetur debitor cenſus tres menſes ante redemptionem monere ſuum, aut ſuos emptores apud Gallos.

QVÆSTIO LXXXVIII.

In quo loco ſolutio annuæ penſionis ſit facienda?

1 REſpondeo ſi tempore contractus cõuentum ſit de loco, ſeruetur conuentio dummodò non ſit onerosa, ſi non eſt conuentum de loco, facienda eſt in loco, in quo res cenſui ſuppoſita reperitur.

QVÆSTIO LXXXIX.

An cenſus annualis ſolui poſſit in re alia à pecunia?

1 REſp. poſſe Et ratio eſt, quia hoc in dicta conſtitutione non prohibetur, dummodò id quod ſoluitur non excedat ſummam promiſſam vel debitam pro cenſu annuali.

QVÆSTIO XC.

An cenſus perpetuus ex natura rei ſit licitus?

1 HEnric. Gandau. quodlib.8. q.22. tenet huiuſmodi cenſum contractum eſſe iniuſtum, & vſurarium.

2 Hoc tamen non obſtante, communis omnium tam theologorum, quàm iuriſperitorum ſententia habet, huiuſmodi cenſum ſeruato iuſto pretio contractum eſſe iuſtum, & honeſtum. Probatur, licet emere fundum, domum, & quamcunque aliam rem etiam in perpetuum, venditori ſublata redimendi facultate, ergo & huiuſmodi cenſum, & ius, cum ſit illud connumerandum inter bona immobilia.

3 Deinde Ius percipiendi fructus decimales, quod habet Eccleſia in prædiis, laicorum eſt redditus perpetuus, & irredimibilis, huiuſmodi autem ius ex natura rei ſecluſo iure Pontificio non prohibetur licitè vẽdi, ergo poteſt ſimiliter emi ius perpetuum exigendi annuã penſionem ex bonis alicuius, collato illi iuſto pretio. Ita Mo. d.391. Conrad.de contr.q.82. & communis.

QVAESTIO XCI.

An talis cenſus perpetuus per conſtitutionem Pij V. improbetur?

1 SApientiſſimus Nauar.com. de vſur.n. 98. & Mol.d. 391. opinantur eum non improbari, ſi multò pluris ematur, quam cenſus redimibilis æſtimatur. Et probant, quia huiuſmodi cenſus in Germania, Gallia, Hiſpania, & in magna parte Italiæ ſunt vſitati, & frequentes; nec eſt credibile Pontificem tam generalib. verbis tam obiter, cenſus tam receptos velle tollere, præſertim cum in illis ceſſet omnis præſumptio vſuræ. Hoc idem intelligit Mol.de vitalicio cenſu reali, imò & de reali cenſu ad certum numerum annorum, qui redimibiles non ſunt, ſed omninò expirant finito numero annorum conſtituto, ſiue certo, ſiue incerto, pendentéque à fortuna.

2 At Virg.de cenſib.p.2.num.37. & 55. & 153. arbitratur talem cenſum perpetuum prohiberi, ſiue eodem, ſiue maiori pretio ematur, quàm cæteri, & miratur quòd Nauar. alioquin doctiſſimus oppoſitum docuerit, quia Pius V. in ſua extrauaganti ad contractum cenſualem requirit, vt libera ſit venditori facultas redimendi, quandocunque voluerit.

QVÆSTIO XCII.

An cenſus vitalitius ſit licitus?

1 NOn diſputamus, An cenſus vitalitius iuxta ius ſcriptum, & Pontificium ſit licitus, quoniam Pij V. conſtitutio præcipit vt venditori ſit libera facultas extinguendi cenſum.

Sed quod quærimus eſt. An ex natura rei hoc eſt ſecundum Ius naturale, & diuinum, vel ius ſcriptum commune cenſus vitalitius ſit licitus?

Henr.Gandau.quodlib.1.q.39. & quodlib. 2.q.15. cenſet. eſſe illicitum.

2 Panorm. in ſuis diſp. diſp. 5. quamuis non damnet illum abſolutè, iudicat tamen clericis eſſe prohibitum. Et probat quia huiuſmodi cenſus eſt quoddam genus negotiationis, negotiatio autem eſt clericis interdicta, ergò.

Ang. verb. vſura num. 44. & Sylueſter. eodem verbo 2. q. 12. tenent cenſum conſtitutum ad vitam venditoris licitum eſſe, ſed non ad vitam emptoris, quia ex priori nulla exiſtit occaſio captandæ, aut optandæ mortis alterius: at verò in poſteriori datur occaſio, quia venditor vt ſe liberet ab obligatione ſoluendi cenſum annuum, habet occaſionem optandæ mortis emptoris, quod pactum tanquam turpe, & cõtra bonos mores damnant leges, & iura ciuilia. lege pactum quod dotali, & lege vlt. C. de pactis.

3 Communis tamen opinio habet hunc contractum, ſi iuſto pretio conſtituatur, eſſe iuſtum, & licitum. Probatur. Contractus cum pari incertitudine lucri & damni cenſetur in iure maximè iuſtus lege ſi ea lege C. de vſuris. Sed in hoc contractu intercedit ex parte vtriuſque contrahentis par. & æqua incertitudo, cum poſſit ille, in cuius vita cenſus fundatur diutius viuere, & celeriùs mori, ergò iſte contractus eſt iuſtus, & honeſtus. Nec leges generatim condemnant pacta, ex quibus poteſt occaſio accipi captandæ, vel optandæ mortis alterius, quando talia pacta ex communi contrahentium conſenſu exiſtunt. Ita Sot. lib. 6. q. 5. ar. 2. Lop. lib. 1. c. 55. Couar. l. 3. var. c. 7. nu. 9. Nau. com. de vſur. nu. 71. Conrad. de contr. q. 81. Med. C. de reſt. c. de cenſu temporali, & alij.

QVÆSTIO XCIII.

An ex natura rei ſemota lege Pontificia cenſus poſſit conſtitui ad certum tempus, videlicet ad decem vel viginti annos?

1 IN qua re conuenit inter omnes, hîc nullam vſuram, vel iniquitatem committi, ſi penſiones ſperatæ quæ toto eo tempore ſoluendæ ſunt, non excedant totam pecuniæ ſummam, quæ principio datur in pretium v. g. Titius confert Caio 100. aureos, eo pacto vt intra decennium, ſingulo quoque anno, ipſi Caius reddat decem. Et ratio huius eſt, quia ſolutio facta per partes, intra decennium æquatur cum tota ſumma, & forte 100. aureorum.

Tota igitur difficultas conſiſtit, quando annuæ penſiones per partes recuperandæ in vnum collectæ, ſortem excedunt.

2 Mol. diſp. 386. & 389. Sot. lib. 6. q. 5. a. 2. & Lop. lib. 1. de contract. cap. 55. cenſent hunc contractum eſſe vſurarium, quia perindè eſt, ac ſi conferas alicui centum recepturus ab eo intra decennium eadem 100. & præterea decem tanquam lucrum vltra ſortem. quod eſt vſura.

3 Sed communis opinio eſt, hunc contractum eſſe licitum, & honeſtum. Ratio huius eſt, quia hic contractus eſt vera emptio, & venditio, non mutuum, quoniam de ratione mutui eſt, vt res mutuata debeat in omnem euentum neceſſariò mutuanti reſtitui, poſſitque ad illud mutuatarius compelli: in hoc autem contractu, neque pecuniam traditam tenetur reſtituere, qui illam recipit, neque poteſt ad illud compelli, ergo nullum mutuum hic inuenitur, ſed eſt vera emptio, & venditio, & communi vſu fori ità eſt pretium taxatum. vt illud ſit paulominùs, quàm ſit tota ſumma penſionum. Ita Caietanus in ſum. ver. vſura ſub finem, Nauar. commen. de vſur. num. 71. Couar. lib. 3. var. cap. 7. num. 9. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 10. q. 5. Conrad. de contract. q. 80. D. Anton. 2. p. t. 1. cap. 8. §. 11. Ang. verb. vſura 1. §. 44. Med. C. de reſt. cap. de cenſu temporali indeterminato. Palat. lib. 4. de contr. c. 8. Barth. Med. §. 26. & Salon lib. 2. de contract. diſput. de cenſibus art. 5.

Nec obſtat argumentum primæ opinionis, quia cum Titius dat Caio mutuo centum vt ad decennium recipiat 110. lucrum eſt ex mutuo: at cum dat tantumdem vt intra decennium ſingulo quoque anno recipiat vndecim, ex iure quod emit, tunc lucrũ exiſtit ex re empta. & nõ ex mutuo.

QVÆSTIO XCIV.

Ad quod genus contractus, cenſus vitalitius reducatur?

1 SVnt enim qui cenſeant hunc cenſum ad contractum mutui reduci Sed reuerà falluntur quia mutuum repeti poteſt, in hoc autem contractu facultas omninò repetendi capitale tollitur, ergò.

Alij ad quandam commutationem, in qua

qua commutatur pecunia ſimul exhibita, in eam quæ per partes recipitur durante vita alicuius, Sed malè, quia cum in commutatione ſeruetur æqualitas, hic non ſeruatur, quia penſiones annuales tam diuturnas contingit eſſe, vt exſuperent ſortem in pretum a principio datam.

2 Nonnulli vt D. Ant. 2. p. t. 1. c. 8. §. 10. volunt eſſe quendam contractum innominatum, qui reducitur ad illud genus contractuum, qui exprimuntur per has voces, Do vt Des. Dat enim Titius centum, vt Caius durante vita eius det per ſingulos annos decem.

Alij reducunt ad contractum aleæ, vel fortunæ, quia vterque contrahentium eidem fortunæ damni, vel lucri ſe exponit, poteſt enim is, cuius vita in hoc contractu ſubiicitur, diu viuere, vel citò mori, & proindè tam emptor quam venditor lucrari, & perdere poteſt: eſt enim vitæ curſus incertus, & dubius.

3 Cæterùm ego dicendum exiſtimo, huiuſmodi cenſum ad contractum emptionis & venditionis reduci, in quo traditur pecunia tanquàm pretium, & emitur ius percipiendi certam aliquam penſionem durante vita alicuius. Ita Sot. lib. 6. q. 5. ar. 2. Couar. lib. 3. var. cap. 7. num. 2. Nauar. comment. de vſur. num. 77. Lop. lib. 1. de contr. c. 56. Sylu. verb. vſura 2. q. 12. Conrad. de contr. q. 81. & alij.

Decimaſeptima conditio eſt, vt emptor non poſſit ab inuito venditore pretium repetere.

4 Decimaoctaua conditio eſt, vt venditor volens redimere cenſum, moneat emptorem ante bimeſtre, qua denuntiatione facta poterit intra annum compelli, vt redimat, elapſo anno non poterit cogi. Quæ conditio eſt obſeruanda, cum venditor cenſum extinguit, reddito emptori pretio. Cæterùm poteſt emptor cenſum alteri donare, vel teſtamento legare, vel cum alia re permutare, vel alio modo diſtrahere & alienare.

Decimanona & vltima conditio eſt, vt pretium cenſus ſemel conſtitutum, non poſſit augeri, vel minui ob tẽporis vel contrahentium qualitatẽ, aut ob aliud accidẽs.

QVÆST. XCV

An huiuſmodi conditiones vim habeat obligãdi nõ ſolũ in iudicio, ſed etiã in conſcientia?

1 QVæſtio eſt, cuius meminit Nauar. in commen. de vſur. num. 106. reſpondendum eſt ergò iuxta mentem ipſius affirmatiuè. Et ratio eſt, quia licèt ſingula ſupradicta non ſint neceſſaria ex natura rei, iure tamen ſcripto, & Pontificio requiritur; quia vel vſuram, vel ſpeciem, & periculũ vſuræ habent, & leges iuſtæ ſunt, quæ prohibent malum, vel quod mali ſpeciem, & faciem geſtat.

QVÆSTIO XCVI.

An prædictæ conditiones ſint vbiq; ſeruandæ?

1 MVlti dicunt eſſe vbique ſeruandas. Alij docent ſolum eſſe ſeruandas in terris Eccleſiæ Romanæ.

2 At D. Nauar. in ſuo comment. de vſuris num. 106. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 22. d. 13. & Couar. lib. 2. var. cap. 16. nu. 6. cenſent eſſe vbique ſeruandas, quatenus continent id quod iuris naturalis vel diuini eſt: quia quod iure naturali, vel diuino iuſtum eſt, vbique, & ab omnibus ſeruandum eſt. At quatenùs nouo iure ſcripto aliquid prohibent, ſeruari debent in foro conſcientiæ in terris ſubiectis Papæ quo ad temporalia, & in Prouinciis vbi conſtitutio iſta ſimpliciter, & omnino non ſolùm eſt promulgata, verumetiam omni ex parte recepta, & poſita in conſuetudine; quia leges vim obligandi non habent, niſi vſu recipiatur.

QVÆSTIO XCVII.

An dicta conſtitutio Pij V. per non vſum poſſit in totum, vel in partem tolli?

1 REſpondeo quòd in his, quæ continentur in ea reſpicientia Ius naturale, & diuinum tolli non poſſunt, in aliis vero concernentibus Ius humanum, tolli poſſe. Ita Nau. commẽt. de vſuris n. 108. Illud tamen adnotabo, prædictas conditiones non extendi ad contractus ante Bullam factos, ſed ſolùm poſt illam faciendos per modum emptionis & venditionis, in quibus dato pretio cenſus fundatur, non autem ad eos qui fiunt titulo donationis, aut dotis aut legati, vel alterius vltimæ voluntatis; vt optimè annotarunt Nauar. com. de vſuris num. 98. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 22. dub. 11.

QVÆSTIO XCVIII.

An ſi aliqua ex ſupradictis conditionibus deſit contractus cenſualis cenſendus ſit vſurarius, ac proindè nullus, an verò ſolùm id quod in contractu contra diſpoſitionem dictæ Bullæ comperitur?

1 GVtier. 2. de practicis quæſtionib.q. 176. ſentit ſolùm id eſſe iudicandum vſurarium, ac proinde ipſo iure nullum, quod in contractu cenſus repertum fuerit pugnare cum dicta Bulla,non autem contractum.

2 Contra tamen, & meo iudicio, probabiliùs ſentiunt Nauar. comm. de vſuris, n. 98. & Mol. d. 392. nimirum vbi conſtitutio Pij V. recepta eſt, reductaq; in actu, quodcunque contra diſpoſitionem illius appoſitum vitiare contractum cenſualem, illumq; fœneratitium iuris præſumptione efficere,ac proinde nullum. Ratio eſt, quia id apertè ſonat Bulla ipſa.

3 Illud tamen aduerte quòd cum multa, quæ in hac Bulla continentur, in pœnam ſtatuta eſſe videantur,ſanè quando contractus cenſualis ex ipſamet rei natura non eſſet vſurarius, habendus non eſſet in foro conſcientiæ talis,ac nullus ante latam ſententiam,ac proinde licitè in eo poſſet perſeuerari, retineriq́ue licitè poſſent penſiones non computandæ in ſortem. Ita Nau. in comment. de vſuris num. 88. Bann. 2. 2. q. 78.ar. 4. Mol. diſp. 392.

QVÆSTIO CXIX.

Ad quem ſpectet ſoluere mercedem Notario pro inſtrumento conficiendo, vel tranſumendo?

1 IN hac quæſtione Cæſar Manentus Tiraquell. Picarr. & Laſſart. relati à Molina tom. 2. de contract. diſp. 384. putant pertinere ad venditorem.

Molina loco citato,& Mart. Fornar.in ſuis manuſcriptis de cenſibus docent dimidiam mercedem ſpectare ad emptorem.Et probant, quia cum fiat in vtriuſque commodum talis contractus, & interueniat pactum de retrouendendo debet emptor ſoluere dimidium mercedis.

2 Cæterum mihi videtur dicendum primam opinionem habere locum in contractibus, qui fiunt tantùm in gratiam venditoris, per illam Regulam Iuris, quæ dicit, qui ſentit commodum, debet ſentire, & incommodum.

Secundam verò opinionem eſſe veram in contractu cenſuali, qui cũ fiat in vtriuſque contrahentis vtilitatem, vterque,ideſt tam venditor, quam emptor tenebuntur pro rata ſoluere mercedem Notario pro inſtrumento conficiendo,& ita videtur eſſe in vſu, vt Molina, & Fornar, teſtantur.Verum hæc collegiſſe ſit ſatis. Vſus voluit apud Gallos, vt venditor ſoluat mercedem Notario qui conficit contractum.

DE CAMBIIS.

DISPVTATIO DECIMANONA.

DE hac materia diſſerunt obiter Theolog in 4. d. 15. D. Thom. li. 2. de regim. Princip.Illuſtriſſ.Caiet. tom. 2. ſuorum Opuſc. Opuſc. 7.cuius titulus eſt de Cambijs.Sotus lib.6.q.8.Molina tom. 2. de contr.d. 398. Valen. tom.3. d. 5. quæſt. 23. p. 1. Ban. de iuſt. quæſt. 78. art. 4. Salon. tom. 2. de contr. diſp. de Cambiis.Azor.p. 3. inſt. mor. lib. 10. Leſſ. ib. 2. de iuſt. cap. 23. Reb. 2. p. de oblig. ib. 11. Tolet. lib.5.c.50. Conrad. de contr. quæſt. 98. Nau. ca. Nauigan. de vſuris, & in Man. c. 17. poſt. nu. 283. tit. de vſura circa Cambia. Couar.tom.2. tract. de collat. numiſmatum c. 9. nu. 3. Roder. p. 2. ſum c.102. Barth. Med. lib. 1. inſtruc.conf. c. 14. §. 24. Mercat. tract. de contrac. c. de Cambiis. Lop.lib.2. de contract. à cap. 1.Canoniſtæ in c.Nauig.de vſur.Summiſtæ vero vt Aug.Tab.Sylueſtr.Arm.& plerique alij ver.Cambium, & vſura Et vt a definitione eius exordiamur Quęritur in primis.

QVAE

QVÆSTIO I.

Quid ſit Cambium

1 REſpondeo quod eſt permutatio negotiatoria pecuniæ vnius rationis, pro pecunia diſſimili, aut alterius rationis. In qua definitione tres ſunt partes. Prima eſt (permutatio) hoc enim ſignificat verbum cambire, idem vnam pro alia commutare.

Secunda eſt (pecuniæ vnius rationis pro pecunia diſſimili) quæ ponitur ad denotandum, quod non quælibet permutatio eſt cambium, vt in præſenti ſumitur. Sunt enim tres ſpecies permutationis.

Prima eſt, in qua commutatur vna res pro alia: vt panis pro vino, tunica pro pallio &c.

Secunda eſt, in qua res traduntur pro pecunia, & dicitur emptio, & venditio.

Tertia eſt pecuniæ vnius rationis, pro pecunia alterius rationis, & hæc propriè dicitur Cambium ſupra definitum.

2 Poteſt autem pecunia à pecunia differre, & eſſe diſſimilis tripliciter.

Primò in materia, vt ſi vna ſit aurea, altera argentea.

Secundò in forma, vt ſi vna ſit vnius imaginis, & inſcriptionis, altera verò alterius differentis.

Tertiò in materia ſimul, & forma, vt ſi ſit aurea, & vnius inſcriptionis, alia verò ſit argentea, & alterius diuerſæ inſcriptionis.

Tertia verò pars eſt (negotiatoria) quia non quæuis talis permutatio etiam pecuniæ pro pecunia dicitur cambium, vt in præſenti conſideratur, ſed quæ eſt cum ſpe alicuius lucri. Vnde aduerte, quod is à quo Cambium petitur, dicitur campſor, numularius, calibyſta, & argentarius, Italicè autem Banchero. Is autem qui cambiũ petit, capſarius appellatur: ſicut is qui mutuum accipit, dicitur mutuatarius, qui donum, donatarius, & qui legatum, legatarius nominatur.

3 Ex qua definitione colligitur primò; Cambium non eſſe emptionem, & venditionem, vt falsò putat Caietan. in Opuſc. de Cam. c. 7. Quia in emptione, & venditione propriè loquẽdo oportet alterum extremum eſſe pecuniam, alterũ verò mercem aliam à pecunia differentem. In Cambio autem vtrumque extremum eſt pecunia, quia non eſt maior ratio, cur vna ſit pretium alterius, quàm altera, niſi quando valor vnius pecuniæ eſt maior, vel minor, quàm valor legalis ratione ſuæ bonitatis, aut defectus, vt quia vna pecunia eſt defectiua.

Secundò colligitur, Cambium non eſſe locationem, quia in locatione redditur pretium pro vſu rei locatæ, vel conductæ: in Cambio autem nihil recipitur, neque poteſt recipi pro vſu alicuius rei, ſed vna res cum alia commutatur.

4 Tum quia in contractu locationis res locata non tranſit in dominium eius, cuius operæ locantur: At in Cambio, pecuniæ quæ traduntur campſori, quamuis maneat ille quidem obligatus ad reſtituendas ſimiles, & æquiualentes in alio loco, tranſeunt autem illæ in dominium ipſius, ergo. Vnde non audiendus Leſſ. lib. 2. cap. 23. dub. 1. qui Cambium ad contractum locationis, & conductionis reducit.

Tertiò colligitur Cambium non eſſe accomodatum, quia in Cambio dominium transfertur quod non contingit in accommodato, vt conſtat.

Quarto colligitur Cambium non eſſe depoſitum, quia in depoſito eadem res numero, quæ deponitur reſtituitur, in Cambio vero alia diuerſa vt ſupra diximus.

Tum quia depoſitarius infideliter agit rem ſibi traditam in proprios vſus conuertens, in Cambio verò non alio fine res commutantur, quàm vt recipiens rem commutatiuam in proprios vſus illam conuertat.

5 Quintò, & vlt. colligitur Cambium non eſſe mutuum. Primò quia de ratione mutui eſt, vt res mutuata reddatur eadem in ſpecie, vt ſi triticum mutuat, triticum eſt reddendum, ſi oleum, oleum: ſi pecunia aurea, ſimilis eſt reddenda, niſi mutuans alia velit eſſe contentus. In Cambio autem non ſic, ſed ſi propriè Cambium eſt, neceſſaria eſt diuerſitas, & diſſimilitudo inter datum, & acceptum; quæ quidem differentia adeò eſſentialis & intima eſt naturæ Cambij, vt quantò res differant, tantò magis accedant ad veram naturam Cambij vt ait Sanctus. Thom. in Opuſc. 73. cap. 13.

Secundò quia mutuum circa eas tantùm

Digitized by Google

res exercetur, quæ ipso vsu consumuntur, & consistunt in numero, pondere vel mensura, cuiusmodi sunt pecunia, frumentum, vinum, oleum, & cætera, cambium verò de quo loquimur, non nisi in numismate fit.

Tertiò quia mutuum suapte natura distantiam aliquam temporis requirit, in qua mutuatarius re mutuata possit vti. At verò cambium, hoc interstitium temporis de se non exigit: potest enim cambium manuale statim fieri: quod autem in temporis interuallo exerceatur cambium id suæ naturæ accidentale est, propter distantiam loci intercedentem, in quo vtraque res cambienda sita est.

Quartò quia cambium quod fit per literas de se locorum distantiam requirit, vt res ibi sitæ hic permutari possint. At verò mutuum de sua natura hanc locorum distantiam non exigit.

7 Quintò & vltimò, quia in mutuo transfertur dominium simpliciter, hoc est sine aliquo lucro, ex vi mutui principaliter; At verò in cambio non transfertur dominium sic simpliciter, hoc est, vt sors simpliciter restituatur, sed cum aliquo incremento.

Dices, ad quod igitur genus contractus propriè cambium reducatur.

Nau. in Man. c. 17. n. 294. reducit ad contractum innominatum Do vt Des.

8 Sed communis sententia habet, cambium referri ad contractum permutationis, quia cambium est vnius pecuniæ cum alia permutatio, & proinde quædam permutationis species.

QVÆST. II.

Quotuplex sit cambium?

1 RESP. duplex, reale & siccum. Cambium reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iustè aliquid lucri capi potest. Et dicitus reale quia est verè, & propriè cambium, cum reuera vna pecunia cum alia commutetur. Vt cum quis dat alteri mille ducatos Placentiæ, ea lege vt cum aliquo incremento sibi reddantur in Sicilia.

2 Cambium verò siccum est illud, quod est imaginarium, & fictitium, quia reuera non est verum cambium, sed solùm quoddam mutuum cum aliquo lucro ornatum nomine cambij, quod accidit, quando commutatur pecunia præsens, pro ea quæ fingitur; ac simulatur abesse, cum in eodem loco, in quo recipitur, restitui debeat, quod non est aliud, nisi quoddam mutuum cum lucro ob dilationem temporis, expectatámve solutionem, quod est vsura. Et dicitur siccum, quia cum humore iustitiæ careat, sterile, & vanum est, ac proinde lucrum gignere, fructum reddere iure non potest.

QVÆST. III.

Quotuplex sit cambium reale?

1 RESP. septuplex. Primum est cambium minutum, quod est permutatio pecuniæ præsentis, cum præsenti, & in eodem loco propter diuersam speciem vel valorem. Vt cum quis dat pecuniam auream, pro argentea, vel è contra cum spe lucri. Dicitur manuale, quia absque vllo literarum adminiculo, statim pecunia transit de manu, in manum.

2 Secundum cambium est ratione loci, quod etiam vocatur cambium per literas, & est quando permutatur pecunia præsens, pro alia verè, & realiter absente, quæ est in alio loco. Vt cum quis dat Numulario pecunias, vt eas acceptis literis in alio loco accipiat, in quo verè accipit, pro vt alio in loco, statuto tempore valent.

Tertium cambium est ratione officij, vt cum quis accepta facultate à Magistratu, se obligat ad conferendum pecuniam omnibus negotiatoribus concurrentibus ad nundinas, ea lege vt persoluant ipsi in primis cambium, quod vsu fori censetur iustum ex eo loco vbi celebrantur nundinæ illæ, & recipitur pecunia, in eum locum in quo illa à Campsario restituenda est; & præterea aliquid aliud ratione illius obligationis, cui seipsum ex officio deuinxit, & subiecit.

3 Quartum cambium est ratione temporis, vt cum quis accipit pecuniam, redditurus illam cum lucro ob dilatam solutionem.

Quintum cambium est, ratione diuersitatis numismatum, vt quando vna pecunia cambitur pro alia maioris, vel minoris valoris, & pretij in diuersis locis, & propter illum maiorem, vel minorem valorem

Digitized by Google

lorem exigitur aliquid vltra capitale.

4 Sextum cambium eſt ratione cuſtodiæ, ſeu depoſiti, vt quando quis pecunias mercatorum cuſtodit, redditque illas his, quibus à mercatoribus debentur, accipitque aliquid in cambiis ratione illius cuſtodiæ, & laboris, quem ſuſtinet in numerandis pecuniis.

Septimum & vltimum cambium eſt, ratione copiæ, vel inopiæ totius generis pecuniarum in diuerſis locis. Vt quando v.g. Romæ eſt maior copia pecuniæ, quàm ſit in Sicilia, vnde maioris æſtimatur pecunia in Sicilia quàm Romæ. Vnde ſi aliquis indigeat in Sicilia 100.ducatis, neceſſe eſt, vt Romæ det pluſquàm centum v. g. centum viginti, & hæc eſt æqualitas pecuniæ, ratione copiæ, vel inopiæ.

QVÆST. IV.

An ars campſoria, quatenùs ea lucrum vltra ſortem intenditur, ſit licita?

1 HOſt. in ſum. tit. de vſuris. Mercat. lib.4.de contract. c.1. & multi alij relati à Caiet.in opuſc.de camb.c.2. abſolutè damnant hanc artem, vt illicitam, & vſurariam. Quam opinionem ſequutus eſt Ariſtot. 5. polit. c. 6. & 7. ductus duplici fundamento, tum ratione materiæ, quia tantùm circa numiſmata verſatur à proprio vſu nummi deuians: tum ratione finis, lucri gratia, quod fine caret honeſto, ſolita eſt exerceri.

2 Nauar. in cap. Nauig. de vſuris num. 11. Ang.verb.vſura 1.num.52. & Conrad.de contr. 99. q. affirmant illam abſolutè, & ſimpliciter eſſe licitam, non minus quam ſunt reliquæ artes, quibus indigent ciues in Republica.

At verò doctiſſimus Caiet.in opuſc. de camb. cap. 5. paritérque in Theologia peritiſſimus Sot.lib.6.q.8. art. 1. & multi alij Thomiſtæ cenſent artem campſoriam non eſſe abſolutè damnandam velut illicitam, neque ſimpliciter eſſe probandam, vt abſolutè, & omninò licitam, ſed eſſe de illorum genere, quæ malè ſonant, & habent ſpeciem mali, & turpitudinis, poſſunt autem ex fine, & circunſtantiis honeſtari.

2 Prima pars probatur. Negotiatio propter pericula, quæ continet, habet ſpeciem mali, ſed ars campſoria eſt quædam ſpecies negotiationis, vt conſtat, ergo habet ſpeciem mali.

Secunda verò pars probatur. Actio neceſſaria Reipublicæ, & quæ non eſt eſſentialiter mala, ſi debitus finis, ac circunſtantiæ non deſint, poteſt ex illis honeſtari: atqui ars campſoria eſt res Reipublicæ neceſſaria vt conſtat, nec eſſentialiter mala, potéſtque fieri propter honeſtum finem, ad habendum, ſcilicet ex cambio lucrum, quo familia honeſtè alatur, ergo poteſt ex fine, & circunſtantiis honeſtari. Et eſt concluſio definita à Pio V. in ſua conſt. edita 1571. circa praxim cambiorum.

QVÆSTIO V.

Quinam poſſint eſſe campſores?

1 RESp. attento ſolo iure naturali, & diuino, omnes rationis compotes poſſunt eſſe campſores. Iure tamen humano prohibetur hoc officium clericis, quia in genere, prohibita eſt negociatio. Quod intelligitur quando clerici id quaſi ex officio exercent, ſecùs ſi ſemel, aut iterum vt notat optimè Nauar.c.17.n.288.

Quodnam ſit iuſtum lucri pretium in cambiis?

1 RESp. illud eſſe quod eſt lege, vel publica auctoritate poſitum, vel communi hominum æſtimatione taxatum.

QVÆSTIO VI.

An liceat pecuniam pluris, vel minoris vendere vel commutare, quàm valeat iuxta legis præſcriptum?

1 PRo cuius quæſtionis deciſione aduertendum eſt primò, quòd hęc quęſtio habet locum in Regnis, & Prouinciis, in quibus pecuniæ habent pretia taxata à Principe, vel Republica, ſuntque illa in viridi obſeruantia. Nam in Prouinciis, in quibus Reſpublica, vel Princeps non impoſuit certum pretium pecuniis, licebit pecunias commutare iuxta illa pretia quæ valebunt communi vſu fori, ſicut & alias res venales, & iuxta copiam, vel inopiam earum, paucitatémque, vel abundantiam commutantium illas, ſicut & in aliis rebus venalibus.

2 Secundò eſt obſeruandum, quòd pecunia

Digitized by Google

nia bifariam poteſt conſiderari. Vno modo ratione formæ, vt moneta eſt, hoc eſt quatenus rerum venalium pretium eſt. Altero modo ratione materiæ, vt metallum quoddam eſt nimirùm aurum, argentum, vel æreum. Si autem pecunia primò modo accipiatur; adhuc duos ſortitur vſus, ad quos vt pecunia eſt, deſtinatur. Vnus eſt per ſe, qui conuenit pecuniæ formaliter, & quatenus pecunia eſt ſcilicet inquantum eſt adinuenta ad negotiationes. Et iſte vſus eſt etiam duplex. Vnus, qui competit pecuniæ per ſe primò ſcilicet, vt ſi pretium rerum venalium, ad quem vſum fuit primò, & potiſſimè inuenta. Alius eſt, qui competit pecuniæ per ſe ſecundariò, vt commutatio pecuniæ pro pecunia: & dicitur per ſe, quia competit etiam hic vſus pecuniæ formaliter & quatenus pecunia eſt, nō enim commutatur vt aurum, vel argentum, ſed vt pecunia. Dicitur autem ſecundarius quia pecunia non fuit primò, & potiſſimè inuenta, vt cum alia pecunia commutaretur, ſed vt eſſet pretium aliarum rerum.

Rurſus pecuniæ vſus per accidens eſt qui competit ei, non inquantùm pecunia eſt, ſed ob alias cauſas, nimirùm ad oſtentationem, medicinam &c.

3 Tertiò eſt obſeruandum quòd ſi pecunia eo modo accipiatur, quatenus ad ſuum vſū principalem inſtituta eſt, ſcilicet quatenus eſt rerum venalium menſura, ſic in indiuiſibili conſiſtit, non enim vt ſit, eius valor augeri, aut diminui poteſt, niſi Principis, vel Reipublicæ authoritate. At verò ſi ſecundùm eius vſum minùs principalem, & ſecundarium ſumatur, ideſt, quatenus merx quæ emitur, & commutatur, ſic in indiuiſibili non conſiſtit, quia in pretio creſcere, & decreſcere poteſt.

Quartò & vltimò eſt obſeruãdum, quod cõmutatio pecuniæ multiplex eſt ex parte materiæ. Aliquando enim eſt inter pecunias diuerſarum ſpecierum etiam Phyſicè, & naturaliter, vt quando permutatur pecunia aurea, pro argentea. Aliquando verò eſt inter pecunias eiuſdem naturæ, & rationis Phyſicæ, alterius tamen rationis ſecundùm artem, vt quando commutantur aurei duplices pro ſimplicibus. Aliquando verò eſt permutatio inter pecunias omninò eiuſdem rationis etiam ſecundùm artem, ſed tamen permutantur, quia quædam pecunia eſt præſens loco, quædam verò abſens.

His poſitis, duæ in hac re Doctorum opiniones inueniuntur. Prima eſt Med. C. de reſt. q. 2. de Cambiis & Valentia to. 3. diſp. 5. q. 23. p. 2. qui docent non licere.

4 Alij verò vt Caiet. egregius Thomiſta opuſc. primo de Camb. c. 6. Nau. c. 17. n. 283. Ban. 2. 2. qu. 78. artic. 4. & Sot. gloria ordinis Prædicatorum lib. 6. qu. 9. art. 1. affirmant id eſſe licitum. Ratio huius eſt, quia licèt pecunia ſecundùm ſuum vſum principalem, vt pretium rerum venalium eſt, non poſſit commutari, aut vendi pluris, quàm eius æſtimatio legalis valeat, benè tamen conſiderata ſecundùm eius vſum minùs principalem & ſecundarium, ſcilicet vt merx quædam eſt, vel conſiderata, vt metallum quoddam eſt, nam ſic pluris vendi, aut cãbiri poteſt, quàm ſit eius legalis taxa.

QVÆST. VII.

Quænam ſint capita, ex quibus pecunia poſſit eſſe maioris, minoriſue valoris.

1 RESpon. ſeptem. Primò ratione materiæ, quia pretioſiori ſecundùm ſpeciem metallo conſtat.

Secundò ratione formæ, ſiue ſigni, vel figuræ, in vno enim loco pecunia ſic vel aliter ſignata nihil æſtimatur, cum tamen alibi pluris valeat.

Tertiò ex Principis, vel Reipublicæ ſtatuto valorem pecuniæ augentis, vel minuẽtis: nam penes Principem, & Rempublicam eſt ius pecuniæ æſtimationẽ taxandi.

2 Quartò ratione loci, quia pecunia loco remota viliùs valet, quàm præſens, & in vno loco pecunia eiuſdem materiæ pluris valet, quam in alio.

Quintò ratione temporis, quia pecuniæ valor, temporis decurſu creſcit, & decreſcit.

3 Sextò ratione copiæ, vel penuriæ pecuniæ. Sicut enim copia eiuſdem pecuniæ valorem ipſius imminuit, ita penuria auget, non ſecùs, ac aliarum rerum. Vnde experimur plus pecuniæ pro mercibus cæteris paribus dari, vbi pecunia abundat.

Septimò & vltimò, ratione eorum, qui pecunia permutant: quando enim ſunt plures, vel pauciores qui pecunias petunt à campſoribus, tunc ipſi negotiatores

Cambio

Digitized by Google

cambiorum pretia augent, vel diminuunt. Nauar.in comment.de camb. num.43.

QVÆST. VIII.

An cambiorum negotiatores tuta conſcientia poſſint, pro cambio minuto aliquid accipere ſupra æſtimationem pecuniæ à lege definitam?

1 REſpondeo poſſe. Et hoc in multis caſibus.

2 Primò ratione eius,quòd ipſius intereſt, hoc eſt ratione damni, ſi quod patitur, & ratione lucri, & commodi,ſi quod amittit: tunc enim licitũ erit ei maiori pretio vendere, vel permutare pecuniam, quàm per ſe valet,& tantum poteſt exigere ſupra valorem pecuniæ lege taxatum, quantum æſtimabitur illa ſpes lucri, qua ſe per cambium præſtat,vt ſi conſtituerat illa pecunia merces emere;vel damnum, quod ex vẽditione,vel permutatione perdit, vt ſe ſeruet indemnem; dummodò moneat campſarium de damno, quòd ſuſtinere compellitur eo quòd vendit, vel permutat ſuam pecuniam.

2 Hinc ſi aurifex pecunias habeat paratas ad deaurandum, aut ad conficiendum ex illis artefactũ,in quo ratione materiæ puriſſimæ lucrabitur, atque vt eas cãbiat petenti, priuat ſe eo lucro, accipere poterit aliquid vltra pretium lege taxatum, quantum id lucri æſtimabitur.

3 Secundo ratione officij cambiendi.Ratio huius eſt,quia qui cambiendi officiũ exercet, tenetur habere pecunias varij generis paratas omnibus volentibus illas permutare,poteſtque à Republica ad id compelli,ergo pro hac obligatione, quæ adeò neceſſaria eſt Reipublicæ, & pretio æſtimabilis,poteſt aliquod incrementum accipere ſupra pretium à lege definitum.

QVÆSTIO IX.

An qui ſua ſponte abſque authoritate Principis officium cambiendi aſſumit, poſſit pro cambio minuto incrementum aliquod accipere pro operis, quas in gratiam cambium exigentis impendunt,pecuniam numerando?

1 IN qua re conuenit inter omnes ratione damni emergentis,aut lucri ceſſantis licere etiam priuatis perſonis cambire pecuniam pro pecunia,in hoc cambio expectando aliquod lucrum ſupra pretium legale pecuniæ,quam permutat. Ratio eſt, quia in cæteris licitis contractibus,licèt ſe ſeruare indemnem à lucro ceſſante, & à damno emergente etiam in cambio iſto minuto.

Sed dubium eſt. An citra lucrum ceſſans, vel damnum emergens, liceat priuatis perſonis cum lucro commutare pecuniam?

1 ILluſtriſſ.Caiet.in opuſc. de camb. cap. 5.&7.& Sot.lib.6.q.9.art.1.negant poſſe hunc aliquid accipere, quam ſit æſtimatio pecuniæ publica authoritate, vel vſu fori præſcripta. Ratio ipſorum eſt, quia is non ſuſtinet onera, nec pericula ſuſcipit, & labores, nec facit impenſas, vt facere ſolent campſores ex offic.

2 Alij verò Doctores non minoris nominis docent hunc qui publicum cambiendi officium non habet,poſſe ex natura rei pro cambio minuto aliquid accipere, licèt id illicitum ſit, ſi lege prohibeatur. Ratio eſt, quia priuatus homo quãuis publici campſoris Reip.authoritate cambiendi officium non habeat,eadem obſequia præſtat ei qui indiget permutatione pecuniæ.

Tum quia dando pecuniam auream vel argenteam, meliorem, commodiorem, & vtiliorem pecuniam dat,quàm accipiat.

Tum quia quamuis numeratio pecuniæ gratis fieri ſoleat, non tamen idem fit, vt ſaltem cambiendi labor non ſit aliquo pretio dignus; fas igitur erit etiam priuatis iuſtam mercedem ſaltem pro ea numeratione recipere iuxta rationem laboris, & aliarum circumſtantiarum. Ita Nauar.cap. 17.nu.283.Mol.tom.2.de contr.d.399.& alij.

3 Sed reuerà hæ duæ opiniones facilè cõciliantur.Nam prima opinio ſolùm docere voluit priuatũ hominem non poſſe tantùm exigere quantum poſſunt qui id ex obligatione faciunt, quia iſti pluribus cauſis lucrum accipiunt, nimirùm ob plura, & maiora pericula, labores, & impenſas.

Deinde lucri aliquid accipiunt tanquam ſtipendium laboris,quem ſuſtinent in officio obeundo. At verò priuatus homo ſolùm poteſt aliquid exigere,vel ratione nobilioris,commodioris,& vtilioris materiæ, quam dat,vel ratione obſequij, quòd præſtat

ſtat in pecuniis permutandis, in qua re onus & labor ſuſcipitur: nequit tamen accipere aliquid vt merces officij, quòd poſſunt, qui Reipublicæ authoritate cambiendi officium exercent.

QVÆSTIO X.

An ſi lege poſitiua cautum ſit, nequis præter publicos campſores pro tali cambio quicquã accipiat vltra valorem monetæ, quàm cambit, mortaliter peccet, qui contra faciat, & lucrum quod accipiat, in conſcientia reſtituere tenetur.

1 COuar. in opuſc. de col. veter. cap. 9. nu. 4. Azor. p. 3. Inſt. Mor. lib. 10. c. 4. & Sot. loco citato arbitrantur eum lethaliter peccare, qui legem iuſtam Reipub. vtilem violat, & incrementum quòd ex tali cambio percepit, reſtituere tenetur, quia ſtante dicta lege poſitiua, lucri capax non eſt.

2 Sed nihilominus dicendum eſt in tali legis tranſgreſſione ſolùm interuenire peccatum inobedientiæ, ex ſuo genere nequaquam lethale, neque antè latam ſententiã obligationem reſtituendi iuſtum ex natura rei ſtipendium acceptum; nõ enim tenetur Reip. cùm nihil damni huic ſit illatum; neque etiam ei, cum quo pecuniam commutauit, quia nulla ei facta eſt iniuria, cum non plus ab eo ſit acceptum, quàm iudicio prudentis pecuniæ in tali permutatione ſoleant æſtimari. Quòd ſi quid accepit, limites iuſti ſtipendij excederet, tunc lethale peccatum ex ſuo genere eſſet accipere incrementum vltra limites iuſti, cum onere illud reſtituendi.

Et confirmatur, ſi alicui publica authoritate ſit interdictum frumẽtum vendere, & nihilominùs vendit, ſed iuſto pretio, peccat quidem, quia iuſtam legem violat, ſed ad nullam reſtitutionem tenetur, quia iuſtũ tantum pretium accepit; ergò quamuis peccet, qui contra legem pecuniam permutat, nihil tamen cogiutr reſtituere, quia iuſtã mercedem pro ſuo labore recepit. Ita ſentiunt Mol. tom. 2. de contr. diſp. 399. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 23. dub. 2. & Rebel. p. 2. de oblig. lib. 11. quæſt. 4.

3 Tertiò ratione expenſarum, quas numularius ſubit in pecuniis diuerſi generis conquirendis, congerendis & aſſeruandis.

Quartò ratione laboris numerandi pecuniam.

Caietanus gloria Thomiſtarum in tract. de camb. c. 1. & 6. tenet numularium ratione huius laboris nihil poſſe exigere ſuper valorem pecuniæ lege taxatum. Et probat quia numerare pecuniam non eſt mercede dignum, ſed fieri conſueuit gratis.

Tum quia dato quod ſit pretio æſtimabile, compenſatur labore alterius qui pecuniam etiam numerare debet.

4 Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui docent ratione huius tituli poſſe aliquid recipi, modò pretiũ quod accipit, incommẽſuratum ac excedens non ſit, habita ratione laboris, quem ſuſtinet: ſi enim excederet, tunc quo ad exceſſum vltra pretiũ rigoroſum pro labore, eſſet iniuſtum, & reſtitutioni obnoxium. Probatur, hic labor eſt pretio æſtimabilis, ergo pro eo poteſt merces exigi: ſicut etiam in mutuo ratione huius aliquid accipi poteſt, etſi interdum gratis præſtari ſoleat. Neque verum eſt, numerationem vnius compenſari per numerationem alterius, quia vtraque fit in gratiam eius, qui cambium petit, ſicut in mutuo. Ita ſentiunt Sot. lib. 6. q. 9. art. vnico. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 23. dub. 2. Rebel. vbi ſupra q. 4. Nauar. cap. 17. num. 288. & Conrad. quæſt. 99. concluſ. 5.

5 Poſſet tamen opinio Caietani recipi in caſu, quo numerandi labor adeò eſſet exiguus, vt moraliter loquendo pro nihilo æſtimaretur.

Quinto ratione præſtantioris metalli.

Ioan. Med. qu. 7. de vſura & q. 3. de cambiis, & Mercat. in tract. de contr. cap. 2. de cambiis cenſent ratione huius tituli non licere cariùs quamcumque pecuniam vendere, vel permutare quàm lege valeat. Ratio ipſorum eſt, quia ad puritatem materiæ legiſlator attendit, cum pecuniæ valorem præſcribit, ergo ratione huius non poteſt pecunia pluris æſtimari.

6 Oppoſitam omninò ſententiam habent alij Doctores grauiſſimi aſſerentes ratione nobilioris metalli, aliarumue commoditatum licitum eſſe, pecunias vt aurum, vel vt tale metallum permutare, aut vendere maiori pretiom, oderato tamen, quam ſit lege taxatum, vt ſcilicet deaurãdum, ad ornamentum, ad annulos, torques, & ſimilia fabricanda vendantur; ſecùs verò dicendum, ſi quatenus pecunia expendenda ſint. Ita

Sot.

Digitized by Google

Sot.lib.6. quæſt.9. art. vnico Sylueſt.verbo vſura 4.qu.5. Nauar. c.17. num.283. Couar. cap.7. de collat. numiſmatum nu.4 Rebel. qu.5. Caiet.de camb. ca.6. & Leſſ.dub.2.Et hæc opinio mihi videtur probabilior. Ducor,quia lex Principis,vel communis æſtimatio ſolùm taxat pecuniam prout eſt mẽſura rerum venalium,non autem prout eſt res quædam, ſiue merx, per ſe vtilis & commoda ad multa.

Dices, non licere triticum lege taxatum pluris vendere, ergò nec pecuniam pluris æſtimare, quàm lege valeat.

7 Reſpon. non eſſe eandem rationem de tritico, ac de pecunia. Nam tritico & aliis rebus venalibus, pretium taxatur vt ſunt merces ad humanæ vitæ vſus neceſſariæ, vel commodæ;At verò pecunia duplici ratione in pretio habetur, & quia eſt menſura rerum venalium,& quia eſt quædam res per ſe. Et lex cum taxat pecuniæ valorem, pecuniam ſolùm accipit vt eſt pretium, & menſura mercium.

Obiicies, leg. ſi ita,ff.de fideiuſſ.vbi habetur, pecuniam carius vendi non poſſe, quàm æſtimatur.

8 Reſp.legem loqui de pecunia,vt eſt mẽſura rerum vendibilium, & ſolutionis debitorum,non autem vt eſt res per ſe.Vnde aurifices abſque peccato, & onere reſtituendi viliùs emere conſueuerunt ipſum aurum, vel argentum quàm ſit valor pecuniæ aureæ, vel argenteæ lege præſcriptus.

QVAESTIO XI.

Quid ſit dicendum, ſi ego tradam Titio pecunias aureas vel argenteas, quibus emat res ad vitæ vſus neceſſarias,& ille eas commutet cum æneis cum lucro. An poſſit Titius id lucri iure ſibi retinere.

1 RAtio dubitandi eſt, quia Titius non ſuam, ſed meam pecuniam permutat, ergò lucrum non ſibi, ſed mihi acquiritur..

Sed nihilominùs reſpondeo poſſe Titiũ tuta conſcientia ſibi lucrum eiuſmodi retinere,quia eſt lucrum induſtriæ,& operæ, & laboris ipſius, quamuis ex re aliena, quaſi inſtrumento comparatum ſit.

Tum quia hic nullum intulit damnum tam ei, cuius negotium agebat, quàm illi, cui pecuniam erat traditurus.

2 Si tamen mea intentio ſaltem virtualis erat, vt illam pecuniæ ſpeciem meo creditori traderet,quia talem pecuniam in ſpecie ei debebam; vel quia bonum eius ad quem illam mittebã,optabam magis,quam Titij, iſque ad quem mittebatur illa pecunia in ſpecie erat aliquid lucraturus, tunc Titius tenetur ei de lucro ceſſante, quia talis pecunia erat ei debita,quam non ſoluendo eſt ei cauſa iniuſta amiſſionis lucri. At verò ſi is ad quem mittebatur, nullum lucrum ex pecunia eius qualitatis erat habiturus, quia diſtracturus illam erat communi pretio, vel ego eram quaſi habitualiter contentus, vt Titius potiùs eo lucro gauderet, quàm is ad quẽ eam mittebam, aut ea de re nihil curabam, tunc Titius ad nihil tenetur,quia in hoc caſu nil damni intulit.

Hinc ſi Titius pecuniam auream, vel argenteam accepiſſet ad merces emendas, qui ſi eam mercatoribus tradidiſſet, res commodiores, & vtiliores emiſſet, tunc Titius ad huiuſmodi damni reſtitutionem teneretur.

Sextò ratione commoditatis conſeruandi,transferendi; numerandi,& vbique negotiandi.

3 Ioan. Med.q. 3. de cambiis contendit, dum lex publica taxationis monetæ eſt in viridi obſeruantia, nefas eſſe accipere pro pecunia maius pretium,quam lege taxatũ, etiamſi materia commoditates multas habeat, vt quia aurum eſt pretioſius, plus inſeruit ad deaurandum, ad ornatum, ad ſanitatem, & ad ſimilia alia:fundamentum Med. eſt, quia quando moneta taxatur, ad omnes eiuſmodi commoditates legislator attendit. Quò fit, vt quemadmodum pro tritico lege taxato,non licet plus accipere, quam valeat,eo quòd pretium iuſtum lege taxatum in indiuiſibili conſiſtit; ita pro eiuſmodi monetis, nefas etiam eſt accipere pretium vltra legem taxatum.

Verùm contraria ſententia eſt communis, & certa,quis enim non pluris æſtimet mille ſcutos in auro, quàm in pecunia ærea?Itaque in his permutandis poteſt hæc commoditas, quâ ſe quis priuat, æſtimari. Ita Sot. lib. 6.q. 9. ar. vnico Nauar. c. 17. num. 288. Couar.de collat. veter.numiſm. c.7.n. 3. Caiet. in opuſcul. de Cambiis c.6. Leſſ. dub. 2. & Rebell. & alij

4 Et ad fundamentum contrarium Medi-

næ

næ resp. quamuis princeps in taxandis pecuniis à principio, materiam, & cæteras commoditates non ignoret, non tamen intendit illas taxare secundùm omnem rationem, & ad omnem vsum, quem habere possunt: sed solùm vt sunt mensura rerum vendibiliũ. Duobus enim modis pecunia spectari potest, vno modo formaliter, vt pecunia, seu vt pretium rerum venalium, qui est vsus eius primarius, sic non pluris valet, quàm sit taxata. Alio verò modo materialiter, seu ratione conditionum, quas habet ex materia, vt ratione purioris, aut minùs puri metalli, maioris aut minoris ponderis &c. & secundùm hanc rationem pecunia habet vsum secundarium, & fit res vendibilis, & permutabilis cum alia pecunia, nec eius valor est lege præscriptus, sed habet fori æstimationem, quæ non consistit in indiuisibili, sed habet suos gradus pretij infimi, medij & rigorosi. Vnde potest vendi, & permutari cum aliquo lucro secundũ consuetudinem loci. Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eam acceptare, nisi secundùm valorem, quem habet sub ratione pretij & mensuræ rerum venalium, qui est eius vsus primarius, ad quem fuit inuenta.

5 Septimò ratione peculiaris affectus aut oblectationis, qua se priuat, potest ex cambio aliquid accipere supra valorem pecuniæ lege taxatum, quia pretio est æstimabile priuare se re ad quã tantopere afficitur.

Octauò ratione antiquitatis honorificæ. Vnde statuæ, & alia similia, quo antiquiora sunt, cæteris paribus, eò pluris æstimantur.

Nonò ratione raritatis. Hæc enim conditio facit pecuniam pluris valere, quàm alioquin valeret.

6 Decimò & vltimò ratione vsus, seu expedibilitatis, contingit enim vt campsores dẽt pecunias, quæ in his, vel illis locis pluris æstimantur, & recipiãt pecunias quæ in eisdem locis, parui aut nullius sunt valoris.

Hinc si timor probabilis esset, breui pecuniam aliquam publica authoritate minuendam in valore, aut banniendam, licitè emi posset vilius, quàm secundùm legem valeat. Ratio est, quia timor ille, ac probabilitas quòd minuenda sit in æstimatione, efficit illam minoris valoris; non secùs ac pecunia quæ collocata est in tempestate, iustè emitur minori pretio, quam sit lege taxatum, interim tamen dum pecunia illa publica authoritate imminuta non est, quo ad valorem, licitè expenditur pretio taxato, quoniam reuera adhuc retinet antiquum valorem.

QVÆSTIO XII.

An Princeps possit pecuniæ valorem augere?

1 NOnnulli relati à Couar. in opusc. veter. numis. collat. ca. 7. negant.

1 COmmunis tamen Doctorum sententia est, posse Principem ex præhabito populi consensu, vel etiam sine ipsius consensu, modò rationabilis aliqua causa subsit, pluris æstimare pecuniam, quàm sit pondus auri, argenti, vel æris, ex quo tanquam ex materia constat. Ita Innoc. Panor. Host. quos citat, ac sequitur Couar. loco cit. estque de mẽte S. Tho. lib. 2. de regim. Princip. cap. 13. Imò & Aristot. lib. 5. Eth. asserentis nummum lege consistere, ac suam vim retinere, non natura.

QVÆST. XIII.

Quot modis cambium per literas fieri soleat?

1 REsp. duobus. Primus modus fit cum campsor in vno loco pecuniam alicuius recipit, cum pacto soluendi eam per se, vel per suum correspondentem in alio loco. Vt si profecturus quis Romam, det hic campsori centum, vt cum Romam peruenerit, accipiat ibi ab eo, aut à suo correspondente nonaginta.

2 Secundus verò modus fit, cum campsor ipse, vel alter ipsius nomine pecuniam campsario dat, cum pacto vt eam cum incremento sibi vel alteri à designato in alio loco soluatur. Et quia Doctores non eodem modo de vtroque cambio loquuntur, dicemus priùs de cambio priori, dicturi posteà de cambio posteriori.

QVÆSTIO XIV.

An primum genus Cambij, mutui rationem habeat?

1 IN qua re certi iuris est, huiusmodi cambium non esse mutuum ex parte campsoris, is enim pecuniam non dat, sed recipit.

QVAE

Quæstio igitur est. An mutuum sit ex parte campsarij.

1 RESpon. non esse mutuum. Et ratio est, quia in hoc cambio interstitium temporis intercedit, sed id ex accidenti, quia literæ, necessariò ad alium locum diriguntur, vt ipsarum fide in eo pecunia soluatur. At id cambij natura non postulat, quia potest vna pecunia campsori dari, vt statim sine literis alia soluatur, vt in cambio minuto contingit. At mutuum sine aliquo temporis interuallo fieri nequit, ergò non est mutuum, sed verè, & propriè permutatio pecuniæ præsentis, cum ea, quæ loco abest.

QVÆSTIO XV.

An huiusmodi cambium cum aliquo incremento sit licitum?

1 RESp. esse licitum. Et ratio est, quia si campsor reipsa pecunias campsarij de loco in locum transferret, posset petere aliquam compensationem, ergo etiam potest cum dat illi literas quibus mediantibus alibi tantumdem accipiat, nã hoc modo quodammodò transfert pecuniam campsarij ex hoc loco in alium locum; quæ translatio virtualis non minorem vtilitatem affert campsario, quàm afferret realis translatio pecuniarum ipsius de loco in locum.

2 Tum quia licitum est agasoni aliquam mercedem accipere pro asportanda pecunia, ergò licitum erit campsori pretium exigere in casu posito, si quidem eandem præstat vtilitatem, imò maiorem, quia cãpsor assecurat pecuniam à periculis omnibus, agaso verò non assecurat à periculis fortuitis, Ita Illustr. Caiet de camb. c. 1. & 6. Nauar. c. 17. nu. 289. Mol. d. 403. Sot. lib. 6. q. 10. art. 1. & Med. q. de cambiis.

QVÆST. XVI.

Quot, & quibus de causis campsor ex hoc cambio possit mercedem accipere?

1 RESp. tribus. Primò ratione obsequij quod alteri præstat, traiiciendo pecuniam, quam hic habes in locum vbi tunc indiges v. g. Sicilia. Neapolim, quæ opera in gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 23. dub. 3. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 11. q. 6. Sot. l. 6. q. 10. a. 1. Med. C. de rest. q. 15. & alij.

Nec obstat, quod vt plurimum campsores formaliter non transferant pecuniam, quoniam vt Doctores communiter rectè obseruant, eam quasi transferunt, faciendo id, quod æquiualet formali translationi. Vnde cum hæc virtualis translatio non minorem vtilitatem afferat campsario, quam affert realis pecuniarum ipsius de loco in locum, meritò possunt pro illo obsequio pretium exigere.

2 Secundò quia campsores pericula subeunt, & labores sustinent, & impensas faciunt, vt in alium locum pecuniam traiiciant. Ita Sylu. vsura 4. q. 8. Nau. c. Nauig. num. 21. & c. 17. num. 283. Armil. verb. campsor. num. 5. & alij communiter.

Nec obstat primò; quòd campsor eam absque vllo labore, periculo, & impensis traiiciat, quia in eo loco vbi soluit, fratrem vel filium, vel procuratorem habet, qui pro ipso soluunt. Quia id ex accidenti contingit, nam cambium locale per se iis incommodis subiicitur, præsertim cum campsor sua industria, vel bona fortuna hæc incommoda, & pericula deuitet.

3 Nec obstat secundò, quòd interdum campsori commodum sit habere pecuniam absentem, quia hoc non prouenit ex ipsa conditione absentiæ per se consideratæ. sed ex industria, cura, & diligentia campsoris, qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere. Vnde non tenetur idcircò eam secundùm se pluris æstimare.

Tertiò & vltimò ratione publici officij, quod faciunt in gratiam & vtilitatem multorum.

QVÆSTIO XVII.

An qui authoritate Principis non fungitur munere, & officio campsoris, possit tuta conscientia ex tali cambio lucrum accipere?

1 RESpond. posse. Et ratio est, quia qui recipit in vno loco pecunias soluendas in alio, eo ipso alteri inseruit, qui periculo, labore, & impensis aliò deportaret, ergò sui laboris, & operæ stipendiũ meretur.

2 Et confirmatur, si hic eadem obsequia præstat, quæ publicus numularius,

non video cur non possit aliquid exigere, & si non tantùm, quantum illi qui id ex obligatione faciunt. Nam obsequia illa in gratiam eorum, qui petituri sunt, præstita, aliquam mercedem merentur. Ita Nau. cap. 17. nume. 288. Sot. lib. 6. quæstio. 10. artic. primo, & Less. lib. 2. cap. 23. dubio 2.

QVÆSTIO XVIII.

An in hoc cambio liceat lucrum accipere, quãdo fit de vno loco in alium eiusdem Regni vel Prouinciæ, vt à Placentia in Parmam?

1 SOtus lib. 6. de iust. quæst. 10. art. 1. putat non licere. Ratio eius est quia in cambiis quæ in diuersis eiusdem Regni vel Prouinciæ locis fiunt, campsores nullum vel saltem exiguum periculum subeunt: vel laborem, nec faciunt expensas, ergò ex tali cambio nihil possunt lucrari.

2 Verùm contraria sententia est communis, & certa. Probatur. Sicut industria transferendi pecuniam à loco vnius Regni ad locum alterius pretio est æstimabilis: ita industria transferendi ab vno loco ad alium eiusdem Regni est pretio æstimabilis, tamen sit minori distantia, sit minor, & minora sint pericula in transportatione, præsertim cum nulla sit prohibitio extractionis pecuniæ ad locum eiusdem Regni, sicut esse solet ab vno Regno in aliud.

Tum quia ex cambio minuto, in quo campsor pecuniam auream cum argentea in eodem loco permutat, potest lucrum accipere, ergo à fortiori poterit vbi est aliqua loci distantia.

Neque credo, Sotum. in iure peritissimum intendisse hoc negare, sed solùm non esse dignum tanto pretio, quantum mercatores accipiunt à nobilibus pro pecunia quam in Curia Regis illis dant, recipiendam postea in locis, in quibus nobiles suos habent redditus & domicilia; ea enim via mercatores nomine cambij palliare solent vsuras.

3 Et argumentum in contrarium adductum solùm probat, lucrari non posse, tantumdem, quantum lucrari solet, cum in loco longè distanti, & remoto pecunia soluitur nisi magnum in itinere illo vnius loci ad alterum immineret periculum. Ita Nauar. cap. fin. de vsuris, nu. 28. Tolet. l. 5. sum. c. 54. Mol. to. 2. de contr. disp. 407. Less. lib. 2. cap. 23. dub. 4. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 11. q. 6. Emanuel. Sà, in aphorism. conf. verbo. cambium num. 6. & Sot. lib. 7. quæst. 6. artic. 1. sibi contrarius.

QVAESTIO XIX.

An cambium ratione interuenientis lucri, vel damni sit licitum?

1 REspond. esse licitum. Et ratio est, quia sicut in aliis contractibus potest haberi ratio lucri cessantis, vel damni emergentis, vt se indemnem seruet, ita etiam in contractu cambij. In extrauagãti tamen Pij Quinti ædita Anno 1571. circa cambia prohibetur, ne illud ab initio contractus tanquàm certum, determinatum in pactum deducatur, etiam in casu expectatæ solutionis, sed solum ex euentu secuto constituatur.

2 Verùm quia hoc vt bene annotauit Doctor Nauar. c. 17. num. 301. in præsumptione fundatur quod non ratione lucri cessantis, sed palliandi sub eo nomine vsuram, sumatur ob dilationem solutionis; quando autem ratione veri lucri cessantis, vel damni emergentis acciperetur, iustè, ac licitè in foro conscientiæ sumeretur, ac proindè obnoxium nõ esset restitutioni. Et ratio est, quia lex quæ in præsumptione fundatur, vim non habet in foro conscientiæ, quando de contrario eius præsumptionis in eodem conscientiæ foro constat.

3 In eadem etiam Bulla prohibetur cãpsori sua sponte prorogare campsario terminos solutionis, sed cambiendum esse ad proximas nundinas, vel ad alios terminos solitos secundùm consuetudinem patriæ receptam. Per hoc tamen, vt benè aduertit. Idem Nauar. loco citato non adimitur facultas campsori, quin instante campsario, & in gratiam ipsius, possit terminum prorogare, quando ob eam maiorem dilationem nihil augeretur in cambio plus, quàm si ad proximas nundinas concederetur. Quoniam beneficium ac charitas esset, concedere longius illud maius tempus sine vllo incremento, quod summus Pontifex prohibere non intendit.

Hoc idem dicendum est de cambiis omni

omnibus alioqui licitis, ſi à lege aliqua prohibeantur; ceſſante enim fraude, quam lex præſumit, fieri poſſunt, niſi ex ipſa lege, vel conſuetudine conſtet oppoſitum.

QVÆSTIO XX.

An cambium quod dirigitur ad locum, vbi campſarius nec pecuniam, nec reſpondentem habet, qui pro ea ſoluat, ſit iuſtum?

1 IN hac graui quæſtione dico primo, quod ſi campſor cambium ad aliquem locum dedit ei, quem probabiliter, ac prudenter credebat ſoluturum in eo loco, deinde verò intelligat illum nec pecuniam, nec filium, nec fratrem nec ſocium, nec miniſtrum, nec procuratorem, nec alium aliquem ſibi notum habere, vel habiturum, qui pro eo ibi ſoluat, ſed ſoluturum eſſe in loco, in quo cambium accepit, licitè poteſt illum compellere, vt contractum adimpleat, ſuiſque ſumptibus ponat pecuniam illam cum eo incremento in loco conſtituto in contractu: quòd ſi alter nolit, vel non poſſit illic ſoluere poterit campſor repetere pecuniam quam dedit, & pretium cambij in loco vbi dedit, & pretium cambij in loco vbi dedit, & intereſſe eo quòd loco conuento non ſoluit. Et ratio eſt, quia cũ campſor bona fide contractum ex parte ſua compleuerit, conſequens eſt, vt teneatur campſarius quoque ex parte ſua implere quantum poteſt, vel ſoluere quantum campſori intererat eum impleuiſſe contractum in illo alio loco.

2 Neque hoc prohibet Pius V. in ſua Bulla, dum præcipit, ne ducatur in pactum à principio contractus, lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Nos enim loquimur hîc de lucro ceſſante, & damno emergente iam actu, & reipſa ſubſequuto, quod de iuſtitia compenſare debet. Pius autem V. loquitur de damno emergente, vel lucro ceſſante adhuc futuro, quod forſan non accidet, prohibétque ne illud in pactum à principio contractus ducatur: tale enim pactum in ipſo initio contractus non paruam affert occaſionem fœnerandi, quod ſanctiſſimus ille Pontifex omnino voluit à cambijs expellere. Ita Doctiſſimus Molin. diſp. 404 & Leſſ. dub. 7.

3 Secundò dico, quòd ſi campſor ſciebat vel ſuſpicabatur à principio, eum qui cambium accepit, in eo loco in quo facienda eſt ſolutio, neque pecunias, neque reſpondentem habere, vel habiturum, nihil poteſt per illud cambium exigere & ſi exigit, tenetur illud computare in ſortem. Et ratio eſt, quia tale cambium reuera non ſubſiſtit, eius autem quod non ſubſiſtit non poteſt eſſe lucrum, ac proinde nec percipi iuſtè ab illo poteſt, qui conſcius erat illius impotentiæ: quòd ſi accipiatur, obnoxium reſtitutioni erit; ſicut qui emit boues ab aliquo, ſciens eos non ſubſiſtere, & eoſdem illi locat, non poteſt exigere pretium locationis, quia locatio non ſubſiſtit. Imò verò ſi in foro fori conſtet eo modo eſſe illud lucrum perceptum, pœnis vſurariorum in eo plectetur, qui illud acceperit, quandoquidem tunc nullus alius titulus erit, quo accipiatur, quàm vi mutui. Ita Nau. c. 17. n. 286. & 299. Sylueſt. verb. vſura 4. q. 9. Mol. d. 404. & Leſſ. dub. 7. qui dicit communem.

4 Hinc numularius tenetur diligentiam adhibere, quando rationabiliter dubitat de eo qui petit hîc pecuniam ſoluendam à ſe alibi, an verè habeat modum ſoluendi eo in loco, alioqui exponeret ſe periculo lucrandi ſolùm ratione expectatę ſolutionis, mortalitérque peccaret cum onere reſtituendi illud lucrum.

QVÆSTIO XXI.

An vt huiuſmodi cambium ſit licitum, requiratur, vt campſarius ipſo tempore contractus habeat iam actu, & reipſa pecuniam in loco vbi facienda eſt ſolutio?

1 SYlueſt. verb. vſura 4. q. 9. putat ad iuſtitiam huius cambij deſiderari vt vtraque pecunia danda ſcilicet, & reddenda iam ſit in actu, quia prę ſentis, inquit, ad futurum, ſicut & certi ad incertum, non eſt permutatio propriè. Hoc ipſum (teſte Nauar. in ſuo comment. de camb. n. 14.) tuetur Sot. lib. 7. q. 5. art. 2. Sed reuera Sotus ſaltem in eo loco qui citatur à Nauar. nil tale ſomniauit.

2 Oppoſitam omninò ſententiam habent alij Doctores grauiſſimi aſſerentes ad veram permutationem ſufficere, vt campſarius in eo loco, in quo eſt ſoluturus, & ſi nullam pecuniam tempore contractus actu habeat, habet tamen illam [illegible] ſpe, vel po-

teſtate, quia ſcilicet ibi habet amicum, qui eam dabit mutuo, vel ad cambium; poſſum enim ego permutare rem, quam ſpe, iure vel poteſtate habeo, cum hac, quam tu actu nunc habes; quemadmodum iuſtè emi poſſunt fructus in herba, partus talis animalis, & aliud ſimile, quod & ſi tunc non erit in eſſe, erit tamen in ſpe. Ita Nauar. c. 17. n. 301. & in com. de camb. n. 14. & Salon. to. 2. de contr. q. 4. art. 2.

3 Ad argumentum verò Sylueſt. reſp. Nauar. in commutatione ſpeciali, in qua vna res certa, & deſignata, cum alia quoque certa, & deſignata commutatur, vt hoc certum, & deſignatum vinum, cum illo certo ac deſignato oleo, verum eſt, requiri, vt vtrumque extremum iam ſit in eſſe. At cambium de quo hic loquimur, non eſt commutatio ſpecialis, ſed generalis, commutatur enim non hæc ſingularis, & indiuidua pecunia, cum alia ſingulari, & indiuidua; ſed pecunia quæ datur Romæ in quocunque genere monetæ commutatur cum alia reſtituenda in Sicilia, in quocunque genere pecuniæ.

QVÆST. XXII.

An Campſor in hoc caſu poſſit exhibere campſario ſuum factorem, qui eo in loco exiſtens pro eo ſatisfaciat?

1 IN qua re (excepto Mercato. lib. 4. de camb. c. 7.) conuenit inter omnes, poſſe tuta conſcientia campſorem exhibere ſuum factorem, qui cambium in loco illi præfixo, non eſt pecunia eiuſdem campſoris, ſed ex ſua, vel aliena, hoc eſt ab alio accepta perſoluat. Ratio huius eſt, quia ad cambium reale, & verum illud tantum deſideratur, vt pecunia v. g. Romæ accepta, actu, & reipſa ſoluatur in Sicilia, vbi fit cambium; hoc autem nomine campſarij vere ac reipſa præſtat factor campſoris, ergo huiuſmodi cambium, verum eſt, & reale.

Sed tota difficultas conſiſtit. An tale cambium ſit licitum, in caſu quo factor campſoris, cambium ex eiuſdem campſoris pecunijs perſoluit?

1 SOt. li. 6. de iuſt. q. 10. art. 1. Rebel. p. 2. de oblig. lib. 11. q. 6. & Mercat. lib. 4. de camb. ca. 7. illud abſolutè, & omninò damnant tanquam fictum, & ſimulatum mutuum, quia perinde hoc cambium ſe habet, ac ſi Romæ mutuo dares Caio centum, vt ibidem ſolueret tibi quoque totidem cum lucro, quæ ſibi ex mutuo debebat.

Sed contrarium eſt probabile, & fortè verius. Ducor quia ſolutio pecuniæ non fit in loco, vbi recepta eſt, virtute primi cambij, quod reuera finitur in loco, in quo facienda erit ſolutio, ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco, ad quem miſſæ fuerunt literæ.

2 Deinde, ſi campſor poteſt mittere literas ad proprium factorem, quibus mediantibus, ex pecunia ſua, vel aliena, factor ille cambium ab ipſo campſore collatum perſoluat debito illo per alias literas ad eundem rurſum remiſſo, cur non licebit eidem campſori efficere, vt ex ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur? Quod enim per alios præſtare poſſumus in contractibus ciuilibus, cur non licebit per nos ipſos ſimiliter præſtare?

3 Ad cuius ſententiæ confirmationem mirabiliter facit, quod Salon lib. 2. de cõtract. q. 4. art. 2. affirmat, nimirum Anno Domini 1574. cum in Regno Siciliæ plurimi dubitarent. An per conſtitutionem Pij V. hoc genus cambij, de quo nunc diſputamus, prohiberetur, Congregatio Illuſtriſſ. Card. authoritate S. D. N. Greg. 13. cenſuit huiuſmodi cambium literis Pij V. fel. record. minimè comprehendi.

QVÆST. XXIII.

An ſecundum genus cambij, quo campſor primum dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat cum lucro habeat rationem mutui?

1 RESP. minimè. Et ratio eſt, quia in mutuo intercedit ex ſua natura diſtantia temporis, quo mutuatarius poſſit vti re mutuata. At verò in cambio hoc, diſtantia hæc tẽporis de per ſe, & ex ſua natura non cõpetit, ſed ſolùm diſtantia loci.

Tum quia in mutuo res mutuata reſtituenda eſt in eadem ſpecie, vt ſi moneta aurea mutuata eſt, aurea eſt reſtituenda. In hoc autem cambio non ſic, nam ſatis eſt, ſi moneta in eadem quantitate valoris reſtituatur.

Tum quia in mutuo repeti poteſt res mutuata, quando mutuatori placuerit; non

non autem ſic in cambio, niſi in tempore præfixo ad ſolutionem.

Tum demùm, quia in mutuo reſtituenda eſt res vbi mutuata eſt. At verò in hoc cambio pecunia ad cambium data in alio loco reſtituenda eſt, quam ſit locus vbi fuit primò data & recepta. Ita Caiet. c. 7. de camb. Sot. lib. 6. q. 10. ar. 1. & Nauar. c. 17. num. 289.

QVÆSTIO XXIV.

An campſor tuta conſcientia poſſit ex tali cãbio aliquid lucrari?

1 QVi putant hoc cambium mutui rationem habere, negant eum poſſe lucrari, niſi fortè ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quia nimirum omnes ſuas pecunias habet negotiationi expoſitas.

Illuſtriſſ. Caiet. in opuſc. de camb. c. 7. qui cambium hoc ad venditionem reuocat vult eum poſſe lucrari, quia pecunia præſens pluris æſtimatur, quàm pecunia procul abſens.

2 Magiſter Sot. lib. 6. q. 10. ar. 1. putat hunc poſſe lucrum exigere, quia aliundè pecuniam in hunc locum transfert, vbi eã dat: quapropter ratione huius obſequij, quod alteri præſtat, aliquam mercedem meretur.

Io. Azor. p. 3. inſt. moral. lib. 10. c. 6. aſſignat tres cauſas huius lucri.

Primò, quia permutat pecuniam præſentem cum pecunia loco diſtante, quæ ſine periculis, laboribus & expenſis huc, vbi eam permutat, nequit transferri.

Secundò ratione officij, quo fungitur congerendo, apparando, & aſſeruando pecunias in gratiam aliorum.

Tertiò & vltimò ratione obſequij, & beneficij quod in alterum confert.

3 At verò Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 23. dub. 4. cenſet hoc lucrum eſſe licitum, primò ratione virtualis translationis, qua numerando hic pecuniam præſentem ei, qui habet remotam, tantùm obſequij, & beneficij in alterum confert, quantum ſi pecuniam remotam huc transferret. Atqui obſequium translationis eſt pretio æſtimabile. ergo etiam numeratio, pecuniæ præſentis pro abſente eſt pretio æſtimabilis, quia æquiualet reali translationi.

Deinde qui petit pecuniam præſentem pro remota, petit leuari onere translationis ſuæ pecuniæ in hunc locum, atqui hoc onere leuat illum numularius, numerando præſentem, & illud in ſe ſuſcipit: hoc autem eſt pretio æſtimabile, ergo.

Nec obſtat quod campſor correſpondentem habeat in loco, in quo eſt illa alia pecunia, atque ita abſque ſuo labore, nulliſque ſuis expenſis, leuare eo onere poſſit illum qui cambium ab ipſo petit; quoniam id per accidens eſt, ſpectatque ad felicem ipſius conditionem, atque effectus quem ea via præſtat, id. valet.

5 Hinc colligitur, licitum eſſe emere rem abſentem, ac longè diſtantem minori pretio, quàm valeat in loco vbi eſt, quando emitur ex illo qui propter loci diſtantiam non poteſt illam diſtrahere vbi eſt, neque poteſt illam aſportare ſine magnis ſumptibus, nihil impediente, quod qui ipſam emit, poſſit ſine ſumptibus ea frui, vbi illa eſt, aut eam facilè pretio iuſto diſtrahere. Ratio eſt, quia tunc res illa reuerà minùs valet venditori, & quòd ita ematur, leuatur vẽditor magno onere, & ſũptibus.

Secundò ratione maioris, vel minoris æſtimationis pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur.

Tertiò eſt ratione lucri ceſſantis, vt ſi pecunia præſens quam tradit ad cambium erat negotiationi expoſita.

Quartò & vltimò eſt ratione carentiæ pecuniæ ſuæ, & periculi ne non reſtituatur, & priuationis commoditatis ea pecunia negotiandi: magni enim æſtimant omnes mercatores, & campſores quòd ad vnum, duos vel tres menſes cogantur carere ſua pecunia, idque tum ob periculum cui exponitur, tum quia interim priuantur cõmoditate per illam aliter negotiãdi.

QVÆSTIO XXV.

An Cambium ratione officij cum aliquo lucro ſit licitum?

1 REſp. eſſe licitum. Ratio huius eſt, quia huiuſmodi obligatio qua ſe iſte aſtringit ad cambiendum omnibus, appretiabilis pretio eſt, vtpotè quæ multis ſubiecta eſt curis, periculis & laboribus, ergo pro iſta obligatione ciuili, qua obnoxius factus eſt ad ſubeunda hæc onera, poteſt compenſationem petere. Ita Lop. lib. 2. de contr. cap. 2.

Digitized by Google

QVÆSTIO XXVI.

An priuatæ perſonæ, quæ neque ex obligatione aut ex officio ſunt deſtinatæ à Republica ad cambiendum, poſſint ex tali cambiendi modo lucrum ſibi acquirere?

1 MAg.Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 10. art.2.negant.

2 Sed oppoſitum quod tenent alij,eſt verius, atque ſequendum. Et ratio huius eſt, quia ſi Reſpublica obligaret aliquē ad ea onera ſubeunda, poſſet talis petere compenſationem, non ſolum obligationis, illius, ſed etiam ipſorum onerum ſuceptorum,ergo etiam poteſt ſi illa onera ſponte ſuſcipiat. Ita Valen.tom.3.d.5.q.23.p.4.Nauar.c.17.n.288.& Leſſ.lib.2 c.23.dub.2.

QVÆST. XXVII.

An cambium ratione ſolius temporis, cum aliquo lucro, ſit licitum?

1 REſp.eſſe illicitum, & vſurarium.Ratio eſt, quia nihil aliud eſt quam mutuum propter lucrum.

Et confirmatur,nam hoc cambium nihil differt à cambio ſicco, niſi quod in cãbio ſicco palliatur vſura fictione quadam, at vero in iſto cambio manifeſtè accipitur mutuum cum promiſſione lucri.

QVÆST. XXVIII.

An cambium ratione diuerſitatis monetæ, vel ratione diuerſi valoris eiuſdem monetæ in diuerſis locis ſit licitum.

1 AD hoc dico primò,quòd licitum eſt pecuniam, quæ in vno loco maioris æſtimatur, quia eſt ex materia pretioſiori, recipere, reddendam eandem alibi, vbi ex eo quòd eſt ex materia viliori, non tanti æſtimatur: dummodò taxatio pecuniæ in vtroque loco ſit eadem. v. g. ſi ſcutum Gall.cum ſit ex auro pretioſiori,quàm ſcutum Italicum, nihilominùs vtriuſque ſcuti ſit eadem taxatio legitima ratione pecuniæ,licitum eſt vnum ſcutum pro alio cambire,non ſolùm in diuerſis locis,ſed in eodem. Et ratio huius eſt, quia in hoc caſu inter vtrumque ſcutum eſt æqualitas ratione menſuræ, ergo eſt iuſtitia in permutatione.Patet conſequentia, quia taxatio pretij maximè attenditur in ordine ad vſum primarium, ſcilicet vt pecunia eſt pretium,& menſura rerum venalium.

2 Hoc primum aſſertum non contradicit doctrinæ, quam ſupra docuimus ſcilicet licere aliquid accipere ſupra pretium taxatum ex eo quòd vna pecunia eſt præſtantior quam altera. Quia hic tantùm agimus de pecunia ratione formæ, id eſt inquantum eſt menſura rerum venalium.

Secundò dico, quòd commutare pecuniam in vno loco,vt eadem,vel ſimilis reddatur in alio loco, vbi pluris æſtimatur in ratione formæ, & pecuniæ iniuſtum eſt,& iniquum. Ratio eſt, quia in hoc caſu recipit vnus amplius quam dat, ergo eſt iniquus.Nau.comment.de camb.num. 48.

3 Dices licitum eſt dare frumentum Titio,vt idem reddatur, vel ſimile in quantitate,etiamſi in loco,& tempore vbi redditur,pluris æſtimetur, ergo licitum erit exigere tot ſcutos permutatos, etiamſi pluris æſtimentur,vbi reddendi ſunt.

Reſp. negando conſequentiam. Ratio differentiæ eſt, quia frumentum ſemper manet idem ſecundùm vſum,& commoditatem,licèt pretium varietur; At verò pecunia non manet eadem ſecundùm commoditatem variato pretio.

4 Tertiò dico, quòd commutare pecuniam ratione materiæ minùs pretioſæ,pro alio eiuſdem materiæ magis pretioſæ,eiuſdem verò ponderis, vt ſcutum aureum commune pro Cruciato Luſitano, niſi fiat compenſatio minoris valoris cum maiori, eſt manifeſta iniuſtitia & iniquitas. Probatur. Cambium eſt contractus ad iuſtitiam commutatiuam pertinens,vnde oportet vt ſeruetur in eo æqualitas,at vbi commutatur pecunia vilioris materiæ pro pecunia materiæ magis pretioſæ eiuſdem ſpeciei,& ponderis, non ſeruatur æqualitas inter vtramque pecuniam niſi fiat compenſatio illius defectus,quem habet in ſuo valore pecunia illa vilioris materiæ, debet ergo neceſſariò fieri, aliter cambium eſt iniuſtum, & iniquum. Quod intelligitur quando exceſſus iſte valoris eſt alicuius momenti,quia ſi exiguus ſit,& paruus,non eſt cenſendus mutare valorem pecuniæ. Vnde aurum Hungarum poteſt commutari cum auro Hiſpano, quia cenſetur vtrum

eorum

Digitized by Google

eorum parum excedere alterum in puritate materiæ.

Hinc pecunia inualida,manca,aut in totum, aut in parte rupta, & non apta ad impositionem,esto sit metallo eiusdem valoris,non potest commutari cum alia sana & integra,nisi fiat inter vtramque pecuniã iusta compensatio ad arbitrium boni viri.

QVÆST. XXIX.

An si per inaduertentiam,vel ignorantiam,aliquis talem pecuniam diminutam,vel fictam receperit, possit tuta conscientia illam tradere pro currenti pretio non cognoscenti?

1 RESpon.non posse. Et ratio est, quia est vitiosa pecunia, & sibi imputet, si talem acceperit. Nec potest alium decipere,quamuis fuerit ipse deceptus.

QVÆST. XXX.

An Campsor mutuans pecuniam,quam ad cambiendum cum labore, & expensis aggregatam habet, possit eam mercedem exigere ac si pecuniam eandem ad cambium daret?

1 MEdin.q.8. de cambiis affirmant.
2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum cum aliis,nimirum nõ licere in hoc casu aliquid lucri accipere, si congregatam pecuniam mutuet,nisi propter eam mutuationem, lucrum illi verè cesset,vel damnum emergat, illúdque in initio contractus in pactum deducatur.Ita Rebell.p.2.de oblig.lib.11.q.9.

QVÆSTIO XXXI.

An Campsor semper possit lucrum exigere, siue auream pecuniam det, vt æream accipiat, siue è cõtrario det æreã vt accipiat auream?

1 RESp.posse semper lucrari, quamuis non semper ex eisdem causis. Nam cum dat auream pecuniam vt recipiat æream plures causas habet lucrandi,quam cum dat æream,auream accepturus:sed nihilominùs semper ius habet lucrandi, vt sui officij, & obsequij quod in alterum præstat,pretiũ accipiat. Nam qui dat auream pecuniã mercatori vt æream accipiat,ærea indiget, non aurea ad merces minutas emendas.

QVÆSTIO XXXII.

An cambium ratione copiæ, vel inopiæ totius generis pecuniæ sit licitum? Perinde est,ac si quæreretur, An liceat commutare paucos argenteos numerando illos in vno loco, vbi est penuria pecuniæ, & recipere plures vbi est copia in alio loco?

1 RESp.licere. Et ratio est, quia vbi est inopia pecuniæ,plus æstimatur pecunia ab omnibus, quàm vbi est copia;ergo vt seruetur æqualitas ratione huius æstimationis licitum erit recipere maiorem summã, vbi est maior copia pecuniæ.

Et confirmatur, licet cambire minorem mensuram tritici in loco vbi pluris æstimatur propter penuriam tritici,pro maiore mensura reddenda in loco vbi propter copiam vilius æstimatur, ergo idem est dicendum de pecunia.

QVÆSTIO XXXIII.

An Campsor qui in nundinis suas occultat pecunias,vt cambiorum pretia augeantur,peccet contra iustitiam, teneaturque ad aliquam restitutionem?

1 PRo huius quæstionis decisione obseruandum est primò, quòd Monopolium est quædam machinatio,qua campsores efficiunt, vt ipsi soli ad cambium tribuant,vel certo pretio suo arbitrio taxato. Hoc autem fieri potest tribus modis.

Primo quando mala fide vnus,vel plures campsores nituntur colligere, ac congregare apud se omnes pecunias aliorum mercatorum,quo, illis apud ipsos tantùm existentibus possint cambiorum pretia pro suo libito augere.

2 Secundò quando campsores inter se conueniunt,ne quis eorũ pecunias aliquas conferat, nisi certo pretio suo arbitrio taxato; ex quo mercatores ob pecuniæ necessitatem tale pretium dare compellãtur.

Tertiò quando absque vlla conuentione inter ipsos facta, vnusquisque illorum abscondit suas pecunias, vt illis sic occultatis,appareat illarum penuria, quâ pretia cambiorum augeatur.Quo posito.

3 Dico primò,quòd qui primò,& secundo modo efficiunt, vt pecuniarum inopia existat, proculdubio verè, ac propriè monopolium committunt, ac proindè peccãt contra iustitiam commutatiuam cum onere restituendi quidquid propter huiusmodi monopolium in pretijs cambiorum auctum fuit, cum illius augmenti, & excessus iniquè inducti, ipsi causa existant iuxta illam Regulam Iuris. Si tua causa damnum datum est,iure super his te satisfacere oportet.

4 Dixi notanter (mala fide) quia si vnus vel alter eorum, bona fide congregaret in principio nundinarum magnam pecuniæ summam, arbitratus ad merces quas ibi emere instituerat, necessariam, deindè verò iusta aliqua de causa illas non expédit, potest tunc sine peccato illam cãbire pretio tunc currente, esto cariùs illud redditum sit propter penuriam. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO XXXIV.

Sed tota concertatio consistit de eo,qui sine vlla conuentione,sed suæ tantùm curans vtilitati, & lucri, abscondit suas pecunias, quo pretia cambiorum augeantur.

1 IN qua re etiam conuenit inter omnes hunc peccare contra charitatem,quia sic occultando suam pecuniam, apertè dãnum infert egentibus pecuniis, cum ea de causa augeantur communiter cambiorum pretia.

Sed controuersia est, An peccet etiam contra iustitiam.

Magister. Sot. lib. 6. q. 12. ar. 13. videtur sentire eum peccare contra iustitiam commutatiuam.

2 Communis tamen Theologorum sententia docet, hunc non peccare contra iustitiam commutatiuam, quamuis peccet contra iustitiam legalem, & communem. Prima pars probatur,quia non magis obligantur campsores ad exponendas suas pecunias eis indigentibus, quàm obligentur venditores mercium ad exponendas eas venditoribus; quia non habent maius ius campsarij in pecunias campsorum, quam habeant emptores in merces venditorum; At occultantes suas merces vsque ad aliud tempus in quo pluris venduntur,non peccant contra iustitiam commutatiuam vt constat,nec ad aliquam restitutionem tenetur;ergò neque peccant contra iustitiam commutatiuam campsores qui seruant suas pecunias in tempus, in quo cambia maioris valebunt ac proindè neque ad aliquam restitutionem obligantur.

3 Secunda verò pars probatur, quia qui damnum bono communi inferunt, peccãt contra iustitiam legalẽ,atqui duos in nundinis suas pecunias occultant, nocent bono communi,cum per illam occultationem pretia cambiorum augeantur, ergò peccãt contra iustitiam legalem. At vero Iudices, & Magistratus tenebuntur compellere cãpsores,quos nouerint habere pecunias absconditas, ad exponendum eas campsariis sub onesto ac iusto pretio. Quò fit, vt nisi illud diligenter faciant, sicut ex officio debent, tenentur restituere priuatis excessum illum pretij, in quo celebrata sunt cambia ratione illius occultationis.

4 Ex quo colligitur, quòd quando penuria pecuniæ est introducta ex aliquo monopolio iniusto, non possunt tunc dicti campsores percipere pretium cambij aucti hac de causa, vt communiter Doctores tradunt. Verùm alij mercatores qui non consenserunt dicto monopolio, poterunt augere pretium cambij ob penuriam pecuniæ affectam à dictorum monopolio. Quod est intelligendum secundum id quod cum Barth. Med. docet Lop. lib. 2. de contr. c. 13.nisi habuerint notitiam huius monopolij, quia tunc non potuerunt percipere dictum pretium auctum, quia est violentum,& iniustum.

QVÆSTIO XXXV.

An quando fit cambium in mutuam vtriusque cambientis vtilitatem, in loco vbi pecunia eundem habet valorem, liceat alteri cambientium aliquod lucrum recipere ab altero? v. g. indiges tu pecunia hic,quam Romæ habes, ego verò contra æquè indiges Romæ pecunia, quam hic habeo, Quæritur. An in hoc casu vterque ab altero lucrum cambij exigere valeat?

1 SOt. lib. 6. quæst. 10. ar. 1. Med. q. 5. de camb. Roder. p. 2. sum.ca. 104. num.1. Salon. lib. 2. de contract. q.4 art.2. & Mol. disp. 405. tuentur partem affirmatiuam. Et probant, quia vtilitas, siue officium,

cium, quod vnus alteri præſtat, valet mercedem ſuam, nec peioris conditionis effici debet, eo quòd ſine alterius damno per talem contractum aliqua alia ſibi vtilitas accedat.

2 Mercat. cap. 4. de cambiis, Lop. lib. 2. de contract. cap. 3. Gar. quem citat Rebell. p. 2. de oblig. lib. 11. quæſt. negant, fundamentum eorum eſt, quia ad omnem permutationem ex natura contractus exigitur æqualitas apud omnes: cum ergò in propoſito caſu non præſtet minùs vnus, quam alter, nec minùs vni quam alteri vtilis, vel oneroſa pecuniæ tranſmiſſio euadat, vt ſupponimus, ſit vt omni ſemoto ſtipendio vtrinque æqualitas cernatur, & ſtipendio adiecto inæqualitas, ergò nullum ſtipendium vnus ab altero abſque nota iniuſtitiæ exigere poteſt.

Rebell. loco citato conatur has duas opiniones conciliare in hunc modum. Quando contrahentes æqualiter ſe præueniunt, & attentis omnibus circumſtantiis commodum, & incommodum vtriuſque eſt omninò æquale, neuter ab altero poteſt tuta conſcientia ſtipendium cambij accipere. Et in hoc ſenſu, vera eſt opinio Mercati, Quandò verò aliter res ſe habet, qui præuenitur tantùm poteſt exigere, quantùm qui rogat viliorem reddit partem ſuam, ex modo rogandi.

3 Ego certè non tantùm mihi tribuo vt Doctoribus adeò grauibus, & de ſtudioſis quin, & de tota Republica Chriſtiana adeò benemeritis meum audeam præferre iudicium, interim tamen licèt nulla ex parte ſim cum eis conferendus, partim ex iis quæ hactenus dicta ſunt, partim ex iis quæ idem Sot. Med. Salon. & Molina circa præſentem quæſtionem docent ſic crederem de illa iudicandum, vt opinio Soti ſit multò verior, & probabilior. Ducor, quia obſequium quod vnus alteri præſtat, valet reuerà incrementum illud, per accidens autem eſt, quòd alia via id etiam redundet in commodum ipſius. Vnde in cõtractibus vt ſint iuſti, illud attendi debet num quod ex parte ſit, æquiualens ei ſit, pro quo ſit. Quod hoc exemplo fiet manifeſtum, quando aliquis detulit conductum equum in aliquem locum facturuſque erat expenſas in illo reducendo ad locatorem; ſi enim conductorem mueniat, qui eum ad deſtinatum locum deferat, licitè poteſt eum iuſto pretio illi locare, nihil impediente quòd inſuper lucretur expenſas, quas in eo reportando erat facturus. Cum enim cernatur æqualitas inter vſum equi quem concedit, & ſtipendium quod pro eo accipit, iuſtus eſt contractus, quem celebrat, etiamſi aliundè reportet per accidens cõmodum ex illo. Sic & in iſto cambio qui primo eſt ab alio rogatus, eſtò re ipſa indigeat commutatione illa, & pecuniam ſuam habere in loco illo, nihilominùs poteſt recipere ab eo, à quo ita præuenitur lucrum illud, & pretium quod iuxta communem vſum fori poſſet recipere, ſi neque tali commutatione indiguiſſet, neque eſſet ipſi vtile pecuniam ſuam illic habere. Et hæc de rigore iuſtitiæ dicta ſint. De decentia tamen, & fraterna charitate deberet de huiuſmodi rigore aliquid remittere, is tamen qui remittere nollet, non peccaret ſaltem mortaliter.

4 Ex qua doctrina facilè colligitur quid ſit dicendum ad ſequens dubium. Titius indigens pecunia in Sicilia, illam tradit Caio, qui quærat alium, qui eam velit ad cambium, vt cum incremento illam ſoluat in Sicilia vbi ea indiget.

Quidam putant contractũ eſſe vſuariũ.

5 Alij verò dicunt contractum eſſe licitum, quod eſt longè probabilius. Et ratio eſt, quia Titius in hoc caſu vtitur iure ſuo, tradendo ſuam pecuniam ad cambium illud, in quo quiuis alius qui non egeret pecunia in Sicilia poſſet licitè lucrari; ex eo autem quod per accidens ſequitur tranſmiſſio ſuæ pecuniæ in Sciliam, vbi ea indiget, non redditur contractus ille illicitus: neque item ex eo redditur illicitus, quòd per ſe, vel per alium inuitet ad cambium alioquin iuſtum.

QVÆSTIO XXXI.

An campſarius poſſit obligari ad aliquam pœnam, ſi in ſoluendo fuerit in moram?

1 REſpondeo poſſe, ſtantibus duabus conditionibus.

Prima eſt, vt pœna illa exigua ſit & moderata.

2 Secunda re ſi aduenient ſolutionis termino, pecunia citò non ſoluatur, dicatur ſtatim eſſe in mora, ſed concedantur illi aliquot dies decem, vel quindecim, aut viginti: non enim cõmercia humana ad eas

Angustias redigéda sunt vt nisi intra paucissimos dies solutio fiat, sit statim illius debitor censẽdus in pœnã moræ incidisse.

QVÆST. XXXVII.

An in contractu cambij liceat campsori exigere à campsario fideiussores, vel pignora?

1 AD hoc dico primò, quòd quando cambium securum est, illudque pro comperto habetur, ita vt nulla laboret suspicione in contrarium, iniquum est vltra iustum eius stipendium, aliam securitatem à campsario exigere. Ratio est, quia exigere duas speciales obligationes, quarum vnaquæque abundè est per se sufficiens, est contra iustitiam, cum ex natura rei campsor nihil aliud petere potest, quàm debitam securitatem, qua seruetur indemnis, ad quam abundè sufficit prima illa obligatio.

2 Secundò dico, quòd quando cambium ita constituitur, vt iudicio boni viri aliquod imminet probabile periculum, non recipiendæ solutionis tempore conuento, licet campsori in sui securitatem exigere à campsario præter specialem obligationem & hypothecam, fideiussores, & pignora. Et ratio est, quia iure naturæ fas est, vnicuique seipsum seruare indemnem, vt quemadmodum campsarius in vno loco optimam, probatamque recipit pecuniam, ita & in alio loco campsori eadem, vel similis secura, & vtilis cum lucro reddatur quod naturæ contractus cambij non repugnat.

QVÆSITO XXXVIII.

An cambium ratione custodiæ, seu depositi, cum aliquo incremento sit licitum?

1 RESpon. esse licitum. Et ratio est, quia recipere, numerare, & custodire pecuniã, rationes dati & accepti conscribere, & alia bis similia facere, pretio sunt æstimabilia, & operæ sua iusta mercede ac stipendio dignæ. Ita Molina disp. 408. & Valentia supra parte 3.

QVÆST. XXXIX.

An etiam liceat priuato homini, qui campsoris officium non facit, incrementum ex hoc cambio percipere?

1 RESpondeo eum qui authoritate Reipublicæ publico cambiatoris officio non fungitur, sed ex contractu particulari inito cum his, & illis figillatim mercatoribus se astringeret ad recipiendum pecuniã illam in suo deposito & custodia, ad correspondendum inde, vel soluendum quæ ibi depositantes consignauerint debita, & ad rationem reddendam quibuscunque suo nomine destinatis ad eam exigendam, licitè posse pro tali obligatione ciuili aliquid iusti pretij ab vno quoque depositante recipere. Ratio huius est, quia hæc omnia pretio sunt æstimabilia.

2 Tum quia id quod per legem fit, per pactum fieri quoque potest iuxta leg. non impossibile ff. de pactis. Cùm igitur per legem id fieri possit, sequitur quòd pacto speciali possit cum singulis depositantibus contractum prædictum inire talis depositarius. Ita Nauar. com. de camb. num 36, Lop. lib. 2. ae contr. c. 2. & Molina disp. 408.

QVÆSTIO XL.

An quando depositarius nomine mercatoris, cuius pecunias apud se habet, alicui alteri soluit aliquam summam debeat recipere stipendium sui officij & laboris ab eo solùm qui pecuniam deposuit, an verò possit illud accipere ab illo cui soluit?

1 MAgister Sot. lib. 6. qu. 11. art. vnico, concedit posse depositarium recipere stipendium ab eo cui persoluit pecuniam, rationem insinuat esse consuetudinem, & consensum tacitum Reipublicæ. Hanc opinionem Ban. de Iust. qu. 74. art. 4. censet esse probabilem.

2 At Nauar. com. de vsur. nu. 83. & cap. 17. num. 295. & Mol. d. 409. docent id esse iniustum, sed debere accipere stipendium ab eo solùm qui pecunias deposuit, fundamentum eorum est, quia operas quas depositarius impendit, & si quid aliud pretio æstimabile efficit, id totum facit in gratiam deponentis, qui tenebatur soluere, & numerare pecunias, ergo ab isto tantùm debet exigi, & recipi stipendium, & non ab eo, cui pecuniam soluit.

Excipit tamen idem Nauar. loco citato quando is cui fit solutio, vendidit merces cariùs, quàm valebant ratione illius grauaminis, quod erat subiturus; aut quando

sua

ſua ſponte voluit cõdonare is ea quinque, vel ſex depoſitario, quòd tamen rarò eſt præſumendum.

3 Sed quamuis hæc ſecunda opinio probabilis ſatis cenſeri debeat, tum propter authoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur, tum propter argumentum, cui illa nititur, quod ſatis videtur vrgere. Prima tamen pleriſque recentioribus viris certè eruditis, & grauibus probabilior multò, & verior viſa eſt, ac meritò quàm nos etiam amplectendam cenſemus, quia argumentum, quo illa probatur efficaciſſimum eſt.

Tum quia iuſtus videtur titulus ad excuſandum depoſitarium, quod illius officium eſt valdè neceſſarium Reipublicæ, nam ſi non eſſet huiuſmodi officium, non poſſet venditores ſtatim recipere valorem mercium in pecunia numerata, eo quòd mercatores non poſſent tam ingentem pecuniam ad tam varia loca ſecum deferre, & ideò quaſi ex publico condicto decretum eſt ſtipendium depoſitariis ſoluendum eſſe etiam ab eis, quibus facienda eſt ſolutio.

4 Tum demùm, quia reuerà depoſitarij totum ſtipendium recipiunt ab eis, qui pecunias depoſuerunt, quia illa quinque vel ſex quæ ex mille numeratis accipiunt, non excipiuntur à pretio iuſto debito venditoribus: ſed ex pecunia deponentium, quia ſub tali lege recepit depoſitarius pecunias cuſtodiendas, vt quoties ſolueret mille cuiuis petenti in nomine deponentis, loco ſtipendij acciperet ſibi quinque. Nec depoſitarius tenetur examinare, an iuſtum ſit pretium mercium, quas vendidit, mille præcisè, an exceptis quinque, ſed ipſe venditor videat an is, qui pecuniam depoſuit, illa via ſibi abundè ſatisfecerit. Hæc pauca de cambiis ſufficiant, plura non puto confeſſario neceſſaria eſſe.

DE DONATIONE.

DISPVTATIO VIGESIMA.

DE hac materia differunt Theologi in 4. diſt. 15. D. Tho. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. Caiet. ibidem, & in ſum. verb reſtit. cap. 4. Sot. lib. 4. qu. 7. art. 1. Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 6. Salon. 2. 2. q. 62. art. 5. Mol. tom. 1. de Iuſt. diſp. 82. Lop. lib. 2. de contr. ca. 39. & p. 2. Inſt. conſ. c. 27. Arag. 2. 2. q. 62. art. 5. Med. C. de reſt. q. 20. Petr. Tolet. lib. 4. de reſt. c. 2. dub. 12. Cordub. lib. 1. q. 32. Ban. 2. 2. q. 62. art. 5. Mart. Ledeſm. 2. 4. q. 18. Nauar. in Man. c. 27. num. 30. & inf. Cou. rub. de teſt. p. 3. Roder. p. 1. ſum. c. 92. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 18. dub. 1. Rebel. p. 2. de obligat. lib. 18. q. 1. Iul. Clar. lib. 4. ſent. §. donatio. & alij Summiſtæ vero, vt Ang. Sylueſt. Tab. Armil. & alij verbo donatio, & promiſſio. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆST. I.

Quid ſit donatio?

1 RESpondeo quod eſt datio liberalis compenſationem non intendens. In qua definisione tres ſunt partes. Prima eſt (datio) per quàm intelligimus actionem donantis, natura ſua ſufficientem ad transferendum dominium, quæ fit, vel traditione rei, vt cum quis ſine vlla promiſſione præcedente rem ſuam alteri tradit, vt ſtatim fiat eius, & hæc eſt completa donatio transferens dominium. Aut nudo pacto & ſimplici promiſſione, vt cum quis dicit, do tibi meum librum, qui abſens eſt. Et hæc donatio natura ſua ſufficiens eſt ad dominium transferendum, tamen iure humano impeditur, ne dominium transferat, niſi ſecuta reali traditione. Vnde ſi Titius rem ſuam donatam Caio, donaret, aut venderet Mæio, & eidem traderet, Mæius acquireret eius rei dominium, nec teneretur rem illam Caio cedere, ſed ſolùm haberet actionem in Titium, vt eius valorem redderet, vt habetur in l. Quoties C. de rei vendicat.

Secunda pars eſt (liberalis) per quam excluditur omnis donatio, quæ habet rationé ſolutionis debiti, vel permutationis.

2 Tertia verò pars eſt (compenſationem non intendens) quæ ponitur ad denotandum, quod donatio propriè dicitur cum quis

quis eo animo dat,vt confestim res in dominium accipientis transferatur, nec vllo casu ad se reuerti velit.Quæ propriè fit ad liberalitatem, & munificentiam exercendam. Vnde donatio dicta est, quasi doni datio.

Ex qua definitione colligitur primò donationem esse actum virtutis, videlicet liberalitatis,vt habetur ex lege 1.ff.de donat. Nam liberalis est,qui gratis,nullo iure cogente dat, vt id quod dat fiat accipientis, &ea mente vt nullo casu reuertatur ad se, vel datum,vel aliquid aliud pro eo.

3 Secundò colligitur discrimen inter promissionem,& donationem. Promissio enim natura sua nõ habet vim transferendi dominium. Donatio verò habet. Et ratio est, quia promissio respicit donationem futuram; donatio verò est translatio rei in alterum in præsenti.

Tertiò colligitur donationem, & promissionem non esse propriè contractus, quia non pariunt obligationem iustitiæ,nisi in altera parte scilicet dantis, & promittẽtis:contractus verò propriè est vltrò,citróque obligatio. Vt habetur ex lege Labeo 2. ff.de verbo.significat.

Quartò, & vltimò colligitur, donationem esse contractum nominatum. Et ratio est, quia habet nomen proprium à cæteris distinctum,& parit actionem ciuilem,vt ex iure probat Iul. Clar.lib. 4.sent.§.donatio quæst.1. qui dicit esse communem.

QVÆST. II.

Quotuplex sit donatio?

1 Respondeo duplex, scilicet inter viuos,& causa mortis. Donatio inter viuos est,quæ sine vlla mortis cogitatione fit. Donatio verò causa mortis est, quæ propter mortis fit suspicionem,vt si dicam dono tibi hanc rem, si ex hac vita migrauero; sin autem superuixero ad me redeat.Vel quando donator proximus morti & ipsius vel morbi,vel periculi in quo versatur,mentionem facit,quamuis nullum de morte verbum proferat, præsertim si pro ratione donandi, morbum ipsum, vel periculũ reddat,iuxta l.2.ff. mortis causa dona.

2 Ex quo sequitur duo necessariò requiri ad donationem causa mortis.

Primò vt in ipsa donatione fiat mentio mortis vel saltem morbi, aut periculi.

Secundò vt simul sit collata in tempus mortis,vel si facta ab infirmo in testamẽto vel codicillo,dum præsertim est in mortis articulo; vel si vtatur verbo relinquo, vel alio æquipollente,etiã præsumitur esse donatio causa mortis,vt cum communi resoluit Couar.in rub.de test.3.p.nu.25.

3 Hinc donatio, quæ fit ab aliquo homine in aliquo magno periculo, aut infirmitate constituto, nulla facta mentione mortis, donatio debet dici inter viuos; nisi fuerit talis qualitatis,vt non possit valere, vt donatio inter viuos, quia in hoc euentu præsumitur esse donatio causa mortis, quòd contingit quando quis dicit, relinquo tibi hãc rẽ,ea lege,vt possim reuocare eã, quãdo mihi libuerit, quia posse reuocare, pugnet cũ natura donationis inter viuos, quæ secundũ leges,& iura,est irreuocabilis. Ex quo fit, vt res per donationem inter viuos donata, & tradita donatario, quantum est ex natura actus, statim in eius dominium transeat antè mortem donatoris. At in donatione causa mortis aliter res se habet, vbi & si per rei traditionem dominium transferatur, transfertur tamen reuocabiliter, ac proinde etiamsi sit à donatario alienata, eandem donator dum viuit potest pro suo libito repetere, non solùm cum fructibus pendentibus,sed etiam cum perceptis,deductis tamen expensis, & valore industriæ. Ita Roder.p.1. sum.c.89. Molina disp. 287. Rebel. p.2.de obligat.lib.18.q.12. & Lop. lib.2.de contr.cap.39.& 42.

QVÆST. III.

Quotuplex sit donatio inter viuos?

1 Respondeo quadruplex,scilicèt absoluta, conditionalis,modalis & causalis.

Donatio absoluta est, quando absolutè aliquid datur,vt statim fiat accipientis,vt si dicas,ego dono tibi hanc rem.

Conditionalis,quando particula (si)apponitur,vt dono tibi centum,si filius meus ex India saluus redierit. Vel dono tibi equum si pugnaueris pro patria.

2 Modalis,quando dictio(vt) adhibetur. vt do tibi centum, vt ex iis vestiaris.

Donatio autem causalis est, in qua dictio (quia) præponitur,vt do tibi centum ducatos

ducatos, quia adiuuisti me in necessitate positum, vel quia es meus cognatus, hanc rem tibi do.

QVÆST. IV.

An donatio remuneratoria sit verè, & propriè donatio?

1 REspondeo non esse propriè donationem. Et ratio est, quia qui donat, gratis omninò, & liberaliter donat, sed remuneratiua donatio fit ob causam præcedentem, scilicet ob merita, & vt gratum erga illum animum ostendamus.

2 Hinc prohibitus donare donatione mera, vel conditionali, vel modali non prohibetur donare donatione remuneratoria, nisi prohibeatur donare, vel quia non habet administrationem liberam in rebus donandis, vel quia donando inde efficitur impotens ad soluenda debita ex iustitia, vt ait Lop. lib. 2. de contr. c. 46.

Hinc, licèt donatio à patre facta filio non emancipato sit ipso iure nulla, quia pro vna eadem persona reputantur, tamen donatio hæc remuneratoria facta tali filio pro meritis, & seruitiis tenet, dummodò donatio hæc non excedat merita vt docet Nau. c. 17. num. 145.

3 Obiicies, donatio remuneratoria non est iure debita, ergo est propriè donatio.

Respondeo, quòd quamuis donatio remuneratoria non sit iure ciuili debita, est tamen ob causam ortam ex iure naturali, videlicet ob merita, obsequia, & officia, quæ in nos alius contulit cui nos aliquid donando gratum animum significamus. Vnde talis donatio non prohibetur fieri à Religiosis, quamuis omnis donatio per const. Clem. 8. de larg. muner. Regularibus interdicatur.

QVÆSTIO V.

An debiti remissio sit verè, & propriè donatio?

1 REsp. esse propriè donationem, vt colligitur ex l modestinus. ff. de donation. Vnde quemadmodum donatio vt sit valida, exigit, vt sit gratuita, & liberalis, sic etiam debiti remissio debet fieri gratis, & liberaliter, alioquin nulla erit remissio.

QVÆST. VI.

An renunciatio iuris sit propriè donatio?

1 REsp. esse propriè donationem, vt expresè colligitur ex l. magis puto §. fundum de rebus eorum, qui sub tutela sunt. Et ex l. vero in principio ff. de solut. Et ratio est, quia qui renunciat iuri, eo ipso se abdicat eo, quod habet, vel habere potest. Vnde pupillus qui iure prohibetur donare, eo ipso prohibitus est ius ad rem repudiare.

QVÆST. VII.

An solutio promissi sit verè, & propriè donatio?

1 REspondeo non esse propriè donationem. Et ratio est, quia donatio est datio gratuita, & liberalis; at talis donatio est iure debita, ergo.

QVÆST. VIII.

An donatio mutua sit propriè donatio?

1 REspondeo non esse propriè donationem. Ratio est, quia donatio emolumentum affert, & commodum, non onus, vel damnum, At donatio mutua est onerosa, vt cum quis donat tibi centum, si nauis ex Sicilia integra redierit, & tu ei donas alia centum, si vxor tua pariet masculum. Ita Iul. Clar. li. 4. sent. §. donatio q. 2.

QVÆST. IX.

Quinam sint illi, qui donare possunt?

1 REspondeo eos omnes, qui habent rei dominium, & administrationem cum facultate alienandi. Vnde qui tantùm habent dominium, non possunt donare quia donatio pertinet ad regimen, & dispositionem bonorum. Qui tantùm habent administrationem, non possunt donare, nisi secundùm mentem domini. Qui carent facultate alienandi, non possunt, nisi pro vt ius, vel superior id eis permittit.

QVÆSTIO X.

Sed Quinam sint (inquies) quibus iure communi interdictum est donare?

1 Respon

1 REspondeo eos omnes qui sequuntur. Primò donare non potest is qui mentis compos non est, vt amens, furiosus &c. Et ratio est, quia mente captus consentire non potest.

Secundò prodigus, si curatorem habeat, & interdicta sit ei rerum administratio.

Tertiò impubes, talis est masculus qui nondùm expleuit annum decimum quartum, & fœmina duodecim.

2 Quarto minor vigintiquinque annis, donare non potest, sine consensu expresso vel tacito vel debito sui Curatoris, nisi ratam donationem habuerit post expletum vigesimum quintũ annum: censetur autem cõsensus eius tacitus, vel certè debitus, vt possit donare, & expendere pro sua conditione, & facultate, pro vt alij æqualis conditionis passim permitti solet: qua in re attendendus est natalium splendor, magnitudo patrimonij, causa donandi, & mos receptus. Vnde si dum in studio commoratur de centum sibi missis quotannis pro alimẽtis quinque aureos ludit, vel cum amicis expendit, vel alicui fœminæ male donat (quidquid sit de peccato) talis donatio est valida. Nam & in filio patris familias in studio versante hoc concedit. Nau. c. 17. nu. 105. quia patres non debent esse nimij, vt velint irritare ea, quæ cum non sint exorbitantia inter adolescentes sunt assueta, sic & Tutores, & Curatores in hoc nõ debent esse nimij, vt etiam tradit Mol. d. 277.

3 Potest etiam sine licentia patris, ac Curatoris etiam minor vigintiquinque annis existens, si habeat vsum rationis facere donationem bonorum castrensium, vel quasi castrensium, quia horum habet dominium, & vsufructum, vt dicit Sylvest. verb. peculium 1. q. 3.

QVÆSTIO XI.

Sed Quid? si minor viginti quinque annis aliquid malè insumat vltra eam summam, quã Curator illi præscribit?

1 REspondeo hunc peccare quidem, quia præscriptum Curatoris, cui tenetur obtemperare, infringit, nunquam tamen mortaliter, quia nulli facit iniuriam. Ac proinde, illi quibus facta est donatio non videntur teneri ad restitutionem, donec donatum à Curatore repetatur, vel ipse donator petat fieri sibi restitutionẽ in integrum, vt egregiè docuit Mol. d. 277.

2 Adde si Minor fecit aliquam donationem iuramento confirmatam, tenetur in foro conscientiæ adimplere, quia licèt sine authoritate Curatoris sui non possit obligari ciuiliter, naturaliter tamen remanet obligatus.

Quintò filius familas etiam si pubes sit, non potest donare sine consensu expresso, vel tacito patris, nisi sit in dignitate constitutus, & habeat liberam peculij administrationem: veluti si sit filius Ducis, Marchionis, Comitis, Senatoris: vel nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense, cuius administratio ad ipsum, independenter à Curatore, spectat, vt docet Sylvest. verb. peculium 1. q. 3.

Sextò vxor non potest donare absque consensu mariti. Et ratio est, quia non habet liberam rerum administrationem, & donandi facultatem, nisi habeat bona paraphernalia.

3 Septimò Ecclesiastici non possunt de fructibus beneficiorum, qui decenti eorum sustentationi supersunt donare ad vsus profanos. In cuius explicationem dico primò, quòd beneficiarius potest impendere in vsus sibi placentes, & etiam in donationes profanas bona sua patrimonialia tanquam illorum dominus, de quorum numero sunt etiam acquisita ratione dignitatis Clericalis, vt celebrãdo, prędicando, cõfessiones audiendo, & alia sacramentã ministrando, Item detracta ex illa parte fructuum, quæ illi ad decentem vitam erat cõueniens: & quæ beneficiarius commeruit ex obsequiis Ecclesiæ præstitis, vltra ea quæ tenebatur præstare, seruiendo mediocriter suo beneficio; vel si tantumdem expendit in Eleemosynas & alia charitatis opera ex bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, postquã adeptus est beneficiũ. Hæc enim omnia connumerantur inter bona patrimonialia, ita vt illa pro suo arbitratu absq; nexu restitut. potest donare.

4 Secundò dico, quòd beneficiarius licitè potest impendere beneficij fructus pauperibus etiam alienigenis, & piis locis extra suam Parochiam, vel Episcopatum sitis, non solùm pro necessaria eorum vitæ conseruatione, sed etiam pro necessaria eorum status decentia. Et ratio est, quia hoc opus obuentionis, est opus charitatis.

Tertiò

Digitized by Google

Tertiò dico, quod beneficiarius licitè de redditibus Ecclesiæ potest impendere in remunerationem obsequiorum à cognatis, amicis, vel famulis ei præstitorum. Et ratio est, quia hæc non censetur impensa profana, sed aliquo modo debita.

5 Quartò dico, quod beneficiarius, qui extra casus, & modos prædictos aliquid notabile de redditibus sui beneficij sibi vltra decentiam status superfluis vanè ac luxuriosè consumit, vel sine iusta causa, & sine proposito impendendi piis operibus retinet, peccat mortaliter iuxta D. Thom. quodlib. 9. art. 12. Nauar. c. 17. nu. 94. Caiet. 1. 2. q. 87. art. 1. & qu. 185. art. 7. Lop. lib. 2. de contr. cap. 47. & alij. Et habetur ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de reformat.

QVÆSTIO XII.

Sed dices, An in hoc casu beneficiarius qui luxuriosè Ecclesiæ redditus consumit, ad eorum restitutionem pauperibus faciendam teneatur?

1 ILlustriss. Caiet. 1. 2. qu. 87. art. 1. & q. 185. art. 7. & Nau. in. lib. de reddit. Ecclesiæ & in Man. cap. 17. num. 94. affirmant teneri, putãt enim isti beneficiarium nõ esse reddituum Ecclesiæ dominum, sed dispensatorem vnde sublato sibi ad decentiam necessario, reliquum esse restituendum.

2 At Sotus lib. 10. de Iust. q. 4. art. 3. Tolet. lib. 8. sum. cap. 38. Lop. lib. 2. de contra. cap. 47. Couar. in c. cum in offic. de test. Less. lib. 2. de Iust. c. 4. dub. 6. & multi alij communiter tenent contrarium. Dicunt enim beneficiarium illius portionis reddituum, quæ sibi post diuisionem factam obuenit, esse vere dominũ, sicut domini temporales sunt domini suorum bonorum secularium.

QVÆSTIO XIII.

An beneficiarius tuta conscientia possit sibi retinere aliquid de sibi superfluo vitæ, & decentiæ personæ, pro tempore futuro in pios vsus futuros consumendum?

1 REspondeo posse, vt rectè resoluit Nauar. cap. 17. nu. 94. modò probabiliter talia opera pia speruntur, dummodò in præsenti non sint graues, & vrgentes necessitates, quæ præsentaneam expostant subuentionem.

Octauò superiores Regularium nõ possunt donare ad vsus profanos v. g. ad locupletandos suos consanguineos, alioquin peccant mortaliter contra votum paupertatis, & tenentur ad restitutionem tam dãtes, quàm recipientes. Et ratio est, quia non sunt domini bonorum Monasterij, sed tantùm administratores, ergò non possunt ea conferre, quibus voluerint, sed tantùm ad pias causas.

2 Pia autem causa censetur esse, si talis donatio fiat pauperibus, vel pro necessitatibus subleuandis, pro nuptiis mulierum, vel cognatarum, vel pro gratitudine, vel prò Missis, aut diuino cultu, vt docet Cordub. in tract. de casib. quæst. 54.

Antiquis temporibus Prælati Regularium poterant donare de bonis Monasterij sine consensu capituli aliquid modicum, scilicet decem aureos tantum ob causam piam, sicut poterant eandem summam decem aureorum ob eandem causam de bonis Monasterij donandi suis subditis facere copiam. Cæterum vltra hanc summam donare non poterant Priores Monasteriorum, quia ad maiorem summam donandi licentiam impartire spectat ad superiorem fungentem iurisdictione quasi Episcopali, qualis est superior Generalis, aut Prouincialis. Quod intelligitur de donatione inter viuos, non autem de donatione causa mortis, quæ in multis æquiparatur testamento, quod non possunt facere superiores Regularium, cum eis sit interdictum iure communi c. 2. de test. & docent Nauar. in cap. non dicatis num. 78. Molina tom. 1. de Iust. d. 141. Less. lib. 2. de Iust. cap. 41. dub. 8. & Roder. par. 1. sum. cap. 90.

3 Dixi notanter (antiquis temporib.) quia nunc iure nouo hæc consuetudo est abrogata in constitutione Clem. VIII. in qua apertè decernitur, quid possint superiores, quid item priuati Religiosi donare, & continetur formula, quam seruare debent in rebus donandis, ne Religiosorum paupertas violetur.

Nonò subditi Regulares nihil donare possunt etiam ad pias causas, nisi ex beneplacito saltem indubitate præsumpto suorum superiorum, vt habetur in c. non dicatis 12. quæst. 1. & c. cum. ad Monaster. de statu Monach.

4 Dixi notanter (ex beneplacito saltem indubitatè præsumpto) quia iure antiquo

dum

dum cõmorabantur extra Monaſterium ex pecuniis ſibi donatis in itinere poterãt aliquid expendere cum conſanguineis, etiam diuitibus v.g. impartire illi decem aureos, aut donare illis rem huic valori decem aureorũ æquiualentem. Et ratio eſt, quia hæc donatio neque prodiga eſt, ſed rationabilis, quare in licentia tacita Prælati ſolent fundari, quia non eſt præſumendum, quòd Prælatus in rebus rationabilibus, vbi pro abſentia, non poteſt peti licentia, velit eſſe nimis criticus, aut rigidus. Nunc autem aliter dicendum eſt ſecundùm Conſtitutionem Clem. VIII. vide ibi ſi placet.

QVÆSTIO XIV.

An Nouitij poſſint facere donationem?

1 AD hoc dico primò quòd Cõc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. annullat quamcũque renunciationem, & obligationem factam à Nouitio etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque piæ cauſæ, ſi non obſeruetur in ea hæc forma videl. quod fiat cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij intra duos menſes proximos antè profeſſionem, & quod nullum ſortiatur effectum, niſi ſecuta profeſſione.

Secundò dico, quòd hoc decretum Concilij procedit, licèt Nouitius faciat talem donationem antè ſuſceptionem habitus, vt egregiè reſoluit Nauar. lib. 3. conſ. de donat. conſ. 8.

2 Tertiò dico quòd per prædictam ſanctionẽ Concilij nulla eſt renunciatio quæ fit ab aliquo omnium bonorum, occaſione ingrediendi Religionem, antequàm recipiat habitum, licet fiat ea lege, vt non ſecuta profeſſione etiam ob culpam Nouitij, non valeat dicta donatio, vt rectè docet Nauar. loco citato conſ. 7.

Hinc Nouitius qui poſt emiſſam profeſſionem inuenit, eam non valere, rehabebit ſua, ſiue donauerit ea expreſsè Monaſterio, ſiue non. Tum propter prædictum decretum Concilij. Tum quia videtur donaſſe cauſa mortis mundanæ, quæ fit per profeſſionem, quæ in hoc caſu, verè non eſt ſecuta.

QVÆSTIO XV.

Sed quid? ſi credebat profeſſionem non valere, & nihilominus donauit?

1 RESpondeo quòd licet ſecundùm ius ciuile videatur talis donatio valere, quia præſumitur, in omnem euentum donaſſe; nihilominus tamen ſi profeſſio fuit nulla, non cenſetur fuiſſe valida propter iſtam Conc. Trid. Sanctionem.

QVÆSTIO XVI.

An ſi Nouitius morte præuentus non potuit emittere profeſſionẽ, valida ſit eius donatio?

1 RESpondeo non eſſe validam, ſed eius bona habent applicari hæredibus, qui debebant ſuccedere ab inteſtato, vt reſte Gaſpar. Paraſello in quodam compendio priuilegiorum ſui ordinis, declarauit ſacra Congregatio Cardinalium.

QVÆST. XVII.

An donatio cauſa mortis facta à Nouitio ante, vel poſt ſuſceptum habitum, ſit valida?

1 NAuar. loco citato exiſtimat non valere.

2 At probabilius eſt, valere. Ratio huius eſt, quia decretum Concilij ſolùm loquitur de donationibus, & renunciationibus inter viuos, quæ cum ſint irreuocabiles ſolent eſſe cauſa, vt aliquis minùs liber profiteatur, videns ſe eſſe egenum: non autem de iis, quæ fiunt in teſtamento, aut cauſa mortis, quia Nouitius exiſtens in Religione antè profeſſionem, & exiens ab ea poteſt illas reuocare, vt cum Gutier. tenet Rod. part. 1. ſum. cap. 90.

Decimò, is cuius bona ob crimen hæreſis, vel proditionis ſunt ipſo iure confiſcata donare non poteſt.

Vndecimò is qui rei dominium non habet, donare non poteſt, vt fur, raptor &c. nemo enim plus iuris transferre ad alium poteſt, quàm ipſe habet.

Duodecimò & vltimò is, qui in aliqua re cadit in commiſſum.

QVÆST. XVIII.

An ſerui poſſint facere donationem?

1 RESpon. poſſe. Et ratio eſt. quia licèt ſerui non poſſint fugere à dominis ſuis

Digitized by Google

ſuis,poſſunt tamen accipere dona eis data, & quæ iure hæreditario obtinent, vel ludo etiam illicito lucrantur,& per conſequens in foro conſcientiæ poſſunt ex eis donationem facere, quia illorum domini ſunt, nec tenentur ea dominis ſuis reſtituere,poſſunt etiam facere donationem de rebus acquiſitis ſuo labore, in tempore, quo vacant à ſeruitio dominorum, quia ſeruitus ſolùm obligat eos,ne defraudent dominos in ſeruitio ordinario, quo ſolent alij ſerui dominis aſſiſtere.

QVÆSTIO XIX.

An pater poſſit aliquid dare filio nondum emancipato?

1 REſp. non poſſe,& ſi donat, donatio eſt nulla. l. cum de bonis C.de donat. Ratio huius eſt,quia quandiu filius eſt ſub poteſtate patris, cenſetur veluti vna perſona ciuilis cum patre, & ita videtur pater ſibi donare.

Tum quia, quòd filius familias acquirit, non ſibi, ſed patri acquirit,niſi acquirat ex militia, vel quaſi militia,vel aliunde,quàm ex bonis paternis. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. ca. 4. dub. 12. & Molina d. 291.

2 Hinc,ſi pater donet filio emancipato,donatio rata, & firma eſt, quia in hunc ceſſat patria poteſtas.

Hinc,valida eſt donatio matris in filium, quia filius non eſt in poteſtate matris, ſed patris.

Hinc, ſi pater donet filio,qui tantùm eſt naturalis, & illegitimus, valida eſt donatio, quia iure Cæſareo eiuſmodi filius non eſt ſub patria poteſtate.

QVÆSTIO XX.

An donatio patris in filium valeat,ſi confirmetur morte donantis?

1 REſpondeo valere, modò mors donatoris præcedat mortem donatarij vt patet ex l.cum hic ſtatus ff.de donat. Ratio huius eſt,quia tunc filius deſinit eſſe ſub poteſtate patris. Vt autem morte confirmetur,requiritur vt res ante mortem aliquo modo ſit tradita donatario, vt rectè docent Mol.d.291. Coua.rub.de teſt.p.3.nu. 3. & 7. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. ca. 4. dub.12.

QVÆSTIO XXI.

An donatio inter patrem, & filiumfamilias, ſi iureiurando confirmetur, valeat?

1 REſpondeo valere.Et ratio eſt,quia donatio inter patrem,& filiumfamilias tantùm eſt contra ius ciuile; at iuſiurandum confirmat contractum, qui ſolùm iure ciuili eſt irritus,vt rectè reſoluunt Couar. c. quamuis pactum p. 3. §. 1.nu.5. Mol.d.2.291. & Leſſ.lib.2.c.5.dub.12.

QVÆSTIO XXII.

An dentur aliqui caſus,in quibus donatio patris in filium non emancipatum, valeat?

1 REſpondeo dari. Primò quando pater dat aliquid in dotem, aut matrimonium.

Secundò quando dat bona mobilia, vel ſe mouentia filiofamilias proficiſcenti in bellum, aut in aulam Regis, non tamen ſi donet prædia, vel alia bona immobilia.

Tertiò quando pater condonat filiofamilias vſufructum,quem habet in bonis illius aduentitiis.

2 Quartò quando pater donat aliquid filio ratione alimentorum ad quæ iure naturali tenetur. Quia huiuſmodi donatio cum fiat ob cauſam rationabilem non eſt verè, & propriè donatio.

Quintò ſi profeſſuro aliquam diſciplinam, libros donet.

Sextò ſi in remunerationem obſequiorũ. Verùm ad hoc vt valeat huiuſmodi donatio remuneratoria neceſſum eſt, vt non excedat merita,quia aliàs fieret in fraudem legis, quæ prohibet facere donationem filiis. Quod intelligitur de exceſſu nimis præiudiciali fratribus, quia vt docet D. Tho.2.2.qu.106.art. 6. in remuneratione, & gratificatione conuenit quòd donator ſit liberalior, quàm rei quantitas expoſcat.

3 Septimò, & vltimò, in omnibus caſib.in quibus donatio à marito vxori ſuæ,ſiue ab vxore marito facta, valet etiam inter patrem & filium. Quoniam hæc duo genera donationum æquiparantur. Ita Nauar. ca. 17. num. 147. Mol. diſp. 291. Lop. lib. 2. de contract. ca. 46. Roder. p. 1. ſum. ca. 93. Leſſ. lib. 2. ca. 4. dub. 12. & alij.

QVÆSTIO XXIII.

Quid? si filius sit dubius, an pater ei donet ob merita, vel ob meram liberalitatem?

1 REspondeo tunc præsumendum esse donare ob merita, si præcesserunt, aliàs ob meram liberalitatem censendus est dare. Vt cum Nauar. resoluit. Lop. lib. 2. de contr. ca. 46.

QVÆSTIO XXIV.

Quot, & quibus de causis possit pater reuocare donationem factam filio emancipato?

1 REspondeo sex. Primo quando filius manus violentas iniecit in patrem.

Secundo quando atroci iniuria patrem affecit.

Tertio quando rebus patris graue damnum intulit.

2 Quarto quando filius vitæ patris insidiari tentauit, licèt effectus non sit secutus.

Quinto quando conuentiones in donatione factas non seruauit.

Sexto & vlt. quando filius patrem graui necessitate oppressum neglexit.

QVÆST. XXV.

An filiusfamilias possit aliquid donare patri?

1 REspondeo, posse, & hoc in quinque casibus. Primo quando filiusfamilias habet bona castrensia, vel quasi castrensia.

Secundo, quando filiusfamilias habet bona aduentitia, quorum vsusfructus non est patri acquisitus, quia fuerunt filio relicta, ea lege, ne in eis pater vsufructum habeat.

2 Tertio quando filiusfamilias habet aliquid donatum à Principe.

Quarto, quando filius adit hæreditatem, renuente patre.

Quinto, & vltimo, quando pater donat filiofamilias aliquid propter eius merita, dummodò merita æquentur cum eo quod donat.

QVÆSTIO XXVI.

An donatio inter virum & vxorem sit valida?

1 REspondeo non valere. Ita enim definitur in l. 1. ff. de donat. inter virum, & vxorem. Hoc autem iure statutum est, ne coniuges mutuo se amore spolient, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate vtentes. Monet autem Sanc. tom. 1. de matrim. li. 6. disp. 1. hanc donationem dici nullam, & inualidam, non quòd omnino sit nulla, sed quia potest ad libitum à coniuge donante reuocari. Sicut donatio causa mortis, appellatur inualida, quia vsque ad mortem potest reuocari, licèt à principio fuerit valida. Ex quo infert, coniugem, cui alter aliquid donat, non teneri illud restituere, sed posse tuta conscientia retinere, expectareque donec morte confirmetur, si donator præmoriatur.

2 Excipiunt tamen Doctores septem casus, in quibus donatio inter coniuges statim est rata, & firma. Primo quando Imperator donat Imperatrici, vel è contra. l. penult. ff. de donat. inter virum, & vxorem. Idem dicendum est de quouis Principe minimè superiorem cognoscente, eiusque vxore. Ratio huius est, quia huiusmodi donatio iure naturæ valet: solùm autem lege positiua est nulla, super quam Princeps dispensat.

3 Secundo quando maritus dat vxori pecuniam; ad instaurandas ædes dotales incendio consumptas. l. quod si vir. ff. de donat. inter virum, & vxor. Vbi Glossa vnica, rationem reddit, quia recipiens non efficitur locupletior: cum tantùm de suo patrimonio amiserit.

Tertio quando maritus dat vxori causa remunerationis, vt si senex ducat vxorem puellam, vel ignobilis nobilem; nam tunc maritus senectutem, vel ignobilitatem pecunia compensat, ex l. quod autem §. si vir. ff. eodem.

Quarto, quando coniux, qui donat, non fit ex donatione pauperior, quamuis alter efficiatur ditior. Vt si maritus repudiet hæreditatem, vel legatum, vt succedat vxor. l. si sponsus §. si maritus ff. de donat. inter virum, & vxorem. Quia tunc cessat prohibitionis ratio, ne mutuo amore se coniuges spolient: coniux enim donans nulla re spoliatur, cum pauperior non euadat.

4 Hinc

Digitized by Google

4 Hinc, ſi vir erat prodigus, & prodigè conſumenda donet vxori, vel è contra, valere donationem, quia licet coniux recipiens fiat ditior, at qui donat non efficitur pauperior, cum inutiliter eſſet expenſurus. Sanc. tom. 1. de matr. lib. 6. diſp. 4.

Quinto quando coniux donatarius, non fit donatione ditior, quamuis donans reddatur pauperior. Vt ſi vir det pecuniam vxori ad dandam eleemoſynam &c.l. quod autem §.de donat. inter virum,& vxorem. Quia iam videtur cauſa prohibitionis ceſſare, cum enim recipiens non fiat ditior, non propriè ſpoliat alterum.

Sexto, quando coniux dat alteri cauſa honoris, vel dignitatis adipiſcendæ.v.g. vt fiat Doctor, vel licentiatus. l. quod adipiſcendæ ff. de donat. inter virum & vxor.

5 Septimo, & vltimo, quando maritus remittit vxori in totum, vel ex parte dotem promiſſam. l.ſi caſtrenſe C. de donat. ante nuptias. Ita Nauar.c.17.num.149. Mol.tom. 2. de iuſt.d.289. Lop.lib.2. de contr. ca.47. Sanc. tom. 1. de matr. lib. 6. d. 3. & alij.

QVÆSTIO XXVII.

An donatio inualida inter coniuges, ſi iuramento confirmetur, ſit valida?

1 Reſpondeo eſſe validam, vt apertè colligitur ex cap. quamuis pactum de pactis in 6. quia vt ibi dicitur, eius iuramenti obſeruatio non vergit in æternæ ſalutis diſpendium. Sic enim tenet Sylu. verb. donatio 2.q.4. Leſſ.lib. 2.cap.18.dub. 4. Roder. p. 1. ſum. cap. 92. & alij.

QVÆSTIO XXVIII.

An donatio irrita inter coniuges, morte donantis confirmetur?

1 Reſpondeo confirmari, modò mors donantis præcedat mortem donatarij, vt habetur in l. cum hic ſtatus ff. de donat. Vt autem morte confirmetur, requiritur vt res ante mortem tradatur, ita vt donatarius eius poſſeſſionẽ aliqua ratione accipiat, quæ traditio non requiritur in legato, vt docet Coua.rub.de teſt.p.3.n.3.Roder. p.1. ſum.ca.92. & Sanc.tom.1.de matr. lib. 6. diſp. 1.

QVÆSTIO XXIX.

An donatio remuneratoria inter coniuges ſit valida?

1 Reſpondeo eſſe validam. Vt habetur ex l.quod autem §.ſi vir.ff. de donat.inter virum,& vxorem.Ratio huius eſt, quia Iura ſolum donationem inter coniuges prohibent:at donatio remuneratoria quamuis merita non pariat actionem ex iuſtitiæ lege,non eſt abſoluta donatio,ſed potiùs debiti ſolutio,ergò non cenſetur inter eos prohibita. Quod eſt verum, dummodò donatio meritis æquiualeat: ſi enim ea excedat, in eo exceſſu eſt donatio ſimplex. Dicuntur autem merita æquiualentia, quando in modico excedit donatio meritorum valorem; nempe in quarta parte; vt ſi merita valeant triginta, & donentur quadraginta: tunc tota donatio cenſetur remuneratoria: ſecùs ſi exceſſus ſit nimius, in illo enim erit liberalis donatio. Ratio huius eſt,quia gratitudinis lex poſtulat,ſemper plus reddi,quàm ſit acceptũ, vt ex Ariſt.5.ethyc.cap.5.teſtatur D.Tho.2.2.q. 106.art.6.Vnde Seneca lib.2.de benef.ca.18. inquit,diligentiùs quærendus eſt beneficij, quàm pecuniæ creditor,huic enim reddendum eſt, quantum accepi, illi verò plus ſoluendum eſt.

QVÆSTIO XXX.

An donatio ob cauſam inter coniuges ſit valida?

1 Reſp. eſſe validam. Et ratio eſt,quia prohibitio ſolùm locum habet in donatione gratis,& liberaliter facta: quod autem datur ob cauſam, redditur quaſi debitum ex cauſa.

QVAESTIO XXXI.

An vt donatio ſit valida,neceſſariò requiratur conſenſus donatarij?

1 Reſpondeo requiri. Et ratio eſt,quia neceſſe eſt,vt quis donationem ſibi factam ratam,& acceptam habeat. Vnde donatio quæ fit ignoranti,aut ei qui conſentire non poteſt,veluti amenti,furioſo

rioso,infanti,censetur nulla, vt habetur in l. absenti ff. de donat.

QVÆSTIO XXXII.

An donatio, quam apud se homo sola mente alteri homini facit, sit obligatoria? v.g. video Titium, & dico apud me tacitus, do ei centum, Dubium est, An ex tali donatione insurgat obligatio dandi illa centum Titio, an verò mihi fas sit reuocare donationem, quoties voluero?

1 MVltis visum est, & viris quidem peritis donationem factam solo actu interiori voluntatis, sicut & promissionem esse validam, & obligare dantem, & promittentem in conscientia, vt satisfaciat. Ita tenent Mart. Ledesm. 2. 4. qu.18. ar. 1. dub. 13. & Sot.lib.7.de iust.qu.2.art.1. qui quamuis vtramque partem probabilem existiment, hanc tamen partem affirmatiuam probabiliorem,& securiorem esse autumant. Probant autem hanc opinionem primò,quia vnusquisque per suam meram, & liberam voluntatem est dominus rei suę, in quantum liberè potest ea vti,vt libet,ergò per solam etiam voluntatem interiorem, qua vult dare, & dat alteri, potest in eum transferre dominium.

Deinde qui solo actu interiori Deo quidpiam vouet, illicò obligatur,ergò pariformiter videtur obligari, qui sic donauit.

2 His tamen non obstantibus, communis omnium, tam theologorum,quam Iurisperitorum sententia habet,donationem internam homini factam nullam in conscientia inducere obligationem. Ita tenent Valen. tom.3.d.5.qu.10.p.3.Arag.2.2.q.62.ar.2. Lop. p.2.inst.conf.c.27. & 30. Less.lib.2.de iust.c. 18. dub. 5. & plerique alij. Ad cuius tamen maiorem declarationem.

Dico primò, quòd qui actum internum & deliberationem voluntatis habet,dicendo apud se tacitus,do tibi centum,nullo iure ciuili, vel ecclesiastico cogi potest, ad talis actus interioris adimpletionem, quo ad vsque signis,vel verbis exprimatur.Probatur, quia lex humana ciuilis,& canonica non iudicat de occultis,hoc est,de illis,quæ in foro exteriori probari non possunt,quales sunt actus animæ merè interiores.

3 Secundò dico, quòd posito tali actu interiori, non statim transfertur dominium in alterum,sed semper manet in eo,qui talem actum habuit, vsque ad realem traditionem. Nam cum dare, & accipere sint correlatiua, quandiu non est qui accipiat, non est donatio,nec translatio dominij,sed per meum actum internum nullus est qui accipit,ergo neque aliquod in ipsum transfero dominium.

4 Ad hæc, & similia argumenta, quæ magnam vim habent,authores primæ opinionis respondent,dicentes,quod quamuis interna mentis donatio non obliget donantem ad adimplendum, videtur tamen obligare ad declarandam,& indicandam ei,cui donauit,ipsam donationem mente factam, vt si illi eam acceptare placuerit, promptum ad satisfaciendum se exhibeat.

Sed contrà hoc dico tertiò, quòd nemo tenetur huiusmodi actum internum alteri patefacere,sed pro suo arbitratu,potest qui illū habuit,aut celare,aut reuocare absque vlla iusta causa. Probatur, quamdiu homo apud se retinet illum actum internum, quē fecit,alter nullū ius sibi acquirit, ergo nullam illi facit iniuriam,aut tacendo,aut reuocando sententiam. Consequentia constat, quia vbi non est ius, ibi non est iniustitia. Antecedens vero probatur, nam posito tali actu mentali,non statim secundùm Authores primæ opinionis transfertur dominium in alterum, sed semper manet penes illum eundem in quo anteà erat, ergo alter nullum ius habet ad rem.

5 Tum quia ea donatio (vt ait Sotus) non obligat per se primò ad adimplendum, ex defectu acceptationis, ergo à fortiori non obligabit eadem de causa ad manifestandum, cum donatio sit de adimplendo, & non de manifestando. Imò si donationem mentalem Titio ante factam, postea indicassem, nihil tamen tunc promittendo, nec intendendo me obligare, esto Titius tunc acceptet, non obligabor.

Quartò & vltimò dico quòd donatio, vel promissio solo actu mentali facta nullam obligationem inducit in conscientia, sed potest qui illum habuit, aut celare, aut reuocare cum voluerit. Probatur primò ex illo testimonio Prouerb. 6. illaqueatus es verbis oris tui,& captus propriis sermonibus. Ex quo loco aperte colligitur hominem non obligari alteri, nisi per verba, & signa sensibilia.

6 Secundò probatur ratione, donatio non

non habet vim transferendi dominium rei, niſi is, cui fit donatio, rem illam acceptet, quia ſi nolit acceptare, non fit tranſlatio dominij: ſed non poteſt acceptare, niſi ei innoteſcat donatio facta per aliquod ſignum externum, ergo.

Tertiò probatur; donationes fiunt inter homines tanquam quidam contractus, quibus vnus alteri dat; ad hoc autem requiritur vtriuſque partis conſenſus, quod non eſſet, niſi donatio mea per aliquod ſignum innoteſceret alteri.

Quartò probatur ex doctrina D. Th. in 4. ſent. diſt. 38. q. 1. art. 1. vbi ſic ait. Voluntate non poſſe quem obligari, niſi ei, qui voluntatis eſt cognitor, quod ſolius Dei eſt. Et paulò poſt. Obligatio autem homini exterius fit, verbo exterius expreſſo.

7 Tandem eſt concluſio definita in l. abſenti ff. de donat. vbi habetur, quod abſenti non poteſt fieri donatio, quia requiritur acceptatio alterius partis. Et in l. p. ff. de verb. obligat. habetur, quòd animus in mente retentus non inducit obligationem, ſed oportet, quod explicetur per verba exteriora.

Nec obſtat primum argumentum in contrarium, quia poteſt homo transferre dominium ſuorum bonorum per ſuam liberam voluntatem, ordinatam tamen ad alterum pollicitè, & per ſigna externa, & ſenſibilia.

Nec ſecundum argumentum obſtat, quia homo poteſt Deo ſe obligare per actum voluntatis, quia inſpector eſt cordium, & ad ipſum potiſſimùm ordinamur per actus interiores, ad hominem verò qui non penetrat, ſed videt quæ foris patent, non ordinamur niſi per verba, & ſigna ſenſibilia.

Dices. Vnde prouenit, quòd donatio interna nullam inducit obligationem in foro conſcientiæ.

QVÆSTIO XXXIII.

1 MOlina diſp. 266. & Ledeſm. in 4. p. 2. q. 18. art. 1. dub. 13. exiſtimant id prouenire ex ſolius iuris poſitiui diſpoſitione, nam conſiſtendo intra limites iuris naturalis, ſufficere donationem internam, ad inducendam obligationem in foro conſcientiæ. Hanc opinionem cenſet eſſe probabilem Leſſ. lib. 2. c. 18. dub. 5. in quam inclinat etiam Sot. lib. 7. q. 1. art. 2.

Alij verò Doctores non minoris nominis docent, donationem internam iure naturæ eſſe inſufficientem, & inualidiam ad inducendam obligationem; colligitur ex D. Tho. 4. ſent. d. 38. q. 1. art. 1. vbi dicit, hominem non poſſe alteri homini obligari, niſi verbis exterius expreſſis.

2 Tum quia donatio eſt ſignum quoddam practicum, efficiens id ipſum, quod ſignificat. Qui enim dicit, do tibi hanc rem, non ſolum ſignificat internam cogitationem, & affectum donandi, ſed etiam ipſum actum donationis, qui in his verbis ſub tali intentione prolatis formaliter conſiſtit, & effectum eius, ſcil. obligationem, quæ naſcitur ex donante, & ius quod naſcitur in donatario. Quare cũ actus interni non ſint idonea ſigna ad alteri ſignificandum, non ſunt etiam idonea inſtrumenta ad ſe alteri obligandum, nam hæc aptitudo fundatur in ſignificatione ad alterum.

Tum quia talis donatio interna, non eſt acceptata, quod tamen de lege naturæ eſt neceſſarium ad producendum obligationem, ſub hac enim tacita conditione fieri cenſetur.

QVAESTIO XXXIV.

An donatio externa ante acceptationem eius, cui fit, ſit obligatoria, ita vt donans in foro poli præſtare teneatur donationem, nec licitè poſſit pro libito illam reuocare?

1 PAnormit. & Felin. vt refert Molina tom. 2. de iuſt. d. 263. tenent eſſe obligatoriam, neque donantem in conſcientiæ foro poſſe reuocare talem donationem.

2 Hoc tamen non obſtante concors eſt Theologorum ſententia, donationem antequàm ritè acceptetur, nullam parere obligationem naturalem, aut ciuilem, ſed tuta conſcientia donantem pro libito poſſe eam reuocare ſine iniuria donatarij, imò etiam ſine mendacio (quidquid ſit de vitio inconſtantiæ, ſi fortè abſque ratione reuocetur.) Ratio huius eſt, quia obligatio non naſcitur niſi mutuo duorum conſenſu, vt habetur ex l. 1. ff. de pactis, quare priuſquam alterius conſenſus accedat, prior poteſt pœnitere, & ſuam externam donationem reuocare. Ita enim ſentiunt Couar. c. quamuis pactum p. 2. §. 4. num. 15. Molina diſp. 263. Leſſ. lib. 2. c. dub. 6. Rebell. p. 2. de obligat. lib. 18. q. 2. & alij communiter.

Hinc mortuo donatario ante acceptationem, inualida est donatio. Et ratio est, quia ampliùs acceptari non potest.

3 Dices, quòd poterit acceptari ab hæredibus.

Respondeo ex rigore iuris non posse, quia ad illos directa nō fuit. Videtur tamē posse ex quadam æquitate, quia hæredes personam defuncti repræsentant; & præsumendum est eam esse mentem testatoris, vt si ipse beneficio eius frui non posset, eius hæredes fruerentur, nisi de contrario constet: quod intelligitur si illi hæredes sint liberi, secùs si extranei.

Hinc, si quando donatio defertur per nuntium, contingat illum mori ante acceptationem, censetur tacitè reuocata. Et ratio est, quia per mortem mandatarij spirat mandatum. l. 57. mandatum. ff. mandati.

QVÆSTIO XXXV.

Sed dices. Vnde prouenit, quòd donatio externa ante acceptationem nullam vim habeat obligandi, sed in libertate donantis sit eam reuocare?

1 COuar. c. quamuis pactum p. 2. §. 4. n. 16. & Mol. to. 2. de iust. disp. 263. putant id proficisci ex solo iure humano, & positiuo, quod in bonum Reipublicæ sanxit in donatione requiri acceptationem tanquam conditionem, sine qua non vult donantem obligari: ergo stando in solo iure naturæ donatio gratuita ante acceptationem in conscientia est obligatoria.

Magister Sot. li. 3. q. 5. ar. 3. videtur asserere id esse ex natura ipsa donationis non acceptatæ, ductus ea ratione, quia donatio relationem dicit ad donatarium.

2 Alij verò rectiùs docent id prouenire non tantùm ex iure ciuili, sed etiam ex iure naturali, vel iure gentium. Et ratio est, quia in contractibus onerosis antequàm acceptentur, fas est, vnicuique pœnitere, & reuocare suam oblationem, vt patet in contractu emptionis, sponsalium, matrimonij, &c. nec tenetur expectare, donec alter acceptet, vel reiciat: ergo idem erit licitum in donationibus gratuitis.

Et videtur esse conclusio definita in leg. qui absenti. ff. de acq. possess. vbi sic habetur. Qui promittit, vel donat, non videtur animum se obligandi habere, donec alter acceptet: ergo antequam conditio impleatur, licitum est vbique gentium pœnitere, & reuocare suam donationem. Ita Less. l. 2. c. 18. dub. 6.

QVÆSTIO XXXVI.

An donatio nondùm acceptata à donatario, iureiurando tamen confirmata, sit valida?

1 REspondeo esse validam, & obligatoriam, non quidem ratione donationis, sed ratione vinculi religionis superadditi ne videlicet in testem infidelis donationis Deus abducatur. Verum ipse homo in cuius gratiam facta fuit donatio, nullum inde ius acquirit in rem donatam, quia non ei fuit data fides, aut ab eo acceptata, ideoque talem donationem inuito donatario posse in alia pia opera commutari à Prælato iuxta mentem Caie. Opusc. 2. tract. 11. q. de voto ar. 3. Mol. to. 2. d. 263. Sylu. verb. votum 4. q. 6. & aliorum.

QVÆSTIO XXXVII.

An donatio, vel promissio in pias causas collata, etiamsi à nemine acceptetur, sit valida? v. g. Titius in fauorem piæ causæ dat, vel promittit absenti, id est Ecclesiæ, vel pauperi centum aureos. Dubium est, An si non sit aliquis qui pro tali absenti, id est pro Ecclesia vel paupere acceptet, donatio, vel promissio sit valida?

1 COuar. li. 1. var. c. 14. n. 16. Sot. li. 3. qu. 5. art. 3. Lop. li. 2. de contr. ca. 45. & Iul. Clar. li. 4. sent. §. donatio. q. 12. putant esse inualidam, nec vllam in conscientia inducere obligationem. Quam opinionem dicunt esse communem, & notandam.

Molina to. 2. de iust. d. 264. Syluest. & Ang. verb. pollicitatio contendunt esse validam, & probant ex l. 1. ff. de pollicitat, quæ decernit validam esse donationem factam Ciuitati, absque vllius acceptatione, qui fauor ad alias pias causas extendendus videtur.

2 Ego quidem existimo talem donationem, vel promissionem ad pias causas ante acceptationem reuocari posse, idque ex defectu potiùs consensus, quam acceptationis, cum regulariter nemo etiam per donationem, vel promissionem ad pias causas,

Digitized by Google

sas,se ante alterius partis acceptationem, irreuocabiliter obligare intendat, nisi per votum, vel iuramentum ad id voluerit se obligare. Vt definitur in l. qui absenti. ff. de acq. possess. & tradit egregiè Rebell. libr. 18. quæst. 3.

QVÆSTIO XXXVIII.

An donatio vel promissio exterius quidem facta sed tamen absenti, atque adeò illam ignoranti sit valida, & obligatoria?

1 SVnt multi qui existimant talem donationem, vel promissionem esse validam, & obligatoriam. Quorum sententiam Sotus infra citandus censet esse probabilem.

2 Contraria tamen sententia, & communis, & vera est, quia quemadmodum ad præsentes homo non ordinatur ad alterum, nisi per signa externa, quibus conceptus innotescunt, ita & ad absentes non refertur, nisi per scripturam, vel per internuntium specialiter ad id à se deputatum. Ita Valentia to. 3. dist. 5. quæst. 10. p. 3. Sot. lib. 4. quæst. 5. art. 1. & li. 7. quæst. 2. ar. 1. Cordub. de casib. conscien. quæst. 133. & Lop. lib. 2. de contr. q. 43.

QVÆSTIO XXXIX.

Quænam requirantur, vt donatio vel promissio facta absenti coram testibus, vel per scripturam, aut internuntium obliget in conscientia?

1 REspõdeo quatuor. Primò requiritur vt donatio, vel promissio ad aures donatarij. vel promissarij, eiusque notitiam deueniat, vel per ipsummet donantem, vel promittentem, aut per epistolam, vel internuntium ad id specialiter à se destinatum. Id enim necessarium est, vt duorum voluntates in vnum concurrant. Nec sufficit, si per motum proprius alius eam donationem, vel promissionem, ad aures donatarij deferret. quia cum donator, vel promissor non intendat per hunc hominem suum consensum, & obligationem in alterum dirigere, non potest alter acceptando, aliquid iuris acquirere. Si tamen intentionem haberet se obligandi, quomodocumque ille certior factus, acceptaret, obligatus simpliciter post acceptationem maneret. Quòd si ratam semel nolit habere acceptationem, ità deobligatur iuxta communem, vt si postea cum pœniteat, rursusque acceptet, non reuiuiscat obligatio si quidem non nisi dependenter à donatarij, vel promissarij acceptatione futura tanquam à necessaria conditione rem donauit, vel promisit.

Secundò si donatio, vel promissio per nuncium deferenda est, requiritur vt donatarius, vel promissarius eam coram nuntio acceptet; nec sufficit eam acceptare coram aliis vt docet Sanc. li. 1. de matr. d. 7. num. 35.

2 Ex quo colligitur non satis circumspectè dixisse Sylu. verb. matrim. 5. qu. 12. quando matrimonium contrahitur per nuntium, vel literas sufficere, vt absens exprimat consensum suum aliis, debet enim consensus absentis exprimi illi, qui eum petit, nisi constet aliam esse contrahentis intentionem. Ita Less. lib. 2. ca. 18. dub. 6.

Tertiò si donatio, vel promissio per literas facienda est, requiritur, vt acceptatio sibi vicissim per literas, vel per nuncium à se missum innotescat. Et ratio est quia necessaria est acceptatio exterius expressa, ita vt donator, vel promissor eam possit intelligere, alioquin non concurreret duorum consensus in vnum.

3 Quartò & vltimò, vt qui præsens est, valeat pro absente donationem, vel promissionem acceptare, requiritur vt verba obligationis dirigantur expresè, vel implicitè ad præsentem v. g. promitto tibi me daturum Titio centum. Si enim dirigantur ad absentem, is qui præsens est, non potest donationem, vel promissionem acceptare, quia illi non fit. Vnde si dicat, promitto Caio absenti mille, nemo potest validè acceptare talem promissionem nomine Caij, quia tunc non concurreret consensus reciprocus vtriusque partis, ac proindè talis promissio, vel donatio semper poterit reuocari, quandiu ab eo qui absens est, acceptata non fuerit. Ita Less. lib. 2. c. 18. dub. 7.

QVÆSTIO XL.

Sed quid? si postquàm epistolam, vel nuntium ad donatarium, vel promissarium misisti, reuoces donationem, vel promissionem, ipse verò donatarius, vel promissarius inscius talis reuocationis, eam acceptet?

1 RESpondeo si nuntium cõstituisti procuratorem ad donationem, vel promissionem faciendam, & tam procurator, quam donatarius, vel promissarius tuam reuocationem ignorent, propter acceptationem post eius discessum factam, valida erit donatio, vel promissio, non quidem ad transferendum dominium, sed ad tribuendum donatario, vel promissario ius ad rem, & donatori vel promissori iniiciendã obligationem ad consensum. Vt colligitur ex l. 16. si mandassem. Et ex l. 26. inter causas ff. mandati. Tenetur enim mandator ratum habere, quod ex vi mandati bona fide eius nomine gestum est. Secus si alterum eorum reuocatio non lateret, quia contra iustitiam, ac proinde inualidè ageret, tam Procurator nomine suo rem donando, vel promittendo, quam donatarius, vel promissarius acceptando contra non ignoratam donantis, vel promittentis voluntatem. Quamuis ad matrimonij contractum celebrandum, inualida sit, etiam per nuntium acceptatio post suam reuocationem, quantumcumque inuincibiliter ignoratam, quia consensus vtriusque coniugis necessario simul concurrere debet, vt rectè docet Rebell. lib. 18. q. 2.

QVÆSTIO XLI.

An post mortem donatoris possit donatio validè acceptari?

1 AD hoc dico primo, quod quando ipsa donatio ante mortem facta est ex parte donatoris, & missa epistola, vel nuncius, qui illam absenti patefaciat, vel tradat, si contingat donatorem ex hac vita migrare, antequàm donatarius eam acceptet, post mortem eius, potest validè acceptari. Et ratio est, quia donatio illa ex parte donantis fuit valida, etsi reuocabilis, vt expressè habetur extra l. Nec ambigi. C. de donat. & manet virtute impressa epistolæ, vel nuncio vt ad donatariũ transeat. Vnde perseuerat post mortem donatoris, ac proinde potest tunc acceptari.

Deinde donatio mortuo donatore, non potest reuocari per hæredem, etiamsi nondum sit acceptata vt rectè docet Couar. lib. 3. var. c. 14. num. 17. quod est signum illam posse validè acceptari post mortem.

Demum, donatio est gratia quædam: quando autem gratia facta est ex parte concedentis, potestas executoris non expirat morte concedentis, vt expressè habetur in c. si super gratiam de off. deleg. in 6.

2 Dico quod quando donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius, sed solum mandata fieri, vt si misit famulum cum mandato, vt suo nomine faciat donationem absenti; tunc si antequam ille ad donatarium perueniat, contingat donatorem mori, non potest donatio validè acceptari, & ratio est, quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solum datum fuit mandatum donandi: mandatum autem mortuo mandante, expirat vt habetur ex l. 26. inter causas. ff. mandati. Vnde res illa reddenda est hæredibus donatoris. Quod intelligitur, nisi mandatum fuerit in fauorem piæ causæ, quia istud morte mandantis non expirat vt rectè docet Couar. lib. 1. var. c. 14. nu. 16. vnde etiam post mortem est executioni mandandum. Ratio huius est, quia quisque præsumitur ita tacitè voluisse in vita; cum opera pietatis tunc maximè homini sint necessaria. Ita Less. lib. 2. c. 18. dub. 6. & Mol. to. 2. disp. 264.

QVÆSTIO XLII.

Quid? si Titius mandauit fieri donationem per suum famulum Caio, sed antequàm Caius donationem illam acceptaret, quia famulus iniustè eam rem sibi vsurpauerat, vel quia traditionem aut manifestationem donatario iniustè distulerat, is qui huiusmodi donationem fieri mandauit, interim è vita discessit. Nunquid talis donatio sit valida?

1 RESp. non valere, essèque proinde rem illam restituendam hæredibus donantis, non autem donatario. Ratio huius est, quia mandatum mortuo mandante expirat vt habetur ex l. mandatum C. mandati &c. ergo eo ipso quod donatio per donatarium non acceptatur, censetur tacitè reuocata, nisi mandatum sit ad pias causas, vt in eleemosynam, nam tunc morte donantis non censetur reuocatum. Tenetur tamen huiusmodi famulus ad duplicem rei illius restitutionem, quando vt dixi donatio non fuit ad pias causas. Vnam hæredibus eius, qui donabat; eo quòd mandatum non fuerit impletum, mortuoque donantis expirauerit, ac proinde res illa

Digitized by Google

illa pertineat iam non ad donatarium, ſed ad hæredes donantis. Alteram verò donatario, ex eo quòd vſurpando, aut detinendo, fuit cauſa iniuſta, ob quam donatarius fuit priuatus illo dono, quod alias erat conſecuturus. Ita Mol. tom. 2. de iuſt. d. 258. & Leſſ. lib. 2. c. 18. dub. 6.

QVÆSTIO XLIII.

An donatio facta donatario præſenti, & tacenti ſit valida, ita vt donator eam deinceps reuocare non poſſit?

1 DEcius in rub. C. de pactis, Tiraq. in l. ſi vnquam C. de reuocand. donat. & Ioſeph. Angl. in ſuis flor. theol. quæſt. in materia de voto ſentiunt talem donationem non eſſe validam.

2 Contrarium tamen aſtruunt Coua. in rub. de teſtam. p. 3. num. 13. Molina tom. 2. de iuſt. d. 264. & Lop. lib. 2. de contract. c. 43. & meritò quidem, quia ex Reg. iuris 45. in 6. qui tacet, conſentire videtur. Quæ Regula ſecundùm interpretationē Doctorum maximè locum habet in fauorabilibus, inter quæ computatur donatio.

Tum quia licet in oneroſis, qui tacet nec fateatur, nec vtique negare cenſeatur: tamen in gratuitis, & quæ fauorem tacentis concernunt, conſentire cenſetur. l. qui patitur, &c. ergo ſi donatio eſt expreſſa, & acceptatio lege præſumpta cenſetur, proculdubiò donatio perfecta adeò vt donans eam ampliùs reuocare non poſſit.

QVÆSTIO XLIV.

Quinam poſſint donationem, vel promiſſionem abſenti factam acceptare?

1 RESP. primò, eos omnes, qui ab altero generalem, vel ſpecialem habent commiſſionem.

Secundò eos, qui ſub alterius poteſtate exiſtunt, ita vt non ſint ſui iuris, vt filius pro patre, ſeruus pro domino, Religioſus pro ſuo Prælato, vel Monaſterio, & ratio eſt, quia cēſentur pro vna perſona. Non tamen famulus pro hero, nec ſubditus pro iudice, vel Principe, quia ſunt ſui iuris.

Tertiò eos, qui aliorum curam gerunt vt Tutor pro pupillo, Curator pro furioſo.

Quartò Principem pro ſubdito, quia cum hic alteri poſſit facultatem facere ſtipulandi pro altero, multò magis ipſe eam habet.

2 Quintò Notarium publicum l. 2. ff. rem pupilli ſaluam fore.

Sextò eum omnem qui ex donatione vel promiſſione facta abſenti, commodum reportat, vel onere aliquo liberatur, vt creditor pro debitore, Socius pro ſocio, vxor pro marito, vt patet §. ſed & ſi quis inſtit. de inutilibus ſtipulat.

Septimò & vltimò quemuis priuatum poſſe ſtipulari, & acquirere Eccleſiæ, pijſue cauſis iuxta gloſſam communiter receptam in cap. quoties cordis 1. q. 7. Hi enim omnes acceptando acquirunt ius, & actionem iis, pro quibus acceptant, non minùs, quàm ſi ipſimet pro ſe acceptarent.

3 Quæ omnia ſunt intelligenda de donatione, vel promiſſione gratuita, ſi enim donatio, vel promiſſio ſit oneroſa ſeu reſpectiua, (vt cum dono parenti meo equum ſi pro eo centum dare velit) non ſufficit vt tu pro abſente acceptes, ſed requiritur vt abſens eam acceptet, & repromittat. Vnde ante eius repromiſſionem, quæ viciſſim priori promittenti nota ſit, ſemper reuocari poteſt. Ita Mol. to. 2. de iuſt. d. 264. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 18. quæ. 2. & Sanc. lib. 1. d. 7. num. 12.

QVÆSTIO XLV.

Quid? ſi Titius donaret, verbi gratia equum Caio abſenti, Notario ſtipulante, & acceptante nomine Caij, ſed antequam Caius eam donationem ratam haberet, Titius eundem equum Meio cum effectu contulit, qui per ſeipſum donationem acceptauit. Quæritur modo, quænam iſtarum donationum ſit præferenda?

1 SOcin. lib. 2. conſil. 18. poſt numerum 12. tenet primam eſſe præferendam.

2 Sed nihilominùs dicendum eſt ſic. Si neutri facta eſt traditio equi, Caius cui priùs facta fuit donatio eſt præferendus. At ſi traditio facta fuit Meio, quia tunc in ipſum dominium equi tranſlatum eſt, Caius verò ſolùm ius habet ad rem, actionemque perſonalem, tunc præferendus eſt Meius. Nihilominus tamen Titius tenetur Caio valorem equi reſtituere, quia tradidit Meio quod ſibi ex iuſtitia debebatur. Ita Cou. in rubr. de teſtam. p. 3. num. 13. Moinal

t.2.de iuſt.diſp.265.& Lop.li.2.de contract. cap.43.

QVÆSTIO XLVI.

Quia?ſi per ſimplicem donationem vel promiſſionem factam abſenti, vtc tamcii ab alio legitime pro abſente acceptata, me obligem, poſſim tuta conſcientia eam reuocare, ſi is qui pro abſente acceptauit, in reuocatione conſentiat?

1 MVlti, vt refert Couar. in rubr.de teſt.p.3.n.13.& l.1.var.c.14.§.3.n.13. affirmant.

Alij verò vt Couar. locis citatis negant ex eo fundamento, quia iam tertio ex diſpoſitione legum eſt ius acquiſitum, quo illum priuare non poteſt.

2 Cæterùm Rebell.p.2.de obl.li.10.q.3.has duas opiniones conatur conciliare hoc modo.Si talis donatio, vel promiſſio facta fuit intuitu abſentis, in neutro foro reuocari poteſt:ſecùs ſi non intuitu abſentis, in cuius gratiam donatio,vel promiſſio cedit, ſed intuitu præſentis, & acceptantis facta fuiſſet iuxta Reg.illam,per quaſcũque cauſas obligatio naſcitur, per eaſdem reſoluitur.de reg.iur.

QVÆSTIO XLVII.

An antequàm abſens cui donatio, vel promiſſio facta eſt Notario ſtipulante acceptam habeat donationem,vel promiſſionem, ipſa donatio,vel promiſſio ita ſit perfecta, vt à donante, vel promittente pro libito reuocari nequeat?

1 NOnnulli docent eam reuocari poſſe.

2 Sed communis opinio quam ſequuntur Couar.in rub.de teſt.p.3.n.13.Gom.to.2.var. c.4.nu.2. & 3.& multi alij eſt longè verior, atque tenenda.

QVÆSTIO XLVIII.

An ſi donatarius moriatur,antequam ſciat, ratamue habeat donationem, ſiue acceptationem pro ſe ritè factam ab eo,qui iure poterat acceptare, ius quod donatarius ex talli donatione habebat tranſeat ad eius hæredes, poſſintque donationem ratam habere atque acceptare?

1 HVius quæſtionis partem affirmantem aſtruunt Mol.t.2.de iuſt. d.264. Couar.in rubr.de teſtam.p.3.n.13.& l.1.var. c.14.n.12.& Iul.Cl.l.4.Sent.§.donatio.q.5.& probant,quia ex acceptatione eius,qui iure poterat acceptare, donatarius acquiſierat ius integrum,& perfectum ad rem promiſſam,ac proinde eo defuncto,tranſit ad eius hæredes.

Partem tamen negantem tenent Tiraquell.& multi alij relati à Cou.loco citato.

2 Cæterùm Rebell.p.2.de oblig. li.10.q.3. putat in hoc caſu examinandam eſſe diligenter voluntatem donantis,ſi enim ex indiciis cõcurrentibus appareat, noluiſſe hæredibus donare mortuo donatario, quia fortè eos non nouerat donator, nullaue eos beneuolentia proſequebatur, tunc eius hæredes nullum ius inde acquirent,nec poterunt tuta conſcientia re donata frui:ſecùs verò,ſi percontraria indicia voluntas dandi ipſis coniiciatur hæredibus, vt ſi donator ipſiſmet hæredibus, vel ipſorum procuratori rem tradidiſſet, vt colligitur ex l. ſine qua ff. rem ratam haberi §. antepenult.

QVÆSTIO XLIX.

Quid?ſi donatio fiat præſenti,cum pacto,vt poſt certum tempus eam alteri tradat,pactumque iſtud acceptet etiam pro abſente:vtrum poſſit poſtea idem pactum quoad abſentem reuocari,ante acceptationem ab illo tertio abſente factam?

1 IN hac q.Mol.de primogenit.c.50.n.74. tenet poſſe reuocare.

Huius tamen oppoſitum aſtruunt Paul. à Caſtro,Salic.Gom.& multi alij quos refert Rebell.p.2.de obl.l.10.q.3.quorum fundamentum eſt, quia pactum iſtud in fauorem illius tertij abſentis appoſitũ,eſt quædam poſterior donatio priori donationi inſerta:cum ergo vtraque ſit donatio inter viuos per ſolam donantis voluntatem reuocari non poterit.

2 Meo iudicio,prima opinio,quæ eſt Mol. mihi videtur verior,atque tenenda, pro vt eam tenet etiam Naua. in Apolog. de redditibus eccleſ.q.1.n.71. ducor quia donatio inter viuos, niſi ſit acceptata, non eſt irreuocabilis, poſterior verò illa donatio quatenùs ad abſentem refertur, acceptata nondum

nondum eſt, & eſt inter viuos vt ſupponimus,ergò.

QVÆSTIO L.

An promiſsio interna homini facta, ſit valida, & obligatoria?

1 SOtus li.4.q.5.a.1.& l.7.q.2. art.1. tanquam dubiam quæſtionem relinquit, ſed tandem tanquam probabilius putat talem promiſſionem non eſſe validam,neque obligatoriam Arag.2.2.q.62.a.3.probabilem putat hanc Soti ſententiam, tametſi oppoſitam probabiliorem eſſe arbitretur.

2 Mart. Ledeſm.in 4.p.2.q.18. art.1.dub.3. probabile cenſet, eiuſmodi promiſſionem vim habere obligandi, fatetur tamen per talem promiſſionem non transferri dominium rei promiſſæ, nec iniri contractum ciuilem,ſed ſolùm oriri obligationem, qua is,qui promittit naturaliter alteri obligatur.

2 Communis tamen, & vera ſententia tenet promiſſionem ſolo actu mentali factam nullam obligationem inducere in cõſcientia,ſed poſſe qui illam fecit,aut celare,aut reuocare cum voluerit. Et ratio eſt, quia ſimplex promiſſio nullam vim habet obligandi in foro animæ, niſi is, cui facta eſt promiſſio,illam acceptet; ſed quandiu tacitus apud me retineo huiuſmodi actum interiorem,alter non acceptat,ergò non eſt valida,nec obligatoria.

Deinde homo cum ex anima,& corpore conſtet,non ordinatur ad alterum per ſolum conceptum internum, ſed per ſigna externa, quibus conceptus internus innoteſcit: ſed in promiſſione is qui promittit, ordinatur ad alterum ſcilicet promiſſarium ergo promiſſio interna nullam inducit obligationem in conſcientia.

Tandem probatur ex doctrina D.Tho.2. 2.q.88. art. 1. vbi ponens differentiam inter promiſſionem Deo factam, & promiſſionem factam homini,dicit quòd illa,quæ fit Deo,qui intuetur cor, obligat, hæc autem quæ fit homini, qui tantùm videt ea, quæ foris apparent,non poteſt fieri niſi per verba,vel ſigna externa,quia vt dicitur 1. Reg. 16.homines vident,quæ foris apparent: ſed Deus intuetur cor.Idem dicit in 4.d.38.q.1. a.1.his verbis. Voluntate non poteſt quis obligari,niſi ei,qui voluntatis eſt cognitor, quod ſolius Dei eſt.Et paulò pòſt.Obligatio autem homini exteriùs fit, verbo exteriùs expreſſo.

4 Dices,quamuis interna mentis promiſſio non obliget promittentem ad præſtandum promiſſum, videtur tamen obligare, ad propalandam ſuam promiſſionem mente conceptam ei, cui facta eſt promiſſio.

Reſp.promiſſionem internam nullam inducere obligationem in conſcientia quia vt dictum eſt,homo homini ſolo animo,& voluntate minimè obligatur. Nam ſi promittens obligatur ad manifeſtandum promiſſario hunc actum internum, ergo promiſſarius naturale ius habet exigendi, vt promittens patefaciat animum ſuum,quod eſt falſum,nam promiſſio eſt de adimplendo.& non de manifeſtando.

Tandem videtur eſſe concluſio definita in l.1.ff.de verb.obl.vbi habetur, quòd animus in mente retentus,non inducit obligationem, ſed oportet quòd explicetur per verba exteriora.

QVÆSTIO LI.

An ſi is qui interna mentis conceptione promiſit aliquid Caio indicet ei animum ſuum, dicens,ego ſolo actu interiori voluntatis aliquid tibi promiſi, & Caius reſpondeat, ego acceptum habeo promiſſum obliget promittentem,vt ſatisfaciat?

1 REſp. obligare, ſi tunc promittens ſuam internam promiſſionem antè factam continuat. Et ratio eſt, quia tunc promittit non ſolùm animo, vt voluntate, ſed etiam verbis. Secùs verò eſt, ſi eam promiſſionem exteriùs non confirmat, ſed ſolùm promiſſionem internam antefactam indicat.

QVÆSTIO LII.

An promiſſio interna homini facta, obliget, ſi voto,vel iuramento confirmetur?

1 REſp. obligare, non quidem ratione promiſſionis mente conceptæ ſed ratione voti,vel iuramenti,quibus Deo aliquis obligatur. Verùm ipſe promiſſarius nullum inde ius acquirit in rem promiſſam quia non ei fuit notificata promiſſio,aut ab eo

Digitized by Google

eo acceptata, ac proinde talis promiſſio poterit in alia opera pia commutari à Prælato, vt cũ communi tradit Nau. c. 12. nu. 78.

QVÆSTIO LIII.

Vtrùm promiſſio externa ante acceptationem in conſcientia obliget?

1 RESP. non obligare, vt patet ex l. 1. ff. de pollicit & ex l. abſenti ff. de donat. ſed tua conſcientia promittentem poſſe pro libito eam reuocare ſine vlla iniuria, promiſſarij. Ratio huius eſt, quia beneficium inuito non confertur. Ita Molina to. 2. de iuſt. d. 263. Sot. lib. 4. q. 5. ar. 1. & Cou. cap. quamuis pactum p. 2. §. 4. num. 15.

QVÆSTIO LIV.

An quòd ſimplex promiſſio ante acceptationem nullam vim habeat obligandi, proueniat ex ſola natura promiſſionis, an verò ex iure poſitiuo?

1 COuar. cap. quamuis pactum p. 2. §. 4. num. 16. & Mol. tom. 2. de iuſt. diſput. 263. putant id proficiſci ex ſolo iure poſitiuo.

2 Alij verò, vt Sot. lib. 3. de iuſt. qu. 5. ar. 3. docent id prouenire ex natura ipſa promiſſionis non acceptatæ. Ratio huius eſt, quia promiſſio relationem dicit ad promiſſarium.

QVÆSTIO LV.

An ſimplex promiſſio facta homini ſit obligatoria?

1 IN qua re conſtans eſt omnium ſententia omnem promiſſionem etiam ſimplicem obligare ad ſui obſeruantiam ſub reatu culpæ. Probatur. Omnis homo qui ſua ſponte aliquid promittit, tenetur ſuam promiſſionem verificare, ne mentiatur, ergo qui illam tranſgreditur, peccatum committit.

Deinde promittere, eſt dare fidem; ſed frangere fidem eſt contra ius naturæ, ergò qui non adimplet quod promittit, peccat contra ius naturæ.

2 Tandem videtur eſſe expreſſa doctrina D. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 5. vbi ait, quod qui non facit, quod promittit, videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat.

QVÆSTIO LVI.

Sed dubium eſt. An ſimplex promiſſio ad ſuæ obligationis impletionem obliget ſub mortali?

1 ET quidem conuenit in primis inter omnes, omnem promiſſionem factã alicui ratione alicuius debiti præcedentis, vt cum quis promittit Bertæ ducere eam in vxorem, vel ratione copulæ, vel alterius debiti ex genere ſuo, & ex obiecto obligare ſub mortali. Et ratio eſt, quia ſi talis promiſſio ex genere ſuo non obligaret in foro animæ ſub mortali, omnis ſocietas, & amicitia inter homines periret.

Secundò etiam conuenit inter Doctores, ſimplicem promiſſionem externam factam homini, per accidens, & ratione damni, quod promiſſarius ea non impleta incurreret, poſſe obligare ad mortale, vt cum medicus qui promiſit infirmo adhibere omnẽ diligentiam, in eius curatione, ob quam rem infirmus ille non curauit alium medicum habere, ſi medicus ille, ex eo quòd non adhibuit diligentiam, quam promiſit, infirmus ille ex hac vita migrauit, vel aliud graue damnum incurrit, proculdubiò violaſſe talem promiſſionem eſt peccatum mortale reſtitutioni obnoxium.

QVÆSTIO LVII.

Quod autem in dubium vertitur, eſt, An ſimplex promiſſio, qua quis ſua ſponte, & ſimplici verbo aliquid alicui præſenti, & acceptanti, promittit, ex genere ſuo, & ex obiecto obliget ad ſui obſeruantiam ſub reatu mortali?

1 TRES in hac quæſtione ſunt inter ſe pugnantes Doctorum ſententiæ. Prima eſt Illuſtriſſimi Caiet. 2. 2. qu. 113. art. 1. dub. 4. & in ſum. verbo perfidia. aſſerentis ſimplicem promiſſionem per ſe, & ex obiecto ſolùm obligare conſcientiam promittentis ſub veniali. Ratio ipſius eſt, quia ſolùm ex quadam honeſtate morali fidelitatis, ſeu veritatis tenemur promiſſa implere: ſicut enim ex virtute veritatis tenemur

Digitized by Google

mur dicere verum, & facere vt verba reſpondeant menti, ita ex eadé virtute obligamur, vt opera reſpondeant verbis, atqui veritatis virtus non obligat ſub peccato mortali, ergò. Huius ſententiæ videtur eſſe D.Th. 2.2.q.80.ar.1. & q.88.art.3.vbi ſolùm ſimplicé dicit promiſſionem obligare promittenté ex æquitate, & honeſtate rationis; quę quidé obligatio nó videtur eſſe ita grauis, ita vt eius violatio ſit peccatũ mortale.

2 Secunda ſententia eſt Molinæ tom. 2. de iuſt.d. 262. tenentis obligationem promiſſionis pendere ex intentione promittentis, ſi enim promiſſor intendat ſe ſolùm obligare ex honeſtate morali, ſolùm tenebitur ſub peccato veniali, ſi verò intendat ſe obligare ſtrictè, & ex iuſtitia, tunc tenebitur ſub peccato mortali. Hanc ſententiam cenſet eſſe probabilem Leſſ. lib. 2. ca. 18. dub. 8. eamque defendunt multi viri docti vt Henric, Henriq. de excommunicat. cap. 17. & Garc. p. 1. de contract. c. 3.

3 Tertia verò ſententia eſt Nau. c.18.num. 6.Sot.lib.7.q.2.ar.1.Sylu.verb.pactũ nu.3.& 4. Leſſ. lib. 2. c.18.dub.8. Lop.lib.2. de contract.c. 48. & aliorum qui docent omnem promiſſionem ſimplicem factam homini præſenti, & acceptanti ex genere ſuo obligare ad mortale, niſi ex paruitate materiæ eius violatio reddatur venialis. Ratio huius eſt, quia promiſſio facta Deo, ſi tamen eſt de re licita, obligat tranſgreſſores ad mortale, ergò & illa quæ fit homini, valet conſequentia ex paritate rationis, quia vtrobique eſt actus iniuſtitiæ, ergò.

Deindè facere iniuriam proximo ex genere ſuo ex mortalé; ſed fidem violare eſt facere iniuriam proximo, vt de ſe patet, ergò eſt mortale.

Demum iniuria, per quam inter homines probos iuſtè diſſoluitur amicitia, eſt peccatum mortale; atqui omnium ſapientum iudicio, quiuis iuſtè à ſua amicitia eum repellit, qui in re graui violat fidem ſibi datam, ergò.

4 Cæterùm ex his opinionibus, ſecunda quæ eſt Molinæ mihi videtur verior atque tenenda. In cuius tamen maiorem intelligentiam, obſeruandum eſt primo quòd promiſſio ſimplex, eſt duplex. Vna quæ ſolùm parit obligationem præſtandi promiſſum ex debito morali, & hæc non obligat ex ſuo genere ad mortale, nec ex tali promiſſione datur in iudicio actio, qua aduerſus promittentem agi poſſit, vt colligitur ex l.iuris gentium, §.cum nulla, ff.de pactis. Et qui talem promiſſionem non implet, dicitur perfidus, infidelis, & mendax. Dixi notanter (ex ſuo genere) quia ex accidenti ratione damni inde ſecuti promiſſario, aliquando obligat ad mortale. Altera verò quæ ſimul inducit obligationem ex iuſtitia, quæ ex ſuo genere, & ex obiecto obligat ad mortale, quia proximo non redditur quod ex conuentione ei debetur: quã promiſſionem qui non implet, dicitur iniuſtus, quoniam ad iuſtitiam pertinet ſoluere debita, vera autem promiſſa ſunt debita, iuxta illud euulgatum prouerbium, omne promiſſum eſt debitum. Ratio huius eſt, quia gratuita promiſſio cum ex ſola hominis liberalitate proficiſcatur, ſanè in poteſtate ipſius eſt, ſolùm ſe obligare ex morali honeſtate, vel ex iuſtitia. Vndè ſi intendit ſe obligare ex iuſtitia, & obligatione ciuili, vera eſt opinio Nauar. nec eſt, qui neget. Si ex ſola fidelitate, vel ex debito morali, vera eſt opinio Caietani, & hanc promiſſionem arbitramur frequentiorem eſſe, inter homines, quàm quæ ex iuſtitia obligat. Plerique enim multa promittunt ſe facturos, vel dicturos, qui tamen non promitterent, ſi inde crederent ſe obligatos ad id præſtandum ex iuſtitia, quæ ratio optima eſt, cum obligatio promiſſionis vltra limites intentionis extendi non debeat: qui autem tali animo promittit, nec expreſsè, nec interpretatiuè ſe ad mortale obligare vult. Imò cum homines ex liberalitate promittant, non intendunt generaliter loquendo, tam ſeuerè obligare, vt rectè Caiet. 2.2.q.88.ar.1. annotauit, Cuius ſignum eſt, quòd ſuas promiſſiones regulariter iurare recuſant, non tam ob reuerentiam diuini nominis, quàm quòd ſe ex iuſtitia obligare nolunt. Vnde in foro conſcientiæ in eiuſmodi gratuitis promiſſionibus ſtandum eſt intentioni promittentis.

QVÆSTIO LVIII.

Quid ſi promiſſor non recordetur qualem inter promittendum intentionem habuerit?

1 RESP. in vtroque foro inclinandũ eſſe in eius fauorem, quia in dubio non eſt imponendum onus, quod niſi ſponte non ſuſcipitur; tum quia in dubio nemo credere

credere debet in promiſſione intentionem obligandi ex iuſtitia præceſſiſſe,cum in dubiis minimum ſit ſequendum;iuxta Reg.iuris in 6.Mol.d.262.

2 Hinc colligitur quid ſit dicendum ad ſequens dubiũ,vbi quiſpiam ex vrbanitate, vel ad complacendum, vel ad memoriam accepti beneficij teſtandum, ita promittat, non ſolum hoc quod à me petis,ſed etiam omnia mea tibi dabo.

QVÆSTIO LIX.

An obligatus maneat rem ita ſpecialiter petitam, ac promiſſam præſtare?

1 HVius quæſtionis partem negatiuam aſtruit Gom. lib.2.var.reſol.num.5. Partem tamen affirmatiuam tenet Nauar. in comment. de datis,& promiſſis num.20.

2 His tamen non obſtantibus dico longè verius, atque probabilius eſſe affirmare culpam eſſe venialem, non ſtare promiſſis quoad rem ſpecialiter in ea generalitate promiſſam, ſi petatur,cum ibi ſolùm obligatio moralis, & politicæ honeſtatis militet, non tamen eſſe culpam mortalem, quia regulariter homines cum ita promittunt,non intendunt etiam quoad rem illam ſpecialiter petitam ſe obligare ex iuſtitia, & obligatione ciuili, ſed tantùm ex honeſtate morali. Ita Molina tom. 2. de iuſtitia & iure diſput. 262. & Hinc non ſufficit ad propriam promiſſionem dicere dabo, vel faciam,innuẽdo ſolùm voluntatem faciendi, ſed neceſſarium eſt, vt homo ſe obliget ex iuſtitia,vt rectè Caiet. 2.2.qu.88.ar.1.annotauit. Quod eſt verum etiam verbo promittendi vtatur ſumpto vt ſignificet proponere,vt aduertit idem Caiet. ad 30.ca. Nu.

3 Item ſi leuiter promittas, vel alius leuiter acceptet, regulariter nullam inde obligationem contrahes ſaltem ſub mortali ad præſtandum promiſſum,vt ſi tibi dum promittis, promiſſarius dicat,accepto promiſſionem. Dictum eſt, (regulariter) quia ex accidenti interdum conſurget obligatio reſtituendi damnum, ſi fortè alter per deceptionem ex ſuis verbis æquiuocis profectam,notabile detrimentum patiatur,quod ſibi aliundè, non prouiderit,iuxta Nauar. ca.1.num.6.quamuis per inaduertentiam & à reſtitutione, & ab omni culpa excuſari poſſis. Imò ſi iures te habere firmum propoſitum dandi,vel faciendi,itaut iuramentum ſit aſſertorium præſentis actus, non promiſſorium futuri, non conſurget inde obligatio ad præſtandum promiſſum. Ratio horum omnium eſt, quia hæ & ſimiles formulæ loquendi ſæpè vſitantur voluntatis, vel teſtandi animi cauſa,non autem ex intentione ſe abſolutè obligandi.

Ex his, quæ in hac difficultate diximus, facile eſt reſpondere ad illam quæſtionem celebrem. An ſimplex promiſſio facta homini obliget promittentem ex iuſtitia?

1 IN qua re conſtat in primis inter omnes promiſſionem reciprocam obligare promittentem ex iuſtitia, vt cum duo viciſſim ſibi fidem dant,& accipiunt, tunc enim eſt contractus innominatus. Dabo vt des,vel faciam, vt facias, vt ſi Paulus promittat Antonio equum, & Antonius promittat Paulo bouem.

Secundò conſtat, promiſſionem ex cauſa iuſtitiæ,obligationem inducere, veluti ſi Titius promittat puellæ eam ſe ducturum in vxorem, ſi ei copiam ſui corporis faciat, ex iuſtitia tenetur eam ducere, quia promiſit ex cauſa,& cauſa eſt ſecutà.

2 Tertiò etiam conſtat promiſſionem quæ eſt ſtipulatio,iuſtitiæ obligationẽ continere,vt cõſtat ex l.ex pollicitat. Veluti ſi tibi dicam,promittis ne mihi dare tuũ pallium,& tu mihi reſpondeas,promitto?

QVÆSTIO LX.

Verùm tota vis dubitationis in eo verſatur. An promiſſio quæ eſt ſolius offerentis pollicitatio,acceptata ab eo,cui facta eſt,obliget conſcientiam ex iuſtitia?

1 CAiet.2.2.q.113.art.1.dub.4. & in ſum. verb.perfidia, & Armil.eodem verbo putant ſimplicem promiſſionem ſolùm obligare conſcientiam promittentis ex morali,& politica honeſtate,Huius ſententiæ videtur eſſe D.Th.2.2.q 80.a.1.vbi dicit, infideliter agere,qui promiſſionem non implet, & ſimplicem promiſſionem obligare ex honeſtate rationis.

2 Communis tamen opinio habet in vniuerſum ſimplicem promiſſionem obligare ex iuſtitia. Ratio eſt, quia qui facit iniuriam proximo,peccat contra iuſtitiam, ſed qui fidem violat,facit iniuriam proximo vt de

Digitized by Google

de se patet, ergo peccat contra iustitiam.

Tum quia fidelitas, quamuis non sit verè, & propriè iustitia ciuilis, sed virtus quædam distincta, qua secundum ius naturale obligamur id præstare, quod promittimus, est tamen iustitiæ ciuilis, & omnium pactorum, & contractuum fundamentum, cui omnium hominum pacta, atque conuenta nituntur. Ergo qui in promissis fidem non seruat, iustitiæ fundamentum euertit.

Præterea, promittere non tantum est affirmare, sed daturum, vel facturum, sed vlterius est se obligare alteri, & consequenter ius illi tribuere ad exigendum, vnde natum est illud euulgatum prouerbium, omne promissum est debitum. Ita Sot. lib. 7. quæst. 2. art. 2. Less. lib. 2. ca. 18. dub. 8. Arag. 2. 2. quæ. 88. art. 5. Med. C. de rest. quæst. 3. & alij communiter.

3 Nec obstat D. Tho. cum dixit promissionem obligare ex debito honestatis, quia per hoc non intendit excludere obligationem iustitiæ naturalis, sed ciuilis, quia per simplicem promissionem non datur actio in iudicio aduersus promittentem.

Deinde cum dixit eum qui promissum non implet, infideliter agere, eo ipso fatetur iustitiam violare, quia fidem datam non seruat. Nam duæ sunt virtutes distinctæ, vna quidem à qua homines dicuntur veraces, & hæc facit, vt quis dicat, quod habet in mente. Altera verò, à qua homines dicuntur fideles, quæ facit vt quis præstet, quod promisit, & hæc est (teste Cicerone 1. de Offic.) non solùm pars iustitiæ commutatiuæ, verumetiam est verissimum iustitiæ fundamentum, cui cuncta hominum pacta nituntur. Quare qui non implet promissum, non solùm dicit mendacium, vt ait Caiet. verumetiam contra iustitiam peccat, quod ex genere est peccatum mortale.

4 Dixi notanter (ex genere) quia sicut in omni materia præceptorum paruitas rei excusat à mortali, vt patet in furto, quod ex suo genere est mortale, & tamen ratione paruitatis materiæ, vt furtum vnius Caroli efficitur veniale, ita in proposito, violatio rei promissæ ex genere est mortalis, ratione tamen exiguæ materiæ, erit veniale.

Hinc ratione paruitatis materiæ multi excusantur, à mortali, qui pollicentur alicuius nomine salutem alicui se daturos, aut aliud quidpiã nullius ponderis se facturos, & posteà non faciunt: & qui precationem Angelicam, & alia huius generis promittant, etiam si iuramento, aut voto idipsum confirmassent, iuxta Nauar. cap. 18. num. 7.

5 Hinc, in omissione promissionis de iustitia duplex peccatum interueniri solet, vnum scilicet contra virtutẽ fidelitatis vel veracitatis, quatenus vinculum debiti honestatis moralis violatur. Alterum iniustitiæ ex genere suo lethale, quatenus debitum iustitiæ contra proximum frangitur.

Similiter in actu promittendi duplex etiam peccatum inuenitur, si fortè is qui promittit, non habeat animum præstandi, quod obligatione iustitiæ exteriùs promittit: peccat enim primò, & quidem venialiter contra virtutem veritatis, quia per signa externa demonstrat se habere animum præstandi quod promittit, quem vt supponimus non habet: secundò peccat mortaliter, cum debitum iustitiæ commutatiuæ, qua alteri se obstringit, violare decernit.

QVÆSTIO LXI.

An ex simplici promissione ritè videlicet acceptata in foro iudiciali oriatur actio?

1 RESp. iure ciuili nullam actionem oriri aduersus promittẽtem, itaut is cui promissio facta est, possit in iudicio petere quod est sibi promissum, vt habetur ex l. iuris gentium §. sed cum nulla ff. de pactis. Idque factum est ad dirimẽdas lites, vt vult Couar. 2. p. ca. quamuis §. 4. nu. 13. Tum quia leges præsumunt in simplici promissione, quæ facta est sine causa, indeliberatum animum interuenisse.

QVÆSTIO LXII.

An saltem iure canonico detur actio ei, cui facta est promissio, aduersus eum qui promisit?

1 RESpondeo dari.

Dices, cur iure canonico ex promissione actio oriatur, & non iure ciuili?

2 Resp. quia ex simplici promissione ritè acceptata, promittẽs naturaliter obligatur ei, cui facta est promissio, & ideo peccat, si fidem datam non seruat. Vnde quia ius canonicum curat, ne peccata committantur, dat actionẽ, vt promissarius possit in iudicio

iudicio petere, quod est sibi promissum; At iuris ciuilis non est, nisi ea potissimum peccata prohibere, & impedire, quę pacem Reipublicæ perturbant.

QVÆSTIO LXIII.

Quotnam conditiones requirantur ad hoc vt promissio simplex sit valida, & in conscientia obliget?

1 RESP. sex. Prima est, vt sit vera, quia promissio ficta, & simulata verè promissio non est secundum D. Thom. 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 5. Hæc conditio petit, vt inquiramus.

QVÆSTIO LXIV.

Vtrùm promissio ficta sit obligatoria?

1 SVnt, qui existiment omnem promissionem fictam obligare in conscientia ad præstandum promissum.

2 Verùm contraria sententia est communis, & certa, nam omnis obligatio, in promissione procedit ex fide data ei cui facta est promissio; sed in promissione ficta reuerà nulla datur fides, sed vox duntaxat, quæ ex se nullam vim habet obligandi, sed tantùm est signum externum fidei, quæ datur promissario. Vnde D. Greg. 22. qu. 5. can. humanæ (inquit) aures talia verba nostra iudicant qualia foris sonant, diuina verò iudicia talia audiunt, qualia ex intimis cordis proferuntur. Ita Nauar. ca. 18. Sylvest. verb. pactum qu. 4. & alij.

Dices, promissio ficta quando fit ex causa, nimirùm ratione alicuius debiti præcedentis, vel pacti, in conscietia obligat, ergò.

3 Resp. in hoc casu obligationem fictam obligare, non quidem ratione debiti, quod proficiscitur ex promissione, quia fuit ficta, sed ratione debiti, quod consequitur cautam, cui debito non rectè satisfit, nisi adimplendo promissum.

QVÆSTIO LXV.

An promissio ficta ratione grauitatis materiæ, vel nocumenti, quod proximo infert, sit peccatum mortale restitutioni obnoxium?

1 AD hoc dico primò, quòd promissio ficta in re magni momenti, est peccatum mortale. Probatur, quoniam sicut mendacium ex suo genere solùm est peccatum veniale, & tamen si proximo sit notabiliter iniurioſum, est peccatum mortale, quia damnum, quod proximo infert, est graue: ita promissio ficta quamuis per se, & ex obiecto solum sit peccatum veniale, tamen quando per illam grauis infertur iniuria proximo, erit mortale. Ratio huius est, quia illud est peccatum mortale, per quod inter prudentes dissoluitur amicitia, sed quiuis prudens iustè repellit à sua amicitia eum, qui in re graui ipsum decipit, ergò peccat mortaliter. Cui consonat illud Ital. virum sanguinum, & dolosum abominabitur dominus. Ex quo loco tale elicio argumentum.

Sic mentientes excluduntur à Regno cœlorum, ergò peccant mortaliter. Tenet consequentia, quia nemo excluditur à Regno Dei, nisi propter peccatum mortale.

2 Secundo dico, quòd quando per promissionem fictam proximus aliquod detrimentum patitur, præter iniuriam, & contumeliam, quæ ex tali promissione insurgit, detrimentum illud restituendum est. Probatur. Omne damnum quod iniustè alteri infertur, resarciendum est: atqui damnum quod proficiscitur ex ficta promissione, iniustè infertur, ergò est resarciendum. At si sola iniuria, & contumelia interuenit, tunc fictè promittens tenetur non solum liberare proximum à deceptione, verum etiam illum verbis, vel alio modo placare.

QVÆSTIO LXVI.

An qui promittit sine animo se obligandi, eo ipso quòd sciens, & prudens promittit, ad præstandum promissum teneatur?

1 ILLustriss. Caie. 2. 2. q. 88. ar. 2. & Sot. lib. 7. qu. 1. art. 2. putant eum ad id teneri.

2 Sed his non obstantibus, concors est theologorum, & Canonistarum sententia, sic promittentem non obligari ad præstandum promissum. Ratio est, quia radix obligationis, quæ est voluntas hominis libera obligandi se, defuit; tenetur tamen præstare promissum ratione scandali, vel nocumenti, si ei cui facta est promissio, ob non seruatam promissionem, intulit.

Confirmatur, si Princeps legem conderet, absque animo, & voluntate obligandi sibi subditos, ea lex non obligaret in conscientia

Digitized by Google

conſcientia;ergò ſi quis aliquid promittat, non habens animum ſe obligandi, eo ipſo non manet obligatus, quia nemo ſe obligat,non volens.

3 Obiicit Caiet.qui verè promittit animo, ſcilicèt & voluntate promittendi eo ipſo ſe obligat ei,cui promittit, quia obligatio ex promiſſione naſcitur, tanquam effectus ex cauſa.

Reſp. talem promiſſionem fieri nomine tenus, non re:quemadmodum nomine,non re eſt lex, quam Princeps fert,non habens animum obligandi populũ ſibi ſubiectum.

QVÆSTIO LXVII.

Sed quid?ſi is qui promiſſionem facit,nihil cogitet de obligatione,habet tamen animum verè promittendi, an eo ipſo ad promiſſum adimplendum tenetur?

1 RESP.teneri. Et ratio eſt, quia promiſſio ſua natura parit obligationem,quando in promittente contraria voluntas non eſt.

Secunda conditio eſt, vt ſit deliberata, id eſt,vt is qui promittit ſit ſciens, & volens; ſufficit enim ad promiſſionem ea deliberatio, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter,vt cum communi docet Nau.c.Non dicatis n.17.& in Man.c.18.n.7.

2 Tertia eſt, vt ſit voluntaria, nam promiſſio dolo,vel metu extorta, nullam obligationem inducit,vt docet D.Tho.2.2.q 89. art. 7. & ratio eſt, quia promiſſionis ſubſtantia petit,vt gratis,& liberaliter fiat, at quod fit ex metu, non fit gratis, & liberaliter,ergo quod metu vel dolo promittitur nullam obligationem producit. Quod procedit ſecundum Nauar. c. Non dicatis n.67.etiam de metu leui, vel reuerentiali, qui in virum conſtantem non cadit, dummodò ſit cauſa,ſine qua nõ fieret promiſſio.

Idem dicendum,ſi per minas, & importunas preces ſit extorta, cum genus quoddam innoluntariæ coactionis cenſeantur iuxta Sotum lib.4. q. 6. art. 1. Secùs ſi per blanditias, cum hæ neminem inuoluntarium faciant.Quidquid contra hoc obmurmuret Caiet.in ſum.ver.reſtitutio, §. quia vero &c. Sicut ergo promiſſio ſic extorta non valet, ita reſtituẽdum etiam erit quidquid propterea donatum fuerit, vt per importunitas,ſcilicet importunitas repelleretur à donatore. Sylu.verb.reſtitutio 2. §.7.Lop.p.1. inſt.conſ.c.30.& Cord.in ſuo q.q.139.

Hinc ſi Titius promiſit ducere Bertham in vxorem, putans eſſe virginem,alioquin non promiſſurus,& deinde reperiatur non fuiſſe virginem, non tenetur eam ducere, quia ſecundùm intentionem, quam habebat promittendo non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad præſtandum promiſſum, ſi talem defectum in ea deprehenderet.

3 Non obſtat iuramentum,quia vt omnes Doctores tradunt, iuramentum non confirmat promiſſionem, niſi ſecundùm eam mentem, qua ipſa cenſetur facta. Vnde ſi promiſſio habet tacitam conditionem, iuramentum accedens non tollit eam conditionem, ſed ſolùm ſecundùm eam confirmat promiſſionem.

Obiicies cap. quemadmodum de iureiurando,vbi dicitur, qui iurauit ſe ducturum aliquâ in vxorem non poſſe ei poſtea obiicere fornicationem præcedentem.

Reſp. caput citatum intelligitur de fornicatione ſibi nota, vt colligitur ex gl. §. præcedentem.

4 Quarta eſt,vt ſit de re licita, nam qui illicitum promittit peccat, & ad præſtandum promiſſum nullo iure compellitur: implicat enim contradictionem quempiam ad illicitum teneri, tunc. n. illicitum liceret, aut certè daretur perplexitas, qua & faciendo id peccaret, & ſimiliter id non faciendo: vtrumque autem conſtat, valde eſſe abſurdum. Vide in c. in malis 22. q.4. ex Iſid.habetur.In malis promiſſis reſcinde fidem,in turpi voto muta decretum, impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.

Quinta eſt,vt ſit poſſibilis,nam impoſſibilium nulla eſt obligatio.l.impoſſibilium. ff.de Reg.iuris. Vt ſi promiſi tali die dare tibi equum, & ante eum diem mortuus eſt equus, nulla eſt talis promiſſio, quia impoſſibile eſt, impleri quod promiſſum eſt.

5 Eſt autem hic obſeruandum, quod ſi promiſſum partim poſſibile ſit,partim impoſſibile,aut partim honeſtum,& partim illicitum,tunc is qui promiſit, tenetur implere partem poſſibilem,ac licitam;vtile namque per inutile non vitiatur,vt habetur de Reg.iuris in 6.

6 Sexta & vltima conditio eſt,vt perſonæ, & res ſint tempore præſtandi promiſſum in eodem ſtatu,in quo quando fuit facta promiſſio erãt,vt docet D.Th.2.2.q.110.

ar.3.ad 6. & Nauar. c. 18. nu. 7. Quæ mutatio contingit primò quando promissum incipit esse impossibile, vel valdè difficile. Vt si quis post promissionem factam, efficitur impotens ad illam adimplendam.

Hinc si Titus promisit operam suam alteri, certo tempore, & deinde vxor eius infirmetur, ita vt non possit eam deserere, non tenetur stare promissis.

Secudò si res promissa postea reddita est inutilis, vel noxia promissario, vt si promisi tibi gladium, quo postea video te velle abuti, non teneor eum illi dare. Imò peccarem illum ei tradendo, iure tamen cogor; vel seruare illum ei in aliud tempus vel tradere illum, aut æstimationem illius curatori.

Tertiò si mihi ingratus effectus es.

7 Hinc, si tempore promissionis erant amici, & adimpletionis tempore sunt inimici, aut si tempore promissionis erat ditior, quam tempore adimpletionis, nullo iure compellitur præstare promissum, quia personæ non sunt in eodem statu.

Quartò. & vlt. si seruare fidem datam ob aliquam circunstantiam superuenientem, futurum est mihi magis nociuũ, quam sit tibi profutura illius obseruatio, vt si promisi ire aliquò, & postea domi mihi grauiora vrgent.

8 Sunt autem hæc intelligenda non de qualibet mutatione, sed de ea, quam si promittens recogitasset, reuerà nihil tale promisisset. Ratio huius, est quia liberalis & gratuita promissio non plus se extendit, quam is, qui promittit se voluit obligare: promittens autem non intendit in eo casu obligari. Sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie verisimiliter non concederet, vt habetur ex Reg. iur. in 6. ità in casu promissionis non veniunt euentus, quos si in speciali proponerentur, promittens excipiet.

9 Dices, si hæc doctrina esset vera, multi coniugati non obligarentur ad coniugium, quia si præuidissent quæ euenerunt, non contraxissent tale matrimonium; & similiter multi Religiosi non tenerentur ad Regulam, quia si tunc quæ post occurrerunt, cogitasset, non emisissent professionem, quod quam sit absurdum, & à ratione alienum nemo est qui dubitet.

Respondeo prædictà Regulà non comprehendi mutuas promissiones, vel contractus, non enim cessant obligare per quamlibet superuenientem mutationem, quæ si à promittentibus, vel contrahentibus præcogitata fuissent, non promitterent aut contraherent. Vnde qui sponsalia cum Bertha contraxit, non potest fidem datam violare, si postea occurrat alia sponsa multò ditior, quamuis non contraheret cum prima, si de secunda præcogitaret.

QVÆSTIO LXVIII.

An promissio aliàs inualida, iuramento confirmetur?

1 REspondeo si promissio sit de re, quæ sine peccato promittentis seruari potest, tunc & iuramentum quod in tali promissione interponitur est validum, & promissio ex eo confirmatur. Ratio est, quia honor, & reuerentia diuini nominis, quod iureiurando in testem adduximus, petit, vt efficiamus verum esse, quod promisimus. Vt expressè definitur in cap. debitores de iureiurando. & tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. Poterit tamen promittens rem promissam repetere officio Iudicis Ecclesiastici, & promissarius iure naturali cogitur eam restituere. Quoniam nullo titulo potest, eam sibi retinere. Quod si is qui promisit pecuniam, eam non soluerit, eius hæres vi iuramenti non cogitur promissum adimplere, quia iuramentum cum sit personale, solùm iurantem obstringit.

QVÆSTIO LXIX.

Quid? si quispiam iureiurando promittat in tali casu nunquam se petiturum iuramenti dispositionem?

1 REspondeo adhuc posse, tuta conscientia dispensationem petere. Et ratio est, quia tale iuramentum est contra bonos mores, & contra communem Reipublicæ salutem.

QVÆST. LXX.

An promissio suò conditione impossibili sit irrita?

1 REspondeo esse irritam, vt constat ex l. impossibilium ff. de Reg. iu-

ris, vbi dicitur impoſſibilium nulla eſt obligatio. Et in cap. Nemo poteſt de Reg. iuris habetur. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

QVÆSTIO LXXI.

An promiſſio rei impoſſibilis iureiurando confirmetur?

1 REſpondeo minimè. Et ratio eſt, quia tale iuramentum eſt temerarium. Vt conſtat ex cap. ſicut de iureiurando.

QVÆST. LXXII.

An ſimplex promiſſio facta ſub conditione, quæ eſt contra naturam rei promiſſæ, ſit irrita?

1 REſpondeo eſſe irritam. Ratio huius eſt, quia nulla res poteſt ſine ſubſtantia ſubſiſtere. Vnde ſi Caius promittat Catharinæ, ſe eam ducturum in vxorem, ſi ipſa communem victum ex adulterio quærat, vel ſi generationem impediat, vel quouſque aliam pulchriorem inueniat. Et eſt concluſio definita in cap. vlt. de condit. appoſit.

QVÆSTIO LXXIII.

An ſi quis promittat vnam rem Titio, & deinde eandem promittat Caio, talis ſecunda promiſſio ſit valida?

1 REſpondeo non valere. Et ratio eſt, quia ſecunda promiſſio cum ſit contra primam factam Titio, eſt contra bonos mores, ac proinde nullam obligationem parit.

QVÆSTIO LXXIV.

An ſecunda promiſſio, ſi iureiurando confirmetur, ſit valida?

1 REſpondeo non valere. Et ratio eſt, quia cum talis promiſſio ſit contra bonos mores, non poteſt per iuramentum confirmari. Verùm ſi res illa tradita ſit Caio, valida eſt donatio, quoniam per traditionem rei, factus eſt Caius Dominus.

QVÆST. LXXV.

An pœna conuentionalis in promiſſionibus appoſita in conſcientia debeatur?

1 REſpondeo deberi. Et ratio eſt, quia eſt debita ex conuentione partium, & partes adhoc ſe obligarunt.

QVÆST. LXXVI.

An huiuſmodi pœna poſt moram incurſa, ſit in conſcientia ſoluenda, antequam à promiſſario in iudicio vel extra exigatur?

1 AZor.p.3.inſt.mor.lib. 11. c. 17. tenet deberi ſtatim, vt quis promiſſionem non ſeruauit.

2 At Molina tom.2.de iuſt.diſp.97. & Couar.in epitom.in 4. lib.decretal.p.1.c.6.§.8. num.1.docent non deberi, & meritò quidem, quia non petendo, cum facilè poſſit, videtur cedere iuri ſuo.

Tum quia nimis durum videtur, vt quis ad pœnam teneatur, antequam exigatur.

Tum demùm, quia ita habet vſus, & conſuetudo omnium populorum celebrantium contractus, appoſitis huiuſmodi pœnis.

QVÆSTIO LXXVII.

An is qui inculpabiliter promiſſionem non ſeruauit, teneatur in conſcientia pœnam ſoluere?

1. COuar.loco ſuprà citato putat ad id non teneri.

Alij verò, vt Franciſc. Victoria, & Garc. lib.1.de contract.pag.364.affirmant.

2 Cæterùm cum hac diſtinctione meliùs reſponderi poſſe videtur, aut enim is, qui ſe ad pœnam ſoluendam obligauit, niſi promiſſa ſeruauerit, accepit pœnam propriè, quatenùs pœna eſt, & tunc vera eſt opinio Couar. quia vbi non eſt culpa, ibi non debet eſſe pœna. Si autem pœnam accepit, non verè, & propriè, ſed latiùs pro ea quæ ſcilicet debetur cauſa recompenſandi intereſſe damni emergentis, vel lucri ceſſantis, tunc tenetur eam ſoluere, etiamſi abſque ſua culpa promiſſa non compleuerit. Ratio huius eſt, quia promiſſarius non tenetur hoc detrimentum pati, ſed debet ſeruari indemnis.

QVÆSTIO LXXVIII.

Quid si duo vicissim sibi aliquid promiserint, & vnus non vult implere promissionem, licebitne alteri transgredi suam?

1 NAuar.c.18.n. 7. putat licere, solùm quando posterior promissio facta est intuitu prioris, veluti in remunerationem, tunc enim si is qui prior promisit non impleat, alterum non teneri; non autem quãdo secunda promissio alio fine est facta.

2 Arbitror tamen dicendum esse cum Couar.p.1.relect.c.quamuis §.4. nu. 9. siue hoc respectu, siue alio facta sit secunda promissio, si prior non impleat promissionem, quam fecit, & quam adimplere tenetur, potest alter licitè transgredi suam, vt ea ratione suum promissarium, qui prior promisit ad præstandum suum promissum compellat, etiamsi forte maiorem rem illi promiserit, & Ratio est, quia hæc debita sunt eiusdem rationis, ergo in illis potest fieri compensatio.

Tum quia secundus promissor non censetur se voluisse obligare ad præstandum, quod promisit eo casu quo contingeret promissarium, qui prior promiserat, fieri ingratum, & fidem violare.

3 Circa hoc tamen vnum est aduertendum, quod si is qui tempore conuento non impleuit promissum, cum facilè posset, non deobligatur, si posteà efficiatur impotens ad soluendum, sed obligatio pro tempore sopitur. Vnde cum venerit ad ditiorem fortunam tenebitur stare promissis. Et ratio est, quia in hoc casu non tantùm est debitor ex promissione, sed ex delicto, cum fuerit in mora, ratione cuius fuit fortè causa damni, quod vna cum re promissa de iustitia restituendum est.

QVÆSTIO LXXIX.

An promissio facta promissario præsenti, & tacenti sit in conscientia valida, ita vt promissarius non possit quando voluerit ab ea recedere?

1 REspondeo esse validam. Et ratio est, quia is, qui loqui potest commodè, & tacet, consentire videtur in iis, quæ fauorem tacentis concernunt. c. qui tacet de reg. iuris in 6. & l. qui tacet ff. de Reg. iuris

Nec obstat Reg. iuris sequens, quæ habet. Qui tacet, nec fatetur, nec vtique negare videtur, quia hæc vt cum Ioan. Andr. tenent communiter Doctores in promissionibus onerosis acceptandis procedit.

QVÆSTIO LXXX.

An per solam promissionem, & acceptationem, rei transferatur dominium?

1 REspondeo nequaquam hoc solo modo posse transferri dominium in alterum, nisi res ipsa ei tradatur per donationem, venditionem, vel alium contractum. Ratio huius est, quia tunc transfertur dominium ab vno in alterum, quando desinit esse sub potestate prioris domini, & transit in potestatem posterioris, sed hoc non est, quando aliquis solum promisit, vel solo pacto se obligauit aliquid daturũ alteri, quia adhuc manet sub potestate sua, ita vt possit alteri dare, ita vt datio, & alienatio valeat, licèt peccet dando vni, quod promisit alteri. Vt habetur in l. quoties C. de rei vendit.

2 In tribus tamen casibus potissimum potest transferri rei dominium absque reali traditione.

Primò quando donatio, vel venditio fit Ecclesiæ, hospitali, vel Ciuitati. l. vlt. C. de sacrosanctis Eccles.

Secundò in vltimis voluntatibus videlicet in testamentis, legatis &c.

Tertiò in dote. l. in reb. C. de iure &c.

QVÆSTIO LXXXI.

Quænam quantitas requiratur, vt violatio promissionis censeatur culpa mortalis?

1 NAuar.c.18.nu. 7. putat requiri eam quantitatem, quæ ex obiecto sufficit ad constituendum furtum mortale.

2 Sed verius, ac probabilius multò est, quod Less.lib.2. de iustit.cap. 18. dub.8. Rebell.p.2.de obligat.lib.10.q. 4. Ioan.à Penna in suis manuscriptis, & alij docent, videlicèt maiorem quantitatem exigi ad materiam culpæ mortalis ex liberali promissione, quàm ex furto. Ratio est, quia minùs inuitus censetur promissarius, quando res gratis promissa denegatur, quã si ab eodem

Digitized by Google

eodem res propria æqualis valoris per furem auferatur. Vnde Lop. p. 2. inſt. conſ. c. 30. cenſet promiſſionem decem argenteorum non inducere culpam mortalem, bene tamen centum argenteorum promiſſionem. At Rebell. putat decem Regales argenteos ſufficere ad materiam peccati mortalis in violatione promiſſionis.

QVÆSTIO LXXXII.

Quantum poſſit quis valide donari?

1 REſpondeo poſſe quem validè donare vſque ad quingentos ſolidos: vltra verò hanc quantitatem donatio ſine inſinuatione præcedente, id eſt ſine reductione donationis in ſcripturam authenticam ante competentem Iudicem, eſt ipſo iure irrita quoad exceſſum, niſi inſinuatione comprobetur. Vt expreſsè habetur in l. penult. C. de donat. Quod ideò Sancitum eſt, ne homines, metu, vel fraude, vel inconſulta temeritate impulſi, ſe donationibus exhaurirent; expedit enim Reipublicæ, ne quis prodigaliter rebus ſuis vtatur, quæ prodigalitas in tam exceſſiua quantitate præſumitur. Valent autem quingenti ſolidi octingentis aureis, vel vt vulgo dicitur octingentis ſcutis vt ait Cou. lib. 1. var. c. 11. & lib. 4. c. 3. §. 2. n. 5. Leſſ. li. 2. de iuſt. c. 18. dub. 13. & Iul. Clar. lib. 4. ſent. §. donatio q. 15.

QVÆST. LXXXIII.

An gratuita, & liberalis remiſſio debiti facta abſque inſinuatione, ſi quingentos ſolidos excedat ſit valida?

1 REſp. eſſe ipſo iure inualidam, ſi debitum ſit certum, & liquidum. Et ratio eſt, quia donare, & debitum remittere æquiparantur. l. ſi mulier ff. de condit. cauſa data, & tenet Gloſſa in l. ſiquis oblig. ff. de Reg. iuris, quam Gloſſam teſtatur Iul. Clar. eſſe communi conſenſu approbatam.

Idem dicendum eſt de condonatione iuris, quando eſt certum, & de pacto de non petendo, atque de ceſſione vt cum Iul. Clar. & aliis tenet Mol. d. 278.

Spec. Conf.

QVÆSTIO LXXXIV.

Vtrùm donatio remuneratoria vltra ſummam à lege conceſſam donari, ſit valida?

1 REſpondeo eſſe validam, dummodò merita ſummam donationis adæquent. Et ratio eſt, quia donatio remuneratoria potiùs cenſetur debiti ſolutio, quam verè, & propriè donatio, vt rectè docet Reb. p. 2. de oblig. lib. 18. q. 6.

QVÆSTIO LXXXV.

An donatio facta ob cauſam, ſi maior ſit quingentorum ſolidorum ſumma, ſit valida?

1 REſp. eſſe validam. Et ratio eſt, quia donatio ob cauſam non eſt verè, & propriè donatio, quæ ſit gratis, id eſt ſine cauſa, qualis eſt ea, quæ in l. citata C. de donatione, vetatur.

QVÆSTIO LXXXVI.

An donatio vltra ſummam à lege conceſſam in totum vitietur, an verò ſolùm ex parte videlicèt quantùm ad exceſſum?

1 REſp. ſolùm vitiari quoad exceſſum vt colligitur ex l. Sancimus C. de donat. Vnde promiſſio prodiga, & ſi non obliget quoad exceſſum, per quem prodiga euadit, obligabit tamen intra quantitatem, quæ abſque prodigalitate donari poteſt, non enim vtile, per inutile vitiari debeti, iuxta Reg. 37. de Reg. iuris in 6.

QVÆST. LXXXVII.

Quid dicendum, ſi eodem tempore plures donationes fiant, quarum ſingulæ ſeorſum ſumptæ, quantitatem à lege præſcriptam non excedunt, bene tamen ſimul coniunctæ?

1 REſpondeo attendendum eſſe, an plures donationes pro vna, an pro multis habeantur. Nam ſi pro vna habeantur, tunc nullius ſunt roboris, quia etſi plures numero ſint, vna tamen cenſentur, quare ſine authoritate Iudicis non valent. l. Sancimus C. de donat.

Digitized by Google

QVÆSITO LXXXVIII.

Dices, quando plures donationes vnam tantùm donationem efficiunt?

1 REſp. quando eodem tempore. & eodem motiuo fiunt, veluti ſi quis vno impetu plures ſimul donationes faciat, nã vnus impetus facit, vt multa ſint vnum in genere moris. Vnde erunt inualidæ, ſi non ſingulæ earum, vel ſimul coniunctæ ſummam taxatam excedat. Quod eſt verum, etiam ſi res donatæ eſſent omninò diſtinctæ, vel pluribus perſonis diſtributæ.

Nec obſtat, quòd fiant diuerſa donationum inſtrumẽta. Quia quando eodem tempore quiſpiam dono dat, ſiue plures res vni, ſiue pluribus vnam, vel plures res, eadem cauſa mouente, ſiue per vnum, ſiue per plura inſtrumenta, impetus donandi, vnus & idem moraliter cenſetur. Si verò tempora, vel motiua fuerint humano more diuerſa, etiamſi plures eiuſmodi donationes eidem homini factæ interueniant, non ſunt inualidæ, quantuncunque ſimul coniunctæ ſint amplioris quantitatis, quam 50. ſolidorum. Ex quo fit, vt ſi tota, integráque ratio, & cauſa vnius donationis eſt omninò diuerſa, à ratione alterius, alia quoque donatio in genere moris cenſebitur, atque ex conſequenti validæ erunt tales donationes, quamuis ſimul ſumptæ quantitatem taxatam excedant v.g. ego dono centum Titio ad preces Caij, eodémque tempore alia centum Meio ad inſtantiam Ioannis dono; Vel ſi Titio centum propter amicitiam donaui, ſtatímque certior factus, quòd eſt meus cognatus tantumdem ſuperaddo. Verum non tam attendenda eſt vnitas, vel pluralitas cauſarum, ob quas debitum contractum fuit. Num videlicèt ratione mutui, vel ex emptione ſit debitum, quam vnitas, vel pluralitas cauſæ totaliter mouentis ad donationem.

QVÆST. LXXXIX.

An donatio excedens quingentos ſolidos, quæ ſine inſinuatione fieri iure prohibetur, in vtroque foro ſit valida ſi ad cauſas pias fiat?

1 REſpondeo eſſe validam. Et ratio eſt, quia inſinuatio eſt ſolennitas iure ciuili introducta potiſſimùm ad præcauendas fraudes, in donationibus verò quæ ad pias cauſas ſpectant, nec ciuilis ſolennitas exigitur, vt ex c. 1. de teſt. colligitur, nec quoad eas fraus præſumi debet, imò nec prodigalitas inde incurritur, cum Chriſtus Dominus dicat Matth. 19. vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

2 Tum quia ſolùm ex iure ciuili inſinuatio requiritur in donatione quæ ſummam taxatam excedit: atqui Eccleſia legibus ciuilibus non tenetur, niſi quatenus, vel iure naturali vel diuino, vel canonico cõfirmãtur, ergo. Ita Mol. d. 279. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 18. dub. 13. & Sylu. verb. donatio 1. q. 4.

QVÆST. XC.

Vtrum donatio abſoluta vltra ſummam à lege conceſſam donari, ſit in conſcientia valida?

1 REſpondeo eſſe in conſcientia validam. Et ratio eſt, quia nihil eſt tam naturale, quàm vt domina in alios ex voluntate domini tranferantur, præſertim quando huiuſmodi tranſlatio dominij per legem in foro conſcientiæ non vetatur, & leges ſolùm prohibent donationem excedentem ſummam præſcriptam in foro exteriori & non in foro conſcientiæ, vt patet ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres; ergo is cui vltra hanc ſummam donatum eſt, poterit retinere, niſi à donatore, vel eius hæredibus repetatur, quia leges non intendunt obligare donatarios, vt ſponte reſtituant (hoc enim non pertinebat ad bonum commune) ſed vt reſtituant, ſi donator vel eius hæredes velint. Non enim reddunt donatarios inhabiles, ſed tribuunt donatori poteſtatem pro arbitrio repetendi; quandiu ergo non petit, poſſunt retinere, ſcienti enim, & volenti non fit iniuria. Ita Molina diſp. 278. Lop lib. 2. de contract. cap. 42. & 94. & Leſſ. lib. 2. cap. 18. dub. 13.

2 Excipiuntur tamen à Doctoribus aliquot caſus, in quibus donatio excedens, facta abſque inſinuatione, ſubſiſtit etiam in foro exteriori.

Primò ſi iuramento confirmetur.

Secundò ſi donatio fiat ad redimendos captiuos.

Tertiò ſi ad reparationem ædium, incendio, vel ruina deſtructarum.

Quartò cum Dux militũ dat militi mobilia,

lia, aut ſe mouentia, quantumuis ea excedant ſummam præſcriptam.

Quinto quando donatio eſt remuneratoria obſequiorum, vel beneficiorum.

Sexto cum quis renuntiat bonis, vel iuribus ſperatis, nondum obtentis, vt ſi filius, vel filia renuntiet hæreditati, vel legato, quod ſperat ratione ſubſtitutionis.

Septimo ſi donatio fiat à Principe ſupremo, alicui priuato,& è contra.

Octauò, & vltimo ſi donatio fiat cauſa mortis. Vide Molina diſp. 278. & 279.

QVÆSTIO XCI.

An donatio inter viuos omnium bonorum præſentium, & futurorum ſit valida?

1 REſpondeo eſſe inualidam vt habetur ex l. ſtipulatio hoc modo concepta ff. de verb. obligat. Ratio huius eſt, quia per hanc donationem homo ſe priuat poteſtate teſtandi,quod leges improbant. Ita Couar. rub. de teſt. p. 2. nu. 8. Mol. d. 280. & Leſſ. vbi ſupra.

2 Hinc rata, & firma eſt donatio, qua quis donat alicui omnia bona ſua præſentia, quia per hanc donationem non ſibi adimit poteſtatem teſtandi de futuris, vt docet Couar. lib. 3. var. cap. 12. nu. 4. Imò ſi donet omnia bona ſua mobilia, & immobilia, ità tamen vt futura bona non exprimat, valebit donatio, quia ſolùm bona præſentia, non autem futura donare cenſetur.

Similiter ſi donator aliquid ex ſuis bonis ſibi reſeruet, dummodò non ſit quid minimum, ſed ſaltem excedat vigeſimam partem patrimonij ſic donantis, vel ſaltem vſufructum, vt cum Iul Clar. Mol. d. 280. Couar. lib. 3. var. c. 12. num 1. Lop. lib. 2. de contr. cap. 42.& Leſſ. l. 2. c. 18. d. 13. reſoluunt, quia de hoc teſtari poteſt.

QVÆSTIO XCII.

An ſi quis dicat, dono tibi omnia bona mea præſentia, & futura mobilia, & immobilia, valida ſit donatio?

1 REſp. eſſe validam. Ratio eſt, quia nomine bonorum mobilium,& immobilium iura, & actiones non comprehenduntur,vt habetur in l. à diuo Pio §. in vend. ff. de re iud. Quare de illis poteſt teſtari, modò contrarium de mente donantis non conſtet.

QVÆSTIO XCIII.

An ſi quis dicat, dono tibi meam hæreditatem valida ſit donatio?

1 REſpondeo non valere. Ratio eſt, quia cum hæreditas omnia bona includat quæ tempore mortis donantis fuerit ipſius reperta, per eam donans ſibi adimit facultatem teſtandi. Ita Mol. d. 180.

QVÆSTIO XCIV.

An donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum ſit inualida quo ad totum, an verò ſolùm quo ad partem, vt donatione vltra 500. ſolidos facta ſine inſinuatione dictum eſt, validam eſſe quoad 500. ſolidos?

1 REſpõdeo eſſe inualidam etiam quoad partem vt cum Iul. Clar. Gom. Gutier. & aliis reſoluit. Mol. d. 280. Neque eſt eadem ratio, quæ de donatione vltra 500. ſolidos facta ſine inſinuatione, quia in donatione non inſinuata præfinita eſt certa quantitas, vſque ad quam valeat, & quo ad exceſſum irritatur; in donatione verò omnium bonorum nulla eſt taxata quantitas vſque ad quam valeat, & vltra quam non valeat. Quarè ſi donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum ſolùm eſſet nulla quo ad totam ſummam & non quo ad reliqua in ea incluſa, detracto vno Carlino, valeret reliquum, atque adeò lex eſſet inutilis.

QVÆSTIO XCV.

An qui contra prohibitionem legis facit donationem omnium bonorum præſentium, & futurorum peccet mortaliter?

1 REſpondeo ſi nulla vis, vel metus, vel fraus interſit, nec iniuria creditorum, nec præiudicium vxoris, vel filiorum, quibus per huiuſmodi bona ſatisfaciendum ſit, quamuis peccet venialiter qui contra prohibitionem legis humanæ donationem omnium bonorũ præſentium & futurorum facit nunquam tamen peccat mortaliter: ac proinde nec lethaliter peccabit donatarius retinendo quidquid per talem donationem datum fuit,quandiu donator in eadem voluntate

præſtiterit, cum volenti, ac conſentienti, non fiat iniuria vt habet Reg. iuris in 6. Peccacit tamen mortaliter ſi inuito donatore, vel hærede poſt eius mortem retineret niſi conſtaret donatorem in eadem prima volunate obiiſſe, & confirmaſſe in morte totam eandem donationem omnium bonorum, quia tunc donatarius retinendo non peccat, quia cauſa mortis cuique fas eſt abſque vllo termino donare. Ita Reb.p.2.lib.18. q. 8.

QVÆSTIO XCVI.

An donatio cauſa mortis facta omnium bonorum præſentium, & futurorum ſit valida?

1 REſpondeo eſſe validam, Ratio eſt, quia cum donatio cauſa mortis pro ſolo donantis libito poſſit reuocari, vtique per eam ſibi non adimit facultatem teſtandi, etiamſi ſit omnium bonorum præſentium, ac futurorum, ac proinde ceſſat in ea ratio, ob quam ſimilis donatio inter viuos eſt valida. Ita Mol.d. 280.

2 Excipiunt tamen Doctores quatuor caſus, in quibus donatio inter viuos omnium bonorum præſentium, & futurorum eſt valida.

Primus eſt, ſi fiat Eccleſiæ, vel in aliquam piam cauſam. Et ratio eſt, quia dare omnia bona ſua præſentia, & futura lege ciuili tantum eſt prohibitum. At Eccleſiam ius ciuile non ligat, ergo.

Deinde vnicuique fas eſt ſe totum tradere Eccleſiæ, vel Monaſterio, ergò à fortiori poterit omnia bona ſua præſentia, & futura Eccleſiæ donare ſecundùm Domini conſilium Matth.19. vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Demùm, ius ciuile non poteſt impedire officia pietatis; & cõſilia euangelica, atqui talis donatio eſt officium pietatis, & conſilium euangelicum, ergo. Ita Nau. c. 26. nu. 39. & Couar. rub. de teſt.p. 2. nu. 13. qui dicit hanc communem eſſe Doctorum ſententiam.

3 Secundus eſt, ſi iuramento confirmetur. Et ratio eſt, quia talis donatio ſolo iure ciuili prohibetur, ergò iuſiurãdum adhibitum eam ita firmat, vt vim habeat. Ita Mol. diſp. 280. Lop. lib. 2. de contrac. cap. 43. Leſſ. lib. 2. cap. 18. dub. 13. & Couar. rub. de teſtamen. par. 2. num. 14. & ſi Iul. Clar. §. donatio quæſt. 20. Roder. par. 1. ſum. cap. 94. & multi alij oppoſitum ſentiant, illorum tamen fundamentum eſt falſum, non enim donatio omnium bonorum eſt contra bonos mores naturales, ſed ciuiles, ergò iuſiurandum talem donationem confirmat: niſi conſtaret patenter talem donationem iuratam alias eſſe prodigam, profanam, aut iniquam, nullaque cauſa rationabili ſuffultam, quia tunc non confirmaretur iuramento.

4 Dices, ſi quis iuramento promittat ſe non reuocaturum teſtamentum, talis promiſſio non confirmatur, ergò nec donatio omnium bonorum præſentium, & furorũ.

Reſpondeo diſparem eſſe rationem quia teſtamentum ſua natura & reuocabile quãdiu teſtator viuit, ergò contra naturam, & ſubſtantiam teſtamenti eſt, vt reuocari non poſſit in vita, ac proinde iuramentum interpoſitum contra ſubſtantiam teſtamenti non valet. At donatio omnium bonorum, præſentium, & futurorum ſolo iure ciuili damnatur, ergò ſi iuramento confirmetur, rata, & firma perſiſtit.

Tertius eſt, ſi donatio omnium bonorum præſentium. & futurorum inter fratres fiat, & hoc fauore cognationis videlicèt cauſa eam tuendi, & conſeruandi. Lop. lib. 2. de contr. c. 43. Iul. Clar. 4. ſen. §. donatio q. 20. & alij communiter.

5 Quartus verò eſt, ſi talis donatio fiat ex cauſa oneroſa, vt matrimonij, vel tranſactionis, aut alia ſimili. Ratio eſt, quia quamuis iure ciuili gratuita donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum ſit reddita nulla, nullo tamen iure inuenitur prohibitum, quemquam ex cauſa oneroſa bona omnia ſua etiam futura, alienare, atque à ſe abdicare. Ita Mol. d. 280.

QVÆSTIO XCVII.

An donatio mera inter viuos, etiam ſi ſit acceptata, & res ſit tradita, poſſit ob ingratitudinem donatarij reſcindi?

1 REſpondeo, & hoc in ſex caſibus. Primo ſi donatarius graui iniuria donatorem ſiue præſentem, ſiue abſentem afficiat, appellando eum publicè furẽ, ſicarium, maleficum, proditorem, vel hæreticum, cum talis non ſit.

Secundo ſi donatarius manus violentas in donantem animo iniuriandi ponat. Nomine autem manuum, intelligitur etiam ſi ſapi

si lapide, ligno, aut re alia, donantem, iniuriosè contingat.

Tertio si notabile damnum bonis illius externis inferat. Intellige iniustè, nullaue iusta causa cum excusante.

2 Quarto si donatarius vitæ periculum donanti intulit, etiamsi effectus non sit secutus, modò per ipsum non steterit, quo minùs sequeretur Intellige absque rationabili causa, quæ ipsum à culpa excuset, vt excusaret, si de crimine hæresis, aut læsæ Maiestatis humanæ cum accusaret.

Quintò si conditionem in donatione appositam non impleuit,

Sexto, & vlt. si donatarius donantem inopia pressum non aluit. Quod tamen limita, quando donatio fuit in magna rerum quantitate, & donatarius commodè potest, spectata donantis indigentia. Ita Mol. d. 281. Less. lib. 2. de iust. c. 18. dub. 14. & Sylu. verb. donat. 1. q. 13. & §. 17.

3 Illud tamen obserua quod quando ob ingratitudinem reuocatur donatio, reuocari debet cum fructibus perceptis à lite contestata; non verò cum fructibus antè perceptis: nam hi ad donatarium spectant, vt cum aliis docet Molin. disp. 281.

QVAESTIO XCVIII.

An hæres donatoris possit donationem reuocare in casu quo donatarius ingratus in donatorem extitit?

1 RESP. non posse. Et ratio est, quia hoc ius reuocandi ex ingratitudine quod habet donator est personale, ac proindè ad hæredes donatarios non transit.

Tum quia eo ipso quo donator non reuocauit in vita, videtur iuri reuocandi voluisse renuntiare. Quod intelligitur de donatore qui ingratitudiné donatarij noluit, & potuit cómodè donationem reuocare. Secùs est, si donator in vita ingrati donatarij vitium ignorauit, aut si id sciuit, tempus tamen non habuit ad donationem reuocandam, quia tunc transit actio ad hæredes donantis, & aduersus donatarium sic ingratum, aut eius hæredes poterunt in iudicio agere quia tũc defuit ratio textus, scilicet quia tacuit, quia non dicitur tacuisse, quia ignorauit, aut tempus ad agendum opportunum non habuit. Ita Mol. to. 2. d. 281. Less. lib. 2. c. 18. dub. 14. Sylu. verb. donatio 1. num. 18. & alij

QVÆSTIO XCIX

An propter alias ingratitudinis causas à sex numeratis, fas sit reuocare donationem?

1 SYlu. verb. donatio 1. q. 13. affirmat posse, dummodò grauiores, aut æquè graues cum illis sint. Et probat, quia vbi est eadem ratio, eadem debet esse iuris dispositio. l. illud. ff. ad l. Aquiliam.

2 Contrà tamen, & meo iudicio probabilius sentit Mol. d. 281. Ratio huius est quia ob causas ingratitudinis, donatio non est ipso iure irrita, sed tantùm in iudicio conceditur actio ad eam reuocandam vt Doctores tradunt in l. vltima, C. de reuocand. donat. §. sciendum est. At in iure non inueniuntur præter sex supradictos alij casus, quibus detur donatori actio ad agendum contra donatariũ ingratũ, ergò. Et videtur esse conclusio definita in lege vlt. citata, vbi cõmemoratis sex illis supra explicatis, subiungitur. Ex his tantummodo causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitialiter appprobatæ, donationes in eos factas euerti concedimus. Ecce dictionem exclusiuam, tantummodò, apposuit, qua omnes vniuersim alias ingratitudinis causas excludit. Vnde lex citata à Sylu, non procedit in pœnalibus quoad inflictionem pœnæ, sed solùm quo ad eiusdem diminutionem.

3 Poterit tamen opinio Syluestri amplecti quantùm ad forum conscientiæ, in casu, quo res donata nondùm tradita est, quia ea mens donantis, tacitaque conditio fuisse præsumitur, vt ante rei traditionem noluerit se obligare irreuocabiliter ad donationem liberalem ad implendam in euẽtu quòd aliæ æquiualentes ingratitudinis causæ subsequerentur. Postquàm tamen res tradita est, cum dominium rei donatæ in donatarium translatum sit, donator propria authoritate non poterit talem donationem reuocare.

5 Est tamen hic aduertendum, quòd cum donationis reuocatio ex illis sex causis in pœnam sit statuta, donatarium, estò ingratus fuerit non priùs teneri donata restituere, quã in iudicio aliqua earum fuerit aduersus eum probata iuxta id quod in dicto §. sciendõ Inst. de donat. est sancitũ, latáque fuerit à Iudice sententia, vt rectè

Digitized by Google

Molina d.281.& Cou.in Epitom.p. 2. c.6.§. 8.n.17. annotarunt si tamen res nondùm sit tradita, potest, non tradere, & exigentem exceptione ingratitudinis reiicere, vt ait Less.lib.2.cap.18.dub. 14.

QVÆSTIO C.

An donatio inter viuos sit ipso iure irrita propter superuenientem natiuitatem filiorum?

1 RESP. esse ipso iure irritam, vt habetur in lege si vnquá C.de reuocand. donat. Ratio huius est, quia præsumitur fuisse facta sub tacita conditione, nisi postea liberi ei nascerentur, cum non sit credibile, patrem velle extraneos filio suo quo ad bona sua præferre. Et quidem si donatio facta sit extraneo, reuocatur in totum ipso iure antè mortem donantis, esto donatarius res possideat. Si verò facta sit vni ex liberis, videlicet filio emancipato, reuocatur solùm quoad legitimas portiones filiorum qui posteà nati fuerint lege si totas C.de reuocand.donation. Valida tamen remanebit quo ad reliquam partem, de qua pater ad libitum disponere poterat. Ita Molina d.282.Less.lib.2.c.18. dub.14.& alij. 2 Ex qua doctrina colligitur non esse irritam donationem, si tempore donationis donator de liberis cogitasset, etiamsi non aliunde constet, quàm quod donationem fecerit eo tempore, quo matrimonium cõtrahebat, nam eo casu vtique præsumitur donator de liberis cogitasse, quorum suscipiendorum causa solent matrimonia cõtrah. Nec item erit inualida donatio, si iam antè donationem habebat filios, quamuis ei alij filij post donationem nascantur vt ex l. si vnquàm deducit Reb.p. 2.de oblig. lib.18.qu.10.& tradit eleganter Mol. d.282. 4 Hoc idem dicendum est, si donatio facta sit Ecclesiæ, vel alteri piæ causæ, solùm enim rescinditur quantùm opus est vt filij posteà nati habeant suas legitimas portiones, & ratio est, quia Ecclesia instar filij habetur.

Tum quia quòd datur ad piam causam, datur propter salutẽ animæ, cui non minus est patrocinandum, quàm filio, vt colligitur ex Auth. si qua mulier C.de sacrosanct. Eccles. Ita Less.lib.2. cap.18.dubit.14.

QVÆSTIO CI.

An donatio sit irrita, ex eo quod sit inofficiosa, id est contra officium pietatis paternæ in necessarios hæredes, vt cum pater tantum patrimonij dat, vt filij priuentur suâ legitima portione?

1 RESpon. esse irritam vt habetur ex l.1. & seq. C. de inoffic. donat. Et quidem si facta sit vni ex liberis, irritatur solummodò vsque ad legitimam bonorum aliis filiis competentem. Si facta sit extraneo animo fraudandi liberos improbatur donatio in totum. Si verò non eo animo facta est, irritatur solùm ex parte, ac filiis detur legitima, & debita portio. Ita Less. lib.2.cap.18. dub.14.& Rebel. p.2.de oblig. lib.18.quæst.11.

QVAESTIO CII.

An si donator post donationem susceperit filios & hi patre adhuc superstite moriantur, donatio ipsa propter illorum mortem reuiuiscat?

1 GOm. lib. 2. resolut. cap.4. num. 12. affirmat.

Oppositum docent Sylvest. verb. donatio nu.13. & Rebel.lib.18.q.10.& Mol. disp. 282. asserentes non reconualescere, sicut nec actio semel extincta reuiuiscit ex lege medicus §. duobus ff. de elegat 2. nisi accedant cõiecturæ, quòd pater de nouo donare voluerit vt si posteà per longum tempus permiserit donatarium res donatas possidere.

QVÆSTIO CIII.

An si donatio facta sit Ecclesiæ, vel piæ causæ & posteà donanti filij nascantur, ipsa donatio reuocetur in totum?

1 RESpon. non rescindi in totum, quia Ecclesia est instar filij, & donatio facta est in fauorem animæ, cuius causa non est minùs fauorabilis, quàm causa filiorum. Imò secundùm Nauar.cap.26.num.39. possunt parentes minuere legitimas filiorum, tum per contractus oneroſos, tum etiam per donationes remuneratorias, & ad causas pias, quia huiusmodi donatio non est vera donatio, sed donatio ob causam.

2 Duo

Digitized by Google

2 Duo tamen ſunt hoc loco obſeruanda. Primum eſt, donationẽ mofficioſam quàm pater contra officium pietatis fecit, non reſcindi niſi poſt mortem patris, nam tunc primùm debentur filiis ſuæ legitimæ, ac proinde tunc primùm incipit donatio illa cedere in filiorum præiudicium. Ita Leſſ. lib.2.cap.18.dub.14.

Alterum eſt nomine filiorum in hoc loco non intelligi filios adoptiuos, quia multò minor eſt præſumptio affectionis ad hos, quàm ad legitimos: imo nec naturales illegitimos, vt cum communi reſoluit Gabriel lib. 3. de donat. à num.77.

QVÆST. CIV.

Quid? ſi pater expreſsè, & in ſpecie renuntiet priuilegio legis?

1 REſpondeo patrem non poſſe reuocare donationem dum viuit, etiamſi poſtea ei naſcantur filij, poterunt tamen filij poſt eius mortem eam reſcindere. Et ratio eſt, quia renunciatio patris non poteſt tollere ius filiorum, quòd poſt mortem patris habent ad ſuas legitimas. Ita Leſſ. lib.2.cap.18. dub. 14.

QVÆSTIO CV.

Quid? ſi pater iurauit ſe non reuocaturum donationem?

1 REſpondeo adhuc poſſe reuocare ſuſcepta prole. Et ratio eſt, quia tale iuramentum cenſetur factum ſub tacita conditione, niſi naſcantur filij. Ita Leſſ. lib.2.de Iuſtitia cap.18.dub. 14.

QVÆST. CVI.

Quid verò ſi pater expreſſit ſe propter ſuſceptam prolem non reuocaturum donationem, idque iuramento confirmet?

1 REſpondeo in hoc caſu non poſſe donationem reuocare. Et ratio eſt, quia quando iuratur id, quod non eſt ex ſe malum, iuramentum eſt ſeruandum, vt colligitur apertè ex lege vlt. C. de reuocand. donat. & ex cap. vlt. de donat. atqui non reuocare huiuſmodi donationem non eſt malum ergò. Poterunt tamen filij nihil patris iuramento impediente, res donatas à patre, à donatario exigere ob fundamentum paulò antè propoſitum. Ita Mol. diſp. 281. Leſſ. lib.2. cap.18. dub. 14. & alij

QVÆST. CVII.

An donatio remuneratoria poſſit propter ſubſecutam donatarij ingratitudinem reſcindi?

1 PIuellus cap. de bonis maternis num. 62. dicit poſſe.

Alij probabiliùs negant, vt Tiraq. in repetit. legis ſi vnquam. Sylueſt. verb. donatio num. 18. & 25. & Rebel. punct.2. de oblig. lib.18.quæſt.9.

2 Et quidem ſi remuneratio fit ſub pacto aliquo oneroſo, vel propter merita de iuſtitia ſatisfactionem exigentia, certum eſt reuocari non poſſe, quia non eſt donatio liberalis, de qua hic agimus, ſed contractus vtrinque obligant. Si tamen propriè remuneratoria ſit, eſt etiam longè probabiliùs, reuocari non poſſe, quia licèt non ſit facta ex debito iuſtitiæ, eſt tamen ſatisfactio pro debito honeſtatis contracto ob recepta prius beneficia, ac proinde non eſt mera donatio.

QVÆSTIO CVIII.

Vtrùm ſi donatio fiat eo pacto, quòd eſto donatarius in vitium ingratitudinis inciderit, donatio non poſſit reuocari, tale pactum ſit validum?

1 REſp. non valere. Ratio eſt, quia tale pactum & renuntiatio iuris reuocandi donationes ex ingratitudine ſunt nulla, quia præbent occaſionem delinquẽdi iuxta leg. ſi vnus §. illud, & §. pacta ff. de pactis. Ita Mol. diſp. 281. & communis.

QVÆSTIO CIX.

Quid? ſi donator iurauit ſe non reuocaturum donationem?

1 REſp. adhuc poſſe reuocare orta ingratitudine. Et ratio eſt quia huiuſmodi donatio habet eam tacitam conditionem iure ſtatutam, niſi donatarius ingratus ſit. At iuramentum non excludit tacitas conditiones, quas actus ſuper quem cadit, habet ex ſe, aut ex iuris diſpoſitione.

QVÆ

QVÆSTIO CX.

Quid? si donans expressè excludat illam conditionem, velitque donationem valere, etiã post vilium ingratitudinis, eamque iuramento confirmet?

1 REspondeo in hoc casu non posse donationem reuocare. Ratio est, quia donans non peccat esto donationem suborta ingratitudine non reuocet, sicut nec mutuatarius soluendo vsuras, nec is qui promisit latroni centum, ne ipsum iniustè interficeret, peccat ea soluendo vt colligitur apertè ex l.vlt. C. de reuocand. donat. & ex c.vlt.de donat.sed iuramentum quòd absque peccato potest seruari, sub reatu mortali est seruandum, nihil impediente, quòd donatarius sumat occasionem peccandi, ergò in casu nostro non licet reuocare donationem propter donatarij ingratitudinem. Verùm quia donatarius ob vitium ingratitudinis seipsum indignũ reddit, cui iuramentum seruetur arbitror potestatem non solùm Ecclesiasticam, verumetiam sæcularem posse in pœnam talis ingratitudinis relaxare donanti iuramentum illud, factaque tali relaxatione posse licitè agere ad reuocationem donationis Molina disp. 281.

QVÆSTIO CXI.

An donatio ob causam, propter ingratitudinem donatarij subsecutam possit reuocari?

1 REsp.non posse. Et ratio est, quia donatio ob causam non est verè, & propriè donatio, sed potiùs debiti solutio vt cum communi tradit Molina d. 281. Ob quam rationem non reuocatur dos marito data propter ingratitudinem vxoris vt patet ex lege si dotem C. de iure dotium.

QVÆST. CXII.

An collator beneficij possit reuocare beneficij collationem, ob ingratitudinem beneficiati?

1 REsp.non posse. Et ratio est, quia collatio beneficij non est propriè donatio sed est executio muneris, prout collator tenetur. Ita Molina disp. 281.

QVÆST. CXIII.

Quanæ quantitatis esse debeat donatio, vt ob nouæ prolis superuentum reuocetur?

1 BAldus, & alij quos Couar. lib.1. var. cap.19. nu.12. citat, affirmant necesse esse, vt saltem esset dimidiæ partis bonorũ.

Gom.lib.2.var. resolut. cap.4.nu.11 dicit debere esse maioris partis bonorum.

2 Couar.loco cit.nu.13. & Iul.Clar.4. sent. §.donatio q. 22.nu. vlt. censent satis esse, si donatio sit partis notabilis infrà dimidium bonorum donantis.

Rebel.p.2.de obligat.lib.18.quæst.10.putat sufficere, vt res donata inspecta qualitate dantis, & recipientis sit grauis.

Bartholus in lege Titia §. Imperator ff. de legat.2.censet satis esse, si rem particularem donasset, neque esse necesse vt donauerit quotam bonorum.

3 Cæterum Molina disp.282.putat id Iudicis arbitrio spectatis circunstantiis concurrentibus esse committendum, expendendo, num si donator de filiis tunc cogitaret, tantam quantitatem donasset, aut nõ.

QVÆST. CXIV.

Quot modis donatio causa mortis rescindatur?

1 REsp. quatuor. Primò quando donator pœnitentia ductus reuocat donationem. Sicut enim testamentum, & legatum vsque ad mortem pro arbitrio testatoris reuocari potest, ita etiam donatio quæ mortis causa fit. Quod est verum etiãsi donatio fuerit iuramento confirmata, quia iuramentum quando simpliciter ponitur in aliquo actu, debet regulari cum natura talis actus. Quando apud Gallos donatio infrà tempus quatuor mensium ex Regio instituto est insinuata, licet causa mortis facta non potest reuocari à donatore pœnitente.

Secundò quando donatarius ex hac vita discedit antè donatorem. Secùs est in donatione inter viuos, quæ non rescinditur morte donatarij, sed si sit acceptata transit ad hæredes. Quòd si donator promittat se donationem non reuocaturum, transit in donationem inter viuos.

Tertiò quando conditio, sub quo facta est donatio, non impletur.

2 Quartò & vlt. quando donatio facta est

intuitu

intuitu alicuius imminentis periculi quo cessante, conseruetur tacitè reuocata donatio. Vt si quis det instante prælio vel in graui morbo vt habetur in l. 3. & seqq. ff. de mortis causa donat. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 18. dub. 14. & Rebell. supra q. 12.

QVÆSTIO CXV.

An donatio metu extorta in conscientia teneat?

1 IN qua re conuenit inter omnes, donationem quocunque metu factam, si iuramento confirmetur esse in conscientia validam, & obligatoriam: at donatarius tenetur remittere hanc donationem, & restituere id quod eius virtute accepit.

Tota ergò quæstio est de simplici donatione.

Panorm. in c. Abbas affirmat tenere.

2 Alij verò rectiùs docent donationem quocunq; metu extortam esse in conscientia nullam. Et ratio est, quia donatio vt sit valida debet esse gratuita, & liberalis: at metus siue sit grauis, siue leuis, vterque extenuat libertatem, quæ requiritur ad gratuitam donationem, ergò vterque metus tam leuis, quàm grauis, cum est causa sine qua non fieret donatio in conscientia efficit donationem nullam. Ita Nau. c. 17. n. 5. Lop. lib. 2. de contr. c. 43. & alij.

Hinc Catharina quæ inducta à parentibus dixit se contentam dote & renuntiare suæ legitimæ promisit, id fecit metu reuerentiali parentum, aliàs non factura secundum Nau. & alios, talis renuntiatio vel donatio legitimæ in conscientia nullius est valoris: sed si iureiurando renuntiauit, in hoc euentu renuntiatio tenet, sed poterit petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, & postea petere in iudicio id quo defraudata est. Imò si summa cui sic renuntiauit est magni valoris, in foro exteriori secundùm eundem Nau. præsumitur coactè ei renuntiasse.

3 Hinc si aliquis remittat debitori suo partem debiti, quia illud recuperare prorsus desperat, post hanc remissionem potest (seruatis conditionibus iustæ compensationis) tantumdem secretè de bonis illius accipere, in compensationem illius partis, quàm remisit. Et ratio est, quia de ratione donationis est, vt sit gratuita, & liberalis, qualis non est ista, de qua nunc loquimur. Vnde in dandis, & accipiendis donis, tria debent considerari. Primum est qualitas dantis, & accipientis, vt si dat pauper diuiti, aut diues pauperi. Secundum quantitas rei quæ datur, & accipitur, scilicet si est magna, vel parua. Tertium tempus quo datur, scilicet si datur in necessitatis tempore, aut sine ea.

Hinc qui existens in necessitate vendit rem aliquam viliùs, quam valet, non præsumitur, quod faciat donationem reliqui pretij iusti, & ideò emptor tenetur talem defectum supplere.

QVÆSTIO CXVI.

An donatio vel promissio sub conditione impossibili, vel turpi, vel matrimonij, aut maioris boni, scilicet Religionis impeditiua, conditione non existente sit valida?

1 AD hoc dico primò: quòd stando in solo iure ciuili, donationes, vel promissiones in testamento factæ causa mortis sub conditione impossibili, vt si testator dicat, lego tibi cẽtum, si sol cras non orietur; vel quæ sine peccato adimpleri non potest, vt do tibi pecuniam si inimicum occideris: vel matrimonij impeditiua, vt lego Catharinæ centum si nõ nupserit; vel maioris boni ablatiua, vt si dicat, lego tibi mille si Religionem non ingrediaris, statim, & ante conditionis adimpletionem firmitatem habent, conditionesque illæ in iure pro non appositis habentur. Ratio est, quia ius ciuile in fauorem vltimæ voluntatis præsumit, quòd testator sic in testamento donans (licèt talia protulerit verba) ex errore fecit, nihil volens contra ius tentare, sed potiùs se iuri voluisse conformare, si illud sciuisset, quo circa in foro exteriori valida est per testamentum facta donatio sub aliqua ex prædictis conditionibus, vt definitur in c. final. de condit. appos. & tradunt eleganter Mol. d. 285. Lop. lib. 2. de contr. c. 45. Less. l. 2. c. 18. dub. 15. & alij.

2 Secundò dico, quòd in foro conscientiæ donationes, vel promissiones factæ sub aliqua conditione ex prædictis quatuor, conditione non impleta, nullius sunt valoris, quando colligitur voluntatem donantis vel promittẽtis fuisse, vt cõditio adimpleretur. Ratio huius est, quia in hoc casu deficiente

deficiente conditione,deficit donantis, vel promittentis conſenſus.Quando verò eius voluntas ignoratur , neque ſatis ex verbis eius colligitur,tunc donatio, vel promiſſio ſecundum Reg.iuris interpretanda eſt,quia ſic voluiſſe iuri ſe conformare in dubio præſumendum eſt. Alias voluntas donantis , vel promittentis , dum de ea conſtat, pro lege ſeruanda eſt iuxta Rebel.lib.10. q. 16.& alios communiter.

Hinc donatio , vel promiſſio facta mulieri ſub conditione nunquam nubendi, valida eſt in foro exteriori, etiamſi conditio non impleatur , idque in fauorem Matrimonij vt Reſpublica tum augeatur. Vt habetur in leg.Titia ff.de cond.& demoſt.

Dixi notanter (nunquam nubendi)quia valida eſt conditio non contrahendi cum aliqua certa , vel certis perſonis , vel non niſi ad certum tempus, & aliæ ſimiles quæ matrimonium omnino non impediunt;& a fortiori ſi ad magis ſanctè contrahendum adhibeatur.

3 Hinc, ſi teſtator dicat Catharinæ , quòd relinquit ei in teſtamento centum ſi nupſerit,nihil addendo de ingreſſu Religionis, conſequitur legatum , etiamſi Religionem ingrediatur.Et ratio eſt,quia non cenſetur de Religione cogitaſſe,cum id non expreſſerit , ac proinde noluiſſe eam excludere.

Hinc ſi donatio fiat puellæ vt nubat, & illa velit Religionem ingredi vel cælebs perſiſtere,poterit donatione gaudere. Ratio eſt,quia communiter ita donantes eum animum habent , cum ad abſolutè nubendum donant , vt habeat vnde commodè nubere poſſit,ſi velit,non verò vt eo effectu non ſubſecuto,hoc beneficio priuetur.Mol. diſp.207.& Leſſ.lib.2.cap.18.dub.15.

4 Hinc,ſi quis legauerit centum Catharinæ,ſi nupſerit, quinquaginta, verò ſi Religionem ingrediatur, tunc ipſa ingrediente habebit centũ.Et ratio eſt,quia in fauorem Eccleſiæ præſumitur donator non ita tenaciter voluiſſe adhærere conditioni , vt alioquin nulla redderetur diſpoſitio,quando aliud non conſtat,iuxta Med.C.de reſt. qu.23.& Syluеſt. verb. hæreditas 4.qu. vlt.

QVÆST. CXVII.

Hinc colligitur quid ſit dicendum ad illam quæſtionem,qua Titius in teſtamento donat vxori hoc vel illud, ſi caſtè, vel honeſtè vixerit. An valeat iſta donatio cauſa mortis, in euentum quo ipſa ad ſecundas nuptias tranſiuit ?

1 REſpondeo valere. Et ratio eſt, quia nubendo etiam honeſtè, & caſtè vixit.Ita Lop.lib.2.de contr.cap.45.Quod eſt verũ in caſu , quo voluntas dantis ignoratur.Secùs quando conſtat aliter teſtatorem ſenſiſſe;nam comperta voluntas teſtatoris, & iam explorata pro lege ſeruanda eſt.

Hinc mulier quãdo relicta eſt fructuaria bonorum mariti , ea conditione ne fornicetur, ſtatim vt fornicatur,tenetur in conſcientia ſic donatum , vel legatum reſtituere.

Quia ſecundùm Caiet.in ſum.verb.pœna peruentum eſt tunc ad ſtatum , in quo noluit teſtator talia bona ab vxore retineri.

2 Tum quia ſecundum Nau.c. 23.nu.67.talis conditio non eſt appoſita in pœnam, ſed in conuentionem, & pactum, quia intentio teſtatoris fuit vt conditio adimpleretur,ergo conditione non exiſtente,donatio nulla erit.

QVÆST. CXVIII.

An donatio,vel promiſſio facta ob certum finem vel vſum, ſine,vel vſu non ſubſiſtentibus ſit valida.

1 AD hoc dico primò , quod quando aliquis donat ob certum finem , ſi non intendat ad illum finem obligare, ſed ſolùm allicere animum,vel præbere media ad illum conſequendum ſi placuerit , quo ad vtrumque forum valida erit talis donatio, etiamſi finis non aſſequatur. Vt v.g. Titius legauit centum Catharinæ, vt nubat nec aliud expreſſit , illa verò antè nuptias ex hac vita migrauit , vel exiſtens in vita ſtatuit colere cælibatum, vel ingredi Religionem,propter hoc non priuabitur legato, quia non cenſetur teſtator maius bonum voluiſſe impedire , niſi aliundè de contrario conſtet , iuxta Molina , diſp.208. & Leſſ. lib.2. cap. 18. dub. 16.

2 Hinc valida eſt donatio , qua quis donat Epiſcopo ad illiciendum ipſius animum vt beneficium conferat : vel puellæ ad eam turpiter prouocandam, vel mercatori

tori vt ad mutuandum inclinetur, quamuis finis à dante non impleatur. Et ratio eſt, quia iſta non eſt donatio conditionata, ſed abſoluta, facta non animo obligandi, ſed tantum alliciendi ad liberum conſenſum; vnde poterit donum acceptare, etiamſi non intendat præſtare, quod donator exoptat, ſic enim tenet. Molina d. 286.

Secundò dico, quòd ſi is qui donat ad certum vſum, vel finem intendat donatarium ad illum finem, vel vſum obligare, ſi ille vſus, vel finis non præſtetur, irrita erit donatio, ſi ille ſit principalis finis donationis; ſi verò ſit ſecundarius, erit valida, niſi ex circunſtantiis conſtet aliam donatoris mentem fuiſſe. Vt ſi quis det alicui Monaſterio centum ſub aliquo onere, eſt valida donatio, etiamſi Monaſterium onus illud non impleat, quia non cenſetur ille principalis finis donationis, ſed ſalus animæ, ob quam Monaſterio videtur abſolutè donatum, etſi cum onere. Poteſt tamen Monaſterium compelli vt onus impleat, quòd ſi nolit, per ſententiam Iudicis poteſt priuari. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 18 dub. 16.

QVÆST. CXIX.

An donatio ob cauſam facta ſit valida, cauſa non ſubſiſtente?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi quis donet aliquid ob cauſam quam ſubeſſe credit, cum verè hæc cauſa falſa ſit in vtroque foro inualida erit talis donatio, ſi quando donabat, ita erat affectus, vt ſi cauſam falſam eſſe crederet non ſolùm non daret, ſed etiam nullam eſſe donationem vellet, quamuis id exteriùs non exprimat. Ratio eſt, quia donatio vt omnino ſit valida, debet eſſe plene voluntaria, atqui talis donatio eſt inuoluntaria: procedit enim ex errore, qui ſi non eſſet, donatio non fieret, ergo. Sic enim tenet Leſſ. lib. 2. cap. 18. dub. 17. Nauar. cap. 18. num. 6. & Syluester verbo pactum quæſt. 4.

2 Dixi notanter (ſi non ſolùm donaret, ſed etiam vellet donationem eſſe nullam) quia interdum fieri poteſt, vt quiſpiam ita ſit affectus, vt ſi ſciret cauſam, ob quàm ad dandum mouetur eſſe falſam, non daret, tamen quia dedit, non vult talem donationem eſſe irritam, vt regulariter dicendum videtur de minutis Eleemoſynis, quas ob fictam paupertatem, vel ſanctitatem ſycophantæ extorquent.

Hinc ſi quiſpiam donatione inter viuos ſic daret, do tibi hunc equum, quia heri pro me celebraſti, ſi in rei veritate reperiatur, quòd pro eo non celebraſti, donatoris intentio erit conſulenda, quòd ſi non poſſit cognoſci talis intentio, tunc quod ſic donatum fuit debet reſtitui, quia præſumitur, quòd illa de cauſa facta fuit talis donatio.

3 Dixi notanter (donatione inter viuos) quia ſi quis donaret cauſa mortis dicens lego tibi centum, quia vt bonus amicus egiſti negotium meum, valida erit talis donatio in vtroque foro, licèt non egeris dictum negotium, quia ſi teſtator nollet talem donationem facere, exprimeret voluntatem ſuam.

Tum quia hæc donatio eſt magis fauorabilis, quam donatio inter viuos, vt docet Lop. lib. 2. de contract. cap. 45. & p. 2. inſtr. conſ. cap. 28.

4 Hinc ſi quis ſua leuitate deceptus, putans Caium eſſe filium ſuum, cum non ſit, inſtitueret eum hæredem, in vtroque foro inualida erit talis donatio. Ratio eſt, quia licet conſtet de perſona, tamen intentio donantis in teſtamento fuit inſtituere filium ſuum hæredem, & idcirco Caium, cum non eſſet eius filius, hæredem inſtituere noluit, quia præſumitur quòd iſtum, ſi ſciret teſtator non eſſe filium ſuum, non inſtituiſſet. Secùs ſecundùm Syluest. verb. donatio quæſt. 6. ſi ſuum filium eſſe non crederet, licet filium nominaret.

5 Secundò dico quòd quando cauſa, ob quam quis ad dandum mouetur, vera eſt, licet alia ſe lateant, quæ ſi pro comperto haberet nullatenus daret, valida erit donatio. Vt v. g. dono centum Berthæ, quia conſanguinea eſt, vel verè pauper, cuius tamen peccata occulta, ſi ſcirem, nullo modo darem. Ratio huius eſt, quia falſa credulitas de eius ſanctitate, non eſt cauſa donationis, ſed conſanguinitas, vel paupertas quæ verè ſubſiſtunt. Alioquin ferè omnes donationes eſſent incertæ. Ita Med. C. de reſtitutione quæſt. 24.

QVAE

QVÆST. CXX.

Petes, cui reſtituendum ſit, quòd ob fictam ſanctitatem, vel paupertatem extortum eſt, ſi donator putetur donatario velle hoc onus imponere?

1 SCotus in 4.diſt.15.quæſt.2. art.3. Adr. in 4.tract.de reſt.q.15.Med.C.de reſt. q.24.& Nauar. cap.17. num.107. docent id eſſe conferendum in alios pauperes, vel in alios pios vſus.Quia donator illud iam à ſe alienauit, accepturus pro eo mercedem, non ſecùs ac ſi verè pauperi dediſſet.

Sotus lib.9. de Iuſt.q.7.art.3. ad 4. putat eſſe reſtituendum donatori. Ratio ipſius eſt, quia hic non intendit dare Chriſto,niſi quatenus intendit donare huic pauperi.

2 Sed poſſunt hi Doctores conciliari, ſi dicamus eſſe reſtituendum donatori, ſi is ſit notus, & res magni valoris, & ipſe putetur velle vt ſibi reſtituatur. Alioquin, ſi res ſit parua, vel ignotus qui dedit, vel ſi putetur velle illud aliis pauperibus dari, illis dandum eſt.

QVÆSTIO CXXI.

An donatio modalis, modo non exiſtente, ſit valida?

1 REſp. eſſe validam, quando talis modus non eſt cauſa principalis vel finalis donationis, ſed impulſiua, facit ad hoc l. Meuius, ff. de manumiſſ.teſt. vbi libertas legata fuit tribus ſeruis vt alternis vicibus luminaria accenderent ſuper teſtatoris ſepulchrum,& tamen ibi donatio libertatis cenſetur valida, quamuis non impleatur modus, quia lex non conſiderauit modum,vt cauſam finalem datæ libertatis, ſed vt cauſam impulſiuam.Secùs autem eſt ſi modus fuit cauſa finalis, vel principalis donationis,quia tunc modo non exiſtente, donatio erit inualida etiam in foro conſcientiæ.

2 Aduertit tamen hic Sylueſt. verb. donatio 1.quæſt. 15. quòd in caſu dubij, quando donatio eſt facta in piam cauſam, fauore piæ cauſæ interpretabitur pia cauſa pro cauſa finali.

QVÆST. CXXII.

Quid? ſi quis alicui debitor erat, immemor tamen talis debiti,aliquid creditori ſuo donat;an in ſolutionem talis debiti donare cenſeatur?

1 REſpondeo quòd ſtando in iure ciuili communi præſumitur potius in cõpenſationem debiti dediſſe, quàm donaſſe. At in foro animæ ſi donator adhuc viuit, eius intentio eſt conſulenda,vt ſe explicet. Num compenſandi, vel donandi animum habuerit.

2 Hinc. Titius qui in teſtamento relinquit cẽtum Catharinæ, quam dotare tenebatur, videtur illa relinquere in ſolutionẽ dotis, quia cum ſit debitum, quòd de iure debetur, ita præſumitur in foro ciuili, ſcilicet animo ei recompenſandi debitum reliquiſſe. Nauar. cap.17.num.150.

Hinc,ſi quis pauperi domi alimenta miniſtrauit, animo eum gratis alendi, amore Dei, non poteſt poſtea mutata voluntate alimenta petere,ſi animo donandi ea pauperem nutriuit, ſecùs ſi animo ea repetendi fecit.

QVÆST. CXXIII.

An ſi Titius teſtatorem induxit ad ſibi donandum,quòd pro dote alteri ſtatuerat, ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 REſpondeo ſi teſtator non tenebatur donare,ſed pro ſuo libito rem ſuam parabat legare alteri,tunc ſi Titius ſine vi, vel metu,aut mendacio, aliiſque viis contra iuſtitiam induxit,vt ſibi magis donaret, quàm alteri, nullum peccatum commiſit, nec ad aliquam reſtitutionem obligabitur. Secùs ſi per vim metum, vel fraudem tale donum obtinuiſſet.

Idem dicendum eſt, quando precibus importunis,& exorbitantibus aliquis mentem infirmi auerteret. Ita Lop. lib. 2. de contract.cap.43.

QVAEST CXXIV.

An donatio facta à delinquente antè, vel poſt crimen commiſſum,ſit valida?

Digitized by Google

1 AD hoc dico primò quòd donatio facta a delinquente ante delictum commissum per quod ipso iure perdantur bona, etiamsi fiat in fraudem fisci, valida est in conscientia, licèt postea delinquat, & contra eum iudex ferat sententiam declaratoriam. Si verò postea appareat fraus, valet quidem donatio, sed potest a fisco reuocari.

2 Secundò dico quòd stando in foro externo in causa criminis, ob quod bona ipso facto publicantur, donatio, vel alienatio facta a delinquente post crimen commissum, præsertim post accusationem non valet, quia præsumitur talis alienatio facta metu pœnæ.

Tertiò dico quòd donatio, vel alienatio facta a delinquente post delictum commissum, & sententiam condemnatoriam contra eum latam, est ipso iure nulla. Et ratio est, quia post sententiam iudicis, fiscus habet ius acquisitum ad bona delinquentis.

3 Quartò dico quòd talis crimnosus ante condemnationem donare potest, etiamsi in notitiam fisci id sit peruenturum: sed titulo oneroso nihil potest expendere nisi tantùm ad victus necessarios, vt cum Vict. in relect. de Indis, & Nau. resoluit Lop. lib. 2. de contract. capit. 42.

Quintò & vltimò dico quòd longè verior est eorum opinio, qui putant talem crimnosum ante legitimam iudicis sententiam, esse dominum suorum bonorum, vt post Vict. Sot. & Ban. Egregios Thomistas resoluit Nau. c. 23. num. 99. ac proindè si eius crimen sit adeò occultum, vt verisimiliter nullus sit metus, quod sit propalandum, poterit talis delinquens non solùm titulo gratuito, sed etiam titulo oneroso bona sua distrahere. Ratio est, quia in hoc casu nemini nocet, nam donando vel alienando non donat, aut distrahit alienum.

QVAESTIO CXXV.

An cui per donationem, aut promissionem fit obligatio dare centum Ecclesiæ Beatæ Mariæ Montis Regalis, vel tali pauperi, possit illa centum alteri pio loco, vel pauperi donare?

1 AD hunc quæstionem dico primò, quòd si talis promissio, vel donatio facta fuit per modum voti, hoc est principaliter propter Deum, & talis promissio vel donatio est secreta, per quam nullam Ecclesia, vel pauper habet contra promittentem actionem, propter is, qui promisit talem promissionem in melius commutare propria authoritate applicando illa centum alteri operi magis pio, vel donando illa pauperi magis fame morientibus. &c.

Dixi in melius, quia in æquale, vel in minùs bonum necessaria est Episcopi authoritas, absque consensu illius personæ, vel ecclesiæ, modò cauta subsit ex parte promittentis, puta quia persona est malæ vitæ, vel ecclesia malè officiata, vel destructa.

2 Secundò dico quòd si talis promissio vel donatio facta per modum voti, est iam manifesta, & Prior Ecclesiæ B. Montis Regalis, vel pauper illius promissionis conscius, ei gratias agit, acceptando illam, tunc qui sic promisit dare illa centum, illa alteri dare non potest contra eius voluntatem, nisi qui superior esset illius personæ, vel Ecclesiæ qui posset de eorum bonis disponere, & tollere vni, & dare alteri, tunc dispensaret, vt alteri illa centum darentur. Sic Nauar. cap. 12. num. 78. Caieta. in opuscul. tom. 2. tract. 11. quæst. 3. Sylu. verb. votum 4. qu. 7. & alij.

Tertiò dico quòd si huiusmodi promissio quæ fit alicui determinatæ personæ, non per modum voti, est rata, & acceptata ab eo cui fit, tunc qui sic promisit dare illa centum, illa alteri dare nequit eo renitente. Et in hoc casu ea promissio Episcopi authoritate commutari, vel relaxari non potest.

3 Dixi (rata, & acceptata) quia ante acceptationem potest pro libito illam reuocare, ac proinde alteri illa centum dare. Ita Couar. lib. 1. var. ca. 14. num. 16. & Lop. lib. 2. de contr. ca. 43.

Hinc non est audiendus in hac parte Caiet. qui vt refert Rebell. p. 2. de oblig. lib. 18. qu. 1. ait promissionem factam homini de re bona, licèt maioris boni impeditiuam, esse in vtroque foro inualidam, quia vt communis theologorum schola testatur, hæc est differentia inter promissionem Deo, & homini factam, quod facta homini de minori bono teneat, eo quòd minus bonum interdum homini magis est gratum, quam maius bonum; facta verò sit irrita, eo quòd minus bonum ei placere nequeat. Vnde illud cuius contrarium est melius;

materia voti esse non potest secundùm Nauar.cap.12.num.25. & omnes alios.

QVÆSTIO CXXVI.

An Titius qui Caio parato dotare Catharinam, dixit, desine eam dotare, quia ego eam dotabo, teneatur ex debito iustitiæ eam dotare?

1 RESp. teneri. Ratio est, quia nisi impleat, quod dixit, videtur Titius mendacium perniciosum protulisse. Et hæc de donationibus, & promissionibus theologo sufficiant.

DE RESTITVTIONE FAMÆ.

DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

DE hac materia tractant Doctores Scolastici in 4. d.15.D.Tho. 2.2.qu.62.art.2.& qu.73.& Illustriss.Cajet.ibidem, & in summa verbo detractio. Sot. lib.4. de iust.qu.6.art.3.& lib.5.qu.10.Ban.2.2. qu. 62.art.2.& qu.73.Mol.tom.5.de iusti.tract.4. disp.1.Arag.2.2.q.62.art.2.& q.73.Petr.Nau. lib.2.de rest. ca.4.Rebel.h.p.de oblig.lib.4. Less.lib.2.de iust.c.11.Salon.2.2.qu.62. art.2. & q.73.Valen.to.3.disp.6.Ledesm.2.4.qu.18. Barth. Med.lib.1.instruct.conf.ca.14. Tolet. lib.5.summæ cap.68. D.Nauar. in Man.cap. 18. Summistæ verò vt Tab. Ang. Sylu. Armil. & alij verbo detractio, & verbo restitutio.

Et vt à definitione eius exordiamur quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Quid sit fama?

1 RESp.quòd est multorum existimatio de laudabili, & honesta vita alterius.Dixi(existimatio multorum)quia paucorum existimatio nec bonam, nec malam famam facit,sed opus est,vt in maiori parte,vt saltem in multis resideat.Sermo etiam de vita,& moribus alterius,& rumor fama dici solet, nempè à fando, sed potissimum in bona opinione interiori, id est in aliorum mentibus consistit.

2 Additur (de laudabili, & honesta vita) quia fama prout hîc sumitur, potissimùm consistit in opinione virtutis, & sapientiæ, quæ sunt propria hominis bona, ob quæ sola est laude dignus. Secundariò autem in opinione ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, potentiæ, diuitiarum & similium, quæ etiam magni æstimantur apud homines, qui & famam ex hisce quærunt. Et ita fama læditur per detractionem, in qua aliorum vita verè, vel falsè denigratur.

3 Ex quo colligitur famam differre ab honore, ex eo quod fama est bona opinio, quam in animo de alterius virtute, vel excellentia habemus. Honor autem est cultus, & reuerentia exteriùs homini exhibita virtutis, & dignitatis causâ, vt docet S. Thom. 2.2.quæst. 103. art.1. vel est testificatio quædâ de excellentia alterius; immediatè tamen est testificatio nostræ bonæ existimationis, quam habemus de excellentia alterius, cum quadam nostri submissione, & mediatè ipsius excellentiæ, nam signa externa immediatè significant nostros conceptus,& affectus, mediatè res ipsas. Hoc autem fit, vel verbis,vel signis. Verbis vt cum quis alterum appellat sanctum, prudentem, eximium, clarissimum &c. Signis autem vt genuflexione, capitis inclinatione, cessione primi loci &c. qui enim cupiunt honorari, nihil aliud optant, quàm talia signa suæ virtuti, dignitati, vel excellentiæ exhiberi.

4 Ex quo fit, vt honor sit excellentius bonum, quàm fama, quia honor includit famam, seu opinionem excellentiæ & eius testificationem. Vnde iure optimo Arist.4. eth. cap.3. docet honorem esse maximum inter bona externa, quia vt ipse ait, principatus, & diuitiæ propter honorem sunt optabilia.

QVAEST.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

Quid ſit detractio?

1 RESP. quòd eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta denigratio, ſeu ablatio. In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima eſt (ablatio) quia detrahere, eſt auferre aliquid à proximo.

Secunda eſt (famæ) quia qui detrahit, aufert bonam famam, & opinionem quam aliquis apud alios habet.

Tertia eſt (iniuſta) quia iuſtè aliquem accuſat de crimine, vel condemnat, famam aufert, non tamen detrahit ergo vt ablatio famæ ſit detractio, iniuſta eſſe debet.

Quarta & vltima pars eſt (occulta) quæ ponitur ad differentiam contumeliæ, quæ regulariter in præſentia, ac manifeſtè fit; detractio verò in abſentia, & occultè iuxta illud Eccl. 10. ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil illo minus habet qui occultè detrahit.

2 Ex quo colligitur detractionem cæteris paribus eſſe minus peccatum, quam contumeliam. Ratio eſt, quia detractio eſt peccatum contra famam, contumelia vero eſt contra honorem: ſed honor eſt bonum famâ præſtantius, ergo detractio eſt minùs peccatum, quàm contumelia. Deindè detractio eſt minùs contra voluntatem alterius, nam occultè, & in abſentia proximi aufert famam, ſed contumelia in præſentia, ac manifeſtè contra eius voluntatem, honorem aufert. Vndè eadem verba prolata in abſentia etiam animo detrahendi, non ſatis erunt ad conſtituendum peccatum mortale detractionis, quæ tamen ſi in præſentia dicerentur, contumeliæ mortalis notâ damnarentur. v. g. ſi in abſentia dixit Titium fuiſſe mentitum, vel appellauit canem, vilanum, *ciera di boia*, & ſimilia regulariter à peccato mortali excuſatur, niſi fortè animum inferendi notabilem iniuriam habuerit, à quo tamen ſi in faciem ei diceret, rarò foret excuſandus, niſi fortè id faceret animo corripiendi tanquàm pater, dominus, vel prælatus, aut Magiſter, qui authoritatem corripiendi habent.

QVÆSTIO III.

An detractio ſit peccatum mortale, atque adeò contra iuſtitiam?

1 AD hoc dico primò quòd detractio formalis qua quis deditâ operâ, & expreſſâ intentione alterum infamat ex genere ſuo eſt peccatum mortale contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia illud peccatum eſt mortale, atque adeò contra iuſtitiam quod in re graui proximum lædit: atqui detractio eſt huiuſmodi, quia aufert famam, quæ eſt maximum bonum, ergò. Vnde Pſal. 100. dicitur, detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Et ad Rom. 5. detractoras Deo odibiles. & Iacob. 4. nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit fratri, detrahit legi, id eſt contemnit eam vt exponit D. Thom. 2. 2. quæ. 74. art. 2. Dixi notanter (ex genere ſuo) quia detractio in tribus caſibus poteſt eſſe peccatum veniale.

2 Primò ex paruitate materiæ, in qua quis intendit famam alterius lædere: poteſt autem eſſe leuis materia tripliciter. Primò ex parte rei, vt cum quis infamatur de mendacio iocoſo. Secundò ex parte perſonæ difamatæ, vt cum iuuenis infamatur de amore laſciuo, vel de duello, hic enim non habet hæc omnia pro infamia. Tertiò ex parte perſonæ, apud quam fit infamatio, vt ſi fit apud virum plebeium.

Secundò poteſt eſſe peccatum, veniale ex parte intentionis detrahentis, quia ſcilicet infamator non intendit infamare proximum, ſed ex quadam animi leuitate. Quod intelligitur quando ex tali verbi prolatione non ſequitur notabile damnum ei, cui detrahitur.

Tertiò & vltimò ex defectu plenæ deliberationis, quam ferè linguæ celeritas præcurrit.

3 Secundò dico quòd detractio materialis qua quis dedita opera non vult alterum infamare, ſed tantùm incautè, & ex animi leuitate dicit aliquid de proximo, quod attentis circunſtantiis reuerà ipſum infamat, eſt peccatum mortale, ſi malum quod de proximo dicitur, eſt graue, & infamatorium. Ratio eſt, quia hic voluntariè, indirectè tamen illum infamat, quatenùs poterat, & tenebatur abſtinere à tali colloquio alterum infamante, & non abſtinet, reddit enim actus in naturam ſuæ formæ, cum ſua culpa datum ſit damnum.

QVÆSTIO IV.

Quot modis detractio committatur?

1 RESP. octupliciter. Quorum quidam sunt directè, & quidam indirectè. Modi detrahendi directè sunt quatuor.

Primus quando imponitur crimen falsum, de quo dicitur Eccles. 11. attendè tibi à pestifero, fabricat enim tibi malum.

Secundus quando verum crimen augetur, de quo dicitur Eccles. 11. ab vna scintilla augetur ignis, & à doloso augetur sanguis.

Tertius quando vitium occultum reuelatur, de quo dicitur Eccles. 27. qui denudat arcana amici, perdit fidem.

Quartus quando quod bonum est, sinistra dicitur intentione factum, sicut dicitur Eccles. 11. bona in mala conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam.

2 Modi autem detrahendi indirectè sunt etiam quatuor.

Primus quando quis negat bonum alterius. Quomodo peccauerunt illi qui Io. 9. negarunt miraculum Cæci nati fieri à Christo.

Secundus quando illud diminuit.

Tertius quando illud silet, tempore, quo manifestare illud tenetur.

Quartus quando ita ieiunè laudat, vt laus in vituperium, atque infamiam laudati cedat. Vnde Phauorinus apud Gellium. Turpius inquit, est, exiguè atque frigidè laudare, quàm insectanter, grauiterque vituperare, ironiam qui maledicit, quantò id acerbius facit, tanto magis pro iniquo, inimicoque dicitur, tantòque minùs fidem capit. Quod intelligitur quando alter talem laudem meretur, & ipse eum commodè laudare potest.

QVÆSTIO V.

An qui infamat seipsum, peccet mortaliter contra iustitiam?

1 CAIE. 2.2. qu. 73. art. 2. & in sum. verb. detractio cap. vlt. tenet hunc ex genere suo peccare mortaliter contra iustitiam, etiamsi id faciat metu tormentorum, fundamentum ipsius est, quia nemo est dominus suæ famæ, magis, quam vitæ: vnde sicut qui occidit seipsum peccat mortaliter contra iustitiam, ita qui seipsum infamat.

2 Ex quo colligit primò, esse grauius peccatum infamare seipsum, quàm proximum, eo quòd homo teneatur strictiùs diligere famam suam propter Deum, & Rempublicam cuius est membrum, quam famam proximi.

Secundò colligit, hominem teneri ex iustitia ad reuocandum dictum tuum, & ad restituendam sibi famam ablatam.

Sed his non obstantibus, concors Theologorum sententia est in contrarium, pro quo.

3 Primò dico, quòd qui infamat seipsum ex causa nulla, & honesta, nullum peccatum committit, quin potius exercet actum virtutis, vt cum quis confessori suo peccata manifestat, vel etiam extra confessionem ad capiendum consilium, vel leuandam tristitiam, vel tentationis, & proximi ædificationis gratia detegit suum crimen theologo, vel amico, quod non raro sancti fecisse leguntur, vt D. Aug. in lib. suarum confess. D. Anselm. D. Amb. & alij. Vnde in nostra Congregatione, causa emendationis, & humilitatis ille mos seruatur, vt Religiosi defectus sibi ipsis tam culpæ, quam naturæ publicè in capitulo referunt. Ratio huius est, quia homo est dominus propriæ famæ, ergò potest ex rationabili causa eam amittere, vt tenet S. Tho. 2.2. qu. 73. art. 4. Sot. lib. 5. de iust. qu. 10. art. 2. Val. tom. 3. d. 5. qu. 17. punct. 2. Petr. Nau. lib. 2. de rest. num. 108. & communis. Hinc, qui peccatum suum prodit, cum videt alteri falsò imponi, vel tacet, cùm sibi crimen imponitur, quod alius fecit non peccat, sed potiùs meretur.

4 Secundò dico quòd qui sine aliqua iusta causa famam sibi adimit, detegendo suum crimen verum, sed occultum, peccat tanquam prodigus, dissipator, ac contemptor famæ suæ, ageus contra illud Eccles. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi. Ratio est, quia qui bona exteriora perperam expendit peccat peccato prodigalitatis, ergo a fortiori qui bonum nomen, & famam, quæ pretiosiora, sunt omnibus diuitiis. Petr. Nau. lib. 2. de restit. num. 120. Sot. lib. 5. de iust. qu. 10. art. 2. & alij.

Tertiò dico quòd qui sine causa infamat seipsum, suum crimen verum reuelando ex genere

Digitized by Google

genere non peccat mortaliter contra charitatē non obligat hominē ad bona externa huius vitæ comparanda, nisi quatenus sunt necessaria ad profectum spiritualem vel nostrum, vel proximi, ergo non obligat ad famam conseruandam, si ipsa per se sumpta consideretur.

5 Deinde prodigalitas pecuniæ, & bonorum externorum ex genere suo non est peccatum mortale, sed solùm veniale contra liberalitatem vt colligitur ex D.Thom. 2.2.qu.119.art.2.& 3.ergo cum fama sit etiā quoddam bonum externum nostris artibus, & labore acquisitum, eius profusio non erit contra charitatem, sed solùm veniale peccatum prodigalitatis. Ita Sot.lib. 5.qu.10.art.2. Nau.ca.18.num. 27. Cou.lib.1. var.ca.2.num.8.Mol.tom.5. de iustit.tract.4. d. 37. & alij.

6 Quartò dico quòd qui sine vlla causa,& ratione famam sibi admit reuelando crimen verum, vel falsum sibi imponendo, non peccat contra iustitiam.Ratio est,quia homo est dominus suæ famæ, ergò illam dissipando nulli facit iniuriam.

Tum quia iustitia, & iniustitia solum est ad alterum, hominis enim ad seipsum esse non potest. Ita Sot.lib.5.de iustit. qu.10.art. 2.Nauar.ca.18.num.28. Salom.2.2.qu.62.art. 2. Val. tom.3. disp.5.qu.6.p.5. Mol.tom.5.de iust.disp.37.Petr.Nau.lib.2.de rest. ca.4.nu. 113.Tolet.lib.5. suæ summæ ca.66.& alij.

Dixi notanter (ex genere suo non esse peccatum mortale infamare seipsum) quia ex adiuncto in multis casibus est peccatum mortale.

7 Primò peccat mortaliter, quando homo reuelans sua peccata, licèt non læsiua sui honoris, de illis tamen gloriatur, & sibi complacet iuxta illud Psal.51.Quid gloriaris in malitia?

Secundò quādo quis verè,vel falsò seipsū infamat de crimine aliquo insigni,& enormi,vt de crimine læsæ Maiestatis diuinæ,& humanæ, de peccato nefando &c. tunc enim (quidquid contra hoc obmurmuret Petr.Nau.lib.2.de rest.ca.4. num.121.) peccat mortaliter propter scandalum,& damnum, quod exinde sequi solet. Ita Sot. lib. 4. qu. 6. art. 3. Arag. 2. 2. qu. 62. de dominio Nauar. ca. 18. num. 28. Salon. 2. 2. qu. 62. art. 2. & Tolet. lib. 5. ca. 66.

8 Tertiò peccat mortaliter,quando falsum de se crimen profert cum iuramento. Et ratio huius est,quia omne iuramentum falsum etiam non pernicioſum peccatum mortale est. Ita Petr.Nauar. lib.2. de restitutio. ca. 4. num. 125. & communis.

Quartò peccat mortaliter, quando ex sua infamia sequeretur notabile scādalum, vel sibi, vel proximo. Sibi quidem,vt si ita infamatus non posset se continere à culpa lethali, tunc lethalis esset culpa,illam prodigere. Proximo verò, vt si ex peccato lethali alicuius credito, sequeretur imitatio aliorum. Ita Molina tom. 5. de iust. d. 37.

9 Quintò quando talis infamia redundat in damnum propriæ vitæ, aut membri, vt si detegat peccatum, vel sibi imponat, ob quod sua, vel aliorum damnatio sequeretur, aut membri mutilatio, tunc enim sine dubio peccaret mortaliter sine causa crimen propalando,quia hoc non solùm esset famæ, sed etiam vitæ profusio, & esset alteri dare causam peccandi. Ita Roder. p. 1. sum. ca. 253. num. 4. Couar. lib. 1. var. ca. 2. num. 8. Nau. ca. 18. num. 28.Molin.tom. 5.disp.37.& Petr.Nauar.lib.2.de restit. cap. 4. num. 126.

Sextò quando ex tali infamatione alij eiusdem status simili vitio laborare crederentur, vt si Religiosus sua flagitia laicis reuelaret,ex quo Religio,vel Monasterium infamaretur,tunc enim infamia non solùm esset contra charitatem, sed etiam contra iùstitiam, quia fama Religiosi non tam est sua, quàm Religionis, cui cedere non potest,vt enim experientia constat,solent homines ex vnius vitio, alios diiudicare, & contemptui habere,vt testatur D. August. epist. 137.ca.2.ad plebem Hyponensem, dicens, cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur aliquid criminis vel falsi sonuerit,vel patuerit,instant,satagunt, ambiunt,vt de omnibus credatur.Ita Mol.tom. 5. de iust. disput. 37. & Roder. p.1. summæ cap. 254.

10 Septimò quando qui se infamat est persona publica,cuius fama esset maximè subditis necessaria, & infamia pernicioſa cedens in detrimentum boni publici cuiusmodi est Episcopus, Parochus, Abbas, Prior, & quiuis alius Magistratus Reipublicæ, hi & similes peccabunt mortaliter, non solùm contra charitatem, vt astruit Petr. Nauar. lib. 2. de restitutio. capit. 4. num. 123. prodigendo famam cum notabili aliorum pernicie, sed etiam contrà

Digitized by Google

iuſtitiam, vt docet Valentia tom. 3. diſp. 5. quæſt. 17.par.2. Nauar.cap.18.num.20. Arago. 2.2. quæſt.62.tractat. de dominio,& Salon. quæſt. 3.de dominio articu. 3. Et ratio huius eſt,quia quo iure quis tenetur ad aliquid faciendum,vel conſeruandum,eodem tenetur ad media, quæ ad id ſunt neceſſaria. Sed perſona publica tenetur ex iuſtitia curare vitam ſpiritualem vel corporalem ſuorum ſubditorum, necnon bonum commune, ergò etiam ad tuendam ſuam famam, quando ſuo muneri eſt neceſſaria.

11 Addit autem, & rectè Leſſ. lib.2.de iuſt. capitu. 11. dub. 6. in hoc caſu ſe infirmare, aut famam ſuam negligere, non eſſe per ſe contra iuſtitiam, ſed velle munus Prælati cum hac infamia, qua factus eſt inhabilis, retinere. Vnde ſi Maiores volunt eum deponere, vel ipſe ſponte ſe abdicare, aut nouis virtutum actibus infamiam vincere, vt ſuo officio non obſit, ſuam famam negligere, aut ſe infamare,non erit peccatum contra iuſtitiam.

Octauò & vltimò, quando eius infamia in aliorum infamiam, & damnum temporale redundaret, quo pacto, diſpoſitione iuris,filij infamiam contrahunt ex paterno crimine hæreſis,& efficiuntur inhabiles ad officia, & beneficia, tunc enim peccaret etiam contra iuſtitiam cum onere reſtituendi famam læſis. Ita Rebell. par. 1. de oblig.lib.4.quæſt.5.Leſſ.lib. 2. de iuſtit.cap. 11.dub.6.Petr.Nauar.lib.2.de reſtitut.cap.4. num.128.Molin.tom.5.de iuſt.diſp.37.Tolet. lib. quinto, capit. 66.& alij.

QVÆSTIO VI.

An qui propter metum, & tormenta ſeipſum infamat, peccet mortaliter?

1 IN hac quæſtio. Caiet.2.2.qu.73.art.2.& in ſum. verb. detractio cap. vlt. affirmat eum peccare mortaliter.

Sot.lib.5.qu.10.art.2.Sylu. verb. detractio qu.3.Ang.ibidem nu.9.& Tab.de eod.verb. num.6.dicunt eum non peccare mortaliter, ſi tormenta ſunt magna & grauia, ſed tantùm peccare venialiter.

2 At Barth. Medin. in ſua inſtructio. conf. lib.1.ca.14.§.35. & Nau.cap.18.num.46. docent hunc peccare mortaliter, quando crimen, quod ſibi imponit eſt atrociſſimum, vel turpiſſimum,qualia ſunt hæreſis,vel læſæ Maieſtatis crimen,proditio patriæ, peccatum nefandum &c. Si verò ſint alia crimina non peccare niſi venialiter.

Pro reſolutione tamen huius quæſtionis dico primò, quòd qui ob vitanda parua,& breuia tormenta confitetur crimen, quod non commiſit, ob quod eſt morte plectendus, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia quiſque tenetur ſub mortali conſeruare propriam vitam, etiam cum aliquo dolore & incommodo, maximè quando mortem non eſt commeritus.

Tum quia in hoc caſu,ſine cauſa dando occaſionem ſuæ mortis, moraliter ſe occideret.Mol.tom.5.de iuſt.d.37.& Leſſ.lib.2. de iuſt. ca. 11. dub. 7.

3 Secundò dico quòd qui iniuſtè rogatus ob leuia tormenta detegit verum ſuum crimen occultum, ob quod eſt ſuſpendendus, non peccat. Ratio eſt, quia iſte meretur mortem, ergò poteſt eam ſibi optare, & procurare, ſi bonum finem propoſitum habeat, nempè vindictam ſui criminis exemplum, & terrorem aliorum, & vt tollat peccandi conſuetudinem, quam alia via vix ſperat poſſe deſerere. Dixi (ſi bonum finem propoſitum habeat) quia ſi ex quadam animi mollitie, quod paruos cruciatus nequeat perferre,crimen ſuum detegeret, ſecluſo ſcandalo,& aliorum detrimento peccaret venialiter, vt Sot.lib.5.de iuſt. qu.10.art.2.Mol.tom.5. de iuſt.d.37. & Petr. Nauar.de reſtit.num. 134.

4 Tertiò dico quòd qui vt mortem euadat, falsò ſibi crimen imponit, ſolum peccat venialiter,quando ex ea criminis illius impoſitione,non ſequitur notabile ſcandalum aliorum. Ratio eſt quia talis confeſſio non eſt ſibi cauſa mortis, ſed potiùs id efficiendo ſeipſum eripit à corporis morte. Mol. d. 37.

Quartò dico,quòd qui ad euitanda leuia tormenta reuelat crimen ſuum occultum, vel falſum ſibi imponit,non peccat mortaliter, ſi nullum aliud grauius incommodum inde ſequitur. Ratio eſt, quia quiſque eſt dominus ſuæ famæ: ergo ſicut eam ſine cauſa prodigere ex obiecto, & natura,non eſt mortale peccatum, ita multo minùs mortale erit, ſi ob aliquam cauſam, licèt non omninò iuſtam, eam prodigat, vt ait Leſſ.lib.2.de iuſt. cap. 11. dub. 7. Quod arbitror eſſe verum, quando non putat alte-

Digitized by Google

ri nocituram in ſpiritualibus, verbi gratia, ſi quis apud multos haberetur in magna exiſtimatione, & haberet crimen occultum, quod ſi propalaret illi, ad hæreſim conuerteretur, potiùs talis mortem deberet pati, quam reuelare.

5 Quintò dico, quòd qui metu grauiſſimorum tormentorum falsò ſibi crimen imponit, ſolùm venialiter peccat, etiam ſi ob id ſit morte puniendus. Ratio eſt, quia ſolùm eſt mendacium officioſum, ſiquidem in huiuſmodi caſu, mentitur, vt ſe liberet ab ingenti cruciatu.

6 Tum quia nullus tenetur cum tanto cruciatu vitam tueri, ſed poteſt breui morte, longam, & acerbam mortem redimere, imò potiùs multas mortes cum vna ſimplici commutat; talia enim tormenta pati, eſt longâ quadam & multiplici morte mori. Quod intelligitur quando id facit ſine iuramento, nam vt omnes Doctores tradunt, periurium omne, crimen mortale eſt. Ita Sot. lib. 5. de iuſtitia, quæſtio. 10. art. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſtitia, cap. 11. dub. 7. Nauar. in cap. inter verba 11. quæſt. 3. num. 6. Tolet. lib. 5. ſum. cap. 66. & Petr. Nauar. lib. 2. de teſt. num. 133.

QVÆSTIO VII.

An qui metu mortis, aut tormentorum ſibi falſum crimen impoſuit, ob quod eſt interficiendus, teneatur ſe retractare, vt ablatam ſibi famam reſtituat?

1 CAiet. gloria Thomiſtarum in ſum. verb. detractio, tuetur partem affirmatiuam ex ea ratione ductus, quia putat nullum habere dominium ſuæ famæ, ac proinde quemque eſſe obligatum ad reſtituendum ſibi famam.

2 Sed hoc non obſtante, concors eſt Theologorum ſententia, Soti lib. 5. de iuſt. quæſt. 10. art. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 7. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. num. 143. Sylueſt. verb. detractio quæſt. 3. & omnium recentiorum hunc non teneri recantare, nec eo modo ſibi reſtituere famam, ſi prudenter metuit ſe iterum eadem, aut grauiora tormenta perpeſſurum, ſi crimen deneget, ſed poteſt ſine peccato mortali in eo perſiſtere, & mori. Ratio eſt, quia non tenetur cum tantis tormentis, & iacturâ ſeruare vitam, neque tenetur ſuum dictum reuocare, vt reſtituat famâ familiæ, aut Reipublicæ, quia fama eſt principaliter propter ipſum, qui infamatur, & minùs Principaliter propter alios, principalis autem liberè vti poteſt iure ſuo, & cedere, nec tenetur cum tanto ſuo incommodo aliorum famæ conſulere.

QVÆSTIO VIII.

An qui metu tormentorum ſeipſum infamauit, teneatur ſaltem in extremo vitæ, quando eſt ſupplicio afficiendus, ſuum dictum reuocare?

1 SYlu. verbo detractio, quæſt. 3. tenet hunc ad id obligari, quia tunc non adeſt ampliùs periculum patiendi noua alia tormenta.

Sed contrarium eſt verius, ſi ea reuocatio non prodeſſet, ſicut ordinariè nihil poteſt, vt docet Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. num. 135. Leſſ. libr. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 7. Tolet. lib. 5. ſum. capitul. 66. & alij.

2 Recipi autem poteſt opinio Sylueſt. 1. in euentu, quo quis ſe infamauit de aliquo crimine enormiſſimo, & ſcandaloſo, vt de peccato hæreſis, de peccato nefando &c. in quo caſu diximus ſuprà eſſe peccatum mortale de hiſce peccatis ſe infamare.

Secundò recipi poteſt in euentu, quo ſe retractando, poſſet ſeipſum à morte liberare, tunc enim in patibulo poſitus ratione vitæ conſeruandæ teneretur dictum ſuum reuocare, & fateri veritatem.

QVÆSTIO IX.

An qui mortis metu, aut tormentorum aliis crimen falſum imponit, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum qui ad mortem, aut grauiſſima tormenta euadenda, aliis crimen notabile imponit, ex quo illis ſequitur iactura vitæ, mortale peccatum committere contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia in tali caſu falſum crimen imponere, eſt per iniuriam ac iniuſtitiam dare cauſam magni damni, ac proinde ad eius reſtitutionem ſecuti tenetur.

2 Quæſtio ergo tantùm eſt, quando iis, quibus crimen falſum imponitur, non im-

Digitized by Google

minet vitæ, aut membri iactura sed solùm honoris, famæ, aut bonorum externorum damnum.

Molina tom.5.de iust.disp.37.in ea est sententia, vt affirmet id esse culpam lethalem iniustitiæ. Contrariam sententiam astruere contendunt Sylvest.verb.detractio qu.5. & Petr. Nauar. lib. 2. de restitut. num. 131.

Placet autem nobis hæc opinio, si nihil aliud, quam infamia metuatur,& post tormenta detractor suum dictum reuocet.Ratio est quia talis confessio non infamat efficaciter, quando postea reuocatur.

QVÆSTIO X.

An ad euitanda grauia,& diuturna tormenta, possit quis alienum crimen occultum, vel aliud secretum detegere, si inde alteri sit periculum mortis, vel infamiæ?

1 REsp.in eo casu licitè posse illud pandere, etiamsi sub sigillo secreti acceperit,dummodò non sit sacramentale,vel eâ lege acceptasset id secretum sibi commissum, vt etiam ad mortem euadendam non posset illud detegere,quia non tenetur cum tanto sui detrimento alterius famam, aut vitam seruare, occultando peccatum commissum illius. Ratio huius est,quia solùm seruare tenetur illud ex charitate, vel vt ait Molina ex iustitia, quando id posset sine graui sui detrimento. Si tamen sine causa reuelaret,peccaret cum iniuria,& teneretur ad restitutionem, quia voluntariè esset causa damni. Ita Sot.lib.5.qu.10.art.2. Nauar.ca.18.num.54.& Less.lib.2.de iust.ca. 11. dub. 8.

2 Dixi notanter (ad euitanda tormenta grauia &c.) quia si leuia, & breuia essent, tunc secundùm Ledesm. 2. 4. qu. 18. art. 2. is peccaret mortaliter, quamuis secundùm alios, non esset plusquàm veniale.

Non negamus laudabilius esse, quæuis tormenta perferre, quàm crimen occultum, vel secretũ priuati hominis reuelare.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm ad euitandos graues cruciatus, possit quispiam reuelare alterius secretum, quod per iniuriam nouit, etiam si inde alteri esset periculum mortis? Vt verbi gratia intercipiendo, & aperiendo illicitè alienas literas, aut via alia illicitè inquirendo crimen secretum alicuius?

1 SVnt qui censeant, id non posse. Ita Sot. lib. 5.de iust. qu. 10.art.2. & Molin. tom. 5. de iust. d. 37.

D.Nau.ca.18.nu.54. distinguit,si damnum inquit, irreparabile alteri immineat ex reuelatione,vt quia mors,vel mutilatio membri sequeretur, non posse.si autem reparabile,vt pœna pecuniaria,posse.In qua sententia etiam est Tolet. lib. 5. ca. 66. & alij quidam recentiores.

2 Cæterùm mihi videtur dicendum absolutè in hoc casu posse hunc tale secretum, vel crimen alterius reuelare ad euitanda acerba tormenta, etiam si ex illius reuelatione mors alteri immineret. Ratio huius est, quia iuxta Sotum,potest secretum prodere in tali casu, quamuis stipulatus sit alteri silentium; ergò etiam, licet per iniuriam extorserit.Nam qui ex contractu aliquid debet, non minùs obligatur, quàm qui ex delicto.

Tum quia,& si anteà peccauit contra iustitiam extorquendo secretum, iam tamen postquàm scit, ius habet vtendi, & reuelandi in tanta necessitate, sicut si quis surripuisset equum,posset sine peccato, & nexu restitutionis, eo in necessitate vti,etiam cum interitu equi.

QVÆSTIO XII.

Vtrum ad euitanda grauia tormenta,aut mortem possit quis reuelare secreta Reipublicæ, in notabilem eius perniciem?

1 REspondeo non posse. Et ratio est, quia pro salute Reipublicæ quiuis priuatus tenetur exponere propriam vitã, vt docet Tolet. lib. quinto capit. num. 66.

QVÆSTIO XIII.

An liceat detegere crimen occultum vnius, ad impediendum damnum alterius?

1 PRo resolutione huius quæstionis dico primo,quòd si illud damnũ quod alteri imminet, est graue, siue sit temporale, siue spirituale, cuique fas est crimen proximi prodere ad illud impediendum, verbi gratia, noui Titium esse furẽ,possum monere eos,cum quibus habitat,vt sibi caueant. Caius gerit se pro medico, & ego noui eius imperitiam, fas mihi est monere eos, quibus obuenit damnum. Homicidium

Digitized by Google

dium è Titio patratum, iniustè imputatur Meio, qui ob id est suspendendus, possum patefacere Titium auctorem. Imò in his, & similibus casibus, tenetur quisque præcepto charitatis crimen alterius prodere, quoties graue damnum aliis imminet, & damnum quod ex reuelatione sequitur, non est tanti, vt eius ratio præ altero haberi debeat. Ratio horum est, quia nemo ius habet conseruandi famam cum tanto incommodo, quod alteri iniustè imminet. Admonendus tamen esset nocens, vt se poneret in loco tuto, antequàm detegeretur, quando id sufficeret, vt innocens liberaretur à periculo, in quo est. Ita Mol. tom. 5. de iust. disp. 24.

2 Dico quòd si ad præcauendum illud damnum, non esset necesse crimen alterius prodere, sed suppeditat alia via commodior, verbi gratia, per fraternam correctionem, non possum reuelare. Ratio est, quia esset contra charitatem, qua tenemur diligere proximum sicut nos ipsos. Ita Less. l. 2. de iust. c. 11. dub. 9.

QVÆSTIO XIV.

Dubitabit aliquis hoc loco. An sit contra iustitiam crimen tunc reuelare?

1 SVnt qui putent, id non esse, quia nemo ius habet ad famam, per quam aliis nocere parat.

Communis tamen sententia Doctorum vult id esse contra iustitiam, præsertim si ille alioquin erat bonæ famæ. Ita Less loco citato.

QVÆSTIO XV.

An licet infamare hominem, qui per hypocrisim, & variis impostiras famam in populo comparauit?

1 ADrian. quodlib. 11. qu. 1. putat id esse licitum, quia virtutis officium est tales impostores, qui Rempublicam seducunt, detegere.

Alij autem tenent oppositum.

2 Pro resolutione dico primò, quòd si talis simulatio sit alteri perniciosa, vt si quis simulet se optimum Aduocatum, Medicum, Theologum eximium, quem tamen scio esse ignarum, aut falsum docere, & tunc si admonitus ille desistere non vult, non solùm licet, verum etiam quisque tenetur aliis eius crimina fallaciasque detegere. Ratio est, quia ille ius non habet ad talem famam, cum falsis, & fictis virtutibus, seu per hypocrisim, & falsas impostiras illam acquisierit.

3 Tum quia tenemur potiùs bono communi, quam illius famæ consulere. Ita Sot. l. 5. q. 19. art. 2. Val. to. 3. d. 5. q. 17. p. 2. Petr. Nauar. l. 2. de rest. c. 4. n. 341. & 342. & Mol. to. 5. disp. 24.

3 Secundò dico, quòd si fictio nemini noceat, non licet eius occulta crimina reuelare, vt si mulier reuera pauper simulet pietatem, vt eo nomine eleemosynam acquirat, non possum eius occulta facinora patefacere, esset enim id non modò eam priuare fama, ad quam habet ius, sed etiam inferre illi malum infamiæ, detegendo duo crimina simul, scilicet & peccatum quo est infecta, & hypocrisim, qua vsa est ad bonum nomen, & existimationem in populo comparandam, quod est saltem contra charitatem. Ita Less. libr. 2. de iust. cap. 11. dub. 10.

QVÆSTIO XVI.

Sed quæres. An sit contra iustitiam hanc hypocrisim aperire?

1 REsp. esse contra iustitiam. Et ratio huius est, quia quandiu eius crimen est occultum, ius habet, non quidem vt positiuè iudicetur esse bonus, sed vt non iudicetur esse malus, quia publicè nihil mali gessit; qui autem prodit fictionem, facit vt positiuè iudicetur malus, ergo facit ei iniuriam.

QVÆSTIO XVII.

An filius peccet mortaliter qui cum euidenti periculo vitæ sibi crimen patris imponit, vt ea ratione vitam patris conseruet?

1 SOt. de tegend. secreto m. 1. q. 3. concl. negat, timidè tamen, putat enim mendacium istud esse officiosum. Sed mihi oppositum videtur probabilius. Nam per mendacium, & fraudem impedit executionem dignæ mortis contra patrem, deludendo publicam potestatem.

lam famæ reſtitutionem tenetur. Ratio eſt quia tunc verè, & iuſtè infamat, non vt noceat peccatori, ſed vt conſulat innocenti

Hinc ſi filius bona patris ſurriperet, nec alia commodiori via remedium adhiberi poſſet, fas eſſet rem notam detegere patri, etiam cum aliqua iactura famæ peccantis, ac certitudine morali iuſtæ punitionis: ſimilitérque de filia, vel famula inhoneſtè ſe gerentibus dicendum. Ratio huius eſt, quia non eſt iniuſta famæ denigratio.

7 Hinc ſi aliquis ab omnibus haberetur ſanctus, quem alter ſcit eſſe ſeductorem, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur lege charitatis aliis illius improbitatem, & falſam doctrinam aperire, ne velamine pietatis, alios praua doctrina, vel exemplo corrumpat. Qua ratione Chriſtus in euangelio ſæpè inuehitur contra Phariſæos hypocritas, illorum peccata detegens.

8 Hinc, ſi aliquis pro optimo medico, aduocato, confeſſore, vel quouis alio ſe fingeret, idque vergeret in aliorum præiudicium, fas eſſet, imò teneretur ex præcepto charitatis, illius imperitiam reuelare, iisquorum damnum ageretur. Ratio eſt, quia illa fama non eſt ſua, ſed per fraudem vſurpata, & ſic nulla fit iniuſtitia in eius ablatione.

9 Hinc, ſi aliquis ad ordines ſacros, vel beneficium eccleſiaſticum eſſet promouendus, cum notabili detrimento animarum, propter ſecretum crimen mihi notum, fas eſſet, imò præcepto & lege charitatis tenerer iſtam hominis improbitatem ſuperiori reuelare. Ratio eſt, quia teneor potiùs bono communi, quàm illius famæ conſulere.

10 Hinc, ſi de officio, vel beneficio ſtatutum eſſet, vt non daretur iis, qui tale vitium haberent, fas eſſet occultum vitium aperire ei qui impedire poteſt, tum ad euitandum detrimentum aliorum prætenſorum, tum peccatum iniuſtitiæ eiuſdem prætenſoris, quia cum non ſit ad id idoneus, nullum ad beneficium, vel officium ius habet. Si quis tamen ſui vitij inſcius exiſteret, eſſet charitatiuè priùs ſecretò admonendus, ſi nollet à prætenſione deſiſtere, tũc ei qui impedire poſſet, tenebitur reuelare, ſi ſine ſuo graui damno poterit.

Tertia conditio eſt, vt remiſſio ab infamato non obtineatur, ſi enim pretium accepit pro infamia, vel gratis nolit ſibi reſtitui, tunc detractor ad nullam reſtitutionem obligatur.

11 Quarta, & vltima conditio eſt, vt perſona infamata alia via ſuam integram famam non recuperauerit, ſi enim ſuis optimis factis integram eam recuperauit, qui eam abſtulit, nihil amplius reſtituere tenetur: veluti ſi quiſpiam ſua vel aliorum opera recuperaſſet equum furto ſublatum, non teneretur fur ad reſtitutionem.

Hinc, ſi Titius accuſauit Caium de falſo crimine, quod ipſe ſufficientiſſimè oſtendit fuiſſe falſo impoſitum, ad nullam vlterius tenetur reſtitutionem, iam enim Caius habet totum quod amiſerat.

Hinc ſi quis diceret de Meio capto ab Inquiſitoribus Sancti Officij, eſſe hæreticum, conſtat deinde illum perfectè eſſe purgatum, & ſententia publica declaratum vere Catholicum, non tenetur iam famam Meio reſtituere, quia ceſſat omne damnum ab eo illatum.

12 Hinc, ſi quiſpiam infamaſſet Suſannam, quando agebatur eius cauſa de adulterio, quando deinde tam certo miraculo conſtitit eius innocentia, & caſtitas, ad nullam vlterius tenebatur reſtitutionem ei in fama facienda. Si tamen perſona infamata ob eam famæ læſionem, & damna aliqua incurriſſet, antequàm famam recuperaret, aut in illa recuperanda, ac ſe purgando ſumptus aliquos feciſſet, teneretur infamator etiam poſt famam recuperatam ad illorum compenſationem, quia huiuſmodi damna ex iniuſta infamatione illi obuenerunt. Ita Mol.to.5.diſp.40. & 41. Nau.c.18.n. 43. Valen.to.3.d.5.q.6.p.4. & alij.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm qui falsò famam alterius denigrat, peccet, & ad aliquam reſtitutionem tenetur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui infamat proximum iniuſtè, vel imponendo ei crimen falſum, vel occultum reuelando ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium peccat mortaliter. Ratio eſt, quia qui damnũ infert proximo in re graui, peccat mortaliter. Sed qui imponit alicui crimen falſum, vel occultũ detegit, infert damnũ proximo in re graui, cum damnũ famæ grauius ſit, quam

fit, quam damnum rerum externarum, secundum illud Prouer.22. Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, ergò peccat mortaliter.

Et confirmatur,ex illo Iacobi 4. Nolite detrahere alterutrum,fratres mei, qui detrahit fratri, detrahit legi.1. vt exponit S. Th.2.2.q.74.a.2.ad 3. contemnit præceptum de dilectione proximi, in quo loco sic argumentor.

Qui contemnit præceptum de dilectione proximi,peccat mortaliter. Sed qui infamat proximum iniustè, contemnit præceptum de dilectione proximi, ergo peccat mortaliter.Ita tenet Caiet.2.2.q.73.ar.2. Sot.li.5.q.10.ar.2.Less.li.2.de iusti. dub.5. & Valen.to.3.disp.5.q.17.par.2.

Secundo dico quòd qui iniustè famam alterius denigrat siue in iudicio,siue extra iudicium,tenetur sub mortali restituere illi famam ablatam. Ratio est,quia qui lædit proximum in aliquo bono contra iustitiam tenetur restituere inquantùm potest:sed fama est maximum bonum hominis, ergò qui famam alterius denigrat,tenetur restituere illam.

Et confirmatur, restitutio pecuniæ iniustè ablatæ necessaria est ad salutem,ergò & restitutio famæ,quæ præstantior est, & cuius ablatio maius damnum infert, quàm damnum diuitiarum,vt rectè docet D. Th. 2.2.q.62.art.2.Nauar.cap.18.num.42.Ban.2.2. q.62 ar.2.Sot.l.5.de iust.q.10.a.2.& Pet.Nau. l.2.de rest.n.364.

3 Tertiò dico,quòd qui murmurat, vt amicitiam aliquorum pernicioſam dissoluat,non peccat,sed exercet actum virtutis, modò mendacia, & alia media de se mala non adhibeat, vt si aliquis ad separandum alium à concubina, dicat illi,quòd est deformis,& similia, sic enim non intenderet malum sed potiùs bonum, secundùm charitatem: dicere autem aliquod peccatum etiam verum, sed occultum de aliquo, vt dissoluatur amicitia honesta,semper est illicitum,erit autem culpa lethalis,si prætendatur eorum inimicitia, si verò procuratur ne habeant tantam familiaritatem, peccabit tantùm venialiter secundum Arag. 2.2. q.73.art.2.

4 Quartò & vltimò dico quòd peccat qui murmurando quærit aliorum amicitiam dissuere, ob vtilitatem propriam murmurantis: non erit autem peccatum mortale hoc procurare dicendo veritatem, vt tenet Sotus lib.5.de iust.q.11.a.1.quia secluſa vi, & fraude,vnicuique fas est suam vtilitatem procurare. Oppositum tamen huius videtur verius,quia ad hoc,vt sit hic actus lethalis,satis est, vt præiudicet proximo in re graui.

5 Opinionem Soti recipi potest in casu, quo vnus amicus esset infidelis, quia tunc dissuere talem amicitiam esset vtile amico fideli, quam vtilitatem vnusquisque tenetur amico procurare, licèt sit cùm damno alterius amici nocentis, & infidelis, si tamen priùs illum correxerit, sed siue fructu, vt tenet Roder.p.p. summæ c. 253.

QVÆSTIO XX.

Quam restitutionem facere teneatur, qui falsò alterum infamauit de aliquo crimine?

1 REsp. teneri ad cantandam palinodiam. Ratio est, quia qui nocet cum iniuria, tenetur reddere æquiualens, etiam in eodem genere, sed in hoc casu qui falsò infamauit fratrem, famam æquiualenter reddere non potest, nisi retractando, & affirmando se esse mentitum,ergo ad retractandum se tenetur etiam cum damno propriæ famæ. Quod arbitror esse verum, primò quando non subest alia via restituendi famam ablatam, quàm dicendo se falsum dixisse, aut fuisse mentitum, si enim satis esset dicere, deceptus sum,perperam loquutus sum,nõ opus esset clarè confiteri se mentitum fuisse.Ratio huius est,quia ad cantationem palinodiæ solùm requiritur, vt alter famam ablatam recuperet,ergo si sic dicendo, eam recuperaret,sine dubio id sufficiet.

2 Secundò est verum,quando est æqualitas inter infamantem,&infamatum,si enim infamator esset Prælatus,vel vir Illustris,& infamatus subditus, aut vir plebeius, non teneretur in hoc casu cum iactura sui nominis ad se retractandum, dicendo se esse mentitum.Ratio huius est, quia sicut in restitutione pecuniæ alienæ, quam quis alteri debet,si non potest restituere decem, nisi expendat centum, non tenetur, sed potest dare pauperibus, ita quoque licèt ad restituendam famam proximo teneatur

pati

pati damnum in propria fama, quia potior est conditio patientis iniuriam, quam inferentis, at quando damnum istud est excessiuum, non tenebitur. At fama Illustris personæ notabiliter plus valet, quam fama alterius inferioris, non ergo tenebitur Prælatus vel vir Illustris restituere famam plebeio asserendo se esse mentitum cum tanto detrimento suæ existimationis, sed satis est, vt illum laudet in illo genere virtutis, vbi infamauit, vel pecunia compenset arbitrio prudentum, vel remissionem restitutionis pecuniæ obtineat, si commodè fieri potest, alioquin non tenetur illeque talia homo plebeius debet esse contentus illa satisfactione. Ita tenet Mol. to. 5. d. 41. Coua. ad reg. peccatum 1. p. n. 8. §. 3. Tolet. l. 5. c. 70. Rodar. p. 1. c. 254. & alij.

3 Hinc qui falsò proximo detraxit, tenetur illi restituere famam, licet in aliis virtutibus duplo vel triplo magis eiusdem famam auxerit, vt egregiè docuit Nau. c. 19. nu. 42. Et ratio est, quia licèt alia ex parte honorificauit eum, non tamen restituit illi, quod abstulerat de honore illius. Verum est tamen, quod si notauit eum aliquo defectu naturali, quem non habet, potest facere restitutionem in alia re. v. g. dixit de Titio, quod est monoculus, aut claudus, potest dicere apud eosdem, quibus talem defectum dixit, esse hominem prudentem, & doctum.

QVÆSTIO XXI.

An qui falsò fratrem infamauit, teneatur iureiurando confirmare se fuisse mentitum?

1 REspondeo teneri, in euentu, quo nisi iuret, nihil persuadebit. Et ratio huius est, quia qui nocet proximo cum iniuria tenetur omnibus viis sibi licitis, & facilibus resarcire illud, sed quando non creditur simplici retractationi, adhibere iuramentum est via facilis, & licita, ergo tenebitur tunc se retractare etiam cum iuramento. Vt docet Nau. c. 18. n. 45. Valen. to. 3. dist. 5. q. 6. p. 5. Petr. Nau. li. 2. de rest. c. 4. n. 378. & Molina to. 5. disp. 41.

QVÆSTIO XXII.

An qui falsò proximo detraxit, teneatur etiam adhibere testes, vt si opus sit, falsam fuisse diffamationem persuadeat?

1 IN hac quæstione Molina to. 5. de iust. disp. 41. Sot. li. 4. q. 46. ar. 3. Rebell. p. 1. de obl. l. 4. q. 10. & Salon. 2. 2. q. 62. a 2. affirmant ad id teneri, adeò vt inquit Salon. si oportuerit facere expensas in adhibendis illis testibus, mittendis nuntiis, teneatur illas facere, fundamentum potissimum huius sententiæ est, quia homines procliuiores sunt ad credendum de proximo malum, quam bonum, & ita tenetur maiorem fidem facere de innocentis, quam fecerat de illius crimine.

2 At huius oppositum docet Nau. c. 18. n. 45. Roder. p. 1. sum. exp. 254. & Petr. Nau. li. 2. de rest. c. 4. n. 377. Ratio verò horum omnium est, quia multò maioris momenti, & ponderis est iusiurandum, quàm simplex dictum, & communiter maiorem fidem adhibemus iis, quæ cum iuramento asseuerantur, quàm iis, quæ simpliciter dicuntur. Quòd si alij sua malitia volunt adhuc sinistrè iudicare, imputetur ipsis, nō infamatori, vnde sufficiet solùm cum iuramento se retractare, nec opus erit afferre testes, cum tale genus restitutionis nunquam in vsu fuerit.

3 Ego igitur vt absolutam rei huius decisionem habeamus sic distinguendum censeo, aut auditores aliquas rationes habent suspicandi infamatorem ad palinodiam inductum fuisse, non conscientia, sed precibus, aut pretio, & tunc ex obligatione iustitiæ tenetur infamator etiam adhibere testes, ratio est, quia iustitia petit, vt infamator efficaciter reuocet, vt audientes meritò possint, debeantque illi credere, nec habeant occasionem suspicandi de eius reuocatione. Secùs si audientes nullam habent causam suspicandi, quòd reuocatio sit ficta, sed ex malitia nolint iuranti credere, quia tunc ad nihil amplius infamator tenetur, & ratio huius est, quia tunc mala opinio, quam retinent, censetur non amplius prouenire ex dicto suo, quod efficaciter fuit reuocatum, sed ex sua ipsorum malitia, qui sine vlla causa volunt malè de proximo sentire.

QVAE

QVÆSTIO XXIII.

An qui iniustè alium infamauit, absolui possit priùs quàm famam restituat?

1 REspondeo nisi maxima certitudine morali intelligat confessarius, eum qui iniustè detraxit proximo statim accommodè poterit, famam fore restituturum, non debet eum prius absoluere quam id priùs præstet. Ratio est, quia qui habet alienum, quod potest statim restituere, non est priùs absoluendus, quin priùs restituat, nisi pro comperto habeat, quod indè recedens, statim restituet, ergò multò magis absolui non debet qui iniustè proximo detraxit, nisi priùs famam restituat, nisi moraliter credatur, quod statim postea restituet. Patet consequentia quia fama multo pretiosior est pecuniis.

Deinde, faciliùs homines reddent pecuniam alienam, quàm dicant, aut iurent se esse mentitos, aut falsum dixisse.

2 Tandem, non minùs tenetur infamator ad restituendam famam, quàm qui alium affecit conuitiis, ad illum placandum, at qui conuiciauit fratri, non est priùs absoluendus, quin priùs ab eo petat veniam, illique reconcilietur iuxta præceptum Domini Matth. 8. si offers munus tuum ad altare, vade priùs reconciliari fratri tuo, &c. ergo.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm quando fama non potest restitui in eodem genere boni, infamator teneatur eam restituere in alio genere bonorum, vt in pecunia vel orationibus?

1 COuar. in reg. peccatum p. p. n. 6. Roder. p. 1. suæ sum. c. 254. Sot. l. 4. q. 6. a. 3. & Salon. 2. 2. q. 62. a. 2. tuentur partem affirmatiuam. & probant quia etiam vita, vel membrum alteri abscissum, cum restitui non potest, solet pecunia compensari, ergò similiter fama. Hoc idem videtur sentire D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. vbi expressè ait quòd si infamator non potest restituere famam per illius reparationem, tenetur alia via ei recompensare: hæc autem via est, quam dixerat in solutione ad primum loquens de restitutione vitæ scilicet in pecunia, vel in honore.

2 Cæterùm mea sententia rectiùs Sylu. ver. detract. q. 4. Petr. Nau. l. 2. de rest. c. 4 n. 41 c. Ban. 2. 2. q. 62. a. 2. Less. l. 2. de iust. c. 11. dub. 16. Nau. c. 18. n. 90. Franc. Vict. & multi alij docent ad id non obligari. Et ratio huius est, quia fama, sicut & vita, non est pretio æstimabilis, sed est supra omne pretium.

Tum quia qui non potest restituere pecuniam quam debet, non obligatur illam restituere in fama, vel in honore, aut in alio genere, ergo qui non potest, nec tenetur restituere famam in eodem genere, non tenetur in alio scilicet in pecunia restituere.

Tum quia qui vi, metu, fraude vel mendacio aliquem induxit ad peccatum, non tenetur ipsi, vel eius hæredibus pecuniam rependere, quia nulla est proportio temporalis, ad spirituale.

Præterea qui per iniuriam læsit in bonis naturalibus corporis, quæ restitui non possunt in eodem genere, vt qui occidit, vel abscindit membrum alterius, non tenetur ad restituenda bona illa in alio genere, ergo neque fama, quando illa ex iusta aliqua causa in eodem genere restitui non potest, erit compensanda in alio genere.

Tandem, restitutio quæ debetur ex iustitia reparat damnum illatum ad æqualitatem: ergo vbi damnum est irreparabile, non debetur restitutio lege iustitiæ.

3 Potest tamen talis casus occurrere, vt lege charitatis teneatur infamator infamiam pecunia compensare, vt si infamatus sit pauper, qui talem satisfactionem desideret, nec putetur aliter mærorem depositurus, & is qui infamauit sit diues. Ita Less. l. 2. de iust. c. 11. dub. 16.

Dices, pecunia est mensura omnium rerum humanarum, ergo in pecunia potest dari æqualitas.

Respondeo pecuniam non esse mensurã nisi rerum venalium, quas homines solent pecunia commutare; fama autem nec natura sua, neque gentium consuetudine pecunia solet æstimari iuxta illud Prou. 22. melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ, id est infinitæ.

4 Illud tamen obserua, quòd si infamator per Iudicem ad restituendam aliquam pecuniam infamato, vel ipsi inter se conueniant de certa pecuniæ summa conferenda, vt infamatus cedat iuri suo, tenetur infamator in conscientia eam restituere.

Ratio

Digitized by Google

Ratio eſt,quia iuſta ſententia &pacta obligant ex iuſtitia.Vt Ban.& Salon.2.2.q.62.a. 2. annotarunt.

QVÆSTIO XXV.

An qui iniuſtè fratrem infamauit, teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia ſubſecuta compenſare?

1 IN hac quæſtione Sot.l.4.de iuſt.q.6.a. 3.ad 4.& Salon. 2. 2. quæſt. 62. artic.1. docent hunc teneri ad reficiendum in integrum quantum poterit omnia damna ex illa iniuſta infamia ſubſecuta. Ratio eſt, quia qui ſic infamauit,eſt cauſa efficax, & per ſe, omnium illorum damnorum. Qui verò cauſam damni dat, damnum dediſſe cenſetur.

At verò alij rectiùs diſtinguunt, quia vel damnum quod ſequitur ex iniuſta infamia eſt de damno dato in bonis iam acquiſitis, vel de bono impedito ſeu acquirendo. Si primum,tunc vera opinio Soti quia totius damni cauſa iniuſta fuit.Si ſecundum,tunc damnum non in integrum eſt reparandum, ſed arbitrio boni, & prudentis viri.Ita docet Nau.c.18.n.43.Leſ.l.2.de reſt.c.11.dub.19. Petr.Nau.l.2.de reſt.c.4.nu.373.

2 Hinc qui iniuſtè alium infamauit, qui ob talem infamiam officio, vel beneficio, quod iam habebat, fuit priuatus, tenetur infamator ad reſtitutionem damni in integrum.Qui verò patefacto crimine falſo, alteri fuit cauſa,quominus obtineret Epiſcopatum,aut cathedram, vel opimum matrimonium, tenetur ad reſtitutionem non in integrum,ſed quanti ſpes illa obtinendi arbitrio prudentis virivalebat.Ratio diuerſitatis in vno,ac altero caſu eſt, quia quod eſt in ſpe,minùs valet,quàm quod eſt in ſe, & ſic in bono acquirendo requiritur arbitrium boni viri, quia multis modis conſequutio talis boni poterat impediri.Non ſic autem in bono acquiſito, cum iam certo conſtet,quid,&quantum bonum illud ſit,& conſequenter quantum damnum ex eius priuatione ob infamiam paſſus ſit.

QVÆSTIO XXVI.

An qui verè infamauit proximum,teneatur facere tantam reſtitutionem, quantam qui falsò?

1 SOt.l.4.de iuſt.q.6.art.3.ad 4.vult non teneri eum ad tantam reſtitutionem, ad quantam tenetur is qui falsò detraxit. Ratio eius eſt, quia cum non tantùm peccauerit,non tenetur ita ſicut alius qui mẽtiendo infamaſſet,reſtituere.

2 Contraria tamen,&verior ſententia eſt Nau.c.18.nu.45.Leſſ.li.2. de iuſt.c.11.dub.19. Salon.2.2.q.62.a.2.Molina to.5.diſp.45. Roder.p.1.ſuæ ſum.c.25.&Petr.Nau.l.2.de reſt. c.4.nu.384.qui docent hunc etiam infamatorem qui detecto vero crimine occulto alteri fuit cauſa damni, teneri ad reſtituẽdum in integrum, ſicut qui falsò infamauit. Ratio huius eſt, quia eſt cauſa præcipua illius damni.

Tum quia obligatio reſtituendi non oritur ex magnitudine ſceleris,ſed nocumenti quod infert contra iuſtitiam.Vnde licet grauius peccet,qui falſum crimen imponit quàm qui verum occultum reuelat, vterque enim tollit bonam opinionem, ergo vterque tenebitur ad reficienda damna illa in integrum.

QVÆSTIO XXVII.

An qui audita refert,peccet, & ad reſtitutionem teneatur? loquor de peccatis ignominioſis,& infamatoriis.

1 IN hac quæſtione Scot.in 4.d.15.q. 4.a. 1.&Caiet.2.2.q.73.ar.2.docent referentem dicta aliorum non peccare mortaliter, nec teneri ad aliquam reſtitutionem. Et probant quia illa leuis aſſertio ex auditu tantùm ex ſe non eſt ſufficiens cauſa infamiæ,& ſi ſequitur,eſt ex leuitate,vel malitia audientium.qui enim citò credit, leuis eſt corde, Eccleſ.

Maior in 4.d.15.q.16.putat peccare mortaliter, ſi audita ab aliis, refert iis,qui illa maiori cum firmitate aliis relaturi creduntur.

2 Cæteri verò Doctores tenent regulariter peccare mortaliter, quia audientes cõmuniter non poſſunt non concipere ſiniſtram opinionem de proximo, & tenetur cum moderatione debita,& ſine mendacio famam reſtituere.dicendo hæc, vel ſimilia, leuiter,& ſine aliqua conſideratione locutus ſum,non habeo certitudinem huius rei, ſed tantùm auditu refero, ſpero tamen quod

Digitized by Google

quod non ita ſe habeat factum,&c.Ita Nauar.c.18.n.46.Caiet.2.2.q.69.Sot.li.5.q.1.a.2. Val.to.3.d.5.q.17.p.2.Salon.& Arag.2.2.q.62. a.2.& alij.

Pro huius tamen quæſtionis deciſione dico primò, quòd qui ex odio, & animo lædendi proximum,aliorum delicta audita refert,hinc ex tali relatione ſequatur infamia ſine non, peccat mortaliter.Ratio eſt, quia talis prauus animi affectus eſt contra charitatem,quod ſatis eſt,vt dicta aliorum referens peccet mortaliter.Ita Salon.2.2.q. 62.a.2.& communis.

Secundò dico, quòd qui ſine animo nocendi refert notoria,quæ audiuit ignorantibus illa,nec peccat mortaliter,nec ad reſtitutionem tenetur.Ratio eſt,quia tunc vel nullum, vel paruum nocumentum infert proximo.

3 Tertio dico, quòd qui crimen alicuius infame ſe audiuiſſe refert iis,qui iam nouerant, non animo lædendi famam, ſed ex quadam leuitate & loquacitate,non peccat niſi venialiter, nec ad aliquam reſtitutionẽ tenetur.Ratio eſt, quia ſi peccaret mortaliter cum onere reſtituendi id eſſet ratione odij, quo relata refert, aut ratione damni illati.At in hoc caſu nullum eſt odiũ vel intentio lædendi, nec cum effectu nocet,ergo nec peccat mortaliter, nec ad reſtitutionem obligatur.

4 Quartò dico,quòd qui ſine animo nocendi crimen alterius ſe audiuiſſe narrat aliis id neſcientibus, ex cuius reuelatione nihil infamiæ accreſcit illi, cuius crimen detegitur, peccat tantùm venialiter, quia aliquod ſaltem nocumentum eſt illius,non tamen reſtituere tenetur, etiamſi animo lædendi id faciat. Ratio eſt,quia reſtitutio non niſi ex fama violata naſcitur, ſed in hoc caſu fama illius cuius crimen detegitur,non eſt violata,ergo.

5 Quintò dico, quòd ſi crimen occultum eſſet valde graue, cuius vel leuis ſuſpicio magnopere noceret famæ, vt hæreſis,proditio,præpoſtera libido,&c.tunc & ſi referat hæſitando,& etiam ſine animo nocendi, peccat mortaliter.Ratio eſt, quia qui lædit fratrem,grauiter in fama, peccat mortaliter, ſed in hoc caſu lædit iſte grauiter in fama,ergo. Maior propoſitio eſt per ſe nota,minor verò probatur, quia in hoc caſu, & ſi non generetur certa opinio, ſed tantùm ſuſpicio, grauiùs nocet ſuſpicio tanti criminis quam certa opinio aliorum.

6 Et confirmatur, nam malus nec tantum infertur proximo, dum quis refert ſe de his crimimbus dubitare quam dum alia eſſe vera aſſerit ſed reuelans affectiue alia delicta proximi vt furtum,adulterium peccat mortaliter,ergo peccat etiam mortaliter qui reuelat illa grauiſſima peccata, etiam ſi dubitando,mallet enim quilibet prudens credi de ipſo adulterium, quàm ſuſpicari hæreſim aut peccatum nefandum.

7 Sexto dico, quòd qui audita referens, alicuius occultum crimen detegit coram iis quos probabile eſt ex ſua leuitate, vel malitia credituros, aut aliis maiori cum firmitate relaturos, quod regulariter timendum eſt, etiam ſi ipſe ſufficientia motiua,quæ ad perſuadendum, vel ſuſpicandum ſufficiunt minime dederit mortaliter peccat contra charitatem; tum quia ſcandalizat audientes, tum quia dat occaſionem damni alienæ famæ: non tamen peccat contra iuſtitiam, ac proinde non tenetur ad reſtitutionem.Ratio eſt,quia relator non eſt per ſe cauſa efficax damni, ſed merè per accidens ex ipſius relatione ſequitur; non enim eius relatio eſt talis,vt idonea ſit fidem facere, ſed quòd illi credant, id prouenit ex illorum leuitate,vel malitia. Ita Adr.in 4.q.de reſt.famæ, & Syluest.ver. detractio q.4.Hoc idem ſenſit Nau.c.18.nu. 48 cum ait, non teneri ad reſtitutionem, qui non dedit iuſtam cauſam credendi. Et Illuſtriſſimus Caiet.2.2.q.73.artic.3. vbi ait, eũ qui audita refert, nõ teneri ad reſtitut.

8 Septimò dico, quòd qui refert audita eo modo, vel his circunſtantiis, quæ rem creditu dignam,ac perſuaſibilem efficiunt, vt ſi perſonam fide dignam pro aſſertore attulit,peccat contra iuſtitiam,& ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia eſt cauſa efficax aliis malè opinandi de proximo.Ita Mol.to.5.d.30.Syluest.verb. detractio q.1.& 4.Rebel.p.1.de obl.l.4.q.3.Leſſ.l.2.de iuſt.c. 11.dub.5.& alij.

Hinc qui refert audita ab hominibus parùm fide dignis, nominatis ſuis auctoribus non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi auditores ex ſua leuitate, vel malitia credant. Ratio eſt, quia non eſt cauſa efficax damni, ſed ſolùm occaſio. Imò etiamſi animo nocendi audita referret, ad nullam reſtitutionem teneretur, quia malus animi affectus cum ſit tantùm contra charitatem

tatem ad reſtitutionem non obligat, quando opus externum ex ſe non eſt detrimentosum. Ita Molina tom. 5. de iuſt. diſp. 30.

9 Octauò dico, quòd ſi is qui ex auditu alicuius occultum peccatum manifeſtat, ita referat, vt aliquid addat, vel augeat, vel tantæ eſt fidei, & authoritatis, vt eius dictis ſoleant homines propter grauitatem eius communiter fidem adhibere, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia nocet cum iniuria proximo in re graui, qualis eſt fama.

Tum quia ſi aliquis de media plebe referat crimen aſſertiuè, peccat mortaliter contra iuſtitiam, ſed tanti momenti eſt huiuſmodi narratio quæ fit à viro graui, ergo dat idem detrimentum, & damnum ac ſubindè erit peccatum mortale contra iuſtitiam. Ita Ban. 2. 2. q. 73. ar. 1. & Sylueſt. verb. detractio q. 1. & 4.

Hoc idem dicendum eſt de eo, qui alium immodicè laudando, alterius famam notabiliter extenuat vt ait Nau. cap. 18. num. 44. & Valen. tom. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5.

10 Nonò, & vltimò dico, quòd ſi crimen fratris ſit ex communibus, & grauibus ſcilicet quæ communiter ab hominibus committuntur, vt homicidia, adulteria, referatur tamè de perſona magni nominis, quamuis hæſitando, eſt peccatum mortale, vt ſi quis de Epiſcopo, Religioſo, aut muliere honeſtiſſima fornicationè, adulterium vel quid ſimile referat. Ratio eſt, quia talis relatio gignit ſuſpicionem, quæ in viro tantæ authoritatis, non minùs nocet, quã in alio mediocris conditionis noceret certa opinio eiuſdem criminis. Secùs ſi plebeius, de alio plebeio ex auditu, & hæſitando referat delictum aliquod ex communibus, ſolùm enim veniale erit ob leue nocumentum quod tam ex parte dicentis, quàm eius, de quo dicitur, quàm ex modo referendi conſequi ſolet.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui vni tantùm viro cordato infame alterius crimen pateſacit nulli præterea diſturo peccet mortaliter?

1 QVæſtio loquitur non de eo qui bono fine, vel ad vtilitatem ipſius peccantis crimen reuelat, ſed inordinatè ex leuitate, vel loquacitate.

Illuſtriſſimus Caiet. 2. 2. q. 73. ar. 2. Roder. p. 1. ſuæ ſum. c. 253. Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. c. 4. nu. 332. Cordub. tract. de detract. quæſt. 2. concl. 5. & multi alij volunt non eſſe mortale crimen occultum fratris vni tantùm viro timorato, ac prudenti, apud quem ita ſecretò manebit, ac ſi dictum non fuiſſet, vt v. g. dicere patri crimen occultum filij, aut alteri amico. quibus dicere, perindè eſt, ac ſi parieti diceretur, fundamentum eſt, quia is, cuius peccatum detegitur, non patitur graue famæ detrimentum, cum vni cordato viro ſecretò reuelatur. Huic opinioni fauet Nauar. in cap. inter verba corol. 29. & 46. & in Man. cap. 18. num. 33.

Ex quo inferunt virum, & vxorem loquentes de peccatis filiorum, aut famulorum non peccare mortaliter.

2 Alij verò oppoſitum omninò ſentiunt, nempè reuelare delictum fratris occultum cuius quantumuis fido & cordato, niſi aliqua neceſſitas exigat, vel ob bonum commune, vel ob correctionem ipſius peccantis, aut aliorum inſtructionem, eſſe peccatum mortale, Ratio eſt, quia magni æſtimatur fama etiam apud vnum virum grauem, ergò grauis eſt famæ iactura, ſi peccatum detegatur vni. Ita Sot. lib. 5. q. 10. ar. 2. Barth. Med. lib. 1. inſtr. conf. c. 14. §. 16. Arag. 2. 2. q. 73. art. 2. Valen. tom. 3. d. 3. q. 10. p. 5. & Salon. 2. 2. q. 73. 2. 2. Huius opinionis videtur fuiſſe D. Tho. 2. 2. q. 73. ar. 2. ad 2. cum ait. Si vni aliquis de abſente malum dicit, corrumpit famam eius, non in toto, ſed in parte.

3 Pro deciſione tamen dico primò, quòd reuelare occultum crimen fratris vni viro graui & taciturno non eſt malum ex genere, ſed poteſt honeſtari iuſtis de cauſis, poteſt enim vel propter vtilitatem Reipublicæ, vt in crimine hæreſis, & poditionis Ciuitatis, vel propter vtilitatem eius, cuius crimen aperitur, vt ab illo commodiùs corrigantur, vel denique propter bonum, & vtilitatem aliorum quando crimè vnius, niſi prohibeatur, cedet in aliorum perniciem, tunc qui illud nouit, nec valet ſolus illi occurrere, poteſt reuelare illi, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe. Ita Mol. t. 5. d. 29. Bã. 2. 2. q. 73. a. 1. & Sa. loco ſupra citato.

4 Secundò dico, quòd regulariter reuelare infame alterius crimem occultum vni cordato viro, eſt peccatum mortale, eſtò talis is ſit, de quo ſit veriſimile

non sit reuelaturus. Ratio est, quia iudicium temerarium de proximo in re graui, est peccatum mortale ex genere, vt docet S. Thom.2.2.q.60.art.3. & tamen hic solùm apud vnum amittitur bonum nomen scilicet apud solùm iudicantem, ergò detractio erit peccatum mortale, non obstante quod apud vnum virum grauem & fidelem bona opinio fratris lædatur.

5 Tum quia reuelare occultum crimen fratris tribus, vel quatuor hominibus est mortale vt omnes concedunt: sed mallent homines suum crimen infame notum esse tribus, aut quatuor personis infimæ classis, quæ bonam de illis existimationem habent, quàm vni viro grauissimo, nam & si ex vna parte maius periculum immineat ab illis euulgatum iri, quam ab isto, tamen ex altera, pluris æstimant vnum virum grauem de suis moribus bene iudicare, quàm decem plebeios, ergò magis sentiet læsionem famæ apud Principem, vel Prælatum, aliumue simulem, cum quo assiduè versantur, vel à quo dependent, quàm apud plures de plebe, ergo peccatum mortale interdum esse potest, reuelare occultum crimen fratris vni viro omnino celaturo. Ita Sot. lib. 5. q. 10. ar. 2. Rebell. p. 1. de oblig. lib. 4. q. 3. Less. lib. 2. c. 11. dub. 11. & Nau. c. 18. nu. 33. vbi ait quòd licet non sit infamatio mortalis, quando peccatum filij detegitur patri, id tamen aliquando mortale esse potest, quando scilicet tale esset peccatum, & talis parens, vt detectio ei facta plus, vel æquò noceret filio, quàm facta alijs.

QVÆST. XXIX.

An qui iniuriam quàm alter sibi irrogauit, narrat amico suo, peccet?

1 REspondeo si id faciat animo detrahendi, vt se hoc modo vindicet, peccat mortaliter. Si autem eam referat, vt consilium, vel consolationem capiat ab amico, siue vt conqueratur de illo, ita vt ea querelà expositâ, dolor mitigetur, non peccat. Ratio huius est, quia vtitur iure suo capiens alleuiationem suæ pœnæ, & alterius crimen per accidens reuelatur. Ita Petr. Nau. lib. 2. de rest. cap. 4. num. 345. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 12. & Roder. par. prima, cap. 253.

QVÆSTIO XXX.

An qui refert peccatum, quod notorium est iuris, vel facti, peccet mortaliter?

1 IN qua re certum est, quod colloqui de peccatis alterius, quæ tam dicentibus, quàm audientibus sunt nota, ex se non est bonũ, nec malum, sed ex intentione colloquentium efficitur, vel opus honestum, aut vituperabile, si enim narrentur ea peccata ob bonum finem scilicet vt fugiamus illa, considerantes eorum exitium, opus est laudabile; si verò propter otium vel vanitatem tractabitur de illis, erit peccatum veniale. Si autem collocutio fiat ex praua intentione, vt scilicet proximus in fama. & honore grauiter lædatur, est peccatum mortale.

Sed dubium est: An qui manifestat id peccatum quod est notorium iuris, vel facti, bis qui illud ignorant, peccet mortaliter?

1 SOt. lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. & Sylvest. verb. detractio q. 1. num. 2. putant eum peccare mortaliter cum onere restituendi, nisi referat his, ad quos statim esset eius notitia peruentura. Ratio huius est, quia apud eos, qui peccatum non norunt, alter habet bonam famam, ergò ita est detractor respectu illorum, ac si crimen esset omninò secretum, atque ex consequenti peccat mortaliter.

2 Sed communis sententia est in contrarium cuius fundamentum est, quia ex quo publicè est infamia notatus, iam amisit iura secreti, & ipsi infamato imputari debet, qui causam suæ infamiæ dedit Pro quo.

Dico primò, quòd qui peccatum alterius notorium, siue iure, siue facto, ignorantibus reuelat, nisi ob bonum finem id faciat regulariter peccat venialiter, quia contra rationem est, vt qui alterum licèt infamatum, denuò infamet, eiusq; vulnera innouet Ita Caiet. in Opusc. 17. resp. 9. resp. ad 3. dubium Nau. c. 18. n. 26. Mol. tom. 5. d. 32. & Roder. p. 1. suæ sum. c. 253.

3 Secundò dico, quòd qui refert peccatum notorium alterius his qui illud ignorant, peccat mortaliter contra charitatem in duobus casibus.

Primò quando ex intentione damnificandi proximum notabiliter id facit.

Secundo

Digitized by Google

Secundo, quando ex tali manifestatione delicti notabile proximo nocumentum infertur, vel in fama, quia plus notabiliter eius crimen publicatur, aut aliud detrimentum peccanti euenit, & in hoc sensu vera est opinio Soti quando dicit esse contra charitatis iura, vt quis ei qui nescit talem hominem procedat.

QVÆSTIO XXXI.

Quis numerus hominum sufficiat vt delictum dicatur notorium notorietate facti?

1 SYlvest. verb. notorium c. 4. affirmat decem hominum numerum sufficiétem esse vt peccatum ab ipsis cognitum notorium dicatur.

2 Communis tamen opinio habet, absolutè, & in vniuersum illud solùm esse notorium ad effectum, vt possit quis priuatim sine iniustitia de peccatis proximorum confabulari, quod constat Iudicis sententia, vel clara iudiciali probatione vel confessione rei, aut per facti euidentiam ita notũ est, vt nulla possit tergiuersatione celari, vt si quis in publica platea blasphemaret, ac denique quod per frequentiam populi, aut maiorem partem illius, vt quod in parochia, vel vicinia est maiori parti hominum notum, vbi oportet vt sint saltem decem, & quod sciant sex. Vt docet Nau. c. 25. nu. 73. Arag. 2.2.q.73. art.2. Cordub. de detract. q. 2. conclus. 4. Roder. p. 1. suæ sum. cap. 253. & Eman. Sà verb. manifestum num.2.

QVÆSTIO XXXII.

An qui infamatum in vno loco puta Romæ, infamat in alio puta Neapoli, vbi habetur in bona existimatione, peccet mortaliter, & & ad restitutionem teneatur?

1 VT autem præsens quæstio meliùs intelligatur obseruandum est primò quòd homo potest esse diffamatus dupliciter, scilicet de iure, & de facto. De Iure quando eius delictum constat per sententiam Iudicis, vel per confessionem delinquentis in iudicio, vel per legitimam testium dispositionem.

De facto quando eius delictum est adeò notum, vt nulla tergiuersatione celari possit, vt est peccatum eius, qui in publica platea blaspemat, vel publicè concubinam habet, & domi filios alit; & etiam illud quod scit euidenter maior pars populi vicinorum, aut collegij, modò in eo saltem sint decem. Itaque scientia paucorum quá sex, non facit rem notoriam, neque sex, quando illi non sunt maior pars illius congregationis, vt egregiè docet Nauarr. cap. 25. nu. 73.

2 Quo posito Andr. quodlib.11.q. 1.ad 4. tenet hunc peccare mortaliter. Nauar. ca. inter verb. num. 842. & Maior in 4.d.19.q. 2. affirmant non peccare.

Caiet. in opusc. 17. resp. 9. resp. & Sot. lib.5.q. 10. ar. 2. asserunt hunc non peccare contra iustitiam, nec proinde teneri ad aliquam restitutionem.

Ledes.2.4.q. 18. ar. 2. anceps est, an liceat publicè in vno loco condemnatum, difamare de eodem crimine in alio loco, in quo non laborat infamia.

3 Alij verò distingunt, si peccatum est notorium notorietate Iuris, non est peccatum mortale contra iustitiam illud detegere in loco vbi est occultum, licet sit contra charitatem, quia eo ipso quòd Caius est iure infamis, est legitimè fama priuatus, ac proindè qui illius crimen alibi diuulgat, non peccat contra iustitiam. Si verò crimen est notorium notorietate facti, tunc peccatum est contra iustitiam, in alio referre, quia cum non sit Iure fama priuatus, potest in vno loco esse infamis, & in alio loco retinere illæsam suam famam, & existimationem. Pro quo.

Dico primò, quod qui legitimè interrogatus à Iudice, reuelat alicuius crimen quod siue notorietate Iuris, siue notorietate facti est publicum, non peccat, nec ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia Iudex in hoc casu iustè præcipit, vt testificetur de illo, ergò alter testificando non peccat. Ita Mol. tom.5.d.33.

Hoc idem dicendum est, si alio bono fine id faceret, vt si interrogaretur ad informationem, vel officium, vel matrimonium, non enim decipere debet innocentem interrogantem, vt nocenti benefaciat.

5 Hinc qui vt aliquos ad Religionem, vel collegium, aut ordines, vel matrimonium admittant, de illorum genealogia vel alia infamia, aut nota publica inquirunt, vt caueant quod cauendum est, nec ipsi peccant, nec qui veritatem eis sub secretò re-

Digitized by Google

uelant, ſed actum charitatis & fidelitatis imelent.

Secundò dico, quòd qui occultum crimen alicuius reuelat, quem certò ſcit paulò pòſt per ſententiam Iudicis fore condemnandum non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia tunc non cenſetur aliquod notabile damnum inferre; cum iam ſit paratum in fama, & rumore communi, ex quo neceſſitate quadam eueniet, ſpectata hominum conditione, & communi conſuetudine. Ita Salon. 2. 2. q. 62. ar. 2.

6 Tertiò dico, quòd qui diffamatũ in vno loco, in alio diffamant, in quo probabiliter propter locorum commercium, & propinquitatem, infamia ſtatim eſt diuulganda, non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia in moralibus quod parum diſtat, quaſi nihil diſtare cenſetur, & quod eſt in proxima potentia, tam ferè iudicatur in actu. Vndè peccatum in vno loco publicum, non eſt peccatum mortale in alio detegere, quando probabiliter eſt citò diuulgandum.

Tum quia infamato in hoc caſu, parum vel nil accreſcit damni. Ita Roder. p. 1. ſuæ ſum. c. 253. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. & Nau. c. 18. n. 26. qui citat D. Th. in 4. d. 19. q. 2. ar. 3. ad. 1. & 2.

7 Hinc qui infamatum in Monte Regali, infamat in Cunæo, aut Foſſano, non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia moraliter loquendo impoſſibile eſt, quin ibi ſtatim eius infamia ſit peruentura.

Hinc pari ratione, non peccat qui in eadem Ciuitate, quod eſt publicum in vna parochia, in alia refert, aut quod eſt notorium in Curia Regis, vel in media parte vnius Regni. vel Prouinciæ, in alia parte Regni, vel Prouinciæ publicat, quia mortaliter loquendo, quæ in Curia Regis diuulgangantur, facilè ad alia loca Regni deriuantur.

8 Quartò dico, quòd qui diffamatum in vno loco, ſiue per ſententiam Iudicis, ſiue per priuatorum notitiam, ſi non eſt emendatus, & crimen illius alius poteſt eſſe pernicioſum, in alio reuelat iis, quibus poteſt obeſſe, non peccat, imò potiùs exercet actum charitatis, habenda enim eſt potiùs ratio eorum qui pati poſſunt damnum quàm eius qui poteſt inferre, & prudenter, cum emendatus non ſit, timetur illaturus. Ita Salon. 2. 2. q. 73. art. 2. Tolet. lib. 5. ſuæ ſum. c. 65. & alij.

Hinc infamatũ in Monte Regali de furto, latrocinio &c. poſſunt Mediolan. reuelare, vt illius ciuitatis incolæ ab huiuſmodi ſibi caueant.

9 Quintò dico, quòd qui ſine animo detrahendi diffamatum in vno loco ſcilicet in Hiſpania Iudicis authoritate, vel propria confeſſione in iudicio, in alio, ſcilicet in Italia reuelat, nõ peccat ſaltẽ mortaliter. Ratio eſt, quia per illam pũnitionem auctor criminis eſt priuatus legitimè ſua fama; imò ſententia fertur ad hoc, vt in pœnam & confuſionem ſuam infamis habeatur, & vt cœteri ea de cauſa peccare metuant, ex quo fit, vt non in carcere, nec in nocte, ſed in die, & in medio populo, & in Feſtis ſolemnioribus iuſtitia fiat, ergò non eſt peccatum mortale, eius crimen quouis loco diuulgare. Ita tenet Nauar. cap. 18. num. 26. Caiet. t. 2. Opuſ. tract. 1. reſp. 9. Eman. Sa verb. infamare, n. 5. Ledeſ. 2. 4. fol. 250. & alij.

10 Sed (pace doctiſſimorum virorum, ac de Theologia, Chriſtianaque Religione bene meritorum dixerim) hæc ſententia mihi non probatur, ducor quia fama eſt bonum neceſſarium ad honeſtè, & ſtudioſè viuendũ, quo bono ſine iuſta cauſa, vel neceſſitate priuare fratrem iam honeſtè viuenté repugnat charitati, ergò peccat mortaliter, ad reſtitutionem tamen damni indè proueniẽtis nõ tenetur, quia hæc infamatio non fuit contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, ergò etiamſi inde illi damnum obueniat, non tenetur, quia non cenſetur cauſa iniuſta illius. Ita Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 13. & Sot. lib. 5. quæſt. 10. art. 1.

Dices, is qui hic per publicam punitionẽ eſt infamis, alibi retinet ſuã famã, ergò cũ ibi adhuc habeat bonum nomen non poteſt abſque peccato iniuſtitiæ eo ſpoliari.

Pet. Na. l. 2. de reſt. c. 4. num. putat eũ retinere ius ad famã in locis remotis, vnde qui crimẽ quod hic publicũ eſt, ibi refert peccat mortaliter cum onere reſtituendi.

11 Arbitror tamen contrarium eſſe affirmandum cum Leſſ. l. 2. de iuſt. q. 11. d. 13. Ratio huius eſt, quia poſtquàm per confeſſionem eius in iudicio, vel per legitimã teſtiũ depoſitionem eſt iuridicè condemnatus, vt ſit infamis, nullibi ſecundùm iura famam habet, quia adhoc punitur, vt eius infamia ad omnium aures peruenire queat, & per

& per accidens est, quod non ad omnes perueniat: ergo qui eius peccatum diuulgat, non peccat contra iustitiam, nec ad aliquam restitutionem obligatur.

12 Sextò dico, quòd qui diffamatum in vno loco per euidentiam facti, vel indiciorum, nec emendatum in alio loco diffamat, non peccat. Ratio est, quia sicut per publicam sententiam, vel propriam confessionem in iudicio fama amittitur, sic etiam perditur per euidentiam facti & indiciorum, & sibi quisque imputare debet, quod publico facto famam amiserit.

Tum quia qui in publico peccat, sponte videtur cedere iuri suo, quod ad famam habebat; nam hoc ipso quo in publico peccatum admisit, non videtur curasse quis sciat, vel non sciat.

Hoc idem confirmatur ex consuetudine totius Orbis, numquam enim homines putant peccare, si publica crimina alibi referant, vel literis præferbant, historiis commendent, vel historiis commendata legant, vel referant. Ita tenent Nauar. c. 18. n. 26. Caiet. tom. 2. Opusc. tract. 54. resp. 9. & plerique alij.

Oppositum tamen videtur verius, quia ibi illæsam habet famam, nec vlli facta est facultas eum ibi infamandi, ergo peccat contra charitatem. Ita Arag. 2. 2. q. 72. art. 1. Sot. lib. 5. q. 10. art. 2. & Mol. tom. 5. d. 33. tenet etiam esse contra iustitiam.

13 Septimò dico, quòd qui olim ob sua crimina infamatum in vno loco per euidentiam facti, vel indiciorum, sed iam emendatum, & honestè viuentem, in alio vbi id ignoratur infamat, peccat mortaliter contra iustitiam. Ratio est, quia sicut fama proprio facto amittitur, & infamia contrahitur, sic etiam proprio facto infamia purgatur, & fama amissa recuperatur: quod est verum, si eo modo eius crimen detegit, vt iudicet cum adhuc improbum esse, secùs autem si tantùm illa crimina olim ab eo commissa commemorat, tunc autem esse tantùm peccatum mortale contra charitatem affirmant. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. & Less. lib. 2. de iust. q. 11. dub. 13.

Dices, ergo qui olim per sententiam Iudicis est factus infamis, & postea emendatus benè viuendo famam suam recuperauit, peccatum est mortale ibi diuulgare peccatum illius.

14 Respondeo concedendo consequentiã. Et ratio huius est, quia tunc lædit proximum in re grauiori, puta in fama, quam facto, & si non iure ibi retinebat, ergo contra charitatẽm est illum spoliare bono nomine, præsertim si ex tali diffamatione nihil commodi detractori, vel alius proueniat.

Octauò & vltimò dico, quòd qui alicubi condemnatum per publicam sententiam iniustam, alibi reuelat, peccat mortaliter cum onere restituendi famam ablatam, vt sit condemnatus; tunc enim sententia est iniusta. Quòd de loco est dictum, intelligendum est etiam suo modo de tempore.

QVAESTIO XXXII.

An qui detrahentem audit, ac tolerat, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1 IN hac graui, & difficili quæstione dico primò, quòd qui nolens audit detractionem, cui ob bonum finem non resistit, quia nimirum ex tali resistentia videt sibi imminere notabile damnum, aut quia probabiliter non sperat fructum ex reprehensione, sed deteriorem futurum eum, qui detrahit non peccat, nec ad aliquam restitutionẽ tenetur. Ratio est, quia nulla priuata persona obligatur ad tuendam famam proximi, nisi ex charitate, charitas autem non obligat cum notabili proprio detrimento, vel si nullam sperat emendationem, ergo qui hoc modo detrahentem audit, ac tolerat, nec peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur. Ita Arag. 2. 2. q. 74. art. 4. & P. Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. nu. 335.

2 Secundò, dico, quòd qui audiendo detractionem, de ea delectatur, peccat mortaliter contra charitatem. Ratio est, quia consensus deliberatus in obiectum mortale, mortalis est iuxta illud Apostoli ad Ro. 1. digni sunt morte, non solùm qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Ita Valen. tom. 3. d. 5. q. 17. p. 4. Mol. tom. 3. d. 34. & Tolet. lib. 5. cap. 67.

Tertiò dico, quòd qui delectatur de detractione, non quatenus vergit in damnum proximi, sed de facetia detractionis, aut de curiosa cognitione rei nouæ, non peccat mortaliter ex parte ipsius complacentiæ præcisè, quamuis aliunde peccare possit mortaliter, quando scilicet ita delectatur de eloquentia, vel curiosa cognitione

factorum proximi, vt placeat ei, quod alter detrahat. Ita Rebell.p.1.de oblig.lib.4. quæſt.6. Molin.tom.5. diſp.34. Tolet. lib.5. inſt. ſummæ, cap. 67.

3 Quartò dico, quòd qui nec inducit, nec delectatur in tali detractione, ſed tantùm volens audit detractionem, ſi eſt perſona priuata, aliquando non peccat omninò, aliquando venialiter, aliquando verò mortaliter contra charitatem, ſed ad reſtitutionem famæ non teneretur.

Non peccat primò audiendo detractionem, quando ex tali reſiſtentia videt ſibi imminere aliquod magnum damnum, vt contumelias, verbera, quia nimirùm detractor eſt vir iracundus &c. Dico (magnum) quia quando paruum nocumentum timet, & nocumentum proximi notabile eſt, tenetur illud pati pro proximo.

4 Secundò quando non reſiſtit ex rationabili verecundia, vt ſi ſit famulus, vel ſubditus, nullúſque vel exiguæ auctoritatis, apud ſuum ſuperiorem.

Tertiò quando videt ſuam admonitionem nihil profuturam. In his autem caſibus tenetur auditor, aut inde recedere, ſi commodè poſſit, vel ſermonem aliò diuertere, aut ſaltem vultum triſtem oſtendere, nam hac ratione impeditur, vel ſaltem minuitur detractoris feruor iuxta illud Prouerb.25. ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtes linguam detrahentem.

5 Eſt autem peccatum veniale audire detractionem, primò quando detractio eſt de re leui,

Secundò quando eſt de re adeò notoria, vt parùm vel nihil accreſcat infamiæ detracto.

Tertiò quando ex animi puſillanimitate non audet reſiſtere, quia tunc valde difficilè eſt efficaciter impedire. Vnde tunc non tenetur ſaltem ſub peccato mortali detractionem impedire, niſi fortè infamia eſſet valde atrox, vel magna incommoda ex infamia timerentur, tunc enim deberet ſibi vim facere excuſſa verecundiâ, & modeſtè contradicere.

Quartò quando probabiliter credit detractorem ſponte reuocaturũ, vel emendaturum quã dixit, idq; breui, & efficaciter.

Quintò, & vltimò, quando putat auditores non credere.

Erit autem peccatum mortale detractori non reſiſtere.

Primò quando audiens videt ex illa detractione imminere aliquod graue damnum detracto.

6 Secundò quando cum poſſit detractionem repellere ſine ſuo graui incommodo, id omittit ex timore humano. Quod intelligitur ſecundum Caiet. in ſumma verb. detractio, quandò timor humanus, ob quẽ detractori non reſiſtit, eſt peccatum mortale. Tunc autem ex Sot. lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 4. metus humanus erit peccatum mortale, quando quis amicitiam, fauorem, aut alia commoda temporalia charitati fraternæ anteponit.

7 Tertiò quando ſubditus detrahit ſuperiori, & audiens non impedit, cum poſſit commodè. Quorum omnium ea eſt ratio, quia non contradicendo, cum poſſit, & debeat, videtur tacitè detractioni conſentire. Tum quia facit contra illud ſpeciale præceptum prouer.4. remoue à te os prauum, & detrahentium labia ſint procul à te. Et Eccleſ.24. ſepe aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, ſeras aurib. tuis. Ita Arag. 2.2. q.73. art.4. Val. tom. 3. d. 5. q. 17. p. 4. Roder. p. 1. ſum. c. 253. Tolet. lib. 5. c. 67. & alij.

8 Ex qua doctrina colligitur tria eſſe neceſſaria vt audiens detractionem, illamque non impediens, peccet mortaliter.

Primò vt detractio attenta qualitate perſonæ detractæ ſit de re graui.

Secundùm, vt ſit ſpes fructus.

Tertiò vt ſine graui ſuo damno, ac moleſtia poſſit illam impedire, & quoniam tria hæc rarò concurrunt ſimul, rarò perſonæ priuatæ peccant mortaliter ſe non opponendo detractioni, vt docet S. Th. 2.2. 73. ar. 4. Sot. lib. 5. q. 10. a. 4. & Mol. t. 5. d. 34.

9 Quinto dico, quòd qui ità audit detractionem, vt aliqua ratione cooperetur detractori, nimirùm iuuando, incitando, mouendo, inducendo, interrogando, laudando, vel approbando, non minùs peccat quàm is qui detrahit, ſed potiùs magis, quia ex D. Paul. ad Rom. 1. non ſolùm peccant qui peccata committunt, ſed etiam qui peccantibus conſentiunt. In quo ſenſu locum habet quod ait D. Bernar. lib. 2. de conſid. ad Eug. Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.

Quòd autem magis peccat, probatur, quia vltra peccatũ detractionis, quod admittit cauſando detractionem cooperatur etiam

Digitized by Google

etiam peccato ipsius detractoris, & ideò peior est, quàm homicida, vt Aug. relatus 2.2.cap.qui prouocat ad falsum iurandum, docet, occidit enim animam suam, & detrahentis. Vnde & contra iustitiam vterque peccat, & ad restitutionem tenetur, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Ita Arag. 2. 2. q. 73. ar. 4. Sot. lib.5.q. 10. ar. 4. Mol. tom.5.d.37. Nauar. c. 18. nu. 37. Salon. 2. 2. q. 73. ar. 4. Petr. Nau. lib.2. de rest. c.4. nu.335.& alij

10 Ex quo deducitur, eum qui se opponendo detractioni, potest sine suo graui incommodo impedire spirituale damnum detrahentis,& damnum famæ eius de quo detrahitur, & non impedit,duplex lethale peccatum committit, vnum quia non subuenit saluti spirituali detrahentis, alterum quia nō impedit damnum personæ detractæ, & si de detractione complaceat, iterùm peccat mortaliter contra charitatem.

QVÆST. XXXIV.

An in casu quo audientes detractionem peccãt mortaliter, incidant in excommunicationem latam contra detrahentes?

1 ADrian. in quodlib.11. q.1.ad 4. tuetur partem affirmatiuam.

2 Sed contrarium, quod tenent Sylvest. verb. excommunicatio 8. notab.3.dub.1. & 3. & verb. excommunicatio vlt. dub. 4. & Pet. Nau. lib. 2. de rest. c. 4. nu. 339. est proculdubiò tenendum. Ratio huius est, quia de Reg. iuris pœnæ sunt restringendæ, & fauores ampliandi. Vnde excommunicatio cum sit grauissima pœnarum, non debet excedere suos casus, at in casu nostro excommunicatio fertur contra detrahentes,ergo non comprehendit audientes, cum non sint propriè detractores.

QVÆSTIO XXXV.

Quisnam ad restitutionem teneatur, qui ad detractionem induxit, an ipse detractor?

1 REspondeo si inducens imperio, vel fraude fuit causa iniusta detractionis, solus inducens principaliter restituere tenetur,quia fuit præcipua causa damni, detractor verò minùs principaliter, & solùm in defectum inducentis. Si verò solùm consilio, aut alia ratione absque dolo, & fraude detrahentem ad diffamandum incitauit, ipse detractor principaliter tenebitur restituere, eoque restituente, liber erit inducens à restitutione, in defectum tamen detractoris, tanquam causa minùs principalis,talis incitator restituere tenebitur. Mol. tom.5.d.34.

QVÆSTIO XXXVI.

An superior qui mortaliter detrahentes audit, nec impedit, cum possit ad restitutionem teneatur?

1 REspon.& dico primò, quòd Prælatus seu superior qui non cohibet extraneum famam sui subditi denigrantem, non tenetur ratione famæ ad aliquam restitutionem suo subdito. Ratio est, quia ex officio, obligationéue iustitiæ commutatiuæ non tenetur Prælatus suos subditos protegere à damno in fama,& in aliis rebus: quia cura Prælati est cauere ne subditi peccent. Ita Sot. lib.5.q. 10.a.4.

2 Dixi notanter (ratione ipsius famæ) quia aliquando tenetur ratione;salutis spiritualis subditi, in euentu quò fama putatur necessaria, vel valdè vtilis, ne ille ea amissa licentiùs viuat. Ratio est,quia cum Prælatus ex iustitia teneatur impedire ea quæ subditorum saluti spirituali aduersantur, tenebitur etiam impedire subditorum infamiam, quòd si non facit, peccat mortaliter, & etiam ad restituendam famam tenetur, est enim indirectè causa damni subsequti. Ita Caiet. 2. 2. qu, 73. a. 2. Less. lib. 2. de iustitia cap.11. dub. 23. & Ban. 2. 2. q. 73. ar. 1.

3 Secundò dico, quòd superior non impediens subditum extraneo detrahentem, cum facilè, & sine suo graui incommodo possit, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia superior tenetur ex officio, & iustitia suum subditum corrigere, & obstare, ne alterius famam denigret; quòd si non impedit, cum possit, peccat mortaliter cum onere restituendi, quia censetur causa moralis damni Ita. Less. supra.

Tertiò dico, quòd si subditus in absentia sui superioris famæ alterius detrahat, non tenetur superior eam restituere subdito, dummodò quantum in se est, compellat subditum, vt restituat. Prima pars est manifesta quia tunc cũ fuerit absens,non censetur causa moralis dã-

ni. Secunda verò pars probatur, quia superior ex officio tenetur compellere subditum ne in peccato maximè contra iustitiam persistat; sed infamator dum non restituit, manet in peccato contra iustitiam, ergò superior tenetur eum cogere, vt famam restituat.

4 Quartò, & vltimò dico, quòd nomine superioris hic intelligimus Patresfamilias respectu filiorum, dominos respectu seruorum, Abbates, & Priores Regularium, Episcopos, & Parochos respectu suorum subditorum, ac denique Principes, & Magistratus; hi enim sicut tenentur contumelias impedire, ita & detractiones: verumtamen non tenentur compellere ad famæ restitutionem, nisi pars læsa in iudicio id petierit, nisi fuerint aliquo modo infamiæ causa. Ratio est, quia parte non petente, videtur infamia condonata. Ita Less. lib. 2. de Iust. cap. 11. dub. 23.

QVÆST. XXXVII.

Quo pacto detractioni sit resistendum?

1 RESP. si detractio inchoatur impediri debet in personis infimæ classis simplici redargutione, vel imperio, estò superior non sit. In alijs verò æqualis, vel maioris conditionis, & status, impediri debet, vel sermonem aliò diuertendo, vel ea de re, vt nō agatur, obsecrando, vel etiā discedendo, vel si alter non potest, signis, gestibus, & facie tristi, ostendendo, quod huiusmodi detractio ei displicet. Nam vt Prouerb. 25. dicitur, ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem, quia vt prouerbio dicitur, dicit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Et Eccles. 7. per tristitiam vultus, animus corrigitur delinquentis. Vnde Hieronymus ad Nepot. ait. Nemo inuito auditore, libenter refert detractoria. Post completam verò detractionem, si falsa sit, ostendendum falsam esse, si autem vera, verisimilibus rationibus agendum, vt in dubium vertatur.

QVÆSTIO XXXVIII.

An diffamatum de vno genere vitij, liceat in eodem etiam loco, diffamare de alio occulto, etiam eiusdem speciei?

1 PAlud. in 4. d. 19. q. 4. Sylvest. verb. detractio q. 1. Et Cord. in annot. super Sot. in. 2. q. 2. concl. 5. & q. 4. concl. 6. putant licere. Et probant quia qui de aliquo crimine est infamis, iam habet suam opinionem, & existimationem læsam, & maculatam, ergò nullam infamiam patitur ex alterius criminis reuelatione.

Ex quo infert Palud. comunctum à Iudice de homicidio teneri ad manifestandum Iudici cætera delicta, de quibus fuerit ab ipso interrogatus, quamuis sint omnino occulta.

2 Sed communis sententia est in contrarium. Pro quo.

Dico primò, quòd qui notatum infamia de multis eiusdem speciei criminibus v.g. de decem furtis, reuelat aliquid aliud furtum illius, quamuis occultum non peccat mortaliter, quia notabiliter famam eius non lædit, nisi illud peccatum fuerit etiam valde atrox, aut enorme crimen, etiam in eodem genere, qualia sunt peccata nefaria, tunc enim proculdubiò esset peccatum mortale contra iustitiam tale occultum delictum eius reuelare. Ita. Mol. tom. 5. d. 32. Roder. p. 1. c. 255. & Rebell. p. 1. de oblig. lib. 4. q. 4.

3 Secundò dico, quòd qui infamatum de multis criminibus detegit aliud occultum, præsertim si sit alterius speciei ex genere suo peccat mortaliter contra iustitiā. Et ratio est, quia qui est infamis in vno genere vitij, circa alia infamatus non est, sed bonum nomen habet, potest enim quis haberi blasphemus, & tamen esse, & haberi pudicus, & fidelis, ergò infamatus de blasphemia, nō potest infamari de alijs occultis, scilicèt de homicidio, furto &c. Ita Petr. Nau. lib. 2. de rest. c. 4. nu. 231. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 2. Less. lib. 2. de Iust. c. 11. dub. 13. Mol. tom. 5. d. 32. & D. Nauar. c. 18. nu. 42. citat. D. Th. 2. 2. q. 72. ar. 1. & Caiet. ibidem. qui tamen nihil de hoc dicunt.

Tertiò dico, quòd non videtur peccatum graue, proximum infamare de minori delicto, vbi de maiori notabiliter est infamatus. Vt si quis de simplici fornicatione proximū infamaret, iam antea de præposterа libidine diffamatum. Ratio est, quia parum tunc proximi famam lædеret. Ita Rebell. p. 1. de oblig. l. 4. q. 4. & Less. lib. 2. de iust. c. 11. dub. 14.

4 Quartò & vltimo dico, quòd qui infamatum ob multa crimina detegit aliquod aliud eius peccatū alterius speciei, nō peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem

Digitized by Google

nem quandocunque in illud ſolent, vt plurimum incidere ij qui perpetrant priora delicta, vt ſi conſtat publicè Titium violaſſe puellam, non eſt peccatum mortale referre illum pretio familiares corrupiſſe. Vel ſi de ebrioſo, vel aleatore publico referret, quod crebrò iura, rixatur, vel non curat familiam. Ratio huius eſt, quia eo ipſo quòd in hęc, & ſimilia ſoleat incidere, non lædatur notabiliter eius fama; habent enim hæc peccata inter ſeſe adeò magnam connexionem, vt poſſit vnuſquiſque ea de per ſe iudicare, aut ſuſpicari etiam nemine dicente. Ita Salon.2.2.q.62.art.2. Leſſ.lib.2. de iuſtit.c. 11. dub. 14. Arag.2.2.q.62.art.2. Roder.p.1.ſuæ ſummæ c.253.& alij.

QVÆSTIO XXXIX.

An qui mortuum infamat peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui peccatum defuncti in confeſſione ſacramentali auditum reuelat, proculdubiò peccat mortaliter. Ratio eſt, quia ſigillum ſacramentale cum naſcatur ex præcepto negatiuo, obligat ſemper, & ad ſemper. Ita D.Th.2.2.q.33. art.2. Nau.c.8.n.7.& alij.

Secundò dico, quòd ſi infamia defuncti redundat ad hæredes, tunc qui infamat defunctum in re graui peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia denigrans famam defuncti, infert ſimul notabile detrimentum viuis.

2 Tertiò, & vltimò dico, quòd licèt infamia defuncti non tranſeat ad viuos, adhuc peccat mortaliter, cum onere reſtituendi famam, qui mortuo falſum crimen imponit, aut occultum detegit. Ratio eſt, quia qui nocet cum iniuria peccat mortaliter, & tenetur ad ſatisfaciendum quandiu durat; atqui fama eſt bonum nomen, quod durat etiam poſt mortem, per hanc enim viuit quodammodo in memoria hominum. Et ſimiliter infamia eſt damnum, quod durat poſt mortem, nocétque defuncto, ergo qui iniuſtè mortuum infamauit, peccat mortaliter, & tenetur illi famam reſtituere, non autem hæredibus, cum ius ad eam reſtitutionem non habeant, niſi conſtaret eum eſſe in inferno tunc enim tanquam hoſti Dei, & noſtrum omnium, qui proximus noſter iam non eſt, obligatio non eſſet quicquam illi reſtituendi. Ita Mol.tom.5.d.27. & 44.& Reb.p.1.de oblig.lib.4.q.11.Leſſ.lib.2. de iuſt.c.11.dub.21.& Salon.2.2.q.62.art.2.

QVÆST. XL.

Vtrùm hæredes infamatoris teneantur ad famæ reſtitutionem, ſi ipſe viuens eam non reſtituit?

1 ADrian. quodlib.11.q.1.Nauar.c.18.n. 46.& Mol.tom.5.d. 45. putant ad id teneri. Mihi vero contraria ſententia longe verior cum aliis videtur. Pro quo.

Dico primò, quòd hæredes infamatoris non tenentur ad famæ reſtitutionem. Ratio eſt, quia obligatio hæc eſt merè perſonalis, debita autem perſonalia non tranſeunt ad hæredes. Ita Petr. Nauar.lib.2.de reſt.c. 4.n.426.& Leſſ.lib.2.c.11.dub.21.

2 Secundò dico, quòd hæredes infamatoris tenentur iuxta vires, & facultates hæreditatis, reparare omnia damna, quæ ex illa infamia paſſus eſt infamatus, quæ infamator dum viueret non reſtituit. Ratio eſt, quia hæc obligatio non eſt purè perſonalis, ſed realis: debita autem realia, & pecuniaria, & pars ſunt hæreditatis, & tranſeunt cum hæreditate. Ita Salon.2.2.quæſt. 62.art.2.& Petr.Nauar.lib.2. de reſt. cap.4. num.426.

QVÆST. XLI.

Cui facienda ſit reſtitutio, quando is qui paſſus eſt damnum, defunctus eſt?

1 REſpondeo ex communi ſententia tunc reſtitutionem faciendam eſſe hæredibus ipſius. Ratio eſt, quia debita realia ſunt pars hæreditatis, & ius in illa, vna cum hæreditate tranſit ad hæredes. Ita Salon.2.2.q.62.art.2.

QVÆSTIO XLII.

Vtrùm is qui inuincibiliter ignorans ſe nocére fama proximi, illam reipſa denigrauit, ad aliquam reſtitutionem famæ teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui bona fide aliquem infamauit, ſimul atque cognouerit ſe deceptum fuiſſe, tenetur ad reſtitutionem non ſolùm ex cha-

ritate.ſed etiam ex iuſtitia, ſicut is qui bona fide detinet alienum, tenetur ad reſtitutionem, ſimul atque cognouerit alienum eſſe. Ita Molina tom.5.diſp. 40.

Secundò dico,quòd qui hoc modo proximum infamauit, non tenetur cum graui iactura ſui nominis, & bonorum temporalium famam reſtituere.Ratio eſt,quia cum ſine peccato eam denigrauerit, non tenetur cum notabili ſuo incommodo eam reſarcire. Ita Leſſ.lib.2.de Iuſt.cap.11.dub.22. & Rebel.p.1.de oblig.lib.4. quæſt.8.

2 Tertiò dico, quòd ſi is,qui ita paſſus eſt infamiam, interim aliquod damnum temporale patiatur,non tenetur infamator huiuſmodi damnum reparare. Ratio eſt, quia cum non fuerit cauſa iniuſta infamiæ, non cenſetur eſſe cauſa moralis damni ſubſecuti ex tali infamia. Ita Mol. tom. 5. d. 40.

Quartò dico, quod ſi infamator, poſtquàm cognouit ſuum errorem, fuit in mora reſtituendi famam, quàm abſtulit,& interea infamatus aliquid damni patiatur, tenetur in conſcientia illud reſarcire.Ratio eſt,quia ex illo tempore,quo cognouit veritatem, & potuit ſine ſuo graui damno, reſtituere,cenſetur eſſe cauſa moralis infamiæ, ac proinde damni ſubſecuti. Ita Leſſ. lib.2.de Iuſt.cap.11.dub.22.

3 Quintò, & vltimò dico, quòd ſi Titius licitè aliquid de Caio diceret, & auditores abſque referentis culpa,illud intelligerent de Meio, qui infamatus iniuſtè remaneret, tunc Titius tenetur ex charitate ad reſtitutionem famæ, ſi ſine ſuo notabili damno poteſt,non tamen ex iuſtitia.Prima pars patet, quia charitas exigit vt proximi damno occurramus,ſi abſque noſtro graui incommodo poſſumus. Secunda verò pars probatur, quia relatio Titij non eſt cauſa directa infamiæ Meij, ſed audientium mala intelligentia.Ita Leſſ.loco citato.

QVÆSTIO XLIII.

An qui non reuelat virtutes alicuius, peccet peccato detractionis?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd qui extra articulum neceſſitatis virtutes alicuius non manifeſtat, non peccat. Ratio eſt, quia nullus tenetur omnes homines etiam probos, & perfectos ſemper laudare, vt docet Petrus Nauar. lib.2.cap.4.num.343.

3 Secundò dico, quòd qui ſeriò laudat aliquem ſupra modum, cum ſciat ei talem laudem non competere peccat mortaliter. Ratio eſt, quia in hoc caſu perinde eſt, ac ironicè, & bonis verbis reipſa vituperare. Ita Petr.Nauar.loco citato.

2 Tertiò dico, quòd qui multum aliquem commendat, ac laudat, ex quo fama alterius denigratur notabiliter, peccat mortaliter contra iuſtitiam, ac proinde ad reſtitutionem tenetur, verbi gratia agitur de Titio cui ablatum fuit beneficium,& alteri collatum,quidam ex aſtantibus dicit ſic,qui modò gaudet beneficio, eſt vir bonus, nemini nocet &c.hoc enim perindè eſt, ac ſi diceret,alium eſſe hominem improbum,& iniuſtum. Ita Petr.Nau.ſup. num.344.

3 Quartò dico,quòd qui ſimulatè, vel frigidè aliquem commendat, ac laudat,tempore quo tenebatur illum laudare, peccat mortaliter cum onere reſtituendi,vt quando quis fingit ſe velle laudare, aliquem alioqui cõmendandum, & tamen ita ieiunè laudat, vt id in vituperium laudati cedat iuxta illud Phauoriani, Turpius eſt exiguè, atque frigidè laudare, quàm inſectanter,grauiterque vituperare. Ita Molina tom.5. diſp.27.

Quintò dico quòd qui in occaſione, & in articulo neceſſitatis alicuius viri probi laudem contegit, peccat peccato detractionis,& in re graui peccat mortaliter. Ratio eſt,quia ſicut lege, & præcepto charitatis.& quandoque iuſtitiæ tenemur proximi delicta non propalare, ſed abſcondere, ita eodem iure tamen vt eius merita non celare, ſed detegere. Ita tenet Petr. Nauar. vbi ſupra.

4 Sextò & vltimò dico, quòd tunc ad reſtitutionem famæ tenetur ſic detrahens, quando merita illius ex officio detegere tenebatur, qualis eſt ſecundùm nonnullos teſtis in iudicium vocatus, vel prælatus. Alij verò à quibus priuatim informatio,& conſilium poſtulatur de vita,& moribus alicuius, & tacent eius virtutes cum illius notabili damno, puta quia quæſierat, vel expectauerat aliquod bonum,quòd habuiſſet, ſi de illo benè locuti fuiſſent, peccant mortaliter, ad reſtitutionem tamen non tenentur, quia eius merita notificare ex officio non tenentur, vt Molina tom. 5. tract.4.diſp.27. D. Nau.in Man. cap.18. nu. 37. & plerique alij annotarunt.

QVAE

QVÆSTIO XLIV.

An infamatum certo tempore, fas sit diffamare alio tempore? verbi gratia quinquaginta sunt anni, ex quo Titius publicè ob sua delicta fuit infamis, quod hoc tempore pauci, aut nulli sciunt, est autem senex, qui videns Titium per medium forum ambulantem, præsentibus dicit olim hunc fuisse infamem, Quæritur nunc. An peccatum mortale sit veritatem sic olim notoriam modo reuelare?

1 RESP. si Titius iuris infamiâ cõtraxit, non est peccatum contra iustitiam eã reuelare, donec publica authoritate Iudicis ea infamia tollatur & pristina fama recuperetur, benè tamen cõtra charitatem: & quidem quòd non sit peccatum mortale contra iustitiam, ex eo colligitur, quòd Titius iure fuit ea pœna mulctatus, eaque expressa intentione fuit publicè punitus, vt eius scelus omnibus patefieret, haberetúrque in perpetua memoria, ergo qui illud propalat, nullam ei facit iniuriam, atque ex consequenti non peccat contra Iustitiam. Quod autem peccatum sit contra charitatem, probatur quia fama est bonum necessarium ad Christianè Religioseque viuendum, quo bono sine iusta causa priuare fratrem iam emendatum, pugnat cum charitate proximo debita, ergo peccat mortaliter contra charitatem.

Si verò Titius infamiam contraxit, solúmque per euidentiam facti, tunc interim dum ea proprio facto non purgatur non est peccatum mortale contra iustitiam eâ reuelare, quia etsi ius habeat ad famam, quàm ex tempore bene viuendo comparauit, non tamen vnquàm acquirit ius vt dicatur, vel æstimetur fuisse bonus illo tempore, quo suum crimen publicum fuit, ergo qui refert eum olim illud commisisse, non facit ei iniuriam, modò id non eo modo referat, vt audientes intelligant eum etiam nunc improbum esse. Esset tamen peccatum mortale contra charitatem, si absque iusta causa eius crimen in memoriam aliorum reuocetur, vt eleganter tradit Less. l. 2. de Iust. c. 11. dub. 13.

2 Dixi notanter (absque iusta causa) quia si fit ob bonum finem, vt puta iuridicè ad informationem Ecclesiæ, vel Collegij ingrediendi, vel matrimonij contrahendi potest tale scelus sine peccato reuelare iis, quibus potest prodesse, & aliis non obesse.

QVÆSTIO XLV.

An qui defectus veniales alicuius reuelat, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1 BARTH. Med. lib. 1. de instruct. conf. cap. 14. §. 35. tenet aliquando esse peccatum mortale reuelare peccatum veniale aliorum, vt si in absentia dicas aliquem esse mendacem &c.

At verò Sylvest. verb. detractio quæst. 1. & Nau. c. 18. nu. 14. docet in vniuersum detegere peccata venialia aliorum esse tantùm peccatum veniale. Pro quo.

2 Dico primò, quòd regulariter loquendo narrare aliorum defectus veniales, non est nisi veniale peccatum, nullam habens annexam restitutionem. Ratio est, quia ex reuelatione peccati venialis proximi, non infertur illi notabile detrimentum in fama. Ita Less. lib. 2. cap. 11. dub. 3. Nauar. cap. 18. nu. 24. Aragon. 2. 2. quæst. 73. art. 2. & alij.

3 Dixi notanter (regulariter loquendo) quia in tribus casibus detegere aliorum culpas veniales, est peccatum mortale. Primò quando quis Seriò, & ex ira de aliquo in faciem ipsius de mendacio improperat. Ratio est, quia huiusmodi verba inter homines pro graui, & atroci contumelia, & iniuria reputantur, & proximus notabiliter offenditur & contristatur, nec se sufficienter vlcisci posse putat, nisi alapa, aut fustibus inflictis. Ita Arag. 2. 2. qu. 73. art. 1.

4 Secundò quando quis dicit de aliquo in absentia esse mendacem, idest, habere consuetudinem mentiendi. Ratio est, quia licèt mentiri non sit nisi peccatum veniale, aliquem tamen mendacem esse affirmare, quando non est notorium illum pro mendaci haberi, notabilis defectus est, & proinde notabiliter læditur fama proximi. Secùs si aliquem absentem diceret semel, vel bis mentitum, tunc enim nõ esset mortale, quia non ob id amitteret famam. Ita sentiunt Med. lib. 1. inst. conf. cap. 14. §. 35. Petr. Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. num. 314. Arag. sequæstio 73. artic. 2. & Less. lib. 2. de Iustitia cap. 11. dubit. 3.

Tertiò & vltimò, quando quis narrat peccata venialia ex consuetudine facta quæ ratione personæ de qua dicuntur, censentur

ſentur grauia,vt ſi de fœmina honeſtiſſima vel graui viro, vt Prælato,vel Religioſo, ac ſimilibus,venialem aliquam laſciuiam, ſiue ignominioſam aliquam leuitatem detegat quæ notabiliter æſtimationem imminuit,vt verbi gratia, quòd ſemper rideat; vanis ac otioſis verbis delectari ſoleat,quòd ſit amicus exeundi ad conuerſandum extra Monaſterium,quòd inanis gloriæ,& ambitionis ſit cupidus &c.Ratio eſt,quia cum Prælati, ac viri Religioſi, aut perfecti ſint, aut ad perfectionem tendere,teneantur, vt S. Thom. communiter receptus tenet 2.2.qu. 186.art.1.non parum læditur fama, & æſtimatio eorum ex huiuſmodi defectuum venialium narratione , cum exinde minùs æſtimari ſoleant.Quod intelligitur,ni huiuſmodi defectus ſint notorij , omnibuſque noti. Vt tenent Aragon. 2.2.quæſt.73.art.2. Petr. Nauar. lib.2. de reſt. cap. 4. num.312. & Roder.p.1.ſum cap.253.

QVÆSTIO XLVI.

An ſit peccatum mortale referre defectus naturales alicuius?

1 RESP. regulariter loquendo, non eſſe peccatum mortiferum huiuſmodi defectus animi,aut corporis detegere, verbi gratia,quòd ſi ignarus,parui iudicij,parui ingenij , indiſcretus , cæcus, gibboſus, Strabo, varus. Ratio eſt, quia ob hæc non cenſetur quis infamis.Hoc idem dicendum eſt , de defectibus natalium , vt dicere quempiam eſſe filium Clerici , natum ex adulterio , & ſimilia.

2 Dixi notanter (regulariter) quia ratione damni adiuncti poteſt eſſe peccatum lethale contra charitatem huiuſmodi defectus detegere,vt verbi gratia, quando ex tali reuelatione impediretur quis ab aliquo bono conſequendo, vel habitum perderet, vel ob id putaretur valdè in animo audientium contemnêdus. tunc enim contra charitatem proximi debitam eſt illos defectus reuelare. Quòd intellige , dummodò ad informationem , vel officium, vel matrimonium interrogatus , & requiſitus id non faciat , quia tunc etiam in malis culpæ veritatem dicere tenetur , vt ait Nauar. cap.18.nu. 24. Arag.2.2. q.73.art. 2.Barth. Med.lib.1. inſtr. conf. cap.14. §.35. Leſſ. lib. 2. de Iuſtitia cap. 11. dub.3. Petr. Nauar.lib.2.de reſt. num. 306.& alij.

QVÆST. XLVII.

An hæc, & ſimilia dicere in faciem alicui viro honeſto per modum contumeliæ ſit peccatum mortale?

1 RESP. eſſe peccatum mortale. Ratio huius eſt , quia cenſetur notabilis contumelia , etiamſi defectus naturalis ſit, & notorius,vt ſi quis,Eunuchum in faciem appellet eum quem ſcit hoc moleſtè ferre, vel fœminam alias probam, & grauem, deformem, aut luſcam appellet , aut hominem literatum , & prudentem, in faciem fatuum ex liuore vindictæ nominet, quia notabilem cauſam contriſtationis præbet : quæ omnia patent ex illo Matth. 5.Qui dixerit fratri ſuo fatue,reus erit gehennæ ignis : conſtat autem fatuitatem eſſe defectum naturalem.Secùs ſi ſit perſona infimæ claſſis,niſi forte grauem mœrorem inde putetur concepturus , vt docet. Leſſ.lib.2.de Iuſtitia cap.11.dub.3.

2 Verùm quia iſta verba contumelioſa communiter dicuntur ex leui quadam ira, ſine intentione notabiliter iniuriandi, non puto eſſe peccatum mortale aliquem fatuum, imprudentem, claudum, gibboſum, aut naſonem appellare , quod arbitrio prudentis confeſſarij relinquitur iudicandum, attentis omnibus circunſtantiis perſonæ dicentis,& eius cui dicuntur, & modi tolerandi.

Auerte tamen non eſſe peccatum mortale dicere hunc, vel illum morbo Neapolitano eſſe infirmum,quia non ſemper procedit morbus iſte ex culpa carnali,ſed aliquando ex contagio,idque verum eſſe cêſeo,habita ratione perſonarum, de quibus hoc dicitur,& maximè in inuenibus,qui vt diximus,ob talia peccata non ſolent notabiliter infamari. Nec erit peccatum, ſi dicatur ad bonum finem, ſcilicet alicui,ne ei tradat filiam ſuam in vxorem , ne ex eius conuerſatione inficiatur morbo,vt ait Roder. p.1.ſum.cap.253.

QVÆSTIO XLVIII.

An qui peccata aliorum ita generaliter detegit , vt non magis conſtet eſſe mortalia, quàm venialia pecce mortaliter? Vt ſi dicat Titium eſſe magnum ſuperbum , auarum,

Digitized by Google

rum,contentioſum, iracundum,præſumptuoſum,aut aliud ſimile?

1 SVnt qui putent abſolutè non eſſe mortale peccatum. Ita Cordu.in annot.ſuper Sot.de teg.ſecreto m. 2.q.2.cõcl. 7.Rebell.p.1.de oblig.lib.4. q. 2. Sylu.verb. detractio q.2.num.2.& plerique alij.

Contra tamen ſentiunt Molina to. 5. de iuſt.diſp.26.& Nau.c.18.n.24.

2 Primò dico,quòd per ſe,& regulariter loquendo, qui generalia vitiorum nomina profert de aliquo aſſerendo eum eſſe ignarum,ſuperbum,aut inanis gloriæ cupidum, non peccat niſi venialiter. Ratio eſt, quia huiuſmodi verba ordinariè accipiuntur pro inclinatione naturali, vel pro motu primò primo, vel ſecundo primo,ac denique pro peccato veniali, ex quo non læditur fama notabiliter, cum audientes debeant in meliorem partem interpretari, & non ſcandalizari, vt docet Petr.Nauar.lib. 2.de teſt.num.320.

Secundò dico quòd per accidens ratione periculi, & damni, in duobus caſibus poteſt eſſe peccatum mortale huiuſmodi verbis aliquem infamare.

2 Primò quando quis huiuſmodi verba de aliquo profert coram talibus perſonis de quibus credi poteſt, quod de peccatis mortalibus ea accipiant.

Secundò poteſt eſſe peccatum mortale, ratione dignitatis perſonæ, de qua dicuntur, vt ſi quis dicat Epiſcopum, vel Religioſum eſſe auarum, iracundum, edacem, & ſimilia, quæ licèt exponantur de peccatis venialibus, in huiuſmodi tamen perſonis notabiliter eorum æſtimatio imminuitur,vt docet Leſſ.lib.2. de iuſt.cap. 11. dub. 3.Arag.2.2.q.73.art.2.& Nau.c. 18. refert in huius rei confirmationem, ſe noſſe quendam virum inſigniter eruditum, ac probum, ob culpas veniales vanitatis, & iracundiæ ab adipiſcendo egregio quodam munere fuiſſe impeditum.

2 Vide candide lector,quanto in periculo ſint,qui putantes leuia peccata, & defectus non magnos dicere,bonum nomen, & æſtimationem fratris grauiter vulnerant,& denigrant.

QVÆSTIO XLIX

An qui Congregationem,aut aliquem ex collegio,vel Monaſterio, aut Religione diffamat, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd qui de ſtatu Religionis in genere detractat, non ſolùm peccat mortaliter ſic detractando,ſed etiam ſuſpectus de hæreſi efficitur.

Secundò dico, quòd qui libellos famoſos,aut cantilenas faciunt,aut euulgant in ignominiam ordinum Prædicatorum, & Minorum vltra peccatum mortale, quod committunt contra iuſtitiam,excommunicatione Papali feriuntur, vt patet ex priuilegio quodam conceſſo ab Alexand.I V. quod incipit. Ex alto.

Dixi notanter(qui libellos famoſos)quia qui priuatim de præfatis ordinibus malè loquuntur, licèt peccent mortaliter, excommunicationem tamen non incurrunt, vt optimè annotauit Petr. Nauar. lib.2. de reſt.n.354.

2 Tertiò dico quòd qui totam aliquam Religionem, collegium, aut monaſterium diffamat,dicens quòd in tali Religione,vel monaſterio non obſeruatur Regula, vel quòd malè viuitur &c. peccat mortaliter cum onere reſtituendi famam ablatam,niſi id alias eſſet notorium, nec in hoc caſu ſufficit ſuperioris remiſſio,ſed facienda eſt reſtitutio toti Congregationi vel Monaſterio,vt docet Sotus lib.4.de iuſt.q.6.art.3.& Petr.Nauar.lib.2.de reſt.n.346.

Quartò dico quòd qui crimen alicuius priuati de monaſterio,vel Religione reuelat,ſi perſonam detegit, peccat mortaliter.Ratio eſt, quia infamia hæc non ſolùm in ipſum Religioſum delinquentem, ſed etiam in totam Religionem, vel monaſterium redundat, iuxta illud D.Aug.in epiſt. 137.c. 4. ad plebem Hyponenſem dicentis, cum de aliquibus qui ſanctum nomen profitetur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit,vel patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus credatur. Quem locum citat S.Thom.2.2.q.33.art.7.Vnde merito dici poteſt Religionis honorem in manu priuati cuiuſque conſiſtere. Ita Petr. Nau.lib.2.de reſt.nu.358.

3 Quintò & vltimò dico,quòd qui tacita perſona delinquentis,explicato tamen monaſterio vel Religione de qua optima haberetur exiſtimatio ea in parte,peccatũ ſecretum reuelat, peccat mortaliter, verbi gratia Titius Religioſum deprehẽdit cum muliere

muliere,& poſteà dicit, Monachum quemdam talis ordinis,vel Monaſterij hoc fecit, peccat mortaliter cum onere reſtituendi famam, valdè enim læditur bonum nomen ordinis,vel Monaſterij.dum dicitur habere Religioſum improbum, nam tota communitas quodammodò, redditur plebi ſuſpecta. Secùs tamen ſi de aliis congregationibus, aut Collegiis id diceret, vbi non tantam perfectionem profitentur, vt ſi dicat, talis collegij collegam ſtuprum, vel adulterium patraſſe. Ita Molina tom. 5.de de Iuſtitia diſp. 27. & Roder.p.p.ſum.c.253

QVÆST. L.

An qui peccatum occultum alicuius defert ad ſuperiorem non præmiſſa correctione fraterna, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur ?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quod ſi peccatum occultum eſt cõtra bonum publicum, & adhuc pendet,vel continuãdum putatur in futurum, vt aſſaſſini, & proditoris hæretici, tunc non requiritur vt præcedat ſecreta admonitio, ſed ſtatim denuntiandus eſt ad ſuperiorem.Ratio eſt, quia priuatus homo rariſſimè ſufficienter poteſt huiuſmodi malis occurrere,ſecreta ſua monitione, & periculũ ſolet eſſe in mora, ne alij inficiantur, ac proindè nulla vt plurimum redundare ſolet vtilitas, & quia periculum, quòd Reipublicæ imminet eſt maioris momenti,quã infamia, & damnum omne, quod iſte ex denuntiatione incurret,vt docet omniſcius D. Thom. communiter receptus 2. 2. quæſt. 33. art. 7.

2 Secundò dico quòd ſi denuntiator firmiter credit per ſuam ſecretam correctionem fratrem illum emendandum & ad debitam ſatisfactionem inducendum,nec vllum eſſe periculum in mora,tunc de neceſſitate priùs eſt corripiendus, quàm denuntiandus. Ratio eſt, quia lege charitatis, & iuſtitiæ, tenemur bono publico proſpicere quantùm fieri poteſt ſine detrimẽto, & iactura fratris, ſed in hoc caſu correctione fraterna proſpicitur ſufficienter, & bono communi, & bono fratris, ergo non eſt denuntiandus, quin priùs ſecretò admoneatur.

Dixi notanter (ſi denuntiator firmiter credit &c.) quia ſi ſit dubius de emendatione fratris,tunc ſtatim denuntiari debet, vt à periculo illo bonum commune liberetur, vt rectè docet Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitutione num.185.

3 Tertiò dico quòd ſi peccatum occultum eſt contra bonum priuatum tertij, vt homicidium, furtum, & ſimilia, & tunc non eſt de neceſſitate obſeruandus ordo fraternæ correctioeis, ſed ſtatim denuntiandus eſt, ad ſuperiorem niſi ex correctione ſit ſpes certa emendationis. Ratio eſt,quia tunc melior eſt conditio innocentis, quam nocentis, & illius bonum magis eſt procurandum.

Aduerte tamen, quòd in peccatis ſecretis cauendum eſt, ne ſine graui cauſa prodatur perſona in particulari, vt ſic famæ proximi conſulatur. Vnde quando ſufficit detegere crimen in communi,non licèt reuelare in particulari, & quando ſatis eſt manifeſtare crimen, non debet prodere perſonam, aliàs peccat mortaliter contra charitatem, & iuſtitiam proximo debitam.

4 Adde quòd quando damnum proximi eſt paruum, non licèt tunc reuelare perſonam delinquentis:præponderat enim fama iſtius paruo damno alterius : quando autem damnum eſt notabile,nec occurri poteſt,niſi prodatur perſona, detegenda eſt ſecundùm Petr. Nau. lib.2. de reſt. nu.190.

Quartò dico quòd ſi delictum eſt contra bonum peccantis, vt fornicatio, Gula, Auaritia,& ſimilia, tunc antè denuntiationem præmittenda eſt correctio fraterna prout Chriſtus Matth.18. præcepit,& contra faciens peccat contra iuſtitiam, quia iniuſtè lædit famam proximi. Imò vt optimè annotauit Sot. loco citato, etiamſi peccatum aliis ſit manifeſtum,& de illo ſit infamia, non eſt tamen ſtatim coram aliis arguendus, quia quamuis non lædatur fama,læditur tamen pudor, & reuerẽtia proximi,cum arguitur coram aliis,& ita experiri debet, an per ſecretam admonitionem corrigatur,& pudor conſeruetur.

QVÆSTIO LI.

An quando crimen eſt ſolùm contra bonum delinquentis ſit licitum aliquando ſtatim denuntiare non præmiſſa ſecreta admonitione

Ad

1 AD hoc dico primò quòd ſine pręuia ſecreta admonitione nullus tenetur denunciare crimen fratris ſuperiori, vt Iudici. Ratio eſt, quia cum tale crimen ſit tãtum contra bonum peccantis, cuius ipſe vel pœnituit, vel eius emenda ſperatur, contra iuſtitiam eſt illum apud ſuperiorem, & apud omnes (cum publicari debeat) infamare. Vt docet D. Tho. 2.2.q.33. art.8.ad 4. Sot. in relect. deteg. ſecret. m.2. q.4.concluſ.3.dub.3. Petr. Nau.lib.2.c.4.nu. 131. Ban.2.2.quæſt.33.art. 8. & Valent. tom. 3.diſt.3.quæſt. 10. particula 5.

2 Secundò dico quòd ſi ex mea ſecreta admonitione, nulla ſperatur emenda nec etiam ex inductione teſtium, vel reuelatione, & correctione ſuperioris, ſiue vt patris, ſiue vt Iudicis, tunc non eſt prodendus. Ratio eſt, quia tunc fruſtra infamaretur, vt ait Valent. tom. 3. diſp.3. quæſt. 10. p.5.

3 Tertiò dico quod ſi ex ſecreta admonitione nulla ſperatur correctio, adhibere tenetur vnum, aut duos teſtes, quòd ſi nec iſto modo ſperatur emenda, per ſuperiorem verò ſperatur, tunc denuntiare ei debet primo vt patri, & ſi hoc non ſufficit, etiam vt Iudici. Ratio eſt, quia pluris faciẽda eſt anima proximi, quam eius fama. Ita D. Thom. 2.2 quæſt.33.art.7.& Petr. Nau. lib. 2. de reſtit. cap.4.num.232.

3 Quartò dico quòd ſi delictum quòd ſuperiori defertur antè priuatam admonitionem, eſt ita occultum, vt idoneis teſtibus probari non poſſit, qui illud defert, non ſolùm peccat mortaliter contra charitatem violando præceptum de correctione fraterna, ſed etiam contra Iuſtitiam, quia expoliat illum iniuſtè fama, ad quam habet ius. Ita Sylu. verb. correptio. q.7. Nau. c.24. nu.14. Sot. in relect. de teg. ſecreto m.2.q.4. Ban.2.2.quæſt.33.art.8. & Petr. Nauar. lib.2. de reſtitutione cap.4.dub. 11.

Quintò dico quòd ſi delictum poteſt idoneis teſtibus probari, licèt alias ſit occultum, qui defert illud ſuperiori, non præmiſſa ſecreta admonitione peccat mortaliter violando præceptum de correctione frarerna, ad nullam tamen reſtitutionem obligatur. Ratio eſt, quia bona opinio quã habet reus in hoc caſu, non debetur ei ex iuſtititia, ergo, qui illam aufert, non tenetur ad reſtitut. Ita Arag. 2. 2. q. 61. artic.3.

4 Sextò & vltimò, dico quòd ex conſenſu ipſius delinquentis, poteſt quis eius crimen non præmiſſa ſecreta correctione ſtatim ſuperiori propalare. Et Ratio huius eſt, quia ſicut ipſe delinquens poteſt vltro delictum ſuum Prælato patefacere, vt ab eo remedium quærat, ita etiam alter ex eiuſdem conſenſu ob eundem finem peccatum proximi ſtatim indicare poteſt. Ita Valent. tom.3. diſp.3. quæſt.10. p.5.& alij.

QVÆST. LII.

An ſciens peccatum fratris, & illud reuelans ſuperiori ſuo, vt patri, non præmiſſa ſecreta admonitione, peccet mortaliter?

1 IN hac re, quæ controuerſa eſt inter Doctores duæ celebres ſunt opiniones. Prima eſt Rich. in 4.diſp. 19.q.1. art.3. ad 2. Durand ibid.q.4.num.4. Gabr. in Can. Miſſæ lect.74. Ang. verb. denuntiatio num. 10.& aliorum qui putant id eſſe licitum, ac proinde neceſſariò ita faciendum eſſe, ſi id à ſuperiore fieri præcipiatur. Ducunturque hi in eam ſententiam primò, quia talis infamatio, & notitia criminis apud pium & diſcretum Prælatum, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe, nulla eſt, vel leuiſſima.

2 Secundo, quia Prælati, & eorum viſitatores, ac ſancti Officij Inquiſitores ſolent edicta promulgare, quibus ſub pœna excommunicationis præcipiunt, vt qui hoc vel illud crimen ſciuerint, ſtatim referant: quòd non facerent, niſi licitum eſſet, ordine fraternæ correctionis prætermiſſo, delictum fratris ſtatim ſuperiori manifeſtare.

3 Secunda verò opinio quàm ſequor, eſt aliorum, qui cenſent eſſe peccatum mortale contra Chriſti præceptum ſine ſecreta admonitione crimen fratris reuelare. Ita ſanè docuit D. Thom. 2.2.q.33.art.7. vbi ſic ait. Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini, ſecundùm illud Act.5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Et ideò quando Prælatus præcipit vt ſibi dicatur, quòd quis ſciuerit corrigendum, intelligendum eſt, præceptum ſanè, ſaluo ordine fraternæ correctionis, ſiue præceptum fiat communiter ad omnes ſiuè ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſsè præcipetet contra hunc ordinem à domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens; vnde non eſſet ei obediendum, quia Prælatus non eſt Iudex

iudicio

Digitized by Google

iudiciorũ occultorum,ſed ſolus Deus.Vnde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi inquantùm per aliqua indicia manifeſtantur, puta per infamiam, vel per aliquas ſuſpiciones,in quibus caſibus poteſt Prælatus præcipere eodẽ modo, ſicut & Iudex ſæcularis, vel eccleſiaſticus poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda.Hæc ille.Cum.D.Thom.conſentiunt expreſsè Nauar.in Man.c.24.num.14.Sot.in relect.de teg.ſecreto m.2.q.4.concl. 3. dub. 4.Sylueſt.verb. correctio q. 7. Barth. Med. lib. 1. inſtr. conf.c.14.§.16.Ban.2.2.q.33.ar.8. Valen.tom.tertio,diſtin.3.quæſtio.10.p.5. & alij.

4 Hanc eandem ſententiam docuerunt S. Baſil.in quæſtionibus fusè diſputatis,quæſt. 46.D.Auguſt.in Regula tertia in fine, & in epiſt.109. Hugo de S. Victore in comment. ſuis ad Reg.S.Auguſt.c. 6. & plerique alij. Cuius rei rationem aſſignat D. Thom. in dicto art. 7. quia lex charitatis dictat, vt quando ſine boni communis,aut tertij præiudicio, occurri poteſt, & conſcientiæ & famæ fratris,ſimul,id fiat ſine alicuius partis famæ, ſcilicet vel conſcientiæ læſione. Cum ergò in noſtro caſu conſeruari poterint, & fama & conſcientia proximi, vtrumque conſeruandum eſt;ſicut nõ rectè faceret Medicus,qui potens abſque abſciſſione ſanitatem conferre ægroto, abſcindendo mederi vellet.

5 Satisfaciendum ſupereſt argumentis initio huius quæſtionis propoſitis. Et ad primum reſpond. falſum eſſe, nullam, aut leuiſſimam eſſe infamationem reuelare delictum fratris occultum pio & diſcreto Prælato,& ratio huius quia vt patet ex cõmuni omnium ſenſu,magni ab vnoquoque æſtimatur ſua fama, etiam apud ſuum ſuperiorem,ergò grauis eſt infamia, ſi ſuum delictum occultum ei quantumuis fido, & cordato aperiatur.Vnde Sot.de ſe ait,optarem ego potiùs peccata mea nota eſſe tribus,aut quatuor, quam vni mihi coniunctiſſimo viro,cuius bonam de me opinionem pluris facio,quàm ſi quatuor alij bene de me opinentur,Vnde ſubiungit, fama ſubditi apud Prælatum magni æſtimanda eſt, & ideò ſine extrema neceſſitate non eſt prodigenda.

6 Ad ſecundum verò de Epiſcopis,viſitatoribus, & Inquiſitoribus qui præcipiunt vt ſcientes ſtatim reuelent reſpon. ex eadẽ doctrina D. Thom. communiter recepto huiuſmodi præcepta eſſe intelligenda,ſaluo ordine fraternæ correctionis, Quòd ad illas verò proclamationes, quæ fiunt in capitulis Religioſorum teſte eodem D.Thom. 2.2.q.33.ar.7.ad 4.ſunt de aliquibus leuibus peccatis,quæ famę non derogant.vnde ſunt quaſi quædam commemorationes potiùs oblitarum culparum, quàm accuſationes, vel denunciationes.Si eſſent tamen talia,ex quibus fama fratris grauiter læderetur, contra præceptum domini ageret, qui non præmiſſa correctione fraterna peccata fratris publicaret.

QVÆSTIO LIII.

An negans in iudicio crimen,quod verè commiſit peccet, & ad reſtitutionem famæ tenatur?

1 REſpon.affirmatiuè. Et ratio eſt, quia cum iuridicè interrogetur negando veritatem agit contra iuſtitiam & obediẽtiam Iudici debitam, & falſum accuſatorẽ agit contra iuſtitiam & obedientiam Iudici debitam,& falſum accuſatorẽ affirmat, ergo peccat mortaliter,& ad reſtitutionem famæ accuſatoris tenetur. Quod intellige, quando ex tali negatione accuſator infamiam incurrit, quia ſi reus eſt plena probatione de crimine conuictus, nihil reſtituere tenetur, quia nihil fama læditur ex negatione ipſius accuſati. Ita Nauar.c.18.n. 49. qui etiam docet contra Caiet. id eſſe verum, non ſolùm quando negat crimen obiectum, ſed etiam cum dicit accuſatorẽ eſſe mendacem, & calumniatorem. Imò etiam ſi accuſator ſemiplenam probationẽ fecerit, quamuis accuſatus negando veritatem peccet contra obedientiam,ad reſtitutionem tamen non obligatur. Ratio eſt, quia regulariter homines putant accuſatum per fas,vel nefas ſe defendere,vt pœnam euitet.Ita Mol. tom.5.de iuſt. diſp. 43. Rebell.p.1.de obligat.lib.4.q.13.& alij.

QVÆST. LIV.

Quonam pacto poſſit accuſatus in iſto caſu reſtituere famam accuſatori?

1 REſp.ſi iudicium durat ad-huc, tenetur accuſatus paratus eſſe ad confitendum crimen ſibi,ſeruato Iuris ordine, obiectum,ſi iterum legitimè à Iudice roge-

tur

tur, si verò non sit paratus dicere veritatem, non est sacramentaliter absoluendus, quia est in statu peccati mortalis faciendo iniuriam Iudici legitimè, & secundùm Iuris ordinem interroganti. At verò si iudicium fuerit finitum, & accusatus liber euaserit, eò quòd semper negauerit crimen sibi obiectum, tunc tenetur extra iudicium confiteri accusatorem non fuisse calumniatorem, si accusator probabile periculum incurrat, vt tanquam calumniator habeatur, vel compensare id damnum aliquibus aliis bonis, vt tenet Sot. in relect. de teg. secreto m.2.q.7.Molin.tom. 5. de iust. disp. 43.& alij.

QVÆSTIO LV.

An accusatus, & denuntiatus apud iudicem de aliquo crimine vero, sed iniustè, quia non sunt testes sufficientes ad eius probationem, & neget crimen obiectum, ex quo indirectè accusans infamatur, quia reputatur falsarius & calumniator, aliquam teneatur facere restitutionem?

1 PRo decisione huius quæstionis, quæ non minùs vtilis, quam difficilis est, dico primò quòd si iniustè in iudicio accusatus de vero crimine, sed occulto, neque affirmat, neque negat, sed tantùm petit vt accusator crimen sibi obiectum probet, non peccat. Ratio est, quia accusatus, vt supponimus non tenetur se prodere, nec modestiùs quicquam dicere potest in suam defensionem, quam petere criminis obiecti probationem.

2 Secundò dico, quòd si reus iniustè accusatus, vel denunciatus de vero crimine respondet simpliciter se crimen obiectum non commisisse, aut falsum id esse, quod ipsi tribuitur, non mentitur, nec peccat etiam venialiter. Ratio est, quia quando Iudex non habet ius ad interrogandum, non tenetur reus se prodere, sed potest veritatem occultare, nec sic respondendo, non feci, aut non commisi crimen mentitur, quia nihil falsi dicit secundùm mentem suam, negat enim crimen, vt est obiectum scilicet vt est publicum, & iuridicè probandum, sed reuera est occultum, & probari non potest, vt supponimus, ergo non mentitur. Idque verum est, nõ solùm quando interrogatur sine iuramento, sed etiam quando adhibuit iuramentum, vt tenet Nauar.c.12.n.19.Salon.2.2.q.69. art.2.Val.tom. 3.d 5.q.13.p.2.Molin.tom.5.d.43. Tolet.lib.5. c.69.& alij.

3 Tertiò dico quòd reus contra ordinem iuris accusatus, vel denuntiatus negando crimen propositum ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est, quia nullam iniuriam facit accusatori, nemo enim vtens iure suo alteri est iniurius: vnde accusans sibi imputet, si aliqua sibi sequatur infamia vt tenet Scot.in 4.dist.15.qu. 4. Nauar.c.18. num.48.Sylu.verb.restit.3.§.3.Sot.lib.4.q.6. art.3.Rebell.par.1. de obliga.lib.4. q. 13. & alij. Quin potiùs addit Petr. de Aragon. 2.2.quæst.62.art.3. quòd etiam si accusatus petat a Iudice, vt accusatorem deficientem in probatione puniat pœna talionis, ex quo fit, quòd accusans non solùm infamis, sed etiam punitus euadat, ad nullam ei tenebitur restitutionem, hoc enim potiùs accusatori, quàm accusato debet adscribi.

Quartò dico, quòd quando sic accusatus, vel denuntiatus non solùm simpliciter negat crimen occultum, sed etiam accusatorem suum falsarium, aut calumniatorem appellat non solùm peccat mortaliter, verumetiam tenetur restituere famam accusanti. Ratio est, quia illa responsio continet in se mendacium iniuriosum, & pernicioſum alteri in re graui, ergo vltra peccatum mortale quod committit, tenetur ad restitutionem famæ.

Tum quia accusatus sufficienter potest se tueri absque eo quòd appellet accusantem falsarium, non est igitur, cur istud medium adhibeat: & si adhibuerit erit iniurius, non minùs, quam ille qui cum possit tantùm vulnerando vitam tueri, occidit aggressorem. Et ratio est, quia debet defendere se cum minimo damno possibili alterius. Ita Petr. de Aragon. 2.2.quæst.62. artic. 3.

4 Oppositum tamen huius tenent Petr. Nau.lib.2.de rest.c.4.n. 428.& 429.Salon.2. 2.q.62.art.2.Ledes.2.4.q.18.art.2. & alij, qui dicunt peccatum hoc non esse contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, ac proinde ad nullam restitutionem obligari, nam calumniator non solùm dicitur, qui falsò accusat, verum etiam qui nullis præcedentibus probationibus accusat, vt ex cap. 2. de calumniatoribus colligitur.

Quod eſt valde probabile & in praxi tutum. Interrogabis.

QVÆST. LVI.

Quo pacto in hoc caſu fiat reſtitutio?

1 REſp. poſſe fieri per hoc, quod vterque tam accuſans, quam accuſatus ſibi reſtitutionem famæ faciendam remittat, & ſic fiat mutua compenſatio infamiæ ab vtroque illatæ. Ita Arag. 2.2. q. 62. art. 3.

2 Quinto, & vltimò dico, quod qui extra iudicium crimen verum, ſed occultum ſibi obiectum negat, non peccat, quia quiſque ius habet illud ſibi obiectum denegandi: non tamen poteſt dicere, mentiri eum, qui ſibi crimen obiicit, licèt poſſit dicere malè facere eum, aut eum decipi, vt ait Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. ad 4. Si verò delictum eſt publicum, tunc ſi is cui crimen obiicitur, dixerit malè facere eum ſibi crimen obiicientem, ad nullam reſtitutionem tenetur, quia is, qui obiicit, nullam infamiam incurrit. Quòd ſi accuſato deneganti crimen credatur, tunc reſtitutionem facere tenetur, ne obiiciens habeatur vt falſarius, & mendax.

QVÆST. LVII.

An peccet peccato detractionis, qui de detento in carcere, vult ſcire cauſam cur ſit captus?

1 REſp. non eſſe peccatum, ſicut non peccat, qui eam refert. Et ratio eſt, quia id publicum eſt; ſed velle ſcire omnes, & ſingulas delicti partes, & ob quas in carcere detinetur, illicitum eſt, vt poſt Nauar. cap. 18. num. 41. reſoluit Petr. Toletan. lib. 2. de reſt. c. 4. nu. 301. Item ſi poſtea per ſententiam eſt liberatus, tunc ſimul hoc eſt detegendum, nimirum fuiſſe quidem in carcere in coniectum ob ſuſpicionem criminis, ſed liberatum in iudicio.

QVÆST. LVIII.

Sed quid? ſi fuga tantùm euaſerit?

1 REſp. ſi fuga eſt notoria per euidentiam facti, non eſt peccatum id referre alteri, quoniam fuga magnam gignit ſuſpicionem criminis, de quo fuit accuſatus.

QVÆST. LIX.

Quid? de eo qui non eſt auctoritate iudicis infamia notatus, ſed captus ſuſpicione alicuius delicti. An liceat in alio loco dicere, vbi hoc ignoratur, illum eſſe detentum in carcere, & accuſatum homicidij, vel hæreſis?

1 PEtr. Nauar. lib. 2. de reſt. c. 4. nu. 402. putat non eſſe peccatũ, quia id quod dicit de ſe, non eſt infamatorium, quia multi innocentes capiuntur, & tandem per ſententiam liberi euadunt.

2 At contrarium eſt verius, nam iſte licèt mereatur famam perdere per publicam ſententiam, ſed de facto non amiſit, nec ei facta eſt facultas euulgandi delictum, ergo peccat mortaliter, ſecùs ſi diceret per ſententiam liberum euaſiſſe, quia tunc nulla eſſet infamia, ſed potius honor, & gloria.

QVÆSTIO LX.

An hiſtoriographi qui occulta Principum, & aliorum peccata ignominioſa in ſuis hiſtoriis ſcribunt, peccent, & ad reſtitutionem teneantur?

1 REſp. eos non peccare, quando crimina ſunt notoria, & notorietate Iuris, vel facti, & bono zelo vtilitatis publicæ, ad exemplum, & terrorem aliorum ea referunt. Secùs ſi ex inuidia, vel ex prauo animi affectu peccata Principum, aut aliorum reuelent; aut falſa crimina imponunt, vel occulta commemorant, tunc enim verè detrahunt, ac proinde peccant mortaliter cum onere reſtituendi famam. Ita Sot. lib. 5. de iuſt. q. 10. art. 2. Val. tom. 3. d. 5. q. 17. p. 2. & Mol. tom. 5. de iuſt. d. 28.

QVÆSTIO LXI.

An qui alterius peccatum detexit, ſatisfaciat ſe retractando apud eos, quibus ipſe dixit, an verò teneatur etiam ſe retractare apud eos quibus ipſe non dixit, ſed alius quibus ipſe dixerat?

1 SVnt qui putent ad id teneri, vt Pedrazza in 8. præcepto §. 5. vbi ait quod ſi non vult ire de domo in domum,

vt ſe

vt se retractet, tenetur mandare præconi, vt oppositum dicat, vel parocho aut prædicatori, vt eius nomine in Ecclesiis sententiam retractet. Eandem opinionem sequuntur Mercat. Med. & Alco. quos citat, amplexatur Roder.p. 1. suæ summæ c. 254. num.8.

Alij tenent oppositum, nisi ipse alioqui causa fuerit, vt aliis crimen referretur. Ita Azor.par.3.inst.moral.lib.5.c.9.q.6. & plerique alij.

2 Cæterùm mihi videtur distinguendum sic, si detractor credidit probabiliter homines, quibus crimen occultum propalauit, futuros esse tacitos, non tenetur, nisi apud eos, quibus ipse retulit, se retractare, quia infamia per illos irrogata censetur casualis respectu ipsius. Secùs verò si aduertit, vel debuit aduertere probabile periculum alterius infamiæ, tunc enim si illi nolint restituere, tenetur ipse, cum subsequentis etiam diuulgationis moralis causa fuerit. Ita tenent Less.lib.2 de iust.c.11.dub. 20.Petr.Nauar.lib.2. de rest.c.4.num.443.& Rebell.p.1.de oblig.lib.4.q.12.

QVÆSTIO LXII.

An præter restitutionem famæ, teneatur detractor aliquid aliud restituere detractio, pro iniuria quam passus est toto eo tempore, quo infamiam sustinuit, interim dum fama illi non fuit restituta?

1 REbell.p.1.de oblig.lib. 4. q. 9. putat ad id teneri.

Sed verior opinio est, non teneri ad aliquam restitutionem. Ratio est, quia vbi datur pura iniuria absque damno, ibi nulla debet intercedere restitutio, quia iniuriæ respondet condigna pœna quæ non debetur ante latam sententiam. At in casu posito, postquam fama est restituta, iam non datur damnum vt suppono, ergo nulla restitutio pro eo tempore debetur, quo subiacuit infamiæ.

2 Deinde qui ab hinc decem annis pecuniam surripuit, non tenetur nisi ad eam restituendam, modò ea de causa, aliud damnum, vel lucrum cessans non interuenerit, ergo à simili qui famæ alterius detraxit, præter famæ restitutionem ad nihil aliud tenetur, modo aliud damnum secutum non fuerit.

Præterea qui alterum tantisper vulnerauit, ad nullam restitutionem tenetur pro tempore quo percussus in lecto decubuit, sed satis est, ac sufficit operas, & expensas in medico, & medicamentis factas restituere vt habetur ex l.1.xod. 21. & ex c.1.de iniuriis, ergo qui proximo detraxit nihil tenetur restituere pro eo tempore, quo lassus infamiæ subiacuit ante recuperatã famam.

Tandem hoc ipsum confirmatur ex communi praxi omnium confessariorum, qui nullam iniungere solent restitutionem pro tempore, quo iniustè infamatus infamiam sustinuit. Ita tenet Mol.to.5. de iust.disp.42. qui dicit hanc esse communem Doctorum sententiam praxi Ecclesiæ confirmatam.

QVÆST. LXIII.

An infamatus licitè possit remittere restitutionem suæ famæ?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione duæ extant opiniones. Prima absolutè asserit, nullum posse remittere restitutionem suæ famæ, quia nullus habet suæ famę dominium. Ita Caiet.2.2.q.73.art.2.

Secunda quæ innititur contrario fundamento, quod homo est Dominus propriæ famæ, affirmat integrum esse vnicuique propriam negligere, vel remittere famam. Ita tenet D.Thom.2.2. q. 64. art. 5. & q.73. art.4.Sot.lib.4.q.6.art.3. ad 4. & lib.5.q.10. art.2.Nauar.c.18.num.27.Bann.2.2.q.33. art. 8.Valen.tom.3.disp.5.q.6.par.5.Arag. 2. 2.q. 62.art.2.Roder.p.1.suæ sum.cap.254. & alij. Pro quo.

Dico primò quòd quando famæ restitutio est possibilis, & infamator non vult eam restituere, tunc licitum est famam pecunia remittere, quando absque peccato licet famæ restitutionem condonare. Ratio est, quia obligatio restituendi est pecunia æstimabilis. Ita tenet Less. lib. 2. cap. 11. dub.25.

3 Secundò dico, quòd qui ex rationabili causa, & ratione adductus, remittit restitutionem famæ sibi debitam, non peccat, sed potiùs meretur. Ratio est, quia remittere restitutionem famæ, est remittere iniuriam illatam, & illam pati, consilium est Euangelicum. Vnde D. Greg. hom.9.in Ezech. ait, linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas

Digitized by Google

debemus tolerare, vt nobis meritum crescat, vt confirmatur exemplo Christi. Ita D.Tho.2.2.q.73.a.4.Salon.2.2.q.62.a.2.&alij

4 Tertiò dico quòd qui sine causa iusta condonat propriæ famæ restitutionem sibi debitam in crimine, quod non grauiter infamat,non peccat mortaliter contra charitatem, Ratio est,quia qui prodigit totum censum proprium non peccat mortaliter contra charitatem , quantum est ex parte obiecti, sed solùm peccat, peccato prodigalitatis , quod secundùm D. Thom. communiter receptum , ex suo genere est tantùm veniale , ergò similiter qui propriam famam etiam absque iusta causa remittit non peccabit mortaliter contra charitatem , sed venialiter tantum. Ita Petr. Nauar.lib. 2. de rest.c. 4. num. 386. & Salon. 2. 2. q. 62. ar.2.

Quartò dico quòd qui sine iusta causa condonat obligationem restituendi suam famam in crimine quod grauissimè infamat, vt in hæresi , peccato indicibili &c. peccat mortaliter contra charitatem sibi ipsi debitam. Ratio est quia tali infamia infert sibi maximum nocumentum. Ita Salon. 2.2.quæstio.62. ar.2.

5 Quintò dico quòd persona priuata. cuius fama non est aliis necessaria , quia nimirùm non habet descendentes , quibus eius infamia nocere possit, remittendo famæ restitutionem , vel pro pecunia illam recompensando , non peccat contra iustitiam. Ratio est, quia cum fama sit bonum temporale , & proprium diffamati , sitque famæ dominus,poterit absque peccato iniustitiæ illam prodigere,suoque iuri cedere,remittendo detractori famæ restitutionem. Sic tenet Arag 2.2.q.62. ar.2. & Ban. ibidem. q.33. ar. 8. Eandem sententiam sequitur D. Th.2.2.q.64. ar.5. ibi enim sic ait hominem esse dominum , & pro libito posse disponere de seipso quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam , inter quæ certum est,collocari famam.

6 Sextò dico quòd si priuatus, cuius fama nulli est necessaria, remittat restitutionem famæ sibi debitam etiam in crimine, quòd grauissimè infamat , licèt peccet contra charitatem , valet tamen remissio, reddítque infamatorem immunem à restitutione , & tutum in conscientia. Ratio est,quia vnusquisque est dominus suæ famæ , sicut & bonorum aliorum temporalium ; & sicut remissio pecuniæ facta à vero domino , liberum reddit debitorem à restitutione. ita & remissio infamiæ infamatorem liberum reddit. Ita Salon. 2. 2.q. 62. ar. 2. & Less. lib.2. c. 11. dub.24.

Septimo dico quòd quando fama personæ priuatæ , est sibi necessaria , aut maximè vtilis ad acquirendam salutem spiritualem,scilicet quia remanens infamis non poterit ingredi Religionem , in quam fortè volebat ingredi ipse remittens restitutionem suæ famæ, licèt non peccet contra iustitiam, quia est dominus illius , peccat tamen contra charitatem. Ratio est , quia vnusquisque lege charitatis tenetur curare re suam propriam salutem,& non obstante tali cõditione,tenebitur infamator ex charitate ad illam restituendam si hoc ita esse intelligat Ita Roder. p.1.suæ sũ.c.254.Arag. & Salon.2.2. q. 61. ar. 2.

7 Octauò dico quòd si infamia vnius vergit in detrimentum spirituale alterius, diffamatus restitutionem suæ famæ remittere non potest, quia negligẽdo propriam famam multis ruinæ occasionem præbet, Ita Roder. p.1. suæ sum cap. 254.

Hinc, si virum,aut mulierem magnæ auctoritatis notaui de adulterio, ex quo pusilli , ac vicini capiunt occasionem peccandi liberius,iste remittẽs peccat mortaliter contra charitatem,ob scandalum proximis datum , & ego quamuis infamatus remittat,teneor ad restitutionẽ suæ famæ, quia non restituendo permanet scandalum mea causa,quod est peccatum mortale cõtra charitatem. Sic enim tenent Salon. & Arag.2.2.q.62. ar.2.

8 Nono dico quòd quando infamia vnius redundat in alios,ita vt ipsi inde manãt infamati, vel suspecti de eodem , aut de alio crimine, diffamatus peccat mortaliter cõtra iustitiam remittendo restitutionem suæ famæ,propterea quòd alius nocet:nec valet remissio , sed manet semper infamator deuinctus ad illam restituendam ex iustitia. Talis est infamia Religiosi , quæ in Religionis,vel Monasterij opprobrium redundat , valdè enim læditur bonum nomen Religionis , & conuentus dum dicitur habere sceleratum Religiosum , nam omnes alij eiusdẽ Religionis, & cõuentus quocùmodo reddũtur plebi suspecti,vt ait Less. l. 2.de iust.c.11.d 24.Pet Na.l.2.de.rest c.4.n.3.

9 Hinc, si aliquis infamauit Religiosum, non

non ſufficit quòd Religioſus remittat huius infamiæ reſtitutionem, vt infamator remaneat tutus in conſcientia, ſed opus eſt, vt cantet palinodiam, quia hac infamia reliquis Religioſis intulit damnum: vnde neceſſe eſt, vt omnes de conſentu remittant iniuriam, & ſatisfactionem. Sic tenet Roder.p.1.ſummæ c.254.

Hinc ſi quis infamaret aliquem de crimine hæreſis, proditionis, vel alio ſimili, ex quo filij redderentur inhabiles ad officia, & dignitates, infamatus tunc famæ reſtitutionem remittere non poſſet, imò peccaret contra iuſtitiam, & infamator, quamuis illam remittat, maneret ſemper ex iuſtitia deuinctus ad illam reſtituendam. Ratio eſt, quia fama patris non ſolùm eſt ipſius, verùm etiam filiorum, & familiæ, vt docet Salon.2.2.q.62.art.2.

10 Quam doctrinam arbitror eſſe veram in euentu quo fama filiorum non prouenit immediatè ex parte, ſed aliunde ex rebus à ſe geſtis, vel ſucceſſione maiorum ſuorum. Si enim proueniret immediatè à patre, per quem ſolum filij habent bonum nomen, tunc patre remittente, valida eſſet remiſſio, & infamator liber maneret à debito reſtituendi. Ratio eſt, quia licet in hoc caſu filij infames reddantur, cum tamen famæ, quã habent, vel habituri erant, à ſolo patre habebant, ſolus pater dominus eſt, ac proinde remiſſio à patre facta valet. Quando verò filij amittunt bonum nomen quod aliunde, quàm à patre habebant, vel habituri erant, iam ipſi Domini ſunt, iuſque perfectum habent, cui pater cedere non poteſt. Ita tenet Petr.Nau. ſup. num.393.& Cordu.memb.4.de ſigillo quæſt.3.concl.14. dub.1.

11 Decimò dico quòd perſona publica, vel Prælatus, cuius infamia in ſubditos redundat, qualia ſunt crimina, in quibus ſubditi ſolent plerũque imitari Prælatos, eiuſmodi eſt crimen hæreſis, ſymoniæ &c. non poteſt remittere reſtitutionem ſuæ famæ, ſed agit contra iuſtitiam, ſi illam remittat, nec talis remiſſio eſt valida, ſed manet ſemper infamator obligatus ad illam reſtituendam. Ratio eſt, quia ſuperior non poteſt cedere iuri ſubditorum, quin potiùs ex officio, & iuſtitia tenetur illud tueri; ſed quando ſubditi redduntur ſuſpecti de eodem crimine, & infamia Prælati, habent ius ad famam Prælati, & ad propriam, ergo Prælatus non poteſt remittere reſtitutionem ſuæ famæ. Ita Sot.lib.4.iu. 6.art.5. Arag.& Salon.2.2.q.62 art.2.

12 Vndecimò dico quod perſona publica, cuius fama neceſſaria eſt ad rectam muneris ſui adminiſtrationem, volens permanere in officio ſuo, tenetur non ſolùm ex charitate, verumetiam ex iuſtitiæ titulo non remittere debitum reſtituendi. Ratio eſt, quia Prælatus ex iuſtitia ad ea omnia tenetur, quæ ad debitam ſui muneris gubernationem neceſſaria ſunt: atqui fama maximè neceſſaria eſt Prælato ad debitam gubernationem, ergo quandiu eſt in officio tenetur illam tueri, ac proinde eam remittens peccat contra iuſtitiam. Maior propoſitio per ſe conſtat. Minor verò probatur, quia Prælatus ex iuſtitia tenetur docere ſubditos, & bonum eis exemplum præbere, & fraterna admonitione corripere, & reliqua ſpiritualia officia impendere. At Prælatus infamis etiam in crimine, in quo ſolus ipſe notatur, non poteſt hæc officia commodè præſtare, iuxta illud D. Gregor. cuius vita deſpicitur, neceſſe eſt, vt eius doctrina, & prædicatio contemnatur. Ita tenent Roder.p.1. ſuæ ſum. c. 254. Leſſ. lib.2.de iuſtit.c. 11. dub. 24. & Salon.2.2.q. 62.art.2.

QVÆSTIO LXIV.

Sed quid? ſi Prælatus condonet reipſa reſtitutionem ſuæ famæ, nolens ſuo officio renunciare, eritne condonatio valida?

1 MAgiſter Sot.lib. 5. de iuſt.q.10.art. 4.& Molin.tom.5. de iuſti. diſput. 37.num.6. tenent Prælatum in illis peccatis, quæ tantùm attingunt propriam perſonam, ſi remittat ſuæ famæ reſtitutionem, peccare quidem mortaliter, cæterum ipſam remiſſionem ſufficientem eſſe, ad hoc vt infamator ad nihil vlterius teneatur, quia ipſe verè eſt Dominus ſuæ famæ, non ſubditi.

2 Contraria tamen ſententia, & communis, & vera eſt, quia ſubditi ius habent in ſuperiorem vt ab eo rectè gubernentur, ergo etiam, & ad omnia, quæ neceſſaria ſunt ad debitam gubernationem; atqui fama eſt maximè neceſſaria, vt Prælatus optimè ſuo munere fungatur, ergo

habent ſubditi ius in fama illius, cui iuri ſuperior cedere non poteſt, & ſi cedat, nihil facit, ergo quamuis Prælatus remittat, tenetur infamator reſtituere, vt ſatisfaciat iuri ſubditorum. Vt cum Arag. egregiè reſoluit Roder. p. 1. ſuæ ſummæ cap. 254.

Duodecimò, & vltimò dico quòd quando publica perſona, vel Prælatus vult officium deponere, & eius infamia non reddit ſubditos, & inferiores ſuſpectos & infames, poteſt remittere reſtitutionem ſuæ famæ, eo modo quo poteſt perſona priuata. Ratio eſt, quia eo ipſo quo in officio non vult remanere, iam incipit eſſe perſona priuata, & vt talis debet iudicari, & ideò famæ ſuæ reſtitutionem remittere poteſt Ita tenet Salon. 2.2 q. 62. ar. 2. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 11. dubit. 24.

QVÆST. LXV.

An condonatio infamiæ facta in genere, quæcunque ſit illa, non exprimendo eam in ſpecie ſit ſufficiens?

1 QVidam putant ſufficere, quia qui totum dicit, nihil excludit.

At D. Nauar. in Man. c. 18. n. 47. & Petr. Tolet. lib. 2. de reſt. c. 4. dub. 7. in fine tenent non ſufficere, quia non extenditur ad eam infamiam, quam infamatus non remitteret, ſi in ſpecie exprimeretur. Id quod arbitrio prudentis relinquendum eſt.

QVÆSTIO LXVI.

Vtrùm in reſtitutione famæ, vel honoris locum habeat compenſatio? v. g. Titius infamauit Caium de furto, & Caius diffamauit Titium de homicidio, ita tamen vt infamiæ ſint æquales. An poſſit Titius & Caius mutuò ſibi remittere ſuæ famæ reſtitutionem?

1 IN hac graui quæſtione duæ extant opiniones. Prima negat in reſtitutione famæ dari compenſationem, ſed vtrumque eorum qui ſe inuicem iniuſtè infamarunt, teneri ſibi mutuò famam reſtituere. Sic Nau. c. 18. num. 47. Caiet. 2.2. quæſt. 62. art. 2. Val. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. & Petr. Nau. lib. 2. de reſt. c. 4. num. 396.

Secunda verò opinio affirmat, eſſe locum compenſationi. Ita Sot. lib. 4. quæſt. 6. art. 3. Cord. in tract. de detract. quæſt. 3. concl. 14. Arag. & Salon. 2.2. q. 62. art. 2. Pro quo.

2 Dico primò quòd quand duo priuati quorum fama non eſt ſibi, vel aliis neceſſaria, viciſſim ſe infamarunt, poſſunt ex mutuo vtriuſque conſenſu famæ reſtitutionem vtrinque condonare. Ratio eſt, quia vnuſquiſque eſt Dominus ſuæ famæ, & ideò vnuſquiſque eorum cedere poteſt iuri ſuo. Ita Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. Molin. tom. 5. d. 45. Tolet. lib. 5. cap. 70. & Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. par. 5

Secundò dico quòd non poteſt ita fieri compenſatio infamiæ, vt ſi Titius infamauerit Caium, Caius viciſſim illum poſſit infamare, eſto Titius iniquè reſtituere Caio non velit famam quam iniuſtè abſtulit. Ratio eſt, quia eſt manifeſta vindicta, quam nemo priuata auctoritate poteſt facere, reddere autem malum pro malo, vt fiat æqualitas, ſolius eſt publicæ poteſtatis. Sic tenet Leſſ. lib. 2. cap. 11. dub. 25. Mol. d. 49. & Roder. p. 1. ſum. c. 254.

3 Tertiò dico, quòd quando iniuſtè infamatus non poteſt infamiam alia ratione auertere, alterius crimen occultum licitè reuelare poteſt, ne ipſi fides adhibeatur v. g. poteſt dicere, iſti fidem non adhibeas, quia alias in mendacio, vel periurio eſt deprehenſus. Ratio eſt, quia ſicut volentem me occidere, poſſum ego vi repellere, & occidere illum cum iuſta moderatione, ita etiam me infamantem, poſſum ego aliquos defectus illius occultos aperire, quibus patefactis, me tuebor, hoc enim eſt vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita tenet Mol. d. 49. & Leſſ. dub. 25.

Dixi notanter (quando infamatus non poteſt infamiam alia via auertere) quia ſi alia via famam ſuam tueri poteſt, v. g. interpoſito iuramento, vel adhibitis teſtibus, erit contra iuſtitiam detegere alterius crimen occultum, quia denigrat eius famam pluſquam eſt neceſſe.

4 Hinc ſi criminis detectio non eſt vtilis ad iuſtam ſuæ famæ reſtitutionem, non eſt licitum alterius crimen reuelare. Ratio eſt, quia tunc ſine cauſa læderetur fama proximi. Ita tenet Salon. 2.2. q. 62. art. 2.

Quartò dico quòd ſi duo viciſſim ſe infamarunt, poteſt vnus eorum nolle famam alteri reſtituere, quandiu alter non vult ipſi ſuam reſtituere, ſicut fit in debitis pecuniarijs.

Digitized by Google

cuniariis. Ratio eſt, quia in rebus temporalibus, quando iura ſunt paria, ſi alter non vult ſibi ſeruare ius, & ſolnere debitum, nec tu teneris de iuſtitia illi ſeruare ius ſuum, atqui fama eſt bonum temporale cuius ſumus Domini, ergo eſt eadem ratio. Ita Tolet.lib.5.c.70.

5 Dixi notanter primò (de iuſtitia) quia tantum nocumentum intulit Titius Caio, quantum Caius Titio, ſed ratione charitatis tenebitur Titius ad reſtituendam alteri famam, quando alter eſt in neceſſitate ſuæ famæ,& Titius facilè ſine notabili ſuo damno poterit famam reſtituere.Ita tenet Rebell.parte prima de oblig.lib.4.q.13.

Dixi notanter ſecundò (quando iura ſunt paria) quia ſi ego tibi intuli multo grauiorem infamiam, diuiſibilem tamen detegendo plura peccata, teneor ad reſtitutionem, donec damnum à me illatum ſit æquale damno,quod tu mihi intuliſti.

Hoc idem videtur dicendum, quando iura non ſunt paria, ſi infamia quam tibi intuli, non poteſt per partes reſtitui, vt ſi de minori delicto me infamaſti,quam ego te, tunc enim eam inſtar pignoris tenere poſſum,vt te ad reſtitutionem compellam, & tibi imputes, quod non reſtituam,ait Leſſ.lib.2.de iuſti.c.11.dub.25.

6 Quintò dico quòd quando duo viciſſim ſe infamarunt,& vnus eorum petit ſibi famam reſtitui, non eſt locus compenſationi,ſed in conſcientia famam alteri reſtituere tenetur. Ratio eſt, quia qui equum detinet alienum, quem adhuc reſtituere poteſt,non ſatisfacit dando pretium illius, vel aliquid aliud eiuſdem valoris,ſi dominus non conſenſerit, pari igitur ratione de compenſatione famæ dicendum eſt. Ita Mol.d.49.

Sextò & vltimò dico,quòd perſonæ publicæ,ac Prælati,quorum fama eſt aliis neceſſaria, non poſſunt ſibi inuicem famæ ſuæ reſtitutionem remittere, & ſi remittant, non erit valida remiſſio. Ratio eſt, quia licèt iſti poſſint viciſſim cedere iuri ſuo, non tamen iuri aliorum, quorum eſt etiam fama ipſorum.Ita Salon.2.2.q.62.a.2.

QVÆSTIO LXVII.

An compenſatio famæ cum bonis fortunæ fieri poſſit? v. g. Titius debet 100. *Caio, Caius verò iniuſtè famam, vel honorem Titij abſtulit, quam Titio reſtituere non vult,& illa fama arbitrio boni viri æſtimatur* 100. *aureis. Quæritur nunc An Titius qui infamiam pertulit, poſſit retinere illos* 100. *aureos in ſuæ famæ recompenſationem?*

1 RESp. probabile eſt dari compenſationem in reſtitutione famæ,vel honoris cum bonis fortunæ, ac proinde in præſenti euentu poſſe Titium retinere illam pecuniam, quouſque Caius reſtituat famam, imò licèt occultè accipere de nouo quantum ſatis eſt, ad eam compenſandam. Ratio eſt, quia probabilis eſt opinio D.Tho.2.2.q.62. art. 2. qui dicit infamiam pecunia eſſe compenſandam, quando in ſuo genere non reſtituitur.

Hoc idem videtur dicendum iuxta aliam ſententiam,quam ſupra ſecuti ſumus,quãdo infamator poteſt reſtituere famam, & tamen non vult.tunc. n. in ſuæ famæ compenſationem pecuniam retinere poteſt.Secùs autem ſi famæ reſtitutio eſſet impoſſibilis, tunc enim nihil pro ea exigendum eſt:niſi fortè competeret actio iniuriarum, pro cuius ceſſione aliquid paciſci poteſt.

Aduerte tamen quòd ad hoc vt compenſatio quæ fit priuata auctoritate ſit licita,quatuor requiruntur. Primò, vt debitum ſit liquidũ & manifeſtum,quia liquidi ad non liquidum non fit iuſta cõpenſatio.

Secundò vt recompenſator via iuridica ſuum recuperare non poſſit.

Tertiò vt ex tali recompenſatione nullum ſequatur ſcandalum, aut grauamen aliis.

Quartò & vltimò, vt non vergat in periculum propriæ vitæ,aut famæ.

2 His igitur poſitis conditionibus, licitè fieri poteſt compenſatio.Si quis autem ſine iſtis conditionibus vtatur compenſatione, peccat quidem mortaliter, quia agit contra ordinem Iuris, ad nullam tamen reſtitutionem tenetur,dummodò compenſator pro comperto habeat,debitum pro quo ſecreto ſibi recompenſat, eſſe verè debitum ex obligatione iuſtitiæ. Imò ſi ſententia excommunicationis proferatur cõtra eos, qui talem pecuniam acciperent, is qui illam accepit, & talis recompenſationis conſcij, non reuelantes, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, ac proinde immunes ſunt à tali vinculo excommunicationis.

Digitized by Google

QVÆSTIO LXVIII.

An qui falsè, aut verè dixit aliquod crimen infamatorium alicuius, cuius infamia iam est obliuioni tradita, ad restituendam illi famam teneatur? v. g. Titius detexit crimen Caij, & deinde post viginti, aut triginta annos pœnitentiam suorum peccatorum agens meminit se ante multos annos Caium diffamasse, tunc. An teneatur Titius restituere famam Caio?

1 COrduba tract.quæst.3. concl.9.Pet. Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. nu. 423. Valen. tom. 3. d.5. q.6. p.5.& multi alij negant, quia diuturnitas temporis est sufficiens coniectura ad probabiliter credendum eos, apud quos Caium diffamauit, iam esse oblitos, nisi contrarium constet euidenter, vel probabiliter.

At Illustrissimus Caiet. gloria Thomistarum.2.2. q. 62. ar. 2. Nauar. in manuali. c. 18. n.47. Arag.2.2.q.62. ar. 2. & Ban.ibidem defendunt oppositum. In gratiam tamen resolutionis.

2 Primo dico, quòd si diffamator maxima certitudine morali intelligit, ex nimia diuturnitate temporis, vel alia via infamiam esse omninò obliuioni traditam tunc ad nullam restitutionem tenetur. Ratio huius est, quia cum innocens nulla tunc laboret infamia,nihil erit restituendum,nihilominùs damna pecuniaria à tempore illatæ infamiæ vsque ad obliuionem sunt ab infamatore restituenda. Ita Nauar. in Man. c. 18. nu 47. Less. lib. 2. de iust. cap. 11. dub. 18. Roder. p. p. sum. cap. 254. & Petr. Nauar. lib.2.de rest. nu.421.

3 Secundò dico, quòd si infamator non est moraliter certus de obliuione infamiæ eorum, apud quos alium diffamauit, ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia moraliter loquendo difficilè est certò scire eos qui infamiam audierunt, esse omninò oblitos, sæpè enim multorum post longum tempus recordamur, quorum statim non meminimus.

Tum quia tantò firmius creditur crimen, quantò quis detractionem factam post tot annos, & tot confessiones,non reuocauit. Ita Less. lib. de iust.c. 11. dub. 18. Salon.2.2.q.62.2.Roder. p. p. sum cap. 254. & alij.

QVÆST. LXIX.

Quo pacto hæc restitutio sit facienda post multum tempus?

1 NAuar. c. 18.n. 47. ait restitutionem sic esse faciendam, vt infamator non innuat in particulari se hoc, vel illud de falso dixisse, sed roget eos, quib. crimen fratris reuelauit, an meminerint aliquo tempore se illis dixisse aliquod crimẽ de tali homine,quod si dixerint se audiuisse olim tale crimen, tenebitur ad restitutionem, sin minùs roget eos,ne peiorem eum existiment ob aliquod suum crimen, testans se falsum dixisse.

2 Sed (pace tanti viri sit dictum) hic modus satisfaciendi mihi non placet, quia hac ratione se retractare, est inducere in memoriam aliorum crimen fratris, cuius iam erant omninò obliti, & consequenter dum intenditur restitutio famæ,fit potius renouatio infamiæ, non ergo erit facienda talis restitutio Sed de infamato sermonem super materia contraria inferre debet scilicet eum laudando de virtute contraria vitio, quod reuelauit, vt si eum dixit incontinentem,nunc vehementer castum esse persuadeat, idque cum dexteritate, nequis putet se pro restitutione famæ id facere, alioquin potiùs infamiam semper confirmabit,vt egregiè Caiet 22.q. 62. ar. 2. & Rebell. p.p. de oblig. lib.4. q. 13. annotarunt.

QVAESTIO LXX.

An res inferioris ordinis sit restituenda cum detrimento rei superioris? v. g. pecunia cum iactura famæ, aut honoris, & famæ cum periculo vitæ?

1 SOtus lib. 4. de iust. q.6.ar.3.Tolet. l. 5. sum.cap.70.Arag.2.2.quæst. 62. ar. 2. & multi alij docent in aliquo casu pecuniam esse restituendam cum iactura famæ, & famam cum damno vitæ. Ducunturque hi in eam opinionem,quia licet pecunia res sit inferioris ordinis,quam fama, potest tamen pecunia sumi in tanta quantitate, vt prudentis iudicio præponderet famæ, & tam Illustris potest esse fama,vt pluris æstimetur quam vita, ergò tunc facienda erit restitutio pecuniæ cum iactura famæ, & famæ cum detrimento vitæ.

2 EX

2 Ex quo inferunt primò, quòd qui perſonam Illuſtrem de crimine hæreſis, aut de crimine læſæ Maieſtatis, & proditionis iniuſtè diffamauit, ex quo ipſe, & tota eius familia, & poſteritas infamis manet, & expoliata multis honoribus, officiis, & dignitatibus, tenetur iſte in hoc caſu famam reſtituere, etiam cum manifeſto periculo vitæ. Ratio huius eſt, quia fama, & dignitas hominis ita Illuſtris, & quæ non ſolùm ad ipſum, ſed etiam ad poſteros tranſit iudicio prudentum, plus valet, quàm vita hominis abiecti, & infimæ claſſis.

3 Secundò inferunt, quòd qui per iniquitatem ſuppoſuit filium alienum Regi, ob quòd verus Princeps, & primogenitus priuatur Regno, tenetur etiam cum vitæ ſuæ periculo, falſam illam ſuppoſitionem reuelare, vt hæreditas, & ſucceſſio Regni vero Principi, & eius ſucceſſoribus reſtituatur. Ratio eſt, quia ſecundùm rectam rationem, maius bonum eſt iuſta, & legitima ſucceſſio regni, quam vita cuiuſque hominis priuati.

4 At ego tamen libentiùs adhæreo aliorum ſententiæ, qui aſſtruunt in vniuerſum rem inferioris ordinis nunquam eſſe reſtituendam ex iuſtitia cum iactura rei ſuperioris, vt rem externam cum damno alicuius boni ſpiritualis, & pecuniam cum detrimento famæ, aut honoris, & famam cum damno vitæ. Cæterum cuiuſque ordinis cum detrimento eorum, quæ in eodem ordine, vel inferiori conſtituuntur, quiſque tenetur facere reſtitutionem. Sic Illuſtriſſimus Caiet. 2.2.q.62. ar. 6. Nauar. cap. 18. nu. 47. Cord. lib. 1. quæſt. q. 31. Valent. tom. 3. d. 5. quæſt. 6. p. 7. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 15. Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. num. 405. & Sylueſt. verb. detractio quæſt. 4. Pro quo.

5 Primò dico, quod in vniuerſum infamator tenetur cum detrimento pecuniæ famam alteri reſtituere. Ratio eſt, quia res inferioris ordinis debet ancillari rei ſuperioris ordinis; atqui pecunia eſt inferioris ordinis, quàm fama, ergo qui tenetur reſtituere famam, debet adhibere pecuniã, ſi ad id opus fuerit.

Secundò dico, quòd infamator tenetur regulariter cum propriæ famæ detrimento famam alteri læſam reſtituere. Ratio eſt quia non eſt iuſtum, vt quis ſuæ famæ conſulat, cũ alterius hominis famæ nocumẽto. Tum quia in pari cauſa, & damno duorum, melior eſt conditio innocentis.

Dices, nullus tenetur cum æquali damno proprio, alterius damnum reſarcire. ergò neque tenebitur ſeipſum infamare, vt alterius famam reſtituat.

6 Reſpondeo quòd homo infamando proximum amiſit ius famæ ſuæ, & ideò cũ famam ſuam iniuſtè poſſideat, & alteri debetur iuſtè, non mirum, ſi cum iactura ſuæ quam iniuſtè retinet, teneatur alterius famam quæ iuſtè illi debetur, conſeruare.

7 Dixi notanter (Regulariter) quia ſi infamator ex reſtitutione famæ, quã abſtulit, incurrit aliquod magnũ detrimetũ ſuæ famæ, non tenetur reſtituere famã, quæ nõ eſt magni momenti, ſed vel in pecunia, aut aliter ſatisfacere poteſt ſecundum D. Tho. 2.2.q.62.ar.2.v.g. Antiſtes, vel alter egregiæ exiſtimationis, famam priuati hominis maculauit, qui ſi reſtituat illi famam, quæ nõ eſt magni ponderis amittit Antiſtes plurimũ honoris in Republica, tunc ſi infamatus vellet ſibi fieri reſtitutionem, erit proculdubiò irrationabiliter inuit⁹, ergo alter excuſatur à reſtitutione. Ratio huius eſt, quia ſicut qui decem aureos furripuit, non poteſt reſtituere, niſi expendat centum, non tenetur cum tãta iactura illos reſtituere vt omnes Doctores fatentur, ita nec vir egregiæ exiſtimationis, qui diffamauit plebeiũ, tenetur cum propria infamia eius famam reſtituere, cum ſit maior diſtantia inter famam v.g. Antiſtitis & famam hominis plebei quam inter decem, & centum, & ideo perſonæ Illuſtri ſatis eſt, ſi quam obtenebrauit alterius famã, alia ratione cõpenſet, quòd ſi alter noluerit, non tenetur infamator amplius facere. Verũ tanta poteſt eſſe infamia hominis infimæ ſortis, vt quantũlibet Illuſtris ſit infamator, teneatur reſtituere cum detrimento propriæ famæ, vt ſi impoſuit illi crimen læſæ Maieſtatis, vel hæreſis, Ita Sot. l. 4. q. 6. a. 3. Ban. 2.2.q.62.a. 2. Valent. tom. 3. diſt. 5 quæſt. 6. par. 5. & alij.

8 Tertiò dico, quòd quando ex infamia vnius perſonæ, vel familiæ, toti Reipublicæ magnum detrimentum, ſcilicet bellum, vel inter ciues graue diſſidium imminet, tunc infamator, ſi aliter Reſpublica ſedari non poteſt, tenetur etiam cum periculo vitæ alienã famã reſtituere quia ſalus, & tranquillitas Reipublicæ eſt bonũ præſtãtius, quã ſalus, & vita alicuius particularis.

9 Quartò dico, quòd quando ex infamia impoſita mors infamati timetur, tunc infamator etiam cum periculo vitæ obligatur ad reſtitutionem, vt ſi quis aliquem in iudicio infamauit, imponendo ei crimen falſum, propter quòd innocens comburendus vel ſuſpendendus eſt, tenetur accuſatus etiam cum vitæ ſuæ periculo dictum ſuum reuocare. Ratio eſt, quia tenetur nocens ſubire tantùm damnum quantum intulit, cum iure naturæ potior ſit conditio innocentis, & patientis, vt rectè docet Petr. Nauar. lib.2. de reſt. num. 403. Leſſ. lib.2.de Iuſtitia cap.11.dub.15. & Tolet.lib. 5.ſummæ cap. 70.

10 Quartò dico, quòd cuique homini priuato fas eſt vitam pro fama reſtituenda exponere, etiamſi fama non ſit tanta, vt iudicio Soti præponderet vitæ. Ratio huius eſt, quia pro virtute licitum eſt vitam periclitari, vt cum communi tenet Leſſ. lib. 2.de Iuſtitia & iure cap.11.dubit.15.

Sextò & vltimò dico, quòd in vniuerſum cum iactura propriæ vitæ, nullus tenetur famam alteri reſtituere. Ratio eſt, quia vita longè præſtantior eſt, & altioris ordinis quam fama, nam fama honor, & bona temporalia ſunt propter vitam, & non è contra; nunquam autem eſt obligatio reſtituendi bonum inferius cum detrimento, & periculo boni longè ſuperioris.

Tum quia iuſtitia commutatiua poſtulat, vt reſtitutio fiat ad æqualitatem, at qui reſtituit bonum inferius cum detrimento boni longè ſuperioris, plus reddit quàm debet, quòd eſt contra iuſtitiam commutatiuam.

11 Tum quia nullum temporale eſt reſtituendum cum damno alicuius boni ſpiritualis, & hoc non alia ratione, niſi quia bonum ſpirituale eſt altioris ordinis, ergo fama non eſt reſtituenda cum periculo vitæ, cum vitæ ſit bonum præſtantius fama.

Tum quia nullus tenetur ex Iuſtitia pro reſtitutione vitæ, vel famæ fundere preces, idque ideò quia oratio eſt longè ſuperioris ordinis, quam vita, vel fama, ergò.

Tum demum quia nullus tenetur reſtituere pecuniam furto ablatam cum iactura ſuæ libertatis ſeiptum vendendo, cuius rei nulla alia ratio eſt, niſi quia libertas eſt ſuperioris ordinis, quàm pecunia, ergo.

QVÆSTIO LXXI.

An qui in confeſſione Sacramentali imprudenter delictum tertij reuelat, peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 RESP. peccare, ſi ſine ſuo magno incommodo, vel difficultate poteſt alium confeſſarium quærere, qui non cognoſcat complicem, vel confeſſionem differre, non obligari tamen ad aliquid eius famæ reſtituendum, modò inde non ſequatur, niſi mala tantùm confeſſarij opinio tertij. Ratio eſt, quia ea criminis detectio non eſt infamia, aut detractio formalis, ſed eſt imprudẽtia, & inconſideratio. Ita Azor. p.3.inſt. mor.lib.5. cap. 9. quæſt.3.

Hinc, qui inuentam memoriam peccatorum alicuius ſcienter legit, peccat mortaliter, idquè contra iuſtitiam circa famã illius pro qualitate eorum quæ in ea continentur, & ſi aliis oſtendit, grauiùs peccabit, & ad reſtitutionem tenebitur, vt tradit Molina tom.5.de Iuſtitia diſp.36. & Rebel. p.p. de obligat.lib.4. quæſt.7.

QVÆST. LXXII.

An circunſtantia peccati, per quàm reuelantur conſortes, ſit neceſſariò confitenda? verbi gratia Titius rem habuit cum matre, confeſſarius cognoſcit Titium, & matrem eius. An Titius teneatur confeſſori cognationis gradum aperire qui abſque matris infamia confiteri nequit?

1 DVo ſunt hic apud Doctores certa, & vnum controuerſum.

Prima certum eſt, quòd ſi ex tali reuelatione timetur publica infamatio eius, qui peccatum commiſit, vel aliud damnũ animæ, vitæ, vel rei familiaris, nulla ratione licitum eſt illam confiteri.

Secundò etiam eſt certum, quòd qui nõ poteſt confiteri peccatum ſine alterius infamia, tenetur procurare facultatem ab Epiſcopo, vel Parocho confitendi alteri, qui eum minimè cognoſcat; & ſi talem non inueniat, debet mutato habitu confiteri illi, qui aliàs ipſum cognoſceret, ita vt neque ex voce, aut alio ſigno deprehendatur, & tacito ſuo nomine, patria, & profeſſione, dicat, ego peccator potens tibi confiteri,

dico

dico meam culpam &c. & confeſſarius debet ei credere, & abſoluere. Itaque hæc certa ſunt.

2 Controuerſia igitur tantùm eſt quando ex manifeſtatione circunſtantiæ non ſequitur aliud momentum, niſi mala tantum opinio confeſſarij, complicem pro malo reputantis, & non eſt copia cum alio confitendi.

Nauar.cap.7.num.3.Ban.2.33.art.8.Barth. Med. lib.2. inſt. conf. c.4.§.1. & multi alij tenent talem circunſtantiam eſſe tacendã.

3 Contraria tamen ſententia, & communis, & vera eſt, fundamentum potiſſimum huius opinionis eſt, quia qui vtitur iure ſuo, nulli facit iniuriam; ſed qui integrè omnia ſua peccata confitetur, explicando circunſtantias perſonarum in caſu poſito, vtitur iure ſuo, ergò nulli facit iniuriam, atque ex conſequenti licitè id facit.

Tum quia huiuſmodi reuelatio non graviter lædit proximum, vt ipſemet Nauar. ibid.fatetur, ergò proximus non eſt rationabiliter inuitus. Probo conſequentiam, quia quiſque tenetur leuem pati iniuriam propter magnum bonum alterius.

4 Tum quia non peccat, qui iuſta de cauſa extra confeſſionem reuelat peccatum mortale alterius, non animo detrahendi alicui viro bono, ac prudenti, qui tenebit ſecretum, puta quia non oberit, & fortè proderit, vt cum communi reſoluit Petr. Nau.lib.2.de reſt.c.4.n.332. & tradit Caiet. 2.2.qu.73.art.2.Roder. p. 1.ſum.ca.253. n.13. Cord. ſect.74. in Can. Miſſæ & alij, ergò à fortiori id in confeſſione Sacramentali licebit.Ita ſanè docuit S.Thom. in 4.diſt.16. q.3.art.2.quæſtiuncula 5. ad 5.Sot. in 4.d.18. q.2.art.5. ad 4.& Petr. Nau.loco citato nu. 271. qui pro hac opinione citat Alex. Alen. Bonauent. Palud. Richar.Henric. Durand. Gab.D.Anton. Ioan.Medina, Adrian. Sylu. Alma. Victoria Cord.Ang.& alios.

Hoc idem docuit Caiet. in ſum. verb. confeſſ. cond.tertia, quamuis pro oppoſita ſententia citetur à Ledeſm.Ban.& Can.dicit enim quod ſi confeſſor ſit vir bonus,de quo non eſt ſuſpicio futuræ infamiæ poteſt explicari. Et ſanè ipſe Nauar. in cap. inter verba concluſ.6.corol.31.num.67.reuocaſſe videtur ſententiam, cum dicat eſſe tantùm veniale. Imò fatetur quod extra confeſſionem ad petendum conſilium, licet reuelare peccatum tertij.

Huius opinionis videtur fuiſſe D. Bern. in formula honeſtæ vitæ, in fine, dum ait. De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris, quantumcumque ſit verum, niſi in confeſſione, & hoc vbi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum.

5 Quod puto eſſe verum, etiamſi non vrgeat neceſſitas præcepti confeſſionis, ſed ſolùm vtilitas noſtra, vt gratia augeatur. Ratio eſt, quia cum leue ſit detrimentum, non tenetur quis vtilitatem ſuam amittere, præſertim ſpiritualem propter damnum leue, quod per accidens ſequitur tertio, vt poſt Alexand. Alen. D. Anton. Bonauent. Richard.Adrian. Angel.Sylueſt.Sot. Roſel. & pleroſque alios reſoluit Petr.Nauar.lib. 2.de reſtitut. cap.4. num. 279.

6 Ex quo colligitur poſſe confeſſarium in neceſſitate interrogare complicem, vt ſciat circunſtantiam, vt poſt ſuprà citatos reſoluit idem Petr.Nauar.lib.2. cap. 4. num. 282. Peccatum tamen illius cadit ſub ſigillo confeſſionis, vt Emanuel Sà verbo confeſſ.num.19.annotauit.

Vnum tamen videtur notandum, quod ſi ex tali reuelatione ſequitur notabile dãnum proximo, in quo caſu diximus tacendam eſſe illam circunſtantiam, tunc tenetur pœnitens actum internum confiteri, dicens ſe habuiſſe actum deliberatum peccandi cum illa &c. Ratio eſt, quia ipſe tenetur quantum integrè poteſt confiteri, & ex hoc nulla infamia ſequitur, ergo.

QVÆSTIO LXXIII.

Quomodo fama ſit reſtituenda?

1 IN hac quæſtione conuenit inter omnes, eum qui per mendacium, & iniquitatem aliquem infamauit, teneri ei famam reſtituere, affirmando ſe fuiſſe mentitum, aut dixiſſe falſum, & hoc coram his, in quorum præſentia falſum crimen retulerat, adhibito etiam iuramento, ſi aliter non putentur creditum, & rei grauitas poſtulet. Ratio eſt, quia iſte tenetur ex iuſtitia reſtituere famam. ſed iſte modus eſt ordinarius, commodiſſimus, & æqualis ſecundum iuſtitiam, ergò tenetur iſto modo reſtituere. Ita Nauar. cap.18. num.45. Sot.lib. 4.q.6. artic.2. Valentia tom.3. d.5. quæſt.6. parte 5. Petr. Nauar. lib.2.cap.4. num. 375. & Molina tom. 5. diſp.41.

2 Tota

2 Tota igitur difficultas consistit, quando dicendo veritatem patefecit aliquod crimen occultum, ex quo iniustè famæ proximi detraxit.

In qua re etiam conuenit inter omnes, hunc obligari ad restituendam famam. Ratio est, quia iniustè proximum diffamauit.

Secundò etiam est certum, hunc non debere mentiri, vt alteri famam restituat. Ratio est, quia mentiri est malum intrinsecè. At non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Rom. 3. ergo.

QVÆST. LXXIV.

Sed quæstio est, quibus, & quotnam modis hæc restitutio fieri possit?

1 RESpondeo duodecim.

Primus est, vt infamator dicat iis apud quos occultũ fratris sui delictum propalauit se fatuè, & perperam id dixisse, & iniustè proximum diffamasse, & ideò sibi nihil esse credendum in eo, quod de illo retulit, imò fratrem illum esse virum honestum, studiosum, atque aliter de eo sentiendum: & ita dicendo non mentitur, quia detegendo crimen occultum fratris non seruato ordine iuris, aut charitatis male dixit, & iniustè fecit. Ita docuit S. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Scot. in 4. disp. 15. quæst. 4. & communis.

Secundus modus restituendi est, vt infamator dicat iis, apud quos infamauit proximum, quando tale quid de tali dixi, illud verum existimabam, sed adhibita tamen postea diligentia, inueni me malè, & stultè id affirmasse. Ita Ioan. Maior in 4. disp. 15. quæst. 16. col. 4.

2 Tertius modus restituendi est, vt infamator dicat, se cum crimen reuelauit, non benè aduertisse rem & postea deprehendisse se fuisse deceptum; quia huiusmodi verba sunt æquiuoca, non enim significant se fuisse mentitum: nam qui peccat, non benè aduertit, sed decipitur & iste reuelando crimen occultum alterius, peccauit, ergò & deceptus est, ac proinde verè potest dicere se esse deceptum, etiam si audientes concipiant me fuisse mentitum. Sic Barth. Medina in sua inst. conf. c. 14. §. 31.

3 Quartus modus restituendi est, si dicat, ego nesciens quidquam mali illius hominis, ex passione dixi crimen illud de illo, nunc autem remordente conscientia restituo illi honorem, & famam suam; quia nescire, & ignorare, est verbum vsitatum in hac significatione, videlicet vt aliquis dicatur nescire, quòd non scit ad reuelandum. Vnde Christus Marc. 13. Dicebat de die illa, nemo scit neque filius hominis, hoc est ad reuelandum. Ita Bann 2. 2. q. 62. art. 2.

Quintus modus restituendi est, si dicat in hac re erraui, non mihi credatis, iuxta illud Prouerb. 14. Errant omnes qui operantur malum. Ita Reb. p. de oblig. l. 4. q. 10.

Sextus modus restituendi est, si dicat ignorante se fuisse locutum de proximo, rogetque vt talem opinionem deponant; quia omnis peccans verè dicitur ignorans secundùm Arist. Ita Rebel. loco citato.

4 Septimus modus restituendi est, vt infamator dicat, se non audiuisse, vel vidisse crimen, quod antea affirmauit, subintelligendo ad dicendum, idque poterit iuramẽto cõfirmare, vt Reb. vbi sup. annotauit.

Octauus modus restituendi est, si dicat, quando v. g. Titium diffamaui, putabam me verum dicere, sed postea re melius considerata, inueni me esse mendacem, vel mentitum fuisse, subintelligendo in alia re quamuis audientes falsò id accipiant de re priùs à me relata.

5 Nonus modus restituendi, est, vt detractor dicat, quòd de Titio dixi, non credatis, quia ex mea sanè malitia id dixi, idque poterit sine peccato iuramento affirmare, verum enim iurat, cum ex propria sua malitia fuerit, quòd famæ proximi detraxerit. Ita Molina tom. 5. de Iust. disp. 44.

6 Decimus modus restituendi est, vt infamator non ampliùs de illo delicto quod retulit, verbum faciat, sed procuret prudenter, vt sepeliatur, & pro occasione etiã quæsita tam apud quos fratrem suum diffamauit, quam apud alios loquatur benè, & honorificè de illa persona infamata, virtutes eius referendo, & familiariter, & amicè cum eo agendo, vt quantum in vna re perdidit opinionis bonæ, tantùm in aliis acquirat. Ita Illustriss. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 2. Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. Arag. 2. 2. q. 62. art. 2. Nau. cap. 18. nu. 45. Valent. tom. 3. disp. 5. qu. 6. p. 5. & quæst. 17. p. 2. Less. lib. 2. de Iustitia cap. 11. dub. 10. & plerique alij.

7 Vndecimus modus restituendi est, obtinere remissionem infamiæ ab infamato, siue per se, siue per tertiam personam illam obtineat, quia cum homo sit dominus suæ famæ,

famæ,iustè eam condonare poterit,Et quãuis peccet contra illud Eccles. 41. curam habe de bono nomine, si absque causa id faciat, tamen alter non tenebitur ex iustitia illius famam curare, aut ei restituere. Ita D. Anton. 2. par. tom.2.cap.2.§. 3. Sot. de teg. secret. m. 1. quæst.3.Nau. c. 18. num.49. Rebell. p. 1. de obligat. lib.4. quæst. & alij.

Duodecimus modus restituendi est per compensationem, quando liberalis omnino remissio non obtinetur.

8 Verùm hæ formæ restituendi apud rusticos, & idiotas vtiles interdum esse poterunt, apud viros autem ingeniosos & astutos non sunt vtiles, sed sæpè perniciosæ erunt, potiusque confirmabunt verum esse quòd dixit. Ratio est quia cum homines mediocriter eruditi sciant eum qui falso infamauit proximum teneri ad seipsum apertè retractandum, & affirmandum se esse mentitum, vel falsum dixisse, eo ipso quod vident illum infamatorem nec seipsum apertè retractare,nec affirmare se esse mentitum,sed solùm se malè, iniustè, stultè, aut ignoranter loquutum fuisse,vel deceptum &c. firmiùs credent verum esse crimen illud quod antea de fratre illo retulerat, vt eruditè, ac subtiliter aduertit Illustrissimus Caiet.2.2.q.6.art.2.& in sum. verb. rest. c. de modo restituendi famam.

9 Decimustertius;& vltimus modus mihi certus, & conuenientissimus restituendi famam est, vt infamator iis, quibus verum fratris crimen reuelauit, se falsum dixisse, & verè mendacium protulisse,quãdo illud crimen reuelauit, & ità dicendo non mentitur, quia intelligitur de falso practico, vel de non vero practico. Ratio huius est, quia omnis actio quæ non est conformis legi diuinæ vocatur falsum practicum, ad similitudinem operis materialis quando non est conforme regulæ artis, dicitur falsum. Vnde D. Thom. 2.2. quæst. 58. ar. 2. voluntatem rectam dicit vocari veritatem practicam, quia est regula operis recti, quod opus est verum practicum. Et in sacra scriptura passim peccatum vocatur mendacium, & falsitas, sicut omne opus bonum quia est consonum legi diuinæ,vocatur veritas. Ioan.3. qui facit veritatem ideſt opera bona, venit ad lucem. Et cap. 8. veritas liberabit ideſt vita iusta, & bona. Ephes. 4.veritatem facientes crescamus apud Deum &c. ideſt iuste viuentes Psal. 4. vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ideſt peccatum? Psal. 115. ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax,id est peccator. Hier.8. apprehenderunt mendacium,id est peccatũ,& infra, à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium, id est peccatum. Ergo qui peccat, committit falsum practicum, & qui iniustè famæ proximi detrahit,committit peccatum, ergo & falsum practicum.Modo dico sic.

10 Qui iniustè crimen fratris occultum detexit quamuis verum, peccauit, ergo commisit falsum practicum, licèt speculatiuè dixerit verum, ac proindè quando ex restitutione famæ, dicit se falsum dixisse, & mendacium protulisse non mentitur, sed asserit verũ, & quamuis audientes decipiantur,tamẽ id licet,quia nullo alio modo conuenientiori fama illius restitui potest. Ita Salon.2. 2. q. 62. ar.2.Barth. Med. lib.1. instr. conf. c. 7. §. 33.Reg. 4.Ban.2.2. q. 62. ar.2.Petr. Nauar.lib.2.de rest.c. 4. n. 381. Henric. Henriq. lib.2.de pœnit.c.11. n. 6.Less.lib.2.de iust.c.11.d.20. & alij. Et hæc opinio mihi valdè placet, quam sequi non hæsitarem tantorum fultam auctoritate Doctorum, nec non probabilissimæ innixã rationi, ad sedandas multorum conscientias,qui anxiè die, noctuq; non cessabant id quæritando.

Addit autem Salon. infamatorem non posse dicere, nil tale feciſſe,quia mendacium esset, sed se mendacium, vel falsum dixisse. Sed salua eius reuerentia, oppositum est verius,quia non fecit verè veritate publica, licèt veritate occulta vere illud peccatum commiserit.Vnde reus cuius delictum est occultum,potest sine peccato dicere se non feciſſe, quia non fecit publicè, vel ita vt teneatur dicere viritatẽ: pari modo potest detractor dicere, infamatum illud crimen non feciſſe, ideſt publicè, ita vt teneatur illud fateri.

11 Quo loco obserua,quòd si crimen occultum,quod quis iniustè propalauit, accidat postea aliundè manifestum fieri,detractor a famæ restitutione liberatur sed tamen peccauit,detrahendo, quamuis si aliquod damnum infamatus incurrit ob illã detractionem,antequam esset publicatum peccatum, tenetur detractor restituere Et hæc de restitutione famæ dixisse sufficiat.

DE RESTITVTIONE HONORIS.

DISPVTATIO VIGESIMASECVNDA.

DE hac materia differunt Scholastici in 4.dist.15. D.Thom.2.2.qu. 62.art.2.& ibi Illustriss. Caietanus Sot.lib.4.qu.6.art.3.Aragon.2.2.qu.62.art.2. Valentia tom.3.disp.5.q.16.p.1. Salon. 2.2.q. 62.artic.2.Molina tom.5.disp.36. Less. lib.2. de iust.c.11.dub.27.Bart.Medina lib.1. instr. conf.c.14.§.35. Petr.Nauar. lib.2. de rest.c. 4.nu.64. Cordub. tract. de detract. Nauar. c.18.nu.10.Couar.lib.2. var.cap.10.Summistæ verò vt Ang.Tab. Sylvest. Armil.& alij verb.contumelia.

Et vt à definitione eius exordiamur, quæritur in primis.

QVÆST. I.

Quid sit honor ?

1 REspondeo, quòd est reuerentia quæ exhibetur alicui in testimonium virtutis,vel eruditionis, & ingenij,aut ratione alicuius dignitatis & officij, vel alicuius alterius excellentiæ, vt docet D. Thom. 2.2.quæst.103. art.1.ad 2.

QVÆST II.

Quot modis honor violetur?

1 REspondeo tribus scilicet contumelia,conuitio, & improperio.

2 Contumelia est iniuria, qua verbis obiicitur alteri malum culpæ in præsentia eius. Vt si quis alium in faciem,furem,vel hæreticum appellet. Et dicitur contumelia à contemnendo,quia qui alterum contemnit tanquam superbus facilè in contumelias prorumpit. Vnde Prouerb.10. dicitur, vbi superbia,ibi contumelia.

Conuitium est iniuria, qua verbis obiicitur alteri malum, siue culpæ,siue pœnæ, siue defectus naturæ in præsentia ipsius. Vt si quis alicui iniuriosè dicat, ipsum esse furem, cæcum,caluum, ignarū,gibbosum, ciera di can,ciera di boia,aut aliquid aliud.

3 Improperium autem est iniuria,qua verbis,aut signis,alteri obiicitur malum indigentiæ minuentis eius excellentiam. Vt cũ quis alteri iniuriosè per verba,aut signa in memoriam reuocat beneficium, aut auxilium quod ei in necessitate cõstituto præstitit, quod est quasi quædam immemoris beneficij exprobratio,iuxta illud Eccles.20. Exigua dabit,& multa improperabit.Contrà verò Deus dat omnibus affluenter, & non improperat, Iacob.1.

Hodiè verò promiscuè tria ista vsurpantur vt colligitur ex D.Thom. 2. 2. q.72. art.2.& tradit Molina to.5.de iust. disp.19.

QVÆSTIO III.

An hæc tria specie distinguantur ?

1 REspon. non distingui sed esse tantum modos quosdam accidentarios magis, aut minùs augentes malitiam peccati, quia omnia ista tria propriè in verbis consistunt contra honorem debitum proximo ; honor autem proximi non distinguitur in specie.Vt docet sapientissimus Caiet.2.2.qu.72.art.1.& 4.Sot.lib.5.qu. 9.art. 1.ad 3. Valentia tom. 3.disp.5. quæst. 16.p.1.Salon.2.2.q. 72. art.1.& alij.

QVÆST. IV.

An qualitas contumeliæ, vel conuitij &c. sit necessariò in confessione exprimenda ?

1 REspondeo aliquando esse necessariò exprimendam, vel ob magnitudinem mali,quod alteri obiicitur,vt si quis alium hæreticum,vel traditorem aut sodomitam appellet. Vel ob excellentiam personæ,cui contumelia fit, vt si quis conuitia iactet in Regem, vel Prælatum, quia licet ista tria non mutent speciem peccati, augent tamen maxime illius grauitatem, circunstantiæ autem quæ notabiliter malitiã peccati augent, mutant eandem speciem explicandæ

Digitized by Google

plicandæ ſunt in confeſſione, cum confeſſor non ſolùm ſit iudex, verum etiam Medicus, qui pro qualitate, & grauitate delicti, imponere debet pœnitentiam, & qua ratione abſtinendum ſit a ſimilibus, pœnitentem inſtruere. Ita Ban. 2.2. qu.72. art.2. Sot. lib.5. quæſt. 9. art.1. Salon. 2.2. quæſt. 72. artic.1.

QVÆSTIO V.

An illatiua vepurent ex natura ſua præiudicium eius, aut inferuntur?

1 RESP. de ratione iſtorum trium non eſſe neceſſarium, quod ille cui inferuntur, ſit actu præſens ſed ſatis eſſe quod ita irrogans, tali id faciat intentione, vt ad illius qui contemnitur, notitiam perueniat. Ita expreſsè ſentit D.Thom. 2.2.q.72.art.1. cum ait, in hoc conſiſtere contumeliam, vt aliquis manifeſtet defectum alterius, intendens vt veniat in notitiam eius, & aliorum.

2 Ex quo colligitur detractionem differre a contumelia dupliciter, primò quia detractio directe lædit famam: contumelia autem honorem.

Secundò quia detractio fit occultè, ſeu in abſentia, vel cum ignorantia eius, cui detrahitur ſaltem ex intentione, & animo detrahentis, ſicut furtum; contumelia autem potiſſimùm fit manifeſtè ſeu in præſentia, vel cum notitia eius, qui contumelia afficitur, actu, vel virtute in ipſo ſciente, vel ea intentione vt ſciat, ſicut rapina. Ita Salon. 2.2.qu. 72.art.1. Sot. lib.5.qu. 9. art.1. Caiet. 2.2.qu.72. art.1. Valent. tom.3. diſp.5. q.16.p.1. & Aragon. 2.2.qu.72.art.1.

3 Hinc, qui ita delictum proximi reuelat, vt nollet illud ab alio ſciri, ſolùm peccat peccato detractionis, qui verò eo animo, vt iniuriam paſſus intelligat ſe ab illo contemni, peccat peccato detractionis ſimul & contumeliæ, quæ ambo cum ſint ſpecies inter ſe indiſtinctæ, ſunt neceſſariò in confeſſione exprimenda.

Hinc contumelioſus dicitur qui fores diſrumpit, non vt alienum tollat, ſed vt domino contumeliam inferat, illa enim domus diſruptio ſignificat re illum dominum contemnere. Idem dic de eo, qui baculo aliquem percutit, non vt dolorem ſentiat, ſed vt percuſſum dehoneſtet, vel vxorem alterius ad copulam compellit, vt mariti honorem auferat. Ita Sot. lib.5. quæſt. 10.artic. 1.

QVÆSTIO VI.

An illatiua verbales contumeliæ conſiſtant in verbis?

1 RESP. præcipuè conſiſtere in verbis vt docet S.Thom. 2.2.qu.72.art.1. & 2. quia ſunt iniuriæ, quibus manifeſtamus aliquem defectum fratris, & in aliorum notitiam ducimus, vt contemnatur: manifeſtatio autem præcipuè fit, per verba dicente D.Aug. lib.2. de doctrina Chriſtiana cap. 3. circa med um, verba obtinuiſſe ſignificandi principatum apud homines. Aliquando tamen etiam in nutibus, motibus, & factis conſiſtunt, licèt minùs principaliter. Ratio eſt, quia nutus, & facta habent vim ſignificandi. Vnde ſuper illud ad Romanos 1. contumelioſos, ſuperbos &c. dicit Gloſſa contumelioſos illos eſſe, qui dictis, & factis contumelias, & turpia inferunt. Talis erat apud Romanos contumelia, naſum, vel pollicem inter duos digitos alteri demonſtrare, aut linguam inter dentes. Ita Val. tom.3. diſp.5. qu.16.p.1.

QVÆST. VII.

An qui verba contumelioſa, aut conuitia iactat in alium, peccet mortaliter?

1 IN hac graui, & perutili quæſtione dico primò, quòd qui per locum ordinarium refocillandi tantùm animi gratia, dicit verba contumelioſa, non peccat. Ratio eſt, quia iſte ſuo ſermone proximum non dehoneſtat, nec intendit dehoneſtare vt docet S.Tho. 2.2.q.62.art.2. Vnde Ariſt. Ethic. cap.8. conſtituit quandam virtutem moralem eutrapeliam appellatam, qua homo decenter ſe habet in ludis, & iocis, & recreationibus humanis.

Dixi notanter (ordinarium) quia ſi per locum quis notaret Sacerdotem verbi gratia de fractione ſigilli ſacramentalis, vel honeſtam fœminam adulterij notaret, vel alapa percuteret, proculdubiò peccaret mortaliter, quia limites ordinarij ioci trãſgrederetur. Ita Rebel. parte prima de obligat. lib.4. quæſt.12.

2 Secundò dico, quòd qui de animo & intentione

Digitized by Google

tentione lædendi honorem proximi, verba contumelioſa profert, ſiue nocumentum ſequatur, ſiue non, peccat mortaliter. Probatur primò ex illo Matth. 5. Si oculus tuus ideſt intentio tua nequam fuerit, totum corpus tuum ideſt totum opus tuum tenebroſum erit. Secundò probatur ex illo alio eiuſdem Euangeliſtæ loco citato. Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis: pœna enim æterna inferni non niſi peccato mortali debetur. Ita Aragon. 2.2. quæſt. 72. art. 2. & Molina tom. 5. diſp. 19.

3 Tertiò dico, quod qui verbum contumelioſum profert animo parum dehoneſtandi proximum, & reuerà parum dehoneſtat, ſolùm peccat venialiter. Probatur. Qui parum furatur, animo & intentione parum lædendi, ſecundùm omnes, nò peccat niſi venialiter ob paruitatem materiæ, ergo & qui verbum contumelioſum alteri obiicit animo parum nocendi peccabit venialiter ex paritate rationis.

4 Hinc homunciones, & mulierculæ quæ ex animi irati promptitudine viciſſim ordinariis iniuriis ſe afficiunt, non peccant, niſi venialiter. Et ratio eſt, quia illæ iniuriæ communes leuiter proximum contriſtant, & intentio eorum non eſt grauiter dehoneſtandi proximum, quãdo autem mouent contumelias graues, ſcientes, & volentes, peccãt mortaliter iuxta illud Chriſti Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Ita Arag. 2.2. quæſt. 72. art. 2. & Molina diſp. 19.

Quartò dico, quòd qui per verbum contumelioſum infert notabile nocumentum proximo in honore, licèt careat animo grauiter lædendi, dummodò ex ſua culpa lata non aduertendi damnum quod intulit, illud proceſſerit, mortale peccatum committit cum onere reſtituendi. Ratio eſt, quia iſte de facto, ſuo ſermone lædit proximum notabiliter, & licèt careat animo nocendi, id facit ex culpa lata, quæ vt diximus eum non excuſat, ergo peccat mortaliter. Ita Valent. tom. 3. diſp. 5. qnæſt. 16. puncto 2. & plerique alij.

Quintò dico, quod qui per verbum contumelioſum non intendit nocere proximo adhibetque tantam diligentiam, vt probabiliter ignoret, quod inde damnum ſubſequetur, tunc etiamſi grauiter lædat non peccat mortaliter. Ratio eſt, quia illud damnum reſpectu iſtius erit caſuale, atque proinde inuoluntarium. Ita Aragon. 2. 2. quæſt. 72. art. 2.

6 Sextò, & vltimò dico, quòd qui ex ſola intẽtione corripiendi fratrem cautè, & cũ diſcretione verbis contumelioſis vtitur, non peccat, ſed potiùs meretur. Ratio eſt, quia cum bona temporalia ordinentur ad ſpiritualia, poſſunt Prælati, & ſuperiores vti honore & fama ſuorum ſubditorum ad corripiendum eos, ſicut vtuntur ſalute eorum corporali, dum illos verberibus afficiunt: Vnde Chriſtus Luc 24. Apoſtolos ſtultos, & tardos ad credendum appellauit, & Apoſtolus Galatas inſenſatos vocauit Galat. 3.

6 Oportet tamen aliquas conditiones ſeruari, vt ſuperiores in corripiendis ſubditorum defectibus ſine culpa huiuſmodi verbis cõtumelioſis, & conuitiis vti poſſint.

Primò vt ſolo animo corripiendi ducantur.

Secundò vt cum diſcretione, & moderamine, & cum magna neceſſitate, & vbi eſt certa ſpes fructus illa proferantur.

7 Tertiò, & vltimò, vt eo ſermone proferant, quo intelligat ſubditus, non ex ira, aut odio, ſed ex charitate, & deſiderio ſuæ emendationis dici. Verùm quia rarò, ac difficulter hæc obſeruari poſſunt, vt tradit D. Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 30. ob id Caiet. & cum eo Sot. lib. 5. quæſt. 9. art. 2. tutiùs eſſe putant, vt Prælati omninò ab huiuſmodi contumelioſis verbis abſtineant, quia vt plurimùm experientia teſte, ſubditi potiùs exacerbantur, quam emendantur, & leuius nonnunquam verbera, quam huiuſmodi verba ſuſcipiũt. Vnde Cicero de offic. Omnis (inquit) animaduerſio, & caſtigatio contumelia vacare debet. Ita D. Thom. 2.2. quæſt. 72. art. 2. Nauar. cap. 18. num. 11. Salon. 2.2. quæſt. 72. art. 2. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitutione cap. 4. num. 64. & Valentia tom. 3. diſtinct. 5. quæſt. 16. puncto ſecundo.

QVÆSTIO VIII.

Sed quid? ſi ſuperior, & ſi correctionis gratia, cum aliqua tamen ira, & deſpectu huiuſmodi verbis vtatur peccet mortaliter?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum peccare venialiter, quando in correctione parùm excedit.

Sed

Digitized by Google

Sed difficultas est, quando ingens est contumelia, vt si ira concitatus illum latronem, ebrium, iudæum, aut hæreticum, vel sodomitam appellet.

2 Sylvest. verb. contumelia qu. 3. & Nau. c. 18. nu. 11. putant non peccare mortaliter, si correctio sit causa principalis improperandi: tunc autem correctio apud eosdem censetur causa principalis, quando ea remota non improperaret, si autem ira sit principalis causa, peccabit mortaliter.

3 In contraria verò sententia sunt, Petr. Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. nu. 66. & Salon. 2. 2. q. 72. ar. 2. qui affirmant eum peccare venialiter, si leuiter excedat, mortaliter autem, si enormiter excedat, tunc enim notabiliter vituperatur, & contristatur subditus. Sicut si in punitione corporali notabiliter excederet, non excusaretur à mortali, quod causa principalis fuisset correctio, ita in casu nostro, peccauit superior mortaliter, aut venialiter in obiurgando pro ratione excessus. Vnde Illustrissimus Cardin. Caiet. 2. 2. qu. 72. art. 1. non excusat hos Prælatorum excessus, nisi quando Spiritus sanctus idipsum suggerendo inspirat, & D. Thom. ex Diuo Augustino id rarò absque peccato fieri solere astruit.

QVÆSTIO IX.

An contumelia sit peccatum contra iustitiam?

1 REspondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia omne peccatum, quo infertur homini damnum est contra iustitiam: atqui per contumeliam infertur homini damnum quoddam dedecoris, & despectus, ergo est peccatum contra iustitiam.

2 Ex quo infertur, contumeliam ex obiecto esse grauius peccatum furto. Ratio est, quia contumelia est contra honorem, & reuerentiam alterius, furtum verò contra bona fortunæ: at honor pluris æstimatur, quàm bona fortunæ, ergo.

QVÆSTIO X.

An contumelia sit grauius peccatum quàm detractio?

1 REspondeo affirmatiuè. Et ratio est, quia honor, & fama sunt obiecta materialia contumeliæ, & detractionis, obiecta verò formalia sunt rationes inuolutarij, vnde sumitur iniustitia. Sed maior est ratio inuoluntarij in contumelia, quam in detractione, ergò contumelia est maius peccatum detractione. Maior propositio est per se nota. Minor verò probatur, nam in contumelia est violentia, in detractione verò fraus, & dolus.

2 Et confirmatur primò, contumelia est læsio honoris, detractio verò est læsio famæ; sed læsio honoris per se fit, per apertam violentiam, læsio verò famæ fit per se occultè, ergò peiorem modum habet contumelia, quam detractio.

Confirmatur secundò, quia maior contemptus est in contumelia, quàm in detractione, ergo contumelia est maius peccatum, quàm detractio.

QVÆSTIO XI.

An contumeliæ sint patienter tolerandæ?

1 AD hoc dico primò, quòd vnusquisque tenetur habere animum paratum ad tolerandas iniurias, & contumelias, id est tenetur nunquàm habere propositum contrarium, id est vindicandi priuata authoritate iniurias, reddendo malum pro malo. Et ratio est, quia nunquam licet facere id quod est malum.

2 Secundò dico, quòd quiuis priuatus si vult, potest tacendo cum merito omnes contumelias sibi illatas semper tolerare, non quidem vt silentio irritetur iracundia alterius, id enim vindicta esset potiùs, quã patientia, sed vt sedetur, iuxta exempium illud Dauidis psal. 37. ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum; vel certè molli aliqua responsione leniendus est contumelioſi animus exemplo Domini respondentis. Quid me cædis? Ratio est, quia cum homo sit dominus suæ famæ, & honoris, sicut potest condonare restitutionem famæ, sic & tolerare detrimentũ sui honoris. Ita tenet Salõ. 2. 2. qu. 72. art. 3. & Valen. tom. 3. d. 5. qu. 16. p. 3.

3 Tertiò dico, quòd quando resistentia sine graui scandalo, & ingenti detrimento fieri nequit, quia periclitamur accendi ira, & contumeliator magis ad iracundiam prouocatur, tenetur contumelias illas patienter ferre. Quando verò nullum est scandalũ, tunc propter bonũ eius, qui contume-

lias infert, vt reprimatur, neque audeat facilè conuitiari, iuxta illud Prouerb. 26. reſpondet ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur, tum etiam propter bonum aliorum, quorum profectus impeditur, cum contumeliæ illatæ ei, qui poteſt illis prodeſſe, non propulſantur, tenemur ei reſiſtere, ac corripere illum iuxta illud quod ſtatim ſubiungitur eodem loco reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur, & ità Chriſtus reſpondit interenti ſibi alapam, vt deſiſteret ab illis iniuriis. Quid me cædis. Vnde Gregor. homil. 9. ſuper Ezech. hi inquit, quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ità in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant.

4 Quartò dico, quòd perſona publica, vt Prælatus, cuius honor ſubditis eſt neceſſarius, tenetur citra ſcandalum ſuum, & aliorum contumelias repellere. Ratio eſt, quia eo ipſo quo eſt ſuperior, tenetur præſtare ea omnia, quæ aliorum vtilitati, & ſuo muneri ſunt neceſſaria.

Quintò, & vltimò dico, quòd tam perſona publica, quàm priuata tenetur ſub mortali contumelias fidei, & Religionis reprimere, etiamſi exinde ſequatur ſcandalum infidelium, vt ſi nomen Dei, & Sanctorum blaſphemetur, vel Sacramenta, & ſimilia contumeliis afficiantur. Ratio eſt, quia ſilere in hoc caſu, eſt velut conſentire, reſiſtere autem eſt fidem, & Religionem propriam profiteri, ad quod tenetur vnuſquiſque fidelium, quotieſcunque cauſa fidei, & Religionis agitur iuxta illud Apoſtoli corde creditur, &c. oris autem conf. &c. Vnde D. Chryſoſt. ſicut in iniuriis propriis eſſe patientem, laudabile eſt; ita in iniuriis Dei, impium.

QVÆSTIO XII.

An liceat offenſo pro vna iniuria ſibi illata, aliam contumelianti obiicere? v. g. appellaſti me latronem, dubium eſt, an in caſu quo non teneor contumelias tolerare, iure poſſim ad repellendam hanc iniuriam te vocare ſicarium?

1 AD hoc dico primò, quòd qui ex liuore vindictæ infert contumeliam ei, qui priùs intulit peccat mortaliter. Ratio eſt, quia nulli eſt licitum priuata auctoritate ſe vindicare.

Secundò dico, quòd qui contumeliam obiicit crimen verum, quod eſt impertinens ad repellendam eius contumeliam, peccat mortaliter contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia talis obiectio habet rationem vindictæ, & non defenſionis. Ita Arag. 2. 2. qu. 62. art. 3.

2 Tertiò dico, quòd quando contumelioſus falſum mihi crimen imponit, licitum eſt obiicere illi verum crimen occultum, ad debilitandum eius dictum. Ratio eſt, quia talis obiectio habet propriè rationem defenſionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, quemadmodùm quando quis occidit hominem cum moderamine inculpatæ tutelæ in ſui defenſionem. Ita Sot. lib. 5. quæſt. 9. art. 3. Valent. tom. 3. d. 5. quæſt. 16. p. 3. Arag. & Ban. 2. 2. quæſt. 72. art. 2.

3 Quartò dico, quòd quando contumelioſus imponit mihi crimen verum, ſed occultum, licitum eſt, ei obiicere vera crimina occulta. Ratio eſt, quia contumelioſus in hoc caſu facit mihi iniuriam, ergo licitè poſſum me defendere. v. g. Titius verè, ſed contra ordinem iuris, appellauit me furem, nec alia via poſſum honorem recuperare, licitè poſſum dicere, eum eſſe mentitum, oſtendereque illum in aliis ſolere eſſe mendacem, dummodò reuerà ſit talis, licèt occulte: totum enim hoc pertinet ad inculpatam tutelam, quam cuique tam in vita, quàm in honore iure naturæ licitam eſſe omnes Doctores teſtantur. Verùm ſi ad recuperationem honoris vnius tantùm criminis obiectio eſt ſufficiens, contra charitatem, & iuſtitiam erit, duo aut plura manifeſtare. Ita Arag. & Ban. 2. 2. qu. 72. art. 3. Hæc itaque certa ſunt. Sed tota difficultas conſiſtit in hoc.

QVÆSTIO XIII.

An qui obiicit crimen falſum contumelianti, ad debilitandum eius fidem, peccet mortaliter?

1 SOt. lib. 5. de iuſt. qu. 9. art. 2. & Salon. 2. 2. q. 72. art. 3. docent eum peccare mortaliter contra iuſtitiam.

Cæterùm, contrarium tenet Ban. 2. 2. qu. 72. art. 3 Pro quo.

Dico primò, quòd qui obiicit alicui crimen falſum, ad repellendum eius dictum ſemper

ſemper peccat. Ratio eſt, quia mendacium eſt intrinſecè malum: ergò ſemper peccat.

2 Secundò dico, quòd probabilis eſt opinio Soti aſſerentis eſſe peccatum mortale contra iuſtitiam obiicere crimen falſum contumelianti. Ratio eſt, quia peccatum mortale contra iuſtitiam eſt, omne mendacium pernicioſum, ſed obiicere crimen falſum eſt mendacium pernicioſum, quia notabiliter læditur fama proximi, ergò eſt peccatum mortale contra iuſtitiam.

Tum quia qui ad reparandum ſuum honorem aſſumit crimen falſum contumeliantis, non ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ergò peccat mortaliter contra iuſtitiam. Conſequentia eſt per ſe nota, antecedens verò probatur, nam mendacium cum ſit malum ex genere, non poteſt aſſumi vt medium proportionatum ad tuendum ſuum honorem.

3 Tertiò, & vltimò dico, quod probabilior eſt opinio Ban. affirmantis obiicere crimen falſum in tali caſu, tantùm eſſe veniale peccatum, & mendacium officioſum. Ratio eſt, quia qui occideret inuaſorem, à quo non poteſt aliter ſe defendere, niſi mentiendo contra illum non peccaret mortaliter, ergò neque in caſu noſtro.

Tum quia in caſu poſito, offenſus poteſt negare crimen propoſitum, etiamſi ſit verum, ſed occultum, & quamuis offenſus ſecundùm ſuam ſententiam mentiatur, tamen non peccat mortaliter contra iuſtitiam. Tunc ſic elicio argumẽtum. Perindè eſt imponere falſum crimen contumelianti, & negare quod dicit eſſe verum, ſed offenſus negando, non peccat mortaliter, ergò neque imponendo crimen falſum.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm lædens aliquem in honore, ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui contumelia, conuitio, & improperio alterius honorem lædit, ad exhibendum, & reſtituendum illi reuerentiam, & honorem tenetur. Ratio eſt, quia iuxta D. Aug. non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, at contumelioſus aufert proximo honorem, longe pecunia præſtantiorem, ergo.

Et confirmatur ex illo Roman. 13. reddite omnibus debita, cui honorem, honorem &c. & ex alio Matth. Qui dixerit fratri ſuo fatue, id eſt graue conuitium, reus erit gehennæ ignis; & ſubtricit dominus, ſi ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Vbi manifeſtè dominus exigit ſatisfactionem pro contumelia, reſtituendus eſt ergò honor etiam cum proprij honoris detrimento, non autem cum periculo vitæ, ſicut diximus de fama.

2 Secundò dico, quòd qui non exhibet honorem ſuperioribus, vel æqualibus iuxta locum, ſtatum, & officium, quod tenent in Republica, non peccat contra iuſtitiam commutatiuam, ſed contra virtutem obſeruantiæ, ac proindè per ſe ad ſatisfactionẽ, & reſtitutionẽ ablati honoris non tenetur, quia aliud eſt non exhibere honorẽ, aliud conuitium, improperium, vel contumeliã facere.

Dixi notanter (per ſe) quia per accidens fieri poteſt, vt ratione alicuius contumeliæ interpretatiuæ, quæ illi omiſſioni coniuncta eſt, teneatur, vt ſi aliis exhibentibus reuerentiam Prælato prætereuntì, ille eum ſine vllo honoris ſigno impudenter aſpiciat. Ita Leſſ. lib. 2. ca. 11. dub. 27.

3 Tertiò dico, quòd ad honoris ſatisfactionem, tenentur etiam qui cauſa, vel concauſa contumeliæ, vel conuitij fuerunt. Ratio eſt, quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Vno tamen reſtituente, cæteri à reſtitutione ſunt liberi. Cæterùm qui irrogauit iniuriam ſemper actu tenetur honorem ſublatum reſtituere.

Quartò dico, quòd ſicut in reſtitutione famæ cadit remiſſio: ita etiam in ſatisfactione honoris, quid quid contra hoc obmurmuret Caietan. Et ratio eſt, quia homo eſt dominus ſui honoris. Vndè facta tali remiſſione a parte contumelia affecta, is qui eam intulit, tutus manet in conſcientia, nec ad aliquam aliam ſatisfactionem faciendam tenetur.

4 Quintò dico, quòd hæredes eius, qui paſſus eſt contumeliam, iniuriæ illatæ defuncto ſatisfactionem petere non poſſunt. Ratio eſt, quia iniuria perſonalis, qualis eſt contumelia, non tranſit ad hæredes.

Sextò dico, quòd is qui paſſus eſt conuitium, vel contumeliam, odium, & voluntatem ſe vindicandi remittere tenetur, non autem honoris reſtitutionem,

quia honor est bonum temporale.

5 Septimò dico, quòd qui iniustè alterius honorem abstulit, non solùm honorem ablatum resarcire tenetur, verumetiam omnia illa damna temporalia, quæ consequuta sunt læsionem honoris iniustè proximo illatam, vt si propterea aliquo officio, vel beneficio priuatus sit, vel ad recuperandum suum honorem aliquas expensas facere oportuit.

Octauò, & vltimò dico, quòd quando contumelia vni facta.i.filio, aut filiæ redundat in alios.i.in parentes, ac fratres, censeo nullam consurgere obligationem quicquã restituendi personis ita coniunctis pro vilipendio, quod in ipsos per accidens redundat, neque enim damna quæ per accidens eo modo resultant in personas, obnoxia sunt restitutioni, vt latè probat sapientissimus Mol. t. 5. d. 36.

QVÆSTIO XV.

Quonam modo sit honor restituendus?

1 RAtio quæstionis est, quia ex D. Th. 2.2.qu.62.art.2.ad 3.communiter recepto proprius modus restituendi honoré est per exhibitionem reuerentiæ externę & honoris æquiualentẽ. Verũ quia reuerentia per capitis apertionem, genuflexionẽ, assurrectionem, ac veniæ pro culpa agnita petitionẽ, aliisque modis exhibetur, ob id quæritur nunc, quonam modo id fieri debeat.

2 Sunt qui existiment, id fieri debere per veniæ petitionem. Ita Sot. lib.4.qu.6. art.3. Barth.Med.lib.1.inst.confes.ca.14.§.35.Arag. 2.2.quæst.62.art.2.Valentia tom.3.d.5.quæst. 16.par.1. Sylvest. verb. contumelia quæst.4. Salon.2.2.qu.62.art.2.& plerique alij. Huius sententiæ videtur fuisse D.Augustin. in sua Reg. vbi ait. Quicunque maledicto, vel conuitio aliquem læserit meminerit satisfactionem. Et postea subdit. Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non proiiciatur. Quasi dicat esse in peccato mortali.

Et confirmatur ex illo Matth. quinto, si ergo offers munus tuum &c. Ex quo loco satis apertè colligitur, eum qui alteri in honore contumeliam intulit, teneri ab eodem petere veniam.

3 Alij verò Doctores non minoris nominis negant esse necessariam petitionem veniæ, sed sufficere alio modo honorem ablatum resarcire: quia talis petitio vemæ, est nimia humiliatio, & deiectio, ad quam nullus est compellendus; quamuis enim qui irrogauit alteri conuitium, vel contumeliam ex præcepto teneatur illi satisfacere, modus autem satisfaciendi non est in præcepto. Ita Caiet.2.2.quæst. 72.art.3.Couar.lib. 2.var.c.10.nu.7.Cord.tract de detract.qu.3. concl.11.Petr.Nau.lib.2. de rest. ca.4.nu.69. Pedrazza præcepto 8.§.10. & alij. Pro quo.

Dico primò, quòd vt constat ex D.Tho. & eius discipulo Caiet. Opusc. 31. resp.13. dub.5.varij sunt modi restituendi honorem, ex quibus is dumtaxat est necessariò exhibendus, quo arbitrio boni viri abundè satisfit honori violato. Ratio est, quia ex iniuria illata solùm consurgit obligatio resarciendi illam integrè per bona aliqua eiusdem generis, non verò per quamcumque rem læsus voluerit.

4 Secundò dico, quòd honor restitui potest, amica & honorifica salutatione, aut compellatione, & hic ferè sufficit Prælatis, & superioribus erga subditos, dominis erga seruos, ac famulos, parentibus erga filios, magistris erga discipulos, & viris nobilibus erga plebem, non enim cogendi sunt ij veniam petere, aut genuflectere, aut similia subiectionis signa ostendere, esto non habeant, vnde restituant, nisi petendo veniam, ne illorum officium, cuius auctoritas bono communi adeò necessaria est, contemptui habeatur vt docet S.Augustin.in Regul. ne (inquit) dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Ita tenet Caiet.2.2.quæst.72.art.3. & Less.lib.2.de iust. cap. 11. dub. 27.

Tertiò dico, quòd honor restitui potest adhibendo ad mensam, dando locum honorificum, assurgendo, propinando &c. qui modus sæpè sufficit etiam inter æquales. Ita Less. sup.

5 Quartò dico, quòd honor restitui potest per petitionem veniæ. Qui modus est efficacissimus, & decentissimus, quo vti debent inferiores erga superiores, & sæpè etiam æquales inter se. Et ratio est, quia cum restitutio fieri debeat per contrarium, & contumelia sit signum contemptus, quo contumeliator gerit se vt superiorem, alterum subiiciens, proprium antidotum erit contraria humiliatio etiam vsque ad corporis inflexionem. Ita Sot. libro quarto,

to, quæſt.6.art.3.Aragon.2.2.quæſt.62. articulo ſecundo, Leſſ. lib. 2. de iuſtit. cap.11. dubitat. 27. & multi alij.

6 Quintò dico, quòd ſi læſus in honore non vult aliam ſatisfactionem admittere, præter veniæ petitionem,nec honor ille integrè per aliud bonum eiuſdem generis reſarciri poteſt,tunc qui intulit contumeliam regulariter loquendo tenetur veniam petere. Ratio eſt, quia lædens tenetur ſatisfacere, nec ad id faciendum eſt aliud medium, niſi petere veniam vt ſuppono, ergo ad id faciendum tenetur. Arag. 2.quæſt.62. art. 2.

7 Hinc,ſi is qui alteri contumeliam intulit, non vult ſe dimittere vt veniam petat, ſed reſtituere alio modo, nempe, dando maiorem pecuniæ ſummam, quam honor valet, & læſus non vult, niſi quòd petat veniam, ſi lædens per aliud bonum eiuſdem generis honorem reſtituere non poteſt,niſi petendo veniam, ad eam petendam tenetur. Ratio eſt, quia ſatisfactio de iuſtitia debet fieri in eodem genere rerum,ſi poſſibile eſt. Cum ergò veniæ petitio ad idem genus honoris per contumeliam violati pertineat, ſi lædés per aliam honoris exhibitionem integrè ſatisfacere non poteſt,ad veniam petendam a læſo alias ſatisfactiones repudiante tenebitur, aliàs erit in peccato mortali, nec poteſt abſolui.

8 Dixi notanter (regulariter) quia ſi is qui læſit eſt Prælatus,aut ſuperior eſtò non habeat vnde reſtituat, niſi petendo veniam, non tamen tenetur veniam petere à ſuis ſubditis, & inferioribus quos inhonorauit, quia non decet vt ait D.Auguſtinus vt ſuperior perſonam Dei gerens inferiori ſubiiciatur, ſatis enim eſt, vt ſecundum illius ſtatum, & dignitatem debitum honorem exhibeat, qnòd facere poteſt, & debet ſine dedecore,& ſic honorem ablatum alio modo decenti reſtituere, vt tenet Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 11. dubitat. 27. Arag.2.2. quæſt. 62. art. 3. Caiet. 2. 2. quæſt. 72. art. 3. & multi alij.

Sextò dico quòd ſi lædens alterius honorem, per aliam honoris exhibitionem quàm petendo veniam, integrè poteſt illum reſarcire, & læſus vult vt petat veniam, tunc qui læſit, non tenetur veniam petere. Ratio eſt, quia nullus obligatur ad modum ſatisfactionis,ſed tantum ad ſatisfaciendum in integrum: ergò cum iam ille ſatisfacit,vel ſatisfaciet integrè alia via, non eſt cur ad petendam veniam teneatur. ſic Arag. 2. 2. qu. 62. art. 2.

9 Septimò dico quòd ſi iniuria viro nobili per contumeliam illata ſit ignominioſa, vt ſi alapa, aut baculo eum percuſſerit, tunc læſus poteſt exigere maiorem humiliationem, eà quæ in ſimplici petitione veniæ exhibetur, verbi gratia, vt flexis genibus, cum fune in collo veniam petat, vel vt dicat ſe id feciſſe circunſtantium fauore magis, quam ſuis armis, aut viribus confiſus, vel quia illum inermem vidit ſecluſo mendacio, vel vt à loco diſcedat, vbi iniuriam paſſus habitat, ſed qui contumeliam intulit, non tenetur eam præſtare ante Iudicis condemnationem, quia de morte introductum eſt, vt pro egregiis iniuriis non teneatur quiſquam ſponte maiorem ſatisfactionem exhibere,quàm humilem veniæ petitionem cum ſignis doloris. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſtit. cap. 11. dub. 27.

10 Octauò dico quòd cum illata contumelia duo faciat, primò exacerbet proximum quod eſt contra charitatem. Secundò expoliet illum reuerentia ſibi debita, quod eſt contra iuſtitiam, ſatisfit in hoc caſu charitatis, ſi reconcilietur fratri per amicitiam, iuxta illud Chriſti Matth. 5. ſi frater tuus &c. Iuſtitiæ verò exhibendo illi reuerentiam, ipſi debitam,& conſtituendo ipſum in ſuo loco, quocunque modo id fiat ſiue per veniæ petitionem, ſiue alia via. Ita Salon. 2. 2. qu. 62. art. 2.

Nonò dico quòd ſi contumelia facta fuit coram in facie, ſi id factum eſt ex ignorantia, tunc ſufficit confiteri ignorantiam, & exhibere illi honorem debitum, ſicut Apoſt. qui cum inhonoraſſet Ananiam Sacerdotem ſummum Act. 23. admonitus dixit, ignorabam fratres, quòd Princeps Sacerdorum eſſet. Si autem iniuria illata eſt ex odio, & fuore vindictæ, & læſus in honore non eſt ſubditus, tunc, & pœnitendum eſt de peccato quo iniuria affecit proximum,& ſic ſatisfit charitate,& venia petenda eſt de iniuria illata, humiliando ſe illi,quem inhonorauit,qua humiliatione ſatisfit iuſtitiæ,reſtituendo fratrem in ſuum ſtatum, & locum à quo fuerat deiectus.

11 Decimò dico, quòd quando contumelia illata eſt priuatiuè, quia non exhibuit honorem, & reuerentiam fratri debitam

iuxta locum, ſtatum, & officium quod tenet in Republica, tunc commoda reſtitutio eſt exhibere illi honorem, & reuerentiam, quam antè non exhibuit. Sin autem poſitiuè afficiendo illum aliqua contumelia, vel conuitio, tunc nullius eſt commodior modus, quam petitio veniæ, niſi inæqualitas ſtatus oppoſitum exigat, vt Prælati ad ſubditum. Imò inter Illuſtres non eſt hic mos veniam petendi, ac proinde nec ipſi à confeſſariis cogendi ſunt, vt veniam petant, ſed ſatis erit aliter debitam reuerentiam exhibere. Ita Salon. 2.2.q.62. art.2.

Vndecimò dico, quòd quando in abſentia illata eſt contumelia coram aliis, eo animo vt in eius notitiam veniret, adeundi ſunt illi, & rogandi vt ſileant omninò, aſſerendo illi talem reuerentiam & honorem deberi, & iniuſtè fratrem illũ tali contumelia affectum eſſe, & honorificè eum in quauis occaſione tractando, & laudando.

12 Duodecimò dico, quòd quoniam contumelia fuit ſecreta, ſecreta debet eſſe ſatisfactio; ſi fuit publicè illata, vel ſecreta in publicum venit, tenetur lædens publicè ſatisfacere, vt patet exemplo Apoſtoli. Act. 16. qui noluit occultè liberari, ſed publicè, quia publicè fuit in carcerem coniectus, quod exactè ſeruatur ab Inquiſitoribus, qui publico honore innocentes liberant. Petr. Nau. lib. 2. de reſt. num. 90.

Decimotertiò dico quòd non eſt neceſſarium vt is qui publicè contumeliam intulit, per ſemetipſum publicem veniam petat, ſatis enim eſt, vt per amicum, vel confeſſorem, vel aliam perſonam timoratam publicè tamen id præſtet, vt docet Cord. in tract. de detract. & Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. num. 90.

13 Decimoquartò dico quòd ſi irrogando alteri conuitium, vel contumeliam, falſum dixit, non ſufficit duntaxat petere veniam, ſed ſe mentitum fuiſſe, dicere tenetur, vt Petr. Nauar. loco citato affirmat.

Decimoquintò dico quòd per ſolam domeſticam conuerſationem, ac familiaritatem cum iniuriante cum eo ridendo, &c. niſi alia accedant indicia craſſa & palpabilia remiſſæ iniuriæ, neminem cenſendum eſſe iniuriam remittere, vt falsò putat Corduba de tractat, qu. 3. concl. 11. ſicut nec creditor ob familiaritatem alia debita remittit. Aliud enim eſt odium, & rancorem ex animo remittere, ad quod lege charitatis omnes tenemur, aliud honoris iniuſtè ablati reſtitutionem condonare, ad quod nullus tenetur, ſed licitè poteſt illam exigere vt tenet eleganter Nau. ca. 18. num. 47. & Petr. Tolet. lib. 2. de reſt. num. 95.

14 Decimoſextò dico, quòd ſi lædens veniam omnium contumeliarum petat, & læſus eam concedat, non cenſentur remiſſæ, niſi ex contumeliæ, quas probabiliter læſus intendit remittere. Itaque ſi aliqua contumelia eum latet, quam ſi noſſet, nollet ſine ſatisfactione remittere, non cenſetur eam remiſiſſe, quia ignorantia reddit remiſſionem inuoluntariam. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. ca. 11. dubit. 27.

Decimoſeptimò & vltimò dico quòd quamuis contumelioſus regulariter loquendo non ſit abſoluendus ante ſatisfactionem, poterit tamen prudens confeſſarius ſi viderit pœnitentem fide dignum, poterit illum priùs abſoluere, antequam ~~ſatisfaciat~~, ſatiſque erit quòd poſtea quæſita, & non expectata opportunitate veniam petat, vt docet Sal. 2.2.qu. 62. art. 2.

Et hæc de reſtitutione iniuriæ factæ in Honore.

DE RESTITVTIONE FACIENda ex Adulterio,

DISPVTATIO VIGESIMATERTIA.

DE hac materia tractant Theologi in 4. diſt. 15. Diu. Thom. 22. qu. 62. art. 6. & Caiet. ibidem. & in ſumma verb. adulterium Val. tom. 3. d. 5. qu. 6. p. 7. Arag. 2. 2. qu. 62. art. 6. Couar. in Reg. peccatum p. 1. num. 6. Bannes 2. 2. quæſt. 62. art. 6. Lop. p. 1. inſtr. conf. ca. 90. & 91. & Ioannes Med. C. de reſt. quæſt. 3. cauſa quarta Salon. 2. 2. qu. 62. art. 6. Sot. lib. 4. de iuſt. qu. 7. art. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 10. dub. 6. & 7. Rebell. p. 1. de

P.1.de obligat.lib.3.quæſt.10.Mol.tom.3. de Iuſt.diſp. 150. Summiſtæ vero vt Ang. Tab. Sylu. Arm. Piſanel. & alij verbo adulterium.

QVÆSTIO I.

1 VT autem quæ de hac diſputatione dicenda ſunt, melius percipiantur quid adulterium ſit, explicandum eſt. Adulterium igitur eſt illicitus cum coniugato concubitus. Et fit tripliciter, Primò quando coniugatus peccat cum ſoluta. Secundò quando coniugata cum ſoluto. Tertio quando coniugata cum coniugato, & è conuerſo. Eſt autem peccatum mortale grauiſſimum contra iuſtitiam, quia præterquam quod eſt fidei, & caſtitatis coniugalis violatio, ſit etiam per talem concubitum iniuria non mediocris ſacramento incarnationis, ſiquidem matrimonij ſacramentum vnionem naturæ diuinæ cum humana ſignificat Epheſ. 5. Quæ inſeparabilis omninò eſt. Imò duplicis ſpeciei peccatum committitur luxuriæ ſcilicet, & iniuſtitiæ, propter iniuriam quæ alteri coniugi infertur, quia vt primo Cor. 7. habetur, mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir, & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier.

QVÆSTIO II.

Ad quid tenetur adultera, quæ prolem ſuſceptam ex adulterio, marito ſuppoſuit?

1 VT in hac quæſtione adeò graui, & tot opinionum multitudine difficili, recto ordine procedamus, dicam priùs, quæ certa ſunt apud omnes, dicturus poſtea ea, in quibus eſt controuerſia apud Doctores.

2 Dico ergo primò, certum eſſe, quòd quando adultera habet bona propria, ex quibus valet ſufficienter filiis legitimis damna reſtituere, quæ propter filium ex adulterio natum recipiunt, quia nimirùm habet bona paraphernalia, nullo modo tenetur ſuum crimen reuelare. Ratio eſt, quia quando reſtitutio poteſt commodè fieri in eodem genere boni, non ſunt exponenda alia, quia ſuperiora, vel pretioſiora ſunt.

Tum quæ ceſſante cauſa reuelationis, quæ eſt reſtitutio, ceſſare debet eius effectus ſcilicet reuelatio.

3 Secundo eſt certum, quòd quando adultera non habet bona propria, quibus damnificatis ſatisfaciat, aut habet, ſed inſufficientia, ſi probabiliter iudicat, vel dubitat, ſe non profuturam, nec ſuo dicto effecturam, vt filius adulterinus excludatur ab hæreditate, quia non crederetur a filio Spurio, nec à marito, & ſic in effectu nulla ſequetur reſtitutio, non tenetur ſe prodere. Ratio eſt, quia adultera ob id tenetur ſuum crimen propalare, vt ea via impediat damna, quæ ex natiuitate filij ſpurij ſequuntur, ergo ſi ex reuelatione nullũ ſperatur emolumentum, nullo modo tenetur ſe prodere.

Dices, qui alterius famæ detraxit, tenetur ſe retractere, quamuis dubitet an ſit profuturus, ergo adultera tenetur ſuum crimen filio reuelare, etiamſi moraliter non ſit certa, quòd ſua reuelatio ſit profutura.

4 Reſpondeo, diſparem eſſe rationem, quia ſi infamator ſit dubius an ſua retractatio proderit, tenetur reuocare, quia ipſe damnum intulit in fama, quæ etiam cum propriæ famæ iactura eſt reſarcienda. At adultera damnum non intulit, ſed ſolùm cauſam dedit, ex qua damnum ſequetur, non famæ, ſed pecuniæ, quod tenetur impedire etiam cum detrimento pecuniæ, non autem cum diſpendio famæ, vel vitæ, quæ ſunt bona altioris ordinis, quàm pecunia.

5 Tertiò eſt certum, quod quando adultera non habet vndè reſtituat, eſt tamen moraliter certa, quòd ſeipſam prodendo, proficiet, fietque debita reſtitutio, quia talia dabit indicia, vt filius adulterinus illi credere teneatur, ſi nullum eſt vitæ, aut publicæ infamiæ, vel alterius mali periculum, tenetur partum ſuppoſititium, vel adulterinum declarare, ne legitimi filij, aut hæredes damnificentur. Ratio eſt, quia adulteram ſoli filio, & ſecreto ſe prodere, poſita tali certitudine, eſt exiguam infamiam ſubire pro maiori bono, maius enim bonum eſt, vt hærediras illa verò hæredi remaneat, quàm ſit malum illa infamia adeo ſecreta, & apud filium adeo timoratum. Eodem modo teneretur manifeſtare crimen ſuum marito, ſi inde probabiliter crederetur impedienda eſſe ea damna, neque timeretur vlterius aliud detrimentum adulteræ, aut alterius tertij, quia nimirùm maritus eſt vir prudens, & timoratæ conſcientiæ, qui creditur rem celaturus, nec

mulierem odio, vel conuitiis vexaturus. Ita Salon. 2.2. qu. 62. art. 6. Nau. ca. 16. nu. 45. Less. lib. 2. de iust. c. 10. dub. 7. Tolet. lib. 5. c. 11. Couar. in Reg. peccatum p. 1. nu. 6. §. 2. Caiet. in summa verb. adulterium Val. tom. 3. d. 5. qu. 6. p. 7. Rebell. p. 1. de oblig lib. 3. qu. 10. Mol. tom. 3. de iust. disp. 102. & alij.

6 Quartò est certum, quòd quando adultera probabiliter iuuicat se procedendo nihil profuturam, vel sine suæ mortis, vel vitæ dispendio, non potest filium spurium reuelare, tunc tenetur aliis viis procurare, ne filij legitimi, & hæredes ratione huius erroris aliquid detrimenti capiant. Vt docent Valen. tom. 3. distinct. 5. quæst. 6. par. 7. & alij supra citati.

7 Ex quo sequitur adulteram teneri suadere filio adulterino vt profiteatur Religionem hæreditatis incapacem, si ad eam videatur idoneus, cuiusmodi est Religio S. Francisci, vel etiam capacem, dummodò post ingressum iuxta Conc. Triden. hæreditatem in legitimos renuntiet, vt docet Nau. ca. 16. num. 46. Arag. 2.2. qu. 62. art. 6. Valen. tom. 3. d. 3. q. 6. p. 7. Less. lib. 2. de iust. c. 10. dub. 7. Ban. 2.2. q. 62. art. 6. Mol. tom. 3. de iust. disp. 100. & communis à qua tamen recedit Sot. lib. 4. qu. 7. art. 2. ad primum vbi ait, non esse cur ad hunc ingressum Religionis persuadendum de iustitia teneatur. Sed immeritò quidem, quia adultera omnibus modis tenetur ex iustitia reddere legitimos hæredes indemnes.

Quòd si hoc ei persuaderi non potest, tunc debet eum inducere, vt sacris initietur, & accipiat beneficium, quo contentus, hæreditatem alius impertiat vt post alios sentiunt Rebell. p. 1. de oblig. lib. 3. q. 10. Cordub. lib. 1. sui quæstion. quæst. 31. & Arag. 2.2. quæst. 62. art. 6.

8 Deinde, si hoc ab adulterino mater precibus nequeat obtinere, procuret, vt filij legitimi, & hæredes plus accipiant de illis bonis, in quibus si veritas constaret, succedere debebant, quam filius adulterinus. Vnde tenetur suadere viro, vt det quantumplus poterit de bonis, filiis legitimis, quam illegitimo, etiam si causam non manifestet. Et si hoc non sufficit, ex bonis paraphernalibus habitis extra dotem tenetur legitimos recompensare, vt post communem docet Valent. tom. 3. dist. 5. quæst. 6. p. 7.

Quod si hoc facere non potest, tenetur occultè accipere de bonis, quæ deuentura sunt ad spurium, aut quæ iam ad eum deuenerunt; quantùm secluso scandalo potuerit, vt ex illis compensationem occultam efficiat illis, qui damnum propter eundem spurium patiuntur iniustè.

9 Demdè, si hisce modis non potest satisfacere, tenetur donare in vita, vel relinquere in morte tantum, quantum in id opus fuerit legitimis, ex parte illorum bonorum, quæ liberè in animæ suæ, vel extraneorum gratiam relinquere potest, vt recte Nauar. ca. 16. num. 46. Arag. 2.2. quæst. 62. art. 6. Valent. tom. 3. d. 5. qu. 6. p. 7. & alij.

Et si hæc omnia non sufficiunt, tenetur adhibita diligentia bona mariti augere, tantò plus laborando, vltrà quàm per matrimonium obligatur.

Debet etiam solitos sumptus in victu & vestitu imminuere, quantùm commodè potest, spectata conditione status, valetudinis &c.

Si tandem omnibus his sit destituta remediis, vt nihil præstare valeat, tunc secundum Nauar. capitul. 16. numero 45. communiter receptum, sufficit ei contritio, & propositum satisfaciendi, quando potuerit.

10 Alia remedia poterunt occurrere pro diuersitate negotiorum, & circunstantiarum, ad quæ similiter præstanda erit obligata mulier adultera: sed illa vniuscuiusque prudentiæ relinquuntur. Hæc itaque certa sunt.

Sep tota difficultas est, quando adultera nullum aliud habet remedium ad resarciendum damna, quæ ex natiuitate filij spurij sequuntur, nisi detegere suum crimen atque verisimile est, & certum mortaliter, per huius rei reuelationem ea fore impedienda, non potest tamen id efficere sine periculo vitæ, aut scandalo alterius, quia verbi gratia, maritus occidet illam, vel adulterum, aut quòd sequentur multa scandala, & inimicitiæ.

QVÆSTIO III.

An teneatur tunc mulier adultera cum tali dispendio filium adulterinum reuelare, vt ille ab hæreditate legitimorum excludatur?

1 IN hac celebri quæstione, duæ extant opiniones. Prima asserit eam obligari crimen

crimen ſuum reuelare cum periculo propriæ vitæ, quando hæreditas eſt ampla, & copioſa, vt Comitatus, Marchionatus, Principatus, Ducatus, Regnum, &c. idque eſto ſpurius æquè benè adminiſtraturus eſſet eam Rempublicam. Ita Sot. l. 4. q. 7. ar. 2. Rebell. p. 1. de obl. l. 3. q. 10. Huic ſententiæ fauet Couar. in reg. peccatum p. 1. in initio n. 6. §. ſed ſi vbi relata ea Soti opinione, eam non reprobat, ſed remittit vt Sotus ibi legatur.

Secunda verò opinio negat eam obligare cum propriæ vitæ periculo, etiamſi ampliſſima hæreditas, aut primogenitura, aut etiam Regnum ad filium adulterinum deberet tranſire. Ita Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. Caie. 2. 2. q. 62. a. 6. Nau. c. 17. num. 90. Sylueſt. verb. adulterium q. 1. Med. C. de reſt. q. 3. cauſa 4. Couar. in reg. peccatum p. 1. num. 8. Leſſ. l. 2. de iuſt. c. 10. dub. 7. Sot. l. 4. q. 7. a. 2. Bartho. Medi. l. 1. inſtr. cónf. c. 14. §. 18. Petr. Nau. l. 2. de reſt. c. 4. n. 408. Salon. 2, 2. q. 62. a. 6. Tolet. l. 5. ſum. c. 11. Ban. 2. 2. q. 62. a. 6. Emanuel Sà in Aphor. conf. verb. adulterium n. 3. Arag. 2. 2. q. 62. a. 6. & alij communiter. Ratio huius eſt, quia vita pro nullo bono temporali eſt exponenda, hæreditas autem quæcunque ſit, etiam Regia eſt bonum temporale, ergo.

Tum quia nemo tenetur reſtituere res inferioris ordinis cum detrimento rerum ſuperioris ordinis, vt pecuniam cum detrimento famæ, & famam cum detrimento vitæ. Ratio eſt quia res inferioris ordinis debent ancillari rebus ſuperioris ordinis, nec poſſunt cum illis adæquari: At vero ſi adultera pro reſtitutione hæreditatis teneretur ſe prodere cum periculo vitæ, permutaretur ordo naturæ, ergo non tenetur.

3 Tum quia vita cum ſit maximum bonum naturale, nulla pecunia eſt æſtimabilis, ergo contra rationem iuſtitiæ commutatiuæ eſt, (cuius actus eſt, ad æqualitatem partes reducere) mulierem adulteram obligare ad ſubeundam mortem propter rei pecuniariæ reſtitutionem.

Tum quia, tunc tenetur homo rem alienam reſtituere, quando illam habet domino inuito rationabiliter, ſed non eſſent filij legitimi rationabiliter inuiti, ſi vellent matrem adulteram ſibi hæreditatem reſtituere cum periculo vitæ, cum hoc contra omnem æquitatem, & humanam pietatem ſit.

Tum quia melius eſt, haberi filium honeſtæ matris in mediocri ſtatu diuitiarum, & dignitatis, quam haberi filium adulteræ cum magna dignitate, & diuitiis.

4 Tum quia ex duobus malis, minus eſt eligendum, ſed minus malum eſt quod hæreditas, aut primogenitura, aut etiam Regnum ad filium ſpurium deuoluatur, quàm quòd remaneat in legitimo cum tanto detrimento, & cũ tot ſcandalis, atque peccatis, cum ibi ſolùm periclitentur bona pecuniaria, hic verò corpora, & animæ, ergo illud potius eſt eligendum.

Tum quia nullus tenetur pati notabiliter maius detrimentum, quam intulit vt reſtituat, quod alteri abſtulit, ergo neque mater adultera tenetur tantam pati iacturam in propria vita, vt ſpurius ille ab hæreditate excludatur.

Tum quia extrema neceſſitas, & vrgens periculum vitæ tollit rerum diuiſionem, & dominia, redditque omnia communia, vnde ſicut exiſtente tali neceſſitate licitum eſt adulteræ accipere de nouo bono temporalia alterius, ergo à fortiori erit licitum illa retinere, atque tacere, vt vitam ſeruet.

5 Tandem eſt concluſio definita in c. off. de pœnit. & remiſſ. vbi Innoc. 3. conſultus de quadam muliere adultera, quæ prolem marito ſuo ſuppoſuerat, eſſetne abſoluenda, cum crimen ſuum timeret propalare, reſpondit eſſe abſoluendam, licèt propter metum mariti, nolit ſuum crimen manifeſtare. Quod communiter dicunt Doctores eſſe intelligendum ſaltem quando eſt periculum vitæ. Ex quo loco elicio argumentum. Non eſt abſoluendus qui tenetur aliquid in conſcientia præſtare, ſed mulier adultera eſt ſecundùm Pontificem abſoluenda, etiamſi non prodat ſeipſam, ergò non tenetur ſe prodere.

QVÆSTIO IV.

Sed Quid? ſi adultera eſt infimæ claſſis, hæreditas verò ampliſſima, vt Regnum, vel Ducatus?

1 REſpondeo vitam ſemper eſſe magis pretioſam & charam, quantocunque auro, & gemmis pretioſis.

Dices, adultera ſibi imputare debet quòd cum tanto diſpendio ad hæreditatem

restituendam teneatur.

2 Respondeo adulteram culpam quidem commisisse adulterando, sed non inde sequitur, vt ex iustitiæ titulo teneatur hæreditatem restituere,cum dispendio vitæ.

Profecto quamuis vtraque opinio mihi satis probabilis esse videatur,posterior tamen mihi magis placet, tum quia mitior, tum quia plurium,& grauiorum auctorum consensu,& testimonio comprobata,& satis firma ratione fulta.

3 Potest tamen recipi opinio Soti in casu, quo filius spurius qui successurus esset in Regno esset pessimis moribus imbutus, ad malum propensus,qui cum magno damno Reipublicæ illam esset administraturus. contra verò filius legitimus animo nobili, & regio gubernaret,& cum vtilitate ciuũ, tunc enim Regina adultera, etiam cum periculo propriæ vitæ, ac famæ teneretur suum crimen reuelando illegitimam successionem impedire, si dictum suum videt profuturum.Ratio est,quia tunc non exponit adultera vitam, & famam pro vitando damno iniusto filij legitimi vel alterius priuati, sed pro vitando communi damno spirituali, ac temporali Reipublicæ, pro quo quiuis exponere tenetur propriam vitam,vt illi subueniat, quando aliter impediri non potest vt recte Mol.to.3.de iust.dis. 102.& Salon.2.2.q.62.a.6.annotarunt.

QVÆSTIO V.

Vtrùm adultera teneatur cum suæ famæ detrimento reuelare filium adulterinum, vt ille excludatur ab hæreditate mariti?

1 IN hac q.Sot.l.4.q.7.ar.2.Cord.lib.1.sui q.q.31.Sylu.verb.adulterium q.1.Lop.l. 1.inst.conf. c.88.& multi alij nobiles auctores affirmant eam ad id obligari, quando ipsa non est adeò Illustriss.& filius spurius succedet in patrimonium insigne. Ratio est, quia fama est bonum temporale, æstimabile pecunia, & tanta potest esse hæreditas restituenda, vt famam adulteræ longè superet. Vnde licet fama genere suo præstantior sit bonis fortunæ,tamẽ tantùm potest æris accumulari, vt cumulus ille multo pretiosior sit, quàm fama alicuius hominis inferioris conditionis, sicut licet aurum ex genere suo argento sit pretiosius nihil tamen vetat quominus magnum argenti pondus pluris æstimetur, quam minus pondus auri.

2 Mihi verò contraria sententia longè verior cum aliis videtur,eam scilicet ad id non teneri.Ita Illustriss.Caiet.2.2.q.62.ar.6. & in sum.verb.adulterium Nau.c. 16.n.44. & c.17.n.89.& c.18.n.47.Med.Co.de rest.q. 3.causa quarta,Less.lib.2.de iust c.10.dub.7. Ratio huius est,quia fama propria est pretiosior, & charior quacunque re temporali iuxta illud prouerb. 22. Melius est nomen bonum,quam diuitiæ multæ.Et Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi,& magni,ergò contra iustitiæ æqualitatem est, velle adulteram obligare, vt pro hæreditate restituenda filiis legitimis propriæ famæ dispendium patiatur.Vnde Arist.4.Eth.c.3. affirmat honorem esse maximum bonorum externorum.

Deinde, nullus tenetur restituere pecuniam cum grauissimo damno suorum bonorum, vt restituere 100. cum detrimento 500. Sed fama & honor mulieris honestæ præstat diuitiis,& hæreditati,ergo non debet mulier alias honesta, cum periculo famæ,se prodere hoc solo fine ne filius legitimus expolietur sua hæreditate.

Præterea,nullus tenetur vt restituat magnum debitum, seipsum vendere aut infamare,ergo à fortiori neque mater adultera ad id tenetur,vt filius spurius restituat hæreditatem legitimo.

3 Tandem est conclusio definita in c.off. de pœnit.& remiss.vbi Innoc. Papa III.dicit mulieri adulteræ non esse negandam absolutionem,quando ipsa ex iusto timore suum crimen non manifestat, qualis procul dubiò est in illa, quæ timet infamiam, & sic non peccat tacendo, si quidem ei absolutio non denegari præcipitur.

Dices adultera non potest tuta conscientia aliena rapere vt propriam famam conseruet, ergo neque illa retinere, propter eundem finem.

Ad hoc dico primò quòd accipere alienum prohibetur præcepto illo non furtum facies, quod cum sit negatiuum obligat semper,& pro semper, & ita nunquam licet accipere alienum, restituere verò est affirmatiuum,quod obligat pro loco & tempore

pore conuenientibus,eſſet autem inconueniens velle obligare adulteram vt reſtituat bona pecuniaria cum dãno famæ, vel vitæ.

4 Secundò dico,quòd ſicut præcepto illo non furaberis , non prohibetur quæuis acceptio alieni , ſed iniuſta , eodem modo non prohibetur quæuis retentio,ſed iniuſta qui enim iuſtè retinet alienum,non peccat vt qui retinet gladium amentis volentis ſe interficere, modò mulier adulteta quæ ſuo ſilentio eſt cauſa vt ſpurius retineat hæreditatem legitimi , non peccat , quia iuſtè conſentit in illã retentionem alieni , cum non teneatur ob bona pecuniaria famam, & vitam quæ ſunt bona præſtantiora , negligere.

5 Poſſet tamen recipi opinio Soti , & ſequacium de adultera ſuſpecta,& adeò vilis conditionis , vt ipſius fama comparatione ingentis patrimonij mariti , quod à legitimo ſucceſſore inique auferetur,& ſpurio filio traditur,parui ſit pretij, tunc enim etiã cum famæ propriæ iactura teneretur detegere adulterinum partum,ſi ſperat ſe profuturam,quia in hoc caſu ingens patrimonium famæ huius adulteræ præualet.Quod ſecùs eſt dicendum de vera fama, qualem mulier honeſtæ conditionis & vitæ , poſſidet.

QVÆSTIO VI.

An filius adulterinus teneatur credere matri dicenti eum eſſe illegitimum?

1 SVnt qui putent ad id teneri, ſi mater omni ſuſpicione fraudis caret , fundamentum huius opinionis eſt , quia ratio naturalis dictat,vt alicui credamus præſertim teſtibus omni ſuſpicione carentibus, quales nunc dicitur eſſe mater.

2 Sed communis opinio eſt,eum regulariter , & communiter non teneri matri, quamuis iuranti adhibere fidem , etiam ſi ſciat ipſam adulteram fuiſſe , cum non ſequatur eſſe ſpurium , eo quòd mater aliquando commiſerit adulterium , etiam ſi probaretur , quod tempore conceptionis erat ſolita adulterium committere , dummodò vir eius habitabat cum ea:nec tenetur credere ſe eſſe ſpurium,etiamſi in vultu , vel in aliis membris corporis referat imaginem adulteri,quia eiuſmodi ſigna aliquando fallunt , & quantumuis magna ſint,ſemper præualet fauor matrimonij,niſi quando euidenter conſtiterit conceptio ex adulterio.Ita Nau.c.16.n.44.Couar. in reg. peccatum p.1.§.1.n.6.de reg.iuris in 6.Ioan. Med.C.de reſt.q.3.cauſa 4.Salon.2.2.q.62.a. 6.Sot.l.4.q.7.a.2.Petr.Nau.l.3. de reſt.c.1.n. 156.Sylu.ver.adulterium.q.1.Leſſ.l.2.de iuſt. c.10.dub.7.Arag.2.2.q.62.art.6.Rebel.p.1.de obl.l.3.q.10.Imo Pan.c. per tuas de probat, ait , non tenetur credere , etiamſi vterque parens dicat eum eſſe ſpurium , niſi teſtimonia, aut indicia ſufficientia adducat.

3 Quinimò Barth.Med.in ſua inſtr. conf. fol.121. audacter affirmat , quòd talis filius valde ſtultus eſſet,ſi poſtquam natus eſt in domo patris ſui vellet matri dicenti eum eſſe ex adulterio,aſſentiri,ſi quidem ſtatim ac illud crediderit tenetur in conſcientia aliis filiis legitimis hæreditatem relinquere.Et ſic dicit confeſſarios debere tali filio conſulere ; ne matri aſſenſum præbeat. Quandiu autem dubitauerit, de dicto matris poſt ſemel aditam hæreditatem , nihil tenebitur reſtituere , quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Hæc Med.Hoc idẽ ſentit Palud.in 4.d.27.q.2.a.1.vbi exemplum affert de illo,qui dixit matri ſuæ,benè credo vobis,quòd ſitis tibalda , ſed non quòd ſum baſtardus.

Ratio verò horum omnium eſt,quoniam vt optimè proſpexit Nau. licèt poſſit quis deponere ſcrupulum conſcientiæ ad dictum vnius teſtis fide digni,tamen non tenetur , nec neceſſitatur ad vni duntaxat fidem præſtandam teſti , præſertim quando inde ſequitur detrimentum notabile ſuum, aut tertij.

4 Deinde legibus cautum eſt,ne tali matri adhibeatur fides l.poſſumus ff.de liberis & l.miles de adulteris.Quarum legum ratio eſt,quia cũ filius natus ſit in domo paterna,matre & viro ſuo ſimul cohabitantibus,nec vlla infirmitate impeditis,ius præſumit illum eſſe legitimum , & à viro non ab adultero genitum , contra quam iuris præſumptionem filius credere non obligatur in tantum ſui præiudicium,& detrimẽtum.Præterea filius poteſt prudenter ſuſpicari, & timere matrem , cum ſit ingenium mulierum aliquos ardenter amare,& alios capitaliter odire, ipſum ita odio habere vt vellet eũ ab hæreditate excludi,& alios ita diligere,vt eos ſolos vellet eſſe hæredes,& hoc fine fingere adulteriũ quod nõ cõmiſit.

Rebecam

Rebecam enim quamuis sanctissimam, legimus ita dilexisse Iacob, & odisse Esau, vt hunc optarit à benedictione, & hæreditate paterna excludi, solumque Iacob esse benedictum, & hæredem.

Tandem, quia allegantí suam turpitudinem cum alterius præiudicio nulla debetur, fides, vt in regularis habetur.

5 Dixi notanter (regulariter, & communiter filium non teneri ad credendum matri) quia potest aliquis esse certus, in quo & mente conuincatur, & compellatur fateri se esse spurium, vt si mater euidenter per testes iuratos ostendat illi ex tempore partus, & aliis circunstantiis virum cuius se putat filium legitimum toto illo tempore abfuisse, vel constat fuisse impotentem, aut aliqua alia ratione constat, cum tunc non habuisse accessum ad eam vxorem: vel quando tam vehemens est matris persuasio, vt filius merito sibi omnino persuadere conuincitur, tur, se esse spurium, quod continget quando mater fide dignissima, id illi significauit, & quia non est vnde dubitet, rem ita habere, attenta probitate, & Dei timore matris, & quia ipsum diligit, neque ei occurrunt circunstantiæ, vnde dubitare possit, an res ità se habeat, maximè si illa in articulo mortis constituta id ipsi significasset, quia tunc in conscientia tenebitur filius illegitimus non adire hæreditatem. Quæ sententia est proculdubiò vera, atque tenenda, nec poterit in hoc casu confessarius consulere spurio, ne matri assensum præbeat absque culpa lethali, quicquid dicat Medina. Ita Sotus lib.4.q.7.artic.2.Arag.2.2. quæst.62. artic.6. Less.libr.2.de iust,c.10.dub.7.Ban.2.2.quæst. 62.artic.6.Rebel.p.1. de oblig.libr.3. quæst. 10.Mol.tom.3. de iust. disp.101. & Salon.2.2. q.62.artic.6.

QVÆSTIO VII.

An adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ pro iniuria, si partus non sit sequutus?

1 ET quidem video Rebellum par.1. de oblig.l.3.q.10.in eo casu damnare ad restitutionem sic adulterantem. Et probat, quia adulterium est contra iustitiam, iniuriamque alteri coniugi infert.

Sed hoc non obstante concors est theologorum sententia, nullam ei deberi restitutionem in conscientiæ foro. Pro quo.

2 Dico primò, quòd adulter pro solo actu adulterij, qui iniustus est & iniurioſus marito, ad nullam restitutionem ei faciendam tenetur. Ratio est, quia licèt ille actus sit iniustus, quia mulier illa non adulteri, sed mariti est, non tamen est ea iniustitia talis, quæ solita sit recompensari, si nullum ex illa secutum sit damnum. Non enim omnis iniustitia solita est semper recompensari, vt est videre in eo qui seipsum, vel alium iniustè interficit, qui actus est iniustus, & iniurius Reipublicæ, cuius interfectus erat membrum, vt docuit S.Th.2.2.q.64.a.1. quia tamen iniuria illa in ordine ad Rempublicam, non est damnum ei illatum in re, quæ sit quasi illius possessio, nulla ei Reipublicæ debetur restitutio pro iniustitia, & iniuria homicidij, vt benè Sot.l.5.de iust.q.2. art.6. annotauit.

3 Deinde, iudicium temerarium peccatum est contra iustitiam, iniuriamque infert proximo, de quo tale sinistrum iudicium concipitur, quia tamen ex eo temerario iudicio, nullum damnum ei proximo sequitur, nullus Doctorum affirmat ex illo consurgere obligationem quicquam restituendi ei proximo, ergo idem propter eandem rationem dicendum est de iniuria adulterij sumpta præcisè à damno, idque habet, habuitque semper communis Ecclesiæ praxis in confessionibus.

Tandem, iniuriæ, secluso omni damno, non debetur de rigore iustitiæ, nisi satisfactio, quæ fit per signa doloris; & veniæ petitionem, quæ tamen non requiritur, quando iniuria ignoratur, vndenisi maritus sciat se iniuria affectum, & velit sibi satisfieri, non tenetur adulter ad talem satisfactionem. Ita Mol.to.3.de iust.disp.100. Less.lib.2. de iustitiae.10.dub.5.Barth.Med. in sua inst. conf.fol.119.§.18.& Lop.p.1. instruct. conf. c.90.

4 Secundò dico, quòd si maritus pro iniuria sibi illata pecuniam exigat, adulter in conscientia non tenetur eam refundere. Ratio est quia tale damnum pecuniarium non est illatum.

Tum quia hæc satisfactio pecuniaria

pro

pro iniuria adulterij iure est interdicta vt habetur in l. transigere Cod. de transactionibus, & in l.miles ff.ad legem Iuliam de adult. ne maritus videatur suæ vxoris lenocinium facere, eiusque corpus ad quæstum tanquam leno prostituere.

5 Tertiò, & vltimò dico, quòd si maritus cum adultero conueniat de aliqua pecunia conferenda pro iniuria, vt iniuria affectus cedat iuri suo, non peccat, nec ad restitutionem tenetur, quia lex supradicta potius pertinet ad forum externum, ne concedatur actio, nimirum in pœnam, ob præsumptionem lenocinij quam ad mores priuatos.

Et ad argumentum Rebelli respondeo negando consequentiam, quia restitutionis obligatio non consurgit ex iniuria, & iniustitia illa, sumpta præcisè à damno dato, sed ex solo damno permanente iniustè dato.

QVÆSTIO VIII.

An adulter pro damnis ex adulterio subsequutis marito, vel hæredibus legitimis, quando filius inde genitus patri putatiuo alendus, & inter alios legitimos hæreditatem obtenturus supponitur, aliquam teneatur facere restitutionem?

1 VT in hac graui, & perdifficili quæstione certa ab incertis separemus. Dico primò certum esse apud omnes, quòd adulter non tenetur ad aliquid restituendum cum periculo vitæ, vel famæ, sicut nec tenetur adultera, quia hic par est vtriusque ratio.

Secundò certum est, quòd si adulter aliquomodo suasit, vel procurauit, vt adultera spurium marito suo supponeret, fingeretque esse eius filium, tenetur restituere damna illata patri putatiuo, & aliis filiis legitimis ratione spurij. Et ratio est, quia qui suo consilio est causa efficax alicuius damni, tenetur in conscientia illud refarcire. Vbi aduerte quòd si adulter suasit suppositionem in fauorem sui, ipse tenetur primo loco, adultera solùm in defectum. Si tantùm suasit incommodum adulteræ, adultera tenetur primò, adulter solùm secundariò in defectum. Si incommodum vtriusque tenetur æquè primò pro rata, in solidum verò ex defectu alterutrius.

2 Tertiò certum est, quòd adulter non tenetur in conscientia credere adulteræ asserenti illum spurium esse filium eius, vel quia vidit aut nouit illam simul habere copulam cum viro suo, nec minus potuisse concipere ex viro, quam ex seipso, vel si probabiliter potest suspicari, illam ab alijs fuisse cognitam, siue quoniam ipsa quoque dubitat, an proles sit mariti, vel ipsa præ se fert speciē leuitatis: solet enim mulierculæ nonnunquam filium adulterinum tribuere ditiori, aut sibi magis dilecto vnde non temere, nec facilè est ipsis fides præstanda, sed maturè, & in re maximè manifesta, quia vt habetur in l. Lucius ff. de condit. & demonst. nemo cuius patris filius sit, satis probare potest.

3 Quartò certum est, quod adulter non tenetur ad vllam damni compensationem, quando non credit, nec habet aliquam certitudem moralem, quòd partus sit suus licèt de eo probabiliter sit dubius. Et ratio est, quia in dubio æquali melior est conditio possidentis. Ita Arag. 2.2.q.62.a.6. Nau.c. 16.n.48. Sylu. verb. adulterium q.7. Less. l.2.c. 10.dub.6. Est tamen hoc contra Mol. to.3.d. 101. & Rebel.p.1.de obl.l.3.q. 10. qui putant teneri adulterum in foro conscientiæ restituere partem damnorum maiorem, vel minorem pro dubij quantitate, maiori, vel minori, licèt non teneatur recognoscere illum omninò esse suum filium, dum res fuerit dubia.

Quintò certum est, quòd quando adulter pro comperto habet illum esse suum filium, tamen ipse adulter ipsum non supposuit marito, nec ei suasit, vt supponeret, sed mater, tenetur restituere impensas factas à tertio anno, & deinceps quandiu pater tenetur filium alere. Ratio est, quia pater à tertio anno tenetur alere filium, & deinceps, donec sibi de alimentis prouidere possit: à partu autem vsque ad tertium annum inclusiuè tenetur mater, vt habetur ex c.2. de conuersione infidelium. Et ex l. Nec filium C. de patria potestate. Quòd si mater eius esset conditionis, vt ad proprium pectus filium non debeat lactare, ad adulterum quoque expensæ lactis alieni pertinebunt. Hæc itaque certa sunt.

4 Quæstio igitur est, quando adulter agnoscit esse suam prolem, & sine famæ, vel

vitæ

vitæ periculo,poteſt reſtituere damna illata viro adulteræ,& filiis legitimis, ratione ſpurij,nec conſuluit,vt illum adultera viro ſuo ſupponeret. An videlicet in hoc caſu teneatur de iuſtitia aliquid reſtituere filiis, aut patri putatiuo?

In hac q.Sot.l.4.de iuſt.q.7.ar.2. Henric. Henriq. l.1. de matrim. c. 21. & Ioannes à Penna quos multi Iuniores ſequuntur, affirmant adulterum non teneri ex iuſtitia reſtituere damna illata marito,aut hæredibus ob filium ex adulterio natum, ſed ſolùm ex honeſtate,& decentia, ſi potens, & diues ſit.Ratio horum auctorum eſt, quia ipſe non eſt cauſa proxima illorum damnorum,ſed remota,cum non intenderit generare, ſed ſolùm explere ſuam libidinem, adulteram verò eſſe cauſam proximam, quæ illum tanquam legitimum marito ſuo ſuppoſuit, ergo ipſa ſola tenetur ea reſtituere.

5 Contraria tamen ſententia eſt communis, adulterum videlicet qui indubitatus pater eſt eius filij, quinè ſibi omnino perſuadet, perſuadereve omnino debet eum eſſe ſuum filium teneri ſimul cum adultera ad damna illa ex ſuis bonis reficienda. Ratio huius eſt, quia qui in cauſa eſt, vt damnum alicui inferatur, obligatur ad illius damni reſtitutionem, atqui adulter eſt in cauſa illorum damnorum,cum genuerit ſpurium,ob quem illa damna ſequuta ſunt, ergo tenetur illa reficere.

Et confirmatur,adulter realiter iſta damna dedit, cum ſciens, & prudens dederit operam actui adulterij, ex quo talia damna probabile erat,ſequutura, ergò ad illorum reſtitutionem tenetur.

6 Dices, huiuſmodi damni ſola adultera videtur eſſe cauſa,quia ipſa filium alienum ſupponit tanquàm filium legitimum marito ſuo, cum tamen adulter non ſupponat, ſed ſolùm tacendo, permittit, vt ſpurius ſupponatur,&credatur tanquam legitimus filius mariti.

Reſpondeo hoc non obſtare, quia adulter cauſa eſt proxima,quòd filius adulterinus ſupponatur, & alatur tanquam legitimus,nam huiuſmodi partus, ſuppoſitio, & educatio, & alia damna quæ inde ſequuntur, ex ipſo adulterio tanquàm ex cauſa proueniunt.

Tum quia adulterium ſuapte natura ordinatur ad generationem,& medium &via eſt,ad illud damnum quod ſequitur eo ipſe quo genitus eſt filius, & cum adulterium ſit contra iuſtitiam,obligat ad id damnum, quod ex ipſo ſequitur,vt effectus eius.

Tum quia damna illa ſequuntur ex generatione filij illegitimi, cuius non minùs cauſa eſt proxima qui genuit, quàm ipſa adultera,quę peperit,quæ etiam non intendit generare,ſed ſolùm ſuam libidinem explere ſicut & adulter.

7 Nec obſtat dicere huiuſmodi damna inde naſci per accidens,quia ſicut illa falſa credulitas,quòd ſpurius ſit filius legitimus, vt plurimùm naſcitur ex adulterio, ita ex falſa credulitate ſequuntur damna, quæ adulter facilè poterat præuidere.

Supereſt reſpondeamus ad argumentum, pro opinione Soti, & aliorum, vnde dico, quòd ad hoc, vt adulter cenſeatur cauſa proxima damni,non eſt neceſſarium, quòd filiũ ſuppoſuerit, ſed ſufficit quòd ex adulterio illum genuerit, ſi quidem ex tali iniqua actione, ex natura rei ſequitur huiuſmodi damnum.

8 Ob has rationes eſt valdè probabilis hæcſecunda opinio,quam diximus eſſe cõmunem,nihilominùs opinio Soti eſt etiam probabilis,& in praxi tuta, moueor ratione, quia ſi adultera procuraret abortum, non diceretur adulter cauſa homicidij,quia ipſe ſuppeditauit prolem,niſi ſuaſiſſet, vel adiuuiſſet, ergo pari ratione non cenſebitur cauſa ſuppoſitionis,ac proinde nec dãni ex ſuppoſitione ſequuti, non enim videtur eſſe magis cauſa ſuppoſitionis, quàm abortionis, cum neutrum conſuluerit, & vtrumque ex libera voluntate adulteræ ſecutum eſt,ergò nec ipſe,ſed mater ex iuſtitia tenetur ad reſtitutionem.

QVÆSTIO IX.

An adulter in foro conſcientiæ credere teneatur adulteræ dicenti, prolem quam genuit, eſſe ſuam?

1 REſpondeo adulterum non teneri credere adulteræ dicenti ſe ex eo concepiſſe, & genuiſſe filium, ſi tempore conceptionis maritus cum adultera habitabat,etiamſi puer,vt rectè ait Sotus,in vultu, vel in alijs membris corporis adulteri imaginem referre videretur, niſi indicia habeat ſufficientia, quæ coram Deo ipſum

omninò

omninò perſuadeant,perſuadereue debeãt, prolem eſſe ſuam,tunc enim talem eam reputare debet,ad effectum, vt reſtituere teneatur damna omnia inde ſubſequuta, tum marito tum legitimo hæredi;vt ſi tempus partus reſpondeat tempori adulterij commiſſi,& maritus tempore conceptionis erat abſens,vel antea filios ex ea ſua vxore nõ genuerat:aut adultera eſt talis, cui ſpectatis circunſtantiis omnibus concurrentibus,meritò ſit credendum abſque vlla dubitatione,eum filium ex eo adulterio fuiſſe genitum, quia nimirũ erat alioquin honeſtiſſima,& præclara pollens fama,& ſi habuit rem cum illo,fuit vi,aut minis,& poſt hac nuſquàm ſiniſtra laborauit fama,timoratæque conſcientiæ eſſe reputatur,hæc ſanè indicia ſunt manifeſta illum eſſe filium eius. Ita Mol.to.3.de iuſt.diſp.102.Azor.pa.3. inſt.mor.l.5.c.6.q.8.&Lop.p.1.inſt.cõf.c.90.

QVÆSTIO X.

An ſpurius teneatur relinquere hæreditatem, ſi credit matri dicenti ſe eſſe illegitimum, vel alia via id credere conuincitur?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi ſpurius credit eſſe illegitimum in conſciẽtia tenetur non adire hæreditatem, & adeptam tenetur patri putatiuo vnà cum aliis filiis legitimis.

2 Secundo dico, quod ſi ſpurius eſt in ſtatu honorabili educatus, & conſtitutus, nec habet aliunde,vnde viuere poſſit, tunc licitum eſt,ei ex bonis patris putatiui retinere aliquam portionem hæreditatis, ad moderatam ſuſtentationem neceſſariam,& aliam reſtituere. Ratio eſt, quia hoc ipſum expedit ad honorem patris putatiui, & aliorum fratrum,quod ipſe non viuat mendicans.

Tum quia ipſa adultera tenetur iure naturæ educare filium etiam illegitimum vnde ipſe poterit ex bonis maternis accipere alimenta neceſſaria:& quamuis illegitimus per leges ciuiles efficiatur incapax hæreditariæ ſucceſſionis, id tamen ſemper eſt intelligendum, ita vt non derogetur iuri naturali, quo parentes tenentur filios ſuſtentare.Ita Ban.2.2.q.62.a.6.Azor.p.3.inſt.mor. l.3.c.6.& Salon.2.2.q.62.a.6.

3 Tertiò dico, quòd ſpurius non tenetur ea bona patris putatiui reſtituere.quæ bona fide conſumpſit, putans ſe eſſe legitimum, niſi quatenus ex eis factus ſit locupletior, vt tenet Ioan.Azor.loco citato.

Quartò dico,quòd ſpurius non tenetur reſtituere bona patris putatiui, quæ adhuc apud ſe extant,ſi toto tempore iuſtæ præſcriptionis bona fide poſſedit. Ratio eſt, quia ea bona ſibi acquiſiuit iure legitimo præſcriptionis,vt Sylueſt.verb. adulterium q.3.& Arag.2.2.q.62.a.6.annotarunt.

4 Quintò & vltimò dico, quòd ſpurius non tenetur reſtituere impenſas factas in ſua educatione, ſi parentes eas non reſtituerunt.Ratio eſt,quia ipſe non fecit eiuſmodi expenſas; ſed parentes eius adulteri, fuerunt cauſa,vt fierent..

Tum quia tales expenſæ ſunt conſumptæ in bona fide.

QVÆSTIO XI.

Num adulter, & adultera teneantur reſtituere huiuſmodi in ſolidum, an verò tantùm pro rata?

1 RESp.quòd exceptis alimentis vtrumque teneri in ſolidũ ſeu in integrũ, aut aliquid citra integrũ magis,vel minùs, ſecundùm quod magis, aut minùs certus ſit, quòd ſuus ſit partus, reſtituere aliqua omnia damna illata viro, & aliis filiis ratione ſpurij. Et ratio eſt, quia vterque eſt cauſa efficax totius damni. Ita Arag.2.2.q. 62.ar.6.Reb.p.p. de obl.l.3.q.10.Bá.2.2.q.62. art.6.& Mol.tom.3.diſp.102.

Hinc, ſi adulter viro, & aliis filiis priùs reſtituit in ſolidum totum damnum illatũ ratione ſpurij,ex ſuis bonis propriis, & liberis,& è contra, tunc adultera tenebitur eidem medietatem recompenſare, tãquàm illa quæ particeps fuit iniuſtæ actionis. Ita Salon.2.2.q.62.a.6.

2 Dixi notanter(exceptis alimentis)quia exceptis alimentis lactis, quæ ſola mater vſque ad triennium incluſiuè tenetur præſtare, reliqua verò alimenta tenetur ſolus pater, ad quem ſolùm ex iuris diſpoſitione ſpectat alere filium : excepto incremento ſuprà alimenta debita filio ſpurio, ſi quod factum fuerit in alimentis illius, quia credebatur filius legitimus : quoniam incrementum hoc æqualiter eſt diuidendum inter adulteram,& adulterum. Si verò adultera fine ſuo dedecore, & graui damno filium lactare non poſſit, ſolus pater hæc omnia

deò bona mei mariti detinet iniustè,quem sum declaratura, nisi vos omne ius quod vnusquisque vestrum in alium habet, remittatis, consentiatisque in eam partem hæreditatis paternæ, quæ sibi competet. Vnde cum vnus de altero dubitaret,libenter voluntati maternæ omnes acquieuerunt, & ita pacti sunt. Quæritur nunc an modus iste approbatus ab Alciato sit conueniens,& accommodatus?

QVÆSTIO XIV.

1 REspondeo non esse conuenientem, & accommodatum. Et ratio est, quia licet mulier non explicet priuatim quis illorum sit spurius, nihilominus seipsam infamat de adulterio, ad quod non tenetur, nec regulariter debet. Tum quia mutua ista absolutio cum fiat ab vnoquoque ignorante, & timente, ne mater sua eum illegitimum declararet,alioquin illam non facturus declararetur à matre illegitimus & spurius,est muoluntaria, ac proinde inualida, & nullius valoris. Ita tenet Couar.in reg.peccatum p. 1.§.1.num.3.

QVÆST. XV.

An quando adultera non potest aliter restituere,peccet dum in testamento spurium appellat filium meum legitimum?

1 REspondeo non peccare, quia spurius communi hominum opinione habetur pro legitimo,ergo non mentitur.

Deinde parum refert an sit mendacium, an non,quia si est mendacium, non est peccatum mortale,quia est mendacium officiosum ad tuendam vitam, vel famam suam,vel aliorum.

Tandem, licèt sit mendacium, & mulier peccet mentiendo, testamentum tamen est validum, & obligatorium, vt docet sapientissimus Nauar. cap. 16. numer.48.

Hæc sunt quæ de adulterio mihi visum est,dicenda.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE STVPRI.

DISPVTATIO VIGESIMAQVARTA.

DE hac materia disputant Theologi in Quarto dist.15.D.Tho.2.2.quæst. 154.art.6.& ibi Caiet. Sot. lib.4.de iust.q.7.art.1.ad 2.Arag.2.2.8.quæst.62.ar.2. Molina tom.3.de iustitia, disp.106. Valent. tom.3.d.9.quæst.3.par.3.Less. lib. 2. de iust. cap.10.dub.2.Rebell.p.2.de oblig. lib.3.q.8. Bann.2.2.quæst.62.art.2. Lop. p.p.instruct. confess.cap.76. Petr. Nauar. lib. 2. de rest. cap.3. num. 430. Salon. 2. 2. quæst.62.art.2. Barth.Med.lib.1.inst.conf. cap.14.§.18.Cordub.lib.1.quæst.q.13.Tolet.lib. 5. sum.ca.11. Mart.Nauar.cap.16.num.16.Summistæ vero vt Ang.Sylvest.Tab.Arm.& alij verb.luxuria, & verb. stuprum. In cuius gratiam quæritur in primis.

QVÆST. I.

An qui virginem volentem, & consentientem defloret,ad aliquam restitutionem teneatur?

1 SVnt qui putent ad id teneri. Sic Barth.Med.in sua instruct.c.14.§.18.& Iosephus Angles in Flor.4.Sent.tract.de restit. Et probant quia virgo non habet suæ integritatis dominium.Vnde sicut non potest in membri abscissionem consentire:ita neque in fractionem sigilli virginalis.

Sed hoc non obstante concors Theologorum sententia est, hunc non teneri ad aliquam restitutionem faciendam.

2 Pro huius tamen quæstionis maiori intelligentia, dico primò, quòd si corruptor virginis tenetur aliquid restituere, non ideò est,quia intulit puellę damnum in spiritualibus, ideſt in virtute virginitatis, sed solùm quia intulit ei damnum in temporalibus;fœmina enim corrupta, aut non nubet,aut nõ ita bene,ac si esset virgo,& ideò ratione huius damni temporalis ad aliquam restitutionem ei faciendam tenetur.

3 Secundò dico,quòd qui vitiauit virginẽ

6. ad 3. & ibi Caietanum. Hoc idem ſentiunt D.Ant.2.p.to.5.c.6.§.1. Val.to.3.d.9.q. 3.p 3.& Barth.Med.lib.1.inſt.conf.c.14.§.18.

2 Secunda verò opinio eſt dicentium, nihil ex iuſtitia eſſe parentibus reſtituendum, ſi virgo ſpontè in ſtuprum conſenſit, aut liberè omne ſuum debitum corruptori dimiſit. Ita Sot. lib. 4. q. 7. artic. 1. ad 2. Molina d. 106. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 438. Sylueſt. verb. luxuria quæſt.5.& Ledeſm.24. q. 18. fundamentum huius eſt, quia virgo habet dominium ſui corporis,habetque facultatem tradendi illud cui voluerit, non obſtante quòd parentes eius reclament, in quo licet peccet contra pietatem, & obedientiam debitam parentibus, non tamen contra iuſtitiam, ac proinde non tenebitur quicquam reſtituere ipſa,nec vir eius.

Et confirmatur, nam licèt per ſtuprum fiat aliqua iniuria parentibus, tamen non eſt ſpecialis iniuſtitia, cum ipſa ſit vera domina ſui corporis, & nuptiarum iacturam pati poſſit, ſi velit, nulla ergo eſt reſtitutionis obligatio.

Deinde, vigo eſt cauſa præcipua illius damni, & iniuriæ, quæ per ſtuprum ipſius infertur patri. ergo ſi illa non tenetur,quæ eſt cauſa principalis,multò minùs tenebitur ſtuprator,qui cauſa minus prçcipua eſt, & concauſa, aliquid ei reſtituere tenetur.

3 Tandem, virgo non eſt poſſeſſio patris (quidquid contradicat Salon. 2.2. q.62.ar. 2.) eáque de cauſa damnum eius mulieris non eſt damnum patris, vt patri ſit reſtituendum,ſed eſt damnum ipſiuſmet mulieris. Ratione autem curæ, quam habet pater corporis illius,redundat damnum illud in iniuriam patris, pro iniuria verò præciſa à damno dato reſtitutio in foro conſcientiæ non debetur, ſed ei iniuriæ ſolùm reſpondet pœna, quæ non debetur ante latam ſententiam. Ita Sot. in 4. d. 18.q. 2.a. 4. Mol.d.106. P.Nau. lib.2.de reſt.c.3.n.438. Sal.2.2.q.62.a.2.Et hæc opinio mihi videtur verior,licèt prima ſit valdè probabilis.

4 Dices, puella ſtuprata patitur multa damna,quia forſitam non æquè benè nubet,& etiam pater eius, damnum patitur, qua non collocabit eam æquè benè, poſtquàm violata eſt, niſi dotem augeat, quorum omnium damnorum cauſa eſt ipſe corruptor, & ideò ad hæc damna reſarcienda tenetur.

5 Reſpondeo, licèt ſtuprator ex quadam benignitate, & æquitate aliquid reſtituere teneatur, quando ex tali ſtupro effecta eſt minùs idonea ad nubendum viro, ex rigore tamen iuſtitiæ ad nihil tenetur, cum illa ſciens, & ſine iniuria hæc paſſa ſit, vnde ſibi ipſi in pœnam ſuæ libidinis, & inuerecundiæ, hæc omnia imputet, cum propria ſponte indignam ſe reddiderit, quæ in matrimonio cum ſibi æquali collocetur. Nec pater cogitur vitium filiæ per dotis augmentum ſupplere, quod ſi facit, liberaliter facit. Ita Sot. lib. 4. quæſt.7.ar. 1. ad ſecundum, Ban. 2. 2. q. 62. ar. 2. Pet. Nauar. lib. 2. de reſt. cap.3. nu. 438. Mol. diſp. 106. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 2. & Speculum coniugiorum 3.pa.a.9.ad finem. Quidquid Med.& Cordub. vbi ſupra contradicant,malè adducentes D.Thom.2.2.q. 154. artic. 6. ad 3. pro ſua ſententia, ſiquidem S. Tho. eo in loco ſolùm dicit,ſtupro cõmiſſo cum puella inferri patri iniuriã, eaq; de cauſa ſtupratorem teneri patri ad pœnam. At lex Deut. 22. quam ibi D. Th. citat pœnalis erat, quæ nunc tempore gratiæ nullam vim habet, vt potè quæ morte Chriſti ceſſauit.

QVÆSTIO III.

An qui inuitam virginem deflorat, ad aliquã reſtitutionem teneatur?

1 IN qua re cõſtans eſt omnium ſententia,eũ qui vi,dolo,vel metu,vel fraude, vel mendaciis, alioue modo inuoluntariè puellã virginẽ deflorat, teneri vel eam ſibi matrimonio copulare, vel eam dotare, vel ſaltem procurare, vt pro ſui ſtatus conditione nubat,ac ſi virgo eſſet. Ratio eſt,quia quicunque nocet alteri cũ iniuria, tenetur totum damnum quod intulit, rependere; atqui ſtuprator qui per vim, dolum, aut fraudem corrupit, nocet cum iniuria tam patri, quàm virgini in honore, & in bonis temporalibus, quia ipſa virgo prçcipuam dotẽ habet virginitatem, qua amiſſa opus habet maiori dote,vt poſſit nubere ſecundùm ſtatum ſuum,

Tum quia ſi fœmina corrupta matrimonio copuletur cum viro ignorante corruptionem,malè tractabitur, imò expoſita eſt periculo vitæ, & diuortij, ergò corruptor qui tantorum malorum cauſa fuit, tenetur ad reſtitutionem.

Digitized by Google

QVÆSTIO IV.

Sed dubium est. An qui precibus etiam importunis, & longo tempore iteratis, sine blanditiis defiorat ad restitutionem teneatur?

1 Et quidem video grauissimos de Theologia, & scientia Canonica viros in eo casu damnare ad restitutionem sic virginem defiorantem. Sic enim sentit Cord.lib.1.quæst.q.13.Val.t. 3. d. 9. q.3.p.3. Nauar.c.16.n.16.& plerique alij.

2 At ego tamen libentiùs adhæreo aliorum sententiæ, qui docent nullam in hoc casu esse restitutionis obligationem Et ratio est plana, quia reuera preces, ac suasiones licèt sint assiduæ, & importunæ potiùs augent, quam minuunt voluntarium, quando omnis dolus, ac metus abest, & ita planè sentiunt Azor.p.3.instr. mor. lib. 5. c.& Sylu.verb.luxuria q. 5. & Ledesm.2.4.q.18. art.2.immerito à Corduba pro sua sententia citatus.

3 Recipi tamen posset opinio Cordubæ.

Primò quando preces adeò sunt vrgentes, vt voluntarium excludant, & inuoluntarium mixtum inducant.Ita Reb.lib.3.q.8.

Secundò, quando adeò importunis precibus eam sollicitat, vt ipsa malit illud virginitatis detrimentum pati, quàm assiduè tam extraordinariis sollicitationibus enecari.Ita Less.lib.2.c.10.dub.2.

Tertiò quando importunitas esset ita extraordinaria, vt ipsa malit violari, quàm suspicionem stupri, & notam infamiæ incurrere, quam puella timet nascituram, si cum viro in loco suspecto reperiatur, à quo aliter discedere recusat.Ita Rebel.lib.3.q.8.

Quartò, & vltimò, quando dictæ assiduæ, & importunæ preces, & vehementes suasiones essent hominis, a quo illa dissentire sine incommodo non posset, vt si esset illius dominus, aut superior, aut magnæ authoritatis, cui ipsa nihil audet recusare, is enim metus quidam reuerentialis dicitur, causatque inuoluntarium, vnde dici solet, quòd superiores per preces quasi per imperia cogere censentur. Ita Petr.Nauar. lib.2.de rest.c.3.n.444.

4 Quando autem esset dubiũ pro vtraque parte æquale de tali importunitate siue inuoluntario nemo ad restitutionẽ teneretur, vt post alios egregiè resoluit Reb.lib.3.q.8.

QVÆSTIO V.

An qui promissis, & muneribus attraxit virginem ad stuprum, ad restitutionem teneatur?

1 Svnt multi, qui existimant hunc ad id teneri.

Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Soto lib.4.q.7.art.1. ad 2. Less.lib.2.cap.10.dub. 2. Azor.p. 3. instruct. mor.lib.5.c.5.q. 2. & Petr. Nauar. lib. 2. de rest.c.3.num.444.Ratio huius est, quia promissa non tollunt voluntarium, sed blandè alliciunt; multóque magis munera, alioquin qui assiduis precibus, vel muneribus officium, vel legatum obtineret, iniustitiam committeret, & restituere sic acquisitum teneretur, quòd à veritate est alienum.

QVÆSTIO VI.

An qui vi, aut fraude virginem violauit, teneatur eam sibi matrimonio copulare, simul & dotare?

1 Ang.verb.stuprum num. 1. censet ad vtrumque eum obligari, si ipsa velit: si verò consensum non præstet, obligatum esse ad eam dotandam.

2 Barth.Med.lib.1.inst.conf.c.14.§.18. putat teneri solùm ad eam ducendam in vxorem, si ipsa consenserit in matrimonium, dummodò sint pares statu, quia qui eam virginem ad copulam pertraxit, non potest ei aliter recompensare, quàm eam in vxorem ducendo.

Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui docent quòd si promisit matrimonium, tenetur in conscientia eam ducere: si non promisit matrimonium solùm tenetur ad eam dotandam, vel ad omne damnum resarciendum, quantò magis indiget ad adipiscendum virum, qualem accepisset, si fuisset virgo. v. g. erat virgo quæ dotem habebat mille aureorum, cum quibus honestè coniugium inire poterat, si non vitiata fuisset; post autem amissam virginitatem non inuenit virum sibi æqualem, nisi cum dupla dote, tenebitur corruptor in hoc casu illi dare mille aureos, vt sic habeat cum suis duo millia. vt honestum matrimonium ineat, quia in hoc casu puella,

& pa

Digitized by Google

& parentes eius per ſtuprum læduntur in ſumma mille aureorum:vel ſaltem tenetur ad eam contentandam.Ita Nauar.c.16.n.16. Ban.2.2.q.62.art.2.Lop.p. p. inſt. conſ.c.76. Couar. de ſponſ.2.p. cap.6.cum.15.Cordub. lib.1.quæſt.q.13.Rebel.lib.3.q.8.& P.Nauar. lib.2.de reſt.c.3.num.440.

3 Ex qua doctrina colligitur, quòd accipere eam in vxorem, aut dotem integram illi perſoluere, procedit in foro exteriori, quod in præſumptione deceptionis fundatur,& ſpectat ad pœnam criminis,vt conſtat ex c.1.de adult. & ſtupro, quæ in foro conſcientiæ ante latam ſententiam non debetur.Vnde talis corruptor poteſt abſolui, ſi per Iudicem nõ fuit condemnatus,dummodò reſarciat damnum ipſi corruptæ,augendo dotem,tantum ei tribuendo, quantum ſatis eſt, vt dote ſic aucta,poſſit conſequi tam honeſtum matrimonium, quam potuiſſet alioqui minore dote,ſi non fuiſſet corrupta.

Addítque Nauar.c.16.nu.17. aliquid eſſe præter dotem addendum etiam in ſatisfactionem pudoris, quem tota vita ſua paſſura eſt, & ob contumelias, quas ob id à ſuo marito eſt acceptura.

4 Verùm in vno caſu tenebitur corruptor totaliter dotare, vt honeſtũ matrimonium contrahat, ſ. ſi circunſtantiæ tales ſint, vt iudicio prudentis non aliter videatur poſſe iuſtè, & æquialenter corruptæ ſatisfieri. Ita Mol.d.106.& Valen.tom.3.d.9.q.3.p.3.

Dices,in c.1.de adulterio,& ſtupro vtraque obligatio imponitur, dicitur enim, ſi quis ſeduxerit virginem,nondum deſponſatam,dotabit eam, & habebit vxorem.

5 Reſpondeo caput illud de adulterio, &c.deſumptum ex c. 22. Exodi intelligendum eſſe in foro externo poſt ſententiam Iudicis,vt optimè reſoluit Sylu.verb.luxuria quæſt.5. Ante enim ſententiam non tenetur niſi ad alterum. Imò vt rectè annotauit Iul.Clar.lib.5.ſent.§.ſtuprum n.3.non eſt vſu receptum,vt in foro externo ſtuprator virginis teneatur ad vtrumque, ſed alternatiuè,vel eam ducere, vel eam dotare: niſi tales ſint perſonarum, & negotij circunſtantiæ, vt omnibus cõſideratis iudicio prudentis,non videatur aliter poſſe iuſtè,& æquialenter illatũ damnum reſarciri virgini, niſi eam in vxorem ducendo vt latè etiam docet Valen.tom.3. diſp.9.q.3.p.3.

Adde, quòd corruptor virginis tenetur quoque ad placandum illius patrem,& ad ſatisfaciendum ei pro iniuria illata, nam maximum eſt dedecus patri, filiam habere corruptam, vt expreſsè docet D. Tho.2.2. q.154.art.6.ad 3. Caiet.ibidem, & Nauar.c. 16.num.19.

QVÆSTIO VII.

An qui ex intentione, & vero animo promiſit ſe ducturum in vxorem, quam violauit, teneatur eam ducere?

1 REſpondeo ſi corruptor promiſit virgini coniugium verè, & ex animo,& ea ſpe,ſeu conditione, vſuram corporis extorſit,tenetur eam ducere,nec poteſt aliter ei ſatisfacere damnum illatum, vel pecunia,vel alia re,ſi ipſa nolit acquieſcere.Ratio eſt, quia virgo non conſenſit in ſtuprum pro pecunia,aut alia re,ſed ſolùm, quia corruptor promiſit ei coniugium.

Tum quia ipſa conſentiendo bona fide in ſtuprum pro coniugio futuro, ius iuſtitiæ acquiſiuit ad ipſius coniugium,cui iuri non poteſt corruptor ſatisfacere, niſi ducendo eam in vxorem.Ita tenet D.Th.in 4. d.28.q.1.art.2.Nau.c.16.n. 1. Rebell. lib.3.q. 8.Valen.tom.3.d.9.q.3.p.3. & Mol.d.106.

QVÆSTIO VIII.

An ſi deflorans ex intentione promiſit virgini matrimonium,teneatur eam ducere, etiam in caſu,quo ipſe in vitæ ſtatu longè ſit nobilior?

1 REſpondeo teneri. Ratio eſt, quia verè,& ex animo promiſit eam ſibi matrimonio copulare, & ſibi imputet, ſi puella ſit ſtatu,& vitæ conditione inferior, ſiquidem eam conditionem nouerat, & nihilominùs verè,& ex animo promiſit.

Tum quia hæc promiſſio facta eſt per modum contractus,vnde cum ipſa ex parte ſua impleat,quod exigitur,tenetur etiam ſtuprator promiſſis ſuis ſtare.

Tum quia ſponſalia ab inæqualibus celebrata,ſunt valida,ergo à fortiori quando in compenſationem ſtupri ſponſalia celebrantur.

2 Dices, contractus vt ſit iuſtus, debet eſſe ex vtraque parte æqualis,ſed hic non eſt æqualis, ergo.

Respondeo, cuique fas est liberè cum alio contrahere cum suo detrimento, & cum inæquali conditione ex parte sua: potest enim quisque cedere iuri suo.

QVÆSTIO IX.

Sed quid dicendum de eo casu, quando promissio fuit vera, & ex animo facta, tamen probabile est, quòd ex tali matrimonio magna, & grauia incommoda sequerentur?

1 REspondeo si talia incommoda fuerunt præuisa, vel de facili poterant præuideri à stupratore, tunc videtur esse obligatus ad ducendam eam, quia sibi imputare debet damna, quæ eueniunt sibi: quòd si damna sint aliorum, scilicèt parentum, vel propinquorum, tunc non tenetur eam ducere, sed damnum reparare, ei tribuendo, quanti pluris eget ad alteri liberè pro sua conditione nubendum: Si autem damna non fuerunt præcognita, quæ si præcogitasset, non promisisset, tunc non videtur obligatus ad ducendam eam, quia non videtur facta promissio ex animo, tenebitur tamen arbitrio boni viri, ei tantum tribuere, quantum magis opus habet ad adipiscendum maritum, qualem si non esset corrupta, adipisceretur.

QVÆST. X.

An qui ficto animo ad decipiendam virginem, promisit se eam ducturum, sub qua pollicitatione, & fide ipsa illi sui corporis vsuram fecit, teneatur ei seruare fidem, & ducere eam in vxorem?

1 CONstanter omnes affirmant eum obligari ad promissionem, licèt fictam præstandam. Ratio est, quia inter eos celebratur contractus innominatus, do, vt facias, puella enim sui corporis vsum concedit, vt ille promissa præstet, quare si illa ex vna parte contractum compleat, naturaliter tenebitur etiam ille ex alia parte contractum adimplere, vt æqualitas iustitiæ seruetur, nec potest cum tanta puellæ iniuria, corruptori sua fraus patrocinari. Ita Nau. c.16.n.18. Mol.d.106. Rebell.lib.3.q. 8. & Petr. Nau. lib.2. de rest. c.3.n.442. qui dicit esse communem. Et est conclusio definita in c.1. & 2. de adulterio, & stupr.

2 Excipiunt tamen authores tres casus, in quibus defloror non tenetur eam ducere, sed sufficiet aliter damnum resarcire.

Primus est, si is qui animo deceptorio promisit coniugium, sit legitimè impeditus v. g. si effectus est eius affinis, si cum alia fœmina matrimonium contraxit, si sacros ordines suscepit, &c.

Secundus est, si inde graue aliquod damnum, vel scandalum parentum euenturum crederetur.

Tertius casus est, si valdè inæquales genere, vel diuitiis sint, vtputa si ille est illustris, & illa rustici hominis, vel artificis filia, vel ancilla, & puella hoc ipsum aduertit, aut aduertere, vel suspicari debuit, illum simulatè nuptias promittere, vt ea frueretur. Ratio est, quia cum puella fraudem facilè potuerit aduertere, non præsumitur decepta, sed fingere deceptionem ad colorandam suam turpitudinem, ac proinde nullo iure tenetur eam ducere in vxorem iuxta D.Th. communiter receptum in 4.d 28.q.vnica art.2. ad 4. & tradit eleganter Nau. in Manual.c.16.n.18.

Dixi notanter (si valdè inæquales) quia si excessus non esset admodum notabilis, teneretur deceptor ducere deceptam in vxorem. Ratio est, quia puella non habuit sufficientem rationem sibi persuadendi, corruptorem animo decipiendi id sibi promittere. Attamen si constaret probabiliter quòd corruptor licet nobilis tam constanter promisisset virgini ignobili, quod verisimiliter ex ea constanti, & decies confirmata promissione, ipsa consensisset, aliàs nunquam acquietura, si non credidisset firmiter sibi fidem seruandam, tunc enim ad eam ducendam obligatur, cum non videatur sufficere alia compensatio, quàm quæ conuenta est, vt rectè docet Rebell. lib.3. quæst..8.

QVÆSTIO XI.

An quando vir, & puella sunt disparis conditionis, sed mulier quæ defloratur, inuincibiliter ignorat status imparitatem, tenetur ex deceptoria promissione eam ducere in vxorem?

1 COrduba lib.1.quæst.q. 13. & Speculum coniugiorum 3. p.art.9. putant ad id non teneri, & probant ex eo fundamento,

Digitized by Google

mento, quia non tenetur ad id ex vi promiſſionis, cum non habuerit animum adimplendi, nec ſe obligandi; nec ex vi contractus, quia contractus vt ſi obligatorius, debet eſſe ex vtraque parte æqualis: at contractus qui inter eos cernitur, eſt inæqualis, cum non ſit æquum, vt ex eo capite præcisè reddere compellatur aliquid longè maioris æſtimationis, quam a puella receperit, quale eſt accipere eam tam inferiorem in vxorem, quare ſatisfacere dicunt, ſi alia ratione damna puellæ compenſet.

2 At verò Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitut. c. 3. num. 442. & Rebel. lib. 3. q. 8. rectiùs docent eum ad id obligari. Ratio huius eſt, quia quando authores tertium caſum excipiunt, nimirum ſi ipſe longè ſit nobilior, vel opulentior, ideò excipiunt, quia puella eo caſu ſponte paſſa eſt decipi, ſi quidem facilè intelligere potuit fictam eſſe promiſſionem, cum promittens eſſet vir longè melioris conditionis: At hoc locum non habet, quando puella ignorat ſtatus diſparitatem, quia tunc dici non poteſt, quòd ſponte ſua ſit decepta, quia ſi ſciret notabilem diſparitatem, reliquáve ſigna deceptionis, forſitan copiam ſui corporis non feciſſet, quia credidiſſet talem ſeducere & fictè verba proferre.

QVÆST. XII.

An in caſu, in quo propter ſtatus diſparitatem corruptor animo fallaci coniugium promiſit, excuſatur ad ducendam eam in vxorem, teneatur eam ſaltem dotare?

1 NAuar. c. 16. num. 18. Rebel. lib. 3. q. 8. Cord. lib. 1. qnæſt. q. 13. & Petr. Toletanus lib. 2. de reſt. c. 3. n. 442. & multi alij aſtruunt hunc ad id teneri. Ratio ipſorum eſt, quia licèt in hoc caſu non præſumatur decepta ad finem ducendi eam, quia id illa credere non debuit videns generis diſparitatem: at verò non ex hoc ſequitur, ipſam fuiſſe ſua ſponte deceptam circa dotem, ſatis enim probabiliter credere potuit corruptorem daturum ſibi competentem dotem, vt inueniret talem virum, qualem inueniret, ſi corrupta non eſſet.

2 At verò Sylueſt. verb. matrimonium 4. quæſt. 8. Tab. ibidem 2. q. 7. Armil. verb. reſtitutio num. 22. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 10. dub. 3. & plerique alij rectiùs docent hunc ad nihil teneri, & ratio eſt, quia in hoc caſu corruptor ſolùm fictè promiſit coniugium, & puella prænouerat ſtatus diſparitatem, ac proinde temerè permiſit ſe decipi, quia credere debuit, talem non ſincerè nuptias promiſiſſe.

QVÆST. XIII.

An ſi puella è contrario eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, teneatur corruptor ei aliter damnum reſarcire?

1 AZor. par. 3. inſti. mor. lib. 5. c. 5. exiſtimat hunc teneri ad ſatisfaciendum puellæ, nam liberum eſt puellæ deceptæ, vel corruptorem ſibi matrimonio copulare, vel competentem dotem ab eo exigere.

Alij diſtingunt, ſi vero animo promiſit, ad nihil aliud tenetur: ſi autem animo deceptorio, tunc à puella tanquam impoſtorem, & pudicitiæ inſidiatorem poſſe repudiari, & tamen ratione iniuriæ teneri nihilominùs damnum compenſare.

3 Mihi tamen cum eorum bona venia oppoſitum videtur tenendum cum Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 10. dub. 3. ſcilicèt hunc in conſcientia ad aliud non teneri quàm ad implendum promiſſum, ducendo eam in vxorem, ſic enim abunde videtur ſatisfacere pro iniuria fictæ promiſſionis.

Et confirmatur à ſimili, ſi Titius fictè tibi promiſit pecuniam, tu verò ſub hac ſpe emiſti merces, Titius niſi adimpleat promiſſum, eſt tibi iniurius, & tenetur compenſare damnum: ſi tamen eſt paratus adimplere, tu verò nolis accipere, non tenetur in conſcientia damnum reſarcire.

QVÆSTIO XIV.

An quando vir, & puella ſunt ſtatu, & vitæ conditione pares, & corruptor non admittitur à puella, vel à patre eius ad matrimonium, teneatur in conſcientia puellam dotare?

1 AZor. p. 3. inſt. mor. lib. 5. cap. 5. in hoc caſu damnat corruptorem ad ſufficientem ei dotem concedendam, quia liberum eſt puellæ deceptæ, vel nubere corruptori, vel ab eo competentem dotem poſtulare.

2 At ego tamen libentiùs adhæreo aliorum

opinioni, qui cenſent nullam eſſe reſtitutionis obligationem, ſi alioquin eſt paratus promiſſorum fidem præſtare. Sic enim ſentiunt Rebell. p. 2. de obligat. lib.3.q. 8. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap.10.dub.3.

QVÆSTIO XV.

An opes ſtuprantis virginem inopem, efficiant cum eſſe inæqualis conditionis?

1 REſpondeo ex natura rei non facere, niſi quando opes ita eſſent amplæ, & paupertas virginis tanta, vt iudicio prudentum, ſtatum & conditionem prorſus mutent.

QVÆSTIO XVI.

An corruptor qui promiſit mulieri coniugium, eo pacto vt non permittat ab alio cognoſci, teneatur ſtare promiſſis ſi ab alio fuit cognita?

1 REſp. non teneri. Et ratio eſt, quia conditio appoſita fuit honeſta, ergò ſi mulier pactum non ſeruauit, eo ipſo corruptor excuſatur ducere eam in vxorē.

Tum quia in promiſſione ſponſalium hæc conditio tacitè ſubintelligitur. Ita Leſſ.lib.2.de iuſt.c.10.dub.3.

QVÆST. XVII.

Sed dubium eſt, Vtrum tunc teneatur illi aliter ſatisfacere ob amiſſam virginitatem?

1 SVnt multi qui exiſtimant hunc obligari ad dandum ei tantum, quantum magis opus habet ad adipiſcēdum virum, qualem ſi maneret virgo, adipiſceretur.

2 Meliùs tamen videtur dicendum cum Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 10. dub.3. hunc ad id non teneri. Et ratio eſt, quia ex vi promiſſionis ſolùm tenetur eam ducere cum pacto, vt non ſe tradat cognoſcendam alteri, quæ obligatio extinguitur per ſuperuenientem fornicationem.

QVÆSTIO XVIII.

Sed Quid? ſi corruptor promiſit ſe ducturum puellam in vxorem, & poſt ſtuprum inuenit eam vſuram ſui corporis ſeciſſe alicui alteri?

1 REſpondeo in hoc caſu corruptorē nō teneri, nec illam ducere in vxorem, nec quicquam illi reſtituere ob ſtuprū & damna ex illo vlterius ei mulieri ſecuta. Ratio eſt, quia cum puella fidem ei fregerit, copiam ſui corporis alteri faciendo, ſeque illam indignam ea de cauſa reddiderit, cui promiſſio impleatur, non tenetur corruptor ducere eam in vxorem, nec damna ex eo ſtupro ſecuta reſarcire. In dubio autem an mulier fuerit ab alio cognita, corruptor tenetur ſtare promiſſis, niſi culpa eius mulieris ſit valdè ea de re infamata, & res ſit valdè veriſimilis. Ita Mol. tom.3. de iuſt. diſp. 106.

QVÆST. XIX.

Quid? ſi Titius promiſit coniugium mulieri quam putabat eſſe virginem, & tamen in coniunctione deprehendit non eſſe. An teneatur ſtare promiſſis?

1 IN qua re certum eſt, quòd quando promiſſio facta eſt expreſsè ſub ea conditione, ſi te virginem inuenero, & poſtea deprehendit eſſe corruptam, non tenetur eam ducere, quia conditio eſt honeſta, & vterq; ſcienter conditioni conſenſit.

Sed eſt difficultas, quando in promiſſione huiuſmodi conditio non eſt expreſſa.

1 REſpondeo etiam tunc non teneri, quia talis conditio ſemper ſubintelligitur, quia vir nunquam promitteret nuptias, ſi puellam corruptam prænoſſet: & à fortiori, ſi ipſa ſe tanquam virginem daret, cum etiam ad ſponſalia dirimenda ſit ſatis quòd innoteſcat, ſponſam non eſſe virginem. Ita Molina d. 106. Cord. lib. 1. quæſt. 13. Sanc. lib. 1. de matrim. diſp.10.n. 12. Leſſ. lib. 2. de iuſt.c.10. dub. 3. Tenebitur tamen Iuxta Cordubam, pecunia reſarcire damnum.

2 Contra tamen eſt, & meo iudicio probabiliùs ſentiunt Molina, Sanc. & Leſſ. locis citatis, quia ſolum eſt promiſſio vera, vel ficta, facta de coniugio futuro, quæ obligatio ceſſat, & eo quòd deprehendit eſſe corruptam. In dubio autem, an illi eripuerit virginitatem, vel non ſub mortali tenetur implere illi promiſſionem, vt poſt alios tradit egregiè Molina d. 106.

QVÆ

QVÆST. XX.

Quid? si Titius puellam non defloranit quidem, sed accedendo ad locum vbi illa esset, in causa est, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi sequatur, quia ob eam infamiam non inueniet, cui æquè benè nubat?

1 RESPÒDEO si puella liberè consentiès sollicitata est, sollicitans ad nullam restitutionem tenetur, quia voluntariè consensit sollicitationi, & sibi imputare debet infamiam, quàm patitur: si tamen vi, metu, vel dolo, aut mendaciis sollicitata est, tunc sollicitans tenetur ei restituere omnia damna eà via ei secuta. Ratio est, quia is causa est inusta illi mulieri omnium illorum damnorum, ita ipsa inuita, tentando pudicitiam illius, ergo tenetur ea omnia illi restituere. Ita Molina to. 3. de iustitia & iure, t. 3. d. 106 & multi alij.

QVÆST. XXI.

Sed quid? si sciebat aliquam esse corruptam, & tamen promisit ei coniugium fictè, ad extorquendam copulam. An ea secuta teneatur eam ducere?

1 IN hac quæstione Palud. in 4. d. 28. q. 1. ar. 2. Sylvest. verb. matrimonium 4. q. 8. Mol. d. 106. & Lop. p. p. instr. confess. cap. 76. qui citat Scot. Adrian. Sotum, & alios, censent eum ad id obligari, si alioqui conditione sunt pares, & aliunde impedimentum non est, quia hic interuenit contractus innominatus, Do vt Des, vel facio vt facias, in quo contrahentes obligantur subsecuto effectu ex parte alterutrius, & is, qui promittit animo deceptorio tenetur verificare quod dicit, eo ipso quod mulier facit, vel dat petita, ne ea decepta maneat.

2 Contra tamen, & meo iudicio probabilius sentiunt Less. lib. 2. de iust. cap. 10. dub. 3. & Sanchez l. 1. de matrim. d. 10. citans Lopium, & alios. Ratio huius est, quia corrupta exigendo tale coniugium pro copia sui corporis, nimium petit, non enim tanti valet copula cum corrupta, vt coniugio eius debeat compensari. Vnde cum vir non teneatur eam ducere ex vi talis promissionis, cum fuerit nulla ex parte rei, nec ratione damni, cum nullum secutum sit, solum ergo tenetur compensare copulam per talem iniuriam, secus autè si mulier esset honesta, & culpa viri remaneret mulier infamata.

QVÆSITO XXII.

An qui vi, aut fraude virginem defloranit, teneatur illi pro apertione membri virginei aliquid restituere, si illa tam benè nupsit, ac si non fuisset corrupta?

1 GReg. de Valentia tom. 3. d. 9. q. 3. parte tertia Molina d. 106. Rebell. lib. 3. quæst. 8. Lop. parte prima instruct. confess. cap. 76. & Franc. Victoria relatus à Nauar. cap. 15. num. 19. putant eum teneri ad aliquid arbitrio boni viri, tum quia orbata est integritate illa virginali corporis, quod est damnum magnum pretio æstimabile.

Tum quia redditur minùs habilis ad matrimonium contrahendum, vel enim sic defiorata non facilè benè nubet, aut si nupsit, facilè incurret periculũ patiẽdi molestias à marito deprehendẽte corruptam.

2 At verò alij rectiùs docent nihil esse restituendum, si puella vi, metu, aut fraude violat, reuerà æquè benè nupsit, nec maritus eius defectum deprehendit, aut nihil curauit, quia tunc nullum damnum ex eo stupro est passa, neque patitur in futurum. Et ratio est, quia damnum quod per stuprum infertur virgini nõ est defloratio pudicitiæ, quia ea semel amissa, amplius recuperari non potest, nec est pretio æstimabilis; sed totum damnum, quod patitur virgo propter stuprum, est in nuptiis, quia non ita commodè nubit. Quæro si puella æquè dignè nupsit ac si virgo esset, cum ratione corruptionis nullum sit damnum perpessa, non debet ei quicquam necessariò restitui. Quòd si maritus postea huiusmodi defectum tempore consumandi matrimonium deprehendit, & propter hoc eam deserens peregrè proficiscitur, vel eam durè, nimiumque seuerè tractet, tunc iudicio boni, & prudentis viri aliquid est restituendum puellæ ob huiusmodi dãnum secutum. Quòd si ea mulier locare consueuerat suum corpus ad fornicandum, tunc competens pretium pro eo abuso esset ei soluendum. Sic enim sentiunt Nau. c. 15. n. 19. Less. l. 2. de iust. c. 10. d. 2. Cord. l. 1. q. 13. P. Nau. l. 2. de rest. c. 3. n. 451. & Mol. d. 106.

3 Dices,& ſi benè nupſerit,& nihil damni patiatur,id omnino per accidens eſt,& induſtriæ, aut fortunæ puellæ tribuendum, quia ſemper eſt periculum, ne maritus deprehendat corruptionem, & ob id durè,& aſperè tractetur, cui incommodo ſemper expoſita eſt vxor, ergò ſaltem propter huiuſmodi periculum, quod eſt pretio æſtimabile,aliquid debet reſtitui.

Reſpond. inferre periculum damni non eſt damnum,niſi damnum re ipſa ſequatur, aut ab initio in pactum deducatur, antequàm quis periculo ſe exponat, ergo nullam reſtituendi obligationem inducit, v.g. poſſum iuſtè paciſci ab initio, vt dentur mihi centum propter periculum vitæ, cui me expono,& tunc obligatio dandi propter pactum quantumuis nihil damni ſit ſecutum.

4 Obiicies,ergo corrupta,quæ pecuniam acceperat pro fractione ſigilli virginalis, tenebitur eam reſtituere, ſi poſtea æquè benè nupſit ac ſi eſſet virgo.

Ad hoc reſp. primò quòd puella iuſtè poteſt retinere pecuniam pro ipſa virginitatis amiſſione, quæ iuxta probabilem Medinæ opinionem eſt pecunia reparanda.

Secundò reſpon. iuxta noſtram ſententiam,quod puella ratione periculi vitæ,vel famæ aut bonorum temporalium, in quòd per iniuriam coniicitur, poteſt cum corruptore paciſci, vt pro eo ſoluat aliquam ſummam pecuniæ, & licèt poſtea nullum damnum ſequatur poterit tamen pecuniam conuentam retinere.

QVÆSTIO XXIII.

An qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta quidem,ſed nomine, & æſtimatione,virgine,teneatur ad reſtitutionem ei faciendam,ac ſi virgo eſſet?

1 REſpondeo eum obligari ad reſtitutionem,non quidem ob virginitatis amiſſionem,quia ſecretò virgo nõ erat, ſed ratione infamiæ, ſi res venit in publicum; quia licèt corrupta ſit, in populo tamen virgo habebatur, vndè reuera detrimentum paſſa eſt in nuptiis, huiuſmodi autem reſtitutio ad boni, & prudentis viri arbitrium facienda eſt. Ita Nauar. cap. 15. num.19.

QVAEST XXIV.

An habens votum caſtitatis,vel Religionis,qui vi,vel fraude,ſub promiſſione vera, vel ficta coniugij virginem ſtupraauit poſſit ſuum votum adimplere?

1 REſp.non poſſe, ſed teneri eam ducere in vxorem, ſi puella non erat cõſcia ſui voti. Et ratio eſt, quia hic concurrunt duæ obligationes, vna Religionis, altera iuſtitiæ commutatiuæ. A iuſtitia commutatiua quæ ponit æqualitatem inter dãnum, & compenſationem habet maiorem vim obligandi, quàm virtus Religionis, quoniam de iure naturali tenemur damnum reſarcire.

Et confirmatur, ſi ego vouiſſem dare certum quid in Eleemoſynam, & poſt votum inferrem alteri damnum tantundem æſtimatum, nec haberem vndè vtrumque præſtare poſſem, proculdubiò tenerer reſarcire damnum illatum, & ceſſaret pro tunc obligatio voti,quia votum ſeruari nõ debet de eo, quòd de iuſtitia alteri debetur,ergò idem eſt dicẽdum in noſtro caſu, in quo ratione cõtractus, & damni amiſſæ virginitatis, corpus corruptoris eſt obnoxium puellæ, nec alia via poteſt ex æquo reſarciri,niſi cum illa contrahendo. Neque puella tenetur admittere aliam compenſationem,quia ſigillum virginale non eſt pecunia æſtimabile, nec tenetur ſubire infamiam amiſſæ virginitatis,vt corruptor votum ſuum impleat.

2 Dixi notanter(ſi puella non erat conſcia ſui voti,) quia ſi ſciebat corruptorem habere tale impedimentum, non poteſt exigere ab eo nuptias, quia cum ſciret eum non poſſe matrimonium promittere, mala fide contraxit,ſicut ea, quæ nupſit cum eo, quem ſciebat, habere votum caſtitatis non poteſt petere debitum. Ita Leſſ. lib.2. cap. 10.dub.4.

QVÆSTIO XXV.

Quæres, An in hoc caſu tentatur aliter compenſare damnum amiſſæ virginitatis?

1 REſpon. non teneri. Et ratio eſt,quia non fuit ab ipſo decepta, ſciebat enim non poſſe cum ipſo contrahere. Ita Leſſ. lib.2.de iuſt.cap.10.dub.4.

Hoc

Hoc idem dicendum est, si vir non defloravit virginem, sed sub spe, vel promissione coniugij, ità liberè eam admisit in domum suam, vt in plebe suspicio magna sit concepta, quòd eam violauerit, nam tunc perinde est, ac si stuprasset, vnde non obstante voto castitatis, vel Religioms iure cogitur eam sibi matrimonio copulare. Ita Cord. in addit, quæst. 182. Lop. p.p. instr. conf. cap. 76. & alij.

2 Et à fortiori idem iudicium ferendum est, si vir prius defloravit puellam sub spe, vel promissione coniugij, & postea votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, nam tenetur potiùs ad damnum puellæ, resarciendum, quam ad votum implendũ.

QVÆST. XXVI.

An in his casibus teneatur importare dispensationem voti?

1 IOan. Azor. p. 3. instit. mor. lib. 5. cap. 3. putat, teneri.

Alij verò rectiùs negant. Ratio est, quia executio voti facta est illi illicita. Est sanũ tamen consilium, vt petatur, alias teneretur se abstinere à petendo debito si castitatem vouisset: verum si ea mortua superstes fuerit, tenebitur suum votum implere.

QVÆSTIO XXVII.

An in his casibus corruptor consumare matrimonium teneatur?

1 REspon. teneri. Et ratio est, quia puellam stuprauit sub spe, & promissione talis coniugij, & quia contrahendo, & non consumando, puella defiorata maneret semper decepta, & læsa propter infamiam. Ita Less. lib. 2. cap. 10. dub. 4.

QVÆST. XXVIII.

An si quis promisit puellæ ducere illam in vxorem, quam tamen neque corrupit, nec infamia notauit, & nihilominùs anteà simplex castitatis, vel Religionis votum emiserat, teneatur implere votum, an verò promissionem factam puellæ?

1 REsp. teneri seruare votum. Et ratio est, quia hic sunt duæ obligationes simplices absque vllo damno, & illa quæ est facta Deo, est magis obligatoria. Tum quia est prior tempore. Tum quia est facta Deo, & de maiori bono nimirum de castitate seruanda, aut Religione suscipienda.

QVÆST. XXIX.

An si quis promisit mulieri se ducturum eam in vxorem, quàm tamen non defloravit, nec aliqua nota infamiæ maculauit, & postea emisit votum Religionis, teneatur ad promissionem factam mulieri, an potiùs ad votum?

1 REspon. teneri ad implendum votum Deo factum, quia vt cum communi resoluit Nauar. cap. 22. num. 27. sponsalia dirimuntur per votum Religionis, siue præcedens, siue subsequens.

QVÆSTIO XXX.

Quid? si aliquis promisit alicui puellæ ducere illam in vxorem, & postea pœnitentia ductus alteri puellæ promisit idem. Quæritur nunc, cui ex his duabus fidem præstare teneatur?

1 REspondeo si neutram defloravit sub spe coniugij, nec infamiæ macula notauit, teneri ad priorem ducendam, quia cæteris paribus, quæ prior est tempore, potior est iure. Tum quia stante prima promissione non potuit se obligare ad secundam, imò nec iurare, quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Si tamen secundam violauit sub spe coniugij, tenetur eam ducere ratione damni amissæ virginitatis. Ita Less. lib. 2. cap. 10. dub. 4.

QVAESTIO XXXI.

An qui iureiurando se astrinxit cum aliqua contrahere, promissum adimplere teneatur?

1 REspondeo teneri, & hoc ratione iuramenti exteriùs animo iurandi facti, ne alioquin Deus, qui est prima veritas, in testem infidelis promissionis adducatur. Ita Molina disp. 106.

QVÆST. XXXII.

Quid? si stuprator redderet se impotentem ad præstandum promissa, vt si cum alia postea

contra

Digitized by Google

contraberet per verba de præsenti, vel sacris ordinibus promoueretur?

1 RESpon. in hoc casu teneri in primis restituere puellæ omnia damna ex stupro illi secuta, & quantùm sua intererat talem virum habuisse, quia fortè alium tam nobilem, aut tam diuitem non inueniet. Ratio est, quia puella per veram promissionem sibi factam acquisiuit ius iustitiæ, vt id sibi impleretur, ex iustitiaque erat ei debitum, quare corruptor contraueniendo iuri illi iustitiæ, quòd puella ad id iam habebat, reddendoque sua culpa impletionem eius promissionis impossibilem, tantùm damnum puellæ iniustè intulit, quantum sua intererat habere talem maritum.

2 Hinc corruptor qui promittit ea, quæ se præstare non posset, non solùm peccat, sed etiam tenetur promissis æquiualens restituere, quia ratione cõtractus tenetur stuprator ex sua parte adimplere promissum cum puella ex parte sua adimpleuerit. Ita Molina tom. 3. de Iustitia disp. 106.

QVÆSTIO XXXIII.

An ad aliquam restitutionem teneatur Bertha, quàm sibi in matrimonio copulauit Titius, existimans esse virginem, sed reuerà erat corrupta, cui in dotem contulit quingentos aureos, quos spopondit in dotem ei tradere?

1 REspondeo si Titius dotauit Bertham ex eo solum, quia putabat esse virginem, alias non dotaturus, tunc tenetur Bertha illos quingẽtos aureos Titio restituere. Ratio est, quia in hoc casu defuit in Titio intentio donandi. Secùs autem, si Titius non obstante corruptela eam dotasset, quia nimirùm erat pulchra, &c. At si ratione huius defectus, non tantùm ei donasset, tunc non totum, sed excessum illum Bertha restituere teneretur.

Et hæc de stupro satis est attigisse.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE BONORVM CORPORALIVM.

DISPVTATIO VIGESIMAQVINTA.

DE hac materia disputant Scolastici in 4. dist. 15. D. Thom 2.2. quæst. 62. art. 2 Caiet. in summa verb. restitutio cap. 2. Sot. lib. 4. de Iust. qu. 6. art. 3. Ban. 2.2. q. 62. art. 2. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. Molina tom. 3. de iust. disp. 83. Less. lib. 2. de Iust. cap. 9. dub. 1. Rebel. p. 2. de oblig. lib. 3. q. 11. Arag. 2.2. quæst. 62. art. 2. Roder. p. 1. sum. cap. 139. Mart. Ledesm. 24. quæst. 18. ar. 2. Petr. Nauar. lib. 4. de rest. cap. 1. dub. 10. Corduba lib. 1. q. q. 31. Salon. 2.2. qu. 62. art. 2. Mart. Nauar. in Man. cap. 15. num. 1 Couar. lib. 2. var. resol. cap. 10. Alphonf. de Castro lib. 2. de lege pœn. cap. 14. Azor. p. 3. inst. mor. lib. 5. & alij. Summistæ verò vt Ang. Sylvest. Tab. Armil. Rosel. & multi alij verb. restitutio & verb. homicidium. In cuius explicationis gratiam quæritur in primis.

QVÆST. I.

An lædens aliquem in corpore teneatur ad aliquam restitutionem?

1 PRo intelligentia huius disputationis initio obseruandum est primò quòd quatuor modis potest quis alterum lædere in corpore.

Primò auferendo vitam.

Secundò mutilando membrum.

Tertio infligendo vulnus.

Quartò, & vlt. lædendo in aliquibus bonis corporalibus, à quibus vita non dependet, vt in pulchritudine, celeritate corporis &c.

2 Secundò est obseruandum, quod duo mala possint considerari in huiusmodi læsionibus. Vnum est ipsa læsio secundum se scilicet occisio, vel mutilatio membri &c.

Alte

Digitized by Google

Alterum eſt damnum temporale, quod conſequitur ex huiuſmodi læſione, ſcilicet expenſæ faciendæ in curatione læſi: lucrum ceſſans, & damnum emergens, vt quando alicui opifici abſcinditur manus, quâ ſe, & familiam ſuam alebat.

His itaque notatis, nunc ad propoſitam quæſtionem reſpondeo, dicendum, quòd qui læſit alterum in corpore, & ex tali læſione ſecutum eſt aliquod damnum in temporalibus læſi, tenetur in conſcientia talium bonorum iacturam ei reſarcire. Vt apertè definitur in cap. ſi rixati, & in cap. ſi culpa tua, de iniuria, & damno dato. Cuius ratio ea eſſe poteſt, quia iure naturali tenetur quiſque ea damna in conſcientia compenſare, quæ iniuſtè intulit. Ita Nauar. c. 15. nu. 26. Sot. lib. 4. q. 6. ar. 3. Valen. tom. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5. Arag. 2. 2. quæſt. 62. ar. 2. & communis.

3 Hinc percuſſor tenetur primò in conſcientia reſtituere expenſas factas in curatione morbi, ſiue vulneris illati cum chirurgis, & medicis, & cibis pretioſioribus, deductis tamen expenſis, quas aliàs ipſemet percuſſus, vt viueret, in cibo, & potu ordinario, & in aliis rebus facere debuiſſet, nam earum ipſe cauſa efficax fuit. Quod ſubaudi de cibis, & ſumptibus, quos rationabiliter fecit in eius curatione, attenta qualitate perſonæ, quæ occiſa, aut vulnerata eſt, nã quoad ſuperfluos, licet percuſſor occaſio fuerit, non tamen cauſa. Ita Molina tom. 3. de iuſt. d. 83. Couar. lib. 2. var. c. 10. nu. 7. Sylueſt. verb. reſtitutio 3. num. 2. Val. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. & Sot. lib. 4. q. 6. a. 3.

Secundò tenetur reſtituere damnum emergens, vt ſi propter percuſſionem non potuit cuſtodire pecuniã, merces, vel alias res ſuas, ideóque eas amiſit. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 19. Reb. p. 2. de oblig. l. 3. q. 10. & alij.

4 Tertiò & vlt. tenetur ad lucrum ceſſans, ſi enim læſus iam deinceps, vel ad tempus lucrari operando non poteſt, id lucrum erit reſtituendum. Ratio eſt manifeſta, quoniam iniuſta ſua actione cauſam efficacem damni huiuſmodi, ceſſationiſq; à iuſta lucro dedit: tenetur ergo lege iuſtitiæ, idque in conſcientia ante vllam Iudicis ſententiam reſarcire. Ita Nauar. c. 15. num. 24. Val. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Sot. lib. 4. q. 6. ar. 3. Couar. lib. 2. var. c. 10. n. 3. Cord. lib. 1. quæſt. q. 31. ar. 3. Caiet. in ſum. verb. reſtitutio cap. 2. Sylueſt. verb. homicidium 3. quæſt. 2. & Petr. Nauar. l. 4. de reſt. cap, 1. nu. 65.

QVÆSTIO. II.

An læſor in integrum ſoluere tencatur omnes operas, & lucra quæ occiſus, aut vulneratus alioqui erat lucraturus, ſi non fuiſſet occiſus, vel vlneratus? v. g. accidit quiſpiam opificem, qui quotidie ex artificio vitium ſibi, & ſuis comparabat, An teneatur in integrum compenſare quidquid labore ſuo, & arte acquirebat?

1 NAuar. cap. 15. num. 26. tenet reſtitutionem faciendã eſſe in integrũ.

2 At verius eſt, homicidam teneri reſtituere, non quidem quantum occiſus in tota vita poterat lucrari, ſed quantum moraliter loquendo ſi viueret, lucratus fuiſſet, habita ratione ætatis, & qualitatis perſonæ, & impedimentorum, quæ aliàs accidere poterant: poterat enim occiſus mutare vitam, conijci in carcerem, ægrotare, aut aliàs mori breui tempore, & ideò attento quòd lucrum in ſpe, minùs æſtimatur quam lucrum in re, minor ſatisfactio requiritur ex hac parte. Vndè quemadmodùm qui pedibus conculcat ſegetes in herba, non tenetur tantùm reſtituere, quantum ex illis colligeretur; ità in caſu noſtro non tantum debet reddi illi, qui damnum patitur, quantum poſſet ſuo labore, & induſtria lucrari, maximè cum poſſit multis modis à lucro impediri.

3 Deduci etiam debent, quæ læſus conſumere ſolebat, dum viueret: quæ enim ipſe conſumebat, non poſſunt cenſeri in lucris ad hæredes peruenientibus, v g. ſpes lucri æſtimatur centum, id quod conſumpturus erat, æſtimatur quinquaginta, ſuperſunt tamen quinquaginta reſtituendi.

Deinde conſiderari oportet conditionẽ eius, cui fuit damnum illatum, nam ſi erat negligens in operando, non tantum ei reſtitui debet, quantum ſi erat diligens, cum minùs eſſet lucraturus.

Item ſunt deducendi dies feſtiui, & illi, in quibus homines laborare non ſolent.

Ac denique debet computari labor, quẽ ferebant vxor, & filij, & debebant habere in ſeruitio eius, cum remaneant liberi ab hoc onere per eius mortem. Sic enim tenet Reb. p. 2. de oblig. lib. 3. q. 13.

4 Hinc ſi percuſſus laborare poterat, ac lucrari

lucrari, ſed non tantum, quantum ſi non manſiſſet læſus, ſolum erit illi reſtituendum, quantum minùs potuerit, ac potuit ea de cauſa laborare, ac lucrari.

Hinc ſi percuſſus aptus manſit ad negotiandum; ſed negotiari omiſit ſua culpa, ac deſidia, tunc reſtituendus non eſt illi valor integer operarum, ſed ſolùm quantùm impeditus manſit lucrari iuxta Molinam to. 3. de Iuſtit. diſp. 83

Hinc, ſi ex operibus interfecti nullum emolumentum eius hæredes erant percepturi, quia plus ſecum ipſe conſumebat in cibo, & veſtitu, in ludis, ſcortationibus, aliiſque rebus etiam illicitis, ad nullam reſtitutionem tenetur homicida. Et ratio eſt, quia in nullo alicui alteri ea de cauſa damnum intulit.

5 Hinc, ſi hæredes plus commodi ex eo accipiunt, quòd potiantur priùs hæreditate, quàm ex eo, quod occiſus operas, & induſtriam exercuiſſet toto eo tempore, quo erat victurus, quia plus ex fructibus hæreditatis ita anticipatæ ipſis prouenit, quàm ex occiſi operibus eis proueniret, ad nullam reſtitutionem ratione taliũ operarum tenetur homicida. Ratio eſt, quia nullum damnum eiuſmodi hæredibus ex tali homicidio obuenit, ſed potius lucrum. Ita Molina diſp. 83. vbi etiam addit, huiuſmodi operarum ſolutionem non eſſe anticipatè occiſo, vel vulnerato totam faciendam, ſed temporis decurſu ſucceſſiuè, pro vt læſus ſuis operis erat lucraturus.

QVÆSTIO III.

An prædicti lucri æſtimatio ſit moderanda propter laborem, quem percuſſus in lucrando ſubiturus erat, ſed non ſubiuit?

1 REbel. p. 2. de obligat. lib. 3. q. 13. affirmat ex eo fundamento, quia non eſt æquum, vt tantum detur otioſo, quantum laboranti, niſi læſus eius eſſet ingenij, vt non minus moleſtè ferret otium quam laborem.

2 Alij verò ſentiunt, iſtius laboris non eſſe rationé habendam, ſed integrè reſtituendũ, quantùm illa ſpes lucri attentis circunſtantiis, in quibus impediri poterat æſtimabitur. Ratio eſt, quia ſi labores deducãtur, tunc contingere poſſet, quod nihil ſupereſſet reſtituendum, nam ſæpè lucrum non eſt maius, quàm æſtimatio laboris vt eſt videre in eo qui occidit, aut mutilat hominem, qui ſolo ſuo labore lucrum, & victum quærebat, tunc enim ſi æſtimationem laboris detrahamus, nihil ſanè relinquitur quòd ſit ſibi recompenſandum.

Tum quia qui impedit inuitum ab opere diurno, quo duos argenteos erat ducraturus, tenetur integrè illos reſtituere, non deducendo laborem, nam alter cupiebat laborem ſubire; ergo pari ratione qui iniuſtè occidendo, aut amputando manum impedit alterum à pecunia, quam laborando lucraretur, tenetur illam in integrum reſtituere, nullo deducto labore.

Tum quia, quòd mortuus, vel mutilatus tunc non laboret, non eſt aliquod eius cõmodum, ſed potius id ei per iniuriam, & contra voluntatem accidit, & ideò mutilato, vel mortui hæredibus, nihil debet de lucro alioqui futuro detrahi, propterea quòd non laborent.

3 Nec obſtat, quòd non tantùm debetur otioſo, quantum laboranti: quia ſi occiſus, vel vulneratus vacat ab opere, hoc prouenit ex iniuria alterius, & non ex ignauia propria, & idcirco non eſt aliquid diminuendum propter laborem. Sic enim tenẽt Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. Nau. c. 15. nu. 26. Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 19. Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5. Ban. 2. 2. q. 62. art. 2. Petr. Tolet. lib. 4. de reſt. cap. 1. nu. 67. & Aragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 2.

Poſſet tamen recipi opinio Rebel. in euentu, quo læſus libenter pro laboris redemptione aliquid daturus fuiſſet, tunc enim tantùm detrahi poſſet de lucro, cum in hoc caſu nulla videatur fieri inæqualitas: quòd ſi ille laborem nullo modo voluiſſet redimere, cum lucri diminutione, tunc in integrum facienda erit reſtitutio. Ita Molina diſp. 87. Victoria in comment. manuſcriptis ſuper 2. 2. qu. 62. art. 2. ad primum & Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 19.

QVÆSTIO IV.

Quomodo operarum æſtimatio facienda ſit, cum ignoretur quandiu mortuus fuiſſet victurus?

1 NAuar. cap. 15. num. 14. quinquaginta aureos in iure taxatos eſſe ait, in quam ſententiam adducit Hoſt.

2 Verùm cum variæ ſint operariorum differentiæ quo ad ætatem, vires, officia, induſtriam, & cætera, propter quæ onus plus alteri

Digitized by Google

altero eodem etiam tempore, ac loco lucrari poteſt, nulla commodior Reg. præſcribi poteſt, quàm vt illud reſtituatur, quòd probi, prudenteſque viri ſpectatis omnibus circunſtantiis ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis iudicauerint eſſe æquum. Et quia valdè difficilè eſt, ratione circunſtantiarum dare vnicuique ex damnificatis, quòd ei ex iuſtitia debetur, ſanum eſt conſilium vti compoſitione cum iis, quibus reſtitutio facienda eſt, qui mutuo debent ſibi remittere, ſi quid minùs, pluſve debeatur. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 20. & Rebel. p. 2. de oblig. lib. 2. qu. 13.

Lex autem quàm citat Nau. non agit de reſtitutione dâni, & lucri probabilis (hæc enim omnia debentur antè omnem Iudicis ſententiam) ſed de pœna, ſeu mulcta, quæ per ſententiam debetur, vt rectè annotauit Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 20.

QVÆST. V.

An ſi Titius iniuſtè præueniendo occideret Caium, qui naturali vel aliàs iuſta morte erat moriturus, teneretur reſtituere lucrum, quòd alioqui lucraturus fuiſſet, ſi aliàs non periret?

1 RESP. non teneri. Et ratio eſt, quia in hoc caſu Titius nullum damnum infert Caio, quod iuſtè non erat paſſurus.

Dixi notanter (iuſtè) quia ſi per iniuriam erat occidendus, & Titius iniuſtè illum præueniret, non excuſaretur à reſtitutione. Ratio eſt, quia alter qui Caium occiſurus erat, à reſtitutione non fuiſſet excuſatus, ergò ſi Titius præueniat ſimiliter non erit à vinculo reſtitutionis immunis: non enim Caius aliquid iuris ideò amittit viuendi, vel lucrandi in vita, quia alius eum iniuſtè ſtatuerat interficere; ſicut amittit quando iuſtè perire debet. Ita Leſſ. lib. 2. cap, 9. dub. 20. & alij communiter.

QVÆSTIO VI.

An homicida teneatur ſoluere expenſas moderatas, factas iuxta perſonæ qualitatem in ſepultura occiſi?

1 NAuar. cap. 15. num. 22. putat ad id teneri.

Alij verò rectius docent doceant nihil pro his expenſis debere reſtituere. Ratio huius eſt, quia occiſus eas expenſas aliquando erat facturus, cum neceſſum ſit, omnibus ſemel mori, ergò non eſt in hoc damnificatus.

2 Et confirmatur, homicida ſolùm fuit cauſa, vt citius fierent, non verò vt fierent; quandoquidem ille aliquando erat moriturus, vel per cauſas naturales, vel aliqua alia ratione, atque tunc erant faciendæ. Quod eſt verùm, niſi fortè ex acceleratione, eo quod occiſus, illi ſumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuiſſet; vel niſi extra patriam, aut tali modo occiſus ſit, vbi amplius ſolito aliquid expenſum eſt, quàm ſi à ſuis, & in ſuorum ſepulchro ſepeliretur, tunc enim teneretur occiſor reſtituere exceſſum cum talis damni cauſa fuerit. Sic enim tenent P. Nau. lib. 4. de reſt. c. 1. nu. 73. Roder. p. 1. ſum. cap. 139. num. 8. Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 14. & Rebel. parte 2. de obligat lib. 3. quæſt. 13.

QVÆSTIO VII.

An ex modo occidendi iniurioſo, quia per inſidias, fraudem, aut atrocius, ſit plus reſtitutionis iniungendum?

1 SOtus lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 3. aſſerit aliquid amplius eſſe reſtituendum.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò affirmandum cum Molina tom. 3. de iuſt. diſp. 84. Et ratio eſt, quia quantitas reſtitutionis non ex modo occidendi alium naſcitur, ſed ex quantitate damni per iniuriam illati: quare licèt necis modus varietur, non variatur tamen reſtitutionis obligatio, niſi ex modo homicidij, damnum etiam temporale augeatur.

QVÆSTIO VIII.

An prouocans alium ad pugnam, & deſcendens ad certamen teneatur reſtituere aliquid, ſi prouocatum occidit?

1 AD hoc dico primo, quòd qui aliquè ad duellum procauit, & ipſe prouocatus deſcendit ad certamen, vt ſuum mundanum tueatur honorem, tunc prouocatus ab obligatione reſtituendi non excuſatur, ſi prouocatum occidit, Et ratio eſt, quia inuoluntarius in certamen deſcendiſſe cenſetur, ne apud mundanos vilis haberetur. Ita Molina diſp. 82. Ban. 2. 2. qu. 62. art. 2. & Rebel. p. 2. de oblig. lib. 3. qu. 11.

Secun

Secundò dico, quòd si prouocatus ad pugnam, prouocátem occidit, vel percussit, quamuis lethaliter peccauerit, ad restitutionem tamen non tenetur. Ratio est, quia prouocando alterum, inuitauit ad sui occisionem.

Tum quia eo ipso, quòd occisus prouocauit ad duellum homicidam, tacitè videtur remisisse obligationem restituendi, si in duello interficeretur.

2 Tum demum, quia prouocans voluntariè vult se exponere tali periculo, ergò si occidatur, non videtur esse iniusta occisio respectu illius sed solùm respectu Reipublicæ, vel Dei, qui est dominus specialis vitæ, ergo nulla est illi facienda restitutio. Ita Less.lib.de iust.c.9.dub.21.Ban.2.2.q.62. ar.2.& alij, est tamen hoc contra Mol.d.82.

3 Tertiò dico, quòd si duo prouocant se viciſſim, & pari consensu certamen aggrediuntur, tacitè sibi inuicem remittunt obligationem restituendi, si vnus ab altero in duello occidatur. Ratio est, quia scienti, & volenti non fit iniuria. Quod est verum etiamsi id in damnum filiorum cedat, quia ius quod habent filij, vt alantur à parentibus, pendet ex eorundem pietate, quàm ipsi tenentur exercere erga filios; & ideò quando pater cedit suo iuri, & sponte se exponit periculo mortis, perit quoque ius filiorum contra homicidam, quoniam homicida tenebatur filiis, quatenus tenebatur ipsi patri eo quòd erant aliquid patris, qui licet peccauerit contra pietatem, exponendo se periculo mortis imprudenter, potuit tamen de facto renuntiare iuri filiorum, quatenus erant aliquid sui. Ita Ban. 2.2.q. 62.art.2. Less.lib.2. cap.9.dub.21. & Rebel. lib. 3.quæst.12.

QVÆSTIO IX.

An qui ob defensionem sui, vel suarum rerum aggressorem occidit, ad restitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quod qui inuasorem occidit, suæ salutis, siue corporalis, siue spiritualis, libertatis, honoris, aut aliarum rerum, aut alterius causa, cum moderamine inculpatæ tutelæ, esto ex odio ex appetituque vindictæ id efficiat, ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est, quia restitutionis obligatio in hoc loco nascitur ratione delicti contra iustitiam commutatiuam: sed in casu nostro non est delictum contra iustitiam, sed solùm contra charitatem ergò nec obligatio restituendi. Ita Nau.cap.15.nu.27.Rebel.lib. 3.quæst.12.& communis.

2 Hinc non tenetur fugere inuasus, quando fugiendo maioris percussionis, aut alterius mali discrimini probabiliter se exponit, vt si fuga est ei ignominiosa, sicut profecto est, si miles, vel laicus nobilis sit; ac proinde, si tunc aggressorem occidat, nec peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur, quia ad necessariam sui honoris defensionem occidit. Si tamen inuasus est Clericus in sacris, vel Religiosus, tenetur fugere, quia his laudi, non ignominiæ fuga tribuitur. Idemque dicendum est de laico infimæ classis, cuius fuga in eius ignominiam non cedit. Ita Sot.lib.5. q.1.art.8.Less. lib.2.cap.9.dub.21. & Rebel.lib.3. quæst.12.

QVÆST. X.

Sed quid? si nollet fugere, sed debita moderatione se, vel res suas defendens inuasorem occideret. An in tali casu ad restitutionem teneretur?

1 REbel.p.2.de obligat. lib.3. quæst.12. putat teneri.

2 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum cum Molina tom.3.de Iust.disp. 8.& Less. lib.2.cap.9. dub. 21. Et ratio est, quia licèt peccaret contra charitatem non fugiendo, non tamen contra iustitiam, cum nullo iure iustitiæ commutatiuæ fugere ad declinandam aggressoris occisionem, quæ alioquin assumenda est, vt medium ad propriam euadendam, sed ex sola charitate teneatur, si sine honoris dispendio possit, ac proinde ad nullam restitutionem tenetur. Et Ecclesiasticus tenetur etiã lege Religionis ne videlicet non fugiendo aliquid cõmittat, quod sanctitatem status ipsius dedeceat; lege tamen iustitiæ, non magis tenetur, quàm secularis.

3 Hoc idem dicendum est de eo, qui contumelia, vel alia iniuria aggressori præbuit vehemẽtẽ occasionẽ aggressionis, si ab illo inuasus cum iusto moderamine se tueatur & illum occidat, non tenetur ad homicidij compensationem. Ratio est, quia licet inuasor habuerit occasionem aggrediendi, iniustitiam tamen, & peccatum commu-

tat

tit in aggressore & licèt inuasus peccauerit in occidendo, quam dedit inuasori, nihilominus potest iuste defendit se ab eo, ergo si eum occidat, non facit ei iniuriam, ac proinde non peccat contrà iustitiam, nec ad aliquam restitutionem tenetur, sed se habet illud homicidium tanquam per accidens, & mediante alterius malitia proueniens, occasione iniuriæ illatæ. Vnde si Titius septimo occideret præ impatientia, quia Caius bona eius surripuit, non diceretur Caius idcircò reus homicidij: quia hoc homicidium non ex illo furto directè, sed ex inordinato animi affectu secutum est; poterat enim Titius, & tenebatur dolorem mitigare; si non fecit, sibi mortem suam imputet. Ita Less. lib. 2. cap. 9. dub. 21. & Petr. Tolet. lib. 2. de rest. ca. 3. nu. 362. qui pro hac sententia citat Syluest. & Mercat. Est tamen hoc contra Nau. c. 15. nu. 7. & Rebell. lib. 3. qu. 12.

4 Hinc, qui facilè res suas posteà recuperare valens, occidit inuasorem in defensionem earum, non peccat contra iustitiam, nec ad restitutionem tenetur, si aliter eas defendere non poterat, siue sit laicus, siue ecclesiasticus. Ratio est, quia inuasor nullum ius iustitiæ habet, vt me inuito res meas accipiat, ergò iustè eas defendere possum, cum quanto opus fuerit detrimento vitæ inuasoris: peccaret tamen contra charitatem, si cum facilè res suas aliter recuperare posset, inuasorem occidit, & esset irregularis, vt contra Petr. Nauar. & Couar. cum communi resoluit Rebell. lib. 3. qu. 12.

Secundò dico, quòd qui absque modo iustæ defensionis inuasorem occidit, tenetur integrè damna recompensare. Ratio est, quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est causa totius damni. Ita Nau. c. 15. nu. 27. Less. lib. 2. ca. 9. dub. 21. & Rebell. lib. 3. qu. 12.

QVÆSTIO XI.

Ex qua culpa occidens aggressorem teneatur?

1 REspondeo ex dolo, & lata culpa, quia est Regula generalis, quòd quando quis tenetur restituere ex delicto, obligatur solùm ex dolo, & lata culpa, non autem leui, vel leuissima. Ita Less. lib. 2. de iust. ca. 9. dub. 21.

Spec. Conf.

QVÆSTIO XII.

An qui modum iustæ defensionis excessit, tantum restituere teneatur, quantum qui ex industria, vel ex insidijs occidit?

1 SOtus lib. 4. qu. 6. art. 3. Sylu. verb. rest. 3. qu. 2. Rebell. lib. 3. q. 12. & plerique alij affirmant restitutionem non in integrum, sed pro ratione excessus arbitrio boni viri esse faciendam.

2 At verò Nau. ca. 15. nu. 27. Roder. p. p. sum. ca. 139. Lop. p. p. inst. conf. c. 72. Less. lib. 2. c. 9. dub. 21. & multi alij rectiùs docent restitutionem esse faciendam in integrum. Et ratio est, quia vt diximus quantitas restitutionis non est æstimanda ex magnitudine iniuriæ, sed ex quantitate damni.

Tum quia, qui modum iustæ defensionis excedit, quamuis minùs peccet, & subinde minorem pœnitentiam in foro interiori, & leuiorem pœnam in foro exteriori mereatur, quam ille qui ex industria alterum occidit, nihilominùs tamen tantæ restitutioni, ac alter tenetur obnoxius, siquidem in vtroque casu, mors peccatum mortale est contra iustitiam commutatiuam.

QVÆSTIO XIII.

An ex homicidio casuali sit restitutio necessariò facienda?

1 REsp. per distinctionem hoc modo, aut enim qui casu occidit, sufficientem cautionem adhibuit, ne inde aliquid damni sequeretur, aut non. Si primum, ad nullam restitutionem tenetur, quia talis occisio nec in se, nec in sua causa fuit volita. Si verò secundum, restituere tenetur, quia homicidium fuit volitum in sua causa nempè in omissione cautionis, & diligentiæ debitæ, sicut submersio nauis est voluntaria in negligentia gubernatoris.

QVÆSTIO XIV.

Ex qua culpa homicida casualis ad restitutionem teneatur?

1 REsp. solùm ex culpa, & negligentia lata, quæ ad culpam lethalem pertingit. Et in tali casu restitutio facienda est in integrum, vt paulò superiùs diximus.

Digitized by Google

2 Hinc, peccat mortaliter,& ad restitutionem tenetur,qui ebrius,vel dormiens alterum occidit,vel mutilat,non solùm quando seriò,& ex industria se inebriat,vel dormit, vt occidere possit,verum etiam quando expertus est,quòd bibens multùm inebriatur, & amittit iudicium, & facit similes amentias,aut si anteà dum compos erat rationis, præcogitauit, vel præcogitare debuit probabile talis occisionis,vel percussionis periculum, nec cauit, siquidem à peccato contra iustitiam non excusatur,quia in hoc casu tale homicidium, & mutiliatio fuerunt voluntaria in sua causa. Si verò non habet experientiam sui,nec peccat, nec tenetur ad restitutionem, quia hoc homicidium est inuoluntarium, & merè casuale, in quo casu, non incurret irregularitatem, quia licèt peccauerit bibens nimis, non peccauit occidens,cum non præuiderit,nec debuit præuidere homicidium, cum numquàm quid simile ei accidisset.Ita Pet.Nau. lib.2.de rest.ca.1.num.71. Rebell.lib.3.qu.11. & Castro lib. 2. de leg. pœnal. cap. 14.

QVÆSTIO XV.

An si quis putans se occidere Paulum, occidit Ioannem quem inuincibiliter putabat esse Paulum, ad aliquam restitutionem tenetur Ioanni?

1 REspondeo teneri. Et ratio est, quia reuerà voluit occidere hunc hominem in indiuiduo,qui ex parte rei Ioannes est, licèt putaretur Paulus: & ideò si dum putat iniicere manus in Paulum clericum, iniiceret in Ioannem clericum inuincibiliter ignoratum, esset talis irregularis, & excommunicatus,quia intentio Ecclesiæ est, huiusmodi pœnis prohibere, nę homo, vel clericus quicunque ille sit, percutiatur, siue sit Paulus,siue Ioannes.At non esset excommunicatus, si dum intendit percutere clericum,percuteret laicum, vt docet Sylu. verb. excommunicatio 9. casu. 41.dub.5.& Rebell. lib. 3. quæst. 11.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm homicida teneatur resarcire damna quæ passus est tertius, cui homicidium falsò fuit ei impositum, v.g.Titius occidit Meium occultè, Caius innocens in carcerem coniectus ob homicidij suspicionem, ad damna læso compensanda fuit compulsus, tenetur-ne Titius illa damna Caio restituere?

1 In quâ re,constans est omnium sententia, Titium teneri restituere Caio totam occisionis,vel percussionis iniuriam,& alia damna inde secuta in curatione, & lucra illi cessantia, quæ ipse in conscientia iure iustitiæ occiso, vel percusso exhibere debuerat. Et ratio est, quia Caius qui erat innocens, ea exhibuit, ergo in iure damnificati succesſit.

QVÆSTIO XVII.

Quæstio igitur est de aliis damnis Caio per iudiciale forum illatis. v.g. carceris exilij,vel perpessæ mortis, si forte ea pœna affectus sit?

1 REspondeo si Titius nec ea intentione occidit Meium, vt noceret Caio, nec probabiliter prouidit suum delictum ei fore imputandum, tunc nihil tenetur restituere Caio.Ratio est,quia cum Titius nihil præuiderit, nulla in eo culpa præcessit, vt Caius damna pateretur. Vnde quidquid damni Caius passus est, aliundè accidit, scilicet ex malitia accusatoris, vel testium, non autem ex culpa, & delicto Titij.

2 Et confirmatur, illud damnum nec in se, nec in sua causa est volitum, ergò non est restituendum. Consequentia patet.Antecedens verò probatur, nam non est in se volitum, quia ignoratur euenturum, nec de eo cogitatur.Nec in sua causa,quia effectus non censetur volitus in sua causa,nisi probabiliter ex ea sequatur: at damnum illatum Caio est de his quæ rarò eueniunt, ergò non est restituendum. Ita Mol.tom.3.de iust. d. 86. & Rebell. lib. 3. quæst. 11.

QVÆSTIO XVIII.

Sed quid? si Titius aduertat,Caium esse damnũ passurum ex suo homicidio, vt potè quia prænouerat inter Meium, & Caium esse inimicitias?

1 REbell. lib.3.quæst.11.affirmat Titium tunc peccare contra iustitiam respectu Caij, ac proinde teneri ea damna Caio restituere,cauere enim debuit,ne Caius ea damna pateretur.

2 Oppo-

Digitized by Google

2 Oppoſitum tamen videtur verius, nam quando ex aliquo actu externo ſequitur damnum, non ex natura actus, vel vt plurimùm, ſed ex malitia, vel ignorantia aliorum, non cenſetur ille actus iniurioſus tertio; Atqui homicidium Meij eſt huiuſmodi, quia non eſt directa via ad nocendum Caio, nec ex huiuſmodi crimine ſequitur damnum vt plurimùm, ſed raro, ergo non eſt iniurioſum Caio.

Tùm quia intentio diſtinguit opera, at eius intentio nò fuit damnum efficere Caio innocenti, ſed illi, quem occidit, ergo. Sic enim tenent Molina d. 86. Leſſ. lib. 2. ca. 13. 9. dub. 16. & Roder. parte prima ſum. cap. 9. dub. 16. qui etiam addunt Titium ſolùm peccare contra charitatem, & non contra iuſtitiam: ac proinde non eſſe cogendum reſtituere damna ſubſecuta, qui videns, ac ſperans ſuum homicidium Caio eſſe imputandum, facilìùs aggreſſus eſt id maleficium patrare.

3 Dices, qui præcogitat ex ſuo delicto tertium multa incommoda incurſurum, tenetur diligentiam adhibere, ne ea incommoda patiatur. Atqui Titius talem diligentiam non adhibuit, ergo fuit cauſa damni, ac proinde ad reſtitutionem tenetur.

Reſpondeo quando incommoda ſequuntur ex delicto, non vt cauſa, ſed vt occaſio, non tenetur iure iuſtitiæ debitam cautionem adhibere, ne ſequatur, ſed ſolùm lege charitatis, ac proinde Titius omittendo talem cautionem, non peccauit contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, cuius violatio vinculum reſtitutionis non inducit.

QVÆSTIO XIX.

Sed quid? ſi Titius occidat Meium, intendens vt delictum imputetur Caio?

1 SOt. lib. 4. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. Mol. d. 86. Cord. lib. 1. caſuum quæſt. 31. Roder. p. p. ſum. cap. 139. & Rebell. lib. 3. qu. 11. putant teneri.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò affirmandum nimirùm, etiamſi Titius intendat damnum Caij. ſi tamen delictum cum circunſtantiis tale ſit, vt ex eo non ſequatur damnum vt plurimùm ſeu ex natura delicti, ſed aliunde, non eſt peccatum contra uſtitiam, ac proinde nulla eſt obligatio reſtitutionis ratio eſt, quia ſecundùm omnes, intentio non facit vt opus ſit iniuſtum, niſi alias ex conditione ſua, & circunſtantiis tale ſit; ergò cum tale homicidium non ſit iniuſtum ex natura, & circunſtantiis in ordine ad Caium, non fiet iniuſtum ex animi affectu. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 9. dub. 16.

Obiicies, intentio ſpecificatur ex obiecto, ſed obiectum actionis de quo agimus eſt iniuſtum, ergò & intentio erit iniuſta.

3 Reſpondeo damnum Caij non eſſe iniuſtum reſpectu Titij, quia Titius non intendit vt damnum illi ſequatur ex natura ſui delicti, ſed ex aliorum malitia, vel ignorantia.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm homicida propter homicidium extremo ſupplicio affectus, adhuc aliquid teneatur reſtituere occiſo pro damnis inde ſubſecutis? verbi gratia, Titius occidit Caium ſua arte, & induſtria alentem familiam, & poſtea Titiùs capite damnatur, dubium eſt. An etiam teneatur hæredibus compenſare damnum temporale, quod ex tali homicidio fuit ſubſecutum?

1 IN hac quæſtione Scot. in 4. d. 15. qu. 3. art. 2. Gabr. ibidem qu. 15. art. 2. Adr. in 4. in materia de reſt. Angel. verb. reſtitutio 1. §. homicida Roſell. eo verbo 3. Ban. 2. 2. qu. 62. art. 2. & quidam alij recentiores aiunt homicidam capite damnatũ ad nihil aliud obligari, quia capitis ſententia compenſat omnem iniuriam, & damnum homicidij. Et probant, quia tunc reddit æquiualens, id eſt vitam pro vita in eodem genere bonorum, ergo ad vlteriorem ſatisfactionem non tenetur, cum pro eodem delicto duplicem pœnam pati non debeat.

2 Michael Salon. 2. 2. qu. 62. art. 2. diſtinguit, ſi homicida punitur à Iudice pœna talionis ad inſtantiam partis læſæ, tunc nihil vlterius tenetur reſtituere, ſi tamen morte punitur à Iudice ſuo officio fungente, nihil parte læſa petente, tunc tenetur reſtituere parti læſæ damnum ſecutum.

3 Alij verò generaliter aiunt homicidam vltra pœnam mortis, quam iuſtè patitur, teneri ad reſtituendum omnia damna temporalia ex homicidio hæredibus ſecuta.

Digitized by Google

Ratio eſt, quia pœna talionis infligitur à Iudice, non vt damnum parti læſæ compenſetur, ſed vt iniuria Reipublicæ, & legibus illata vindicetur aliiſque terror incutiatur, ergo ea non obſtante, tenebitur homicida parti ſatisfacere damnum illatum. Vndè etiam ea crimina, quæ nullis ſunt illatiua mali, pœna capitis plectuntur, vt blaſphemia, hæreſis &c. Ita enim tenent Nau. cap. 15. nu. 25. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 2. Couar. lib. 2. var. ca. 10. nu. 7. Petr. Nau. lib. 4. de reſtit. ca. 1. nu. 91. Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 22. & communis.

Verum iſta compenſatio pro damno corporali, per pecuniam arbitrio prudentis facienda, habet tantùm locum inter perſonas communes, & vulgares. Nobiles enim facilè ſolent condonare huiuſmodi damna, dedignantur enim quicquam in eorum compenſationem accipere; quando ergo conſtaret hæredes occiſi nihil in illorum compenſationem velle, ceſſaret obligatio reſtituendi. Quando verò res eſſet dubia. obtinenda eſſet remiſſio, vel reſtitutio eſſet facienda. Secundum Molin. diſtinctio. 84.

4 Aduerte tamen quòd vt talis remiſſio facta ab occiſo, aut vulnerato ſuo læſori valeat, oportet, vt clarè, & diſtinctè exprimatur, nam ſi percuſſus tantùm diceret ex toto corde ſe remittere illi, talis modus remittendi ſicut fit à vulnerato ex charitate, ita quoque tantùm ſignificat illam remiſſionem, ad quam tenetur lege charitatis, nempè ſe remittere rancorem, & vindictam, quam petere in iudicio non poteſt, non autem ſignificat remiſſionem ſatisfactionis pro damnis illatis in bonis fortunæ, cum ad talem remiſſionem non teneatur ex charitate, imò eſſet contra charitatem, nempè ſi filij indigeant: in quo caſu, ſi occiſus liberè, & clarè remittat omnia damna pecuniaria, quamuis peccet mortaliter contra charitatem filius debitam, tenet tamè remiſſio, vt ait Salon. 2. 2. q. 62. a. 2.

5 Profectò quamuis hæc ſententia communis ſit vera de rigore iuris, tamen contraria Scoti eſt probabilis, præſertim cum hac limitatione, vt hæredes occiſoris qui in corpore luit pœnam talionis, in conſcientia non teneantur damna recompenſare, niſi hæredes occiſi, vel vulnerati id exigant, vt praxis omnium hominum habet. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 9. dub. 22. & Salon. 2. 2. quæſt. 62. artic. 2.

Hinc patet reſponſio ad argumentum Scoti, nempè homicidam non bis puniri pro vno delicto, ſiquidem luit in corpore propter iniuriam factam Reipublicæ contra iuſtitiam legalem, cui intereſt punire delicta; in bonis verò propter damna illata occiſo contra iuſtitiam commutatiuam. Ratio huius eſt, quia ſi ex homicidio nullũ detrimentum ſequeretur in bonis externis, iuſtè eodem prorſus modo puniretur homicida morte corporali in compenſationem mortis, quam ipſe iniuſtè intulit: ergò quando ſimul dedit damnum iniuſtè in rebus externis adhuc illi reſtat in conſcientiæ foro reſtituendum damnum in rebus externis, quod morte ipſius non compenſaretur.

QVÆSTIO XXI.

An vltra reſtitutionem impenſarum, & lucri ceſſantis, & damnorum ex læſione contingentium, ſit aliquid reſtituendum pro vita vel membri iniuſta ablatione?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione, duo ſunt certa, vnum vero controuerſum.

Primò certum eſt, hæredes homicidæ non teneri aliquid reſtituere pro vita defuncti, vel cicatrice. Ratio eſt, quia huius damni compenſatio debetur ratione criminis perſonalis; at culpa teſtatoris non tranſit ad hæredes vt conſtat, ergo.

Et idem eſt dicendum de infamia, cuius cauſa fuit pater, quòd non tenebitur filius illam reſtituere. Ita Molin. d. 84. Bann. 2. 2. quæſt. 62. art. 2. & Sotus lib. 4. quæſt. 6. art 3.

2 Secundò etiam eſt certum, huiuſmodi damni reſtitutionem non eſſe faciendam hæredibus defuncti. Ratio eſt, quia bonum vitæ, & membrorum cum ſit bonum perſonale ad hæredes non eſt tranſmiſſibile. Ita Ban. 2. 2. quæ. 62. art. 2. & Molina diſtinct. 83. Hæc itaque certa ſunt. Sed quod controuertitur eſt.

QVÆSTIO XXII.

An pro vita, membro, vel cicatrice ex vulnere relicta ſit aliquid reſtituendum occiſo, vel mutilato?

1 IN qua re etiam eſt certum, cum qui in pœnam iniuſtæ læſionis, pœna talionis punitur, non teneri in foro conſcien-

tiæ

tiæ aliquid reſtituere pro vitæ vel membri iniuſta oblatione. Et ratio eſt, quia reipſa in compenſationem damni vitæ, vel membri, quod intulit, aufertur ab eo æquiualens in eodem genere bonorum, ergo ad nullam aliam reſtitutionem tenetur. Ita Molin. diſputatio. 84.

QVÆSTIO XXIII.

Tota igitur difficultas verſatur de eo, qui non eſt damnatus pœna talionis.

1 IN hac quæſtione duæ extant Doctorum opiniones. Prima eſt aſſerentium aliquid eſſe pro vita reſtituendum. Ita Scot. in 4 d.15.qu.2. Rich. ibidem qu.2.art.5. Andr. in 4.qu. vltima de reſt. Caiet. verb. reſtitutio cap. 2. Arag. 2. 2.qu.62.p.5. Sot. lib.4.qu. 6. art. 3. Cordub. lib.1.quæſt.21. & alij, quorum rationes potiſſimæ hæ eſſe videntur, quia vita eſt per homicidium contra iuſtitiam ablata, ergo aliquid eſt pro ipſa reſtituendum.

Tum quia, quia non poteſt damnum integrè reparare, tenetur eo modo quo poteſt arbitrio boni viri.

2 Tum quia, aliàs ſequeretur eſſe melioris conditionis illum, qui hominem occidit, quàm qui occidit canem alterius, quia iſte eſt natura rei teneretur reſtituere, alter verò non, quod per ſeipſum abſurdum appareret, nam vita hominis multò pretioſior eſt vita canis. Vnde Scot. loco cit. acriter reprehendit confeſſarios faciliores ad abſoluendum homines homicidas, quàm canicidas; & hoc non animaduertere dicit Adrianus eſſe fatuum.

Huius opinionis videtur eſſe D. Thom. 2. 2.qu.62.art.2.ad primum, vbi ait, quando id, quod ablatum eſt, non eſt reſtituibile, debet fieri compenſatio quatenùs poſſibilis, puta cum aliquis alicui abſtulit membrum aliquod, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſiderata conditione vtriuſque perſonæ ad arbitrium boni viri. Et Adrian. vbi ſupra addit quod tantum pretij reddendum eſt pro brachio abſciſſo, quantum mutilatus ipſe poſtulauerit.

3 Secunda verò opinio eſt dicentium nihil eſſe pro vita hominis reſtituendum. Ita Nauar. cap.15. num.22. Bann. 2.2.qu.62.art.2. Leſſ. lib.2. de iuſt. cap.9.dub.23. Petr. Nauar. lib.4.de reſt.cap.1.num. 80. Ledeſm. in 4.d. 24.quæſt.25.art.2.dub.7. Gomes, tom.3.cap. 6. num. 12. Angl. in Flor.4.ſentent.tract.de reſt. & alij. Quorum ſententia videtur poſſe probari primò ex l.1. §. ſed cum liber ff.de his, qui deiece. vel effund. vbi habetur, quando liber homo eſt interfectus ex re aliqua è domo aliqua eiecta, patremfamilias non puniri pœna dupli, perinde atque punitur, quando aliquod aliud damnum eo modo eſt datum: reddit verò rationem textus, quia in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.

Et in l. vlt. eod. tit. habetur, ſi aliquis re eiecta eſt læſus, Iudicem præcipere, vt ſoluantur læſo expenſæ factæ in curatione, & operæ, ſi quibus ea de cauſa caruit, aut in futurum eſt carituras: cicatricum verò, aut deformitatum remanentium nullam fieri æſtimationem; quoniam liberum corpus (vt ſubiungit textus) nullam recipit æſtimationem.

Et in l. ex hac ff. quadrupl. pauperiem feciſſe dicitur, aſſeritur expreſsè nihil poſſe peti pro homine libero, etiamſi occidatur.

4 Et in l. liber homo ff. ad legem Aquil. habetur, quando liber homo in membro aliquo eſt læſus, dari quidem ei actionem vtilem ad intereſſe pro expenſis, & operis, non tamen directam pro damno corporali, redditque rationem textus, quia homo non videtur dominus membrorum ſuorum.

Dices, his iuribus ſolùm negari actionem in iudicio petendi aliquid pro vita, non autem pro impenſis, ſtipendiis, & lucris quæ ceſſant.

Reſpondeo in his iuribus apertè demonſtratur pro læſione corporali nihil deberi, ex eo quod bonum corporale eſt ſupra omne pretium.

Tum quia, ſi pro damno vitæ aliquid in conſcientia debetur, quare negatur actio in iudicio, & ſi reliquorum damnorum fit taxatio per Iudicem, cur non fit etiam pro vita, membro, vel cicatrice, præſertim quia ipſe melius, quàm alius quiuis eam facere poſſit?

Tum quia pecunia eſt inſtituta, vt ſit menſura, pretium, ac valor rerum externarum, non autem vitæ, membrorum, honoris, aut famæ, quæ ſunt res altioris ac ſuperioris ordinis, quàm pecunia, & cæteræ res externæ.

Tum quia damnum illud corporale restitui non potest ab homine,sed à solo Deo, & quia bona temporalia nunquam possunt condignam compensationem facere pro damno corporali.

5 Tum quia restitutio facienda est vero domino, vitæ autem & membrorum non est dominus occisus, sed solus Deus, ergo pro homicidio ipso, aut mutilatione tamquam damno naturali non est aliquid satisfaciendum occiso,vel mutilato,sed Deo: Deo autem satisfit per contritionem cordis, sicut qui à filiofamilias centum aureos furripuit, qui erant patris sui,abundè satisfeciſſe dicetur, si illos patri restituat.

Tum quia, qui debet alteri centum aureos, nec habet vnde restituat, iure naturæ liber est à restitutione, nec tenetur in aliis bonis,scilicet in honore,vel fama compensare;sed qui occidit,aut vulnerauit,non potest vitam, aut membrum abscissum restituere, ergo iure naturæ liber manet ab obligatione restituendi, atque ex consequenti non tenetur in aliis bonis diuersi ordinis damnum resarcire. Sic enim tenet Sylvest.verb.detractio quæst. 4. vbi ait,non debere restitui in alio genere, quod in suo proprio non potest restitui. Cum igitur vita, & membrum nequeant restitui in proprio genere,sequitur nullo modo ex mente Sylvestri debere restitui.

Tum quia restitutio quæ debetur ex iustitia commutatiua, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem: ergo vbi damnum est natura sua irreparabile, non debetur restitutio lege iustitiæ.

6 Ex quo colligitur sola damna pecuniaria ex læsione,vel homicidio secuta esse iustitiæ rigore compensanda: pro damno autem corporali, & pro iniuria solùm deberi satisfactionem quandam signis doloris, & petitione veniæ.

Hinc, qui fœminam nobilem cicatrice deformat, ratione cuius deformitatis ipsa non ita conueniens consequitur matrimonium, ac esset consequutura si cicatrice careret,talis deformans tenetur damnum compensare,dando pecuniam;aut augendo dotem,qua illatum damnum reparetur.

Et idem dicendum est de eo, qui iniustè virginem stuprauit, aut infamauit, ratione cuius infamiæ, ipsa maiori dote indiget, vt æquè benè nubat. Vt recte docet Couar.lib. 2. var. cap. 10. num. 5. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap. 1. num. 90. & Arag.2.2. qæ. 62. art. 2.

Hinc, si vir nobilis, aut alius occidatur, qui suis hæredibus nihil lucri faciebat, vel eius mors nihil intulit damni,tunc eius occisor hæredibus pro tali homicidio nihil tenetur restituere præter expensas in medicos, & medicinas factas in eius curatione.

Ex qua doctrina colligitur, quòd licèt plus peccet occisor nobilis, vel Illustris, quàm vilis mercenarij, tamen magis tenetur restituere occisor mercenarij quàm Illustris, quia sunt restituenda quæ alioqui mercenarius lucrifeciſſet, quod locum non habet in nobili,vel illustri vt post alios resoluit Valent.tom.3.d.5.qu.6.p.5.

8 Obiicies, qui occidit seruum alterius, vel amputat membrum illius, vel cicatrice deformat,restituere debet verum,ac legitimum valorem ipsius, vel tantum,quantum minoris valet, eo quod membro caret, vel cicatricem habet, ergò &c.

Respondeo,negando consequentiam. Ratio negotiationis est,quia vita serui cum sit bonum temporale domini pretio æstimatur:at verò vita hominis liberi est inappretiabilis.

9 Aduertat tamen hoc loco studiosus lector, quòd fieri potest, vt occisor ex charitate teneatur reparare damnũ corporale in pecunia,nimirum si hæredes occisi,vel mutilati sint pauperes,& non putentur mœrorem aliter deposituri, & ipse occisor sine suo notabili detrimento possit præstare, tunc enim videtur saltem ex charitate, & quadam æquitate naturali teneri.Vel si ante mortem occisi,vel mutilati, percussor sit condemnatus ad soluendam aliquam summam pecuniæ pro corporali iniuria,siue vitæ, siue membri, vulneris, alapæ, & huiusmodi quam intulit, tunc enim ex iustitia restitui debet eius hæredibus, pro quanto ob hanc sententiam iam occisus, aut mutilatus acquisierat ius, in quod succedunt eius hæredes. Vt Roder. p. p. sum. capit. 139. & multi alij supra citati annotarunt.

10 Et ad argumenta in contrarium adducta respondeo,quòd non omne damnum,ex iustitia est reparandum,vt patet de damno spirituali, quod tamen maximum est.

Nec est mirum si pro vita carnis fiat restitutio, non autem pro vita hominis,quia vita hominis est supra omne pretium pecu-

niarium

niarium, sicut bona spiritualia, non tamen vita eius.

Et certè cum vtraque opinio mihi satis probabilis esse videatur, & posterior sit mitior, & multorum Doctorum consensu, & testimonio cõprobata & satis firma ratione fulta, videtur in praxi teneri posse. Vndè prudens confessarius cognoscens homicidam, vel percussorem commodè posse huiusmodi damnum corporale pecuniis resarcire, potest prudenter iniungere talem satisfactionẽ: quòd si ipse homicida, vel percussor non potuerit, vel noluerit talem satisfactionem facere, non debet illam præcipere confessarius. Ita Ban. 2.2. qu. 62. art. 2.

QVÆSTIO XXIV.

Quibus hæredibus fieri debeat restitutio, quando ex homicidio vel mutilatione aliquod sequitur detrimentum in bonis temporalibus? v. g. Titius occidit Caium, Caius vero sua industria, arte, vel labore alebat vxorem, filios, parentes, fratres, cognatos, famulos, & amicos, quinetiam, & in pauperes liberalis erat, quorum omnium alimenta, Caij nece cessarunt. Quæritur nunc. An Titius teneatur his omnibus per homicidium læsis restituere?

1 IN hac graui, difficili, quotidiana; & perutili quæstione Scotus in 4. dist. 15. qu. 3. Gab. ibidem quæst. 15. art. 2. Adi. in 4. qu. vlt. de restit. Ang. verb. restitutio 1. §. homicida, & plerique alij docent his omnibus faciendam esse restitutionem, quia per iniuriam fuerunt alimentis impediti. Et vt notat Gabr. vbi supra huiusmodi damnum æstimandum esse secundùm tempus quo Caius verisimiliter victurus fuisset, & operaturus, aut tales sustentaturus.

Petr. Nauar. lib. 3. de rest. cap. 1. num. 76. & Rebell. p. 2. de oblig. lib. 3. quæstio. 14. putant restitutionem esse faciendam hæredibus tum necessariis, tum voluntariè institutis, siue per testamentum, siue ab intestato succedentibus. Et ita videtur sentire Mart. Nauar. in Man. c. 15. num. 24. dum vltra filios, & parentes, qui necessarij sunt, connumerat cognatos occisi.

2 Alij verò docent hæredibus tantùm necessarius, & legitimis faciendam esse restitutionem prædictorum incommodorum. Ita Sot. lib. 4 quæst. 6. art. 3. Ban. 2.2. quæst. 62. art. 2. Lop. p. p inst. confess. cap. 72 Arag. 2.2. quæ. 62. art. 2. Ledesm. 2. 4. quæst. 18. art. 2. dub. 2. Salon. 2.2. quæst. 92. art. 2. Valent. tom. 3. d. 5. quæst. 6. p. 5. Less. lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 26. & alij.

Pro huius tamen quæstionis decisione obseruandum est primò, quòd hæredes sunt in duplici differentia. Quidam sunt necessarij, & legitimi, qui iure naturæ non possunt à testamento repelli, quales sunt parentes, filij, & nepotes ex filio, aut ex filia prædefunctis, & inter hos computatur vxor, quæ per contractum matrimonij habet ius participandi in bonis mariti, cuique maritus sustentationem debebat. Alij verò dicuntur hæredes voluntarij, qui liberè instituuntur hæredes in testamento, vt sunt consanguinei fratres, amici, & extranei: nam licèt fratres, & consanguinei succedant ab intestato, non tamen sunt necessarij hæredes, quia possunt etiam sine iusta causa repelli a testamento.

3 Quo iacto fundamento dico primò, quòd Titius tenetur alere omnes hæredes, quos Caius occisus iure naturæ alere tenebatur, illos, scilicet qui tale ius habent, vt nequeãt in totũ ab hæreditate excludi, quales sunt parẽtes, filij, & vxor: hos enim sicut Caius sustentare tenebatur, si egerent, ita etiam Titius, cum hi hæredes necessariò succedant in ius defuncti. Ratio est quia hæredes necessarij læduntur in bonis propriis, quando læditur is, cuius sunt hæredes necessarij: sed ad restitutionem pertinet resarcire damna accepta in bonis propriis ipsius proximi, ergò talibus hæredibus facienda est restitutio. Antecedens probatur, quia homo est bonum vxoris, prolis, & parentum ergo qui occidit Caium, vxori, liberis, & parentibus eius damnum infert, eosque in rebus suis læsit, nam veluti partem quandam abscindit, à qua illis strictissimo nexu proueniebat vtilitas. Ita Ban. 2.2. quæ. 62. art. 2. & Less. lib. 2. cap. 9. dub. 26.

4 Secundò dico, quòd Titius non tenetur in conscientia alere hæredes non necessarios Caij, vt fratres, sorores, & inferiores cognatos, vel amicos, quos Caius ex sola sua liberalitate alere solebat. Ratio est, quia tales hæredes non læduntur in bonis propriis, eo quòd læsus est Caius, ergo non est illis facienda restitutio. Antecedens probatur, quia tales hæredes neque sunt partes Caij, neque ipse Caius tenebatur

iure naturæ illos sustentare.

Tum quia, aliàs teneretur alere omnes famulos eius,& pauperes,& amicos,& infidelis, quos Caius ex eleemosyna, & liberaliter sustentabat, quod tamen non est vsquam receptum.Ita Mol.d.83.Less.lib.2.cap. 9.dub.26.& Ban.2 2. qu.62.art.2.

5 Tertiò dico, quòd fieri potest,vt non titulo alimentorum,sed aliis titulis teneatur Titius restitutionem facere huiusmodi hæredibus etiam non necessariis.

Primò si expensæ factæ à Caio in curando vulnere,vel damna illi emergentia non sint illi viuenti restituta à Titio.

Secundò si Caius ipse erat artifex, & accepto vulnere vixit per spatium vnius anni, nec potuit exercere artem suam, tenebitur tunc Titius tale lucrum hæredibus etiam non necessariis restituere.

Tertiò si facta fuerit conuentio inter Titium, & Caium pro condonanda iniuria certo pretio pecuniarum, tunc talis pecunia restituenda erit hæredibus etiam voluntariis. Quorum omnium ea est ratio, quia Caius in hoc habebat iam ius acquisitum: sed hæredes quicunque sint illi, siue necessarij, siue voluntarij succedunt testatori in omnibus bonis, ad quæ habet ius acquisitum, ergo. Ita Salon.2.2.qu.62.art.2. Less.lib.2.ca.9.dub.26.Ban.2.2.qu.62. & alij.

6 Quartò, & vltimò dico, quòd si Caius Titio omnia damna temporalia remisit ad nihil tenebitur,sicut qui violentem occidit. Ratio est, quia hæredes Caij non censentur læsi à Titio in bonis externis, nisi quatenùs læduntur in Caio contra eius voluntatem, ergo quando Caius condonat rem debitam, nullum ius eis remanet, sicut enim per Caium ius acquirunt, ita etiam amittunt. Peccabit tamen Caius mortaliter, si filiis existentibus in magna necessitate, remittat Titio omne damnum; valida tamen erit remissio in conscientia. Ita Less. lib. 2. cap. 9. dub. 26.

7 Dices, qui vi, metu, fraude, vel mendacio impedit, ne quis alteri eleemosynam det, vel legatum in testamento relinquat, vel beneficium ecclesiasticum, vel aliquod officium conferat, tenetur ei tantum restituere,quanta est probabilis spes, quòd ipse esset alioqui illa bona consecuturus.At Titius occidendo, per vim impedit, quominùs hæredes,amici,pauperes &c. quos Caius ex sola liberalitate sustentabat, alatur, ergo.

Propter hoc argumentum,quod magnam vim habet,arbitror opinionem Scoti, quam sequutus est Azor.p.3.inst.mor.lib.5.ca.3.esse valdè probabilem.

Sed nihilominùs respondeo, concedendo maiorem,si eo modo is,qui vi,metu.impedit aliquem à consecutione alicuius boni,vt censeatur huic velle nocere. At Titius non eo modo, nec ea intentione occidit Caium,sed quia odio eum habebat cui per accidens coniunctum est damnum aliorum.

Cæterùm Titius non tenetur restituere alimenta omninò in integrum, sed in ea quantitate, quanta probabilis est, quòd essent futura, si Caium non occidisset: & deductis etiam periculis, quibus alimenta essent exposita.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm occidens,aut irremediabiliter vulnerans hominem debitis implicatum,teneatur resarcire damnum creditoribus,si propter mortem, vel vulnus nõ possint sua debita recuperare?

1 PRo decisione huius quæstionis dico primò, quòd qui hac malitia, & intentione occidit, vel mutilat debitorem,ne creditores sua debita recuperent tunc ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia qui vi, metu, fraude,vel mendacio impedit aliquem à consecutione alicuius boni ad restitutionem tenetur,vt diximus; & qui vi aut fraude impedit creditorem quominùs sua debita recipiat, ad restitutionem obligatur, quia nocet ei cum iniuria, ergo qui in fraudem creditorum occidit debitorem, non solùm vtitur maxima vi, & dolo, sed etiam eis maximam iniuriam irrogat, ac proinde ad restitutionem tenetur. Ita Mol. d.83.& Ban.2.2.qu.62.art.2.

2 Secundò dico, quòd qui ex odio,vel ira aut vindicta occidit,vel mutilat debitorem, nihil cogitans de creditoribus vt frequenter fit, non tenetur in conscientia eis aliquid restituere. Ratio est, quia tunc creditoribus per accidens, sine aliqua iniuria nocet.

Tum quia nullo iure iustitiæ tenebatur occisor debita aliorum curare.

Tum quia creditores non habent ius debitorem, nisi in quantum se extendunt bona quæ actu habet, aut sperat se habiturũ, si ergo occisor restituit hæredibus(in quos

ius

ius defuncti transfertur) ea quæ ipse erat lucraturus, non facit iniuriam creditoribus possunt enim ab hæredibus occisi solutionem petere: Ita Ban. 2.2.q.62.a.2.

QVAESTIO XXVI.

Vtrùm pro animo occisi sit aliquid restituendum ex iustitia?

1 MOlina to.3.de iust. d. 48. affirmat, nisi constet iniustè interfectum decessisse ex hac vita in culpa lethali.

Scot. in 4.d.15.q.3.a.2. Gabr. ibidem, Adr. in 4. q. vlt. de rest. & plerique alij dicunt, quòd si occisor affectus est extremo supplicio, non tenetur ad amplius restituere pro vita occisi: si verò non est affectus pœna talionis, tenetur pro anima occisi preces fundere, & sacrificia offerre.

2 Sed his non obstantibus concors est Theologorum sententia, homicidam, non obligari ex iustitia ad huiusmodi compensationem spiritualem faciendam. Et ratio est, quia ratio iustitiæ solùm exigit, vt iniuria compensetur, damna resarciantur.

Tum quia bona spiritualia sunt altioris ordinis, quàm temporalia, ergo non possunt esse debita pro damno vitæ.

Tum quia per talem compensationem vita non restituitur, nec in se, nec in æquivalenti, quod apud homines habeat parem æstimationem: ergo ista compensatio per orationes sub iustitiæ obligatione non cadit, sed vt ait Sotus tantum sub saluberrimo consilio, quando interfectus indiget.

Tum quia sicut damnum in bonis fortunæ interfecti non sufficienter restituitur, ac compensatur bonis spiritualibus, ita neque damnum in bonis corporis.

Tandem, sicut qui restituere non potest bona fortunæ, ad quæ restituenda tenetur, restituere ea non tenetur compensando illa bonis spiritualibus, ita qui restituere aliter non potest damnum corporale, non tenetur restituere illud bonis spiritualibus. Ita Sot. l.4.q.6.a.3. Rode. p.p. sum. c.139. Less. l.2.c.9.dub.26. Sylvest. verb. restitutio 3.q.2. & alij.

3 Dices, debet fieri hæc compensatio non pro vita, sed pro priuatione facultatis merendi, & satisfaciendi.

Respondeo vbi damnum natura sua est irreparabile, non debetur restitutio lege iustitiæ, sed priuatio facultatis merendi est irreparabilis, ergo. Etquamuis opus satisfactorium vnius alteri prodesse possit, non tamen constat, an occisus aliqua satisfactione sit priuatus, vel ea indigeat: fieri enim potest, vt occisus sit in inferno, cui nihil prosunt bona spiritualia.

QVÆSTIO XXVII.

An quando ex percussione nullum sequitur detrimentum in corpore, nec in bonis fortunæ, sed tantùm in honore, sit de iustitia aliquid restituendum? Vt cùm quis alapa, vel baculo leuiter verberatus?

1 REspondeo in hoc casu teneri percussorem cum petitione veniæ ereptum honorem resarcire.

QVÆSTIO XXVIII.

An si occisor non restituit, vt debuit, teneantur eius hæredes occiso, eiusque successoribus aliquid restituere?

1 PRo decisione huius quæstionis dico primò, quòd hæredes homicidæ ad satisfactionem, quæ facienda est per petitionem veniæ, vel restitutionem famæ, non tenentur. Et ratio est, quia talis satisfactio est debitum personale, ad debita autem personalia defuncti, non tenentur hæredes iuxta illud Ezech.18. Filius non portabit iniquitatem patris, &c. Nisi occisor viuens fuisset condemnatus, & transisset in rem iudicatam, vt v.g. pro iniuria quinquaginta solueret: tunc enim tenerentur etiam hæredes illius occisoris, vel infamatoris pecuniam illam restituere, quia tunc pecunia ista iam non esset veluti debitum personale, sed reuera temporale, & pecuniarium. Ita Salon. 2.2.q.62.a.2.l.4.q.6.artic.3. & Arag. 2.2.q.62.a.2.

2 Secundò dico, quòd hæredes occisoris tenentur ad satisfactionem, quæ facienda est per pecuniam. Et ratio est, quia in bona, in quibas succedunt hæredes sunt obligata ex iustitia ad resarciendum damna, quæ testator fecerat ex iniusta sua actione. Imò ad hoc tenetur fiscus si bona occisoris fuerint confiscata. Ita Sot. l.4.q.6.a.3. Arag. 2.2. q.62.a.2. Nau. c.15.nu.25. & Ban. 2.2.quæst.62. artic.2.

3. Ex quo sequitur, patrem, & si sit necessarius hæres filij, non teneri vt plurimùm soluere debita filij, vel recompensare damna ab eo alteri illata. Ratio est, quia vt plurimùm filius non habet bona, quæ pater acquirat de nouo, & in quibus succedat post mortem filij, sed recuperat quæ sua erant, & ipse filio dederat ea lege, vt ipso manente, in dominium illius, qui dederat redirent. Si tamen habuerit bona castrensia, vel quasi castrensia, fueritque iam emancipatus, tenebitur pater restituere de illis bonis, sicut & alij hæredes. Ita Ban. & Salon. 2.2.q.62.a.2. Et hæc de homicidio dixisse sufficiant.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE BONORVM SPIRITVALIVM.

DISPVTATIO VIGESIMASEXTA.

DE hac materia disputant Theologi in 4.dist.15. Sotus l.4.de iust.q.6.a.3. Valentia to.3.d.5.q.6.p.5. Molina to.3.de iust.tract.4 disp.50. Ban.2.2.q.62.a.2. Less.l.2. de iust.c.8.dub.1. Cordub.in summa casuum q.172. Arag.2.2.q.62.a.2. Rebell.p.2. de obl.l. 4.q.14. Petr. Nau.l.2.de rest.c.2. Salon. 2.2.q. 62.a.2. Mercat.tract.vlt.de restitut.c.2. Mart. Nau.c.12.n.44.& 45.& c.14.nu.45. Azor.p.3. inst.mor.l.5 c.2. Mart. Ledes.2.4.q.18.& alij. Summistæ vero vt Angel. Sylu. Armil. Tab. & Pisanel. verb. rest. & verb. correctio fraterna. In cuius tamen gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

An qui ledit proximum in bonis animæ, puta gratiæ, inducendo illum ad peccatum, ad aliquam restitutionem teneatur?

1 HIc non quæritur, quando quis pretio, vel prece inducit alium ad peccatum contra iustitiam proximo debitam, quia in hoc casu conuenit inter omnes, hunc teneri ad restitutionem, vt si Titius det consilium Caio, vt occidat, vel spoliet inimicum.

1 IN qua re etiam est certum primò, cum qui per vim, fraudem, metum, aut minis, vel mendaciis aliquem in peccatum pertraxit, teneri ex iustitia ipsum suæ libertati restituere, & vim tollere, si quam intulit, metũ quem incussit, minas, si quas adhibuit, & omnem fraudem, & dolum dissoluere, si suo consilio dolore decepit: & denique adhortari teneri eum pro viribus suis, vt per pœnitentiam gratiam Dei deperditam, & virtutes recuperet, & preces ad Deum fundere, ac meliori via qua poterit, dare operam, & diligentiam omnem, vt læsus resipiscat. Et ratio est, quia qui ita pertrahit alium ad peccatum, pertrahit cum iniuria, & iniustitia, quia fraus, & dolus, metus, & vis secum annexam habent iniuriam, & iniustitiam huic autem iniustitiæ opponuntur hi actus videlicet deceptioni, & fraudi explicatio veritatis: vi, & metu plena libertas, ergo tenetur quem decepit, fraudem aperire, quem vi, & metu compulit relinquere illorum, vt absque vi, ac metu à peccato desistere possit.

2 Secundò etiam est certũ, eum qui induxit alterum ad peccandum vi, metu, minis, vel fraude, aut mendacio non teneri regulariter vitra prædicta remedia compensationem facere in temporalibus. Ratio est, quia spiritualia, & temporalia sub eodem genere bonorum commutabilium non continentur.

Dixi notanter (regulariter) quia in duobus casibus requiritur etiam temporalis compensatio. Primò quando spirituali nocumẽto fuit etiam annexum damnum corporale, vt si vulnerauit eum, quem vi, metu, aut

QVÆSTIO II.

Sed quæritur est. An qui pertrahit alium ad peccatum contra charitatem Dei, vel proximo debitam, ad aliquam restitutionem ipsi pertracto facienda teneatur?

Digitized by Google

aut fraude compulit ad peccandum, tunc tenebitur talis inducens aliquid reſtituere.

3 Secundò, quando quis per vim, aut fraudem in eum ſtatum peccati eſt inductus, à quo ſine temporali ſumptu, ad ſtatum bonum reuocari non poteſt, vt ſi fœmina per violentiam alteriùs adeò ſit libidini expoſita, vt eripi non poſſit abſque eo quòd nubat, vel ad Religionis ſtatum tranſeat, tunc enim qui author tanti mali fuit, tenetur ex iuſtitia illud temporale diſpendium reſarcire, iuxta Arag. 2.2.q.62.a.2.

QVÆSTIO III.

Quæſtio igitur eſt, An qui pretio, vel precer abſque vlla vi, & fraude alterum pertraxit in peccatum, teneatur curare, vt ſi reſipiſcat?

1 IN hac quæſtione conſtans eſt omnium ſententia, eum qui induxit aliquem ad peccatum rogatu, exhortatione, inſtigatione, vel malo exemplo teneri propter damnum illatum lege charitatis ad retrahendum illum à peccato, non ſolùm ſua correctione, & oratione, verumetiam adhibendo quæcunque poterit media, ideſt curando vt alij quoque pro ipſo orent, ipſumque corripiant. Et ratio eſt, quia bona animæ ſunt altioris ordinis, quàm bona téporalia, & damnum quod in illis infertur, eſt maius, quam damnum temporalium: ergo ſicut qui lædit proximum in temporalibus bonis tenetur ad reſtitutionem propter nocumentum, quod intulit: ita etiam à fortiori qui in ſpiritualibus nocet.

Tota igitur controuerſia verſatur. An qui abſque ignorantia, vi, metu, vel fraude, pertraxit alium ad peccatum teneatur lege iuſtitiæ, cum ad pœnitentiam reducere?

1 DOctor ſubtilis in 4.d.15.q 3.ar.1. Richar.ead.diſt.q.2.a.4. Palud. ibidem. q.2.a.2. Gabr. in 4.diſt.15.q.17.ar.2. Adr. in 4. in materia de reſt. Io. Maior. in 4.d.15.qu.17. dub.vlt. D. Anton. p.2.to.2.c.2. Ang. verb. reſtitutio 1. in principio & plerique alij aſſerunt hunc teneri non ſolùm ex charitate, verumetiam ex iuſtitia propter damnum illat cuũrare, vt reſipiſcat, procurando ſalutem eius omnimodo, & via, qua fieri poteſt non ſolùm ſuis per ſuaſionibus, monitis, & orationibus etiam ad Deum pro ipſo fuſis, verumetiam precibus, & monitis aliorum ideſt, vt alij quoque pro ipſo orent, ipſumque corripiant. Quin verò Adr. ait, neminem poſſe eiuſmodi bonorum reſtitutionem relaxare, veluti corporalium, vt póte, quorum nemo præter Deum, dominus eſt.

3 Alij verò vt Sot. l.4.q.6.art.3. Cordub. in ſum. caſuũ q.172. Nau. c.14.nu.45. Valen. to.3. diſp.5.q.6. p.5. Arag. 2.2.q.62.a.2. Petr. Nau. l. 2. de reſt. c.2.n.50. & Salon. 2.2.q.62. ar.2. docent non teneri ad nullam reſtitutionem ex vi iuſtitiæ, ſed ſolùm lege charitatis ob fraternam correctionem, ita vt obligatio non ſit ſpecie diſtincta ab ea, quam alius habet, vel ipſe haberet, ſi non induxiſſet, licèt ſit aliquantulum maior in eadem ſpecie.

Pro huius tamen quæſtionis intelligentia dico primò, quòd qui alteri eſt cauſa peccati, illum ad id precibus inducendo, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia inducens alium ad peccandum, ſcandalizat proximum, & hoc ſiue alter paratus ſit ad peccandum, ſiue non: at verò qui proximum ſcandalizat, mortaliter peccat vt docet D. Th. 2.2.q.43.a.2. ergo.

4 Secundò dico, quòd qui ſine vi, dolo & fraude aliquem malo conſilio, aut alio modo pertraxit ad peccatum, & conſequenter cauſa fuit, vt bonum gratiæ, & virtutum amitteret, ad nullam reſtitutionem ei ex vi iuſtitiæ tenetur, ſiue ſpiritualium damnorum, ſiue quorumcumque aliorum, quæ ei ex tali peccato ſequuntur. Ratio eſt, quia obligatio reſtitutionis oritur propriè ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ, in hoc autem caſu nulla eſt iniuria, nec iniuſtitia, cum iſte inductus ſciens, & prudens peccauerit, ergo non habet locum reſtitutionis obligatio. Ita Sot. libr. quarto, quæſt. 6. art.3. Nau. c.14.num.45. Bann. 2.2. quæſtione 62.artic.2. Valent. tom.3. diſt.5. quæſt. 6. p.5. Leſſ. lib.2.de iuſt. c.8.dub.2. Arag. 2.2. quæſt. 62.art.2. & Petr. Nau. libr.2.de reſtitu. cap.2. num.1.

5 Tertiò dico, quòd qui alium ad peccatum induxit, ſiue alter paratus erat peccare, ſiue non, tenetur lege charitatis, & fraternæ correctionis, non ſolùm impedire, ne peccatum, quod conſuluit, fiat, ſed etiam ſi perpetratum ſit, tenetur eum ſuaſionibus

ad

ad pœnitentiam reducere, imò arctiùs, quam quiuis alius proximus. Ratio eſt, quia hoc præceptum Matth. 18. ſi peccauerit in te &c. obligat omnes, ergo multò magis eum obligat, qui cauſa fuit, vt alter peccaret. Vndè æquitas poſtulat, vt is qui eſt author mali, præ cæteris laboret, vt emendetur. Ita Rebell. parte 2. de oblig. lib. 4. qu. 14. Sot. lib. 4. quæſt. 6. art. 3. Coard. dub. in ſum. caſuum qu. 172. & Mercat. tract. vltimo de reſtit. cap. 2.

Putat tamen Leſſ. lib. 2. de iuſt. ca. 8. dub. 2. cum Nauar. quem ipſe citat lib. 5. conſ. c. 3. concl. 2. nu. 4. hanc obligationem, quatenùs maiori charitate tenetur eum reuocare à ſuo malo ſtatu, non eſſe ſub mortali: charitas enim non obligat ad correctionem ſub mortali, niſi in neceſſitate, quando etiam alij obligantur. Vnde præ cæteris non tenetur ſub peccato mortali.

6 Quarto dico, quòd qui alteri cauſa fuit peccati, ſi poſteà eum à ſuo malo ſtatu reuocare ſtudeat, & alius ſciens, & prudens non vult reſipiſcere, ad nihil aliud ex præcepto, & lege charitatis obligatur. Ratio eſt quia facta fraterna correctione, iam iſte non eſt ampliùs cauſa illius peccati, ſed alius, qui ſua ſponte, & ex propria malitia peccat.

Quintò dico, quòd qui paratum ad peccandum pertraxit ad actum peccati non tenetur præ cæteris ad procurandam illius emendam; qui verò non paratum ad peccandum compulit, vt mulierem honeſtam, & virginẽ aut illum qui nihil tale habebat in animo, imò ſtudebat virtuti præ cæteris tenetur laborare, vt potiùs hic reſipiſcat, quàm alij. Ratio eſt, quia illi parato nullum ferè damnum intulit: ei verò qui non erat expoſitus, & ſi non fecerit iniuriam formaliter, quia ſciens, & volens peccauit, fecit tamen materialiter iniuriam maximam, quia damnum intulit, & ſi non vt totalis cauſa, tamen vt concauſa, quæ culpa certè ad aliquid lege charitatis inducentem obligat erga hunc, id quod non tenetur in cæteris. Ita Salon. 2. 2. qu. 62. art. 2.

7 Sextò dico, quòd ſi is qui vi, vel fraude inductus eſt in peccatum, ſcit ſe eſſe in peccato, & poteſt ope diuina adiutus, reſurgere, non tenetur inductor ex iuſtitia curare, vt conuertatur, tenetur tamen ad id lege charitatis, idque magis, quàm alij. Ratio eſt, quia nemo tenetur ex iuſtitia reſtituere damnum ei qui cenſetur illud condonare. ſed is qui ab alio inductus eſt in peccatum, poſtquàm ſcit ſe eſſe in peccato, & poteſt Deo fauente ab eo reſurgere, & tamen non vult, tenetur inductori omnem iniuriã in hoc irrogatam remittere, ergo non tenetur qui induxit aliquid ei ex iuſtitia reſtituere. Ita Leſſ. l. 2. c. 8. dub. 2.

8 Septimò & vlt. dico, quòd Prælatus qui inducit ſubditum ad peccandum, agit contra charitatem, & iuſtitiam, teneturque nõ ſolùm ex maiori vinculo charitatis, ſed etiam ex obligatione iuſtitiæ, illius conuerſionem curare: quia hoc illi incumbit ex officio. Vnde in c. præcipuè 11. q. tertia, Nicolaus Papa ex B. Gregorio ait, ſcire etenim Prælati debent, quòd ſi peruerſa vnquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exẽpla tranſmittunt. Vnde neceſſe eſt, vt tantò ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quantò per praua, quæ faciunt, non ſoli moriuntur. Ita ſentiũt D. Th. 2. 2. q. 33. arti. 2. & 3. & ibi Caiet. Sot. in relect. de ſigil. ſecret. m. 2. q. 3. concl. 3. Ban. 2. 2. q. 62. a. 2. Valen. to. 3. d. 3. qu 10. p. 3. & Salon. 2. 2. q. 62. a. 2.

QVÆSTIO IV.

An ſaltem qui ex odio, vel alio malo affectu inducit alium ad peccandum, ad reſtitutionem teneatur?

1 SCotus in 4. d. 15. q. 3. a. 1. Palud. ibidem q. 2. a. 2. Gabr. q. 17. a. 2. & multi alij tenent ad id obligari.

At verò Sotus l. 4. q. 6. a. 3. & alij communiter negant ad id teneri. Et merito quidem quia in conſulendo contra iuſtitiam non peccauit, nam odium vel prauus animi affectus conſultoris non eſt peccatum contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. Iudex enim qui ſecundùm acta, & probata prauo tamen affectu odij, iræ, vel vindictæ latronem ſuſpendit, peccat quidem contra charitatem ex prauo animi affectu, quia tamen contra iuſtitiam reum non condemnat, ad nullam reſtitutionem obligatur.

2 Obiicies, grauiùs peccat, qui damnum ſpirituale alicui infert, quam qui illi damnum infert in rebus externis. Sed qui damnum rebus externis aliorum infert,

fert,tenetur istud eis restituere,ergò etiam ille qui damnum rebus spiritualibus infert, etiam si solo exemplo illud eis inferat, tenetur illud eis restituere.

Respondeo obligationem restituendi non nasci ex magnitudine criminis, sed ex eo, quòd est peccatum contra iustitiam commissum. Vnde grauius est peccatum, periurium, vel blasphemia contra Deum, quàm furtum, sed tamen, quia furtum est contra iustitiam, inducit obligationem restituendi, periurium verò, & blasphemia quia non sunt contra iustitiam, sed contra Religionem, & pietatem Deo debitam ad nullam restitutionem obligant.

3 Dices, qui occidit hominem etiam volentem peccat contra iustitiam, quia solus Deus est dominus vitæ corporalis, qui ergò inducit hominem ad peccandum, peccat etiam contra iustitiam, teneturque ad restitutionem, etiamsi alter voluntariè peccet. Consequentia probatur,quia etiam solus Deus est dominus gratiæ.

4 Respondeo,quamuis solus Deus sit author gratiæ,& virtutum, tamen eas ponit in nostro libero arbitrio, & facit nos dominos donorum suorum, ita vt, dum illas per peccatum amittimus, non peccemus contra iustitiam, & ex consequenti neque suasor tenebitur ad restitutionem: Secùs autem est de vita corporali,cuius Deus voluit esse specialis dominus; ita vt ego ipse contra legem iustitiæ peccem, si me occido,vel occidi sine iusta causa permitto. Vt rectè tradit Ban.2.2.q.62.a.2.

QVAESTIO V.

Vtrùm inducens alium ad peccandum,grauiùs peccet,quàm qui homicidium committit?

1 IN hac quæstione duæ extant opiniones admodum celebres. Prior est asserentium grauius multo esse peccatum inducere ad peccatũ hominem imparatum, quam sit peccatum homicidij. Ita sensit Illustriss.Caiet.2.2.q.73.ar.8.quem citat,& sequitur Azor.p.p.inst.mor.l.4.c.20.q.2.

Altera sententia est omninò contraria, nempe homicidam grauius peccare, quam eũ,qui ad peccatum proximum incitat, ac mouet.ita tenet D.Th.1.2.q.73.a.8. pro quo.

2 Primò dico, quòd qui intentione, hoc est ex odio, & malitia in Deum, id est vt Deus offendatur,inducit alium ad peccandum,grauiùs, & periculosiùs peccat quam qui alium occidit. Ratio est, quia talis inductio est actus elicitus procedens ex odio Dei:odium autem Dei,est grauius homicidio,ergo & talis inductio grauior erit homicidio,quandoquidem actus sortitur speciem ab eo principio,à quo procedit. Ita Salon.2.2.q 62.ar.2.

Secundò dico, quòd qui ex intentiõne,hoc est ex odio & malitia in proximum id est vt proximus gratiam amittat, inducit illum ad peccatum, grauiùs peccat, quam qui committit homicidium.Ratio est quia vt diximus, talis inductio est actus procedens ex odio, quod est grauissimum omnium peccatorum.

Tum quia bonum quod homo per peccatum amittit,est longè præstantius,& excellentius,quam bonum quodcunque corporale,vt constat,si quidem amittit gratiã, & amicitiam Dei,& animam occidit, anima verò dignior est corpore & gratia Dei Orbe vniuerso.Vnde Christus Matth.10.ait nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere, significans plus timendam esse mortem animæ, quàm corporis.Ita Sot.l.4.q.6.a.3.

3 Tertiò dico, quòd qui inducit alium ad peccandum non ex odio, sed ex vtilitate vel libidine,leuiùs peccat, quàm qui committit homicidium. Ratio est,quia qui occidit hominem,intendit eius nocumentum, inducens autem ad peccatum non intendit nocumentum spirituale,sed voluptate tantùm frui.

Deinde qui occidit alterum,est efficax, & totalis causa mortis illius, qui vero inducit ad culpam,non est totalis nec efficax causa peccati illius, sed tantùm inductiua, & indirecta,non enim lædit alium efficienter,neque lædere intendit, quin potiùs qui precibus,& blanditiis consensum præstat, seipsum lædit,& sibi est imputandum sicut illi,qui diaboli,&carnis tentationi consensit, peccatum imputabitur, nullus enim vt author est D. Chrysost. nisi à seipso lædit̃ur.

4 Tandem, qui occidit hominem corporaliter infert illi damnum irreparabile in corpore, qui vero occidit hominem spiritualiter,& si inferat damnum graue in anima,est tamen reparabile per pœnitentiam, &ideo ex hac parte minus graue damnum

cense

censetur. Ita Salon. 2.2.q.62.art.2.

Quartò dico, quòd qui non ex intentione lædit proximum in anima, sed ob suum commodum vel voluptatem, leuiùs peccat, quàm is, qui bona aliena deprædatur. Ratio est, quia qui aliena bona furatur, id facit inscio, & inuito domino, & ideò infert illi damnum, & iniuriam: qui verò alium ad malum absque vlla vi, aut fraude inducit ob voluptatem, non infert iniuriam, cum alter volens peccet. Ita Salon. 2.2.q.62.ar.2.

5 Quintò dico, quòd qui inducit ad peccandum meretricem, aut alium iam paratum, & expositum ad malum, non tantùm peccat, ac si multa ipsius bona exteriora deprædaretur. Ratio est, quia in hoc casu talem inducens, cum iam esset paratus, exiguum, & ferè nullum ei damnum, & iniuriam infert: qui verò aliena rapit iniuriam, & damnum domino infert.

6 Sextò & vltimò dico, quòd qui inducit ad peccandum alium non paratum, nec expositum ad malum, grauiùs peccat, quam is, qui bona aliena rapit. Ratio est, quia qui maius nocumentum infert, grauius peccat, sed qui virum studiosum, mulierem honestam maximè virginem ad malum inducit, grauissimum nocumentum ei infert, ergo grauiùs peccat. Vnde Antonius Anterius Papa c. ex merito, & Anacletus c. Deteriores 6.q.1. Deteriores, inquiunt, sunt, qui vitam, moresque bonorum corrumpunt his, qui substantias aliorum, prædiaque diripiunt. Ita Sot. l.4.q.6.a.3. & Sal. 2.2.q.62.a.2.

QVÆSTIO VI.

An si prædicator, vel lector aliquid falsum docuerit, teneatur ex iustitia se retractare?

1 BAnnes 2 2.q.62.a.2. affirmat hunc per se loquendo non teneri ex iustitia reuocare sententiam, sed ex charitate: nisi fortè ex pernicioſa doctrina sequeretur damnum temporale, quia tunc teneretur etiam ex iustitia.

2 Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui distingunt. Nam duobus modis potest quis decipere proximum, vno modo formaliter, & est, quando quis sciens, & prudens docet falsam doctrinam, & qui hoc pacto decipit, tenetur non solùm ex charitate, verum etiam ex iustitia docere veritatem. Alio verò modo materialiter, vt quando quis bona fide putans docere verum, docuit falsum, & tunc qui hoc modo decipit, post cognitam veritatem, tenetur solùm ex præcepto charitatis suum errorem reuocare. Verùm si ex falso, quod docuit, sequeretur proximo damnum temporale, etiam ex iustitia tenetur se retractare.

3 Dixi notanter (bona fide) quia si sua culpa falsa pro veris docuit, vel quia cum ex officio, vel stipendio alios docere teneretur, negligens notabiliter in docendo, vt tenebatur, fuit, aut ad id erat ineptus, tunc teneretur lege iustitiæ reuocare sententiam & reſarcire omnia damna quæ ob notabilem iniuriam secuta sunt in proximis. Ita sentiunt Mol. tom.3.de iust.d.50. Rebe. lib.4. quæst.14. Sot. lib.4.quæst.6.art.3. & Arag. 2.2. q.62.art.2.

QVÆSTIO VII.

An qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis, teneatur ad restitutionem?

1 SOtus l.4.q.6.a.3. affirmat teneri. Idque arbitrio boni viri.

2 Sed contrarium est proculdubiò affirmandum scilicet hunc non teneri pecuniam rependere præcisè pro ipsa priuatione mentis, vel sensus, sed tantùm pro damno temporali, quod inde sequitur, vt si læsus non possit eam artem exercere, qua victum sibi, & suæ familiæ comparabat. Ratio est, quia nemo obligatur damnum reſarcire in bonis diuersi ordinis, sed tantùm eiusdem. Hæc enim sola inter se sunt commensurabilia, ergò quando non potest fieri commensuratio, non est obligatio. Antecedens probatur, quia alioquin sequeretur, quòd qui læsisset in vita, deberet restituere in honore, vel fama, aut in bonis spiritualibus pro salute ipsius offensi, si pecunia non posset, quod est omnino absurdum.

Tum quia restitutio, quæ debetur ex iustitia, reparat damnum illatum præcisè ad æqualitatem, ergo vbi damnum natura sua est irreparabile, non debetur restitutio lege iustitiæ. Vnde pro his satis est pœnitentia coram Deo, cum petitione veniæ pro iniuria illata, quando scitur author. Ita sentiunt Nau. c.15.n.22. Less. l.2.de iust. c.8.dub.

1. Couar.

Digitized by Google

1.Cou.l.2.var.c.10.n.7. & Petr. Nau.lib.4.de reſt.c.1.n.80.

QVÆSTIO VIII.

An retrahens aliquem à Religione, ad reſtitutionem teneatur, vel ei, quem retraxit, vel Religioni?

1 IN hac q.Palud.in.4.d.15.q.2.a.2.D.Anton.2.p.to.2.cap.2.Adr.in 4.in materia de reſt.& Io.Maior.ibidem diſt.15.q.17.ſentiunt debere talem Religioni reſtituere,vel perſuadendo homini,vt eam complectatur vel procurando vt alius idoneus id faciat eius locò,vel ſi neutrum iſtorum perficere poſſit, debere ipſummet ingredi loco eius, cui diſſuaſit ingreſſum Religionis, vel ab ea iam ſuſcepta retraxit. Et adduxit Palud. exemplum Raymundi Generalis ordinis prædicatorum, qui eadem de cauſa habitum ſancti Dominici ſuſcepit.

2 Contrariam tamen ſententiam meritò Doctores communiter affirmant,pro qua.

Primò dico, quòd qui bona fide, & intentione, ob ſuam, vel alterius vtilitatem ſine vi, & fraude volentem ingredi Religionem impedit, vel ingreſſum ante profeſſionem extraxit, non peccat,nec ad aliquam reſtitutionem obligatur.

Prima pars probatur, quia quandoque fieri poteſt, vt ſit charitatis, & prudentis officium, auertere aliquem à Religione,nimirùm, quando parentes ingreſſuri eſſent in magna aliqua neceſſitate, & eius opera indigerent:ſi ingreſſurus eſſet ad Religionem ineptus,&c.

Secunda verò pars probatur, quia reſtitutio fieri debet, vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniuſtæ acceptionis:ſed neutrũ hic locum habet ergo.Ita Arag.2.2.q.62.ar.2.& Petr.Nau.l.2.de reſt.c.2.n.12.

5 Secundò dico, quòd qui ſolis precibus ſine vlla fraude,vel vi, ſiue tamen rationabili cauſa Nouitium à Religione extrahit, peccat, ad reſtitutionem tamen aliquam extracto,aut Religioni faciendam ex iuſtitia non tenetur. Non extracto, quia licet malum conſilium dederit, non peccauit contra iuſtitiam.Ratio eſt, quia vbi non eſt iniuria, aut iniuſtitia, ibi nulla eſt reſtitutionis obligatio, quia reſtitutio eſt actus iuſtitiæ cõmutatiuæ, quo infertur ad damnum cum iniuſtitia, ſed qui ſolis monitis, & perſuaſionibus ſine vi, & dolo diſſuaſit aliquem à Religione, nullam huic intulit iniuriam,vel iniuſtitiam,quia vt habet Reg. iuris in 6. ſcienti, conſentienti, & volenti non fit iniuria.

4 Nec Religioni quia reſtitutio tunc debetur,quando eſt illata iniuria, ſed in hoc caſu nulla eſt illata iniuria Religioni,ergo nec debetur reſtitutio. Minor probatur, nam iniuria eſt expoliatio iuris, quòd aliquis habet,atqui Religio in eum qui Religionem ingredi vult, nondum habet ius acquiſitum,ergo non eſt ibi iniuria,ac proinde qui ſic diſſuaſit, non tenetur ad aliquam reſtitutionem.

Tũ quia, quod Religio in hoc caſu prætendere poteſt,dependet ſemper à volũtate illius volẽtis Religionẽ ingredi,qui poterat à propoſito retrocedere,ergo ſi ſua ſponte mutat voluntatẽ, nulla reſtat obligatio reſtituendi.Ita Sotus l.4.q.6.ar.3.Valentia to. 3.d.5.q.6.p.5.Petr.Nau.l.2.de reſt. c.2.n.12.& Salon.2.2.q.62.ar.2.

5 Tertiò dico,quòd qui ſine vi,& fraude auocat Nouitium,vel ſæculare à firmo propoſito Religionis,non ex præcepto, ſed ex conſilio,vt ingrediatur,perſuadere tenetur, quia volenti non fit iniuria, & volens fuit impeditus: neque eſt neceſſariò corrigendus, quia correctio eſt facienda, quando quis diuinum præceptum violat,& ingreſſus Religionis non eſt præceptum,ſed conſilium diuinum,ergò.

6 Quartò dico,quòd qui abſque dolo, & fraude retrahit aliquẽ alioqui ingreſſurum, & futurum vtilem Religioni,nullam tenetur facere reſtitutionẽ,quamuis id faciat ex malo animo,aut etiam ex odio Religionis. Ratio eſt,quia huiuſmodi prauus animi affectus non inducit obligationem reſtituẽdi,cum non ſit peccatum contra iuſtitiam. Ita Ban.2.2.q.62.a.2.Nau.c.17.n.69.Sot.l.4.q.6.a.3.& Arag.2.2.q.62.a.2.

7 Quintò dico,quòd qui malo animo, ſine fraude tamen,aut vi, Nouitium à Religione abducit,quamuis peccet contra charitatem, & proinde ex æquitate quadam, ſeu decentia, teneatur illum hortari ad bonum propoſitum reſumendum, vt reparet magnum illud bonum inceptum, quod nefariè in animo eius deſtruxit, ſpiritum Dei extinguens, ad reſtitutionem tamen aliquam

aliquâ ex iuſtitia nõ tenetur,aut ipſi Nouitio,aut Religioni.Non Nouitio,quia egreſſus eſt illi voluntarius. Nec Religioni,quia ante profeſſionẽ Religio non habet ius acquiſitum in Nouitium, quamuis ipſe voto ſe aſtrinxerit.Ita Val.to.3. d.5.q. 6.p.5.Nau. c.17.n.69.Arag.2.2.q.62.a.2.Sot.l.4 q.6.art.3. Leſſ.l.2.c.8.dub.3.Petr.Nau.li.2. de reſt.c.2. n.13.& Salon.2.2.q.62.a.2.

8 Sextò dico,quòd qui vi,fraude,aut minis,vel mendacijs aliquem a Religione retraxit ſiue profeſſum,ſiue Nouitium, tenetur lege iuſtitiæ ei eandem libertatem, quam abſtulit vi,dolo, ac deceptione reſtituere,remouendo vim, vt liberè poſſit redire,ſi velit:tenetur etiam aperire ei veritatem vel dignitatem Religionis,& procurare vt iterum animum Religioſum concipiat, quòd ſi nolit, nulla alia reſtitutionis obligatio ei faciendæ manet.Ratio eſt,quia tunc in ſua libera eſt poteſtate, vt redeat vel non redeat,& ideò ſi remota vi, & detecta fraude Religionem ingredi noluerit, ſibi ipſi totum damnum imputet. Ita Arag. & Salon.2.2.q.62.ar.4.

9 Septimò dico, quòd qui aliquem profeſſum a Religione auertit,tenetur ex præcepto fraternæ correctionis eum in priſtinum ſtatum reducere. Ratio eſt, quia profeſſus vagans extra Religionem ſine licẽtia eſt in ſtatu damnationis, atque ita qui illũ extraxit,multò magis,quam alij ſuadere tenetur, vt antiquũ exequatur propoſitum.

Octauò dico,quòd qui vi,vel metu, vel fraude, vel mendacio Nouitium ſeduxit, auertitque a Religione profitenda, non ſolùm tenetur ad dimittendum, quem retraxit liberum,vt liberè poſſit intrare,vel profiteri,ſed etiam tenetur ex iuſtitia reſtituere Religioni emolumenta,quæ alioqui erat ex Nouitio ſeducto in legendo, prædicando,& ſimilibus percepturа. Ratio eſt, quia quamuis Religio nullum ius in perſonam Nouitij acquiſierit, eſt tamen peccatum contra iuſtitiam per vim,metum, vel mendacium impedire,ne ius acquirat ſuper eũ, qui vult in illam intrare, vel profiteri, ergo tenetur ad arbitrium boni viri illud damnum reficere, aut cum ipſa conuenire.

10 Et confirmatur, qui vi, vel dolo, vel metu aliquem impedit, ne mihi eleemoſynam det, vel in teſtamento legatum, vel hæreditatem relinquat, aut ne mihi conferat beneficium, quod propoſuerat conferre,peccat contra iuſtitiam,& ex iuſtitia tenetur mihi reſarcire damnum, quia licèt non habeam ius ad beneficium, vel legatum illud, habeo tamen ius acquiſitum ne alteri vis, aut fraus fiat in meum detrimentum,ergo qui retrahit vi, vel dolo a Religione illum,qui ſtatuerat firmiter illam intrare:vel profiteri,tenetur ad reſtitutionem quanti illa ſpes iudicio prudentum æſtimatur.Ita Leſſ.li.ſecundo de iuſt.c.octauo, dub.3.Rebel.l.4.q.15.& Salon.2.2. q.62.ar.4.

Dices, Religio non habet adhuc in Nouitium ius acquiſitum, cum non ſit profeſſus,ſed in ſpe tantùm : ergò qui eum auocat,nullam facit ei iniuriam,& per conſequens ad nullam reſtitutionem tenetur.

11 Reſpondeo, quamuis Religio non habeat ius acquiſitum in Nouitium, ſed tantùm in ſpe : ad hoc tamen, ne quis vi, aut fraude eum, qui iam eſt in promptu vt ingrediatur Religionem, auertat, ius habet acquiſitum, eo ipſo quo talis Religio eſt approbata ab eccleſia Romana. Vnde qui ita auertit,violat ius Religionis,ac proinde tenetur ei omnia illa commoda reſtituere, quæ ex illo Nouitio erat conſecutura.

Eſt autem hic conſiderandum, quòd ſi Nouitius detecta fraude, poſtea poſitus eſt in ſua libertate,& integrum eſt illi ad propoſitum Religioſum redire, probabile eſt, ſeductorem non amplius teneri, quia in poſterum non cenſebitur eſſe cauſa damni Religioni, ſed Nouitius ſolus, ſponte non rediens.Veruntamen, ego putarem oppoſitum eſſe magis verum, quia cauſa damni totius dedit efficaciter,&id iniuſtè,vi,fraude, aut mendacio, & ita totum damnum dediſſe conſtat.

12 Nono dico,quòd qui mala fide, ſine vi tamẽ,& dolo Monachũ profeſſum fide ſua mala ſit apoſtatare, quamuis grauiter peccet contra charitatẽ,ad reſtitutionẽ tamen aliquam non tenetur,aut extracto, aut Religioni. Non extracto, quia ipſe volens exiit,& ideò illi non fit iniuria. Nec Religioni,quia reſtitutio facienda eſt, quando quis priuatur re iam poſſeſſa, vel ſibi debita ex iuſtitia,vt conſtat : at verò lucra, & emolumenta Monachi non adhuc acquiſita, ſed quæ acquiri poſſunt, non ſunt debita Religioni ex iuſtitia, ſed ſolùm ex virtute obedientiæ,& Religionis, & ideo hæc vinculum reſtituendi ex iuſtitia non inducunt.

Deinde

Digitized by Google

Deinde ſi ipſe Religioſus ſua ſponte apoſtataret, ad nullam reſtitutionem Religioni teneretur, etiamſi haberet, vnde poſſet, quamuis ratione voti obedientiæ, qua aſtrictus eſt Religioni, redire teneatur, ergò neque ſuaſor qui eſt cauſa minùs principalis tenebitur.

13 Præterea, ſi Religioſus præfectus cathedræ adhuc manens in Religione omitteret legere lectiones debitas, propter quod prouentus Monaſterio minuerentur, non peccaret contra iuſtitiam, ergò is qui abſque vi, & fraude illi ſuadet apoſtaſiam, non peccat contra iuſtitiã, ſed contra virtutẽ Religionis: ſi enim ipſe Religioſus non facit contra iuſtitiam nolendo laborare, & commoda Monaſterij conquirere, cum tamen ſit cauſa principalis damni, ergò neque conſultor qui eſt cauſa ſecundaria.

Demum, quidquid iuris Religio acquiſiuit in Religioſum profeſſum, ſolùm eſt ratione voti ſolemniter emiſſi, ſed votum non eſt actus iuſtitiæ, ergò qui illum retrahit à Religione, ſolum agit contra votum. Ita Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. c. 2. nu. 23. Leſſ. lib. 2. c. 8. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 2. & alij Eſt tamen hoc contra Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Rebell. lib. 4. q. 15. Azor p. 3. inſt. mor. lib. 5. cap. 2. q. 5. & pleroſque alios qui volunt hunc obligari ad reſtitutionem in hoc caſu Religioni faciendam.

14 Obiicies, ſuaſor dum ſuadet egreſſum Religioſo, facit iniuriam Religioni, ergò tenetur ad reſtitutionem.

Reſpondeo primò, quòd huiuſmodi iniuria non eſt contra iuſtitiam, quæ reſtitutione eſt reparanda, ſed contra virtutem Religionis, quæ nullam obligationem reſtitutionis inducit.

15 Secundò reſpondeo, & meliùs, quòd licèt ſit peccatum contra iuſtitiam profeſſum ſeducere, non tamen eſt iniuſtitia ſuadere ei, vt non procuret illa emolumenta Religioni, quia ad hæc non tenetur Religioſus ex iuſtitia, ſed ſolùm ex obedientia. Ita Leſſ. l. 2. cap. 8. dub. 3.

Dices, qui alieno ſeruo ſuadet otium, vel vt fugiat, tenetur ad illius reſtitutionem, quia contra ius domini facit, ergo qui monachum à Religione abſtrahit, tenetur æquiualens reſtituere, cum is etiam faciat contra ius Prælati.

16 Reſpondeo negando conſequentiam nam non eſt eadem ratio de monacho, & de ſeruo: nam ſeruus eſt principaliter propter commodum domini, ſicut & aliæ res temporales a ſe poſſeſſæ, & ideò qui contra domini voluntatem abſtrahit ſeruum, non minùs agit contra iuſtitiam, quàm ſi eius iumentum occideret. At verò Religioſus non eſt principaliter propter commodum temporale Prælati, vel Religionis, ſed ob ſuam ipſius ſpiritualem vtilitatem, propter hoc enim ſe diuino obſequio ſponte mancipauit; vnde non poſſidetur à Prælato tanquàm ſeruus, ſed eſt ſicut filius in domo patris, & ſicut ciuis in libera Ciuitate. Vnde B. Baſilius in ſua Regula ait de Prælatis. Patres ſe agnoſcant, nõ dominos, ex quo fit vt ſeruitus illa libertate plena ſit. At ſi filio qui patri vtiliſſimus eſt, ſuadeam, vt deſerat domum patris, & vagetur per mundum, nihil teneor ratione illius filij, patri ipſius reſtituere, quia cõtra charitatem tantùm peccaui, non contra iuſtitiam, ergò ſimiliter hic non tenetur Religioni aliquid reſtituere; & ſicut monachus qui eſt principalis author, à Religione apoſtatando pro ſua voluntate, nõ tenetur redire niſi ex voto obedientiæ, nec ad aliquam tenetur reſtitutionem, ità neque perſuaſor ad aliquam reſtitutionem obligabitur. Ita Leſſ. lib. 2. c. 8. dub. 3. & Arag. 2. 2. q. 52. ar. 2.

17 Hinc, qui ſuadet ſeruo non quidem fugam, ſed otium, & ſi peccet mortaliter, non agit tamen contra iuſtitiam, ac proindè ad nullam reſtitutionem tenetur. Ratio eſt, quia nec ipſe ſeruus otioſus contra iuſtitiã peccat, ſed tantùm contra obedientiam domino debitam. Non enim actiones ſerui emptitij lege iuſtitiæ debẽtur domino, ſicut opera mercenarij, qui ex denario diurno laborat: nec cogitur in cõſcientia reſtituere ſi oſcitanter laborauit; ſed eo iure debentur, quo ſeruus tenetur obedire domino. Ita Leſſ. lib. 1. c. 8. dub. 3.

18 Decimò dico, quòd qui vi, vel metu, vel fraude abduxit à Religione profeſſum, ex cuius præſentia, vtilitas aliqua temporalis Religioni erat prouentura, ſiue vtilitas illa prouenerit ex induſtria perſonæ, ſiue ex paterna hæreditate, tenetur reſtituere omne damnũ illatũ extracto, & Religioni. Ratio eſt, quia quicunque nocet alteri cũ iniuria, tenetur reficere damnũ illatum, ſed vi, vel fraude retrahit profeſſũ à

Religione cum iniuria nocet & extracto, & Religioni, ergo tenetur illud damnum restituere. Maior per se constat. Minor verò probatur, extracto in primis nocet cum iniuria, quia vbi fraus, aut vis, ibi iniuria. Religioni autem, quia licet Religio non habeat ius iustitiæ in professum, habet tamen ius, ne quis per iniuriam expoliet illam suo Religioso, vt re sua, est enim Religiosus per professionem res quædam suæ Religionis, & ita arbitrio boni, ac prudentis viri restituere tenetur Religioni emolumenta, quæ alioqui durante illa fraude, & vi erat ex extracto perceptura. Ita Petr. Nauar. lib. 2. de rest. cap. 2. num. 23. Salon. 2. 2. quæst. 62. art. 2. & Less. lib. 2. 2. cap. 8. dub. 3. Est tamen hoc contra Sotum lib. 4. quæst. 6. art. 3. qui de hoc dubitat, sed magis inclinat in partem negatiuam, quia inquit, non est ille, vel vt seruus Religioni mancipatus; quod si teneretur (ait Sotus) non in integrum teneretur, sed tantùm ad arbitrium boni viri.

19 Hinc, si deceptus erat professus, & propter iniquam retractionem Religio non potest v.g. hæreditatem obtinere, tenetur suasor ad restitutionem in integrum. Si verò deceptus erat Nouitius, quia tunc dependet ex futuro euentu minor quantitas debetur. Et erit adhuc leuior obligatio, si talis seductus non adhuc habitum susceperat. Ratio est, quia quemadmodum qui alterius fata destruit, tantò magis restituere tenetur, quantò ipsa fata maturis frugibus fuerint proximiora: ita etiam in nostro casu. Ita Salon. 2. 2. q. 62. art. 2.

Hic tamen aduertẽda sunt duo. Primum. An reuera damnum sit datum. Si enim ille inutilis erat Religioni, vel tantumdem consumebat, nulla facienda erit restitutio. Ratio est, quia restitutio ratione damni illati est facienda, & si Religio nullum recipit damnum, nulla erit illi facienda restitutio.

20 Secundum est, postquam Religiosus fraude detecta, vel vi relaxata, suam libertatem recuperauit, non tenetur seductor in posterum illud lucrum restituere, sed solùm pro eo tempore, quo vis, vel fraus durabat. Ratio est, quia in posterum non censetur causa damni, sed ipse Religiosus extractus nolens redire. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 8. dubit. 3.

Sed (pace tanti viri) oppositum mihi videtur verius, quia etiamsi professio sit integrum redire, tamen si occasione fraudis aut vis illatæ, manet extra Religionem, seductor videtur esse causa totius damni, quia iniustè eius occasionem dedit.

21 Vndecimò, & vltimò dico, quòd qui solis precibus, vel vi, vel fraude Nouitium, vel professum à Religione extraxit, nõ tenetur ex iustitia, vel alio præcepto seipsum Religioni mancipare. Ratio est, quia ingressus Religionis ex iure diuino, & sua natura liberrimus esse debet, iuxta illud, si vis perfectus esse &c. Vnde nullo metu, vel delicti commissione potest quis compelli ad ingressum Religionis, etiam si mille Monachos, vt apostatarent, compelleret, nulla enim culpa aut peccatum, quamuis grauissimum mutare valet ius diuinum, aut naturam status Religionis, ergo quamuis iste abducens Monachum à Religione mortaliter peccet, non tamen tenebitur aliquo vinculo ipse Religionem intrare, aliàs votum Religionis esset in præcepto contra naturam ipsius voti.

Tum quia hoc non est medium per se ordinatum, aut necessarium ad hoc vt augmentum spirituale, quo quis fuit defraudatus, ei restituatur. Ita Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Arag. 2. 2. q. 62. art. 2. Petr. Nauar. lib. 2. de rest. c. 2. num. 17. Rebell. lib. 4. q. 15. & Salon. 2. 2. q. 62. art. 2.

22 Exemplum Magistri Raymundi qui venit ad Religionem S. Dominici vt referunt Palud. in 4. dist. 15. q. 2. & Sylu. verb. rest. 3. §. 1. & cuius meminit. Sot. lib. 4. q. 6. art. 3. 60 quòd cuidam Nouitio id vitæ institutum dissuaserat, eidem postea rediturum suadere non poterat, argumentum est potiùs, diuinæ vocationis, quàm obligationis diuinæ, vel humanæ.

QVÆSTIO IX.

Sed nunquid tenebitur alium loco extracti substituere?

1 Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. putat non teneri. Nauar. c. 17. nu. 45. satis esse existimat si alteri æquè vtili ingressum suadeat, licèt non persuadeat.

2 Petr. Toletanus lib. 2. de rest. c. 2. nu. 18. distinguit, si alter non libenter ingreditur, non tenetur alium pro illo substituere, quia vt diximus vota Religionis spontanea, & liberrima esse debent, nec conuenit vnicuique

que ille ſtatus. Si verò in animo habet, & meo conſilio efficaciter ingredietur, tunc arbitratur Petr. Toletan. lege iuſtitiæ debere alium ſubrogare. Ratio eſt, quia Religio in hoc caſu paſſa eſt inuoluntarium iniuſtè, ergo ſuaſor tenetur ſi facilè poteſt perſonale illud damnum reſarcire.

3 At verò Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 8. dub. 3. docet debere hunc ex æquitate quadam alium inducere, ſi commodè poteſt, non tamen ex iuſtitia. Et verè ita eſt quia nec ipſe Religioſus ex iuſtitia tenetur redire, ſed ſolùm ex voto Religionis. Tum quia qui Religioſum occidit, non tenetur ex iuſtitia aliú pro illo ſubrogare. Tum demùm, quia Religio non poſſidet Religioſum tanquam mancipium, propter quod, ſi abductum fuerit vi, vel fraude, debeat aliud ſubſtituis; ſed tanquam filium, propter quem abductum, vel occiſum alius non ſubrogatur.

Hæc igitur ſunt in ſcandalo conſideranda.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE EORVM, QVÆ OB TVRPEM CAVSAM ACQVIRVNTVR.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

DE hac materia diſputant Theologi in 4. diſt. 15. D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 5. & Caiet. ibidem, & q. 32. art. 7. & in ſummula verb. reſt. Ban. 2. 2. q. 62. art. 5. Sot. lib. 4. q. 7. art. 1. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 5. Tolet. lib. ſum. c. 21. & 59. Petr. Nau. lib. 4. de reſt. c. 2. n. 132. Molina to. 1. de iuſt. diſp. 94. Valent. to. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5. Salon. 2. 2. q. 62. art. 5. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 14. dub. 6. Cordub. in ſuo quæſt. q. 32. Medina C. de reſtit. qu. 20. & 28. Roder. par. 2. ſum. ca. 40. Lop. p. p. inſtr. confeſſ. cap. 105. & lib. 2. de contract. cap. 44. Nauar. c. 17. n. 33. & & ſeqq. Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 4. c. 21. & alij. Summiſtæ vero vt Ang. Sylueſt. Tab. Arm. & plerique alij verb. donatio, & verb. reſtitutio. In cuius explicationis gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

An acceptum ob turpem cauſam ſit neceſſario reſtituendum?

1 AD cuius explicationem obſeruandum eſt ex D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 5. ad 2. quod acceptio rei alicuius tribus modis poteſt eſſe illicita, ſeu turpis. Primo ex parte dantis tantùm, vt cum Titius dat pretium Caio, vt ei conferat ſuum beneficium, quod Caius accipit, credés ſibi ac liberaliter dari.

Secundò ex parte accipientis tantùm, vt cum quis neceſſitate compulſus ſoluit vſuras, turpitudo namque tunc eſt ex parte recipientis, & non ex parte dantis.

Tertiò ex parte vtriuſque ſcilicèt tam dantis, quàm recipientis, vt cum quis dat pretium aſſaſſino, vt occidat ſuum inimicum, & aſſaſſinus eo animo id accipit.

2 Hoc poſito, in hac quæſtione vnum eſt certum, & aliud de quo merito poſſumus dubitare. Et quidem certum eſt, & extra controuerſiam poſitum, quòd quando res pro qua datur aliquid per modum pretij, non eſt mala ex genere, nec datio eſt per ſe peccatum, ſed tantùm ratione circunſtantiæ extrinſecæ eſt talis, puta temporis, loci, iuramenti, aut voti, in caſu quo res pro qua accipitur, ſi alioquin pretio æſtimabilis, tunc qui pro ea pecuniam accipit, licitè poteſt illam retinere, v. g. qui in feſtis de præcepto, vel in loco ſacro negotiatur, aut vendit aliquid pretio æſtimabile, peccat quidem vendendo, ſed ad reſtitutionem pretij non tenetur. Ratio eſt, quia emptio rei alioquin pecunia æſtimabilis, ex genere non eſt illicita, neque prohibita, ſed ſolùm ratione circunſtantiæ, quia fit in loco ſacro, aut ſacro tempore, quo venditio prohibetur, & pretium ex re ipſa quæ venditur, & non ex loci, aut temporis ſacri profanatione ſumitur.

3 Hinc qui in diebus feſtiuis ſine vrgente neceſſitate, & licentia Epiſcopi laborat, peccat, & tamen licitè accipit, & retinet pretium operis ſeruilis. Et ratio eſt, quia

opus ſeruile eſt pretio æſtimabile, quamuis factum in die feſto,ſit illicitum.

Hinc eadem ratione,qui extra caſum in iure conceſſum participat cum excommunicato maiori excommunicatione, peccat quidem communicando, ſtipendium tamen pro obſequio,quod illi impenſum eſt, licitè retinet.

Hinc, ſi quis iuſta de cauſa iurauit, ſeu vouit ſe non venditurum,& poſtea vendit, peccat quidem vendendo, quia iuramentum violat,venditio tamen tenet,& iuſtum pretium licitè retinere poteſt.

QVÆSTIO II.

Sed quod habet difficultatem eſt. An acceptum ex opere quod eſt malum ex genere, & ex obiecto ſit neceſſario reſtituendum? quale eſt lucrum, quod meretrici datur pro actu meretricio?

1 IN hac quæſtione Med. C. de reſtit.q. 20.& 28.& Nauar.cap.17. num. 34. affirmant,pro nullo opere, quod per ſe turpe, & peccatum eſt, vt eſt fornicatio, poſſe aliquid accipi, & retineri titulo emptionis, vel venditionis, aut locationis, quia peccatum cum ſit (teſte Auguſtino) nihil, non eſt pretio æſtimabile, benè tamen poſſe retineri,quando titulo gratuito, & donationis,datur,ſicut vult Medina: vel quia quod turpiter datum,& acceptum eſt (vt hic ſit)non eſt neceſſario reſtituendum ex præcepto, vt vult Nauar.num.36.

2 Couar.in Reg.peccatum 2.p.§.2.n.4.de Reg.iuris in 6. ait,quando materia peccati natura ſua eſt pretio æſtimabilis, quia accipiens pretium, operam ſuam, & induſtriam adhibuit,tunc non eſt de neceſſitate reſtituendum, quia pro opera illa naturaliter impenſa accipit aliquid licitè, vt ſi quis ædificet id quod eſt prohibitum, & operam ſuam adhibeat occidendo hoſtem &c. In aliis verò caſibus ſemper æſtimat Couar. acceptum ob turpem cauſam, vbi nec induſtria, nec labor apponitur accipientis,eſſe reſtituendum.

Sotus lib.4.q.7.art. 1. ad 2.dicit pretium acceptum pro opere turpi quod non eſt contra legem iuſtitiæ, non eſſe reſtituendum. Secùs verò ſi ſit contra iuſtitiam.

Palud.in 4.d.15.q.3.art. 5. affirmat omne lucrum turpe,& ex turpi cauſa acquiſitum, quando ex vtraque parte turpitudo verſatur, retineri non poſſe, ſed reſtituendum eſſe.Quam opinionem Nauar. cap.17.num. 30.dicit eſſe communem.

3 Multi alij vtriuſque iuris Doctores, quos refert Couar.in Reg.peccatum par.2. §.2. tenent acceptum pro omni opere malo, quod legibus punitur eſſe neceſſariò reſtituendum. Secùs verò de accepto pro opere,quod leges non puniunt.

4 Communis tamen tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet acceptum ob turpem cauſam, ſeu propter opus quod eſt malum ex genere,opere impleto, non eſſe neceſſariò reſtituendum.Et ratio eſt,quia ſi deberet reſtitui,eſſet reſtituendum ei,qui dedit: ſed huic non debet reſtitui, quia in accipiendo nulla huic facta fuit iniuria,libenter enim,& liberè dedit pro opere,quod alius facere non tenebatur.

Tum quia, licèt opus malum ſecundùm ſe,& ſecundùm ſuam rationem formalem, qua offenſa Dei eſt, & deuiatio à bono incommutabili nullius ſit valoris; materialiter tamen conſideratum, prout attenditur ab his qui talia opera exercent, eſt quædam actio humana,liberè facta habénique annexa, delectationem, laborem, damna, pericula,& alia multa,quæ in dantis vtilitatem,vel in detrimentum accipientis pretium cedunt: ex quo fit, vt ſit pretio æſtimabile ex natura rei, ſicut reliquæ actiones humanæ, quæ ideò ſunt vendibiles,& pretio æſtimabiles, quia ſunt conducibiles vitæ humanæ, ergo accipiens pro illo pecuniam, non tenetur illam reſtituere.

5 Dixi notanter(opere impleto)quia ante opus impletum debet reſtitui, eo quòd opus propter quod datur, debet omitti.

Dices, qui accipit pretium ob maleficium,peccat,quia videtur illud approbare, ergo non poteſt pretium accipere, nec acceptum ſibi retinere.

6 Ad hoc dico primò, quòd qui dat, aut accipit pretium ante perpetratum delictum peccat mortaliter.Ratio eſt,quia qui dat,inducit ad delictum, & qui accipit illud promittit,nam ſub tali conditione pecunia datur,& accipitur.

Secundò dico, quòd qui dat, aut accipit pretium poſt patratum delictum, non peccat. Ratio eſt, quia talis datio, & acceptio

Digitized by Google

ceptio nō ideò fit, quòd delictum placeat, ſed ratione laboris, periculi, damni pacti, vel fidei obligatæ, quod fieri poteſt cum deteſtatione delicti, & propoſito de cætero non peccandi.

7 Nec argumentum Medinæ quicquam probat, quia licèt opus malum ſub ratione mali, non ſit pecunia æſtimabile, quatenùs tamen delectabile, vel vtili vni, & alteri detrimētoſum, periculoſum, laborioſum, inter homines pretio æſtimatur, ergò quod hac ratione pro opere malo eſt acceptum, non eſt reſtituendum. Ita Ban. 2.2. q. 62. ar. 5. Tolet. lib. 5. c. 21. & 59. Petr. Nauar. lib. 4. de reſt. c. 2. nu. 132. Roder. p. 2. ſum. c. 40. Mol. tom. 1. de iuſt. d. 94. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 5. & alij.

QVÆSTIO III.

An publicæ meretrices poſſint pro turpi actu ſui corporis aliquid accipere, & retinere tanquam pretium turpitudinis?

1 MEd. C. de reſt. quæſt. 20. & Nau. cap. 17. num. 34. docent meretrices non poſſe accipere, nec retinere aliquid tanquam pretium, & mercedem fornicationis, quamuis alio quidem titulo (putant iſti) poſſe retinere, quod pro actu turpi eis datur, ſcilicèt vel titulo liberæ donationis, quando conſtiterit quidpiam vt donum, & non vt pretium actus fuiſſe datum, ſicut putat Med. vel quia quod turpiter datum, & acceptum eſt, non eſt de præcepto reſtituendum, vt ait Nauar.

2 Communis tamen Theologorum, & Canoniſtarum ſententia quam amplectendam cenſemus, docet huiuſmodi mulieres publicitùs proſtitutas poſſe abſque onere reſtitutionis in pretium actus turpis aliquid accipere, & retinere. Et ratio eſt, quia pro omni eo poteſt iuſtè accipi pretium, quod ſpectato obiecto ſuo, eſt apud homines pretio æſtimabile, etiamſi ab extrinſeco fiat illicitum, atqui actus meretricius eſt huiuſmodi, ergò. Maior propoſitio conſtat ex dictis: Minor verò probatur, quia ſubminiſtratur materia ad vſum actus cuiuſdam, homini naturalis, & eidem delectabilis &c. ergo eſt pretio æſtimabilis, quamuis, aliundè ea adminiſtratio ſit illicita, & repugnans virtuti caſtitatis.

3 Tum quia qui locat ſuas operas in die feſto, licèt peccet mortaliter quia facit contra præceptum decalogi, non tamé tenetur reſtituere ſtipendium ſui laboris, quia non locat ſuas operas, ea parte, qua ſunt contra legem Dei, ſed quatenùs laborioſæ ſunt, & vtiles locanti: ſed meretrix cum accipit pretium pro actu meretricio, non accipit illud ſub ea ratione, qua peccatum eſt & deuiatio à lege Dei interna, ſed qua vtilis, & delectabilis fornicanti. ergo non tenetur illud reſtituere.

Tum quia, promiſſio, ſeu donatio iure naturali valida, & nulla lege poſitiua prohibita, efficax eſt, transfertque dominium, etiamſi ab extrinſeco ſit illicita, atqui promiſſio, ſeu donatio quæ fit meretrici pro vſu ſui corporis, & ſi vitietur ab extrinſeco, nempe à cauſa, ob quam iure tamen naturæ valida eſt, cum fiat pro actu, qui eſt pretio æſtimabilis, nec aliqua lege poſitiua reddatur, nulla ergo.

Tum quia ſi femina conſentiat cum viro in turpem actum, ea conditione vt vir poſtea ducat eam in vxorem, poteſt fœmina iuſtiſſimè petere à viro, vt adimpleat promiſſum, & dabitur ei actio in iudicio contra fornicarium, teneturque eam ducere, ergò multò magis ſi conſentit in actum turpem ſub ſpe alicuius pretij, poteſt illud petere, & retinere.

4 Tum quia, ſi ego facio pactum cum cauponario, vt in diebus quadrageſimæ det mihi cibos prohibitos, iſte contractus validus eſt, & ego teneor illi ſoluere pretium ex iuſtitia, ergò non impedit quòd pretium detur pro actu turpi, & illicito, qominùs valida ſit ipſa datio pretij, & tranſlatio dominij.

Tandem eſt concluſio definita in l. idem ff. de condit. ob turpem cauſam vbi dicitur, quòd licet meretrix turpiter agat in eo, quod meretrix eſt, quia id eſt contra ius naturæ, non tamen turpiter facit in eo, quòd pretium accipit pro meretricio. Et tradit D. Th. 2.2 q. 62. ar. 5. ad 2. & Caiet. ibidem. Sot. lib. 4. q. 7. art. 7. Valen. t. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Mol. tom. 1. de inſt. d. 94. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 2. num. 1. Arag. 2.2. qu. 62. art. 5. & multi alij.

QVÆSTIO IV.

An huiuſmodi mulieres poſt fornicationem completam habeant actionem in iudicio ad

petendum iustum pretium ipsis ante peractam fornicationem promissum?

1 REspondeo,huiusmodi mulieres post rem patratam, non solùm licitè accipere, & retinere posse pretium suæ turpitudinis antea promissum,aut cõstitutum, sed etiam conceditur eis actio in iudicio ad illud exigendum, vt colligitur euidenter ex l. 4. §. sed & quod meretrici ff. de condit.ob turpem causam. Et est communis sententia Doctorum. Imò si nullo constituto pretio meretrix copiam sui corporis fecit,tenebitur is, qui cum ea peccauit soluere consuetum pretium, eo quòd illa censenda est,non gratis, sed pro consueto pretio copiam sui corporis feciſſe, idque attendere debebit fornicarius vt Couar.in Reg.peccatum p.2.§.2.n.1.& Mol.to.1.disp. 94.annotarunt,& habetur in l.4.citata.

QVÆST. V.

An aliæ mulieres quæ non sunt publicæ meretrices,possint pro copula illicita pretium accipere?

1 OMnes ferè vtriusque iuris Doctores quos refert Cou. in Reg.peccatum p.2.§.2.tenent solùm meretrices in publico loco expositas posse recipere pretium pro actu fornicario:cæteras verò fœminas,quę maiori cum verecundia copiam sui faciũt, non posse, quia leges solùm meretricibus publicis pretium concedunt:cæteras verò potiùs puniunt, quàm pretium taxant.

2 Sed his non obstantibus, concors est Theologorum sententia Soti lib.4.q.7. art. 1.Bann.2.2. quæst.62.art.5.Mol.tom.1.d. 94. Roder.p.2.sum.c.40.Arag.2.2.quæst.62. art. 5.Lop.p.p.inst.confess.cap.105.Petr. Nauar. lib.4.de rest.c.2.num.11.& seqq.& omnium recentiorum asserentium posse etiam illas pretium accipere, & acceptum sibi in conscientia retinere. Et ratio est, quia copia quam istæ mulieres fornicariæ faciunt aliis corporum suorum,est etiam pretio æstimabilis,& tantò magis, quantò secretiùs, & honestius delinquunt.

Tum quia pretium,quod huiusmodi fœminis pro actu suæ turpitudinis datur,non est pretium peccati, sed est pretium locationis, qua mulier impudica locat corpus suum in vtilitatem, obsequium,& delectationem alterius; nec is qui pretium dat, peccatum emit,sed emit actum,quo mulier ei seruit ad voluptatem.

Tandem, licèt adulterium, sacrilegium, stuprum, & alia huiusmodi flagitia in iure puniantur,vt nociua Reipublicæ, nulla tamen est lex, quæ eas efficiat incapaces illius pretij,ergo in foro conscientiæ possunt pretium moderatum pro turpi vsu suorum corporum accipere,& retinere.

Obiicies, mulier nupta non est domina sui corporis,neque etiam vsus,sed vir eius, ergo si pro adulterio pretium accepit,tenetur illud restituere, quia quod alienum est,vendit.

3 Ad hoc dico primò, quòd licèt mulier coniugata non sit domina sui corporis,nec eius vsus, sed vir, nihilominus tamen est domina actionis liberæ committendi adulterium in gratiam adulteri, & pro hac libera sua actione potest mercedem accipere. Sicut assassinus non est dominus vitæ hominis,& tamen quia est dominus actionis suæ liberæ occidendi proximum, ideò potest iustè vendere istam actionem in gratiam postulantis mortem alterius. Ita Ban.2.2.q.62.art.5.

Secundò dico,quòd licèt vir habeat potestatem in corpus vxoris, vt possit ab illa petere debitum,quoties voluerit,neque illa possit negare, nihilominus quando ipsa rem habet cum adultero, vendit illi vsum rei,cuius ipsa est domina,ergo potest accipere pretium illius.Ita Salon.2.2.q.62.ar.5.

4 Dices,si hæc opinio esset vera,sequeretur, quòd etiam masculus posset pretium exigere à muliere,& locare corpus suum, quod tamen non est in vsu.

Et confirmatur, mulier præbet vsum corporis sui viro, & vir reddit ei æquale; ergo non est, cur magis teneatur vir dare pretium mulieri, quam mulier viro, imò æquiùs recipit vir,quam mulier, quia plus præbet.

Ad hoc respondeo concedendo consequentiam,quia eadem ratio est de viro,quę de muliere,cum cõcubitus ille pretio æstimabilis sit,nec talis conditionis, vt debeat gratis exhiberi. Vnde Alexander Magnus iure potuit à Duce illa Amazone, quæ illum gratia recipiendæ prolis inuisit, quod & prece,& pretio,vt fertur obtinuit.

Et ad confirmationem respondeo, quòd quia fœminis maior ineſt pudor, & in illo cõcubitu magis impudicè se habent: concurrunt

currunt enim in illo actu passiuè, pretium ipsæ iustiùs recipiunt, quàm viri.

3 Instabis, ergò pari ratione masculus posset accipere pretium, vt libidini alterius viri deseruiat, quod videtur absurdum.

Resp. concedendo consequentiam. Et ratio est, quia tota turpitudo, & exorbitantia in illo actu non est contra iustitiam, sed contra virtutem castitatis.

Tum quia licèt huiusmodi libido sit lege damnata, datio tamen non est prohibita.

6 Dices, nullus est dominus sui corporis, aut suorum membrorum, ergo masculus non potest vendere suum corpus, & mercedem pro illius vsu datam retinere.

Resp. quòd quamuis masculus non sit dominus sui corporis secundùm se, & quātùm ad suam substantiam, est tamen dominus quantùm ad vsum. Vnde sicut potest aliquis locare operas suas, aut vendere v. g. iter facere, aut laborare, ita etiā masculus vsum sui corporis vendere, & locare potest.

QVÆST. VI.

An quod huiusmodi fœminis occultis in pretiū suæ turpitudinis promittitur, post completam copulam in iudicio repeti possit?

1 AD hoc dico primò, quod in foro externo non potest merces accipi, nec retineri pro his occultis actibus, qui (si sciuntur) in eodem foro puniuntur, vt adulteria, incestus, sacrilegia, & id genus alia, ne quis præmium, & lucrum pro his criminibus reportet, pro quibus pœnam in eodem foro meretur. Vt habetur l. Mercalem cap. de condit. ob turpem causam. Et tradit egregiè Mol. tom. 1. de iust. d. 94.

2 Secūdò dico, quòd de actibus aliis meretricum occultarum, qui in iure non solent puniri, vtrumque in foro externo potest probabiliter asseri, scilicet quòd non possint in eo foro mercedem exigere vt vult. Med. C. de rest. q. 20. & etiam quòd possint, sicut posse diximus in foro conscientiæ secundum Mol. d. 94. Cou. in Reg. peccatū p. 2. §. 2. nu. 1. & alios communiter.

QVÆST. VII.

An qui huiusmodi, mulieribus tam publicis, quam priuatis pro copula illicita pretium promisit, teneatur postea ea peracta, in conscientia illud soluere?

1 RESpondeo teneri. Et ratio est, quia non promisit pretium pro copula illicita, qua illicita, sed qua vtilis, voluptuosa, laborioſa, detrimentosa &c. quæ omnia apud homines sunt pecunia æstimabilia, ergò quod hac ratione pro opere malo est promissum, restituendū est. Vnde Iudas Gen. 38. ipso naturalis luminis ductu, se demonstrauit obligatum Thamar ad peccati præteriti mercedem soluendam. Ita Ban. 2. 2. q. 62. ar. 5. Valen. tom. 3. d. 5. q. 6. par. 5. Couar. in Reg. peccatum. p. 2. §. 2. n. 1. Lop. p. p. inst. conf. c. 105. & Roder. p. 2. sum c. 40.

QVÆST. VIII.

An si Amasius mulieri superfluum aliquid promisit, teneatur promissum adimplere?

1 RESpondeo teneri. Et ratio est, quia simplex promissio de iure diuino, & naturali in conscientia obligat: nisi excessus ad prodigalitatem pertingeret, quia tunc quantum ad excessum promissum adimplere non posset, quia nemo tenetur adimplere id, quod sine peccato fieri nō potest; imò in his habet locum Regula illa. In malis promissis rescinde fidem: tenetur tamen si promisit, & peccatum iam commissum est, dare illi conuenientem mercedem ad iudicium boni viri, habita consideratione facultatis, & qualitatis, ac conditionis mulieris. Ita Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1. Bann. 2. 2. q. 62. a. 5. Roder. p. 2. sum. c. 40. & alij.

QVÆSTIO IX.

Sed quid? si Amasius cum iuramento tale superfluum promitteret?

1 SAlon. 2. 2. q. 62. ar. 5. putat in tali casu ratione iuramenti teneri adimplere promissum, etiam quando prodigalitas est mortalis.

2 Mihi autem magis eorum probatur opinio, qui censent hunc non teneri. Et ratio est, quia iuramentum promissorium de re illicita non est validum, nec obligatorium, imò est peccatum illud facere, & maius peccatum titulo Religionis illud adimplere: at prodigalitas saltem est peccatum

tum veniale, cum quis propria bona prodigit ergo. Quod ſi de facto Amaſius prodigè dedit mulieri quod promiſit, factum tenet,& illa manet domina eius, quod datum eſt, dummodo conſtet intentionem dantis fuiſſe dare illum exceſſum titulo liberæ donationis. Et ſi ſimiliter qui dedit, non ſit filius familias,quoniam iſte ſecundùm omnes alienare non poteſt; poterit autem tantum dare meretrici quantum libere. Ita Bann. 2. 2. quæſt. 62. artic.5. Sot. lib.4. quæſt. 7. ar 1.& Roder.p.2.ſum.c.40.

3 Quæ omnia cenſeo eſſe vera de mullere publicè expoſita, quæ quia ſolita eſt vſum ſui corporis locare vno aureo, non poteſt ab Amaſio titulo locationis decem extorquere. At ſi eſſet aliqua mulier celebris, aut non expoſita pro vſu ſui corporis poſſet exigere mille ab eo qui eſt ſui iuris, nam tanti, & pluris poteſt ſuam honeſtatem æſtimare: res enim quæ taxatum pretium non habent, nec ad victum, & veſtitum ſunt neceſſariæ, ſed ad ornatum ſeu delectationem pertinent,arbitrio venditoris poſſunt æſtimari. Vndè tantùm poſſunt vend ,qnantùm poteſt venditor extorquere citra fraudem vllam: ac proinde non eſt iniuſtitia accipere quatuor millia aureorũ pro ſtatua Cæſaris, pro gemma &c. Ita Sot. lib. 4. q. 2. ar. 3. & Petr. Nauar. lib.4. de reſt.c. 2. n. 119.

QVÆST. X.

An huiuſmodi mulieres pretium ſibi promiſſum pro turpi actu ſui corporis petendo peccent?

1 NAuar.cap. 17. num. 34. cenſet eas peccare mortaliter, ſi poſt per actam turpitudinem pretium petunt tanquam ſibi debitum, ex eo quòd (inquit) non eſt illis debitum ratione peractæ turpitudinis, nec obligari promittentem in foro interno illud ſoluere.

2 At D. Thom.2.2. qu. 62.art.5. & Caiet. ibidem,Sotus lib. 4. q. 7. ar.1. Molina tom. 1. de iuſt.d. 94. Valent.tom. 3. d. 5.quæſt.6. p. 5. Ban. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. Couar. in Reg. peccatum. 1. §. 2. 1. Arag. 2.2.62.art. 5. Roder.p. 2.ſum. cap. 40.& multi alij negant peccare huiuſmodi mulieres in recipiendo datũ, vel in petendo pretium promiſſum pro copula illicita. Ratio eſt, quia copia quam iſtæ mulieres impudicæ faciunt aliis ſuorum corporũ ratione vtilitatis,laboris, periculi,voluptatis adiunctæ inter homines pretio æſtimabitur, nec vlla eſt lex poſitiua, quæ incapaces eas efficiat ad recipiendum, vel retinendum pretium,quod ea de cauſa ei datur.

Deindè ſi mulier petendo, & recipiendo pretium peccat, ergò leges humanæ quæ concedunt publicæ meretrici repetitionem illius pretij, & in foro externo cogunt fornicarium id ei perſoluere ſunt iniuſtæ, quia cum iſtæ leges non funduntur in falſa præſumptione,dum id iubent, videntur cooperari ad mortale, ſi talis petitio, & receptio eſt mortalis,atque ex cõſequent. Iudex qui talem ſententiam ferret, ad reſtitutionem teneretur, quod eſt omninò abſurdum. Neque petendo pretium pro actu meretricio patrato, complacet ſibi in actu præterito, vt ait Nauar. quia vt rectè annotauit Molina. poteſt conteri tam de actu turpi commiſſo,quam quòd pretio fuerit adducta ad id patrandum, firmiterque ſtatuere nil tale in poſterum committere, & tamen exigere, & accipere pretium, quod per actum turpem commeruit.

3 Obiicies, actus quo mulier impudica locat corpus ſuum in gratiam alterius eſt malus ex obiecto, ergo non eſt vendibilis, cum non ſit pretio æſtimabilis.

Reſpondeo quòd licèt actus, quo mulier impudica dat corpus ſuum, in quantum eſt malus, ſit inuendibilis, tamen ratione voluptatis adiunctæ, quæ eſt pretio æſtimabilis,eſt vendibilis.

Nec eſt implicantia contradictionis vt Nauar. ait, dicere quòd ſit turpe meretricari,& quòd ſit licitum. & non turpe pretium accipere pro actu meretricio. Et ratio eſt, quia pretium non accipitur pro fornicatione,quatenùs eſt intrinſecè mala, & à Deo prohibita, ſed quatenùs eſt actio libera, & vſui humano accommoda, ſcilicet fornicario vtilis.& delectabilis.

4 Nec eſt omninò ſimile, quòd adducit Nauar. quod pari ratione liceret pretium accipere pro re ſpirituali, quia eſt etiam vſui humano vtilis.Quia res ſpiritualis iuſſa eſt a Domino dari gratis. At actus meretricius vt eſt vſui humano accommodus, & delectationem afferens non eſt iuſſus,vt ſi fiat, fiat gratis licet prohibitum ſit ſub mortali ne fiat.

5 Dices ſicut pretium datum pro rebus ſpiritualibus retineri non poteſt, quia datur

datur: pro rebus, quæ omne pretium ſuperant, ita datum ob peccatum accipi, & retineri nequit quia peccatum eſt infra omne pretium, & omninò nullius valoris, cum ſit nihil, iuxta illud Ioannis. Et ſine ipſo factum eſt nihil, ideſt peccatum.

Reſpon. quòd licèt peccatum in genere moris, quatenus eſt deuiatio quædam à recta ratione, nullius ſit valoris, cum ſit nihil. At in genere entis, quatenùs eſt actus vtilis, vel voluptuoſus peccanti eſt pecunia æſtimabilis, & hac ratione vendi poteſt & pretium recipi, vnde ab Alexandro Magno, fertur pretio, & prece Amazona conſecuta fuiſſe, vt ſecum coiret.

6 Ad hoc dicit Nauar. quòd omnia iura diuina, & humana reſpiciunt eiuſmodi actum meretricium magis in genere moris, quam in genere entis, & naturæ, ergò pro illo actu turpi non licet pretium accipere.

Reſpondeo quòd licet iura diuina, & humana conſiderent actum meretricium magis in genere moris, quàm entis, tamen huiuſmodi fornicarij cum pro actu meretricio dant, vel recipiunt pretium, magis conſiderant iſtum actum in genere entis, ideſt vt eſt vtilis, & delectabilis fornicario.

7 Nec vrget replica Nauar. quod illa deformitas eſt intrinſeca, & inſeparabilis ab illo actu meretricio. Quia licèt hoc verum ſit ex natura rei, vt ipſe ait, tamen per operationem intellectus, delectatio ratione cuius datur, & accipitur pretium, eſt ſeparabilis.

Hinc ſuperuacanea eſt illa ceremonia, quam obſeruandam eſſe ait Nau. ſcilicet quòd huiuſmodi mulieres, ſiue publicæ, ſiue occultæ non exigant talem mercedem ſibi promiſſam tanquam iure debitam, ſed tanquàm debitam ex gratitudine. Quia vt rectè annotauit Sotus lib. 4. q. 7. ar. 1. nomen meretricis, quia dicitur à merendo, inſinuat id quod pro tali turpi concubitu datur, vel recipitur, tanquam debitum legale, & non loco liberæ donationis cõferri.

Tum quia ſi eis non eſſet debitum, ſanè tenerentur illud reſtituere, ſi ipſis datum eſſet vt debitum, atque in pretium, & non titulo liberæ donationis: quod tamen Nauar. reiiciens opinionem Medinæ negat.

8 Hinc, falſa eſt illa imaginatio Nauar. dicentis, quòd licet huiuſmodi mulieres pro turpi actu non poſſint exigere pecuniam vt iure ſibi datam, debito legali: nihilominùs ſic acceptam non tenentur reſtituere, quia gratis (inquit) ſibi confertur, Quia licèt hoc verum ſit, quòd non tenentur reſtituere, vt ex communi omnium ſententia ſupra probauimus, id tamen non eſt propter rationem Nauar. quia nimirum, quod eis datur, gratis confertur, ſed potiùs, quia de iure eis debetur.

QVÆSTIO XI.

An fœmina coniugata clàm marito, & filia clam patre, poſſint pretium ſuæ turpitudinis in ſuos vſus conuertere?

1 BAnnes. 2.2. q. 62. ar. 5. ait quòd pretium turpitudinis, quod acquirunt fœminæ coniugatæ debet reponi in communi theſauro mariti, & reputandum eſt ſicut alia bona, quæ acquiruntur durante ſocietate matrimonij, & ità eſt expendendum, & diuidendum ſuo tempore. Idem aſtruit de pretio quod Monialis pro vſu ſui corporis, illud enim Monaſterio acquiritur, ſicut aliud pretium quod labore manuum ſuarum acquireret.

2 At verò Sot. lib. 4. q. 7. ar. 1. ad ſecundum cenſet, poſſe coniugatam clam marito, & filiam clam patre pretium iſtud vertere in vſus ſibi placentes, niſi hac via acquiſitum eſſet magni ponderis, quia tunc in vſum mariti, vel Patris venire deberet. Quòd ſi aliquid pro pretio turpitudinis illis promiſſum fuerit, & peracta fornicatio nondùm illis ſolutum ſit, reſtitutio quæ ſi eſt de re graui, facienda eſt, non tam fœminis impudicis, quàm maritis, & parentibus fieri debet, quando dubium eſſet, eas non eſſe illis pretium tradituras: quamuis ſi alias ipſis mulieribus fieret reſtitutio, ad nihil amplius fornicarij tenerentur.

QVÆSTIO XII.

An Religioſus poſſit dare aliquid meretrici?

2 REſpondeo non poſſe. Et ratio eſt quia Religioſus ratione voti paupertatis, nihil habet proprium.

Dices, aliquando Religioſus licentiam habet à ſuo Prælato expendendi aliqua in vſus ſibi placentes?

1 REſpondeo, iſta licentia non intelligitur eſſe conceſſa ob rem turpem.

Et ratio eſt, quia cum Religioſus omninò ſit pauper, nec aliquid in eleemoſynam ſine Prælati ſui licentia dare poteſt, multò minùs dare poterit pro actu turpi, nec Prælatus talem facultatem concedere cenſetur, quia eſſet iniqua, & peccaret mortaliter Prælatus talem facultatem largiendo: neque in generali conceſſione comprehenditur, id, quod ſi in particulari peteretur, non concederetur. Argumentum reg. in generali de Reg. iuris in 6. Imò nec ipſemet Prælatus, ſi aliquid ob rem turpem daret, valida eſſet donatio, cum non habeat facultatem alienandi bona Monaſterij, niſi in vſus pios. Ac proinde quod ab eis accipitur, reſtituendum eſt Monaſterio, niſi Monaſterium ipſum vt famæ Religioſi conſulat, aut propter inopiam eius, qui id accepit, vel alia iuſta de cauſa id condonet. Vnde vt rectè monet Petr. Nau. lib. 4. de reſt. cap. 2. num. 122. huiuſmodi fœminas impuditas conſulere ſibi debere, quæ magnam copiam à non potentibus dare, vel modicam à viris Religioſis accipiunt. De qua re confeſſarij debent examinare huiuſmodi mulieres fornicarias, etiam ſi publicatus proſtituæ ſint. Ita Mol. tom. 1. d. 94.

2 Dices, aliquando Religioſus aliquid acquirit ſibi gratis datum, vel arte, aut induſtria aliquid lucratur.

Reſpondeo quidquid acquirit Religioſus profeſſus Monaſterio, vel Religioni, acquirit, non ſibi; nec Monaſterium, vel Religio dare poteſt talem facultatem niſi in vſus pios ac proinde quod ab eo accipitur, reſtituendum eſt Monaſterio.

QVÆSTIO XIII.

An ſi ſecularis det aliquid Religioſo, vt illud expendat in vſus profanos, poſſit illud dare meretrici?

1 REſp. non poſſe. Et ratio eſt, quia eo ipſo dominium rei datæ tranſit in Monaſterium, vel Religionem.

QVÆST. XIV.

An donatio facta meretrici à milite ob turpem actum ſit in conſcientia valida?

1 MEd. C. de reſt. q. 10. ad 6. putat non valere, ex eo quòd in l. 2. C. de donat. inter virum, & vxorem, miles donare prohibetur quidpiam meretrici.

2 Sed verius, ac probabilius multo eſt, quod docent Magiſter Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. & Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 14. dub. 6. aſſerentes per leges tantum concedi militi ius repetendi in iudicio, quod meretrici donauit, non tamen reddunt irritam acquiſitionem rei ex actu turpi, nec faciunt meretrices inhabiles ad comparandum eius rei dominium, ac proinde debere reſtitui ante ſententiam. In l. n. citata, non iuſtum pretium prohibetur, ſed larga donatio, idque in fauorem militis, vt Sotus probè obſeruat.

QVÆSTIO XV.

An mulier fornicaria, quæ fraude, vel dolo quidquam extorquet pro vſu ſui corporis, teneatur illud reſtituere danti?

1 REſpondeo, ſi mulier impudica vi, metu, fraude, aut dolo aliquid extorquet ſuperfluum ab Amaſio, fingendo v. g. ſe eſſe virginem, vel non cognitam niſi ab vno, idque à Magnate, cum tamen verum non ſit, & ob id maius pretium accepit, quàm ex natura rei mereretur, & quam accepiſſet, ſi nulla fraus intercederet, tenetur tunc illud ſuperfluum reſtituere. Et ratio eſt, quia non fuit liberè donatum. Ita Nauar. c. 17. num. 41. Caiet. 2. 2. q. 32. art. 7. & Med. C. de reſt. q. 20.

QVÆSTIO XVI.

An mulier impudica, quæ per blanditias, & verba amatoria aliquid ab amatore ſuo extorquet teneatur illud reſtituere danti?

1 ILluſtriſſimus Caiet. 2. 2. quæſt. 32. art. 7. & in ſum. verb. reſtitutio §. quia vero. & Medina C. de reſtit. q. 20. affirmant eam ad id teneri, ex eo quòd non minùs excæcat amor, quam ebrietas.

2 Communiter tamen Doctores tenent, quòd ſecluſa fraude, & dolo, ſi quid communibus blanditiis, & verbis amatoriis duntaxat extorquet, dicendo falsò ſe perditè illum deamare, & alia huiuſmodi, in hoc caſu ad nullam reſtitutionem tenetur. Et ratio eſt, quia is qui dat illum exceſſum iuſti pretij, liberè dat, nam licet amor, & blanditiæ minuant rationem & voluntatem

Digitized by Google

tem rectam,tamen appetitum, & voluntatem ſimpliciter augent.

Tum quia omnes optimè norunt illas eſſe meretricum technas, & ſibi imputet Amaſius,qui ſe his ſolitis mendaciis, & illecebris decipi permittit.

3 Dixi notanter(communibus blanditiis) quia ſi preces,& blanditiæ eſſent adeò exorbitantes, & importunæ, vt voluntarium excludant,& inuoluntarium mixtum inducant,tunc reſtituere illum exceſſum profectò teneretur. Ita Rebel.p.2.de obligat.lib. 3.q.8. Nauar.c.17.nu.41. Lop. lib.2. de contract.cap.44.& Sot.lib.4.q.7.ar.1.

QVÆSTIO XVII.

An mulier impudica quæ petit ab Amaſio aliquid pretioſum coram aliis perſonis, coram quibus cogitur donare, aliàs amittet ſuum honorem, teneatur illud in conſcientia reſtituere?

1 REſpondeo teneri. Et ratio eſt, quia qui dat inuoluntariè ſaltem mixtè, non transfert dominium, ſed in hoc caſu Amaſius qui dat,inuoluntariè dat, non daturus,ſi ſine ſuo dedecore denegare poſſet, ergò non transfert dominium,& per conſequens mulier non poteſt recipere illud, ſed tenetur reſtituere danti. Ita Ban.2.2.q. 62.ar.5.& Lop.p.p.inſt.conf.c.107.

QVÆST. XVIII.

An mulier cui data ſunt munera, ad eam turpiter pronocandam,cauſa,vel conditione turpi non impleta, teneatur illa reſtituere?

1 MEd. C. de reſtitut.q.20. & alij ſuprà citati putant eam ad id teneri.

2 At huius oppoſitum mihi videtur verius, atque tenendum in caſu quo huiuſmodi munera non fuerunt data tanquàm pretium operis, ſed ad incitandam duntaxat,etiamſi accipiens prauam intentionem donantis intelligat.

QVÆSTIO XIX.

An qui pretium accipit, vt aliquid faciat, vel omittat contra iuſtitiam, teneatur poſt patratum delictum, in conſcientia illud reſtituere?v.g.accepit quis pecuniam, vt hoſtem interficiat, vt furetur, vt falſum teſtimonium dicat, vt ferat ſententiam iniuſtam, &c.

1 IN hac grauiſſima quæſtione quatuor ſunt opiniones. Prima ait,teneri recipientem reſtituere pretium ante omnem repetitionem,& condemnationem Iudicis. Ita Illuſtriſſimus Caiet.in ſum. verb. reſtitutio ca.4.Valentiæ tom.3.d.5.q.6.p.5.Arag. 2.2.q.62.art.5.Ned.C. de reſt.quæſt.2.dub.2. Lop.p.p.inſtruct.confeſſ. cap.106. Cordub. in ſuolquæſt.q.32.Salon.2.2. q. 62. art. 5. & multi alij.

Secunda opinio eſt in altero extremo, quæ dicit nullam faciendam eſſe reſtitutionem, ſi recipiens pretium, perpetrauit delictum, pro quo datum eſt. Ita tenent Nauar.c.17.n.30.& cap.25.n.45. Tolet.lib.5. cap.21.& 59.Bann.2.2. q.62.art.5.Roder.p.2. ſum.cap.40. Petr.Nauar.lib.4.de reſt.c.p.2. num.132.& alij.

2 Tertia opinio,quæ videtur media inter has opiniones eſt Couar.in Regula peccatum p.2.§.2.n. 7. vbi diſtinguit,ſi in opere, vel omiſſione contra iuſtitiam eſt induſtria,vel labor,vel periculum, vel vtilitas, tunc licitè poteſt pro his accipi pretium, & acceptum retineri. Ratio eius eſt, quia in hoc caſu pretium accipitur, non pro opere malo,ſed pro induſtria,labore,periculo, vel emolumento, quod in fauorem dantis venditur, quale eſt pretium quod datur militi vt pugnet in bello iniuſto,vel vt interficiat hominem, cum ſe periculo mortis exponat. Si verò opus malum pro quo aliquid accipit,nullam habet annexam induſtriam,laborem, periculum, aut commodum alterius,tunc accipiens tenetur illud in conſcientia reſtituere, quia nihil eſt boni in opere,quod vendi poſſit.

3 Quarta verò opinio dicit duo.Primò dicit,quòd qui accipit pretium, ab eo in cuius vtilitatem debet à peccato abſtinere, tunc in conſcientia tenetur illud reſtituere vt v.g.accipit pretium à Titio,ne ipſum interficiat,ſpoliet &c.nam lege iuſtitiæ tenetur ab his peccatis abſtinere, & perinde eſt ac ſi reciperet pretium vt depoſitũ,vel mutuum acceptum ſuo domino redderet.

Secundò dicit,quòd qui accipit pretium ne peccet contra iuſtitiam debitam vni,& accipit ab alio, tunc non tenetur in conſcientia tale pretiũ reſtituere,quia licèt ex iuſtitia

iustitia tenentur ab his peccatis retrocedere, non tamen tenetur id facere ex iustitia in gratiam eius, qui soluit pretium, & sic potest ex tali obsequio ei præstito pretium exigere. Ita Azor. p. 3. Inst. mor. lib. 4. cap. 21.

4 Pro cuius tamen quæstionis decisione dico primò, quòd non omnis stipulatio mala est irrita, nec omnis donatio, aut pactum quod fit cum peccato est inualidum. Probatur, collatio beneficij facta digno, relicto digniori, iure naturæ est mala, & iniqua, & nihilominùs est valida propter periculum animarum, ergo.

Deinde, donatio prodiga, & quæ vergit in præiudicium familiæ est mala, & peccatum, & tamen est valida, transfertque dominium in accipientem, ergo.

Demum, qui post sponsalia legitimè cõtracta cũ Bertha, ducit Catharinã, vel post votum simplex castitatis emissum contrahit matrimonium, peccat mortaliter, & tamen matrimonium est validum, ergò.

5 Secundò dico, quòd omnis promissio datio, & acceptio pretij ob rem turpem illicita est, & peccatum antequàm talis res turpis fiat v. g. antequàm assassinus hominem interficiat, aut antequam Iudex ferat sententiam iniustam, promissio, datio, & acceptio pretio pro tali re turpi, ordinantur ad eam patrandam; sed quod ordinatur ad peccatum mortale tanquàm ad finem, est etiam mortale peccatum eiusdem speciei cum fine. Imò est vnum numero peccatum lethale cum peccato rei turpis, ad quàm ordinatur, tanquàm pars integralis illius.

6 Tertiò dico, quòd omnis donatio seu promissio de re turpi, siue sit contra iustitiam, siue non, antè rem turpem patratam inualida est, & nulla, tenenturque contrahentes à pacto, & promissione discedere, & qui pretium accepit, tenetur illud restituere. Et ratio est, quia talis promissio est de peccato patrando; in malis autem promissis fides rescindenda est. C. in malis 22. q. 4. & in lege generaliter de verb. obligat. §. quod turpiter. Vbi habetur, promissionem omnem, stipulationem, ac pactionem de re turpi, ideſt quæ impleri nequit sine peccato, inualidam esse.

Et confirmatur, votum, & iuramentum de re illicita non obligat coram Deo, imò est rescindendum, ergo à fortiori qui pretio promisit rem turpem, tenetur nullo modo stare promissis, sed illud statim restituere, & ab illa re turpi omnino abstinere.

7 Quartò dico, quod quotiescunque datur aliquid ob turpem causam, siue sit contra aliam quancunque virtutem, si tamen actus, ob quem pecunia datur, non est consumatus, danti pecuniam, facienda est restitutio, antè condemnationis sententiam, Vt v. g. si pecunia data est iudici, vt iniustè iudicaret, aut testi, vt falsum diceret, & iustè iudicauit, & testis verum dixit, tunc danti restitutio est facienda. Et ratio est, quia minister iustitiæ, aut testis antè commissum flagitium pro quo accepit pecuniam, tenetur rescindere contractum iuxta cõsilium Isidori. In malis promissis rescinde fidem: quod fieri non potest, nisi pecuniam acceptam restituendo, ergo illi in conscientia restitutio facienda est.

Deinde, qui dedit pecuniam, non dedit nisi ob illam causam principaliter, ergo causa illa non subsistente, non abdicauit à se pecuniam, ergo est sibi debita, & in conscientia illi est restituenda, & licet dignus sit, vt talis re sua priuetur, non tamen est ipso facto priuatus, nisi à Iudice in foro exteriori condemnetur.

8 Quintò & vltimò dico, quòd qui proquouis opere contra iustitiam, vt pro damno inferendo, vel occidendo, pecuniam accipit, si opus fuerit consumatum antè Iudicis sententiam ad nullam tenetur restitutionem faciendam, adueniente autem sententia condemnatoria, tenetur restituere fisco, vel cui Iudex applicauerit. Et ratio est, quia si teneretur restituere, id deberet facere damnificato, aut pauperibus, vel danti. Sed neutri istorum tenetur, ergo. Maior propositio est per se nota. Minor verò probatur. Et primò quòd non tenetur damnificato, quia satis est, vt illi damnum, quòd ex illo opere passus est restituat. Non pauperibus, quia illis nullam irrogauit iniuriam. Nec etiam danti, quia radix restitutionis est iniusta acceptio, vel detentio inuito domino, & accipit pecuniam pro damno alteri inferendo, nec recipit inuito domino, nec retinet, ergo.

9 Tum quia licèt opus prauum secundùm se, & secundùm suam rationem formalem, qua offensa Dei est, & deuiatio à bono incommutabili sit nihil, ac proinde nullius valoris: materialiter tamen consideratum

pro

Digitized by Google

prout attenditur ab his, qui talia opera exercent, est quædam actio humana, liberè facta, habensque annexa delectationem, laborem, damna, pericula, & alia multa quæ in dantis vtilitatem vel in detrimentum accipientis pretiũ cedunt; ex quo fit, vt sit pretio æstimabile ex natura rei, sicut reliquæ actiones humanæ, quæ ideò sunt vendibiles, & pretio æstimabiles, quia sunt conducibiles vitæ humanæ, ergo accipiens illam pecuniam, non tenetur illam restituere.

Et confirmatur, nullum est opus contra iustitiam, quòd non habeat annexam vel industriam, vel laborem, vel periculum, vel emolumentum alterius, ergo in malo opere semper est aliquid pecunia æstimabile.

10 Tum quia acceptio pretij pro peccato quòd est proximo iniurioſum, non est contrà iustitiam commutatiuam, quamuis peccatum, pro quo patrando promittitur, sit contra iustitiam, ergo non solum licitè retineri potest post crimen commissum, sed etiam de iustitia solui debet à promissore.

Tum quia ex oppoſita sententia sequeretur, quòd faber qui fabricat idola, vel acuit gladium quo alter vult occidere suũ inimicum, nihil posset accipere pro suo labore, & si accipit, teneretur illud statim restituere. Similiter miles qui conductus est stipendio ad bellum iniustum, teneretur ad restituendum stipendium. Et qui vẽdidit venenum, sciens in vsum proximo iniurioſum emi, teneretur ad restitutionem pretij accepti pro veneno, quæ omnia sunt falsa, & absurda.

11 Hoc totum colligitur ex lege si ob turpem causam ff. de condit. eod. titulo vbi habetur, datum ob turpem causam, causa subsecuta à dante repeti non posse. Et cum lex in casu proposito prohibeat repetitionem, & dans voluntariè dederit, non erit recipiens tunc restitutioni obnoxius.

Hinc Iudex, qui vt iniustam sententiam ferat: Testis vt falsum testimonium dicat; & Aduocatus vt iniustum patrocinium præstet, pretium accipiunt, si opus fuerit consumatum, licet teneantur damnum illatum resarcire, id pretium tamen ad acceptum restituendum non obligantur.

12 Obiicies, pretium datum Iudici pro iustè iudicando, est restituendum, ergo à fortiori pro iniustè iudicando.

Resp. negando consequentiam. Et ratio negationis est, quia sententia iusta est ex iustitia debita, ergo gratis, & non pro pretio est ferenda; iusta verò cum de iure diuino ob nullã causam dari debeat, nulli est debita, ergo si fertur, est pretio vendibilis.

Tum quia Iudex stipendium habet a Republica pro iusta sententia ferenda, & ideò si vlteriùs aliquid accipit, restituere tenetur, quia accipit duplex stipendium pro obeundo officio suo. At verò pro iniusta sententia ferenda nullum habet stipendium, & ita licet peccet malè iudicando, non tamen iniustè accipit pretium sibi promissum.

13 Dices D. Aug. Epist. 54. ad Macedonium ait, sceleratiùs accipi pecuniam pro sententia iniusta, quàm pro iusta, pro testimonio falso, quàm pro vero; ergò pretium acceptum pro sententia iniusta, vel pro testimonio falso, est magis restituendum.

Respondeo obligationem restitutionis non sequi magnitudinem sceleris, sed damnum per iniuriam datum: at qui accipit pretium pro sententia iniusta, aut pro testimonio falso, nullam infert iniuriam danti, sicut is qui accipit pro iusta, aut pro testimonio vero.

QVÆSTIO XX.

An qui perpetrauit delictum, licitè possit petere pretium sibi promissum?

1 RESpon. posse. Et ratio est, quia licèt in committendo delicto peccauerit, non tamen peccat in petendo pretium sibi promissum, quia malefaciendo industriæ aliquid adhibuit, vel laboris, vel periculum subiit, vel denique fecit aliquid in gratiam dantis.

QVÆST. XXI.

An qui pro maleficio pecuniam promisit, teneatur postea eo peracto in conscientia illam restituere?

1 RESpondeo teneri. Et ratio est, quia non promisit pecuniam pro maleficio, quatenus maleficium, & peccatũ est, nam eatenus consideratum maleficiũ, nullius valoris est, atque adeò iniustè pro eo sic considerato aliquid accipitur; sed quatenus est actio libera, & vsui humano accommoda, scilicet danti pecuniam vtilis, & alteri laboriosa, & periculosa, quæ omnia pretio æstimãtur. Quod intelligitur, quando

do pretium promissum est moderatum, quia esset prodigum, nulla esset restitutionis obligatio.

1 Hinc patet, non satis circumspectè dixisse Nauar. cap.17.num. 38. esse peccatum mortale implere promissionem factã propter maleficium, & similiter esse peccatum mortale petere, vt sibi soluatur pretium promissum ob flagitium, licet possit iustè retineri huiusmodi pretium sibi ex promissione ob maleficium solutum. Ratio huius est, quia qui soluit pretium, quod promisit soluit, vt fidem datam seruet: At fidelem esse in præstandis promissis est bonum, quamuis causa promissionis sit turpis.

Deinde, petere, vt fides data seruetur, non est malum, ergo non peccat, qui petit, vt sibi soluatur pretium promissum.

3 Obicies, non potest recipi, quod non potest dari ob maleficium patratum, nisi denuò maleficium ipsum approbetur.

Respondeo posse recipi, & dari solùm, vt fides data præstetur, absque eo quòd maleficium commissum approbetur.

Dices, promissio non est facta nisi ob maleficium, ergo datio, & receptio non fit, nisi propter maleficium commissum,

4 Respondeo, causa ob quam datur, vel recipitur pretium promissum, solùm est, vt fides in promissis seruandis præstetur, licèt promissio fuerit facta ob maleficium.

QVÆSITO XXII.

An qui accipit pretium pro eo, quod aliàs ex lege, & obligatione iustitiæ facere debet, peccet, & ad restitutionem teneatur?

1 IN hac quæstione vnum est certum, & aliud, de quo meritò possumus dubitare. Hoc primum extra controuersiam est omnibus, scilicet posse Iudices, Tabelliones, & quoscunque alios iustitiæ ministros, qui vt iustitiam administrent, vel quoduis aliud munus exerceant, habere certum, ac iustum stipendium à lege taxatum, illudq; accipere, ac retinere absque peccato, aut obligatione restitutionis; si tamen aliquid vltra pretium taxatũ pro eo munere exercendo in pretium accipiant, peccant, & ad restituendum illud obligantur. Et ratio est, quia qui à Republica habet certum, & iustum pretium pro iustitia administranda vel quouis alio munere exercendo, ex tacita, vel expressa conuentione cum Republica tenetur ex iustitia munus exercere pro eo pretio sibi assignato, si quid amplius accipit, transgreditur limites iusti pretij, & per consequens ad restitutionem illius tenetur. Quàdo autem nihil pro munere alicuius exequendo publica authoritate esse taxatum, tunc pretium iustum pro muneris executione, accipere poterit pro quocunque actu, quidquid prudentis arbitrio iuxta temporis, rerum, & circunstantiarum varietatem, fuerit iudicatum non excedere limites iusti pretij rigorosi.

2 Hinc Iudex, qui vltra iustum stipendiũ sibi à lege taxatum plus mercedis à partibus exigit, vt benè iudicet, seu vt non proferat sententiam iniustam; aut Tabellio vt fideliter scribat, seu vt non scribat falsum in præiudicium tertij, aut secretum seruet in iis, ad quæ tenetur, peccat, & illud restituere tenetur. Vnde Aug. serm. 19. de verb. domini, relatus in cap. militare 23.q.1. Quicunque inquit, stipendia sibi publicè decreta, consequitur, si amplius quærit, tanquàm calumniator, & concussor Ioannis sententia condemnatur.

Hinc, si quis à Iudice, vel ab alio iustitiæ ministro petat, vt aliquid præstet, ad quod ex officio pro stipendio à lege taxato facere non tenetur, quando ipsarum partium causa aliò proficiscitur, aut laborem assumit manifestè maiorem, quàm ratione officij debet, vt si noctes minister ducat insomnes, vt citiùs quàm debuerat, alicuius causam expediat, potest quidem pro hoc extraordinario labore, ad quem ex officio suo non tenetur, moderatum pretium accipere, & retinere. Et ratio est, quia id est pecunia æstimabile, nec minister publicus pro stipendio à lege taxato id facere tenetur, vt docuit doctissimus Nauar. in Opusc. de datis, & acceptis num. 49.

QVÆST. XXIII.

Sed quid? si ex penuria rerum, aut pecuniæ abundantia, post taxationem processu temporis, iniustum pretium esse constaret?

1 RESpondeo, si pro comperto habent, salarium non esse iustum, tanto amplius possunt accipere, quantò amplius salarium esse oportet, vt sit iustum, cum nemo suis stipendiis militet. Idque tunc maximè, quando contra legem iux pretium

Digitized by Google

taxauit,id iam cõsuetudine est introductũ.

Dixi notanter (si pro comperto habent salarium non esse iustum) quia in casu dubij legi , aut pacto est standum , vt docet Molina tom.1.disp.82.

2 At ego non tam facilè admitterem, vt ipsi propria authoritate ex bonis Principis vel partium,in quarum commodum,& ad quarum petitionem suum munus exercent illud incrementum acciperent , eo quòd commoditas , muneris honor , gradusque talis officij , & spes inde ad superiora attendendi defectum salarij supplere videãtur,multiuè non minùs digni eadem officia cum eodem stipendio libenter susciperent.

QVÆST. XXIV.

Sed quod conuertitur apud Doctores est , An qui accipit pretium vt faciat , vel omittat aliquid , quod facere,aut omittere ex Iustitia obligatur , teneatur statim antè omnem Iudicis sententiam restituere ? v. g. Iudex qui accipit pretium, vt iustè iudicet, vel ne iniustam sententiam proferat , & assassinus ne occidat, spoliet &c.

1 SOtus lib.4.q.7.art.1.Nauar.c.17.nu.33. Lop.p.p.instr.conf.cap.106.q.1.& p.2. cap.29.Roder.p.2. sum.cap.40. & plerique alij censent sic accipientem, quamuis peccet mortaliter (quod quidem certum est) non tamen teneri ad restitutionem , nisi dans illud in iudicio repetat, & qui accepit,condemnetur.

2 At Med.C. de restit. q. 25.Valent.tom.3. d.5.q.6.p.5.Mol. tom.1.de iust.d.88.Salon.2. 2.q.62.art.5. Petr. Nauar. lib.4.de rest. c.2. nu.94. & multi alij docent statim ex natura rei, & ratione iniustæ acceptionis , non expectata Iudicis sententia,& dantis repetitione, sic accipientem restituere debere. Pro quo.

3 Primò dico,quòd qui accipit, pretium pro eo,quòd ex iustitia gratis exercere tenebatur , vt Iudex qui accipit pretium vt iustè iudicet , vel vt puniat latronem , & scholaris vt det suffragium digniori,in cõscientia ante omnem Iudicis sententiam, & repetitionem dantis restituere tenetur, siue causa,pro qua datum est,subsecuta sit, siue non sit.Et ratio est,quia cum hæc omnia ex iustitiæ vigore sint debita , sanè si quid in pretium pro illis accipiatur , consurget inæqualitas in materia iustitiæ, quæ necessariò, & ex natura rei reducenda est per restitutionem ad æqualitatem.

Tum quia opus iustitiæ non est venale, ergo quod pro eo datur,restituti debet.

Tum quia, quod sic accipitur, inuoluntariè datur :dat enim inuitus ad redimendam vexationem. Secus si liberaliter , vt maiorem,quàm solet,quamque teneatur,diligentiam in causa adhibeat.

4 Hinc , testis qui vt verum testimonium dicat, pretium accipit, peccat, teneturque quidquid ob id lucratur , restituere, iuxta mentem D.Aug. Epist.54. ad Macedonium, & refert in c.non sanè 14.q.5.Ratio tamen, cui Nauar.c.25.nu.44. & alij nituntur mihi non placet, arbitrantur enim testem à publica potestate iussum testificari, teneri ex iustitia suum dicere testimonium. Secùs autem, si non iubetur. Item eo ipso quòd siue iussus,siue non iussus ad testificandum accedit teneri ex debito , & obligatione iustitiæ verum dicere, nihilque celare,atq; eam ob causam pro his , ad quæ de iustitia tenetur , nihil posse accipere, quemadmodum de Iudice , aliisque iustitiæ ministris dictum est.

3 Mihi tamen placet sententia Mol.tom.1. de iust.d.83.& Ban.2.2.qu. 70.ar.1. asserentium testem, licèt contra debitum iustitiæ peccet , falsum contra innocentem proferendo,vel quando accedendo ad testificandum in causa est , veritatem celando , vt is in cuius gratiam verum testificari tenebatur,alios non adhibeat testes, eaque ratione ius non defendat,non tamen peccare contra iustitiam,sed solùm contra charitatem, & obedientiam ex eo quòd iussus à publica potestate se abscondat, nec testificetur, vel ex eo quod ad testificandum accedens celet veritatem, adiuuaréque desinat innocentem.

Ratio igitur vera , & legitima huius rei est,quia nihil est ibi pretio æstimabile,pro quo pretium accipere possit.

6 Tum quia,vt quis præcepto diuino, aut humano obediat , non potest mercedẽ accipere,atque adeò contra iustitiam peccatum admittit , accipiendo tanquàm debitũ in recompensationem,quod ei de iure non debetur. Si tamen testificandi causa notabilem laborem subiret,vel lucrum amitteret,aut damnum pateretur , vt si in itinere expensas faceret , accedendo ex remoto loco ad testimonium ferendum,posset pro his

his iuſtam mercedem accipere, & exigere vt ait Molina loco citato.

7 Secundò dico, quòd qui accipit pretium, vt ceſſet a peccato, quod eſt contra iuſtitiã eius, qui dedit pretium, proculdubiò in foro conſcientiæ tenetur ſtatim illud reſtituere nulla expectata ſententia Iudicis. Et ratio eſt, quia qui dat pretium in caſu poſito non transfert dominium, ergo alter nõ recipit, & per conſequens tenetur illud reſtituere. Antecedens probatur, nam qui dat, inuitus dat, & veluti ad redimendam vexationem, non enim daret, ſi alter vt deberet, gratis illud omittere voluiſſet.

Tum quia quod ſic datur, contra iuſtitiam accipitur, cum opus iuſtitiæ venale nõ ſit, ac proinde neceſſariò reſtitui debet. Quod etiam procedit quando illa tertia perſona, cui illata fuit iniuria, eſt adeo cõiuncta ei qui dedit pretium, vt etiam illius iniuria vergat in detrimentum dantis: tunc qui recipit pretium, tenetur illud antè omnem ſententiam Iudicis reſtituere, v. g. ſi pater dat pecuniam aſſaſſino, ne ſuum filium occidat; vel ſi ſocius peregrinationis dat pecuniam latroni, ne ſuum ſocium interimat, tenetur qui accipit pecuniam in foro conſcientiæ nulla expectata ſententia illam reſtituere. Ita Ban. 2.2.q.62.art.5. Mol. tom.1. de Iuſtitia d.88. Cou. 2.p.Reg. peccatum §. 3.num.1. & alij.

8 Tertiò dico, quòd qui accipit pretium, vt abſtineat à peccato, quod eſt cõtra iuſtitiã alterius tertiæ perſonæ v.g. ne furtũ, adulterium, homicidium, aliamvè iniuriam alteri faciat, non ſolùm peccat, ſed etiam obligatur in foro conſcientiæ ſtatim illud reſtituere nulla expectata ſententia Iudicis. Et ratio eſt, quia qui accipit pretium, tenebatur ex lege, & obligatione iuſtitiæ non inferre iniuriam proximo, ergo accipiendo pretium vt à lęſione proximi abſtineat, peccat contra iuſtitiam, & per conſequens ad reſtitutionem tenetur. Antecedẽs eſt per ſe notum, ſequela verò probatur, quia facit, vt qui ſoluit pretium, minùs habeat in bonis ſuis, quàm oportebat illum habere, ergo. Ita Val. to.3.d.5.q.6.p.5. Petr. Nau. lib.4. de reſt.c.2.n.98. Mol. to.1. de iuſt. d.88. Sal. 2.2.q.62.a.5. & Med. C. de reſt. q.25.

9 Ex quo colligitur falſam eſſe opinionem So. lib.4. qu.7.art.1. ad ſecundùm quatenus aſſerit, ſi in tuam gratiam deſiſto ab homicidio, furto, aliave iniuria, quàm alioquin alteri facturus eram, pretiumque à te pro deſiſtentia recipiam, ad nullam reſtitutionem teneor, ex eo quod nulla obligatione aſtringor, gratis deſiſtere in tui gratiam. Ratio huius eſt, quia vt ex dictis conſtat, nil venale in hoc quod deſiſto ab iniuſtitia patranda, reperitur: & ſi tale reperiretur, vendi id non minùs illi, cui iniuſtitia infertur, quàm cuidam tertio poſſet.

Tum quia fundamentum, cui hæc ſententia nititur, eſt falſum, ſiquidem non pro gratia, quàm tibi facere dico, ſed pro redimenda alterius iniuriosa vexatione, vel ne contra iuſtitiam peccem, pretium inuoluntariè mixtè tribuis, nec vllo modò dares, niſi alioquin iniuriam facere decernerem.

2 Tum quia ſi gratia pro pretio datur iam non eſt gratia, implicat enim contradictionem, eſſe gratiam, & non gratis dari, ſublata verò gratia, quid aliud hic fingi poteſt quàm nuda deſiſtentia ab iniuria, ſiue redemptio vexationis iniuſtæ, pro qua vt diximus, pretiũ acceptum reſtitui debet?

Tandem, quando opus, vel omiſſio ſecundùm ſe eſt inuendibilis, etiam eſt inuendibile obſequium, quo fit in tui gratiam, alioquin vſurarius poſſet exigere lucrum ex mutuo quòd in tui gratiam dedit alteri, & collator beneficij, quòd tui cauſa huic contulit, & Iudex quòd in tui obſequium iuſtam ſententiam tulit: tale enim obſequium, quando opus eſt de iuſtitia debitum, non cenſetur pretio dignum apud homines:

11 Quartò dico, quòd qui accipit pretium pro opere, quòd ex iuſtitia facere tenebatur v. g. ſi Iudex accipit pecuniam vt iuſtam ferat ſententiam &c. & dans non illam tribuat ad redimendam vexationem, ſed vt facilius iuſtitiæ miniſtrum ad illam exercendam alliciat, tunc miniſter non tenetur illam reſtituere. Et ratio eſt, quia dans voluntariè, & liberè dedit, non timore ductus.

Tum quia, ſi per preces, correptiones, & pollicitationes fas eſt inducere homines ad ea, quæ gratis præſtare tenentur, cur ea de cauſa non erit licitũ dare pecuniam, & eam recipere, non quidem tanquam finem principaliter intentum pro opere virtutis, id enim illicitum eſt, ſed vt minùs principalem, verbi gratia, vt quis

ita

ita ſe ad concipiendam, magiſve confirmandam bonam voluntatem excitaret. Ita tenet Sotus libro 4. quæſtione. 7. articul. 1.

12 Ex quo infert primò eum qui accipit pecuniam, vt ab adulterio, furto, homicidio, aliavè iniuria inferenda proximo abſtineat, vel vt rem inuentam reuelet, ad nullam tenetur reſtitutionem, ſi dans non ad redimendam vexationem propriam, vel alienam, ſed ad deterrendum à peccato, vel ad rem ſuam faciliùs recuperandam dederit. Et ratio eſt, quia hic non coactè, ſed voluntariè, & liberè dat.

Secundò infert, Epiſcopum, cui titulo donationis datur pecunia, vt liberiùs digniori faueat, & teſtem cui munus tribuitur, non ad redimendam vexationem, ſed vt faciliùs, & liberiùs verum fateatur, ad reſtitutionem minimè teneri, quia dans non inuitus, ſed voluntariè dat.

13 Sed iſta doctrina Soti (pace tanti viri ſit dictum) mihi non placet, quia ea admiſſa, ſterneretur fraudibus via, & hoc colore corrumperentur muneribus Iudices.

Tum qnia lex abſolutè, & ſine diſtinctione interdicit eis, ac ſine diſtinctione iurant ſe nihil accepturos pro iuſtitia, ergò non poſſunt aliquid accipere, vt liberiùs iudicent. Et ratio eſt plana, quia quando lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Tum quia vnuſquiſque tenetur liberè, & diligenter pro poſſe ſuum officium exercere, & Iudices, quàm citiùs commodè poterunt, tenentur litigantes expedire, ergo pro hoc nihil poſſunt accipere.

14 Dices, huiuſmodi facilior, & liberalior expeditio eſt opus ſupererogationis, ergo pro eo licet aliquid accipere.

Reſpondeo falſam eſſe hanc conſequentiam, ſicut falſum eſt dicere, opus ſupererogationis eſt orare pro inimicis, quando pro eis orare non cogimur, ergo ſi oro, pro ipſa promptiori deuotione ad orandum, licet aliquid accipere.

Nec exemplum de Epiſcopo adductum quicquam probat, quia Iudices, & quiuis miniſter publicus per legem humanam iuramento adſtringuntur ad non accipienda munera, non ſic Epiſcopus, ac teſtis.

Tum quia falſum eſt, poſſe Epiſcopum accipere munus, vt promptiùs, & liberiùs faueat digniori. Et ratio eſt, quia fauere digniori liberiùs vel minùs liberè, minùs promptè, vel magis promptè, non mutat ſpeciem; ſicut nec magis, & minùs intensè intra eandem ſpeciem caloris: ergò ſicut ſimonia eſt, accipere Epiſcopum munus vt faueat in electione digniori; ita videtur ſimonia accipere aliquid vt liberiùs, & faciliùs illi faueat.

QVÆSTIO XXV.

Dices, ſi pretium acceptum pro eo quod gratis, & ex iuſtitia fieri, vel omitti debeat, reſtituendum eſt, cui facienda ſit huiuſmodi reſtitutio, fiſco, an pauperibus, vel ei qui illud dedit?

1 AD hoc dico primò, quòd poſt latam ſententiam illi facienda eſt reſtitutio, cui Iudex præceperit, qui iudicabit ſecundnm leges, quæ vim habent diſponendi in his, ab obuiandum, ne talia pretia accipiantur.

2 Secundo dico, quod quando nulla culpa interuenit ex parte dantis, ſed ſolum ex parte recipientis, vt ſi omnino ad redimendam vexationem daret, tunc reſtitutio facienda eſt danti. Et ratio eſt, quia cum ille qui accepit, illud retinere non poſſit, & ex altera parte dans non liberè, ſed inuoluntariè dedit, nec à ſe dominium tranſtulit, eius rei dominium penes dantem remanſit, atque adeò nulla expectata ſententia illi ſoli facienda eſt reſtitutio, cum nulla lex ſit, quæ dantem rei ſuæ dominio expoliauerit. Hæc itaque certa ſunt.

QVÆSTIO XXVI.

Tota igitur difficultas conſiſtit, quando culpa ex parte dantis interuenit, vt regulariter accidit, quoniam id legitimis de cauſis eſt prohibitum, & de ſe illicitum eſt.

1 AD quod reſpondetur, quòd ante ſententiam Iudicis, qua is qui de-

dit ob culpam commiſſam dominio ſuæ rei, quam dedit, priuetur, & applicetur vel fiſco, vel pauperibus, aut alicui alteri, reſtitutio facienda eſt danti. Et ratio eſt, quia nulla eſt lex Pontificia, vel ciuilis, quæ transfert dominium illius rei ante datam ſententiam in fiſcum, vel in pauperes. Quarè cum ille, cui facta fuit donatio, non potuerit recipere, nec dominium acquirere, conſequens eſt, maneat apud dantem, atque adeò illi eſt reſtituendum. Ita Mol.tom.1.de iuſt.d.89. Salon.2.2. quæſt.62.art.5.Petr.Nauar.lib.4.de reſt.ca.2. num. 106. & alij.

Obiicies, inuentor rei alienæ tenetur de iuſtitia rem domino reſtituere, & tamen pro ea reſtitutione poteſt accipere pretium, ergo.

QVÆSTIO XXVII.

Hæc obiectio petit, vt inquiramus. An pro inuentione rei alienæ pretium aliquod peti, & accipi poſſit?

1 IN qua quæſtione duo ſunt certa, & extra controuerſiam poſita, & vnum controuerſum apud Doctores. Primò certum eſt, poſſe exigi, & retineri, quòd eſt acquiſitum tamquam præmium pro inuentione rei alienæ, quando præcedit pactum, ſiue promiſſio de dando aliquid inuentori. Et ratio eſt, quia ſimplex promiſſio quando eſt de re licita, in conſcientia obligat, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art.3. ergò ſi dominus inuentori promiſit, tenetur in conſcientia illud reddere, etiamſi abſque labore caſu res inueniatur.

2 Secundo etiam eſt certum, licitè peti, & retineri poſſe aliquid loco præmij inuentionis, in caſu quo eſt conſuetudo dandi aliquid inuentori. Ratio eſt, quia conſuetudo iſta laudabilis eſt, & ideò habet vim legis. Et in his caſibus non accipitur præmium pro re aliena, ſed accipiunt tanquam præmium ob bonum nuncium, ſolent enim homines aliquid ſic dare, maximè cum lætum ſit nuncium. Hæc itaque certa ſunt.

QVÆSTIO XXVIII.

Controuerſia igitur tota eſt. An his caſibus exceptis, liceat inuentori, aliquid pro illius inuentione petere, & accipere?

1 HVius quæſtionis partem affirmatiuam aſtruunt Hoſt. in cap. dudum 2. de elect. & Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 3. numer. 3. de Reg. iuris in 6.

Partem tamen negatiuam tenent Aragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. Mol. tom. 1. de iuſt. diſt. 83. & Roder. p. 2. ſum. cap. 41. Pro quo.

Primò dico, quòd licitum eſt inuentori petere aliquid pro inuentione rei alienæ, quotieſcunque petit, non vi, aut fraudulenter, ſed precibus. Et ratio eſt, quia preces, niſi ſint importunæ, voluntarium non tollunt.

2 Secundò dico, quòd ſi inuentor in re inuenienda, aut conſeruanda laborem inſumpſit, aut fecit expenſas pro labore, & expenſis non ſolùm recipere, ſed etiam exigere aliquid poteſt. Et ratio eſt, quia hæc gratis præſtare non tenebatur.

Tertiò, & vltimo dico, his caſibus exceptis, illicitum eſt inuentori aliquid accipere, aut petere pro ſola inuentione. Et ratio eſt, quia cum ex lege iuſtitiæ teneatur verum dominum inquirere, vt ei rem ſuam reſtituat, gratis id facere debet.

QVÆSTIO XXIX.

An is qui dat, vt vexationem ſuam redimat, peccet, ſicut peccat ille qui accipit, quod ei ad redimendam vexationem datur?

1 RESP. dare pecuniam ne alter peccet, alias peccaturus, aut vt faciat bonum alias non facturus, non eſſe illicitum, ſed opus meritorium. Probatur, finis dantis pecuniam eſt bonus, & med.

& medium, licèt ex parte recipientis ſit peccatum, ex parte verò recipientis ſit peccatum, ex parte verò dantis eſt licitum.

2 Tum quia licet vti malitia alterius, quam ipſe facere ſtatuerat ob bonum finem: ſicut fas eſt accipere ſub vſuris ab eo qui paratus eſt fœnerari. Ita Sal. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. & in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XXX.

Sed dubium eſt de eo, qui dat Iudici, vt iuſtè iudicet, vel teſti vt verum fateatur in Iudicio?

1 SOt. lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 1. putat non licere, quia leges huiuſmodi largitiones vetant, cum hac occaſione, vnuſquiſque facilè Iudices corrumperet, dicendo ſe non dare, niſi ad redimendam propriam vexationem.

Communiter tamen Doctores affirmant, id eſſe licitum, eo quòd cuique fas eſt ſuum protegere ius. Pro quo.

2 Primò dico, quòd Iudex, qui vt iuſtè iudicet, accipit pretium, non ſolùm peccat mortaliter, cum onere reſtituendi acceptum, ſed etiam eius ſententia ipſo iure nulla eſt, vt habetur ex l. venales Couar. quando prouocare non eſt neceſſe &c. Imò ſufficit ad inualidandam ſententiam, ſi præceſſit promiſſio per Iudicem acceptate, vt cum Bartholo, & aliis tradit Molina tom. 1. de iuſtit. diſt. 89.

Secundò dico, quòd quamuis lex in foro externo regulariter præſumat dantem aliquid Iudici pro iuſtitia, velle Iudicem corrumpere: tamen ſi litigans pro comperto habet, ſe habere iuſtam cauſam, & nihilominùs prudenter dubitat de Iudicis bonitate, quia videt eum eſſe virum improbum, nec alia via euadet iniuſtitiam, niſi munus offerendo, tunc in hoc caſu non peccat. Et ratio eſt, quia lex humana, & diuina magis prohibet dari aliquid Epiſcopo pro beneficio, quàm Iudici; vt cuique quod ſuum eſt tribuat: ſed quando conſtat, me iniuſtè vexari in iure meo, licitum eſt mihi munus offerre Epiſcopo, quem prudenter timeo, ad redimendam propriam vexationem, ergò, & Iudici ſimiliter licebit.

3 Tum quia vt dictum eſt, licitum eſt vnicuique vti alterius malitia in bonum finem; & in caſu poſito, non do illi pretium vt in fauorem meæ cauſæ ſententiam proferat, ſed vt ſecundùm leges iuſtè iudicet, & quia prudenter timeo alias iniquè me expoliaturum iure, quod habeo. In dubio autem, an iniuſtitia mihi fiat, etiamſi ex affectu ad proprium commodum timeam fraudandum me iri iure meo, nefas eſt munus offerre. Ita tenent Molina tom. 1. diſtinct. 88. & 89. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 3. num. 1. de Reg. iuris in 6. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. Roder. p. 2. ſum. cap. 40. & alij. Vndè aduertant confeſſarij, ne ſint faciles, vt ex quacunque iniuſtæ vexationis apparentia, munera offerri permittant.

QVÆSTIO XXXI.

An miniſter publicus accipiens prohibita ſola lege humana, teneatur ſtatim ea reſtituere ante omnem ſententiam?

1 SOtus lib. 4. quæſt. 7. art. 1. ad 2. Ioan. Med. Couar. dereſt. quæ. 20. & Barth. Medina in ſua inſtruct. conf. fol. 226. affirmant eum ad id teneri, & probant ex eo fundamento, quia quando lex prohibet acceptationem alicuius rei efficit accipientes incapaces rei, quam prohibet accipere, redditque donationem nullam.

Hoc tamen nonobſtante, mihi placet ſententia Molinæ tom. 1. de iuſt. d. 88. vbi ait quòd licet peccatum mortale committat, qui contra præſcriptum legis humanæ munuſcula accipit, eaque retinet, nihilominus donationes ſunt validæ, nec ad vllam reſtitutionem tenetur ante condemnationem. Et ratio eſt, quia huiuſmodi donationes expectato ſolo iure naturali validæ ſunt, dummodò liberè, & non pro redimenda iniuſta vexatione conferantur: & leges quæ accipere huiuſmodi munuſcula prohibent, eas donationes inualidas eſſe non reddunt.

Nec ratio Soti quicquam probat, quia vt optimè. Sylueſtr. verb. lex quæſt. 28. annotauit, lex illa ſolùm habet locum,

quando legiſlator prohibet aliquid non apponendo pœnam, ſecùs autem quando præter prohibitionem progreditur vlteriùs ad pœnam iniungendam, quod videre eſt in omnibus legibus, quæ eiuſmodi elargitiones prohibent.

2 Eſt autem hic conſiderandum quòd Iudex, à Sede Apoſtolica delegatus poteſt accipere eſculentum, & poculentum, quod paucis diebus conſumi poteſt, vt habetur in ca. ſtatutum §. inſuper de reſcript. in 6. Vnde Sylueſt. verb. Iudex quæſt. 13. dicit iſta eſſe xenia moderata, quæ ab omnibus recipi poſſunt, & ſi omnia alio, eſtò ſit vnus denarius, à nullo ſiue ordinario, ſiue delegato recipi poſſunt: quod etiam docet Rebell.p.2. de oblig. lib. 10. de donat.

QVÆSTIO XXXII.

An iureiurando ad nihil recipiendum pro labore, aut ſeruitio aliquo ſe aſtrinxit, & poſteà contra iuramentum aliquid accipit, teneatur illud in conſcientia reſtituere?

1 MEdina C. de reſtit. quæſt. 20. exiſtimat hunc ad id teneri: ſicut qui iureiurando promiſit ſoluere vſuram, tenetur poſtea ratione iuramenti promiſſum adimplere.

2 Ego tamen credo proculdubiò contrariam opinionem eſſe veriorem, & magis communem. Et ratio eſt, quia hic licet peccet mortaliter recipiendo, & ſit periurus, retinendo tamen, & accipiendo, non peccat contra iuſtitiam, ob cuius tantùm violationem conſurgit obligatio reſtituendi, quia qui dedit, non inuitus, ſed voluntariè dedit, ergo recipiendo nullam facit ei iniuriam, ſed ſoli Deo violando iuramentum, & per conſequens ſic acceptum non eſt vlli neceſſariò reſtituendum.

Tum quia, qui iurauit, non promiſit reſtituere, vel non retinere, ſed non accipere, ergo quamuis ſemel peccauerit accipiendo, & alias non ſit incapax muneris, non peccat contra iuramentum retinendo, & proinde ſic acceptum reſtituere non tenetur.

QVÆSTIO XXXIII.

An pro re quam quis facere, vel omittere tenetur ex præcepto charitatis, aut Religionis, aut alterius virtutis, quæ non ſit iuſtitia, poſſit licitè pretium accipere? v.g. vt ex animo odium deponat, vt ſuum votum ſeruet, vt ieiunium præceptum frangat, vt ſacrum in diebus feſtis omittat &c?

1 IN hac quæſt. Sotus lib. 4. qu. 8. art. 1. Valent.tom.3.d.5.qu.6.p.5. Lop.p.1. inſtruct.confeſſ. cap. 106. & alij diſtinguunt, nam ſi ille hæc omnia facit ſolùm, quia ſub præcepto obligatur ea facere, vel omittere, tunc non eſt licitum aliquid ſumere, aut retinere. At ſi id, quod facere, aut omittere tenetur ex præcepto omittit, aut facit in gratiam alterius, tunc licitè aliquid loco mercedis poteſt accipere, & retinere, fundamentum eorum eſt, quia licèt ille qui accipit, lege charitatis teneatur ea facere, vel omittere, atque adeò quantũ eſt ex lege illa teneatur gratis facere, non tamen tenetur ea facere, vel omittere in gratiã, & obſequium alterius. Vnde ſi id præſtet in gratiã alterius, poteſt iure naturæ pro ſua illa voluntate, cui renunciauit, mercedẽ recipere.

2 At Medina C. de reſtit. qu.25. Mol.tom. 1. de iuſt. d. 113. Arag. 2. 2. quæſt. 62. art.5. Nau.ca.17.num.34. & multi alij negant poſſe quippiam in pretium accipere pro opere, quod ex lege charitatis, vel alterius virtutis à iuſtitia facere, vel omittere tenemur. Pro quo.

Primò dico, quòd pro opere ſupererogationis, ad quod quis non tenetur, accipi poteſt pretium, dummodò ſit moderatum, & in venditione ſimonia non interueniat. Et ratio eſt, quia pro his, quæ non tenemur facere, vel omittere, præſertim ſi in eis exercendis, labor, & induſtria appareat, ratione horum licitum erit accipere pretium pro inſeruiendo infirmo, pro organis in eccleſia pulſandis. Ita Mol. d. 113.

3 Secundò dico, quòd qui accipit pretium pro re, quam tenebatur facere, vel dimittere ex præcepto charitatis, tenetur ſtatim illud pretium reſtituere danti. Et ratio eſt, quia licèt maior obligatio inſurgat ex debito iuſtitiæ, quàm ex præcepto charitatis, nihilominùs quæ ex debito charitatis debemus,

mus,etiam gratis facere tenemur. Quæ autem gratis fieri debent, pro pretio vendi non possunt, nec pro eis faciendis, vel dimittendis pecuniam accipere, quia esset aperta contradictio.Atque adeò qui accipit, ipso facto tenetur restituere dãti, quia per donationem,quæ ipso facto est nulla, non transfertur dominium, sed manet apud priorem dominum.Ita Nau.c.17.n.34. Mol. d.113.Arag.2.2.q.62.a.5.& alij.

4 Hinc,cum quilibet Christianus vi præcepti ecclesiastici teneatur gratis audire Missam in diebus festiuis,ieiunare,& abstinere ab esu carnium in diebus ab ecclesia prohibitis,nullum potest accipere pretium vt hæc omnia impleat,teneturque ad restitutionem,si aliquid recipiat.

5 Nec valet,quod ait Cou.in Reg. peccatum p.2.§.3.n.6.se id recipere pro molestia, quam subit, quoniam ex eodem præcepto etiam tenetur eam subire, tanquam quippiam annexum,ac coniunctum cum opere, ad quod ex præcepto tenetur.

Hinc gentilis accipere non potest pretium,vt Baptismum suscipiat,quem iure diuino positiuo suscipere tenetur, nullo expectato pretio.Et similiter mulier,aut vir vt à peccato fornicationis desistat,non potest accipere pretiũ,quia ad id de iure naturali,& diuino obligatur absque vllo pretio.

6 Dices,saltem si mulier fornicando, acceptura erat pretium pro turpi vsu suicorporis,poterit pretium exigere,non quidem vt non fornicetur, pro vt ex præcepto tenetur, sed pro lucro cessante, ex eo quòd fornicari desistat.

Respondeo, mulierem ad vtrumque teneri absque vllo pretio,nempe ad non fornicandum, & ad non quærendum pretium via fornicationis : alioquin qui locare vellet suam operam ad interficiendos alios iniustè, posset licitè accipere pretium pro lucro,quod illi cessaret,se ita non locando, quod est ridiculum.

7 Tertiò dico, quòd titulo donationis liberalis, potest quis accipere pretium pro re aliqua, quæ lege charitatis, aut iustitiæ gratis est præstanda,vel omittenda.Et ratio est,quia sicut per preces,&alia media licet allicere hominem ad ea, quæ præstare tenetur gratis,& pro quibus nefas est illi accipere pretium,ita etiam fas est illum muneribus,& donationibus allicere, quando animus offerentis est reuera donare, non quidem tanquam ob finem principaliter intentum pro opere virtutis (id enim nec venale est,nec pretio æstimatur) sed vt minùs principaliter, videlicet vt quis ita se ad concipiendam, magisuè confirmandam voluntatem excitaret. Ita Molina tom. 1.de iust. d. 93. Less. lib. 2. de iust.cap.14.dub.8. Petr. Nauar. lib. 4. de rest. cap. 2.num.100.

8 Hinc, qui per modum doni pecuniam accipit, vt Baptismum, fidemque Christianam suscipiat,vt singulis annis confiteatur, vt non fornicetur, non blasphemet, potest. tuta conscientia illud retinere, nec tenetur restituere, nisi repetatur in iudicio.

Hinc qui vt alliceret vsurarium ad sibi mutuandum pecuniam, aliquid dono illi dedit, non peccauit, nec is, qui accepit, peccatum vllum commisit, nec ad aliquam restitutionem tenetur, si sibi persuadeat, eum qui dedit, habuisse animum donandi, quamuis sciat illum non fuisse donaturum, nisi speraret se eo medio habiturum mutuum. Quorum omnium non alia redditur ratio, nisi quia munera ad ea opera præstanda,aut mala fugienda, per modum inuitantis, allicientis, & disponentis ex natura rei offerre licitum est.

9 Dixi notanter(ex natura rei)quia stante prohibitione legis humanæ, quæ huiusmodi largitiones vetat, illicitum est dare, & accipere illo modo,pro vt de Iudicibus, & aliis iustitiæ ministris dictum est.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm is qui extremè indigenti non subuenit nisi pretio accepto, teneatur in conscientia illud restituere ?

1 RESpond.non teneri. Et ratio est,quia qui huiusmodi pretium accipit, non ex lege,& obligatione iustitiæ, sed ex præcepto charitatis tenebatur subuenire gratis illi extremè indigenti, ergo accipiendo pretium non peccauit contra iustitiam, sed contra charitatem,ac proinde sic acceptum restituere non tenetur.

Deinde,licèt vnusquisque sub reatu mortali exhibere teneatur diuiti rem, qua extremè indiget, vt equum ad euadendam mortem, quæ contra iustitiam illi comminatur, aut medicinã tempore grauis infirmitatis,non tamen tenetur dare illi gratis, sed potest ea de causa recipere iustũ pretiũ.

2 Similiter licèt sub mortali teneatur

quis aliquando liberare domum proximi ab incendio, non tamèn gratis, ſi labor, & induſtria, quam apponit eſt pretio æſtimabilis, imò poteſt agere in iudicio aduerſus dominum domus.

Eodem modo miles qui iuſſus à Principe proficiſcitur ad bellum, non tenetur pugnare gratis, ſed pro labore, & periculis, quibus pro Republica ſe exponit, accipere poteſt à Rege, vel à Republica ſtipendium. Vnde Apoſtoli licèt à Chriſto domino eſſent iuſſi Euangelizare verbum Dei, licitè tamen exigere poterant ab eccleſia alimenta, & ſubſidia vitæ neceſſaria, ad eáque ſubminiſtranda tenebatur Eccleſia iuxta illud quod docet Apoſt. 1. Cor. 9.

QVÆSTIO XXXV.

An qui accipit pretium pro re ſpirituali, teneatur illud ſtatim reſtituere danti, etiam ante repetitionem, & condemnationem Iudicis?

1 REſp. teneri. Et ratio eſt, quia res ſpiritualis eſt pretio inæſtimabilis.

Tum quia iuſſa eſt dari gratis, iuxta illud mandatum Domini, Gratis accepiſtis, gratis date.

Tum demùm quia in ca. de hoc de ſimonia ſancitum eſt, acceptum per ſimoniam non poſſe retineri.

QVÆSTIO XXXVI.

An pro remiſſione iniuriæ liceat pecuniam accipere?

1 REſpondeo non licere. Et ratio eſt, quia remittere iniuriam quoad placationem animi eſt opus ſpirituale, de quo ait Chriſtus, dimittite, & dimittemini. Et in oratione dominica dicimus, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: accipere autem pecuniam pro re ſpirituali vt ſupra dictum eſt, eſt ſimonia: ergò. At deſiſtere ab actione iniuriarum, quam in foro externo offenſus habet contra offenſorem, integrum eſt pecuniam accipere. Et ratio eſt, quia iniuriam paſſus non tenetur damna ſibi illata in perſona, fama, & in bonis fortunæ gratis remittere. Nam iure diuino, & naturali ſolùm ad deponendum animum reddendi malum pro malo tenemur.

QVÆSTIO XXXVII.

An qui aliquid acquiſiuit pro faciendo, aut omittendo id quod ex præcepto charitatis facere, aut omittere debet, teneatur ſtatim illud reſtituere danti, ante Iudicis condemnationem?

1 SOtus lib. 4. qu 17. ar. 1. Nau. ca. 17. nu. 33. & 34. & Valen. tom. 3. d. 5. qu. 6. p. 5. docent eum qui accipit aliquid vt faciat, vel omittat id ad quod tenetur ex obligatione charitatis, vel alterius virtutis a iuſtitia, non teneri ad reſtitutionè in foro conſcientiæ, donec qui dedit, repetat illud, quia poteſt retinere illud ex quodã dantis cõſenſu, quia nulla eſt lex, quæ in hoc caſu prohibet tranſlationem dominij rei datæ, ergò.

8 Mihi tamen, cum eorum bona venia, oppoſitum videtur tuendum. Ducor, quia quæ aliquo iure gratis præſtare tenemur, non poſſumus vendere, nec pro eis pretium accipere, quia eſſet aperta contradictio; atqui opera præcepti charitatis ſunt à nobis gratis præſtanda, ergò pro eis nullum pretium accipi poteſt, acceptúmque reſtitui debet danti ante latam ſententiam.

Tum quia, qui pro opere charitatis alioquin debito pretium dat, inuitus dat, non daturus, ſi gratis opus fieret, ergo contra iuſtitiam recipitur, reſtituique debet ante omnem condemnationem. Non nego tamen ſi ex probabilibus indiciis conſtaret prædictas donationes non eſſe factas cauſa vexationis redimendæ, ſed ex mera liberalitate, non eſſe obligationem reſtituendi ante condemnationem: & fortaſsè hoc voluerunt authores primæ opinionis. Quamuis vix credibile ſit eas eſſe liberas, cum fiant pro re, quam gratis alter facere, aut omittere ex charitate tenetur.

QVÆSTIO XXXVIII.

An datum alicui, ne committat aliquod peccatum poſſit repeti in iudicio?

1 BAnnes 2. 2. qu. 62. art. 5. Sotus lib. 4. qu. 7. art. 1. ad 2. Arag. 2. 2. qu. 62. ar. 5. Mart. Ledeſm. 2. 4. quæ. 18. art. 5. & Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 5. tenent ſolùm in datis ob peccatum alteri iniurioſum vitandum, dari repetitionem, non autem ob euitandum peccatum,

tum, quod non est contra iustitiam, sed contra alias virtutes, v.g. dedi tibi decem, ne occidas, possum illa in iudicio repetere vt patet ex l. vt puta &c. Dedi illi centum, ne fornicetur, non datur repetitio, quoniam lex ista est pœnalis, atque ex consequenti stricti iuris, nec extendenda vltra casus, quos exprimit, qui profecto sunt contra iustitiã.

2 At Nau. cap. 17. nu. 33. & 34. Valent. tom. 3. d. 5. quæ. 6. p. 4. Cordub. lib. 1. sui quæst. quæst. 32. Roder. p. 2. sum. ca. 40. & Lop p. p. instruct. conf. ca. 106. multis argumentis probant dari repetitionem etiam in illis casibus, vbi aliquid datum est ob euitandum peccatum, quod non est contra iustitiam. Et primo in l. 2. ff. de cond. ob turpem causam, fit potestas repetendi quod datur alicui, ne committat sacrilegium, ad quod vitandum tenetur non ex obligatione iustitiæ, sed virtutis Religionis vt docet S. Tho. 2. 2. qu. 99. art. 2. quæ Religio secundùm eundem qu. 81. art. 4. est diuersa virtus à virtute iustitiæ.

Tum quia eadem ratio turpitudinis videtur militare in eo, qui accipit mercedem pro eo, quòd aliàs facere tenetur ex lege, & obligatione cuiuscunque alterius virtutis, quæ militat in eo, qui accipit munus pro eo quod ex iustitia facere tenetur. Turpitudo enim in eo consistit, quòd accipit pretium pro eo quod gratis facere obligatur. Quæ ratio peræquè militat in omnibus, qui debito tenentur. Vnde secundum Nau. opinio Soti solùm habet locum in his, qui accipiunt pretium, vt faciant id, ad quod tenentur sub debito honestatis, & morali, quale est debitum liberalitatis, & gratitudinis, & non debito legali. Itaque si mihi datum est munus ab aliquo, vt non essem ingratus, sed illi liberalis, non posset in iudicio repetere, quia liberalitatem exhibere non teneor debito legali.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrùm acquisita per fictam paupertatem, vel sanctitatem sint in conscientia restituenda?

1 IN hac quæstione tres sunt opin. Prima affirmat esse restituenda, non quidem largientibus, sed pauperibus, quia voluntas ea largentium fuit dare veris pauperibus. Sic Nauar. cap. 17. num. 107. qui dicit esse communem.

2 Secunda opinio ait, accepta per fictam paupertatem, vel sanctitatem non esse necessariò restituenda, nisi sint alicuius magni pretij, & ad ea extorquenda ex industria paupertas, vel sanctitas sit simulata. Et ratio est, quia in quotidianis eleemosynis non solet haberi ratio paupertatis, vel sanctitatis, sed tantùm charitatis Dei, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. In magnis verò eleemosynis regulariter solet haberi ratio paupertatis, vel sanctitatis, quia non tantùm daret, si nosset petentem non esse pauperem, vel virum probum, & sanctum. Ita Sotus lib. 4. quæst. 7. art. 3.

Tertia verò opinio tenet, quòd si simulata paupertas, vel sanctitas est causa finalis eleemosynæ, tunc necessariò est restituenda, non quidem danti, sed pauperibus, vt docet prima opinio, & hoc censeo esse verum, siue parua sit eleemosyna, siue insignis. Si verò tantum est causa impulsiua, non est restituenda, quia donatio fuit simpliciter voluntaria. Ita sentit Med. C. de rest. quæst. 23. Et hæc opinio mihi valdè placet.

3 Ex qua doctrina colligitur hæc Regula generalis, quòd quotiescunque aliquid est causa finalis donationis, id est causa mouens ad simpliciter dandum, & reuerà non subsistit, tunc obligatio est restitutionis, si verò tantùm est causa impulsiua, id est, quæ tantùm mouet ad dandum promptiùs, faciliùs, citiùs, nulla est obligatio restitutionis, quia ipsa donatio est libera.

Hinc, qui fingit esse talem, qualem requirit admissio ad collegium, vel hospitale, peccat, & ad restitutionem tenetur. Et ratio est, quia si rei veritas innotesceret, non admitteretur ad collegium, vel hospitale, ergò inuoluntaria est donatio. Ita Nauar. cap. 18. num. 8.

QVÆSTIO XL.

Vtrùm is, qui dedit omnia sua bona, vt in aliquo collegio titulo paupertatis exciperetur, ad restitutionem teneretur?

1 RESpond. aut donatio suorum bonorum est vera, aut non. Si primũ, iure potest admitti, quia tunc habet conditionem quam requirit collegium, & quis potest liberè fieri pauper propter Christum? Si secundum, peccauit, & ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia reuerà non est pauper. Ita Nau. cap. 17. num. 108.

Digitized by Google

QVÆSTIO XLI.

An potens aliquem iustè accusare, possit ab eo aliquid extorquere, ne accuset?

1 REsp. posse. Et ratio est, quia iste iustè poterat accusare, priuaturque iure accusandi, quod habebat; quod quidem ius est pretio æstimabile. Ita Nauar. cap. 17. num. 15. Cordub. in summa quæst. 77. Lop. p. p. instruct. conf. cap. 96. Sylvest. verb. metus quæ. 6. & Roder. p. p. sum. cap. 206.

QVÆSTIO XLII.

An si iste qui minabatur accusare, careat animo accusandi, sed solùm terrendi, teneatur pecuniam quam sic extorsit, restituere?

1 MOlina tom. de iust. disp. 514. dicit teneri in hoc casu restituere, & probat, quia qui dedit pecuniam, dedit vt ille deponeret animum, quem non habet, ergo titulus non subsistit.

Sed verius, ac probabilius multo est, quod docet Less. lib. 2. de iust. ca. 17. dub. 6. Et ratio est, quia iste, & si non habeat animum, habet tamen ius accusandi, eoque iure vti potest, quod ius est pretio æstimabile, siue habeat animum eo vtendi, siue non. Ac proindè si aliquid extorsit, vt eo iure non vtatur, potest iustè retinere.

2 Nec obstat, quòd dolus dederit causam contractui, atque ex consequenti sit irritus, iuxta ea quæ in materia de contractibus in genere dicta sunt, quia non est dolus iniustus, de quo illa sunt intelligenda, sed iustus. Nam iustè poterat minari accusationem, siue habeat animum, siue non. Nec ille dedit pecuniam vt deponat animum, sed vt re ipsa non accuset, & iuri accusandi cedat, quorum vtrumque ille præstat, ergo potest pro eo aliquid accipere.

Hinc, qui potest in iudicio repetere amissa ludo prohibito, potest quidem comminari repetitionem, & ne vtatur hoc iure, pacisci cum illo, vt partem lucri restituat: & siue ex animo minetur, siue non, potest retinere quod accepit, quia qui dedit pecuniam, dedit vt iuri repetendi cederet, & vt re ipsa non accusaret.

QVÆSTIO XLIII.

An qui recipit pretium, ne accuset aliquem de crimine perpetrando, possit illud in conscientia retinere?

1 RODer. p. p. suæ summæ cap. 206. num. 11. negat.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium. Et ratio est, quia etiam in hoc casu priuatur metum incutiens iure quod habet accusandi de crimine perpetrando: quod quidem ius pretio æstimabile est, ergò non tenetur restituere pretium acceptum, vt illo iure cedat; quamuis enim peccet tale pactum faciendo, dignúsque sit, vt pretio accepto priuetur, ea tamen est pœna, ad quam ante Iudicis sententiam non tenetur. Ita Sylvest. verb. accusatio quæ. 6. & Ang. ibidem num. 6.

Circa hoc tamen vnum est aduertendum, quòd si summa pecuniæ quam metum inferens exigit, sit nimis egregia, ita vt non habeat proportionem cum iure, cui ipse cedit, tunc potest contractus reuocari quoad illum excessum, vt contractus ad æqualitatem reuocetur, vt si ne te accusem de furto, exigam decem millia aureorum. In hoc enim casu aliqua proportio, & æqualitas seruanda est, pro vt vir doctus, & prudens iudicabit, quæ si excedatur, committitur iniustitia, quæ ad restituendum illum excessum obligat. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 17. dub. 6.

QVÆSTIO XLIV.

An vir teneatur restituere pretium extortum ab altero reperto cum vxore, ne illum interficiat?

1 CORdub. in sum. quæ. 77. & Lopes lib. 1. de contr. cap. 9. negant ex eo fundamento quia remittit actionem, quam in foro externo habebat impunè occidendi.

2 Contrarium tamen est proculdubio affirmandum. Quia cum lege iustitiæ teneatur non occidere adulterum priuata authoritate, iniustè eum timorem incutit, vndè eo extortum tenebitur restituere. Verùm hæc dixisse sit satis.

DE

Digitized by Google

DE RESTITVTIONE FACIENDA EX EO, QVOD QVIS IMPEDIT ALIQVEM A CONSEQVVTIONE alicuius boni.

DISPVTATIO VIGESIMASEPTIMA.

DE hac re differunt Theologi in 4.dist.15.D.Th.2.2. q.62.a. 2. Caiet.ibid. Sotus li.4. de iust. q.6.a.3.Mol.to.3.de iust. d.727. Valen.to.3.d.5.q.6.p.5.Azor. p. 2.inst.mor.l.6.c.14.& p.3.l.4.c.9. Less.li.2.de iust.c.12.dub.18.Reb.p 2.de obli.l.3.q.1.Ban. 2.2.q.62.a.2.Pet.Nau.l.3.de rest.c.5.n.1.Arag. 2.2.q.62.a.2.Cou. in Reg. peccatum p.2.§.7. n.3.Salon.2.2.q.62.a.2.Nau.in Man. c.17.nu. 69.& plerique alij. Summistæ vero vt Ang. Sylvest.Tabien.Rosel.Armil.& alij verb.restitutio,verbo electio,& verbo beneficium. In cuius explicationis gratiam quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

An qui alium impedit, quominus bonum aliquod acquirat,quod licitè consequi poterat, teneatur ei restituere id quod non acquisiuit? v. g. decreuerat Titius donare aliquid Caio,vel eum hæredem instituerat, Meius dissuadendo,in causa fuit,vt Titius mutaret propositum. Quæritur nunc,An Meius restituere Caio id damnum teneatur?

1 PRo intelligentia huius disputationis, initio, obseruandum est primò quod bona à quorum acquisitione potest quis impediri,sunt in duplici differentia. Quædam sunt propria ipsius conferentis,qualia sunt illa, quæ donationibus, & testamentis distribuuntur. Alia verò non sunt propria conferentis, sed illius distributioni commissa,vel à priuata persona, vt in œconomo,vel à Republica,vt in Principe contingit.Vt beneficia,& bona publica.Priora debentur aliis ex misericordia tantùm,vel liberalitate. Posteriora verò debentur dignioribus ex iustitia distributiua.

2 Secundò est obseruandum, quòd bona publica,quę secũdùm ordinẽ iustitię distributiuæ sunt diuidenda,sunt duplicia, quædam sunt, quæ præcipuè instituta sunt in bonum,& vtilitatem particularium, vt bona,quæ vel à Republica, vel a priuata persona relicta sunt, vel ciuibus, vel pauperibus distribuantur. Alia verò sunt, quæ per se primò, & principaliter sunt inordinata, & instituta in commodum, & vtilitatem Reipublicæ, & vt sint mercedes eorum,qui in ecclesia, vel Republica laborant.Et secundariò vt sint præmia meritorum.Vt beneficia ecclesiastica,&Magistratuũ munera.

3 Tertiò est obseruandum,quòd qui huiusmodi bona distribuit ad duo tenetur attendere. Primum est commodum Ecclesiæ,vel Reipublicæ, vt scilicèt illum eligat,qui dignus sit exercere officium,ad quod assumitur. Et hoc tenetur facere ex iustitia commutatiua, ratione cuius constituere debet æqualitatem inter ministrum, quem eligit, & stipendium seu officiũ,vel beneficiũ, cui præficitur. Secundum est meritum eorum, qui ad officium assumuntur; quia beneficia ecclesiastica, & Magistratuum munera non solùm sunt ordinata,vt essent stipendia ministrantium, sed etiam vt essent præmia, quæ secundùm ordinem iustitiæ distributiuæ dignioribus sunt distribuenda,ergo qui illa distribuit, tenetur habere non solùm rationem idoneitatis ministrorum, verumetiam meritorum, quæ in vno quoque illorum inueniuntur, aliàs peccabit contra iustitiam distributiuam.

4 Quartò est obseruandum, quod dupliciter potest aliquis impediri à consecutione alicuius boni. Primo modo,quando impeditur à consecutione beneficij, vel alterius boni, quod ipsi est debitum ex iure, quod habet ad illud, vel in illo. Vt si quis esset in testamento hæres institutus, & impediretur ne adiret,vel consequeretur hæreditatem:aut si quis exemptione acquisis-

Digitized by Google

set rem, vel per electionem, præsentationem, vel collationem haberet ius ad beneficium ecclesiasticum, & nihilominus ab aliquo impediretur ab huiusmodi boni cõsecutione. Secundo vero modo, quando impeditur à consecutione alicuius boni, in quo, vel ad quod nullum habet ius, sed solùm habet spem, & facultatem illud consequendi ex mera alterius liberalitate, vt si quis impediatur ab affectione eleemosynæ, vel alterius muneris gratuiti, vel legati ex sola gratuita voluntate.

5 Quintò est obseruandum, quòd ius est facultas legitima aliquid faciendi, vel obtinendi. Et est duplex scilicet ius ad rem, & ius in re. Ius ad rem est id, quod quis habet ex vinculo alicuius obligationis ad aliquã rem, ipsi quidem debitam, nondum tamen possessam. Vt v.g. institutus hæres postmortem testatoris, antequam adeat hæreditatẽ, id est illam accepter, dicitur habere ius ad hæreditatem. Tale ius est, quod quis habet per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium, & per collationem etiam beneficij ante acceptationem. Et dicitur ius ad rem, quia non tribuit actionẽ in rem sed tantùm in personam, nam si res tibi vendita ante traditionem alteri vendatur, & reipsa tradatur, manet illi, nec potes illam vendicare, quia res non erat tibi obligata sed tantùm habes actionem personalem in eum, qui te fraudauit.

Ius autem in re, est id, quod quis habet in re propria, & existente. Vnde ad comparandum ius in re, non sufficit, quòd res, cuius dominium sumus comparaturi, existat, sed vlteriùs requiritur eamdem rem esse nostram id est nobis traditam. Et dicitur ius in re, quia tribuit actionem realem, id est rem obligatam habet. Tale est, quod habetur per emptionem, & alios contractus, secuta rei traditione: per collationem beneficij, secuta acceptatione: per testamentum, vel successionem ab intestato, secuta acceptatione.

6 Sexto, & vltimò est obseruandum, quòd duobus modis potest aliquis impediri à consecutione alicuius boni. Vnomodo precibus, persuasione, vel blanditiis alterum alliciendo, ne alicui relinquat aliquod bonum. Alio vero modo per iniuriam, vel vim vel metum incussum, vel dolum, seu fraudem, vel mendacium, vt pote fingendo illũ esse ingratum, vel indignum, cum nõ ita sit.

7 His igitur positis, dico primò, quòd qui solis precibus, persuasionibus, vel blanditus impedit aliquem, quominùs assequatur bonum, in quo, vel ad quod nullum ius habet, præter liberalem voluntatem eius, qui donare constituit, ad nullam restitutionem tenetur. Et ratio est, quia qui ita mouet, ac persuadet collatorem, non peccat contra iustitiam, sicut neque collator ipse mutando suam voluntatem contra iustitiam peccat, ergo nihil restituere tenetur ei, cui ea via collatum non fuit bonum, quod alioqui foret illi conferendum.

Deinde ordo charitatis efflagitat, vt vnusquisque potiùs sibi velit bonũ aliquod quàm alius, & vt cæteris paribus illud potiùs velit sibi coniunctis, quàm externis, ergo si Meius persuadet Titio, vt meliori modo disponat, vel etiam, vt sibi, vel suis potiùs relinquat hæreditatẽ, aut legatũ, quàm extraneis, quibus id conferre volebat, nullum peccatum committit: imò potest esse actio meritoria, in casu, quo illud, quod ita suadetur est melius ac Deo gratius, quàm quod collator facere intendebat: ergo ea persuasio qua quis ab affectione boni alicuius impeditur, potest esse illicita, & meritoria.

8 Hinc, si Titius liberaliter velit relinquere aliquid Caio in testamento, vel legato, & tu solis precibus, vel blanditiis fatagas, vt ego, vel amicus, vel cognatus meus illud obtineat, non teneris aliquid restituere Caio. Et ratio est, quia cũ Caius nullum ius haberet ad huiusmodi bonum, nihil peccasti contra iustitiam Caio debitam, ac proinde ad nullam restitutionem ei faciendam teneris. Et est conclusio definita in l. vl. C. si quis aliquem testari prohibuerit, vbi sic habetur. Eum qui blanditiis, siue vi metu, mendaciis, vel dolo testamentum mutari, aut legata transferri in alterum, facit, ad restitutionem non obligari.

9 Secundò dico, quòd qui impedit alium à consecutione alicuius boni, in quo habet aliquod ius acquisitũ in re, vel ius ad rem, tenetur ad restitutionem faciendam ei, quẽ impediuit, etiamsi vi, & fraude, non impediat, sed consilio, iussione, consensu, vel quouis alio ex illis nouem modis cooperandi. Et ratio est, quia qui talem impedit, contra iustitiam commutatiuã peccẽt, & est causa efficax reuocandi bonum iam consecutum, & auferendi ab eo quod suum erat, ergo

reſtituere illud tenetur,& quidē in integrū ſi alter habet ius perfectum,quod vocāt ius in re.Si autem habet ius imperfectū, quod appellant ius ad rē tantùm, quantùm arbitrio boni viri æſtimatur illud ius ad rem, pro vt illud fuerit maius, vel minus ſecundùm differentiam titulorum, ex quibus ius illud oritur.Ita Mol.tom.3.de iuſt.diſp.727. Valent.to.3.d,5.q.6.p.5.Petr.Nau.l.3. de reſt. c.5.n.2.& alij.

QVÆSTIO II.

An ſi Titius ex odio, & malo animo impediat Caium ab acquiſitione alicuius boni, quod alias ex iuſtitia non eſt ei debitum, eo ipſo teneatur ſic impediens ad reſtitutionem?

1 SCotus in 4.d.15.arti.3. affirmat teneri hunc ad reſtitutionem. Hoc idem videtur ſentire D.Th.2.2.q.62.a.2.ad 4. vbi ait debere eum reſtituere, qui aliquem à conſecutione rei impedit intentione nocēdi ex odio,vel vindicta.Pro hac etiā ſententia facit lex,Proculus ff.de damno infert.&c.vbi habetur, quòd qui fodit puteum in ſuo loco, non tenetur de damno, licet inciderit venas,quibus ad alterum aqua fluebat, niſi malo animo fecerit: ergo à contrario ſenſu ſi eo animo fecit,tenebitur:Ergo pari ratione qui impedit alterum à conſecutione alicuius boni,vt illi obſit,non vt ſibi, vel alteri proſit,eſt illi iniurius, quamuis ſine vi,& fraude id faciat.

2 Limitat tamen Scot. prædicta dupliciter, Primò vt non teneatur ſic impediens ad reſtitutionem damni, à quo impeditus fuit, ſed quanti æſtimabitur damnum datum, attenta ſpe, & probabilitate conſequendi illud: quandlu enim res eſt in ſpe, minùs valet,quàm ſi iam eſſet in re.

Secundò, quòd ſi ſimul fecit odio alterius, & ſui vtilitate, inſpiciendum eſt motiuum principale,& iuxta illud iudicādum, dimiſſo acceſſorio. Quòd ſi res eſt dubia, ſtandum eſt propriæ vtilitati, maior enim eſt amor ſui,quàm proximi odium,quod ex illo procedit.

3 Communis autem tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet ex odio, aut mala intentione nocendi proximo non naſci obligationem reſtituendi, ſi tamen vis,&dolus abſit,licèt peccatum intercedat mortale. Et ratio eſt, quia malus animus in iis rebus: in quibus poteſt quis alioquin nocere abſque iniuſtitia licèt charitatem offendat, non tamen iuſtitiam, cuius ſolius violatio parit obligationem reſtituendi:alioquin Iudex qui ſecundùm leges malefactorem puniret ex odio illius,ad reſtitutionem teneretur.

Nec S. Thomas planè ſentit cum Scoto, loquitur enim de eo, qui non quomodocūque ex odio, & animo nocendi, ſed ſimul iniuſtè impedit alium ab acquiſitione boni alicuius, quod ex iuſtitia erat ei debitum.

Lex autem illa,Proculus,ſicut & illa alia fluminum §.finali,eodem titulo intelligenda ſunt ſimiliter,quando non ſolū ex odio, ſed etiam iniuſtè auerteret quis aquæductum à vicino, quia nimirum aqua emanās ex puteo aut fonte prædij vicini, quamuis trāſiret per venas prædij eius,qui eā aufert, vt Caie.2.2.q.62.a.2.ad 4.optimè annotauit.

4 Ex quo ſequitur,ſolùm animum nocendi, aut malum inferendi, licèt peccatum inducat contra charitatem proximi debitam, nullam tamen neceſſitatem inducere reſtituendi in foro conſcientiæ, niſi adiiciatur ei opus aliquod exterius iniurium, & contrarium legibus iuſtitiæ commutatiuæ, cuius ſola tranſgreſſio ad reſtitutionem obligat; ſicut qui animo hæretico aliquid dicit, quod exterius nullam habet ſpeciem hæreſis, non eſt hæreticus exterius, nec excommunicatus. Ita Nauar.c. 17. num. 70. Sot.lib.4.quæſt.6.art.5. Molina tom.3.diſp.727. Rebell.p.2.de obligat. libr. 3.quæſt.1. Couarr.in Reg.peccatum p.2.§.7. num.8.Caiet.2.2. quæſt. 62. art. 2. ad 4. & alij.

5 *Hinc* qui odio,& animo nocendi,abſque tamen vi,& fraude agit cum eo qui eſt verus dominus eorum, quæ daturus eſt, vt quod decreuerat dare vni, det alteri,etiam minus digno,& ſi peccet mortaliter contra charitatem, nihil tamen tenetur reſtituere. Et ratio eſt, quia in hoc caſu non læditur ius pauperis,nam totum illud ius poſitum eſt in voluntate alterius, & ille voluntariè non vult dare.

Tum quia donator ipſe mutando propoſitum,etiā ſi ex odio id faciat,non tenetur,aliquid reſtituere omiſſo, ergo neque qui ſolo animo nocēdi,ſine tamē mēdacio, & fraude, aut moleſta importunitate in cauſa fuit,vt donator, reuocaret propoſitū ad aliquam reſtitutionem tenebitur. Vnde videant

videant parentes,ne nimis contradicant infirmo,voce,vultu,cõtristatione, vel lachrymis cum terrendo, quia hac via sæpè contingit,id concedere,quod nollet, nam preces nimis importunæ æquipollent violentiæ.

6 Hinc,qui ex odio,& malo animo facit, vt herus dimittat famulum, qui non potest inuenire alium,qui tantùm salarij ei soluat, quantùm herus dimittens,nihil tali famulo tenetur restituere,nisi in causa fuerit,quòd herus contra legẽ iustitiæ, vel ante lapsum temporis conuenti eum abs se eiceret:vel nisi vi,aut fraude vel metu,aut mẽdaciis id apud herum obtinuisset.Nau.c.17.nu.70.

QVÆSTIO III.

An Religiosi qui impediunt, ne legata relinquantur Matricibus ecclesiis, eo animo vt potius suo Monasterio,vel alteri relinquantur peccent,& ad restitutionem teneantur?

1 AD hoc dico primò, quòd Religiosi qui intersunt testamẽtis conficiendis peccant mortaliter contra prohibitionem Clemen. primæ, de Priuileg.& abusibus si retrahunt testatorem à legatis faciẽdis ecclesiis Matricibus,seu cathedralibus, eo animo vt sibi potiùs, vel alteri de suo ordine,vel suo Monasterio relinquantur.

2 Secundò dico, quòd Religiosi qui hoc modo,vel ex odio retrahunt testatorem,ad nullam restitutionem tenentur.Et ratio est, quia illi non faciunt aliquid contra iustitiam commutatiuam, quia hi quibus testator volebat legata relinquere, nullum ius adhuc ad id acquisierant, ergò non tenentur restituere.Probatur consequentia, quia sola læsio contra iustitiam obligat ad restitutionem.

Nec obstat dicta Clementina, quia ibi solùm prohibetur,ne id faciant,non tamen imponitur onus restituendi.

QVÆSTIO IV.

An qui impedit alium per vim, dolum, fraudem,sine mendacium, vel aliam iniuriam à consecutione alicuius boni, quod erat habiturus alioquin ex mera tertij liberalitate,in foro conscientiæ teneatur ad restitutionem?

1 IN hac quæstione duæ extant opiniones.

Prima est asserentium hunc non teneri ad restitutionem. Sic Adr.in 4.in tractatu de rest.Ang.verb.rest.1.vers.impediens Syluest.ibid.3.q.18.Tab.eodem ver.q.10. & Armil.nu.49. & probant quia qui sic impedit alium etiam dolo, vi, metu, vel mendacio, peccat quidem mortaliter contra charitatem proximo debitam, sed non violat iustitiam commutatiuam, cum non priuet illum aliquo iure,quod habebat,quia vt supponimus, ex sola gratuita voluntate alterius erat illud bonum consecuturus.

2 Secunda vero opinio quam sequor, est aliorum, qui affirmant talem esse obligatum ad restitutionem faciendam impedito. Sic Nau.in Man.c.17.nu.69.Sot.l.4.q.6.ar.3. Molina tom.3.de iust. d.727.Couar.in Reg. peccatum 2.p.§.7.n.8.Petr.Nau.li.3. de rest. c.5.nu.4. & alij. Et ratio est,quia sic impediens peccat contra iustitiam commutatiuam,ergò tenetur ad restitutionem. Consequentia est per se nota. Antecedens verò probatur ex eo,quia facit,quòd conferens non voluntariè deneget illud bonum alteri,nam quidquid fit per metum,vim,dolum vel mendacium non fit voluntariè, sed Titius denegat Caio bonum aliquod, puta beneficium,vel eleemosynam per vim, metum,dolum,vel mendacium,quia credit alteri, qui mentiendo dicit illum esse ingratum, indignum, vel suum inimicum, ergo.

3 Et confirmatur,Caius habet ius, ne per vim,dolum,metum, vel mendacium impediatur ab aliquo, quominùs à Titio consequatur aliquod bonum: ergo qui impedit Caium à consecutione illius boni dolo, vi, vel mendacio priuat eum huiusmodi iure contra iustitiam, ac proinde ad illius æstimationem tenetur.

4 Hinc,qui vi,metu,aut fraude, aut mendacio impedit rusticum ab operibus suis diurnis,aut piscatorem,venatorem, ne piscetur,aut venetur,aut scriptorem, qui scribendo lucratur,ne scribat:aut clericum, ne accedat ad beneficium petendum,vel ad se opponendum, vel ne aliquid aliud faciat ipse, aut alius tertius, quod adiuuare debebat,vt illud consequeretur,peccat cõtra iustitiam, quia contrauenit iuri, ac facultati, quam vnusquisque habet faciendi, vel obtinendi à quocunque, quod voluerit ei conferre,ac proindè restituere ei tenetur id damnum quantùm æstimabitur attento

iure,

iure,quod qui impediti fuerunt, ad id habent,& attenta certitudine, aut probabilitate maiori,vel minori, quæ erat, quod id consequerentur, si non fuissent illo modo impediti.

Hinc,qui per fraudem,& dolum persuasit alicui, ne faceret eleemosynam ecclesiæ quam paratus erat dare, tenetur restituere ecclesiæ illam eleemosynam. Et ratio est,quia læditur ius, quod habet ecclesia in voluntate eius, qui iam est in præcinctu vt elargiatur ei eleemosynam.

Tum quia qui mutat voluntatem donandi per dolum,& fraudem alterius,non voluntariè mutat.

5 Hinc,si quis mentiens me esse mortuum aut non esse alicuius consanguineum, aut esse spurium,aut ignarum, aut aliis modis, esset causa,vt mutaretur testamentum, aut legatum,aut collatio beneficij, officij, aut alterius boni factum,aut iam decretum,tenetur illud mihi restituere.Et ratio est,quia per restitutionem debet resarciri omnis læsio contra iustitiam commutatiuam,ergo qui per vim,metum,aut fraudem,aut mendacium, quæ sunt media contra iustitiam commutatiuam,fuit causa,quominus obtinerem aliquod bonum, tenebitur ad illius æstimationem.

6 Est autem hic considerandum, quòd in his casibus non est obligatio restituendi totum bonum quod impediuit, sed solùm iuxta proportionem iuris magis propinqui vel magis remoti, vel spei magis propinquæ,vel magis remotæ,quam quis habet ad consecutionem ipsius boni; quantò enim maiorē spem habebat, vel propinquius ius ad illud,tantò maior debet fieri restitutio, quod vir prudens arbitrari debet. Valent. to.3.d.5.q.6.p.5.Mol.to.3.d.727.& Rebel.lib. 3.quæst.1.

QVÆSTIO V.

An qui absque vi,dolo, & fraude alium impedit ab acquisitione alicuius boni, ad quod ille solùm habet ius distributiuæ iustitiæ, restituere aliquid teneatur?

1 ILlustrissimus Caie.2.2.q.62.a.2.ad 3. & Couar.in Reg.peccatum p.2.§. 7. nu.8. putant hunc ad restitutionem teneri, plus, minùs, pro vt quis erat magis, aut minùs propinquus officio, vel benficio.

2 Sed contrarium tenent Nau. c.17.n.69. & 73.Sot.l.4.q.6.a.3.Valen.to.3.du.5.q.6.p.5. & alij communiter,& meritò quidem,quia id, ad quod quispiam solùm habet ius distributiuæ institiæ,nunquam fuit suum, ergo à nemine ei restitui debet, etiam si ipsi negetur, aut is in eius consecutione impediatur. Patet consequentia ex ipsa natura restitutionis, quæ consistit, vt quis iteratò in dominio rei suæ statuatur.

Tum quia restitutio est resarcitio iniustitiæ factæ contra iustitiam commutatiuã, ergo nemo tenetur restituere alicui per actum iustitiæ commutatiuæ id quod ei debetur per solum actum iustitiæ distributiuæ.Consequentia est per se nota.Antecedens vetò patet ex communi omnium sententia.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm existens in peccato mortali ad beneficia Ecclesiastica eligi queat?

1 PRo intelligentia huius quæstionis obseruandum est primò, quòd tria necessariò requiruntur vt quispiam censeatur dignus ad beneficia ecclesiastica scilicet bonitas vitæ, scientia, & prudentia in rebus agendis.

2 Requiritur primò vitæ probitas,& morum honestas in omnibus Ecclesiasticis, præcipuè in Prælatis, & sacerdotibus habentibus curam animarum, quia finis Ecclesiasticorum est facere oues suas veros Christi seruos,& amicos,quod præstare nō poterunt,nisi ipsi prius studiosi sint,Deique amici,suo exemplo alios ad virtutē allicientes.Vnde Christus Io.vlt.volens constituere Petrum Ecclesiæ suæ Pastorē,priùs illum de charitate interrogauit. Simon Ioannis diligis me plus his? innuens indignum esse munere Pastoris,expertem charitatis. Vbi Caiet.ait,Qui non habet amorem Iesu,non est Pastor,neque Pontifex,nisi æquiuocè.Et per hanc dictionem ly (æquiuocè) non significat non esse verum Pastorem, sed esse inutilem,& insufficientem tali munere.

3 Secundò est scientia sine qua virtus non potest aliis prodesse,nam ministri Ecclesiastici instituuntur,& deputantur, vt instruāt fideles,vt habetur ex Conc. Trid. sess.2.c.2. & sess.23.à c.3.vsque ad 14.

Tertiò,& vlt.requiritur prudentia in gubernan

Digitized by Google

bernando, quæ maximè requiritur in his, qui habent curam animarum, iuxta illud Christi fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam.

4 Secundò est obseruandum, quòd ex his conditionibus per se, & absolutè loquendo in electionibus virtus prætertur: postmodum scientia consideratur, demùm prudentia: licèt comparatiuè aliquando è contra prudentia præferenda sit.

Tertiò & vltimò est obseruandum, quòd hæ tres conditiones, quæ exiguntur in eligendo, electori debent esse perspectæ, nec sufficit, vt non appareat malus, sed debet ab electore cognosci bonus, cum electio sit actus voluntatis, quæ sequitur iudicium intellectus: intellectus autem de re sibi occulta non iudicat propterea in Conc. Trid. sess. 24. c. 18. præcipitur fieri publicè examen promouendorum ad beneficia.

6 Hinc, qui ad beneficia ecclesiastica, & cætera munera publica eligit aliquem, de cuius scientia, & probitate omninò ignorat, peccat mortaliter, & ratio est, quia se exponit periculo eligendi indignũ, non tamen tenetur ita curiosiùs occulta disquirere, quia interna virtus solùm est more humano diiudicanda. Vnde videtur sufficere, vt eligendus habeatur communiter vir bonus, aut verò, quòd nullus requisitus illum indignum proclamet.

6 Obiicies c. vnicò de scrutinio in ordine faciendo, vbi dicitur, scrutatorem ordinandorum eum debere iudicare dignum, quem indignum esse non nouerit.

Respondeo, caput illud intelligitur de illa approbatione, & testimonio exteriori, quod reddit Archidiaconus tempore ordinationis, interrogatus ab Episcopo: tunc enim nisi ei constet illos esse indignos, debet eos approbare, cum iam sint in particulari examinati, de scientia, motib. & vita.

His ita constitutis, Caiet. super Ioan. c. vl. & in sum. ver. electio, & Sylu. ib. §. 17. & 18. ingenuè fatentur, vt aliquis digne eligatur, oportere eum à mortali culpa esse immunem. Hoc idem sentiunt Innoc. & Pan. c. vl. de cler. excommunicat. Et videtur esse sententia D. Th. 2.12. q. 63. a. 2. & clarius in quod libet. 8. a. 6. vbi lethali peccato obstrictum ad quodlibet spirituale munus, & officium obeundum indignum esse docet.

7 Ex quo infertur, lethaliter eum peccare qui ad beneficium eligit, quem mortali peccato pollutum nouit. Et ratio est, quia qui eligitur ad beneficium, eligitur vt sit minister in domo Dei 1. Corinth. 4. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, &c. Qui verò est in peccato mortali est inimicus Dei, quomodo ergo potest esse minister eius, qui clamat in euangelio. Qui mihi ministrat, me sequatur.

Deinde electio fit, vt electus sacro munere, & officio fungatur: at ei qui est in peccato mortali, sacramenta suscipere, & administrare prohibetur, ergo.

Alij verò distingunt, si peccatum est occultum, non peccat qui in sui electionem consentit, nec qui in eius peccati conscius, ipsum eligit, alioqui cæteris digniorem. Secùs si peccatum est notorium. Pro quo.

8 Primò dico, quòd de hoc in iure nihil habetur expressum, nam iura videntur solùm exigere, quòd vir bonus æstimetur à populo. Nam conc. Trid. sess. 24. c. 12. loquẽs de Prælatis eligendis, solùm dicit quòd virtus eorum debeat commendari, nihil curans de occultis. Et 1. ad Timoth. 3. dicitur oportet, autem illum habere bonum testimonium etiam ab his qui foris sunt.

Secundò dico, quòd non quiuis peccator occultus in sui electionem consensum præbens, peccatum committit, nec is qui talis peccati conscius, ipsum eligit, si alioquin dignus habetur, maximè si peccatum sit ex fragilitate commissum, de quo est spes, quòd in breui debeat emendari. At nihilominùs si peccatum sit notorium, peccat qui sciens ipsum eligit, quoniam vt minimùm aliis causam præbet offensionis, cum videant hunc eligi, alio prætermisso, qui bonus, & idoneus censetur ab omnibus.

9 Tertiò dico, quòd si talis eligendus manifesta malitia, ac inueterata quadam consuetudine est in peccato, & hoc constat eligenti, non poterit illum eligere absque lethali culpa, quamuis scientia polleat, quia probabiliter timẽdũ est, quòd peccatum huius fiet manifestum, ac deterius. Ita Ban. 2.2. q. 63. art. 2. & Azor. p. 3. inst. mor. lib. 6. ca. 14. qu. 10.

QVÆSTIO VII.

An in distributione beneficiorum cum cura animarum, Theologus sit dignior, & magis idoneus, quàm iuris canonici peritus?

1 ET quæstio intelligitur cæteris paribus, nam si ex duobus, qui se offerunt eligen-

eligendi,iuris pontificij consultus sit honestioribus moribus,& maiori prudentia ornatus, quàm Theologus, non est dubium, præferendum esse Canonistam.Cæteris verò paribus,& honestate morum,&prudentia, inquirimus ratione scientiæ, quis sit præferendus.

2 In hac q.Host.& Pan.in c.1.de consang. & affinit.docent per se,& absolutè loquendo Iuriscanonici peritum esse Theologo digniorem.In casu aut particulari,quoniam videlicet vigent hæretici, dignior censetur Theologus, quia ad Theologum pertinet dogmata fidei confirmare,confutare hæreses,& promulgare Christi euangelium.

At concors est omnium Theologorum sententia,s.regulariter Theologũ esse præferendum iuris pontificij consulto. Et ratio est, quia præcipuum munus Pastoris est docere,& prædicare vt ex Apostolo definit Conc.Trid.sess.5.c.11.& sess.24.c.4.ad quod magis confert Theologia, quam scientia canonica,ergo.

Tum quia cum ordinatur, & creatur Episcopus, rogatur, an sciat vtrumque testamentum.s.vetus,& nouum,cuius cognitio ad Theologum pertinet.Et in fine consecrationis dicitur illi, vade, & prædica euangelium.

Tum quia in Conc.Trid.sess.22.c.2. & 3. & sess. 24. c. 18. vbi tam quoad Episcopos, quàm quoad Parochos, primo loco Theologos, secundo verò quasi in defectum Theologorum.Canonistas proponit.

3 Dixi notanter (regulariter) quia aliquando poterit præferri iurisconsultus, vt quando innumera imminerent negotia, & lites emergentes, & plures alioquin essent ministri Euangelij, & hac fortè ratione prisc̃is Ecclesiæ temporibus iurisperiti meritò præficiebantur ecclesiis.

Hinc non peccant,qui in examine beneficiorum cæteris paribus Theologorum Iurisconsulto præponunt:imò hoc facere tenentur,etiam si iuris pontificij consultus sit aliquantulum doctior in suo iure:quia teste experientia,plus iuuat ad confessiones audiendas,& conscientias sedandas, mediocris cognitio Theologiæ, quam excellens iurisperitia.Ita tenent Illustriss.Caiet.2.2.q. 185.a.3.Sot.l.4.q.6.a.1.Ban.2.2.q.63.ar.2.Petr. Nau.l.2.de rest.c.2.n.163.Azor.p.2.inst.mor. l.3.c.18.q.10.Reb.l.3.q.5.Salon.2.2.q.63.a.2.& Sylu.verb.Episcopus.

4 Ex quo sequitur falsum esse, quod dicunt Iurisconsulti,quòd primum, & per se munus Pastoris est,iudicare causas temporales.Et ratio est,quia iudicare, & componere lites, quæ inter catholicos agitantur, pertinet ad externam gubernationem Ecclesiæ: Prælati verò non positi sunt in hoc per se primò,vt consulant paci externæ,sed internæ virtuti. Vnde Paulus agens de litibus decidendis 1.ad Cor.6.vt notat B.Aug. l.de opere Monachorum,non dixit,adducite eos ad me,nec ad Episcopos, sed contẽptibiles(inquit)de ecclesia eligite.Et primo ad Tim.4. præcipua Episcopi munia exprimendo ait,Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.Et ad Eph.4.enumerans dona, & officia Ecclesiæ ait, alios quidem dedit Apostolos,alios Euangelistas, &c. alios Pastores & doctores. Vbi Hier. cum in aliis diuisim locutus esset,in Pastoribus verò,& Doctoribus,ista cõiunxit,vt qui Pastor est, debeat esse & magister, insinuans, hoc esse potissimum munus Episcopi,docere.

QVÆSTIO VIII.

An is,qui est distributor beneficiorum,teneatur digniorem eligere?

1 AD hoc dico primo quod aut is, qui beneficia distribuit, duos, aut plures alios aliis digniores in promptu habet, aut non, nisi vnum dignum, quamuis aliis alibi digniores inueniantur.Si primum, tenetur digniorem eligere,quia ad eum spectat ecclesiæ rem vtiliter gerere,quod non præstaret, si minùs digno beneficium conferret.Si secundum,satis est,si digno beneficium conferat: quia licèt alij digniores sint, habere eos tamen commodè non potest.Ita Azor.p.2.inst.mor.l.6.c.15.q.9.

2 Hinc,electores non tenentur ad exquirendũ per orbẽ digniores, sed ex eis, quos habent in promptu, debent eligere meliorem,sic.n.dictat recta ratio.

Secundo dico, quòd quãdo elector habet familiarem, quem pro comperto habet esse dignum, potest tuta conscientia eligere illum quando non clarè videt alium esse meliorem, sed verisimiliter tantùm, licet reuera sit melior.Et ratioest,quia scientia,quam habet elector de dignitate sui familiaris,habita longa experientia, est præferenda òpinioni, quam habet de maiori idoneitate alterius.Ita Salon.2.2.q.63.a.2.

3 Hinc,

Digitized by Google

3 Hinc, quando elector nouit quidem Titium doctiorem, non tamen expertus est prudentiam, & bonos mores illius, sicut Caij, potest enim tunc eligere Caium, cuius prudentiam, dexteritatem, & probitatem adeò expertus est, & quem videt vtiliorem Ecclesiæ vnde sumenda est dignitas ministrorum.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Patronus teneatur semper præsentare digniorem?

1 PRo decisione huius quæstionis dico primò, quòd excepto Episcopatu, nulla subest obligatio quærendi digniores ex aliena Ecclesia ad beneficia vacantia, sed satis erit eligere digniorem inter eos, qui sunt eiusdem Ecclesiæ, modo non sit indignus, quamuis sit minùs dignus respectu alterius de aliena Ecclesia.

Secundò dico, quòd fundator Ecclesiæ, aut talis beneficij non potest apponere conditionem, vt eligatur indignus. Et ratio est, quia omnis electio debet esse bona, & cum aliqua saltem vtilitate Ecclesiæ, non cum damno illius, & nocumento animarum; indignus autem non solùm est inutilis, verum etiam nociuus.

2 Tertiò dico, quòd si quispiam ex suis bonis patrimonialibus beneficium Ecclesiasticum institueret sub ea lege, vt ex sua tantum, vel certa familia, certa vè personarum conditione beneficiarij assumerentur, certum est, eligendum esse digniorem ex eorumdem habilium numero, quamuis minùs dignus sit, quàm plerique alij excluſi. Ita Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 7. nu. 5. & Communis, à qua tamen recedit Sot. lib. 3. q. 3. ar. 1. dum ait in beneficiis habentibus curam animarum, non esse licitum fundatoris institutum, quo institueret, vt ex aliena familia, etiamsi dignior esset, nemo eligeretur.

3 Quartò dico, quòd si in fundatione Ecclesiæ, vel beneficij fundator nullas apposuit conditiones, sed electionem relinquit prudentiæ, & conscientiæ electoris, tunc tenetur elector eligere digniorem, quia eo ipso quo relinquitur prudentiæ, & fidelitati ipsius, tenetur ex officio, & ex iustitia consulere vtilitati Ecclesiæ, & respicere merita eligendi, & consequenter eligere digniorē.

Quinto dico, quòd non peccat Episcopus qui in beneficio præficit minùs dignū, relicto digniore, quotiescunque iure pontificio instituere tenetur clericum à Patrono præsentatum. Ratio est, quia ad Patronum spectat præsentare eum, qui vtilior creditur, nec potest repelli ab Episcopo præsentatus, nisi sit indignus, & ad eumdem Episcopum spectat indignitatem probare.

4 Sextò dico, quòd si Patronus, qui primò fundauit beneficium ex propriis bonis, præsentat dignum, relicto digniore non peccat. Et ratio est, quia fundator est dominus suorum bonorum, ergo potest illa conferre cum conditionibus, quibus voluerit, modò non sint nociuæ, sed in aliquam Ecclesiæ vtilitatem, etiamsi non omnimodam, quia non tenetur ad melius. Et videtur esse conclusio definita in c. Monasterium 16. q. 7. vbi fundatori conceditur facultas eligendi ministrum, qui malus non sit.

Septimò dico, quòd si patronus qui fundatori in iure patronatus succedit, scienter, vel per ignorantiam crassam, aut affectatam dignum præsentat, digniore prætermisso, peccat mortaliter. Et ratio est, quia successor licèt ius præsentandi habeat, non censetur tamen dominus, sed dispensator, quare conditiones à fundatore relictas immutare non valet, quod tamen fundator facere poterat: cum ergo de iure naturali, ac diuino ad fidelitatem dispensatoris spectet: ad beneficia Ecclesiastica digniores eligere, fit, vt peccatum contra fidelitatem, & contra iustitiam distributiuam committat. Ita Reb. l. 3. q. 4. Est tamen hoc contra Petr. Nau. l. 2. de rest. c. 2. n. 150.

5 Octauò dico, quòd consuetudo laicorum præsentantium dignos, relictis dignioribus non est damnanda in praxi sub mortali. Et ratio est, quia isti sequuntur opinionem probabilem, imò communiorem: cui fauet mirabiliter Concil. Trident. sessio. vigesimaquarta cap. decimooctauo, de reformatio. vbi sic habetur, quòd si iuris patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis vt supra examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. Signum ergo est, quod Conc. supponit probabilem hanc opinionem. Ita Ban. 2. 2. q. 63. a. 2.

Nono dico, quod Patroni Ecclesiastici, pro quibuslibet beneficiis, siue simplicibus, siue curatis, tenentur præsentare digniorē, vt

vt habetur ex Conc. Trid. seſſ.24. cap. 18. vbi dicitur. Si verò iuriſpatronatus Eccleſiaſtici ſit, ac inſtitutio ad Epiſcopum alium non pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ad examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ac ab eo inſtituatur.

6 Decimò, & vltimò dico, quòd probabilior eſt illorum ſententia, qui dicunt quòd omnes Patroni tum Eccleſiaſtici, tum ſeculares tenentur eligere digniores, ſiue beneficia fuerint ſimpla, ſiue curata. Et ratio eſt, quia Papa non concedit Patronis, quod ipſe iuſtè per ſeipſum facere non poteſt; ſed Papa non poteſt in præſentia dignioris eligere minùs dignum, ergò neque hoc poteſt concedere Patronis Ita Ban. 2.2. q. 63. ar.2.

QVÆSTIO X.

An is qui ſuum beneficium alterius gratia reſignat teneatur digniorem eligere?

1 RESp. non teneri. Et ratio eſt, quia non eligit, ſed ius ſuum, quod in beneficio habet, in alterum, ſuperioris arthoritate tranſmittit, vnde meo iudicio ſatis eſt, ſi clericũ ſubroget æquè dignum, & aptum ac ſe, quamuis alius appareat dignior, & magis idoneus; & ita ſeruatur in praxi, vt notat P. Nauar. lib.2.de reſt. n. 173. & tradit egregiè Caiet. in ſum. verb. beneficium, Salon.2.2.q.63.art.2. Azor p. 2. inſt. mor. l. 6. c. 25.q. 10. & eſt communis opinio inter Thomiſtas.

QVÆSTIO XI.

An in beneficijs curatis peccet mortaliter, qui ſciens eligit dignum, prætermiſſo digniore?

2 IN hac quæſtione duæ extant opin. Prima eſt quorundam Iuriſtarum, qui abſolutè contendunt vllum eſſe peccatum eligere dignum, prætermiſſo digniore. Huius opinionis verum eſſe Caiet. ientaculo 22.q.4. & in ſum. verb. benef. & verb. elec.

2 Secunda verò opinio, quam ſequor eſt D. Thom. 2. 2.q.63. ar. 2.ad 3. quodlibeto 4.ar. 15.quodlib.6.ar. 9. & quodlib. 8.a. 6. Soti l. 4. q. 6. ar. 1. Caiet. 2.2. q. 63. ar. 2. Gabr. in 4. d. 13. q. 7.ar.3.Nauar.cap.17. n. 2.Ban.2.2.q. 63.ar.3.Rebel.p.2. de obligat. l.3.q.4. Arag. 2.2 q. 63. ar. 3. Syluest. verb. electio q. 16. & aliorum qui communiter tenent eſſe peccatum lethale digniorem prætermittere, non ſolùm quando per oppoſitionem, aliumue titulum acquiſiuit ius commutatiuum, ſed etiam ſi nullum tale ius habeat. Et ratio eſt, peccatum contra iuſtitiam, ex ſuo genere eſt mortale, ſed qui eligit dignum, relicto digniore, peccat contra iuſtitiam commutatiuam, ergo peccat mortaliter. Minor probatur, electo ex officio, atq; adeò ex iuſtitia cõmutatiua tenetur conſulere vtilitati Eccleſiæ; at qui relinquit digniorem, apertiſſimè non conſulit vtilitati Eccleſiæ, ergò peccat contra iuſtitiam commutatiuam, & per conſequens peccat mortaliter.

3 Et confirmatur, qui ad beneficia curam non eligit digniorem, cum poſſit eſt infidelis Eccleſiæ, ſicut œconomus qui valens conducere in vineam domini ſui vtiliores operarios, locat minùs vtiles: infidelitas autè in re grauis peccatum mortale eſt etiã. vnde Aug. in epiſt.29. & ſuper cap.1. Iacobi ſic ait. Quis ferat eligi diuitẽ ad ſedem honoris cõtempto paupere inſtructiore, & ſanctiore? Et in Conc.Baſilien. extat pragmatica confirmata à Mart.V. vbi electores præcipiuntur iurare Deo, & Sanctæ illius Eccleſiæ, in qua exiſtit beneficium ſe electuros quem nouerint digniorem.

Et in Sacroſanct.Conc.Trid. ſeſſ. 24. de refor.c. 1. decernitur eos mortaliter peccare, qui non eligunt, quos digniores iudicauerint. Quod etiam eſt verum quo ad electionem Prælatorum in Religionibus, imò multò magis, cum vitæ perfectionem ſectentur, ac proindè iuxta ſine proprij inſtituti Prælati digniores exigantur. Et in hoc omnes Doctores conſentiunt.

QVÆSTTIO XII.

Sed tota controuerſia conſiſtit de beneficiis ſimplicibus. An videlicet is, ad quem pertinet ius conferendi beneficium, peccet mortaliter, ſi relicto digniore, minus digno beneficium concedat?

1 ALex.Alenſ.p.2.q.119. n. 2.a.31.abſolutè affirmat eum peccare venialiter.

Gabr. in 4. diſt. 15.q.7.ar.3.ſolùm eum à mortali excuſat, quando ſunt minora

beneficia, non autem, quando sunt maiora, vt Cardinalatus, canonicatus, & similes dignitates, licèt curam animarum non habeant.

Sotus lib. 3. de iust. q. 6. ar. 2. nunquam aut rarò eum peccare mortaliter affirmat.

P. Nau. lib. 2. de rest. c. 2. 2. n. 19. nunquam eum peccare lethaliter autumat.

2 At verò D. Thom. quodlibet 6. art. 9. & quodlib. 8. art. 9. Nau. Miscell. 4. 33. & 36. Rebell. lib. 3. q. 4. Azor. p. 2. inst. mor. lib. 6. c. 26. q. 1. & 12. Sylu. verb. electio 1. q. 16. & alij communiter docent in vniuersum eum peccare mortaliter, & meritò quidem, quia qui violat iustitiam distributiuam per acceptionem personarum ex genere suo peccat mortaliter, quare nisi ex causa debita excusetur lethaliter peccabit.

QVÆSTIO XIII.

An in conferendis beneficiis, quo dignus eligitur, prætermisso digniore, aliquando possit esse solùm veniale peccatum?

1 RESP. posse, & hoc in quatuor casibus. Primo ex paruitate materiæ, quæ in omni peccato mortali ex genere semper excusat à mortali, vt si v. g. beneficium, aut officium est exigui momenti, idest tenues, & exiguos prouentus habet.

Secundò propter paruitatem excessus, qui inter dignum, & digniorem intercedit. Et ratio est, quia quando modicus excessus interuenit, minima est iniuria, quæ fit digniori non electo.

Tertiò quando inter ipsa Ecclesiæ beneficia, modicus quoque excessus iudicatur, licèt sit excessus notabilis inter personas. Vt si ad beneficium cuius prouentus annui sunt centum aurei, Titius dignus eligatur, & Caius dignior ad beneficium, cuius redditus sunt nonaginta aurei.

2 Sed aduerte, quòd hic excessus non solùm attendi debet quoad annuos prouentus, verumetiam quoad dignitatem, honorem, & alia quæ efficiunt beneficium præstantius, potest enim beneficium parum excedere alterum in redditibus, multùm tamen in dignitate, & honore, & tunc neglecto digniori fieret illi maxima iniuria, quamuis non in pecuniis, in dignitate tamen, & honore, in quibus apud viros cordatos est grauior iniuria. Hinc, si habens cathedram opponit se alteri vacanti, & non confertur ei, cum sit dignior, est peccatum mortale, etiam si illa, quam habet actu, habeat æquales prouentus, quam illa cui se opponit. Et ratio est, quia cadere in oppositione cathedræ est multi honoris, & dignitatis.

3 Quartò, & vlt. in casu, quo vacant simul duo beneficia, alterum simplex, & pingue, alterum verò parochiale, & tenue; & non sunt nisi duo oppositores; tunc non debet eligi dignior ad beneficium magis pingue. Ratio est, quia in tali casu expedit pro bono ipsius Ecclesiæ, vt qui dignior est, assumatur ad beneficium parochiale, cui est annexa cura animarum.

4 Hinc, si vacat Episcopatus Montis Regalis, & Geneuensis, tunc eligendus est ad Geneuensem propter hæreticos ibi existentes doctior, & sanctior, ad Episc. Montis Regalis verò in quo non vigent hæreses minus doctus, & minus dignus. Et ratio est, quia beneficia Ecclesiastica primò, & principaliter sunt instituta, & ordinata in vtilitatem Ecclesiæ, ergo quando vtilitas, & bonum Ecclesiæ ita exigit, sic erit facienda distributio, nec curandum quòd Episcopatus Montis Regalis sit ditior, & honoratior, quia hoc est secundarium, & minus principale, & in omni electione semper habenda est ratio potioris.

QVÆSITO XIV.

Vtrùm elector qui simpliciter iuramento se astrinxit se electurum digniorem, peccet mortaliter, etiamsi excessus sit leuis?

1 BANNES, & Sal. 2. 2. q. 63. art. 2. astruunt hunc peccare mortaliter, ex eo fundamento, qui putant istud iuramentum obligare sub mortali secundùm rigorem promissionis. Ex quo inferunt scholares qui iurant se electuros digniorem, si non præstant suffragium illi, quem cognoscunt digniorem ad cathedram obtinendam, quantumcunque excessus sit modicus, mortaliter peccare, & esse periuros.

2 Contrariam autem sententiam tenuisse video Sot. li. 4. de iust. q. 6. a. 1. quia absolutè ait hûc peccare venialiter, cû tamen ipsum non lateat electorem huiusmodi iuramentum præstare; refert enim pragmaticam illam Conc. Basilien. in qua tale iuramentum indicitur electoribus. Vtrumque probabile.

QVAE

QVÆSTIO XV.

An quando eligitur dignus, relicto digniore, talis electio sit valida?

1 RESP. esse validam, nec stante iure communi, rescindi posse in fauorem dignioris. Et ratio est, quia si non esset talis electio valida, dignus electus non esset tutus, & securus in conscientia, & cum sæpiùs eligantur digni, essent multi ministri Ecclesiæ dubij, an bene haberent beneficia, an essent rata ministeria, quæ exercent in Ecclesiis, & rata Sacramenta, quod vergeret in graue detrimentum Ecclesiæ. Ita enim definitur in cap. Cum nobis olim de elect. & electi potestate. Et in cap. cum dilectus eod. tit.

2 Dixi (stante iure communi) quia secundùm ius nouum Pij V. sub anno 1566. Si Episcopus eligat in Parochum minùs dignum, relicto digniore, poterit electio per Metropolitanum annullari, darique beneficium digniori prætermisso. Ita Ban. 2.2.q. 63.art.2. Couar. in Reg. peccatum p.2.§.7.n. 3. Azor. p.2.inst.mor.lib.6.c.17.q.2. & Arag. 2.2.q.63.art.2.

QVÆSTIO XVI.

An in aliquo casu liceat alicui electorum, neglecto digniore, eligere dignum?

1 RESP. licere, in casu, quo essent tres oppositores, primus dignior, secundus dignus, tertius indignus; videréque aliquis electorum maiorem partem vocabilium inclinari omninò in indignum, tunc ne eligeretur indignus, liceret neglecto digniori, suffragari, digno. Et ratio est, quia in hoc casu suffragari digniori est omninò vanum, & inutile. suffragari verò digno, ne ad beneficium assumatur indignus, est vtile, & maximè expediens bono communi, ergo hoc est præstandum, & illud prætermittendum. Ita Salo. 2.2.q.63.art.2. & Eman. Sà in Aphor. conf. verb. electio n.9.

QVÆST. XVII.

An si sint tantùm duo oppositores, vnus dignus, & alter dignior, videámque plures vocalium inclinari in dignum, possim tuta conscientia relicto digniore, etiam suffragari illi digno?

1 AD hoc dico primò, quòd quando electio est facienda de aliquo Prælato, nullum est peccatum in hoc casu eligere dignum, in quem plures electorum concurrunt. Et ratio est, quia vt optimè annotauit Salon. 2.2.qu.63. ar.2. electus communi consensu, & desiderio subditorum, multò melius gubernat, meliusque & promptius illi subditi obediunt: & cum suauis, & pacata gubernatio sit vtilior Ecclesiæ, dignus iste in tali casu est vtilior, & consequenter dignior.

2 Secundò dico quòd si electio fit de aliqua cathedra, vel canonicatu, tunc & si maior pars vocalium sit propensa in dignum, nihilominus suffragandum est digniori. Et ratio est, quia tunc nec suffragari digno expedit pro bono communi, nec suffragari digniori, alicui nocet; imò in hoc casu dignior quamuis excluſus, iustè, & rationabiliter potest habere aliqua suffragia. Ita Salon. 2.2.q.63.art.2.

QVÆST. XVIII.

An minus dignus peccet in sui electione consentiens, si scit competitorem magis idoneum prætermitti?

1 PETR. Nauar. lib.2. de restit. c. 2. nu.163. affirmat.

Alij verò vt Caiet. 2.2.q.186.a.3. Sot. lib.3. q.6.art.2. Cou. in Reg. peccatum, p.2.§.7.n.5. Rebell. lib.3.q.6. & alij negant. Pro quo.

2 Primò dico, quòd minus dignus non peccat ex eo præcisè, quòd petit, accipituè beneficium ab eo, qui cum peccato dat, si alioquin sine peccato dare simpliciter potest. Sicut non peccat, qui rem sibi necessariam emit à transgressoribus taxæ, vel accipit mutuò pecuniam ab vsurarijs, & aliis qui cum peccato prodigalitatis, vel inanis gloriæ dant.

Secundò dico quòd nec etiam peccat minus dignus se opponendo, modò non indignum simpliciter agnoscens, se se opponit, non quidem animo impediendi digniorem, aut vt sibi beneficium concedatur eo modo, quo sine peccato conferri nequit, sed vt ius suum experiatur præsertim cum authoritate legis sibi id concedentis vtatur, & solùm se electoribus offert, vt ipsi scientiam eius explorent; quia sæpè con-

tingere potest, vt qui alium magis idoneum credit, dignior eo sit, propter circunstantias occurrentes, vel occultum alterius defectum, nec facilè rem sibi dari cum peccato à collatoribus iudicare debet.

3 Tertiò dico quòd si minus dignus euidenter nouit alios esse digniores, & multo meliùs, & fructuosiùs obituros officium, peccat si in petitione beneficij cum dignioribus concurrit, quia debet bonum commune præferre priuato.

Tum quia petit, quod digniori debetur, & impedit quominùs dignior beneficium obtineat.

Tum quia electoribus causam peccandi præbet, & damno digniorem afficit, qui eo ipso, quòd oppositorem habet, impensas plures facere cogitur.

Tum quia si non peccaret, nec collatores, aut suffragatores eum adiuuando, ac præferendo peccarent, quod tamen est contra determinationem Conc. Trid. sess. 24.c.1.de reformat. Sequela probatur, quia cooperantur cum illo ad ipsam promotionem, atque adeò si ipse non peccat, nec etiam illi. Nauar. de Oratione Miscell.45.n. 89. & 97. Azor. p.2.inst.mor.lib.6.c.15.q.14. & Rebell.lib.3.q.6.

QVÆSTIO XIX.

An qui ad beneficium, vel officium, indignum eligit, peccet & ad aliquam restitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui ad beneficia, vel officia tam Reipublicæ Ecclesiasticæ, quàm laicæ indignum eligit prætermisso digno, peccat mortaliter, tum propter transgressionem Conc. Trid. sess. 24.c.1.de reformat. Tum quia facit contra iustitiam commutatiuam, vt Sotus bene probat lib.5.q.6.ar.3.ob id enim fideles decimas, & tributa soluunt, vt sibi idoneus minister præficiatur, qui sacramenta conferat, prædicet &c. Ita D.Tho.2.2.q.63.art.2. Petr.Nau.lib.2.de rest.c.2.n.120.

Secundò dico, quòd qui prætermisso digno, ad eiusmodi beneficia, vel officia publica distribuit indigno, tenetur restituere Ecclesiæ, vel Reipublicæ totum damnum quod intulit. Et ratio est, quia qui præficit indignum, est causa futuri damni: ergo ad restitutionem illius tenetur. Ita Arag.2.2.q. 63. art. 2.

2 Hinc, qui præficit Ecclesiæ, aut Reipublicæ ministrum indignum, suis stipendiis tenetur prouidere de altero digno, vt hac ratione Ecclesiæ, vel Reipublicæ satisfaciat. Imò qui confert beneficia, vel officia publica indigno, non solùm tenetur restituere Ecclesiæ, vel Reipublicæ stipendium, quod ipsa persoluit, dempta ea parte, quam per suum qualecunque seruitium arbitrio prudentis, meretur, sed etiam damnum, quod ex mala officij administratione incurrit. Excusabitur tamen collator interdum propter iustam ignorantiam circa ministri indignitatem, vt si post moralem diligentiam non repererit idoneum, vtiliusque iudicauerit indignum, quàm nullum præficere. Pet.Nau.lib.2.de rest. c.2.n.120.

3 Tertiò dico, quòd indignus qui beneficium, vel officium acceptat, peccat mortaliter, cooperatur enim peccato distribuentis, & furtum committit vsurpando, quod ad se nulla ratione pertinet. Imò non solum peccat mortaliter, tam conferens, quàm recipiens, sed etiã beneficium ipsum cum suis fructibus perceptis, quos nunquam fecit suos, insuperque si quid damni præterea emerserit Ecclesiæ, vel Reipublicæ, tenetur restituere. Rebell.lib.3.q.6.& Arag. 2.2.q.63.art.2.

QVÆSTIO XX.

An collatio beneficij facta indigno sit valida?

1 AD hoc dico primò, quòd si ad beneficium, vel officium de facto eligatur indignus per se quia nimirum non habet requisita ad suum officium conuenienter obeundum, tunc collatio est nulla in vtroque foro. Et ratio est, quia Prælati non sunt domini beneficiorum, sicut sunt domini sui patrimonij, sed tantùm dispensatores: at eligere indignum, non est dispensare, sed dissipare, ergo.

Tum quia vbi furtum committitur, dominium non acquiritur: constat autem tam conferentem, quàm indignum recipientem beneficium recipere inuitis fidelibus, qui ea conditione decimas, & tributa soluunt, vt sibi idoneus minister eligatur, ergo collatio est nulla nec fructus facit suos; imò & damna alia ex tali electione secuta tenetur resarcire.

2 Secundò dico, quòd si ad beneficium vel officium eligatur indigeus per accedens,

Digitized by Google

dens,quia licèt habeat ea quæ requiruntur ad debitam executionem sui officij,tamen sua culpa indebitè munus suum exercet, tunc collatio valida est in vtroque foro; posset tamen per superiorem beneficio,vel officio priuari, si in foro exteriori probaretur ita indignus.

QVÆSTIO XXI.

An qui ad beneficium, vel Cathedram eligit dignum,prætermisso digniore,restituere aliquid ipsi digniori teneatur?

1 ILlustriss.Caiet.2.2.q.62.art. 2. Palud.in 4.d.15.q.2.ar.2.Arag.2.2.q.62. art.2.Syluest.verb.restitutio 3.q.12. Salon. 2.2. q. 63. art. 2. & multi alij tenent eum qui ad beneficium, vel Cathedram eligit dignum, prætermisso digniore, non solùm peccare mortaliter,sed etiam teneri refarcire damnum digniori illi prætermisso. Ducuntúrque hi in eam sententiam, quia putant beneficia Ecclesiastica esse instituta, vt essent principaliter bonorum præmia, & velut communia quædam Ecclesiæ bona, quæ in singulos, pro variis ipsorum meritis,vitæ scilicet probitate, & doctrina diuiduntur:& secundariò vt essent stipendia ministrorum: ergo qui illa confert digno, neglecto digniore peccat contra iustitiam,& per consequens tenetur ad restitutionem.

2 At verò Sotus lib.4.qu. 6. art.3. Nauar. cap.17.num 69.Couar.in Reg. peccatum p. 2.§.7.num.6.Azor.p.2.inst. mor. lib.6.c.15.q. 12. & multi alij docent hunc qui confert beneficium, aut officium digno, neglecto digniore,quamuis peccet mortaliter, nihil tamen obligari,nec Ecclesiæ restituere,nec digniori illi neglecto fundamentum præcipuum huius opinionis est, quia arbitrantur beneficia Ecclesiastica esse principaliter instituta vt essent stipendia eorum,qui in Ecclesia aliquod munus exercent,& minùs principaliter,vt essent præmia pro meritis. Quod colligunt ex illo testimonio Lucæ primo dignus est operarius mercede sua. Et ex illo primæ ad Timoth. cap.5. qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt. Vbi non dixit, qui boni sunt,ne quis putaret, beneficia esse conferenda in præmium meritorum,sed qui bene præsunt, vt significaret, esse tribuenda pro labore. Hoc idem colligitur Numer. cap.18.cum dominus loquens de filiis Leui dixit. Dedi eis decimas in possessionem pro ministerio. Cui fauet mirabiliter cap. fin. de rescript. lib. 6. vbi illud commune proloquium habetur. Datur beneficium propter officium.Quo posito sic argumentantur.

3 Beneficia Ecclesiastica,& cætera officia publica sunt per se primò instituta vt sint stipendia eorum, qui in Ecclesia, vel Republica laborant, ergo qui non laborat, nihil debet accipere, atque ex consequenti qui prætermisso digniore eligit dignum, nihil tenetur restituere digniori neglecto, quia nihil laboris in Ecclesia Dei impendit.

Et confirmatur. Dux qui eligit milites dignos ad bellum,& œconomus qui conducit operarios dignos ad laborandum in vinea domini, nihil tenentur restituere dignioribus,sed si eligant indignos tenentur domino satisfacere,cui inferunt nocumentum: ita à simili qui eligit dignum ministrum Ecclesiæ, nihil tenebitur restituere dignioribus neglectis, tamen si eligat dignum, tenebitur restituere Ecclesiæ, cui tale damnum intulit.

4 Tum quia beneficia Ecclesiastica, sicut & officia publica sunt principaliter instituta in commodum,& vtilitatem,non quidem personarum, sed Ecclesiæ, vel Reipublicæ, & vt sint stipendia ministrantium, ergo non debentur priuatis,nisi de iustitia distributiua, cuius violatio ad restitutionem non obligat.

Tum quia vbi non est debitum legale, ibi nulla debet esse restitutio, sed quando confertur beneficium, aut officium digno, relicto digniore, sine aliqua oppositione, nihil est debitum illi digniori, ergo nihil est restituendum. Maior propositio est per se nota. Minor verò probatur, nemini cui non est ius in re,vel ius ad rem, quod est ius ad petendum coram Iudice, est debitum legale;sed ille dignior qui prætermittitur,quando beneficium datur sine oppositione,non habet ius in re,nec ad rem,non enim potest illud coram Iudice petere,ergo nihil illi debetur, & per consequens nihil est ei necessariò restituendum.

5 Tum quia qui ad beneficium,vel Cathedram eligit dignũ, multis dignioribus neglectis,vel ille tenetur facere restitutionem omnibus illis dignioribus neglectis, aut

vni, aut nulli;non omnib. quia hoc videtur impassibile ; Tum quia ipse distributor non tenebatur omnibus illis beneficium, vel officiū conferre;nec vni cū non sit maior ratio de vno quā de altero, ergò nulli.

Cæterum, quamuis vtraque opinio satis sit probabilis ; secunda tamen quæ est Magistri Soti, mihi videtur probabilior, atque tenenda. Et primæ opinionis argumentum solùm probat peccare, & quidem grauissimum peccatum mortale,quia prætermisso digniore, eligit dignum, quia debet iuxta canonum decreta ministrum magis idoneum eligere, in quo fidem Ecclesiæ datam de digniore eligendo non seruat,sed iustitiam commutatiuam non violat, nam Ecclesiæ aptum, & dignum ministrum constituit, & digniori nullum ius aufert : nec beneficia tanquam communia Ecclesiæ bona aut bonorum præmia distribuit, sed ministros minùs idonos ad laborandum in Ecclesia conducit. Secùs agendum est in Gallia à collatoribus iuxta Cur.dat.maximè in mensibus graduatoriis nominatorum nimirum Ianuario & Iulio, vbi graduatis antiquior præferendus est minus antiquo, & Theologus Iurisconsulto legitimè infamato.

QVÆST. XXII.

An minus dignus qui se opponit digniori ad restitutionem teneatur?

1 ILlustissimus Caiet. 2. q. 62. art.2.dicit duo.Primò, si minùs dignus se opponit animo impediendi digniorem, tenetur ad restitutionem ,quia violat iustitiam distributiuam, cuius transgressio inducit obligationem restituendi.

Secundò, si non intendit impedire digniorem,sed solùm vt sibi,vel suis consulat, non tenetur,quia tunc nullam iustitam violat, sed suæ dignitatis examen Iudicibus deputatis committit.

2 At verò Sotus, & alij suprà citati tenent, quòd si absque vi,fraude, aut metu minùs dignus se opponit digniori, siue id faciat, vt sibi consulat, siue vt digniorem impediat,nihil restituere tenetur. Ratio est quia vbi non est fraus, vel dolus,non violatur iustia commutatiua, sed tantùm distributiua, cuius violatio vt suprà diximus nullam obligationem restituendi inducit.

QVÆSTIO XXIII.

An qui impedit alium à consecutione beneficij vel officij ad restitutionem teneatur?

1 IN hac graui, difficili, quotidiana, & perutili quæstione dico primò, quòd qui impedit indignum, quominùs consequatur beneficium, estò habeat titulum electionis : vel alium, vt sibi soli conferatur, nihil secundùm conscientiam tenetur restituere.Et ratio est,quia contra iustitiam commutatiuam non peccat, cum sic impeditus nullum ius habeat acquisitum in re, vel ad rem, etiam si videatur illud habere. Ita Ban.2.2.q.63. ar.2.

2 Secundò dico, quòd qui per vim, dolum, vel metum impedit aliquem à consequendo aliquo beneficio, vel officio, quo est indignus, vt illud digno conferatur, peccat quidem inferendo vim, vel incutiendo metum, vel mentiendo &c. & ob dolum ac fraudem satisfacere oportet;nihil tamen indigno pro beneficio in conscientia tenetur. Et ratio est, quia indigno nihil iuris abstulit,& Ecclesiæ multùm potuit, à qua indignum, & ineptum ministrū prohibuit. Ita Less. l.2.de iust.c.12.d.8.

3 Tertiò dico,quòd qui impedit dignum qui ius aliquod acquisitum habet,vt beneficium conferatur indigno, vel digno qui ius in aliquo titulo acquisitum non habet, tenetur ad restitutionem illi exhibendam, etiam si verbis tantùm,aut persuasionibus, non autem per vim,aut fraudem impedierit. Et ratio est,quia violando ius ab altero acquisitum contra iustitiam commutatiuam facit, & per consequens tenetur ad restitutionem , non quidem quanti illud beneficium,vel officium valebat,sed quanti illud ius , illáque spes iudicio boni viri consideratis omnibus circumstantiis æstimaretur. Ita Rebell. lib.3.q.2. Less.lib.2. de .c. 12.d.18.& Azor.p.3.inst.mor.l4.c.9. q. 3.

4 Quartò dico. quòd qui ex duobus ius ad beneficium, vel officium habentibus impedit dignum, vt detur digniori, vel æque digno,nihil tenetur restituere,si modò dolus, vis, vel metus secludatur. Et ratio est,quia in primo casu non peccat contra iustitiam, sed potiùs facit, vt ea seruetur.In secundo verò datur locus gratiæ,cum non sit maior vnius,quàm alterius digni

dignitas. Si verò fiat per vim metum, aut dolum, tenebitur, quia contra iuſtitiam cõmutatiuam, ac ius alterius datur damnum Ita Rebell. p. 2. de oblig. lib. 3. q. 2.

Quintò dico, quòd qui ex iſdem ius ad beneficium, vel officium habentibus, impedit digniorem vt detur digno, etiam ſine dolo, vi, aut metu, digniori reſtituere tenetur. Et ratio eſt, quia dignior maius ius acquiſitum habet, ac proindè contra iuſtitiam commutatiuam ei quicunque alius præfertur. Ita Rebel. lib. 3. q. 2. & in his omnibus omnes Doctores conueniunt.

QVAEST. XXIV.

Sed tota difficultas conſiſtit, quando quis impedit aliquem à conſequendo aliquo beneficio, vel officio, ad quod nullum habet ius in re, vel ad rem propinquum, quod ei tribuat actionem in iudicio, ſed ſolùm remotum, quia dignus eſt, vel benemeritus?

1 AD hoc dico primò, quòd qui ſine, vi, aut fraude, ſed precibus, blanditiis, aut muneribus procurat, vt prætermiſſis dignis competitoribus beneficium conferatur indigno, non tenetur dignis ad vllam reſtitutionem, quia nihil contra ius illorum fecit, tenetur tamen compenſare damnum, quod paſſa eſt Eccleſia, vel Reſpub. eo quòd procurauit ei miniſtrum ineptum. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 12. dub. 28.

2 Secundò dico, quòd qui ſolis monitis, & perſuaſionibus impedit digniorem ab officio, beneficio, & ſimilibus, vt alter minùs dignus illud conſequatur peccat quidem mortaliter, nihil tamen ſecundùm conſcientiam obligatur nec Eccleſiæ reſtituere, nec digniori illi neglecto. Et ratio eſt, quia qui dignum eligit, neglecto digniore, nec Eccleſiæ nocet, nec digniori quẽ negligit. Non Eccleſiæ, quia in ea idoneum, & dignum miniſtrum conſtituit, Nec digniori, quia is ante electionem nullum ius perfectum, nec imperfectum acquiſierat, ergo nihil tenetur reſtituere. Ita Sot. lib. 4. q. 6. ar. 5. Nauar. cap. 17. nu. 72. Azor. p. 3. inſt. mor. li. 4. c. 9. q. 3. Leſſ. lib. 2. c. 12. d. 18. Reb. lib 3. q. 2. & alij.

3 Tertiò dico quod qui ſibi, aut alteri beneficiũ procurans, alteri eſt impedimento, ne illud obtineat, dummodo fraus aut dolus non interueniat, nullam tenetur facere reſtitutionem. Et ratio eſt, quia vtitur iure ſuo nulli facit iniuriam: at qui petit beneficium pro ſe, vel pro altero digno, vtitur iure ſuo, ergò nulli facit iniuriam. ergò ad nullam reſtitutionem tenetur. Ita Arag. 2. 2. q. 63. ar. 2.

Quartò dico, quòd qui ex odio, & malo fine impedit quempiam alioquin dignũ ab acquiſitione beneficij, ad quod nullum ius habet in re, vel ad rem, nihil tali impedito ſecundùm conſcientiam reſtituere tenetur, & ratio eſt, quia qui odio, & animo prauo efficit, vt dignus ab officio, vel beneficio repellatur, peccat quidem contra charitatem, ſi modò vis, aut fraus procul abſit, ſed non hoc ipſo peccat contra iuſtitiam cõmutatiuam, cuius ſolius violatio parit obligationẽ reſtituendi, alioquin Iudex mala intentione ſuſpendens iuſtè damnatum, & miles in bello iuſto occidẽs honeſte malo animo tenerẽtur ad reſtitutionem, quod èſt falſum, quia iſti licèt ob malam intentionem tranſgrediantur leges charitatis, non tamen tranſgrediuntur leges iuſtitiæ commutatiuæ, cuius tranſgreſſio ſola eſt iniurioſa, & obligat ad reſtitutionem. Ita Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 6. c. 15.

4 Quintò dico, quòd qui ſolis precibus, & perſuaſionibus impedit ab officio, vel beneficio dignum, vt alter dignior illud obtineat, nec peccat, nec tenetur ad reſtitutionem. Et ratio eſt, quia hic ex charitate conſulit bono communi, & meritis dignioris, ergo non peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, imò exercet actum virtutis egregiæ. Nec digne prætermiſſo facit iniuriam, quia minùs dignus coram digniore non habet ius, vbi autem nulla iuſtitia commutatiua violatur, nulla eſt obligatio reſtituendi. Ita Salon. 2. 2. q. 63. ar. 2.

Sextò dico, quòd qui ſine fraude, & dolo, ſed communibus tantùm precibus impedit aliquem à conſecutione officij, vel beneficij, cuius eſt dignus, vt detur æquè digno, nihil digno neglecto tenetur reſtituere. Et ratio eſt, quia nec violatur iuſtita commutatiua, cũ nulla ſit fraus, vel dolus, nec diſtributiua, cum curet dari illud beneficium, vel officium æquè merenti.

5 Tum quia impeditus in hoc caſu nõ expoliatur iure ſuo, cum alter habeat ſimile ius, & ſit æquè dignus: vbi autem iura ſunt æqualia, nec vlla intercedit fraus, vel dolus nulla fit iniuria. Ita Azor. p. 2. inſt. mor. lib.

Digitized by Google

6. c. 15. q. 16. & Salon.2.2.q. 63.ar. 2.

Septimò dico,quòd qui vi, aut fraude, vel metu procurat, ne quispiam petat beneficiũ,aut officium quod meretur,non solùm peccat mortaliter, sed etiã ad restitutionem tenetur.Et ratio est,quia qui dolo, aut fraude, vel metu desistit, non volens, & sciens desistit, sed coactus: vbi autem est coactio iniusta, ibi est iniuria quæ per restitutionem est reparanda. Ita Salon 2.2. quæst. 63. ar. 2.

6 Octauò dico,quòd qui per vim,dolum, vel metum impedit dignum petentem, vt conferatur indigno,restituere tenetur,non solùm digno prætermisso, cuius ius illud petendi violat,verum etiam Ecclesiæ, vel Reipublicæ. cui tale detrimentum dedit. Ita Less. lib. 2.de iust.c.12. dub.18

Nonò dico, quòd qui per iniuriam impedit digniorem ab assecutione beneficij,vel officij publici, vt illud conferatur ei,qui minùs dignus, tenetur non solùm digniori, verum etiam Ecclesiæ,vel Reipublicæ satisfacere. Prima pars patet, quia qui non est planè ineptus,& indignus habet ius petendi quodcũque beneficium,vel officium publicum,quo si iniustè priuetur, scilicet per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacium, patietur iniuriam, quæ per restitutionem est reparanda.

7 Secunda verò pars probatur, quia Ecclesia ius habet quærendi optimos ministros, ergò qui per iniquitatem impedit quominùs dignior eligatur, priuat Ecclesiam suo iure, atque adeò peccat contra iustitiam commutatiuam, & ad restitutionem tenetur Ecclesiæ, quæ passa est damnum. Ita Less. lib.2. de iust.cap.12.dub. 18.

Decimò dico,quòd qui vi,dolo aut fraude, & mendacio impedit aliquem à consecutione alicuius beneficij,vel officij,quo dignus erat,vt alter æquè dignus illud obtineat,tenetur ad illius restitutionem,v. g. si quis mentiens dicat illum esse spurium, indignum, &c. vt alteri digno beneficium conferatur,tunc ipsi digno prætermisso restituere tenetur quidquid per metum, & dolum, aut mendacium abstulit. Et ratio est, quia peccat contra iustitiam,non modò quia facit iniuriam ei qui collaturus est beneficium,quia inuoluntariè seducitur,sed etiam ei,cui erat beneficium conferendum violando ius,quod habet ad illud petendũ. Non tamen tenetur ad restitutionem totius boni,à quo fuit impeditus, sed quanti æstimatur damnum datum attenta spe,& probabilitate consequendi illud, quandiù enim res est in spe, minùs valet, quam si esset in re. Ita Ban.2.2. q. 63.ar.2. Rebell. 3. q. 1. Petr. Nau, lib,3.de rest.c.5. n. 12. & Less. lib.2.c.12.dub.18.

8 Vndecimò dico,quòd qui vi,aut fraude, vel falso testimonio procurat vt beneficium non detur digno, sed digniori. tenetur quidem compensare iniuriam illatam digno excluso, non tamen tenetur restituere beneficium, vel officium ablatum. Vndè si iniuria contra dignum illata in modo impediendi arbitrio prudentis valet centum, illa tenetur restituere digno, nihil tamen pro beneficio ablato, etiamsi alias ille dignus beneficium illud obtinuisset.

Prima pars patet, quia damnum illatum contra iustitiam commutatiuam,quod est pecunia æstimabile, restituendum est.

Secunda verò pars probatur, quia dignus collatione digmoris non habet ius legitimum ad beneficium, quia secundum rectam rationem, & ecclesiæ intentionem illud debebatur digniori, ergo in ordine ad beneficium non est illata illi iniuria;vbi autem non est iniuria, nec debitum restituendi. Ita Couar. in Reg. peccatum p. 2.§.7.nu.8.Salon. 2. 2. q. 63.ar.2. Less. lib.2. cap. 12. dub. 18. Rebell. lib. 3. quæst. 1. & Azor.p.2. inst. mor. lib.6.c.15.q.16.

9 Duodecimò dico, quòd qui aliquo modo iniustè,vi,dolo,aut fraude plures petitores impedit ab acquisitione alicuius beneficij,vel officij,cuius sunt idonei,tenetur singulis restituere, quantùm cuique suæ spes iudicio boni viri æstimatur. Ita Less. lib. 2. de iustitia cap.12. dubit. 18.

10 Decimotertiò dico,quòd qui per fraudem, & dolum impedit dignum a beneficio,vel officio, ad quod obtinendum nullam habebat spem,licèt peccet mortaliter, nihil tamen impedito tenetur restituere. Et ratio est, quia in hoc casu impediens reuerà nullum damnum ei intulit, quamuis curauerit illud inferre, sicut qui conatus est furari,non tamen potuit.

Nec obstat, quòd fuerit dignus, quia si hæc dignitas nullam spem ei pretio æstimabilem tribuebat, nihil censetur ei ablatum. Ita Salo.2.2.q.63.a.2.& Less.l.2.c.12.d.8.

11 Decimoquartò, & vltimò dico, quòd si fraus,

ſi fraus, & vis, aut metus, vel dolus in collatione beneficij, vel officij adhibitus non cenſetur verè cauſa efficax damni, ſed occaſio tantùm, nulla eſt obligatio reſtituendi. Et ratio eſt, quia tunc damnum infertur, non ex vi actionis iniuſtæ, ſed aliundè,

QVÆSTIO XXV.

Quid? ſi Titius crimen occultum Caij aperiat, ob quod illi non conferatur beneficium, tenetur Titius aliquid Caio reſtituere?

1 RESP. vel ita Titius peccatum occultum aperit, vt ſequatur infamia Caij apud plures: vel ſoli collatori, ad quē ſpectat, patefaçit. Si primum, & illa infamia ſit cauſa, ob quam collator non confert beneficium Caio, alias collaturus, tunc Titius ad reſtitutionem tenetur. Et ratio eſt. quia per iniuriam eſt cauſa damni. Si ſecundùm, non tenetur, quia in conferendis beneficiis Eccleſiaſticis, vel officiis vnicuique fas eſt patefacere ea crimina, quorum occultatio electionem redderet inuoluntariam. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 12. d. 18.

QVÆST. XXVI.

An qui impedit, quo minùs beneficium, vel officium cathedræ, conferatur legitimis oppoſitoribus ad reſtitutionem teneatur?

1 SOt. lib. 4. de iuſt. q. 6. ar. 3. negat. Oppoſitum docet D. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. Pro quo.

2 Primò dico, quòd quando beneficia, vel officia publica dantur per oppoſitionem ſeu concurſum digniori, ſtāte publico edicto, vel ſtatuto quod neceſſario debeant conferri ei qui inter competitores dignior magiſque idoneus ſpectatis omnibus iudicatus fuerit, ſi quiſpiam etiam abſque vi, metu, aut fraude, ſed precibus impediat, quominùs dignior conſequatur beneficium, non ſolùm peccat mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem eidem digniori faciendam tenetur. Et ratio eſt, quia huiuſmodi edictum, ſeu decretum ius perfectū iuſtitiæ commutatiuæ digniori tribuit, vt ipſi beneficium, vel officium conferatur, ergò ſi digniori prætermiſſo, minùs idoneo ſua cauſa concedatur, non ſolùm contra diſtributiuam, ſed etiam contra iuſtitiam commutatiuam peccabit, ac proindè ad reſtitutionem tenebitur. Ita Caietan. 2. 2. quæſt. 62. art. 2. ad 4. Nauar. cap. 17. num. 74. Lop. p. 2. inſtruct. confeſſ. cap. 127. Salon. 2. 2. quæſt. 63. ar. 2. Sylueſt. verb. reſtitutio 3. quæſtione 12. Petr. Tolet. lib. 2. de reſtit. cap. 2. n. 144. & alij.

3 Secundò dico, quod qui pro ſe, vel pro altero ſibi conſanguinitate, vel affinitate aut amicitia coniuncto, beneficium procurans ſine fraude, & dolo ſed ſolis precibus, aut perſuaſione vrbana agit cum aliquo etiam legitimo oppoſitore, ne petat beneficium, vel officium ad nullam tenetur reſtitutionem. Et ratio eſt, quia quod deſiſtit ob preces vrbanas, ſciens & volens deſiſtit; ſcienti autem, & volenti non fit iniuria, quæ per reſtitutionem ſit recompenſanda. Ita Salon. 2. 2. q. 63. ar. 2.

4 Hinc prudentes, & cauti eſſe debent, qui examini beneficiorum, & officiorum aſſiſtunt, nam ſi diſtributor petit conſilium an ſit expediens huic beneficium, vel officium conferre, ſi conſiliarius illud det ſincerè, & chriſtianè nihil tenetur reſtituere. Si verò dolo, vel metu, aut fraude auertit diſtributorem ne ei conferat beneficium, quod alioquin iuſtè collaturus erat, ad reſtitutionem tenetur. Et ratio eſt, quia ſic impediendo ſpoliat ipſum eo iure, quod ad petendum beneficium, vel officium habet, ergò ad reſtitutionē ei tenetur. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 2.

QVÆST. XXVII.

Vtrùm in caſu quo impediens tenetur impedito damnum reſarcire teneatur in ſolidum, an verò arbitrio boni viri?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi nulla eſt ſpes moraliter loquendo, quòd collator velit impedito beneficium conferre, non tenetur impediens per iniquitatē ad aliquam reſtitutionem faciendam pro beneficio, quia quāuis peccet, non expoliat in eo caſu impedimētum. Ita Bā. 2. 2. q. 3. a. 2.

Secundò dico, quòd ſi aliqua ſpes erat, ſed non omninò certa moraliter, tunc impediens iniuſtè, tenetur non in integrum, ſed arbitrio boni viri aliquam partem reſtituere, ſecundùm quod illa ſpes valebat, quæ poterat impediri, ſi ille voluntatem mutaſſet. Ita P. Nauar. lib. 3. de reſt. c. 5. n. 30. & Ban. 2. 2. quæſt. 63. articulo ſecundo.

2 Tertiò dico,quòd si certissima spes erat, quòd distributor collaturus erat beneficium,vel officium impedito,tunc qui iniustè impediuit,tenebitur integrum damnum refarcire.Ita Salon.2.2.q.63.art.2.

QVÆSTIO XXVIII.

Quæres. Vnde ista ratio restitutionis attendi debeat,vt maior, vel minor iudicetur arbitrio boni viri?

1 CAiet.vbi suprà censet attendi debere iuxta maiorem, vel minorem dispositionem, quam habebat collator in animo conferendi. Si enim firmiùs decreuerat, certiùs erat officium, vel beneficium conferendum,& sic ad plus tenetur restituere.

Sotus lib.4.q.6.art.3. arbitratur, attendi debere secundùm quantitatem doli, aut fraudis in impediendo adhibitæ,ita vt pro ratione fraudis, & vis teneatur plus, minúsve restituere.Et ratio est,quia si iniustitia,& ratio restituendi est in fraude, & vi, ergo qui plus fraudis, aut vis adhibuerit, plus tenetur restituere.

2 Cæterùm mihi videtur sententia Caietani probabilior,ducor, quia licèt qui maiorem fraudem,& vim adhibuerit in impediendo,maius peccatum admiserit,non tamen sequitur, quòd maius damnum fecerit;imò fieri posset, vt maiori fraude, grauioribus mendaciis, & minis minus damnum intulerit. Quare secundùm Caiet.attendi debet secundùm maiorem voluntatem, quam collator, vel alius benefaciens habebat. Quantò enim magis animus collatoris erat firmatus in conferendo beneficio, tantò certius erat alter obtenturus, atque ex consequenti tantò plus illa valebat spes. Quam opinionem sequitur etiam Petr.Nauar.lib.3.de rest.c.5.nu.30.

QVÆST. XXIX.

An si Titius existens Mediolani, scribat Caio commoranti Taurini, quòd in Mediolano multùm valet oleum: at verò Caius his literis fidem adhibens magnam copiam olei transmisit Mediolanum vbi comperiens rei falsitatem, ingens detrimentum passus est. An in hoc casu Titius Caio teneatur huiusmodi damnum compensare?

1 REspondeo teneri. Et ratio est, quia Titius per iniquitatem falsum scribendo Caio dedit efficacem causam damni subsecuti. Secùs si literæ ipsi Caio directæ non fuissent, sed alteri,si Caius eas repertas legisset, & credens eis magnam olei copiam misisset cum ingenti damno suo, tunc licèt Titius mortaliter peccasset contra charitatem proximo debitam, ad restitutionem tamen non teneretur, quia Caius suæ leuitati damnum suum imputare debet,quòd huiusmodi literis fidem adhibuerit.Ita Less lib.2.de iust.c.12.dub.18.

2 Hinc,si scripsisti falsò literas,in quibus continetur, quòd hoc anno est inopia frumenti in Sicilia, easque sparsisti per viam, vt inueniantur, quas Titius repertas aperiens,ac credens eis, omnem copiam frumenti, quam ibi reperit, sibi comparauit spe adductus multi lucri. Cæterùm magnum detrimentum inde subiit, non teneris de damno, & si mortaliter contra charitatem peccasti, quia nõ dedisti efficacem causam damni ipsi Titio, qui leuiter videtur esse motus ad huiusmodi frumentum emendum, & ideo sibi imputet damnum, quod passus est.

3 Hinc,si inueniſti literas apertas directas Titio, in quibus continetur quòd Venetiis non est oleum. Si causa lucri properasti emere ante Titium,non peccasti,nec Titio aliquid restituere teneris, sed prudenter fecisti,vt post alios resoluit Lopes p.2.inst. conf.cap.124.

QVÆSTIO XXX.

An Reges, & Principes sint Domini officiorum sæcularium?

1 IN hac quæstione quatuor sunt opiniones.Prima est Adr. in 4. in materia de rest.asserentis, neque Reges, neque vllos Magnates esse dominos istorũ officiorum.

Secunda opinio est Soti lib.3.q. 6. art.4. & Caiet.in sum.verb.venalitas officiorum, qui volunt Reges esse dominos huiusmodi officiorum in suis Regnis, & non autem Duces,& alios Magnates.

Tertia est Iuristarum, qui putant omnes istos,& Reges, & Magnates habere dominium istorum officiorum.

2 Quarta verò opinio est Salonis 2. 2.q. 63. art. 2. quæ in duobus punctis consistit. Primo dicit quòd Rex non habet dominium absolutum, & dominatiuum huiusmodi officiorum,sed gubernatiuum.Et ratio

Digitized by Google

tio eſt, quia peccatum acceptionis perſonarum non habet locum in bonis propriis, quorum quis eſt abſolutè, & ſimpliciter dominus, ſed ſi Rex eſſet dominus officiorum Reipublicæ, non peccaret peccato acceptionis perſonarum, conferendo illa indignis: at concors eſt omnium Doctorum ſententia, eum peccare mortaliter, ſi indignis illa conferat, ergo non eſt abſolutè, & ſimpliciter dominus.

3 Secundò dicit, quòd Principes, & alij Magnates habent etiam dominium gubernatiuum huiuſmodi officiorum in ſuis terris. Probatur, iſta officia ſunt penes dominium alicuius, ergo aut Regis, aut Magnatis, non Regis, quia nunquam Rex conſtituit miniſtros talium officiorum, imò iniuriam faceret Magnati ſi id faceret, ergo Magnates, qui nominant, conſtituúntque illorum officiorum miniſtros, ſicut & Rex in ſuo Regno, & per conſequens habent quoque dominium gubernatiuum illorum à Regibus acceptum.

QVÆSTIO XXXI.

An liceat vendere officia ſæcularia?

1 IN hac quæſt. 4. extant Doctorum opiniones.

Prima eſt D. Thom. Opuſc. 21. vbi interrogatus de hoc à Ducissa Brabantiæ, reſpondet, licitam eſſe iſtam venditionem de ſe, non tamen expedire: vt inquit Apoſt. 1. Cor. 6. omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.

Secunda eſt Caiet. in ſum. verb. officiorum venalitas, qui tenent quòd ſpeculatiuè ideſt ex natura rei vendere iſta officia licitum eſt; in praxi autem illicitum.

2 Tertia opinio eſt Adr. in 4. in tractatu de reſt. qui ſimpliciter negat, poſſe iſta officia vendi.

Quarta, & vltima probabilior eſt Salonis 2.2.q.63.art.2. Sylu. verb. dignitas §.4. & verb. ſimonia §.6. & aliorum qui affirmant tam practicè, quàm ſpeculatiuè licere vendere huiuſmodi officia concurrentibus tribus conditionibus.

Primò vt vendantur dignis, & idoneis miniſtris.

Secundò vt vendantur pretio moderato.

Tertiò, & vlt. vt fiat ex magna neceſſitate Reipublicæ, vel Regis &c.

QVÆST. XXXII.

An priuatæ perſonæ, quibus dono, vel pretio collata ſunt à Rege, vel Republica hæc officia poſſint illa vendere?

1 AD hoc dico primò, quòd ſtando in iure naturæ fas eſt cuique priuato vendere, vel locare huiuſmodi officia, dummodò ſeruentur duæ primæ conditiones. Et ratio eſt, quia ſtando in iure naturæ hæc officia ſunt bona temporalia, quæ poſſunt æſtimari pretio, ergo ea vendere non eſt illicitum.

Secundò dico, quòd ſtando in iure ciuili, nemini priuato licet vendere officia quæ habent annexam gubernationem, vel adminiſtrationem iuſtitiæ, etiam ſi à Rege, vel Republica illa emerint, vt officium Prætoris, Conſulis, Iudicis, Fiſcalis, Tabellionis, & id genus alia. Vt habetur in l. hæc lex ff. ad legem Iuliam de ambitione.

2 Dixi notanter (officia, quæ gubernationem, vel adminiſtrationem iuſtitiæ habent) quia alia officia minora, quę gubernatione, vel adminiſtratione iuſtitiæ carent, vt officium ſigilli, oſtiarij Ciuitatis, miniſtri Senatus &c. nulla lege prohibentur vendi.

Tertiò dico, quòd priuatæ perſonæ ex licentia Regis, vel Reipublicæ poſſunt vendere iſta officia maiora. Et ratio eſt, quia iſta venditio eſt mala, quia prohibita lege ciuili, in qua Rex, vel Reſpublica poteſt diſpenſare. Ita Salon. 2.2.q.63.ar.2.

QVÆSTIO XXXIII.

An qui contra legis ciuilis præſcriptum vendit iſta officia, peccet mortaliter cum obligatione reſtituendi pretium acceptum?

1 MAgiſter Ioan. à Penna in ſuis ſcriptis, & multi alij tenent hunc peccare venialiter, quia vendit contra prohibitionem legis, non teneri tamen ad reſtitutionem pretij, quia licèt lex ciuilis prohibeat iſtam venditionem, non tamen irritat, & annullat illam.

2 At Salon. 2.2.q.63.ar.2. cum Soto, & multis aliis cenſet hunc & peccare mortaliter, & teneri ad reſtituendum pretium acceptum. Et ratio eſt, quia vt pretium datum, iuſtè retineri poſſit, oportet vt aliquo iuſto titulo

titulo illud accipiatur: at in noſtro caſu, nullo iuſto titulo venditor iſte pretium illud accipit, non titulo donationis, quia emptor non gratis dedit, ſed pro officio: nec titulo venditionis, quia iſte venditio cum ſit lege ciuili prohibita, eſt ipſo iure nulla, ergo nullo titulo recipit, atque ex conſequenti mortaliter peccauit recipiendo, & tenetur in conſcientia illud reſtituere danti.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm officia ſæcularia ſint dignioribus conferenda?

1 AD hoc dico primò, quòd in officiis ſæcularibus quæ non habent annexam gubernationem, vel adminiſtrationem iuſtitiæ, qualia ſunt lictoris, ſatellitum, aliorumque miniſtrorum, quorum officium ex aliorum nutu, & præcepto omninò dependet, ſatis eſt, ac ſufficit eligere dignum. Ratio eſt, quia in huiuſmodi officiis, tantùm ſeruiunt digni, quantum digniores, cum vtrique fideliter exequantur quæ à ſuperioribus ſibi iniunguntur. Ita Salon. q. 63. art. 2.

2 Secundò dico, quod quando electio fit per plura ſuffragia, ſi indignus prætermiſſo digno ad eiuſmodi munera eligitur, non ſolùm elector mortaliter peccat, ſed etiam ad reſtituendum totum damnum ipſi Reipublicæ læſæ tenetur. Et ratio eſt, quia qui præficit indignum eſt cauſa futuri damni, ac proindè contra iuſtitiam commutatiuã peccat, per conſequens ad reſtitutionem tenetur. Ita Rebel. lib. 3. quæſt. 3.

Tertiò dico, quod qui neglecto digniore eligit dignum, peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, ad reſtitutionem tamen non tenetur. Et ratio eſt, quia eligendo dignum, in hoc caſu nulli irrogatur iniuria, non Reipublicæ, cum eligatur dignus, nec ipſi digniori, quia cum hæc munera non ſint inſtituta in præmium meritorum, non debentur ipſi ex iuſtitia commutatiua, cuius ſola violatio ad reſtitutionem obligat. Ita Salon. 2. 2. q. 63. ar. 2. & Rebel. lib. 3. q. 3.

3 Quæ doctrina eſt intelligenda, quando munera ſunt magni momenti, & exceſſus inter dignum, & digniorem eſt notabilis, quia tunc certè nocetur Reipublicæ, priuando illam cõmodo, quòd cauſa dignioris reportaret. Et hæc dicta ſufficiant.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE RERVM INVENTARVM.

DISPVTATIO VIGESIMANONA.

DE hac re diſputant Scholaſtici in 4. d. 15. D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 5. & Caiet. ibid. & in ſum. verb. furtum Sot. lib. 5. de Iuſt. q. 3. art. 3. Salon. 2. 2. q. 66. art. 5. Mol. to. 1. de Iuſt. d. 50. Arag. 2. 2. q. 66. art. 5. Leſſ. lib. 2. de Iuſt. c. 5. dub. 15. Rebel. p. 1. de oblig. lib. 1. q. 15. ſect. 2. Ban. 2. 2. q. 66. art. 5. Greg. de Val. to. 3. d. 5. q. 10. p. 3. Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 1. c. 13. Lop. p. 2. inſt. conf. c. 2. Bart. Med. lib. 1. inſt. conf. c. 14. §. 33. Conrad. tract. de contr. p. 1. q. 8. Tolet. lib. 5. ſum. c. 18. Nauar. in Man. c. 17. n. 172. Couar. in Reg. peccatum p. 3. §. 2. de Reg. iuris in 6. Summiſtæ verò vt Ang. Tab. Sylu. Armil. & alij verb. inuentum. In cuius gratiam, quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm inuenta in littore maris, cuiuſmodi ſunt gemmæ, lapilli, & id genus alia producta à natura, efficiantur primò occupantis?

1 RESpondeo, communem omnium ſententiam tenere huiuſmodi inuenta fieri primò inuentoris, & occupantis. Et ratio eſt, quia quæ nunquàm fuerunt alicuius propria, ſunt primò occupantis iure naturæ, & communi vt patet in aucupio, venatione, & piſcatione, & habetur Inſtituta de rerum diuiſione §. feriæ; & §. lapillorum: ſed huiuſmodi inuenta producta ſponte à natura nunquam fuerunt in bonis alicuius, quia littora maris, & quidquid in eis procreatur, iure gentium remanſerunt communia, ſicut & mare ipſum, ergo efficiuntur primò occupantis. Ita D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 5. & Caietan. ibid. Nauar. cap. 17. num.

1.170.Sot.lib.5.q.3.art.3. Aug.2.2.q.66.art.5. Cou.in Reg.peccatum p.3.§.1.nu.1.Ban.2.2. qu.66.art.5.Leſſ. lib.2.de Iuſt.cap.5. dub.12. Salon. 2.2.quæſt.66.art.5. Valentia tom.3.d. 5.quæſt. 10.p. 3. & communis.

Dixi notanter (in littore maris) quia ſi quis in loco priuato,vel in publicis viis inueniret, non fierent primò inuentoris, ſed eſſent reſtitutioni obnoxia.

2 Obiicies, lex iuſta obligat in conſcientia,at Reges Hiſpaniæ tulerunt legem, ne quis in littore maris Indici Occidentalis quæreret gemmas, vel lapides pretioſos, ergò ibi illorum inuentores non manent domini.

Reſpondeo quidem iure naturæ, & cõmuni,gemmas iſtas eſſe inuentoris; priuatis tamen legibus Regni,poſſe id prohiberi ob bonum commune: & ita Reges Hiſpaniæ vt Principes illarum Prouinciarum prohibuiſſe his legibus abſolutam inquiſitionem gemmarum, non tamen rigore tam ſtricto, per hoc concluditur,quòd ita homines inhibentur talibus locis prædicta piſcari, in conſcientia obnoxij fiant ad ea reſtituenda, ſed ſolùm gubernatoribus indicitur, ne ſine iuſta licentia ibi piſcari ſuſtineant, & in inuaſores talis piſcationis pœnas præſcriptas exequantur. Ita Aragon.& Ban.2.2.quæſt.66.art.5.

QVÆSTIO II.

An huiuſmodi res ſolo aſpectu, & inuentione acquirantur?

1 RESP. quòd non, qui ſimul etiam requiritur apprehenſio,vel aliqua alia exterior actio hominis volentis earum rerum dominium acquirere. Et hæc quidem certa ſunt, & extra controuerſiam poſita, ſed tota difficultas conſiſtit de venis auri, argenti, ferri, plumbi &c.An videlicet ad dominium alicuius pertineant?

2 Pro huius quæſtionis deciſione dico primò,quòd probabilis eſt opinio Soti lib. 5.q 3.art.3.Leſſ.lib.2.de iuſt.c.5.dub.12. Val. tom.3. d.5.q.10. p.3. & aliorum aſſerentium huiuſmodi mineralia in nullius dominio cenſeri:fundamentũ eorum eſt, quia Principes paſſim ſibi vendicant ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis in ea inquirendi vbilibet in ſuo Regno,etiam in fundis alienis, & bonam partem ſibi reſeruant,compẽſato duntaxat damno, quod infertur domino fundi:quod non facerent, ſi iſta mineralia eſſent in dominio eius, cuius eſt fundus.

Ex quo inferunt, eum qui eruit aurum, vel argentum in fundo alieno contra voluntatem domini,non teneri ad reſtitutionem auri,vel argenti domino fundi,ſed ſolùm ad æſtimationem damni illati, in quo ſpectãda etiã eſt ſpes illa,& veriſimilitudo, qua dominus putatur auro illo potiturus.

3 Secundò dico,quòd & ſi huiuſmodi metallorum fodinæ nullius ſint,& aurum, vel argentum erutum fiat primò occupantis, tamen attento iure naturali,& gentium ius eas effodiendi tantùm competit ei, qui eſt dominus fundi. Ratio patet ex dictis de venatione, præſertim cum mineralia ſint fundo permixta, & inhærentia, animalia verò vaga,ergò ſi cuique competit Ius venandi in ſuo fundo, a fortiori ius ibidem effodiendi metalla.

Dices,lapidicina quæ eſt in meo fundo, mea eſt, vt habetur ex lege vir in fundo ff. de fundo dotali, & tradit Cou. qu. pract. cap. 37. num. 3. ergo ſimiliter fodina auri, & argenti.

4 Reſp.negando conſequentiam, & ratio negationis eſt, quia venæ auri, & argenti ab ipſa natura in ius publicum,non autem priuatis vſibus inſtitutæ videntur, vt rectè Sot.lib.6.q.3. art.2. & Leſſ.lib.2. cap.5.dub. 11.annotarunt;ſuntque maximæ æſtimationis,quæ in acceſſionem viliſſimi fundi cedere non debent.

Tertiò dico, quòd probabilior eſt aliorum ſententia, qui aſtruunt hæc iure gentium,& naturæ pertinere ad eum,cuius eſt fundus, in quo ſunt eiuſmodi metallorum venæ quemadmodum venæ ſaxorum, & venæ aquæ,quæ in eodem prædio reperiũtur,ad eundem quo ad dominium ſpectant. Et ratio eſt, quia iſta non ſunt veluti theſaurus in terra reconditus ſupra hominum memoriam, qui neque in prædio, in quo reperitur, fuit genitus, neque pars prædij eſt,ſed induſtria humana fuit in eo repoſitus,ſed ſunt veluti fructus ipſius terræ,v.g. quercus,& herba;fructus autem fundi ſunt domini fundi, & in bonis ipſius, ſicut & ipſa terra,cuius eſt dominus.Ita docet Mol d.54.Ban.2.2.q.66.art.5. Azor. p.3. lib.1.cap. 13.Lop. p.2. inſt.cõf. c.2.& Sal.2.2.q.66.a.5.

5 Ex quo deducimus primò, quòd ſtando in ſolo iure gentium,& naturæ non poteſt aliquis

Digitized by Google

aliquis emere prædium alterius,in quo lateat aliquod minerale, quin manifeſtet illud venditori. Ratio huius eſt,quia cum minerale ſit fructus terræ, eſt res ipſius venditoris,& in quàm habet ius dominij, ſicut & in prædium, quamuis eum lateat.

Hinc,ſi quis emeret fundum,& in eo inueniret poſtea auri vel argenti fodinas,deberet pro eis vẽditori ſatisfacere,non enim eas facit ſuas ex emptione,vel inuentione.

Secundò deducimus, quòd inueniens minerale in proprio fundo ſtando in iure naturę ac gentium,poteſt ſibi illud appropriare vt rem ſuam,in fundo autem alieno ſiue caſu,ſiue dedita opera id inueniat,totum eſt domini fundi. Ratio eſt,quia computatur inter bona ipſius domini, ſicut fructus terræ ipſius.

6 Dixi notanter(ſtando in ſolo iure naturæ,ac gentium pertinere huiuſmodi mineralia ad dominum prædij)quia regulariter de iure ciuili, vel communi, vel particularium Regnorum receptum eſt, vt metallorum fodinæ, maximè auri, & argenti,vbicunque inueniantur, ad patrimonium Regis,ſupremivè Principis,vel Reipub. pertineant, ad ſumptus publicos, oneraque Reipublicæ ſuſtinenda.

Tum quia huiuſmodi venæ ſunt quidam fructus, & paruus terræ producti ab ipſa ad ſui defenſionem,& decorem,vnde illius eſſe debent,cui incumbit terræ defenſio,& protectio,qualis eſt Rex.

Tandem quia huiuſmodi mineralia non ſunt quiuis fructus terræ,ſed optimi valdè ipſius, qui non decent, niſi Regiam Maieſtatem,& magnificentiam.

QVÆST. III.

An liceat vnicuique vnius nationis ad aliam tranſmigrare ad eruenda metalla?

1 MVltis viſum eſt, & viris quidem doctis id eſſe licitum.

2 Alij vero doctores non minoris nominis docent, hoc non eſſe omninò licitum, niſi incolæ ipſi conſentiant, vel minas illas habeant pro derelictis.Nam Prouinciæ iure gentium ſunt diuiſæ,& ideò licèt gentibus illius Prouinciæ ſint illæ res communes, reſpectu tamen exterorum cenſentur particulares, quare alienigenæ eas incolis inuitis vſurpare non poterunt: non enim valent Galli cauſa inueniendi mineralia, & lapides pretioſos ad nos penetrare, nec nos ad illos accedere ipſis inuitis, quia bona Italiæ iam ſunt propria Italis,quamuis inter ipſoſmet Italos communia ſint, poſſeque Italos condere leges,quibus prohibeant Gallis,& quærere,vel accipere. Et ſic qui eò iret ad aurum,vel lapides quærẽda cum hæc lex ſit iuſta,& obliget in conſcientia, non acquirere eorum dominium. Ita Leſſ.lib.2.de Iuſt.c.5.dub.11.Salon.2.2.q. 66.art.5.Sot. lib.5.q. 3.art.3.& Rebel.p.1.de obligat lib.1.quæſt.15.ſect.2.

QVÆST. IV.

An qui inuenit theſaurum, poſſit illum iuſtè retinere?

1 VT autem quæ de tota hac materia dicenda ſunt, meliùs percipiantur, obſeruandum eſt primò, quòd theſaurus dupliciter dicitur.Vno modo propriè.Alio modo impropriè. Theſaurus propriè dicitur pecunia,ſeu res ea æſtimabilis ſub terra, vel alibi abſconſa, vetuſtiori tempore, cuius ignoratur dominus, & de cuius occultatione nulla extat memoria.

Ex quo colligitur ad rationem theſauri propriè dicti duo eſſe neceſſaria, vnum vt pecunia fuerit quondam in terra abſconſa. Alterum verò vt tantùm interceſſerit tempus,quòd domino iam careat.

2 Theſaurus verò impropriè eſt pecunia quam quis lucri gratia, vel metus,vel cuſtodiæ,vel honoris vt in ſepulchris defunctorum,ſub terra condidit: quæ depoſitio ex circunſtantiis, vel aliqua alia probabili ratione apparet à quo facta ſit, habetque dominum,vel ipſummet qui ibi eam depoſuit, vel ipſius ſucceſſores, & hæredes. Vt docent Molina d.53. & Salon 2.2.quæſt.66. art.5. Quo poſito.

3 Dico primò, quòd qui inuenit theſaurum impropriè dictum, puta aliquam pecuniam in muro domus, vel in eius penetralibus, quam antiquus poſſeſſor reliquit nõ acquirit ſibi illius dominium,ſed reſtituere tenetur totũ aut domino, qui illã ibi depoſuit, aut hæredibus, & ſucceſſoribus illius,vel pauperibus,Ratio eſt,quia huiuſmodi theſaurus non habetur pro derelicto ſed habet verum dominum, ſcilicet aut eũ qui illum eo in loco ex cauſa abſcondit, aut ſucceſſores eius,tranſiit enim cum iure hæreditatis ad hæredes ſuos,qui ſi non cõpareant,

Digitized by Google

pareant,& modo quo alia bona incerta,reſtituendum eſſe pauperibus. Vt definitur in l.nunquam §.theſaurus vbi expreſsè Iuriſconſultus dicit,quod qui accipit huiuſmodi theſaurum furtum committit. Et habetur ex D.Aug. cap.ſi quid inueniſti 14. q.5. Nauar. cap. 17.num. 175. & Rebell. p.1. de oblig.lib.1.quæſt.15.ſect.2.

QVÆST. V.

Dubitabit aliquis hoc loco. Vtrùm Hiſpani qui apud Indos Occidentales extraxerunt theſauros de ſepulchris infidelium, teneantur eos reſtituere?

1 SAlon.2.2.qu.66.art.5.putat eos teneri, quia ſcilicet erant, aut filiorum, aut Reipublicæ,ſicut ſi quis apud nos ſpoliaret ſepulchrum, in quo ſepeliuntur Pontifices, aut Sacerdotes cum veſtibus,aut vaſis aureis non ſolùm peccaret grauiſſimè, ſed etiam teneretur, aut illa ibidem reddere, aut veris ſucceſſoribus illius Pontificis,vel Sacerdotis aut Eccleſiæ.

2 Cæterum mihi videtur ſententia Domini Ban.probabilior, qui in 2.2.q.66. art.5. ait quando conſtaret diuitias illas ſuperſtitionis cauſa ibi fuiſſe depoſitas, non tenerentur qui illas vſurparunt,reſtituere. Ratio eſt,quia tunc ob nullam veram cauſam ibi repoſitæ cenſentur, ergo habentur pro derelictis,cum nullus vſus earum expectetur fore hæredibus, aut Reipublicæ, & tales fuiſſe theſauros apud Indos in ſepulchris depoſitos, valdè credibile eſt, aut enim ſacrificabantur idolis, aut putabant illa bona ſecum deferre mortuos in ſuos vſus,vt referunt qui inde aduenerunt: ſecùs autem eſt de diuitiis in ſepulchris Chriſtianorum reconditis,vt conſtat.

Secundò dico, quòd ſi ius naturæ, & gẽtium ſpectemus, theſaurus propriè dictus quocunque in loco ſit, efficitur primò occupantis. Ratio eſt, quia quæ nullius ſunt, fiunt primò occupantis, atqui theſaurus propriè dictus in dominio nullius cẽſetur, ergo efficitur primò occupantis, vt docet S.Tho.2.2.q. 66. art.5. ad 2.& eſt concl.definita in lege vnica C. de theſaur.

3 Dices, Quid? ſi poſſit ſciri à quorum Maioribus ſit conditus?

Reſpondeo, parum referre, quia quòd tanto temporis ſpatio deſiit poſſideri, deſiit etiam eſſe in dominio cuiuſquam.

Tertiò dico,quòd theſaurus propriè dictus,inuentus in proprio fundo, ſtando in iure naturæ, & cõmuni ciuili,totus eſt inuentoris, vt definitur in l. vnica C.de theſaur.& in §.theſaur. Inſt.de rerum diuiſ.& tradit Tolet.lib.5.cap.18.Leſſ.lib.2.c.5. dub. 15.Salon.2.2.q.66.art.5. & communis.

4 Quartò dico, quòd theſaurus propriè dictus inuentus in fundo alieno,caſu, & fortuitò,ſecundùm ius ciuile,& poſitiuum æqualiter diuidendus eſt,inter ipſum inuẽtorem, & dominum fundi, ſiue dominus fundi ſit perſona priuata, ſiue Reſpublica, vel Rex. Ità enim definitur in l.vnica C.de theſ.& tradit Val. to.3.d.5. q. 10.p.3. Tolet. lib.5.c.18.Solon. 2.2.q.66.art.4.& alij ſupra.

5 Quintò,& vltimò dico, quòd theſaurus proprie dictus inuentus in fundo alieno de induſtria,& diligentia, inconſulto domino fundi,ſtante eodem iure ciuili, & poſitiuo, deductis expenſis, totus eſt domini fundi, aut loci,in quo fuit repertus,ſiue is ſit priuata perſona, ſiue Ciuitas, oppidum, aut quicunque alius. Vt habetur in l. vnica C. de theſaur. & in §.theſaur. Inſt. de rerum diuiſione, & tradit D.Tho. 2.2.q. 66. art.5. ad 2. Caietan. ibidem Sot. lib.5. q.3. art.2. Nauar. cap. 17. num. 172. Couar. in Reg. peccatum p.3.§.2 nu.2.Aragon.2.2.q.66.art. 5.Val.tom.3.d.5.q.10.p.3. Mol. diſp.53.& 56. Ban.2.2.q.66. art.5. Leſſ.lib.2. cap.5.dub.15. Tolet.lib.5.cap.18.& communis.

QVÆSTIO VI.

An qui caſu inuenit theſaurum in fundo alieno ſine facultate domini,teneatur in conſcientia antè condemnationem Iudicis medietatem theſauri domino fundi reſtituere?

1 SVnt nonnulli qui putant leges illas, quæ decernunt medietatem theſauri eſſe tribuendam domino fundi,eſſe pœnales,& ita nõ obligare, niſi accedente Iudicis ſententia, nec teneri inuentorem antè illam, ad exhibendam illam medietatem dominmo fundi.

2 Sed cõmunis ſententia,quæ multò probabilior eſt, vult leges iſtas quoad hanc partem non eſſe pœnales,cum nullam culpam puniant,neque in inuentore theſauri, neque in domino fundi, cum nulla in eis culpa poſſit reperiri; ſed eſſe inſtitutas ad com

Digitized by Google

componendam pacem, & quietem inter inuentorem, & dominum fundi; ad quam pacem componendam ſtatuit lex, vt theſaurus ille æqualiter inter ipſos diuidatur: & ita tenetur iſte inuentor, antè omnem Iudicis ſententiam medietatem domino fundi exhibere. Ita Molina diſp.56. Sot. lib. 5. quæſt. 2. artic. 3. Salon. 2.2. quæſt. 66. art. 5. Nauar cap. 17. num. 175. Caiet. 2.2. quæſt. 66. art. 5. & Leſſ. lib. 2. cap. 5. dub. 15.

QVÆST. VII.

An qui dedita opera, contra domini voluntatem in fundo alieno ſuffodiens, theſaurum reperit, teneatur in conſcientia ante condemnationem totum theſaurum, pro vt ſanciunt leges, domino fundi reſtituere?

1 NOnnulli videntur aſſerere inuenientem theſaurum in loco alieno de induſtria non teneri reſtituere totum theſaurum domino fundi, ſed ſufficere dare dimidiam, parte altera dimidia retenta. Ratio eorum eſt, quia leges, quæ decernunt, vt talis inuentor totum reſtituat domino fundi videntur pœnales, & punire audaciam & temeritatem eius, qui ſine licentia domini voluit laborare, & exercere ſuam induſtriam in fundo alieno, & ita non obligare ante Iudicis ſententiam. Et confirmatur ex l. vnica de theſaur. vbi ſic dicitur in alienis verò terrulis nemo audeat inuitis, ideſt nec volentibus, vel ignorantibus dominis, opes abditas ſuo nomine perſcrutari, quòd ſi nobis ſuper hoc aliquis crediderit eſſe ſupplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco theſaurũ ſcrutatus inuenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur. Vbi expende verbum compellatur, quod indicat legem eſſe pœnalem, & compulſionem Iudicis eſſe expetẽdam. Ita tenet Mercat. de contr. cap. 15. Ban. 22. q. 66. art. 5. Lop. p. 2. inſt. conſ. cap. 2. Rebel. p. 1. de obligat. lib. 1. q. 15. ſect. 2. Quam etiam ſententiam probabilem putat, in eamque inclinat Salon. 2.2. q. 66. ar. 5.

2 At verò aliis non minoris nominis authoribus oppoſitum videtur verius. Vnde dicunt quòd qui data opera inuenit theſaurum inconſulto domino agri, tenetur totum theſaurum reſtituere domino loci, iuxta præſcriptum iuris ciuilis, quia hic perinde ſe habet, ac qui ſeminat in agro alieno certum eſt autem ſi Titius ſeminet in agro Caij ſine eius licentia, omnes fructus deductis expenſis, & laboribus eſſe Caij, & ita tenetur iſte inuentor ex induſtria antè omnem Iudicis ſententiam totum theſaurum domino agri exhibere.

Tum quia leges iſtæ ciuiles non ſunt pœnales, ſed ſtatuunt quid ſecundùm æquitatem faciendum ſit in comparando theſaurorum dominio, ergo obligant in foro conſcientiæ ante Iudicis ſententiam, & ideò vbi leges iſtæ Imperiales vim habent, inueniens de induſtria theſaurum in loco alieno inconſulto domino totum deductis expenſis tenetur domino reſtituere. Et ita ſentiunt Arag. 2.2. q. 66. art. 5. Sot. lib. 5. q. 3. art. 3. Nau. c. 17, nu. 175. Illuſtriſſ. Caiet. 2.2. qu. 66. art. 5. & Leſſ. lib. 2. de Iuſtitia & iure, cap. 5. dub. 15.

3 Et certè cum vtraque prædicta ſententia ſit probabilis, & prima ſit benigna, & multorum Doctorum teſtimonio confirmata, videtur in praxi teneri poſſe: dummodo qui ſic inuenit theſaurum, iniuriam cum damno dato etiam antè Iudicis ſententiam domino fundi reſtituat.

QVÆSTIO VIII.

An ſi quis de conſenſu domini agri quærat in eo theſaurum, illum ſibi acquirat?

1 NAuar. cõmuniter receptus in Man. c. 17. num. 172. abſolutè docet inuenientem theſaurum ex induſtria in agro alieno de conſenſu dominii agri, illum ſibi acquirere, non domino. Et citat Sylueſt. in Roſa aurea in communi virginum Euang. 1. caſu 39.

2 Ego verò ſub hac diſtinctione reſpondendum cenſeo. Vnde dico primò, quòd ſi dominus agri ignorans ibi eſſe theſaurum, faciat facultatem quærendi illum, qui tamen licentiam petit, ſciat ibi adeſſe theſaurũ, in hoc caſu repertus theſaurus totus ſit domini agri. Ratio eſt, quia talis facultas non eſt ſufficienter voluntaria ex parte concedentis propter ignorantiã illius exiſtente illa ſcientia ex parte quatenus, & petentis licentiam, vnde non eſt ſufficiens ad transferendum dominium. Ita Molina d. 56. Leſſ. lib. 2. c. 5. dub. 15. & Syl. verb. inuent. q. 5.

Secundò dico, quòd ſi dominus agri ſciens, ibi latere theſaurum faciat quæ

renti

renti facultatem, itaut ſit inuentoris, proculdubiò ſit intentoris, quia liberè cedit iuri ſuo. Ita tenet Molina diſp. 56.

Tertiò dico, quòd qui ſine vlla ſcientia, quod theſaurus ibi lateat, petit veniam a domino agri, & obtinet facultatem quærendi, totus efficitur inuentoris, quia tunc videtur illi partem ſuam condonaſſe. Ita Mol. diſt. 56.

3 Quartò, & vltimò dico, quòd ſi aliquis credens, aut etiam compertum habens theſaurum latere in agro alterius, & hoc domino agri expoſitis coniecturis patefaciat, dominuſque id quaſi delirium reputâs, nihil curet, ſed facultatem ei quærendi concedat, totus efficitur inuentoris, quia tunc inuentor, neque vt fur, neque vt inuaſor alieni per leges reputatur. Ita Arag. 2.2 qu. 66. art. 5. Molina diſp. 56. Lop. p. 2. inſt. conf. cap. 2. Med. lib. 1. inſt. conf. ca. 14. §. 33. Sylueſt. verb. inuentum, quæſt. 3. & Eman. Sà in Aphor. confeſſ. verb. theſaurus num.

Eſt tamē hoc contra Rebell. par. 1. de oblig. lib. 1. quæſt. 15. ſect. 2. qui affirmat in hoc caſu teneri reſtituere dimidium domino agri.

QVÆSTIO IX.

An creditor qui inuenit theſaurum in domo, quam in pignus accepit: & maritus qui inuenit in agro dotali vxoris, ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 REſpondeo quotieſcunque is qui inuenit theſaurum, neque vtile, neque directum dominium habet in loco, vbi repertus eſt theſaurus, tunc ſeruare debet domino loci ſuum ius. Vnde creditor qui inuenit theſaurum in agro alieno, quem in pignore habet, ſi caſu illum reperit, tunc dimidium erit inuentoris, & alterum dimidium domini agri, quòd ſi de induſtria illum quærat, & inueniat, totus debetur domino agri.

2 Et ſimiliter maritus qui in terra dotali vxoris theſaurum inuenit, diuidere eum debet cum vxore. Et ratio eſt, quia licèt ager dotalis conſtante matrimonio ſit viri quoad vſufructum, ſimpliciter tamen etiam conſtante matrimonio eſt vxoris. Atque adeò qui inuenit theſaurum in fundo dotali, quo ad portionem illam, quæ domino fundi debetur, quamuis conſtante matrimonio pertineat ad maritum quoad vſum, diſſoluto tamen matrimonio, aut facto diuortio pertinet integrè ad vxorem. Ita enim definitur in l. fructus ff. ſoluto matrimonio. Et tradit Mol. diſp. 55. & Nauar. cap. 17. num. 173.

Hoc idem dicendum eſt de eo qui in agro, aut domo, etiam ad longum tempus, nempe ad vitam, vel ad vitas conductis, theſaurum inuenit.

QVÆSTIO X.

An theſaurus inuentus in prædio feudali, pertineat ad proprietarium habentem dominium directum, an verò ad feudatarium habentem dominium vtile?

1 VT in graui, difficili, & perutili quæſtione dicam quod Doctores ſentiunt, obſeruandum eſt primò, quòd dominium directum dicitur habere is, qui rei proprietatem ſine fructu habet, vt qui in emphyteuſim perpetuam, aut ad vitam agrum dedit.

Dominium autem vtile dicitur habere is, qui ſine rei proprietate habet ius ea fruendi, vel perpetuò, vel pro ſua vita, aut plus, vel ſaltem pro decem annis. Quo poſito.

2 Dico primò, quòd ſi inuentor theſauri in loco feudali eſt extraneus, tunc pro vt diximus ſuprà, inuentor caſu illum inueniens iure inuentionis dimidium ſibi acquirit, reliquum verò dimidium diuidendum erit ex æquo inter proprietarium habentem dominium directum, & feudatarium habentem dominium vtile, ſicut etiam inter eos diuiſum eſt dominium prædij. Ita Mol. d. 56. Leſſ. lib. 2. cap. 5. dub. 15. & Nauar. cap. 17. num. 173.

3 Secundò dico, quòd ſi extraneus ex induſtria inconſulto domino inuenit theſaurum in loco feudali, tenetur totum ex æquo diuidere inter habentem dominium directum, & dominium vtile. Vt Mol. Leſſ. & Nauar. docent in locis ſupra citat.

Tertiò dico, quòd ſi feudatarius in prædio feudali, & proprietarius in eodem communi prædio theſaurum inueniat, tunc ſemper dimidium theſauri pertinebit ad inuentorem iure inuentionis, perindè ac ſi extraneus aliquis eundem theſaurum in eodem prædio caſu inueniſſet. Alterum verò dimidium, quod iuxta leges ciuiles domino prædij debetur, diuidi debet inter feu-

Digitized by Google

datarium,& proprietarium,ſicut dominium inter vtrumque diuiſum eſt. Ita Mol.d.56.& Leſſ. lib. 2. cap. 5. dub. 15.

4 Hoc tamen eſt contra Rebell.p.1.de obligat.lib.1.quæ 15.ſect.2.qui dicit quòd ſi dominus directus reperiat theſaurum in agro ſuo,in quo alius habet vſufructum tantùm, non tenetur illum diuidere cum vſufructuario,ſed totum ſibi acquirit; & ſi extraneus inueniat, diuidi debet cum directo domino fundi, & non cum vſufructuario, eo quòd ad illum ſoli fructus fundi pertineant, inter fructus verò fundi non computatur theſaurus in eo repertus.Vnde nec ipſi vſufructuario inuenienti aliquid ratione vſufructus debetur præter dimidium iure inuentionis. Quod non caperet probabilitate.

5 Eſt autem hîc conſiderandum, quod eſt magna differentia inter inuentorem extraneum; & inter proprietarium,vel feudatarium inuentorem,quia hic de induſtria, & diligentia quærere poteſt theſaurum in eo prædio communi, & ex illo ita inuento acquirere ſibi dimidium, extraneus vero non item. Mol. d. 56.

De pignoratorio autem,& vſurario nulla habetur ratio, quia nullo modo ſunt domini. Vt tradit Leſſ.lib.de iuſt. ca.5.dub.15. Vide Mol. d. 56.

QVÆSTIO XI.

An qui emit agrum, in quo eſt theſaurus, acquirat ſibi theſauri dominium?

1 IN qua re conuenit inter omnes, eum qui bona fide emit agrum, nihil ſciens de theſauro, & poſteà inuenit illum, nihil debere dare priori domino. Ratio eſt, quia tempore inuentionis ager ille erat emptoris, & ante venditionem dominus agri nullum habuit ius circa illum theſaurum, cum nec pars agri,neque fructus illius ſit, quia vt diximus theſaurus antequàm inuenitur, caret domino, ac proindè ſtando in ſolo naturali, ac gentium iure eſt primò occupantis. Solùm igitur ante venditionem habuit ius,vt eo inconſulto non poſſit inquiri theſaurus in eo loco, quòd ius fuit translatum per venditionem in emptorem.

QVÆSTIO XII.

Sed quæſtio tota eſt de eo, qui euidenter ſcit in agro alieno latere theſaurum,An poſſit illum tacito myſterio comparare tanti,quanti communiter æſtimatur,vt ſic ſibi totum theſaurum reſeruet?

1 TAb.verb.inuentum num.27.& Armil. ibidem tenent eum qui ſcit in agro alieno latere theſaurum; & doloſè emit agrum, domino ignerante ibi eſſe theſaurum, debere totum theſaurum reſtituere domino, quia inuentor fuit in dolo.

Sot.lib.5.de iud.quæ.3.art.3.docet emptorem teneri reddere dimidiam partem venditori.

2 Communis tamen opinio habet ementem agrum,in quo ſcit latere theſaurum totum ſibi acquirere, nec teneri aliquid venditori reſtituere. Sic D.Thom.2.2.quæſt.66. art.5. ad 2. vbi addit id facti commendaſſe euangelium Matth.13.cum ait,ſimile eſt Regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem cum inuenit abſcondit,& prægaudio vadit,& vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.Vbi Chriſtus dominus maximè laudat eius negotiatoris prudentiam, qui inuento theſauro in agro alieno, illum emit, vt ſic totum theſaurum ſibi reſeruet: eandem prudentiam laudat Med. in inſt.conf.lib.1.cap.14.§.33. Idemque faciunt communiter omnes Theologi.ſic Mol.d.58. Sylueſt.verb.inuentum qu.4. Ban.2.2.qu.66. art.5. Lop.p.2.inſt.confeſſ.ca.2.Arag.2.2.qu. 66.art.5. Leſſ.lib.2.cap.5.dub.15. Tolet.lib.5. ſum. cap.18.Salon.2.2.quæſt.66.art.5.& alij.

3 Sed hæ opiniones conciliari facilè poſſunt,ita vt opinio D.Tho.intelligatur quando emens agrum ſciebat ibi latere theſaurum, non tamen illum adhuc quæſiuit, etiã ſi emerit eo fine, quia ſciebat ibi adeſſe theſaurum. Ratio huius eſt, quia cum emat agrum iuſto pretio, nullam facit venditori iniuriam.

Et confirmatur, ille tantùm vendidit ſuperficiem terræ,quæ eſt verè ager,cuius ſuperficiei illud fuit iuſtum pretium, ergò.

Tum quia eruit illum ex loco proprio nec tenebatur domino priori indicare, ſed poterat vti ſua ſcientia, emendo agrum illum ſecundùm communem æſtimationem, ad quam æſtimationem nihil facit theſaurus abſconditus,

Digitized by Google

abſconditus, cum non pertineat ad ſubſtantiam agri.

Tum demùm, quia ſtando in iure naturali, theſaurus qui in nullius bonis eſt, eſt inuentoris, ſed hic theſaurus in viſceribus terræ incluſus in nullius eſt bonis, ergò eſt inuentoris.

4 Dices, ille ager cum illo theſauro valet v.g. decem millia talenta, ergo iniuſtum eſt, quòd duobus millibus ematur. Conſequentia eſt nota. Antecedens verò probatur, ſi dominus agri in eo ſciet talem theſaurum latere, iuſtè poſſet illum pro tali pretio vendere, ergò verè valet tale pretium. Probo conſequentiam, quia rectitudo contractus humani ſumenda eſt ex parte rei, non autem ex ſcientia, vel ignorantia.

5 Reſp. ager ille, ſi vtrique conſtaret de theſauro in eo incluſo, proculdubio pluris valeret, at cum ſimpliciter fiat venditio, dato iuſto pretio iuxta valorem ſuperficiei terræ, eo modo quo æſtimari ſolet inter agricolas, eſt iuſta emptio: non enim tenetur emptor theſaurum abſconditum manifeſtare, cum non pertineat ad dominum agri. Ita Arag. 2. 2. qu. 66. art. 5.

Obiicies, ille venditor non intendit vendere theſaurum in ſuo agro incluſum, quia ſi id ſciret, non venderet, cum ignorantia ſecundùm Ariſtotelem tollat voluntarium, at ſi venditor non intendit vendere, nec emptor emit, & per conſequens non fit dominus theſauri illius.

6 Reſp. in hoc caſu, nec venditor vendit theſaurum, quem ignorat, nec emptor emit, aut debet emere illum, cum theſaurus ille non pertineat ad ſubſtantiam rei venditæ, ſed venditor ſolùm vendit agrum, & emptor ſolùm quoque emit agrum ipſum, ideſt ſuperficiem terræ, quæ valet ad ferendos fructus, & ſolet vendi: nec emptor tenetur reuelare venditori, quod ibi latet theſaurus, poteſt enim vnuſquiſque vti ſua ſcientia ad acquirendam ſibi rem, quæ ad alterum nullo modo pertinet: quemadmodùm ſi quis emeret piſcem vel aliud animal, in cuius gutture, vel ventre eſſet gẽma, non teneretur reuelare domino piſcis, quia non pertinet ad ſubſtantiam piſcis, neque ad valorem illius, quidquid contra hoc ob murmuret Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 8. cap. 24. quæſt. 2.

7 Dices, venditor agri non vendit theſaurum cum agro, quia nemo vendit id quod ignorat, ergo theſaurus non fit emptoris.

Reſpondeo theſaurum non fieri emptoris, quia emit agrum, vel quia emit theſaurum, ſed quia inuenit in agro ſuo.

8 Obiicies, qui ſcit lapidem aliquem eſſe pretioſum, cuius virtutẽ reconditã venditor ignorat, tenetur emptor illum admonere, ne in rei venditione iuſto pretio priuetur, ergo à ſimili tenetur emptor venditorem admonere, de theſauro abſcondito in ſuo agro, ne debito pretio fraudetur. Probatur conſequentia, quia vtriuſque eadem eſt ratio.

Reſp. eſſe latiſſimum diſcrimen inter venditionem aliarum rerum, & venditionem agri, in quo continetur theſaurus, nam res aliæ venduntur ſecundum ſe, & omnes ſuas virtutes, quas habent, & ità virtus lapidis pretioſi eſt in bonis ipſius venditoris, ager autem tamen vẽditur ratione ſuperficiei, & non ratione theſauri in eo latentis, ſicut nec venditur ratione aëris, aut ratione Solis, cum hæc in bona venditoris non contineantur.

Contra verò opinionem Soti eſſe recipiendam in caſu quo ante emptionem inquiſiuit, & inuenit, & occultauit theſaurum, vt poſſet emere agrum, & theſaurum, tunc enim quamuis id fortaſſis facere poſſet iure gentium, quomodò procedit parabola Saluatoris Matt. 13. de emente agrum, in quo erat theſaurus abſconditus, iuxta tamen iura ciuilia videtur iniuſtum, quia iam verè theſaurus eſt inquiſitus, & inuentus tempore quo dominium agri erat alterius, vnde ſecundùm ius ciuile hoc ipſo acquiſitum erat ius aliquod domino agri, ac proinde medietatem illi tribuere tenebitur iuxta ea quæ dicta ſunt.

QVÆSTIO XIII.

An qui inuenit theſaurum in loco publico, vel ſacro, aut Religioſo illum ſibi acquirat?

1 AD hoc dico primò, quòd qui in loco publico v. g. in flumine, in platea, vel in via publica effoſſa, caſu, vel ex induſtria theſaurum inuenit, totum ſibi acquirit, non Principi, vel Reipublicæ. Ratio eſt, quia Reſpublica, vel Princeps non eſt dominus talis loci iure dominij ſpecialis, de quo leges loquuntur, ſed dominio iuriſdictionis, & authoritate diſponendi. Ita Co-

Digitized by Google

1 IN hac quæſtione Palud. in 4.d.15.qu.3. art.1.& D.Anton.p 2.tit.1.ca.15.§.2. audacter aſſeuerant ex conſuetudine omnes theſauros vbiuis reperiantur eſſe Principis.

Hanc tamen conſuetudinem Sylueſt.verb. inuentum num.13. condemnat,dicitque eſſe contra æquitatem naturalem ſecundùm quam,ea quæ in nullius bonis ſunt, primò occupanti conceduntur. Hoc idem docent Sot.lib.5.qu.3.art.3.Philiar. de offic. Sacerd. p.2.lib.6.ca.27. adduntque talem conſuetudinem in Republica benè inſtituta non eſſe introductam,vnde nec in conſcientia obligare dicunt etiam ſi alicubi introducta eſſet, ſed poſſunt inuentores ſecundùm ius commune tuta conſcientia totum theſaurum poſſidere. Ratio eorum eſt, quia ſua natura theſaurus inuentus, eſt inuentoris, ergò iniqua eſt lex,quæ prohibet huiuſmodi dominium. Patet conſequentia, quia eſt contra legem naturalem. Secundùm quam, ea quæ nullius ſunt propria,tum iure naturæ,tum iure ciuili ſunt primò occupantis,ſi inueniantur in proprio agro, & ſolùm medietas eſt Regis, quando inuenitur in loco Regis,aut fiſci vt habetur in §.theſ. Inſt. de rerum diuiſ. lex autem quæ eſt contra ius naturale, & ciuile non eſt lex, aut conſuetudo dicenda in contrarium introduci iuſtè poteſt.

Addit tamen Sotus, poſſe inſtitui legem, vt quoties Reſpublica indiguerit,inuenientes theſaurum etiam in agris ſuis teneantur aliquod tributum tanquam in ſubſidium neceſſitatis communis conferre.

2 Leſſ.lib.2.de iuſt.ca.5.dub.17. putat poſſe iuſtam ſubeſſe cauſam,vt pars aliqua Principi aſſignetur: vt ſi tale ſubſidium iudicaretur neceſſarium ad onera Reipublicæ ſuſtinenda:vt autem totus applicetur, durum ſibi videtur, quia valdè difficile eſt, & diſſonum iuri naturali: fatetur tamen contrarium non eſſe improbabile.

3 Contraria tamen ſententia, & communis, & vera eſt, poſſe Principem iuſtam legem condere, vt theſaurus propriè dictus inuentus in ſuo Regno ad ſe pertineat. Ita Couar. in Reg. peccatum p.3.§.2. num.4.de Reg.iuris in 6.vbi adducit pro ſe D.Anto.p. 2.tit.3.c.1.& Palud.in 4.d.15.qu.3.art.5. Idem tenet Alph.de caſtro de leg. pœn.c.2. fauet etiam Val.to.3.d.5.q.10.p.3. Med.lib.1.ca.14. §.33. Emmanuel Sà in aphor.conf.verb.theſaurus num.2.& Conrad.tract.de contr.p.1. qu.8. Et videtur eſſe vſus apud omnes ferè nationes, theſauros in propriis agris, aut domibus inuentos ad Principem pertinere,ſeruata aliqua parte inuentori, vel domino loci, in quo inuenitur. Qui ſanè vſus nationum, & prouinciarum etiam fidelium non eſt damnandus, ſed potiùs vim legis habere videtur, & contraria opinio eſt improbabilis. Et ratio eſt,quia licèt iure gentium ea quæ nullius ſunt propria, ſint inuentoris, poteſt tamen Princeps pro bono cõmuni Reipublicæ talia bona ſibi applicare, poſt quorum applicationem iam non erunt communia.

QVAESTIO XVIII.

An res inuentæ quæ non ſunt theſauri, poſſint ab inuentore retineri?

1 IN hac re, ſanè dubia, & perplexa exiſtimo in primis teneri inuentorem omni diligentia, publiciſque præconiis, aliis viis accommodis perquirere dominum expenſis ſumptis ex ipſamet re inuenta, & ſi eum inueniat, teneri ei reddere.

Dices,is qui inuenit hæc bona, poteſt ea relinquere vbi inuenit,nec tenebitur ad reſtitutionem, etiam ſi res illa pereat quia non tenebatur niſi ex charitate ſeruare illa bona domino ſuo, ergò etiam ſi ſemel acceperit, iſta bona non tenebitur ex iuſtitia quærere dominum.

2 Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia poſtquam ſemel accepit, vt illa acceptio ſit iuſta, debet habere intentionem quærendi dominum illius, quia ſi non accipit illam iſta intentione,iam eſt acceptio iniuſta & tenebitur ratione iniuſtæ acceptionis reſtituere. Et in hoc omnes conueniunt.

Tota igitur huius controuerſiæ difficultas in eo conſiſtit. An ſi facta diligenti inquiſitione dominus non appareat,poſſit inuentor rem inuentam ſibi retinere?

In hac quæſtione duæ ſunt celebres opiniones. Prima eſt D.Tho.2.2.qu.62. art.5.& Caiet.ibidem, Sylu. verbo inuentum nu. 2. Couar. in Reg. peccatum p. 3. §. 1. num.2. Nauar. cap. 17. num. 171. Leſſ. lib.2.de iuſt. ca.14.dub.6.Val.tom.3.d.5.qu.10.p.3.& multorum aliorum affirmantium bona inuenta poſt factam ſufficientẽ inquiſitionẽ eſſe diſtribuẽda pauperibus, nec retineri poſſe ab

farina, & cœtera quandiu enim res alicuius permanet inconsumpta sibi debetur, nisi aliud ex modo proijciendi colligatur: qua ratione si ouis tua ex faucibus lupi eripiatur, aut domus ab incendio, tua manet. Ita Less. lib. 2. ca. 5. dub. 18. & Rebell. vbi supra.

Illud etiam quod ait Nauar. cap. 17. num. 99. posse talia retineri, si cum vitæ periculo recuperarentur, non est absolutè verum, nisi quando rationabiliter credi potest, dominum permittere res huiusmodi ex naufragio periclitantes ei, qui se periculo voluerit exponere, in casu quo periculum ferè tanti æstimatur, quanti res ipse; tunc enim, & si dominus ius habet rei vendicandæ: tamen recuperator potest exigere æstimationem sui laboris, & periculi. Vnde si dominus nihil dicat, poterit retinere tanquam ratione periculi concessam, vt Less. & Rebell. locis supra cit. annotarunt.

5 Hinc, nec ligna, nec id genus alia vi fluminis delata habentur pro derelictis, nisi aliæ accedant de prædicto animo coniecturæ, vt si res perexigui pretij sint, & dominus longè distet, vel quia essent magnæ expensæ faciendæ, tunc enim eorum dominus probabiliter creditur eas negligere.

Sunt etiam aliqui authores graues, qui affirmant rem etiam haberi pro derelicto, quando dominus ità eam proiicit, vel relinquit, vt nulla ei spes superſit industriâ aliquâ eam recuperandi. Vnde si aliquis extraordinaria aliqua industria eam eripiat, vel saluet, efficitur eius dominus.

Mihi sanè non placet hæc sententia, nisi dominus significauerit se eam concedere occupanti, vel æstimatio industriæ sit ferè par illi rei.

6 Tertiò & vltimò dico quòd res quæ longo temporis cursu naufragio amissæ, vel iactatæ in fundo maris latent, & inde casu aliquo, vel arte, vel extrahuntur, vel reperiuntur in littore, statim fiunt capientium, quia pro derelictis habentur. Et hæc satis de thesauris, & rebus inuectis.

DE RESTITVTIONE FACIENDA AB IIS QVI VENANTVR, PISCANTVR, ET AVCVPANTVR INIVSTE.

DISPVTATIO TRIGESIMA.

DE huiusmodi materia agunt Doctores Scholast. in 4. d. 15. Caiet. in summa verb. venatio, & in opusc. 17. resp. resp. 12. dub. 4. Sot. lib. 4. qu. 6. ar. 4. Ban. 2. 2. q. 62. art. 3. Med. C. de rest. qu. 12. Tolet. lib. 5. ca. 20. Arag. 22. qu. 62. art. 3. Cordu. in summa casuum qu. 119. Mol. tom. 1. de iust. & iure disp. 41. Less. lib. 2. de iust. c. 5. dub. 6. Azor. p. 3. inst. mor. lib. 5. ca. 16. Rebell. p. 1. de oblig. lib. 1. qu. 14. Salon. 2. 2. qu. 62. art. 3. Roder. p. 1. sum. cap. 35. Nauar. in Man. cap. 13. num. 9. & 11. & cap. 17. a. num. 120. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 8. Summistæ verò vt Ang. Tab. Sylu. Rosel. Armil. & alij verb. venatio, festum, restitutio, & furtum.

QVÆSTIO I.

Inter ea quæ de venatione dicenda occurrunt, id primum est. Quid per venationem hic intelligatur?

1 RESP. intelligi non solum eam, qua capiuntur quadrupedes, & cæteræ feræ, quæ dicitur propriè venatio, sed etiam eam, qua capiũtur volucres cœli, quæ aucupium vocatur, & eam, qua capiuntur pisces, quæ piscatio nominatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm venatio iure naturæ sit licita?

1 RESP. esse licitam, & ab initio omnibus hominibus à Deo concessam, iuxta illud Gen. 1. Dominamini piscibus maris, volucribus cœli, & bestiis terræ. Et Ps. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Potest tamen venatio ex multis causis vitiari.

Primo ratione periculi, cui venatores in-

ter animalia ferocia non satis circumspectè versantes se exponunt.

Secundò ratione status personæ. Et ita prohibetur clericis,& multo strictiùs Religiosis vt habetur in ca. 1. de clerico venatore.Et in Conci.Trid.sess.34.cap. 12. de reformatione ne scilicèt his operibus intenti, & voluptate venandi capti, diuina prætermittant. Quod debet intelligi de venatione clamorosa, tumultuosa, ac scandalosa, qualis est, quæ fit cum strepitu canum, & accipitrum,& falconum,& armorum.Vnde videtur frequentatio talis venationis esse solùm peccatum veniale,dummodò non sit scandalum; in quo scandali euentu videtur procedere pœna suspensionis imponenda Episcopis,& presbyteris,& diaconis vt docent Petr.Nau. lib.3. de rest.cap.1.num.190. Less.lib.2.de iust.cap.5.dub.9.Rebell.p.1. de obligat. lib. 1. quæst.14. sect.2.& Roder.p.1. sum. cap. 36. num. 1.

3 Ex quo colligitur quòd non peccant nec venialiter venantes cum retibus, laqueis, pauciſque canibus, modò rarò fiat causa necessitatis, aut honestæ recreationis, quia hoc fit sine rumore,& apparatu,& scandalo vt notant Medin.C.de rest.qu.12.Sylu.verb. venatio. Petr. Nau. lib.3.de rest.cap.1.num. 292. Molin. tom. 1. disp. 44. Less. lib. 2. de iusti. cap. 5. dub. 9. & Roder. p.1.sum.cap. 36.num.1. Et quamuis Glossa in illud caput primum citatum censeat non licere prædictam quietam, & recreatiuam venationem Episcopo,si tamen absque strepitu,& scandalo fiat,non est condemnandus Episcopus de culpa mortali,vt doctè Petr.Nau.lib.3.de rest. cap. 1. num. 292.Med.C. de rest.quæst. 12. Rebell. p. 1. de oblig. lib. 1. quæst. 14. sect. 2. Ang. Sylu. & Tab.verb.venatio annotarunt.

4 Licèt Episcopo suis propriis manibus non liceat venari,non est tamen illi prohibitum videre alios venantes, vt inde honestam sumeret recreationem, vt Mol. disp. 66.Roder.p.1.sum.ca.36.nu.2. & Rebell.qu. 14.sect.2.resoluunt.Verum Religiosis venatio etiam quieta, & sine strepitu, ac etiam causa recreationis videtur prohibita, quia eorum statum magis dedecet,& maior occasio scandali datur ratione professionis, quam faciunt,quidquid velint Tab.verb.venatio,& Roder.p.1.ca.36.nu.6.nam in conc. Vienen.clem.1.§.porrò de statu Monachor. Religionis venatio est absolutè prohibita, vnde de mortali culpa timere debeut,etiam si absque strepitu, & apparatu venentur vt Rebell.supra sect.2.optime annotauit.Piscari tamen non tantum hamo,sed etiam retibus seruata honestate,nulli etiam Religioso est interdictum, quod doctè suo more affirmat Idem Rebell. quæst. 14. sect. 2.

Quartò ratione loci, vti est prohibita in certis animalium viuariis, vel piscinis, vel stagnis, vel in priuatis aliorum fundis vt infrà amplius dicemus.

5 Quintò ratione temporis. Et sic videtur prohibita venatio diebus festiuis,& ieiunij. cap. An putatis distinct. 86. Sed hoc intelligendum est, quando ratione venationis omitteretur sacrum, vel violaretur ieiunium, alioquin absolutè non est his diebus prohibita, cum non sit opus seruile, vt docet D. Nauar. cap. 13. num. 11. Caiet. in sum. verb. festum. & Less. lib. 2. de iust. cap. 5. dub. 9. quidquid velit Rebell. p. 1. de oblig. lib. 1. quæst. 14. sect.3. Neque lucrandi finis efficit,vt tale fit, quidquid dicant Rosell.verb.feriæ,§.11. & Sylvest.verb. domina quæst. 5.

Piscatio autem facta die festo generaliter videtur prohibita : non autem si fiat de certo genere piscium, qui tantùm certis diebus adueniunt, & circumspiciuntur, & illicò discedunt, nisi tunc capiantur, cuius generis sunt thunni,halescia,sardæ,& similia, vt docent Illustriss. Caiet. 2. 2. quæst. 122.Debent tamen piscatores aliquam eleemosynam erogare in ecclesias viciniores, aut in pauperes iuxta ca. licet de feriis, & tradit Nauar. cap. 13. num. 9.

6 Sextò ratione publicæ vtilitatis,ne aues, pisces, & feræ funditùs tollantur. Sic prohibetur interdum venatio illis mensibus, quibus animalia sunt grauida suosque partus educunt, & fœtus nutriunt: & quando sunt niues, quia tunc facilè capiuntur, ac denique ratione instrumentorum, quibus plurima capiuntur animalia etiam minutissima,quod cedit in perniciem boni communis.

Septimò & vltimò, vt Princeps habeat certa loca,quibus venatione recreetur,quibusve assuefiat ad iacienda iacula,& ad feriendos hostes.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Princeps supremus possit iustè prohibere venationem?

In qua

1 IN qua re conuenit inter omnes posse supremum Principem venationem, piscationemque prohibere in locis, quæ sunt de eius dominio, sibique duntaxat eiusmodi ius reseruare, quemadmodum quilibet alius priuatus potest aliis prohibere, ne in agrum suum ad venandum ingrediatur, vt dicitur Inst. §. feræ de rerum diuisione. Nec non pro publica potestate, quam habet, moderatas pœnas venantibus, aut piscantibus in locis designatis absque sui licentia statuere.

Controuersia igitur tota est extra loca propria in locis, scilicet publicis.

2 Et quidem constans est omnium sentẽtia posse Principem prohibere hanc venationem in locis publicis etiam posita pœna, ex consensu Reipublicæ. Ratio est, quia Respublica potest cedere iuri suo.

Secundò etiam constat, posse principem eam prohibere, si iudicetur id necessarium ad Reipublicæ onera sustinenda, nempe, vt inde confletur maxima vis pecuniæ officio, & administrationi Principis necessaria.

Quo titulo Rex hispaniæ reseruat sibi ius piscandi thynnos, vt ait Couarr. in Reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 10.

3 Quæstio igitur est. An Princeps supremus possit absque Reipublicæ consensu venationem prohibere ob solam animi sui recreationem capiendam, nimirum, vt certa loca publica habeat, quibus ipse solus venando oblectetur, & animum pascat.

Sunt multi qui existimant non posse, quia Princeps nihil potest contra ius naturale, vel gentium: sed venari in locis publicis iure naturali, & gentium est concessa, ergo.

4 Aliorum tamen omniũ opinio est, posse Principem id efficere, tum ad sui honestam recreationem, tum ob maiorem dignitatem, quam & Regius status, & Reipublicæ splendor postulat, aliisque prohibere, ne illis in locis venari possint, tenerique inferiores iusto præcepto obedire, Sic Couarr. in reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 1. Caiet. t. 1. opus. tract. 31. in opusc. 17. resp. 22. dub. 4. & 5. Med. C. de rest. q. 12. Sot. l. 4. q. 6. ar. 4. Cord. in sum. q. 118. Mol. disp. 46. Rebel. p. 1. de obl. l. 1. q. 14. sect. 2. Less. l. 2. c. 5. dub. 7. & alij. Ratio huius est, quia Princeps cum laboret pro Republica, potest etiam ea non consentiente, sibi deputare aliqua loca recreandi animi gratia, quia in hoc Princeps vtitur iure suo: præsertim cum id etiam pertineat ad Principis dignitatem. Quo etiam titulo Rex catholicus Philippus II. nemora quæ circũstant Matritũ suæ recreationi sib i reseruauit.

Dixi notanter (aliqua loca) quia non potest Princeps supremus omnia loca, syluas, & paludes sibi ad venandum, & piscandũ reseruare, nisi fortè eam ob causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter Rẽpublicã compẽset. Ratio est, quia est naturali rationi, & æquitati minimè consonũ, velle dũtaxat sui commodi & oblectationis gratia totã Rẽpublicam omni recreatione, & vtilitate venationis, quæ iure naturali, & gentium ei est concessa, priuare. Sub qua prohibitione comprehẽdũtur etiam ecclesiastiaci, vt cum Soto, & Nau. docuit Rode. p. 1. sum. c. 36. n. 5. Verum Iudex sæcularis nõ poterit mulctare prædictos ecclesiasticos pœnis ordinatis in dicta prohibitione, sed debent puniri à Iudice ecclesiastico. Quãdo autem Iudex sæcularis inuenit ecclesiasticos venantes, aut piscantes in locis, aut tẽporibus, aut cum instrumentis venatoriis absque periculo incurrendi excommunicationem potest ab illis auferre venata, & piscata, & instrumenta, vt cum Cou. in pra. q. q. 33. in fine resoluit Rod. loco citato.

5 Illud tamen adu[illegible]e quòd Princeps qui sibi tale ius reseruat, tenetur cauere damna, quæ feræ multiplicatæ possent agris vicinorum inferre, & si quæ inferant, teneri ipsum in conscientia ea resarcire, aut saltem dare licentiam vassallis vt possint occidere illas armis non prohibitis, si inuenerint eas in suis campis, & prædiis: quam licentiam, si concedere nolit, obligatus in conscientia manet omnia damna vicinis illis persoluere, quia non liberè in talium damnorum remissionem consentiũt. Vt docet Nau. c. 17. n. 121. Molina disput. 27. Rebell. parte prima de obligat. libro primo, quæstione decimaquarta, sectione secunda, Valentia tom. 3. d. 5. quæstio. 6. p. 5. Cordub. in sum. q. 189. & Couarr. in Reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 10.

6 Imò si ferarum numerus creuit in tantum, vt non possint subditi sine graui periculo, labore, & expensis defendere sua prædia, sed die, noctuque in illis custodiendis inuigilant, non satis est in hoc casu velle resarcire damna, quæ inferentur, aut

Digitized by Google

etiam licentiam indulgere occidendi feras illas, sed etiam vltra illa, pro huiusmodi laboribus, & expensis extraordinariis satisfacere tenetur, cum iniustum omninò sit, vt Princeps subditos suos tot periculis, & expensis exponat, nec aliter absolui potest, vt docet Mol. d. 47. Less. l. 2. c. 5. dub. 5. & Roder. c. 35.

7 Aduerte etiam quòd Princeps qui prohibet, ne huiusmodi feræ, quæ non sunt inclusæ occidantur à dominis prædiorum, quibus nocent, non excusatur à peccato, propter propositum restituendi damna etiá consecuta restitutione, magis, quàm excusatur fur, qui rapit aliena, quamuis intentione restituendi, quod abstulit. Aliud enim peccatum est inferre damnum, aliud nolle compensare illatum. Vnde non satis ei est restituere damna illata per huiusmodi feras, sed etiam pœnitere, & confiteri tenetur damnum sic illatum, cum illud per huiusmodi animalia inferendo, mortaliter peccet. Quod tanquam nouum, & dignum notatu à prædicatoribus, & confessariis tenet Nau. c. 17. n. 125. Mol. d. 47. & Roder. ca. 35. qui debent consulere huiusmodi Magnatibus, dicentes illis, nunquàm benè restitui vasallis huiusmodi damna, quia priusquàm illis soluentur, oportet illos ambulare de Herode ad Pilatum, & qui æstimant huiusmodi damna semper se tenent magis ex parte Magnatum, & eorum vtilitate, quàm pauperum. Quod est à confessariis talium Magnatum aduertendum.

8 Excipit tamen Molina duos casus, quibus Princeps ad nihil horum tenetur. Primus, si consensu Reipublicæ, & eorum qui possident agros vicinos, hoc ius haberet: quiuis enim potest suo iuri cedere.

Secundus, si in terra hostili à se occupata, tale ius in aliquo saltu instituat, antequàm agri vicini diuidantur: tunc enim agri illi transeunt cum hoc onere ad suos possessores.

4 Hinc, qui iniustè alium venari, aut piscari prohibet contra iustitiam peccat, cum onere restituendi probabile lucrum quod ille facturus erat, vt v. g. si Titius missurus esset rete in mare, & Caius eum iniustè impediuit, restituere tenetur, non quidem quantum Titius capere poterat, sed ad boni viri arbitrium, quo ille eiusmodi spem vendere poterat, detrahendo tamen de pretio aliquid pro ratione laboris, quem venando, aut piscando subire debuit, licèt non quantùm ille labor æstimabitur, quandoquidem potius elegisset is qui impeditus est, maius suum lucrum cum eo labore quam carere eo labore. Ratio huius est, quia iniustè impedit quominus quis ius suum percipiat, ergò contra iustitiam peccat, & damnum infert, ergo restituere tenetur. Ita Nau. c. 17. n. 121. Coua. in Reg. peccatum p. 2. §. 6. n. 12. Mol. disp. 49. & Less. l. 2. c. 5. dub. 7.

Adde etiam posse Principem personis de Republica benemeritis ius venandi vel piscandi in loco communi concedere, cæteris exclusis, modò tamen id absque Reipublicæ notabili detrimento fiat. Imò consuetudine legitimè præscripta posse huiusmodi ius acquiri, sicut, & alia iura tempore à iure taxato præscribi possunt. Ratio est, quia consuetudo habet vim legis, & Priuilegij. Ita Less. l. 2. de iust. c. 5. dub. 7. & Cou. suprà n. 10.

QVÆSTIO IV.

An Comites, Marchiones, & Duces qui superiorem in tẽporalibus agnoscunt, possint etenim certos saltus ac loca sibi ad venandum, & piscandum deputare, ac præscribere, in quibus nulli alteri venari fas sit?

1 RESP. non posse, sed suis patrimoniis possunt emere agros, vel dono petere à Republica, vt nemora sibi constituat: poterunt tamen per edictum ad tempus interdicere venationem suis oppidanis certis temporibus, & locis ex causis congruentibus, nimirum ob bonum publicum conseruandum.

2 Possunt etiam huiusmodi Magnates, & optimates qui superiorem in temporalibus agnoscunt, in perpetuum venationem prohibere in quinque casibus.

Primo de licentia Regis expressa, vel tacita.

Secundo virtute alicuius Priuilegij proprij.

Tertio virtute alicuius contractus absque vlla vi, & metu.

Quarto ex vi alicuius consuetudinis immemorabilis.

Quinto, & vltimo de consensu populorum, qui ipsis subditi sunt. Ita Molin. disp. 46.

QVAE

QVÆSTIO V.

An ſit peccatum mortale contra leges venationem prohibentes, venari?

1 MAgiſter Sot.lib.4.de iuſt.q.6.art.4. ait eſſe peccatum, ſed non explicat,quale ſit,mortale ne,an veniale.

Cord.in ſum.caſuum q.116.docet nullum eſſe peccatum, quando eiuſmodi leges ſolùm ſunt pœnales, quando verò non ſolùm ſunt pœnales,ſed etiam præceptoriæ, vel prohibitoriæ tunc dicit eſſe peccatum, nec declarat qualitatem peccati.

2 At verò Med.C.de reſt.q. 12. tenet eſſe mortale peccatum venari contra iuſtam prohibitionem, quando leges imponunt grauem pœnam, quia grauitas pœnæ arguit grauitatem delicti.

Pro huius tamen quæſtionis illucidatione dico primò, quòd quando venatio ſolùm eſt prohibita ratione ſtatus perſonæ, vel temporis,modò ſcandalum abſit,& periculum occiſionis, vel mutilationis regulariter non eſt pluſquàm veniale,& animal captum non eſt, neceſſario reſtituendum. Prima pars patet ex dictis. Secunda verò pars probatur, quia conditio perſonæ, vel temporis non facit illum actum iniuſtum, aut rem reſtitutioni obnoxiam. Ita Leſſ. lib.2.c.5.dubio 9.

3 Secundò dico,quòd etſi venatio ſit prohibita propter bonum publicum, tamen non eſt peccatum mortale ſemel,atque iterum facere contra huiuſmodi leges; imò licèt ſæpiùs venetur,non puto eum peccare mortaliter,quia nõ infert notabile damnum bono publico; ſed tunc ſolùm erit peccatum mortale, quando modus venandi,vel piſcandi cenſetur notabiliter pernicioſus Reipublicæ, & idcircò ſub graui pœna eſt prohibitus, vel quando reipſa notabile damnum per venationem,aut piſcationem bono publico infertur,vt ſi feræ funditus tollerentur.Ita Leſſ.loco citato.

QVÆSTIO VI.

An qui venatur, contra iuſtam prohibitionem in locis publicis ad aliquam reſtitutionem teneatur?

1 QVidam putant teneri.

Sed verius, ac probabilius multo eſt,quod docent Couar.in reg.peccatum p. 2.§.8.nu. 6. & Leſſ.lib.2.c.5.dub.9.nimirum hunc non teneri ad aliquam reſtitutionem, niſi ſtragem magnam, & deuaſtationem ferarum faciat. In cuius tamen gratiam.

Dico primò, quòd Princeps per iuſtam aliquam legem poteſt ſtatuere,vt venantes, aut piſcantes in locis communibus patentibus,& minimè circumſeptis non quærant captorum dominium.Ratio eſt,quia lex ob iuſtam cauſam poteſt ſubditos reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum.Ita Sot.lib.4.q.6.art.4. Petr.Nau.lib.3. c.1.num.289.& Leſſ.ſup.

2 Secundò dico, quòd qui contra iuſtam prohibitionem venatur feras,aut volucres, aut piſcatur in locis communibus nulli appropriatis ad reſtitutionem ferarum captarum non tenetur, niſi ſtragem magnam, & deuaſtationem ferarum faciat.Ratio eſt, quia licet peccet,qui ita venatur, aut piſcatur contra iuſtitiam legalem contraueniendo iuſto præcepto ſuperioris, quia tamen feræ illæ, aut piſces adhuc illis in locis in ſua ſunt naturali libertate,ante capturam nullius ſunt propriæ, ſed iure gentiũ ſunt res indiuiſæ,& omnibus cõmunes, ergo qui illas venatur,aut piſcatur nihil aufert,quod alicui eſt proprium,vel debitum, & ex conſequenti nec tenetur ad reſtitutionem,ſed quærit ſibi captorũ dominium.

Tum quia huiuſmodi leges non prohibent ipſam acquiſitionem ferarum,quę per venationem,aut piſcationem capiuntur,ſed ſolùm prohibent actum venationis, nimirum vel ratione perſonæ,vel temporis, vel loci,vel inſtrumenti,vel in gratiam Principis,ergò quæ ita capiuntur, cum fiant capientis, non ſunt reſtitutioni obnoxia.

3 Dixi notanter(niſi ſtragem magnã &c.) quia in tali caſu non ſolùm tenetur ſoluere pœnam à lege ſtatutam contra tranſgreſſores poſt ſentẽtiam Iudicis, ſed etiam reſtituere tenetur damnum Reipublicæ ſubſecutum,quæ habebat ius venandi,quia qui piſcinam,aut agrum, etſi non vallatum ita deuaſtat expoliat Rempublicam iure, quod habet in piſces,& feras illius loci,& lucro,& oblectatione,quam ex eo loco capere potuit. Ipſa tamẽ animalia quæ capta ſunt,non ſunt reſtitutioni obnoxia,ſed fiunt capientis, ſed ſufficit reſtituere tantum, quantum illa ſpes,ſeu ius venandi,aut piſcandi Reipublicæ cenſetur valere.Ita Mol.

tom.

Digitized by Google

to.1.de iust.disp.49.Petr.Nau.l.3.de rest.c.1. n.291.Less.l.2.c.5.dub.9.Reb.p.1.de obl.l.1.q. 14.sect.3.Salo.2.2.q.62.ar.3.Nau.c.17.nu.124. Roder.p.1.sum.ca.37.& Cou.in reg.pecc.p. 2.§.8.n.6.

Tertiò dico, quòd qui absque vlla fraude,aut dolo feras extra locum suum in quo prohibitum est venari egressas capit, non solum non peccat, sed neque ad aliquam restitutionem, vel ad vllam pœnam tenetur. Ratio est, quia ipsæ feræ cum nullius sint propriæ, sed vagæ, iure gentium permittuntur occupari extra locum prohibitum. Quod si arte magica, aut alia praua machinatione eas elicit,& ita extra syluas capit, tunc quidem quamuis ad restitutionem non teneatur,dominus tamen loci seu Respublica non minus contra eum agere potest ad pœnam, quàm si in loco ipso prohibito venaretur. Ita Mol. to.1. de iust. d.51.Ban.2.2.q.62.art.3.& Less. l.2.c.5.dub.9.

QVÆSTIO VII.

An leges,quæ in loco publico venantibus, aut piscantibus imponunt pœnam mortis, aut mutilationis,aut etiam flagellorũ sint iustæ?

1 RESP.esse iniustas,nisi eæ pœnæ solùm sint impositæ ad terrorem, non vt executioni mandentur quia in venatione contra leges non est tanta culpæ grauitas, vt punienda sit dictis pœnis corporalibus. sufficit enim quod pro prima vice puniatur transgressor pœna pecuniaria,& pro secuuda vice dupla, & pro tertia addatur aliquod aliud. Nisi fortè quis sæpe deprehensus,& leuioribus pœnis punitus,& admonitus desistere nollet,grauesque damnum inferret, tunc enim tanquàm legum contemptor flagellari poterit,si cõditio personæ id ferret.Ita Mol.to.1.de iust. d.46.Rod.p.1.sum.cap.35.Less.li.2.c.5.dub.9. Cord.in sum.q.119.& alij.

QVÆSTIO VIII.

An qui venatur,aut piscatur in loco alicui appropriato inuito domino peccet,& capta restituere teneatur?

1 AD hanc quæstionem dico primò, quòd qui venatur, aut piscatur in loco, aut sylua alterius contra voluntatem domini prohibentis ingressum ad venationem, & sylua seu locus vbi hæc animalia venatica commorantur est patulus,non tenetur ad restitutionem eius, quod accepit, peccat tamen pro ratione iniuriæ,& damni illati (si quod inferat) & tenetur ad eius compensationem.

2 Prima pars probatur, quia feræ non sunt domini illius loci seu syluæ, sed nullius : ergo captæ transeunt in dominium primò occupantis. Consequentia est per se nota, antecedens verò probatur quia feræ non sunt fructus agrorum vel syluarum,vel fluuiorum,sicut arbores, quæ solo hærent, sed aliæ ex aliis procreantur.

Secunda pars probatur,quia is qui venatur in alieno fundo contra voluntatẽ eius, cuius est fundus facit ei iniuriam:dominus enim ius habet, vt nemo ibi se nolente venetur,vt habetur.§.feræ. Inst.de rerum diuis.

3 Tertia verò pars probatur, quia si dominus fundi animal illud probabiliter capturus erat, nisi alius contra eius prohibitionem illud in eo fuisset venatus,deductis expensis, habitaque ratione sui laboris, ac incertitudinis venationis, & cæterorum, spectanda est æstimatio illius spei:vel si dominus ius venandi alteri vendere,vel locare statuerat, & alius crebra venatione efficeret,vt parui æstimaretur.Quod est verum etiam de eo qui aucupatur aues syluestres in loco prohibito,vt constat ex l. diuus ff. de fer.rust. præd. &c. Vnde falsa est Soti sententia l.4.q.6.a.4.qui aucupium excipit, nam si dominus prædij animal illud capturus erat, nisi alius contra iustam prohibitionem illud in eo fuisset aucupatus, restituere illi tenetur valorem integrum animalis:quoniam æquale est damnum, quod contra iustitiam illi intulit,lucrumve quod illi iniustè impediuit.Quòd si res sit dubia tũc pro ratione dubij tenetur domino aliquid restituere.Si verò domin° agri animal non erat capturus,ad nullã prorsus restitutionem tenetur. Quod intelligitur quando dominus fundi præsumitur velle restitutionem quod regulariter præsumendum non est de Magnatibus,vel etiam de Republica, quæ vltra pœnas statutas eam exigere non solet.

4 Hoc idem dicendum est de eo,qui venatur,vel piscatur terris,aut fluuiis alterius Communitatis,ea inuita, quia sic venando

iniuriam

iniuriam ei facit, teneturque ad reſtitutionem damni, ſi quod inde illi Communitati obueniat, comparat tamen dominium animalium,quæ ibi ita capiuntur.Ita Mol.diſp. 51.Leſſ.l.2.c.5.dub.9.Reb.p.1.de obl. l.1.q.14. ſect.3.Petr.Nau.l.3.de reſt.c.1.n.293. Val.to. 3.d.5.q.6.p.5.Arag.2.2.q.62.a.3.Rod. p.1.c.37. Cord.in ſum.caſuum q.119.& Sotus l.4.q.6. art.4.

Secundò dico quòd qui venatur,aut piſcatur in loco alieno habente aliquam clauſuram non tamen ita ſtrictam,quin liberum egreſſum inde habeant,vbi vel quando voluerint, ad nihil tenetur, etiam ſi aliqua arte auocet feras à prædictis locis, vel impediat quominus ad ea redeant,quia talia animalia ſunt vaga,& ad nullius pertinent dominium,ergo ſunt primòaccipiẽtis. Si tamen dominus loci illius iturus erat ad venandum,vel piſcandũ, ille verò vaſtauerit venationem, vel piſcationem, tunc non titulo reſtitutionis, ſed reparationis damni tenebitur ad aliquam reparationem,non in integrum,ſed arbitrio boni viri faciendam penſata differentia,quæ eſt inter habere, & poſſe habere.Ita Coua.in Reg.peccatum p. 2. §. 8. n. 15. Rod. p. 1. ſum. c. 37. num.4.& alij.

5 Tertiò dico quòd qui venatur, aut piſcatur in loco publico venationi, aut piſcationi Principum, vel Magnatum iuſtè aſſignato peccat venialiter,& ſi facit magnam deuaſtationem ferarum, mortaliter, teneturque ad reſtitutionem.

6 Prima pars probatur,quia lex quæ prohibet in tali locò venationẽ,etiamſi appoſitam pœnam habeat, iudicio prudentum non cenſetur grauem inducere obligationem, quamuis ipſi domini ibi venari ſoleant, nam feræ nullius ſunt propriæ, ſed vagæ,& ſaltus eſt communis,&ex alia parte nulla apparet læſio notabilis, ergo ratio dictat,vt reſeruatio illa iuris venandi facta per Principem, non adeò ſtrictè accipiatur.

Secunda verò pars probatur, quia grauiter lædit rem alienam,qui facit huiuſmodi ſtragem, ergo peccat mortaliter contra iuſtitiam,& tenetur ad reſtitutionem damni,non autem ad reſtitutionem animalis capti.Ita Ban.2.2.quæſtio.62.articulo tertio,& Leſſ.l.ſecundo de iuſtitia, capitulo quinto, dub.9.

7 Quartò dico,quòd qui venatur,aut piſcatur in locis paruis,& hominum induſtria circumſeptis,vt in piſcinis,viuariis,ſtagnis, & aliis ſimilibus locis,ita vt animalia intus exiſtentia ſuam libertatem naturalem eundi quò velint,non habeant,ſed ibi pro libito, aut ſaltem facilè capi poſſunt, peccat peccatum furti, & tenetur reſtituere damnum illatum, & etiam animalia capta.

Et quidem de damno dato eſt communis ſententia Doctorum. De reſtitutione verò animalium patet,quia quamuis animalia illa ſint fera,ſunt tamen capta,& veluti paſſeres in vinculis,& conſtitutæ ſub dominio detinentis, ergo furtum committit, qui in eis venatur,aut piſcatur, nam qui iuſtè poteſt circumuallare ſyluam, aut ſtagnum, iuſtè etiam poſſidet quæ ibi reſeruantur.

Dixi notanter(in locis paruis &c.) quia qui in ſaltibus vaſtiſſimis quantumuis, vel natura,vel arte circumſeptis,feras venatur, aut piſcatur, nullum peccatum committit, nec ad aliquam reſtitutionem obligatur, quia eo ipſo, quòd in loco tam magnæ vaſtitatis continentur, non cenſentur captæ, aut quaſi captæ, ſed ſemper in ſua naturali feritate,& libertate ſunt, etiamſi ſeptis intùs contineantur,vt fugere nequeant, & vt aliis venatores,vel piſcatores arceantur,feræque hac ratione feliciùs multiplicentur, ad illius tamen dominium non pertinent, cuius eſt ſaltus, quamuis ille ſolus eas venandi,aut piſcandi ius habeat,ſed in ſua libertate naturali manent. Vt docet Sot.li.4. quæſt.6.art.4.Couar,in reg.peccatum p.2.§. 8.num.14.Med.Cod.de reſti.qu.12. Arag.2.2. quæſtio.62.artic.3. Valent. tom.3.diſtinct.5. quæſtio.6.p.5.Mol. tom.1.de iuſt. diſput. 41. Salon.2.2.qu.62. art.3. Rebell. p. 1. de obligat.lib.1.q.14.ſect.3.& Nauar.cap.17. numero.128.

8 Quam doctrinam cenſeo eſſe veram (quidquid contra hoc obmurmuret Azor. p.3.inſt.mor.l.5.c.16.q.7.)etiamſi feræ captæ aliunde aſportentur, & mittantur in ſaltus magnæ vaſtitatis,vt ibi propagentur. Ratio eſt,quia in tam vaſto lacu, vel in vaſto nemore poſitæ, ſtatim ſuam naturalem libertatem conſequuntur,ac proinde ad nullius dominium pertinent,donec iterum capiantur.Tenebitur tamen ad arbitrium boni viri reſarcire damnũ, quod talis dominus incurrere iudicabitur propter feras eiuſmodi captas

Digitized by Google

captas in ipsius sylua, vel lacu, vbi ex talibus feris ipse voluptatem, vel vtilitatem solitus est percipere, vt rectè tradunt Med. C. de rest. q.12. Couar. in Reg. peccatum p.2. §. 8. n.11. & 12. Val. to.3. d.5. q.6. p.5. & Reb. p.2. de obl. l.1. q.14. sect.3.

QVÆSTIO IX.

Dices, Quantum circuitus debeat esse sylvæ circumseptæ, vt feræ censeantur iure naturali libertate frui?

1 SVnt, qui putent, debere esse Syluam duarum, vel trium leucarum.

At ego libentius adhæreo aliorum sententiæ, qui putant sufficere, si tantùm sylua circumvallata se extendat, quantum solet esse cursus feræ ad euadendum per fugam, cum à venatoribus agitatur. Ita Reb. p.1. de oblig. l.1. q.14. sectio.3.

19 Quintò dico quòd qui venatur, aut piscatur animalia egressa e loco, in quo erant inclusa, & à quo illa exire solent, modò habeant consuetudinem eundi, & redeundi, tenetur ea domino restituere. Ratio est, quia hæc animalia verè, & iustè possidentur à domino, & eorum egressus facilè impediri potest, & solet. Et est conclusio definita in l. Naturali §. seruos ff. de acquirendo rerum dominio. Et inst. de rerum diuisione §. in his autem animalibus vbi sic dicitur. In animalibus quæ abire, & redire consueuerunt, non amittitur dominium, & si verò hanc consuetudinem amiserint, desinunt esse domini, & fiunt capientis. Quod de animalibus, & auibus manuefactis, vel quæ non solent exire, vt sunt cuniculi, lepores, cerui inclusi, gallinæ, aut aliud animal domesticum intelligendum est: hæc enim animalia iam sunt apprehensa, & in possidentis dominio, etiam si aliquando vagentur. Ita Sot. l.4. q.6. art.4. Med. C. de rest. q.12. Couarr. in reg. peccatum p.2. §.8. nu.4. Cordub. in sum. q.119. Nau. ca.17. n.128. Arag. 2.2. q.62. a.3. Val. tom.3. d.5. q.6. p.5. Rode. p.1. sum. c.37. Mol. d.sp.50. Tolet. l.5. sum. c.20.

11 Sextò dico quòd qui aucupatur aues feraces seu liberas, vt sunt Perdices intra nemus alienum muris vallatum, ad nullam restitutionem obligatur. Ratio est, quia cum istæ aues liberè vagentur, nullo proprio loco contineri dicuntur, ac proinde fiunt primò capientis. Ita Ban. 2.2. q.62. a.3. Nau. c.17. n.129. & Arag. 2.2. q.62. ar.3. Quidquid velit Salon. 2.2. q.62. ar.3.

Septimò dico quòd qui venatur, aut piscatur animalia sylvestria exeuntia extra sepia nemoris, non tenetur illa restituere, etiamsi talia animalia fera consuetudinem habeant eundi, & redeundi ad nemora. Ratio est, quia ista animalia liberè vagantur, ergo communia sunt iure naturæ, ac proinde non manent sub dominio possessoris illius montis.

Tum quia iure gentium aues caueis inclusæ, quæ a custodia aufugiunt (nisi alas abscissas habeant, ita vt longe auolare non possint) pristinam libertatem assequuntur, atque ita cuiuscunque capiétis efficiuntur.

Tum demum, si Titius manucapiat auem & illa effugiat, quam post modum Caius accepit, censetur esse Caij capientis: ergo à simili postquam animal effugit syluam, potest possideri à quolibet capiente, & non manet sub dominio antiqui possessoris.

18 Octauò, & vltimo dico, quòd qui vi, aut arte aliqua allicit, & extrahit feras, aut pisces à locis, in quibus includuntur, non potest illas capere, & si illas capiat, peccat, & tenetur ad restitutionē, perinde ac si intra locum illas acciperet. Ita Ban. 2. 2. q.62. ar.3.

QVÆSTIO X.

Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione & aucupio?

1 AD hoc dico primò, quòd animalia naturali indole mansueta, vt boues, sues, anseres domesticæ &c. etiamsi longè aberrent, non licet venatione occupare. Ratio est, quia hæc licèt fugiant, non ob id tamen recuperant suam libertatem, cum natura sint domestica, ergo vbicunque reperiuntur, eorum dominium semper manet apud priorem dominum. Vndè si interficiātur, aut alia ratione pereant, carnes tamen eorum ad dominum spectant, adeò vt qui huiusmodi animalia capta a Lupo, vel à vulpe sua industria de eorum faucibus extraheret, teneretur ea domino restituere, estò peritura alioqui omninò essent, nisi ipse extraheret: pro labore tamen, & expensis in

extra

Digitized by Google

extrahendo ſolui iuſtum pretium à domino debet, quia vtiliter negotium illius egit. Et eſt concluſio definita in §. gallinarum Inſt. de rerum diuiſ. vbi dicitur, furtum cõmittere, qui hæc animalia cum effugerint, detinent. Ita Mol. d. 41. Leſſ. l. 2. c. 5. dub. 6. Rebel. p. 1. de obl. l. 1. q. 14. ſect. 1. & Ariſt. 1. Polit. c. 5.

2 Secundò dico, quòd animalia omnino fera, & ſylueſtria vt piſces, aues, &c. animalia vaga, ſi cuſtodiam euadunt, & in ſuã ſe recipiunt libertatem, cuique fas eſt ea proſequi, & capere, & fiunt primò occupãtis, ſiue ea in ſuo proprio agro, ſiue in communi, ſiue in alieno capiantur. Naturalem autem libertatem cenſentur recuperare, quando ita cuſtodiam euadunt, vt oculos domini fugiant, vel eſtò ſint in conſpectu domini, difficilis eſt tamen eorum comprehenſio, tunc enim ſunt extra domini poteſtatem, quòd ſi facilis ſit eorum proſequutio, & comprehenſio, non cenſetur eſſe extra dominium. Ita Mol. & Leſſ. vbi ſupra.

3 Tertiò dico, quòd animalia fera, ſeu ſylueſtria, quæ educatione manſueta reduntur, & certis temporibus abire, & redire in poteſtatem domini ſolent, vt pauones, cerui, columbæ, apes, &c. non licet occupare. Quando autem egreſſa non ſolent redire, amittitur dominium eorum, & fiunt primò capientis, non ſecùs, ac ſi nunquàm alicuius domini fuiſſent, etiamſi facilior aliquantulum ſit eorum comprehenſio. Ita Sot. l. 4. q. 6. a. 4. Nau. c. 17. n. 128. Cou. in Reg. peccatũ p. 2. §. 8. n. 14. & 15. Ban. 2. 2. q. 62. a. 3. Val. to. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Mol. d. 41. Arag. 2. 2. q. 62. ar. 3. Reb. p. 1. de obl. l. 1. q. 14. ſect. 1. Med. C. dereſt. q. 12. & Salon. 2. 2. q. 62. a. 3.

Tunc autem conſuetudinem redeundi cenſentur amiſiſſe, & fieri conſequéter primò capientis, ſi bis abeant. & non impediti diebus, & horis conſuetis non redeant, quia conſuetudo inducitur per binum actũ l. 3. c. de epiſ. aud. vt docet Nau. c. 17. nu. 128. Sylueſt. verb. inuentum q. 2. Leſſ. l. 2. c. 5. dub. 6. & Rod. p. 1. ſum. c. 37. Quod arbitror eſſe verum de columbis, non tamen de ceruis, & aliis, quæ interdum non longe vagantur, ſed in locis vicinis, & ſubvrbanis cõmorantur, aut per alienas domos diſcurrunt, & ſponte non redeunt, tamen facilè patiuntur ſe reduci, etiam ſi per octo aut quindecim dies aut per longius tempus non redeant, non proinde dicentur manſuetudinem, & conſuetudinem reuertendi amiſiſſe. Ita Mol. & Reb. ſupra.

4 Hinc accipi tres falcones, & ſimilia animalia, quando poſtquàm capta ſunt a Titio, & ab eo aliqua ratione, filo aliquo, vel funiculo agnita, alio effugerint non deſinere eſſe Titij, quamuis aſpectum, & cuſtodiam domini aufugerint, & ea Titius non perſequatur, quia eo ipſo quòd ſigna habent, vt cuius erant agnoſci poſſint, vſu receptũ eſt ad proprios dominos reduci debeant, quia in hoc caſu non cenſentur ad naturalem libertatem rediiſſe.

QVÆSTIO XI.

An fera percuſſa ab vno, & capta ab alio, ſit percutientis, an verò capientis?

1 COmmunis in hac re opinio eſt, eſſe percutientis, dummodò tria concurrant.

Primò vt vulnus ſit lethale, ſufficiensvè, vt caperetur.

Secundò, vt percuſſum inſequatur.

Tertiò vt moraliter ſit certum, quòd eam ſit capturus. Ratio huius eſt, quia per vulnerationem, & perſequutionem ius ad eam capiendam ac poſſidendam acquiſiuit. Secùs eſt, quando res eſt dubia, vtrùm fera eſſet euaſura: vel qui percuſſit, deſiit illam perſequi, tunc enim capienti adiudicanda videtur, cum in dubio æquali melior ſit cõditio poſſidentis, ſiue capientis. Cæterum ſi probabilius foret, non fore capiendam, niſi præcederet percuſſio, vel perſecutio, æquitas, & iuſtitia poſtulat, vt diuidatur, & eò maior pars alteri danda erit, quò maior cauſa extitit, vt caperetur, dominiũ tamẽ, & poſſeſſio ſolum eſt eam capientis, alter verò ſolùm habet ius tanquàm concauſa, vt ſibi aliquid ex ea concedatur. Ita Mol. d. 42. Leſſ. l. 2. c. 5. dub. 10. Rebell. li. 1. q. 14. ſect. 4. & Emanuel Sa in aph. conf. verb. venatio nu. 2.

QVÆSTIO XII.

An fera quæ in pedicula ab vno ad venandum, aut piſcandum expoſita inuenitur, ſit eius qui pediculam tetendit, an verò alterius, qui eam ibi inuenit, indeque eam extraxit?

1 Nauar.

1 NAu.c.17.n.176.& Coua.in Reg.peccatum p.2.§.8.nu.13. aſtruunt eam eſſe extrahentis illam de pedicula,fundamentum eorum eſt, quia putant non acquiri dominium feræ niſi per apprehenſionem: is autem qui pediculas tetendit,nondum apprehendit,ergo.

Cordub.in ſum.caſuum q. 119. exiſtimat in his ſtandum eſſe conſuetudini loci, & iuxta illam iudicandum, cum in his conſuetudo ſit præſtantiſſima legum interpres.

2 Mihi verò longè plus probatur eorum opinio qui docent eam eſſe eius qui pediculas poſuit,moueor autem ex eo, quòd is eam apprehendit, & occupauit per ſuum inſtrumentum, adempta ei libertate naturali,quæ apprehenſio videtur ſufficiens, vt ipſi ſoli tota præda debeatur: ſicut enim manibus, ita inſtrumentis aliquid apprehendere poſſumus, & in noſtram poteſtatem redigere. Secùs eſt, quando fera erat euaſura tunc enim eſſet eam capientis,quia tunc non peruenerat omninò in poteſtatem eius,qui tendiculas tetendit,nec eam habiturus erat.Si verò fera ita erat irretita, vt euadere probabiliter poſſet, tunc qui eam de tendicula eximeret,ſolùm reſtituere teneretur domino laquei partem feræ maiorem,vel minorem pro quantitate probabilitatis, quæ erat,illam eſſe in poteſtatem tendentis laqueos deuéturam.Ita Mol.d.41. Reb.p.1.de obli.lib.1.q.14.ſect.4.Leſſ.l.2.c.5. dub.11.& Eman.Sà verb.venatio nu.1.

QVÆSTIO XIII.

Sed quidèſi venator percutiat, vel occidat feram,& antequàm illam manucapiat, aduenìat dominus ſyluæ volens eam ſibi aſſumere?

1 REſpondeo dominum habere ius ad illam accipiendam. Ratio eſt, quia vſque dum capiatur à venatore, non eſt illius. Et eſt concluſio definita in l.naturalem.§.illud. ff. de acquirendo rerum dominio.Vbi dicitur quòdvenatores per captionem comparant ſibi dominium. Si tamen venator inſequatur feram lethali vulnere percuſſam,quam facilè poteſt inuenire,non ſunt illius loci domini, quia occiſio, aut percuſſio tribuit ius quaſi in via, & in ſpe.

2 Hinc,ſi fera ab vno agitata, in pediculam alterius incideret,tunc eſſet diuidenda inter venatorem,& eum qui pediculam expoſuit pro ratione operæ ab vtroque impenſæ,ſi nec ſola agitatio,nec ſola pedicula alterius ad eam accipiendam ſufficiebat. Quòd ſi agitatio ſatis omninò erat, vt caperetur,tunc cum alterius pedicula,inquam caſu incidit,ad hoc vt caperetur, per accidés ſe habuerit, perſequés verò ius ad ferã acquiſiuiſſe videatur, non erit diuidenda, ſed tota erit perſequentis.Ita Mol.tom.1.de iuſt.d.43.& Reb.p.1.de obl.l.1.q.14.ſect.4.

QVÆSTIO XIV.

An in caſu,quo dominus fundi vendit, vel locat alteri ius ſuum venandi in fundo,ſi alius contra iuſtam prohibitionem in eo fundo venetur,capta fera ſit capientis, an verò pertineat ad dominum, vel vſufructuarium fundi?

1 REſpondeo fieri capientis. Ratio eſt, quia ex hoc, quòd ius venandi in fundo eſt alteri venditum,vel locatum, eo ipſo dominium animalium, quæ in eo fundo capiantur,non factum eſt emptoris,quia nemo vendere poteſt id quod non habet: ſed dominium huiuſmodi animalium non erat penes dominum fundi,vel vſufructuarium, ergo huiuſmodi dominium non eſt venditum,vel locatum alteri,ſed ſolùmvenditum eſt ius,quod dominus fundi habebat venandi in eo fundo, & prohibendi alius venationem.

QVÆSTIO XV.

An quando fructus fundi conſiſtunt in venatione, tunc animalia ſic capta contra iuſtam prohibitionem pertineant ad dominum fundi?

1 SVnt multi qui exiſtimant pertinere ad dominum fundi. Ratio eorum eſt, quia ſunt fructus fundi.

2 Mihi tamen,cum eorum bona venia oppoſitumvidetur tenendum.Et ratio eſt,quia dicta animalia ſemper ſunt in ſua libertate naturali, ergo ſunt primò occupantis.

Fundamentum autem primæ opinionis intelligitur de fructibus, quos ipſa natura fundi producit:at animalia non ſunt huiuſmodi, quia fundus animalia non fert, vt cæteros fructus, ſed ipſa per maris & fœminæ coniunctionem ſe progignunt. Aliud enim

Digitized by Google

enim in fundo illo, aliud verò ex fundo illo huiusmodi animalia generari.

Dices, in l. item si fundi §. aucupiorum ff. de vsufructu, habetur, fructus venationis ad vsufructuarium fundi pertinere.

3 Resp. ex ea lege solùm habere vsufructuarium habere ius venandi in eo fundo in quo vsufructum habet, nec posse à proprietario prohiberio, ne in ibi venetur.

QVÆSTIO XVI.

An examen apum considentium in arbore sit eius, cuius est arbor, an verò capientis?

1 REspondeo esse capientis. Ratio est, quia cum apes natura sint syluestres, nullius sunt, quousque capiantur, vel in aluearibus includantur. Sicut enim auis non ideo fit Titij, quia in eius arbore nidificat, ita nec examen apum, quia ex arbore Titij pendet suum est, potest tamen Titius alium prohibere, ne agrum suum ingrediatur, vel arborem conscendat. Ita Less. lib. 2. c. 5. dub. 6. Nau. c. 17. n. 129. & Mol. d. 41.

QVÆST. XVII.

An columbaria sint licita?

1 IN hac quæstione Palud. in 4. d. 15. q. 2. art. 2. Io. Maior ibidem q. 28. D. Ant. p. 2. t. 1. c. 12. §. vlt. Caiet. in sum. verb. columbarium, Iosephus in suis Flor. 4. sent. q. de rest. & multi alij ea tanquàm illicita omninò damnant, quia videntur nocere seminibus agrorum circumcirca. Ex quo inferunt columbariorum dominos restituere teneri damna quæ colũbæ tempore messis, & dum semina terræ mandantur, aliis inferunt.

2 Communis tamen, & verior sententia est asserentium columbaria esse ordinariè licita, nisi lege aliqua sint prohibita.

Primò quia consuetudo cui nulla lex aduersatur, id passim permittit.

Secundò quia non constat, quòd columbæ graue damnum inferant satis.

Tertiò quia vermes comedunt, qui solent seminibus nocere.

Quartò quia suo stercore agris etiam prosunt.

Quintò quia non minùs vescuntur seminibus prauis, quæ fata suffocant, vt Lolio, vitia Syluestri, melanthio, aliisque eiusmodi, quàm bonis.

Sextò quia experientia teste, non comedunt grana operta terra, sed quæ super terram manent, quæ nullius quoque vtilitatis erant futura.

Septimò quia nisi haberentur columbaria, esset maior numerus Syluestrium, vt Coturnicum &c. quia pauciores caperentur, & ita magis deuastarent agros.

3 Octauò, & vltimò, quia columbaria sunt in bonum publicum nimirum hospitum, peregrinorum, & viatorum. Verùm dominus columbarij, si circum circa agros non habet, in quibus communiter columbę pascantur, tenetur eis semper sufficiens pabulum administrare, sic enim minus nocere possunt. Sic sentiunt. Sylu. verb. rest. 4. q. 4. Nauar. c. 17. n. 126. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 3. Cord. in sum. q. 121. Arag. 2. 2. q. 62. art. 3. Mol. d. 48. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 8. num. 15. Valentia tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Tolet. lib. 5. sum. c. 20. Rebell. p. 1. de obligat. lib. 1. q. 14. sect. 3. Nec suffragatur Sot. lib. 4. q. 6. art. 4. quando pabulum suppeditatur.

QVÆST. XVIII.

An qui alienas columbas capit, & occidit peccet, & ad restitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò, quòd qui aucupatur columbas intra alienum columbarium, aut verò prope ipsum, mortaliter peccat, & tenetur restituere, & damnum, & columbas. Ratio est, quia columbæ istæ sunt sub dominio possessoris columbarij duplici titulo.

Primò quia ibi recluduntur, & quasi domi reseruantur.

Secundò quia peculiari custodia, & cura sustentantur. Ita Reb. p. 1. de oblig. lib. 1. q. 14. sect. 3.

2 Secundò dico, quòd qui alienas columbas longè extra columbarium volitantes occupat, peccat mortaliter, si damnum notabile sit, & ad restitutionem damni obligatur. Ratio est, quia ex quo ad proprium locum redire soleant, eorum dominium semper apud dominum columbarij manet, in quo habet domicilium. Ita Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 10. & alij.

3 Tertiò dico, quòd qui extra spatium à lege decretũ columbas aucupatur, nõ peccat, nec ad restitutionẽ obligatur. Ratio est,

Digitized by Google

quia extra illud ſpatium columbæ cenſentur ad libertatem naturalem reduſſe. Ita Salon. 2.2. q. 65 art.3. Tolet. lib. 5. ſum. c. 20. Ban.2.2.q.62. ar. 3. Mol. tom.1. de iuſt. d. 50.& Arag. 2. 2.q. 62. at. 3. licet Cord. in ſumma caſuum conſcientiæ q. 121. eiuſmodi legem,quæ concedit extra periodum poſſe quemuis eas aucupare, credat. eſſe permiſſiuam, concedendo illam aucupantibus impunitatem, & dominis negando earum repetitionem in iudicio, non excuſantem à reſtitutione in foro conſcientiæ. Verùm contra communerem ſentit.

Quartò dico, quòd qui peculiari artificio, vel modo vtitur vt alieni columbarij columbas extrahat extra periodum lege præſcriptam, vt ità pertractas capiat, vel occidat,peccat mortaliter, cum obligatione reſtituendi quod accipit.Ratio eſt, quia ex quo huiuſmodi columbæ ad alterius dominum pertineant, ſicut reus eſt furti, qui eas inuito domino ex columbario auferret, ita etiã eodem inuito arte aliqua procurare, vt in damnum ipſius priſtinum columbarium deſerant; niſi fortè id faciat cauſa compenſationis licitæ, vel ad debitam ſuarum conſeruationem,ſine aliorum præiudicio. Ita Mol. tom. 1. de iuſt. d.50. Nauar. in Man. c. 17. nu. 128. Cord. in ſum. caſuum. q. 121. Couar. in Reg.peccatum p. 2. §.1. nu. 15. Med. C. de reſt. q. 12. & Rebell. p. 1. de oblig.l.1.q.14.ſect. 3.

4 Quintò dico, quòd qui per fraudem, & dolum certa ſemina in ſuo columbario ſpargit, eo fine vt columbas ex aliorum columbariis ad ſuum columbarium alliciat, peccat mortaliter, tenetúrque eas, & damnum illatum reſtituere. & Ratio eſt, quia vti fraude,& dolo ad alliciendas aliorum columbas eſt iniuſtitia, & damnum proximi. Ita Salon.2.2. q. 62. art.3. & Mol. t.5.de iuſt.& iure. d. 50.

Sextò dico, quòd qui columbarium habens,columbas optimè paſcit,& per accidens alieni columbarij columbas ad ſuum columbarium inuitat, vbi ibi ſuum collocet domicilium, non peccat, nec ad aliquam reſtitutionem obligatur. Ratio huius eſt, quia iure ſuo vtitur, nimirum paſcit ſuas columbas optimè, & per accidens aliorum columbæ eò conuolant vbi benè paſcuntur, vt ſentit Molina diſp.50.

5 Imò ſi ſuas columbas optimè aleret, eo animo vt alieni columbarij columbas inuitaret, ad nullam reſtitutionem teneretur,quia licèt ex parte intentionis poſſit eſſe peccatum contra charitatem,nulla tamen eſſet contra proximum iniuſtitia,cum nihil aliud faciat, niſi ſuas columbas benè paſcere, vt tenet Azor.p.3.in tr.moral. l. 5.c. 16. quæſt. 11.

6 Septimo dico, quòd qui habet ſata intra periodum à lege præſcriptum,& inuenit columbas ſata conculcantes,poteſt eas licitè capere, & occidere. Ratio eſt, quia vnicuique eſt licitum proprium damnum propulſare,quod niſi captis columbis cõmodè fieri nò poteſt. Ita tenet Ara.2.2.q.6.

Octauò dico, quòd qui extra periodum ſic decretum, inſtrumentis venatoriis lege prohibitis alieni columbarij columbas aucupatur, peccat venialiter vtendo talibus inſtrumentis, columbas tamen captas non tenetur reſtituere.Ratio eſt,quia per vnius legis tranſgreſſionem ius per alteram legem conceſſum non tollitur, niſi aliter in lege cautum ſit. Ita Mol. d. 50.

7 Nonò, & vltimò dico.quòd ſicut peccat,qui non habens columbarium, vendat aues illicitè acquiſitas, ita qui eas emunt ab illis, tenenturque ementes diligenter inquirere, vt ſciant an verè ſint furtiuæ, an non, vt eas domino reſtituant. Quòd ſi facta morali inquiſitione, neque an alienæ ſint,neque de domino earum quicquam certi inuenire poſſint,pro quantitate dubij tenentur in venditoris defectum, pauperibus,vel præſumpto domino valorem earum reſtituere. Sin autem bona fide eas emerint,ac conſumpſerint,& deinde nouerint alienas fuiſſe, ſimiliter in defectum venditoris tenetur reſtituere id in quo facti ſunt ditiores. Ita Cord. in ſum. caſuum q. 71.& 121. & Molina diſp. 50.

QVÆSTIO XIX.

Quid ſi columbæ capiantur intra periodum vnius columbarij, nihilominus ſint alterius columbarij, quod eſt extra periodum?

1 REſpondeo fieri poſſe,nisi hominis ratio poſſe euenire vt id ſciatur,in dubioque præſumendum eſt eas eſſe eius columbarij quod eſt ſitũ intra periodũ.

2 Denique pro complemento huius materiæ aduertendum eſt, quod qui venando etiam in locis licitis,equis,canibus,pedibus ſuis,vel famulorum damna inferũt prædis, aut

aut satis alienis.dum feras quærunt,aut insequuntur,peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur.In defectum autem eorum, qui sunt venationis authores, quales solent esse domini, qui alios ad venandum deferunt, famuli qui damnum aliquo modo dederunt, licet non fuerint præcipua causa, restituere tenentur. Vt docet Mol. disp.52.Nauar.cap. 17. num. 225. & Lop. p. 1. inst. confess. cap. 148. Et hæc de venatione, piscatione, & aucupio Theologo sufficiant.

DE RESTITVTIONE FACIENDA AB IIS QVI LIGNA CÆDVNT, VEL pascunt animalia in syluis,vel pascuis alienis.

DISPVTATIO TRIGESIMAPRIMA.

DE hac materia tractant Theologi in 4.dist.15.Sot.lib.4.de iust.q. 6. art. 4. Mol.tom.1.de iust.d.58. Ban.2.2.q.62. art.3.Valent.tom.3.d.5.q.6.p. 5. Arag. 2.2.q. art.3.Cordub.in sum.casuum q.71. Less.lib. 2.de iust.cap.5.dub.13. Rebell.p.1.de oblig. lib.1.q.14.sect.1.Tolet.lib.5.sum. cap.20. Salon.2.2.q.62.art.3.Lop.p.1.inst: conf. c. 149. Med.C.de rest.q.12.Roder.p.1.sum.c.37.Nauar.in Man.c.17.n.121.Sûmistæ vero vt Ang. Sylu.Tab.Arm.& alij verbo furtũ. In cuius explicationem primo inquirendum est.

QVÆSTIO I.

An iustè prohiberi possit pastio,& liguatio in pascuo,vel sylua Reipublicæ ?

1 RESp. Rempublicam posse id iustè prohibere,etiam suis ciuibus saltem secundùm certum modum, & mensuram v.g.ne tali loco, tali tempore pascant, ne talem exscindant stirpem,ne maiorem molem lignorum auferant. Causæ autem huius prohibitionis potest esse triplex.

Prima est vtilitas publica ne scilicet sylvæ quæ maximè necessariæ sunt ad bonum commune omninò pereant.

2 Secunda est recreatio Magnatum, scilicet vt Princeps, aut Magnates qui sua studia in Rempublicam conferunt, habeant aliquod solatium,quo proprios animos relaxent.

3 Tertia verò causa est particularis proprietas,quia scilicet sylua quæ interdicitur est propria interdicentis,vnusquisque enim dominus iustè potest prohibere,ne quis in suo prædio sua pecora pascat, vel ligna scindat.Ita Mol. disp.58.Arag.2.2.q.62.art.3. Less.lib.2.c.5.dub.13.& Rebell.p.1.de oblig. lib.primo,q.15.sect.1.

QVÆSTIO II.

An qui ligna cædunt, vel pascunt sua pecora in loco probibito peccent, & ad restitutionem teneantur in foro conscientiæ ante omnem Iudicis sententiam ?

1 IN hac graui,vtili, & perdifficili quæstione dico primò,quòd qui ligna cædit, vel pascit sua pecora in nemore iustè prohibito,tenetur ad pœnam legis,sed non antequam sit comprehensus, & à Iudice sententiatus. Ratio est, quia lex pœnalis non obligat ad soluendam pœnam ante Iudicis sententiam. Ita Arag.2.2.q.62.art.3. Mol.disp.58. & Rebell.p.1. de oblig.lib.1.q. 15.sect.1.

2 Secundò dico,quòd qui ligna cædit,vel pascit sua animalia in nemore iniustè prohibito, non tenetur aliquid restituere, vel pœnam soluere, etiam post latam sententiam Iudicis. Ratio est,quia iste cædendo, vel pascendo nullum peccatum contra iustitiam committit, ergo nec ante, nec post Iudicis sententiam remanet alicui restitutioni obnoxius.Ita Nau.c.17.n.123.Roder.p. 1.sum.c.37.Arag.2.2.q.62.a.3.& Mol.disp.58.

Tertiò dico, quòd qui contra iustam prohibitionem ligna cædit, vel pascit armenta in loco proprio suæ Reipublicæ,non peccat mortaliter,nec ad restitutionem tenetur-nisi magnam stragem, hoc est graue damnum in communi nemore faciat ligna scindendo.Ratio est,quia iste nihil de alie-

Digitized by Google

no, sed de iis quæ sibi cum cæteris ciuibus communia sunt accipit.

4 Tum quia in huiusce rebus communibus non censetur notabilis iniuria committi per eum, qui alias ius habet, nisi forte enorme damnum inferatur, tunc enim, & peccaret mortaliter, & ad restitutionem teneretur, cum magnam iacturam inferret Reipublicæ. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 5. dub. 14. Ban. 2.2. q.62. ar. 3. Tolet. l. 5. cap. 20. Sot. lib. 4. q. 6. ar. 4. Molina. disp. 58. & Rebell. p. 1. de obligat. lib. 1. quæst. 15. sect. 1.

Is autem cum moderamine ligna scindit, qui ad vsus suos domesticos, vel ad vendendum aliquod modicum, quo sibi de necessariis prouideat, accipit. Salon. 2. 2. q. 62. art. 3. Imò Lop. parte prima, inst. conf. c. 149. putat cædentem ligna in loco proprio suæ Reipublicæ ad domum fabricandam, quando sylua esset ampla, & abundans, non peccare, nec ad restitutionem teneri. Ad pœnam tamen post sententiam condemnatoriã soluendã tenetur.

5 Quartò dico, quòd qui contra iustam prohibitionem scindunt ligna, vel pascunt greges in sylua Reipublicæ alienæ, cuius incolæ hoc idem facere consueuerunt in sylua Reipublicæ, dummodò magnam stragem attentis circunstantiis non inferant, excusantur tum à culpa mortali, tum ab onere restitutionis. Ratio est, quia Respublicæ illæ vicinæ, quæ ita vicissim prædas agunt, tacito quodam consensu videntur sibi furta illa condonare, dummodò capti, & condemnati pœnam soluant. Ita Arag. 2.2. q. 62. ar. 3. Tolet. lib. 5. c. 20. Molina disp. 58. Less. lib. 2. c. 5. dub. dub. 14. & Rebell. l. 1. q. 15. sect. 1.

6 Quinto dico, quòd qui ligna cædunt, vel pascunt animalia in loco Reip. alienæ, cuius habitatores non possunt idem facere in nemore suæ Reip. peccant pro ratione rei ablatæ, vel damni illati (quod sæpè multo pluris est quam res succisa valeat) & tenentur in conscientia ad restitutionẽ acceptorum ante Iudicis sententiam, ad solutionem verò pœnæ postquam capti, & condemnati sunt, obligantur. Ratio huius est, quia accipiunt alienum inuito domino rationabiliter.

7 Quod intellige nisi Resp. in suis syluis damnum perpessa, sola pœna captorum in furto esset contenta, quia tunc a restituendi obligatione erunt immunes. Vt docet Sot. lib. 4. q. 6. ar. 4. Arag. 2.2. quæst. 62. a. 3. Tolet. l. 5. c. 20. Salon. 2. 2. q. 62. a. 3. Cord. in sum. q. 71. Less. lib. 2. c. 5. dub. 14. & alij.

Sextò dico, quòd qui in extrema, vel necessitate cõstituit ligna cædunt in syluis priuatorum hominum, quas sine propria eorum industria ex solo dono, aut concessione Principis acceperunt non peccant, nec ad aliquam restitutionem obligantur, sed ad solam pœnam accedente condemnatione. Ratio est, quia syluæ, & alia huiusmodi, quæ sua sponte natura gignit, fuerunt initio iure naturæ communia, ac proindè non debuerunt particulari dominio alicuius deputari, nisi citra detrimentum singulorum in extrema, vel quasi extrema, aut graui necessitate istiusmodi rerum. Ita Salon. 2.2. 62. ar. 3. Sot. lib. 4. c. 6. a. 3. Nau. c. 17. nu. 122. & Med. C. de rest. q. 12.

8 Septimò dico, quod qui inuito domino ligna in sylua particularium hominum cædunt, & in illa oues, & armenta pascunt quam constat, dominium illius, aut antecessores suos propria industria, & expensis plantasse, siue locus ille sit vallo septus, siue non, peccatum furti committunt, & ad restitutionem tenentur, non solùm rei, quam acceperunt, sed etiam lucri cessantis secundùm Sylvest. verb. emptio q. 6. quando excisione illarum arborum, lucrũ quod ex illis sperabatur, si succreuissent, præpediunt. Ratio huius est, quia alienum inuito domino accipiunt, cum arbores in hoc casu non communes, sed particulares sint. Ita Val. to. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Arag. 2.2. q. 62. ar. 3. Tolet. li 5. c. 20. Lop. p. 1. inst. conf. c. 149. Med. C. de rest. q. 12. Mol. d. 58. Sot. li. 4. q. 6. a. 4. Cord. in sum. q. 71. & alij communiter.

Sufficiens autem quantitas ad constituendum peccatum mortale furti in hoc casu est integrum arborem detruncare vt tenet Ban. 2.2. q. 62. ar. 3.

9 Octauò dico, quòd idem videtur dicendum de fructibus arborum syluestrium, quod dictum est de lignis, ità videlicet, quod in syluis, in quibus licet ligna cædere, licebit etiam fructus eorumdem lignorum colligere. In syluis autem in quibus non licet ligna cædere, neque fructus eorum colligere licebit. Ratio est, quia fructus sequitur naturam, & conditionem arboris, eodemque modo applicantur suis dominis, quo arbores ipsæ applicantur, vt tenet Salon. 2.2. q. 62. art. 3.

10 Nonò

10 Nonò dico,quòd quando ſyluæ ſunt Dòminorum vrbium,puta Ducum, Principum &c. tunc nec etiam licet in eis ligna cædere, obligaturque tranſgreſſor aliquid reſtituere,non tamen ita ſtrictè,ac ſi locus eſſet alicuius hominis priuati. Vndè poſſunt pauperes in eiuſmodi ſyluis ligna cædere ad vſum neceſſarium ſuæ familiæ. Et ratio eſt,quia arbores quas terra ſua ſponte procreat, non ſunt tamen propriæ, ac pecuniæ in arca reconditæ. Vt docet Sot. lib.4.quæſt.6. ar. 4. Tolet lib. 5. cap. 20. & Ban.2.2.q.62. art.3.

11 Decimò,& vltimò dico,quòd ementes ligna ab huiuſmodi inuaſoribus alienarum ſyluarum, in caſibus in quibus huiuſmodi fures lignorum immunes ſunt à reſtitutione, ipſi etiam à reſtitutione ſunt liberi. In caſu autem quo venditores ea reſtituere tenentur, & ipſi quoque emptores ad ea ipſa reſtituenda, vel eorum valorem ſunt obnoxij,& hoc quando venditores non habent bona,vnde ſoluant,idque emptoribus innoteſcit, quia ſi venditores ſint habiles ad reſtituendum,tunc hæc vſu conſumptibilia titulo oneroſo v. g.venditionis comparata in ſua ſpecie non ſunt reſtituenda, ſed eorum valor, aut à venditore ſi habet vnde ſoluat,aut ex eius defectu ab emptore reſtitui debet. Ita Lop. p.1. inſt.confeſſ. c. 149. Roder. p. p. ſum. c. 38. concl.6. & Corduba in ſum. caſuum conſcientiæ q. 71.

12 Ex quo colligitur primò, quando fulminatur excommunicatio contra cædentes ligna, & paſcentes ſua armenta in locis alienis, ſolùm obligant illos, qui cædendo,& paſcendo peccant mortaliter, & ſub eodem reatu tenentur ad reſtitutionẽ. Ratio eſt, quia maior excommunicatio ſolùm ligat peccantes mortaliter.Vndè Prælati peccant qui contra huiuſmodi ſyluarum inuaſores concedunt excommunicationes, quia iſta peccata, & ſi ſint mortalia contra iuſtitiam commutatiuam,ſunt tamen communia, & frequentia, pro quibus iuxta decretum Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reformat. cap.1.non licitè feruntur excommunicationes. Ita Ban. 2 2. q. 62. ar.3.

13 Secundò colligitur, quòd qui accipit, occidit, aut grauiter percutit pecus alienũ domeſticum, quod inuenit in ſuis prædiis peccat mortaliter, & ad reſtitutionẽ tenetur.Ratio eſt,quia dominus prædij ſolũ ius habet illud fugandi, aut includendi, donec damnum ſibi à domino reſtituatur,niſi conſuetudo, priuilegium, vel aliquod ſtatutum aliud ordinaret. Tantum tamen damnum ſuis ſatis ab eo inferri poteſt, vt ſit pauper nec via ordinaria ſatisfactionẽ à præpotente diuite animalis domino ſperare poſſit, vt fas ſit ei in hoc caſu illud occidere.præſertim ſi non magni momenti ſit, vi repellendo, & ſe indemnem ſeruando. Ita Nauar. c. 17. nu. 120. Roder. in ſum.q.37. n.6. & Rebel.p.1. de oblig. lib.1. q. 15.ſect. 1.

QVÆSTIO III.

An quando Princeps vendit,vel locat loca cõmunia, teneatur ad reſtitutionem qui tunc ligna cædit vel ſuos greges paſcit?

1 SVnt qui cenſeant, eum non obligari ad reſtitutionem, eo quòd putant huiuſmodi emptione, vel locatione ligna cædendi, vel paſcendi,ſolùm vendi vel locari ius ad pœnas exigendas per ſententiam condemnatoriam, quoniam id iuris habet Princeps.

2 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium. Et ratio eſt, quia bona communia emptione, vel locatione ſunt facta propria alicuius quantùm ad vſum.

Tum quia Princeps ob bonum publicũ authoritatem habet, non ſolùm vendendi ius ad pœnas,ſed etiam vſum, & commodum bonorum alioqui communium. Hanc ſententiam ſequuntur Med.C.de reſt. q.12. & Azor. lib.5.c.17.q.2.

QVÆSTIO IV.

An furtum committat qui poſt collectas fruges & fructus,armenta ſua paſcit in alieno agro tempore quo ager vacat à ſemine,& frugibus?

1 VIdeo quoſdam tenere hunc nullum peccatum committere.

Aliorum tamen omnium opinio eſt,eſſe peccatum. Ratio eſt,quia herba ſponte ſua naſcẽs in agro meo,mea eſt.l. qua ratione & l.adeo §.fin.de acquir.rerũ domino &c.

Tum quia dominus agri poteſt vendere,locare,falce ſecare,aut propriis armentis paſcendis ſeruare huiuſmodi herbam.

2 Sed hi facilè conciliari poſſunt,ſi dicamus primã opinionem eſſe veram in caſu, quo dominus agri nec percipit, nec intẽdi

percipere fructum vel vtilitatem ex huiuſmodi herba. Secundam verò opinionem eſſe veram in caſu, in quo dominus fundi percipit, aut vult percipere vtilitatem ex herba ſpontè ſua naſcente in fundo.

QVÆSTIO IV.

An cuſtodes agrorum, ſyluarum, montium, fluminum, lacuum, paſcuorum, lignorum, peccent mortaliter, & ad aliquam reſtitutionem teneantur, qui non denunciant eos qui in locis prohibitis venantur, paſcunt, & ligna cædunt?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi tyrannicè, aut iniuſtè vetita ſit piſcatio, venatio, aut lignorum cæſio, proculdubiò cuſtodes ad hoc deputari non tenebuntur ſic venantes, aut ligna cædentes apprehendere, nec eos denuntiare, non obſtante iuramento per eos præſtito, quod in hoc caſu non eſſet obligatiorium, quandoquidem vinculum iniquitatis eſſe non debet, quin potiùs in malis promiſſis fides reſcinenda venit. Ita Med. C. de reſt. q. 12.

2 Secundò dico, quod ſi prohibita ſit iuſtè, tunc cuſtodes iurati, vel ſola fide aſtricti ſuum officium fideliter agere tenentur, & ſi aliter agunt, quia nimirùm non denuntiant huiuſmodi transgreſſores, peccant mortaliter contra iuramentum ab eis emiſſum. Poſſunt tamen cuſtodes non obſtante tali iuramento, & prohibitione legitima quandoque cum prædictis ſine culpa, & onere reſtituendi diſſimulare modò hęc tria concurrant.

Primò, quòd hi qui aliena de locis vetitis capiunt, tanta ſint neceſſitate preſſi, vt à culpa excuſentur, quæ eſt extrema, vel quaſi extrema, vel grauis ſaltem ita vt vix poſſint aliter vitam ſuam, & ſuorũ conſeruare, quia tũc dominus in ipſa rerum ſuarũ captura, non eſſet rationabiliter inuitus.

Secundò quòd capientium indigentia ſit ipſis cuſtodibus nota, nam ſi ignorarent, aut dubitarent de eorum neceſſitate, tenerentur eos denuntiare, in dubio enim tutiora eligenda ſunt.

3 Tertiò quòd non permittant eos plura capere, quam neceſſitas eorum exigit. His igitur concurrentibus ſi cuſtodes diſſimulent, non peccant, nec reſtituere tenentur, etenim charitas id exigit cui nulla promiſſio, aut iuramentum aduerſari debet.

Tertiò dico, quòd quando venantes, ligna cædentes, piſcantes locis prohibitis peccant, & ad reſtituendum damnũ tenentur, tunc ipſis non reſtituentibus tenentur in ſolidum facere cuſtodes, ſi per negligentiam ſui muneris ſunt cauſa, vt locorum domini huiuſmodi damna patiantur. Ratio eſt, quia ex officio, & ſpeciali obligatione tenentur dominos ſeruare indemnes, vt docet eleganter Med. C. de reſt. q. 12. Cordub. in ſumma caſuum q. 66. & Valent. p. 3. d. 5. q. 6. p. 5. licèt ſecundum Nauar. acceptum pro diſſimulatione reſtituere non teneatur.

4 Quartò dico, quòd quando is, qui illicitè ligna cædit, aut venatur iuxta patriæ leges nõ niſi ad pœnæ ſolutionem tenetur poſt Iudicis ſententiam (puta quia id facit in Sylua ſuæ Reipublicæ) tunc cuſtodes non denuntiantes tenentur etiam ante ſententiam declaratoriam damna illata reſarcire. Ratio eſt, quia cuſtodes tenentur ex officio bona domini illæſa cuſtodire. Ita Valentia tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. & Med. C. de reſt. q. 12.

5 Quintò dico. quòd in omnibus aliis caſibus à prædictis, in quibus cæſor lignorum, aut venator nec peccat, nec ad aliquid reſtituendum tenetur, cuſtodes quoque tũ à peccato tum ab onere reſtituendi immunes erunt, ſi id fieri permittunt ſcientes eſſe cauſam iuſtam id faciendi, puta quia inueniunt cæſores eſſe conſanguineos, aut amicos domini prædictorum locorum, quos probabiliter credunt ex tacito conſenſu domini id facere. Nauar. c. 17. num. 122. & Med. q. 12.

6 Sextò dico, quòd cuſtodes qui cum venatoribus, aut lignorum cæſoribus diſſimulant, ſe abſcondentes, vt hac ratione eos in flagranti crimine deprehendant. peccant mortaliter. Ratio eſt, quia ex charitate tenentur impedire, cum poſſint, & debeant ne proximus peccet, & pœnam incurrat: pœnam autem quam trangreſſores ob eorum conniuentiam incurrunt, reſtituere non tenentur. Ratio eſt, quia huiuſmodi damnũ cuſtodes ex officio, ac proindè ex iuſtitia impedire nõ tenẽtur, obligatio autem reſtitutionis ſolùm ex violatione iuſtitiæ naſcitur. Secùs verò ſi cuſtodes ita ſe abſcondant, vt tranſgreſſores qui antea furari ſoliti ſunt, hoc ſaltem modo deprehenſi, & puniti de cetero in futurum abſtineant,

Digitized by Google

ſtineant,nec magnum damnum eis permittitur inferre , quia tunc hac circumſtantia concurrente officium fidelitatis erga dominum , & charitas contra tranſgreſſores definit tunc obligare cuſtodes ad impediendum tale delictum , quo ſcilicet plura ſimilia impediantur ea ratione. Ita Nau. c.17.n.123.Valen.p.3.d.5.q.6.p.5.Med.q.12.& Lop.p.1.inſt.conſ.c.148.

7 Septimò,& vltimò dico,quòd ſi tranſgreſſores deprehenſi à cuſtode in flagranti delicto poſtulentur reddere pignus , tenentur in conſcientia illud exhibere. Ratio eſt, quia cum hic cuſtos ſibi ab habente poteſtatem conſtitutus ſit , miniſter eſt legis , & executor illius , poſtulans verò pignus , incipit legem exequi , & tranſgreſſores illud exhibentes,illam legis pœnam luere incipiunt.

Dixi(in flagranti delicto) quia quando delictum eſt dubium , non tenebuntur tranſgreſſores exhibere pignus, niſi Iudex iuſſerit. Ita Salon.2.2.q.62. art. 3. Hæc ſatis eſt attigiſſe.

DE RESTITVTIONE EORVM, QVÆ PER LVDVM ACQVIRVNTVR.

DISPVTATIO TRIGESIMASECVNDA.

DE hac materia differunt Theologi in 4.diſt.15.D.Tho.2.2.q.32. art.7.& q.168.& ibid.Illuſtriſſ. Caiet. & in ſum.verb.ludus Sot.lib.4.q.5.a.2. Salon.2.2. q.5.ar.6.Io.Med.C.de reſt.q.22. Cou.in reg. peccatum p.2.§.2.Leſſ.li.2.de iuſt.c.26.Ban. 2.2.q.32.art.7. Valen.to.3.d.5.q.6.p.5.Lop.p. 2.inſtr.conſ. c. 34. Arag.2.2.q.32.art.7.Bart. Med.lib.1.inſt.conſ.c.14. §. 28. Nau.in Man. c.20.Roder.p.1.ſum.c.189. Tolet. lib.5.c.27. Rebell.p.2.de oblig.lib.12.q.1.Mol.tom.2.de contr. d. 510. Summiſtæ vero vt Ang. Tab. Sylueſt.Piſan.Arm.& alij verb.ludus.

1 Vt autem ea omnia, quæ Auctores in tota hac diſputatione tradunt , manifeſta fiant, obſeruandum eſt primò quòd ludus, & iocus eſt operatio exterior principaliter facta ad recreandum animum per voluptatem,vt ex Ariſt. docet S.Thom.2 2.q. 168.art.2.& dicitur ludus cum fit factis,iocus cum fit verbis.

Dixi notanter(principaliter ad recreandum animum) quia qui magis fit ob lucrum, vel alium finem, quam ob animi relaxationem potiùs eſt negotiatio.quàm iocus, vel ludus, quæ negotiatio ratione circumſtantiarum ferè ſemper mala eſt,vt poſt alios tradit eleganter Nauar.c.20.n.3.

2 Secundò eſt obſeruandum quòd ludus, alius eſt,in quo magis fortuna regnat quam robur,& ingenium,ſeu ars,qualis eſt ludus alearum. Quo nomine intelliguntur ludi omnes fortuiti,id eſt , in quibus res committuntur caſui & fortunæ , ideſt diſpoſitioni diuinæ prouidentiæ de futuro euentu,vt ludus chartarum,& taxillorum,tabularum , & ſortium. Alius verò eſt in quo plus artis,& induſtriæ eſt,quàm fortunæ,vt ludus paleſtræ,choreæ, ſcachorum , & alij qui ad corporis exercitationem pertinent. Quo poſito,quæritur in primis.

QVÆSTIO I.

An ludus generatim ſumptus ſit licitus ex natura rei ?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd ludus non eſt ex natura ſua malus,ſed licitus,& honeſtus : imò ſi conſentaneè ad rectam rationem , debitiſque ſeruatis circunſtantiis exerceatur,actus eſt virtutis,quam Ariſt.4. Ethic. c. 8. eutrapeliam appellat,hoc eſt vrbanitatem. D.vero Tho.2.2.q.168. art. 2. ait nos poſſe eam iucunditatem nuncupare.

Prima pars probatur,quia recreatio ſumpta ad reficiendum hominem,modò debitæ conditiones adſint,licita eſt,& honeſta ; at qui ludus ex ſuo genere eſt quædam hominis recreatio, ad reficiendas vires , leuandaſque huius vitæ moleſtias vt docet S.Th. loco citato ſecutus Ariſt.4.Eth.c.1.ergo ludus ex ſua natura eſt res licita, & honeſta.

Secunda verò pars probatur,quod inter duo extrema conſtituit medium in actionibus moralibus eſt virtus : atqui ludus eſt

Digitized by Google

quoddam animi leuamen ad melius laborandum, medium constituens inter duo extrema, ergo ludus est virtus. Maior propositio per se est manifesta. Minor verò probatur, nam hæc sunt duo extrema, scilicet abstinere ab omni genere recreationis: quod (teste Arist.) est esse durum & agrestem: vel semper recreationibus incumbere, quod est esse stultum, ergo ludus qui est quædam moderata iucunditas, constituens medium inter ista extrema, est virtus. Vnde Cicero lib. 1. off. ait, ludo & ioco vti licere sicut somno, & quiete, quæ ob seipsa non sunt necessaria, sed vt recreati vegetiores ad labores redeamus.

2 Ex quo colligitur quòd abstinere ab omni genere ludi peccatum est, quia omne quod est contra rationem in rebus humanis vitiosum est: est autem contra rationem in rebus humanis, vt aliquis aliis onerosum se exhibeat, cum nihil delectabile exhibet, & etiam aliorum delectationes impedit. Vnde Seneca dicit. Sic te geras sapienter, vt nullus te habeat tanquam asperum, nec contemnat, quasi vilem. Defectus tamen ludi minùs vitiosus est, quàm ludi super excessus. Vnde Philosophus dicit nono Ethyc. quòd pauci amici propter delectationem sunt habendi, quia parùm de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condiméto, sicut parùm de sale sufficit in cibo.

3 Secundò dico, quòd licèt ludus de se, standóque in solo iure naturæ malus non sit, potest tamen ex humanæ legis prohibitione, vel ex variis circunstantiis deprauari, vt si fiat cum verbis, aut factis turpibus, si cum periculo vitæ, si cum scandalo fratris, si tempore aut loco minimè conuenientibus, si à personis grauibus, & in dignitate constitutis, si cum fraude, mendaciis, periuriis, blasphemiis quæ in ludo contingere solent, vt docent D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. Sotus lib. 4. de iustitia, & iure, quæst. 5. art. 2. Nauar. in Man. cap. 20. num. 2. & alij.

4 Tertiò dico, quòd ludus non est mortalis ex sola circunstantia animi lucrandi iuxta Caiet. 2. 2. q. 168. art. 3. neque ex nimio ludendi appetitu, nisi cum extenditur ad violationem alicuius legis obligantis ad mortale. Neque ex circunstantia loci sacri, quia id nullo iure cauetur, nisi sit Comœdia rerum profanarum cap. cum decorem de vita, & honest. aut fiat cum scandalo, & irreuerentia Dei, vel Ecclesiæ. Neque ratione temporis, nisi Missa, aut aliud diuinum officium præceptum, vel votum dimittatur. Neque ratione fortunæ, aut euentus, nisi alioqui lege prohibeatur, quia quoad recreationem, ludus fortunæ aptior est. Neque ratione personæ, quia clericus, & Monachus ob honestam causam potest aliquando ludere aleis, talis, & chartis lusoriis modò nullam frangat legem ad mortale obligantem. Nau. c. 20. num. 3.

5 Quartò, & vltimò dico, quòd ludus fit mortalis in quatuor casibus.

Primò, cum adest Dei notabilis irreuerentia.

Secundò, cum dicta, vel facta sunt ex se mortalia.

Tertiò, cum aliqua mortali circunstantia vestitur, vt ratione scandali, vel periculi probabilis nocumenti alterius.

Quartò, & vltimò, cum quis ludit rem notabilem ludo prohibito lege obligante ad mortale, vel ludo licito cum eo qui donare non potest, vel cum potente alienare ad id metu coacto, vel per dolum & fraudem decepto. Nauar. sup. num. 4.

QVÆSTIO. II.

An ludus qui fit animo lucrandi sit peccatum?

1 PAnormit. cap. penult. de vita, & honest. Cler. num. 12. Gabr. in 4. d. 15. q. 13. art. 2. & Sylvest. verb. ludus quæst. 4. censent esse peccatum, fundamentum eorum est, quia putant huiusmodi cupiditatem esse peccatum.

2 Communis tamen sententia est in contrarium. Ratio est, quia animus lucrandi non est ex se malus, nisi aliunde depraue-tur, lucrum enim est ex se indifferens. Et hæc sententia est probabilior, licèt opinio Panormit. non careat sua probabilitate lucri, nisi illud lucrum in aliud bonum referatur, est actus otiosus, atque adeò peccatum veniale.

QVÆST. III.

An ludus qui fit ex intentione lucrandi magna quantitate sit peccatum mortale?

1 RIchar. in 4. d. 18. art. 6. q. finali Gabr. ibidem d. 15. qu. 13. art. 2. & Sylvest. verb.

verb. ludus quæſt.4.aſtruunt eſſe peccatum mortale, & probant quia vtèrque colludens notabile damnum alterius proximi, contra decimum Decalogi præceptum concupiſcit.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò affirmandum cum D.Thom. 2. 2. q. 32. art.7. Caiet.2.2.q.168.art. 3. Med. C. de reſt.q.22. Nauar.c.20.nu.3.Sot.in 4.q. 5. art.2. Rebell. de oblig.p.2.lib.12. q.1.Val.tom.3.d.5.q.6.p. 5.Molina tom.2.de contract. d. 510. & aliis communiter. Ratio huius eſt, quia vt diximus animus lucrandi etiam in materia notabili, niſi ex aliqua circunſtantia deprauetur, non eſt ex ſe malus, ſed indifferens. Vnde colludens, dum lucrum intèndit,non concupiſcit damnum ſiue malum alterius, vt malum eius eſt,ſed lucrum proprium intendit tanquàm ſibi debitum iure iuſtitiæ,per iuſtum ludi contractum,ſi alea ſibi feliciter ſuccedat, vnde per accidens infertur damnum alteri. In decimo enim Decalogi præcepto prohibetur concupiſcentia rei alienæ per media illicita,puta per furtum,rapinam fraudem,alioùè modo iniuſto, cuius actus exterior ſeptimo præcepto eiuſdem Decalogi fuerat prohibitus : non autem prohibetur concupiſcentia medio,ac via iuſta.

Nec item ex eo quòd lucrum præcipuè intendatur,peccatum illud erit,ſi modò ad vitæ ſuſtentationem, aliumvè honeſtum finem dirigatur ; ſi tamen immoderatus lucrandi per ludum appetitus interueniat, peccatum erit auaritiæ ex ſuo genere veniale,& occaſio complurium mortalium.

3 Opinio tamen Richar. recipi poſſet, in caſu : quo affectus lucri eſſet ita immoderatus, vt quis ex illo paratus ſit facere notabilem iniuriam proximo, vel aliquod præceptum ſub mortali obligans, violare, vt ſi amore lucri faciendi per ludum proponeret non audire ſacrum in diebus feſtiuis,&c.

QVÆSTIO IV.

An ludus alearum, qui cauſa lucri ſit, in quo pecunia fortunæ exponitur,ſit omnibus,tum clericis,tum laicis, iure prohibitus ?

1 IN hac quæſtione conuenit inter omnes ludum alearum non eſſe ex iure naturali prohibitum, quia ſi eſſet ex iure naturali prohibitus,ob nullam cauſam poſſet licitè exerceri, etiam nec cauſa recreationis, quod eſt omnino falſum, quia quæ ex iure naturali ſunt prohibita ſunt intrinſecè mala, ac proinde propter nullum bonum finem poſſunt a malitia denudari. Vt ait Ariſt.3.Ethyc.

Tum quia ſola intentio lucrandi,ſi tamen moderata ſit ratione, non ſufficit vitiare ludum, alioqui non ſolùm ludus alearum hac ratione redderetur illicitus, ſed etiam quicunque alius quàtumuis honeſtus contractus vitiaretur,ſi cauſa lucri fiat, quod eſt contra communem ſententiam.

Controuerſia igitur tota eſt. An ſit iure ciuili & Canonico prohibitus.

2 In qua re etiam eſt certum apud omnes, quæſtionem hanc non loqui de quocunque ludo alearum, in quo pecunia fortunæ exponitur ; non enim omnis talis,cauſa lucri fieri dicitur,quia non obſtante quòd pecunia etiam in notabili quantitate interueniat, ſtat quòd ludus non cauſa lucri, ſed recreationis exerceatur.Poteſt enim pecunia interuenire, non tanquàm finis principaliter in ludo intentus, ſed tanquam ſtimulus,ſeu medium quoddam ad recreationem capiendam ordinatum,quæ ſine pecunia interueniente minimè caperetur ; tunc enim non cauſa lucri, ſed recreationis ludere dicimur,& de tali ludo cum lucro inde percepto, idem quod de aliis honeſtis ludis dicendum eſt, vt docet Molina tom. 2.de contract.diſp.510.

3 Vbi aduerte,quòd tunc dicitur quis ludere principaliter ob lucrum,quando tanti,vel pluris quis facit lucrum,quàm animi recreationem,vt optimè tradit D.Nauar.c. 20.n.11.& c.Inter verba 11.q.3.& in Ench.de orat.& hor.can.c.6.nu.14. Non autem dixi falsò putauit Sylu. verb. ludus q. 2.§.6.qui non luderet, niſi lucrum proponeretur, quia vt aliquid ſit finis principalis alicuius actus,non ſufficit vt ſit cauſa, ſine qua ille non fieret,nam beneficiarius preces, horarias non perſolueret, niſi fructus beneficij ſperaret,tamen pluris facit ſeruitium Dei, quàm fructus. Et ita poteſt quis ludere principaliter recreationis cauſa, quamuis non luderet,niſi lucrum expectaret.

Ex qua doctrina colligitur, quòd poteſt quis in ludo aleárum ſpectare lucrum pecuniæ, non vt cauſam principalem, ſed vt ſtimulum quendam recreationis maioris, ſine quo non luderet.

4 Quæstio igitur loquitur de ludo alearũ, qui principaliter sit causa lucri, An videlicèt iure ciuili, & canonico sit prohibitus?

Ad quod respondetur affirmatiuè, vt patet ff. de aleatoribus l. solet & C. de Relig. l. alearum vsus in cap. Inter dilectos de excess. Prælatorum, & in cap. Cler. de vita & honest. Cler. & in authent. d. 55. Episcop. §. interdicimus, vbi ludus alearum tum clericis, tum laicis prohibetur.

5 Ex quo sequitur Religiosos, & Clericos beneficiarios, & quoscunque alios in sacris ordinibus constitutos peccare mortaliter, si in notabili quantitate etiam bona patrimonialia ludo alearum ludant, imò nec eis debẽt interesse vt post alios tradũt Nauar. c. 20. num. 9. Salon. 2.2. q. 5. ar. 6. Valent. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Sot. lib. 4. q. 5. a. 2. quamuis aliquo modo dubitanter, & Rebell. de oblig. p. 2. lib. 12. q. 7. id colligunt ex cap. citato inter dilectos de excess. Prælat. vbi Clericus ob aleæ vsum iubetur deponi ab officio, vel beneficio, quæ pœna mortalem culpam supponit, vt colligitur ex c. non affaramus 24. q. 1. Quamuis si ludãt de fructibus beneficiorum non teneantur ad restitutionem, cum sint verè domini fructuum, vt tenet communis, contra Nauar. cap. 20. & num. 9. & 10.

6 Quæ doctrina est intelligenda de ludentibus crebrò, & per longum tempus, & magna quantitate, quæ taxanda est in ordine ad personas, non autem de ludentibus ratò, nimirùm ter, vel quater in anno, moderatè, & ad honestam tantùm animi recreationem iusta causâ oblata. Imò si ad breue tempus recreationis causa, & si frequenter sic ludant, non videntur damnandi peccati mortalis, si absit scandalum, & pecunia quam in ludo exponunt est modica, quæ conditionem ac statum ipsorum, spectatis eorum redditibus, ac bonis non dedecet, præsertim quia hoc tempore leges sùprà citatæ non videntur esse receptæ nisi quatenùs id fit cum scandalo aliorum. Vt Less. lib. 2. de iust. cap. 26. dub. 1. Salon. 2.2. quæst quinta. artic. 6. Molina t. 21. de contr. disp 521. & Rebell. supra q. 7.

Hinc patet ludum scachorum esse de iure licitum etiam Religiosis, vt communiter tenent Doctores, & tradit Nauar. c. 20. n. 3.

7 De laicis autem Caiet. Val. & Sot. & Nauar. sentiunt eos propter eiusmodi prohibitiones iuris nò peccare saltem mortaliter, etiamsi crebrò, & causa lucri magni, huic ludo vacent, seclusis aliis prauis circunstantiis, contra ius naturæ. Ratio est, quoniam vel illæ leges non cum eo rigore obligant laicos, vel certè quo ad illos per consuetudinem contrariam sunt passim eneruatæ, saltem quo ad obligationem sub mortali. Vnde sine scrupulo solent vbique absolui laici, quamuis careant proposito à ludo abstinendi.

8 Ex quo Less. loco cit. concludit ludum alearum etiam in magna quantitate per se in laicis attenta lege naturali, & humana positiua non esse nunc vllum peccatum, quamuis ratione circunstantiarum plerumque cum peccato fiat.

QVÆSTIO V.

An acquisita ludo prohibito obnoxia sint restitutioni?

1 IN hac quæstione duæ extant opin. Prima asserit esse in conscientia restituenda Sic. D. Th. in 4. d. 15. q. 2. a. 4. & 2.2. q. 32. a. 7. ad D. Bonau. ead. dist. q. 1. a. 2. Palud. ibidem q. 3. a. 5. Rich. ead. dist. q. 8. ar. 5. Gabr. q. 13. verb. Ludus & Sylu. ibidem q. 13. eam ferè omnium sententiam esse testatur.

Quòd si ab istis quæras. Cui facienda sit restitutio.

2 Palud. & Canonistæ communiter, vt testatur Sylvest. loco citato, dicunt de iure naturali acquisita per ludum prohibitũ ante sententiàm debere restitui pauperibus, non ei qui perdidit, quia tale lucrum est turpe, turpe autem lucrum conuertendum est in pauperes ff. de condit. ob turpem causam l. tertia, & quarta. Post verò Iudicis sententiam, dicunt de iure positiuo reddenda esse perdenti.

3 Secunda verò opinio quam sequor, est aliorum qui dicunt acquisita ludo prohibito retineri posse, nec esse restituenda ante condemnationem Iudicis, neque pauperibus, neque ei qui ludo perdidit, dummodò absit fraus, & vis, legesque ludi seruentur, possintque ludentes liberè de bonis suis disponere, nec vlla lex humana sit quæ impediat translationem dominij per talem ludum. Ita Sot. lib. quarto quæst. 5. ar. 2. Nauar. cap. 20. nu. 19. Couar. in reg. peccatum p. 2. §. quarto. nu. 8. de reg. iuris

in 6.

Digitized by Google

in 6.Ban.2.2.q.32.art.7. Salon.2.2.quæſt.3.ar. 6.Valen. tom.3.d.5.q.6.p.5.Roder.p. 1. ſum. c.189.concl.1.Tolet.lib.5.cap.27. Leſſ.lib.ſecundo de iuſt.c.26.dub.3.Lop.p.2. inſtruct. confeſſ.cap.34.Rebell.p.2. de oblig.lib.12.q. 8.Caiet.2.2.qu.32.ar.7. Sylueſt. verb. Ludus quæſt.12. & 13. & Mol. tom.2.de contr.d.5. 13. Probatur. Contractus ludi, modò debitæ conditiones adſint,iure naturæ vim habet transferendi dominium,ergo acquiſita ex tali ludo non ſunt reſtitutioni obnoxia. Sequela eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur, nam ſicut poteſt quis abſolutè rem ſuam alteri donare, ita etiam ſub conditione pendente ex fortuna,ſi ea conditione ſubſecuta donare velit & (vt ſuppono) poteſt.

4 Deinde licet ludus alearum ſit prohibitus iure poſitiuo cæſareo, Ius tamen illud merè pœnale eſt, nec impedit tranſlationem dominij,nec reddit irritũ ludi contractum, nec efficit ludentes inhabiles ad dominium transferendum, ſed ſolùm concedit,vt poſſit repeti officio iudicis, quod eſt per talem ludum acquiſitum, ad quam pœnam luendam non tenetur lucrãs ante condemnationem, & ſententiam iudicis vt ſentiunt Couar. Med. Sot. & alij ſupra.

5 Et confirmatur, per actum aliàs illicitum transferri poteſt dominium, vt patet in matrimonio contracto poſt votum ſimplex caſtitatis, vel poſt ſponſalia cum alio inita : in venditione rei,quam Deo vouiſti, vel in loco ſacro, vel ob malũ finem facta: in promiſſione facta meretrici pro actu turpi ſui corporis, ergò ſimiliter in ludo lege prohibito transferri poteſt dominium.

Demùm, Ius illud Cæſareum eos ſolùm obligat,qui Imperatori ſubiiciuntur, & illius legibus vtuntur, qui hodie profecto pauciſſimi ſunt,nam hodie tota Gallia, tota Hiſpania,tota Anglia, & tota ferè Italia legibus imperialibus non ſubditur,ſed ſingula Regna propriis vtuntur legibus, imò nec eos qui Imperatori ſubduntur, obligat, eum iam vbique per contrariam conſuetudinem Ius illud ſit abrogatum. Caſtro lib.2.de leg.pœn.c.2.

6 Secus ſi in aliquo Regno aliqua lex eſſet politica, quæ ipſo facto redderet nullam tranſlationem dominij per eiuſmodi ludos, quia tunc ſtatim facienda eſſet reſtitutio, ſed tamen nulla hactenus talis lex extat,vt aſſerunt iidem authores.

QVÆSTIO VI.

An in locis,in quibus Iure Cæſareo conceditur ius repetendi intra certum tempus, is qui per ludum lege prohibitum aliquid acquiſiuit,teneatur reſtituere ei,qui in ludo perdidit,ſi illud repetat extra iudicium, An verò tuta conſcientia poſſit illud ei denegare quouſque in iudicio coram competente Iudice repetatur?

1 SVnt qui exiſtiment ad id teneri.Idem ſentit Sot.li.4.q.5.a.2. etſi dubitanter.

2 Contrà tamen, & meo iudicio probabiliùs ſentiunt Ban.2.2.q.32.a.7. Salon.2.2.q.5. a.6. Caſtro lib.2.de poteſt. leg. pœnal. c.2. Lud.Carb.q.43.dub.2.Leſſ.li.2. de iuſt.c.26. dub.3. nimirũ repetitionem hanc pecuniæ perditæ, & ſolutæ fieri debere in iudicio corã legitimo Iudice,alioquin is qui ludo aliquid acquiſiuit,nõ tenebitur in conſciẽtia petenti priuatim pecuniã amiſſam reſtituere.Ratio eſt,quia perdẽs ius repetendi pecuniã amiſſam ex Iure Cæſareo tantùm habet, at Ius Cæſareum ſolùm concedit Ius repetẽdi in iudicio.Nam Authentica illa alearum vſus C. de Religioſis &c. non dicit abſolutè vt falsò putat Sotus, vt ſolutũ reddatur, ſed addidit(& actionibus competentibus repetatur) quæ verba luce clariùs ſignificant talẽ repetitionem in iudicio, & non priuatim faciendam eſſe,ſiquidem actio ea ſola in iure cenſetur, quæ fit in iudicio, actio verò extra iudicium vt optimè annotarunt Salon. loco cit. & Rebell.p.2.de oblig.lib.12.q.8.

Tum quia lex illa eſt merè pœnalis, non enim reddit lucramentum inhabilem ad acquirendum lucrum vt patet, ſed tantùm dat actionem repetendi ei qui perdidit in pœnam ludi, lex autem merè pœnalis non obligat niſi aduenìente ſententia Iudicis,ergo qui lucratur non tenetur dare niſi ex præcepto Iudicis.

Tum quia ita vſus, qui eſt optimus legum interpres,vt tunc reſtituatur pecunia, quando qui amiſit eam in iudicio coram competente Iudice repetit,& non aliàs.

QVÆSTIO VII.

An qui per ludum lege prohibitum aliquid acquiſiuit, teneatur ſtatim facta repetitione in iudicio, ante tamen Iudicis ſententiam illud reſtituere?

1 Reſp.

Digitized by Google

1 Resp.non teneri hunc restituere,quod acquisiuit,antequam ad id faciendũ à Iudice condemnetur. Ratio est, quia lex ista merè pœnalis est,ergo non obligat nisi accedente sententia Iudicis, ergo qui in ludo prohibito lucratus est, non tenetur reddere nisi ex præcepto Iudicis.

3 Tum quia consuetudine receptum est vt nemo putet se teneri hæc lucra reddere nisi per sententiam Iudicis compellatur. Ita Castro lib 2.de potest leg. pœn. cap.2. Salon.2.2.q.5.de dominio art.6. Lud. Carb. tract de rest q.43. dub.3. Less. lib.2.de Iust. cap. 26. dub.3.

QVÆST. VIII.

An qui ludo prohibito pecuniam perdidit, ac soluit, quàm tamen non audet in iudicio repetere metu decoris, aut dubitat probabiliter se via iuridica amissam pecuniam recuperare non posse propria authoritate possit titulo compensationis tantumdem accipere occultè ex bonis propriis eius, qui in ludo lucrifecit?

1 Iosephus Angles in 4.sent.tract.de rest. ludi affirmat posse accipere,& retinere.In eadem sententia putant Med.Castro, & Sotus, esse Adrianum de rest. q.de ludo sed falsò, vt optimè annotauit Less.lib. 2. cap.26.dub.3.

2 Sed communis sententia, quæ multò probabilior est,vult eum non posse vti occulta compensatione aduersus victorem. Ratio est,quia quod est per huiusmodi ludum, solutum alteri, verè est translatum in dominium illius, & is qui perdidit solo iure humano, & non iure naturæ amissum repetere potest:ergo eo solùm modo,& via illud recuperabit,quo ei à lege conceditur Sed à lege,tantùm conceditur facultas recuperandi amissum in iudicio post sententiam Iudicis,ergo si antea in compensationem de bonis propriis victoris aliquid accipiat, furtum cõmittet,cum rem alienam non sibi adhuc debitam, inuito domino vsurpet; Ita Sot.lib.4.quæst.5.art.2. Medina C. de restitut. quæst. 22. Castren. lib. 2. de leg. pœn. cap. 2. Salon. 2.2. quæst.5. art.6. Roder. part.1.sum. cap.89. Ban.2.2.q.32.art. 7.Valent. tom.3.disp.5.quæst. 6. p.7. Barth. Medina lib. 1.instr.conf. cap. 14.§. 29.Lud. Carb. de restitutione quæst.43. dub.4.Less. lib. 2. de Iustitia cap. 26. dub.3. & Molina tom.2.de contr.disp.514.

QVÆSTIO IX.

Quidsi victor impediat, ne Iudex illum condemnet ad restituendum lucrum, quòd per ludum probitum acquisiuit. An teneatur in conscientia illud restituere?

1 In qua re conuenit inter omnes eum qui vi, vel fraude impedit ne Iudex illum compellat ad restituẽdum acquisita per ludum illicitum, teneri ad restitutionem.Ratio est huius est, quia per iniuriam impedit,quominùs victus recuperet id, ad quod per leges Cæsareas Ius habet; quin & expensas litis tenetur soluere, quas propter fallacias,aut alias ipsius iniustitias alias feciſſet vltra eas, quas alioquin erat facturus.

Quæstio ergo tantùm est de eo,qui absque vi,vel fraude prohibet.

2 Sunt multi qui existimant talem ad id teneri, ducti eo fundamento, quia putant legem illam non esse pœnalem, sed dispositiuã æqui & boni, ne homines rebus suis per ludum irrecuperabiliter priuentur cum magno Reipublicæ damno.

Tum quia victor non examinatur criminaliter,sed ciuiliter, ergo tenetur fateri veritatem, etiamsi res sit omnino occulta, præsertim si addatur iuramentum.Ita Less. lib.2. cap.26. dub.3.

3 Mihi verò longè probabilius videtur contrarium,quòd tenet Mol.tom.2.de contract. d.514. Ratio quæ me mouet, est ista, quia victor vtitur iure suo, ne condemnetur, vt si neget se per ludum prohibitum tot pecunias lucratum esse eo quòd res sit omnino occulta, nec victus habet vllum testem idoneum, quo id probet.

Tum quia cum victor hic examinetur criminaliter vt puniatur priuatione lucri in pœnam criminis, quo legem ludi prohibitiuam violauit, non tenetur fateri veritatem, etiamsi sub iuramento rogetur, antequam res sit semplenè probata per vnum testem omni exceptione maiorem, ac proindè retinere licitè poterit lucrum seu pecuniam illam.

QVÆSTIO X.

An victus possit pacisci cum lucrante, vt partem lucri sibi restituat, alioqui minatur se accusa-

Digitized by Google

accusaturum, & repetiturum totum lucrum in iudicio?

1 REspondeo eum posse licitè paciſci, quia Ius habet per leges totum lucrum ſolutum repetendi, quod Ius eſt pretio æſtimabile, ergo poteſt conuenire cum lucrante, quòd repetet totum lucrum, niſi dimidiam partem ei reſtituere. Ita Leſſ. lib. 2. c. 26. dub. 3.

QVÆSTIO XI.

Quid ſi is qui minatur accuſationem, & repetitionem totius lucri non habeat animum accuſandi, vel repetendi, ſed tantùm. An poſſit retinere id quod ſic à lucrante extorſit?

1 QVæſtio eſt cuius meminit Mol. tom. 2. de contr. d. 514. reſpondet autem ipſe negatiuè, & probat, quia dolus dedit cauſam contractui, noluiſſet enim victor dare, niſi fuiſſet deceptus.

Tum quia victor dedit, vt victus deponat animum repetendi, quem non habet, ergo nõ poteſt retinere quod extorſit. Hanc ſententiã cenſet Leſſ. loc. cit. eſſe probabilem.

2 Mihi verò contraria ſententia longe verior cũ aliis videtur, illum ſcilicet qui poterat in iudicio repetere amiſſa ludo prohibito, poſſe quidem fingere repetitionem, & ne vtatur hoc iure, paciſci cum eo vt partem lucri reſtituat. Ratio huius eſt, quia etſi non habeat animum, habet tamen ius repetendi, eóque iure vti poteſt, quòd ius eſt pretio æſtimabile, ſiue habeat animum eo vtẽdi, ſiue non. Itaq; ſi victor aliquid det, vt victus eo iure nõ vtatur, poterit id retinere.

3 Nec obſtat, quòd dolus dederit cauſam contractui: quia non eſt dolus malus, ſeu iniuſtus, de quo Iura ſunt intelligenda, ſed iuſtus, nam iuſte poterat minari accuſationem, ſiue haberet animum, ſiue non. Neque victor præcisè dedit, vt victus deponat animum, ſed vt reipſa non accuſet, vel repetat, & iuri accuſandi, vel repetendi cedat, quorum vtrumque ille præſtat: poteſt ergo pro eo aliquid accipere. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 26. dub. 3. & Sanchez lib. 4. de matrim. d. 9.

QVÆSTIO XII.

An qui creditò aliquid ludo prohibito amiſit, teneatur in conſcientia illud ſoluere?

1 IN hac re quæ controuerſa eſt inter Doctores duæ celebres ſunt opin. Prima eſt dicentium teneri eam ſoluere, nec poſſe retinere, aut denegare lucranti ſolutionem, eſtò poſtquam eam ſoluerit, poſſit tuta conſcientia illam repetere beneficio legis concedentis ſibi repetitionem. Sic Med. C. de reſt. q. 22. Caſtro lib. 2. de leg. pœn. c. 2. Salon. 2. 2. q. 5. art. 6. & alij. Fundamentum eorum eſt, quia omnis promiſſio de re licita obligat in conſcientia.

2 Secunda verò opinio priori appoſita eſt, poſſe talem non ſoluere. Sic Adr. in 4. de reſt. q. 15. Sot. lib. 4. q. 5. art. 2. Nauar. c. 20. n. 17. Molina tom. 2. de contract. d. 515. Tolet. lib. 5. ſum. c. 27. & alij.

Vt autem certa ab incertis diſtinguamus, primò ea referam, quæ certa ſunt, & in confeſſo apud omnes, deinde verò alia examinabimus. Vnde.

Dico primò, certum eſſe, quòd ſtando in ſolo iure naturæ, ſecluſaque omni lege ciuili, qui ludendo alea, certã pecuniæ quantitatem ſub data fide, & ſimplici promiſſione amitteret, in conſcientia illam ſoluere tenetur. Ratio eſt, quia iure naturali quiſque tenetur implere promiſſa.

3 Secundò eſt certum, poſſe per legem vetari tranſlationem dominij eius, quod creditò in ludo amittitur, & tunc ſuppoſita tali lege, qui in tali ludo perderet, non teneretur in conſcientia ſoluere. Ratio eſt, quia ſicut Lex Eccleſiaſtica caſſare poteſt vota imprudenter facta, ita etiam lex ciuilis temerarias, ſtultas promiſſiones annullare, & irritare poteſt ob bonum Commune. Vnde referunt authores latam fuiſſe legem à Carolo V. Anno 1518. in Regno Caſtellæ, vt in nullo genere ludi, quantumcunque licei, vt pilæ, promiſſionẽs ludentem obligarent, quod abſente pecunia perdidit, ſed omnes irritæ, & inualidæ eſſent, adeò vt nec qui lucratus eſt, amiſſum recipere poſſet.

4 Tertiò eſt certum, quòd ſi ludens pecunia credita, iurauit ſe ſoluturum, quod alter lucrifaceret non obſtante tali lege irritante huiuſmodi promiſſiones, amiſſam pecuniam ſoluere tenetur. Ratio eſt, quia iuramentum omne de re licita, ſecundùm Ius canonicum, vt patet cap. cum contingit de iureiur. ſeruandum eſt, ſicut qui iuramento ſe aſtrinxit ſoluere vſuras, tenetur eas ſoluere, vt habetur in c. debitores de iureiur.

Quando

Quando autem ſecluſo iuramento, culpa eſſet, ſaltem venialis, quia eſſet in detrimentum bonorum vxoris, non alia ratione, tunc quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, non teneretur id ſoluere.

5 Tota igitur difficultas conſiſtit in hoc. An ſtando in iure cõmuni Cæſareo, teneatur victus in conſcientia ſoluere pecuniam amiſſam in ludo prohibito, ob ſolam promiſſionem, vel poſſit iuſtè retinere?

Multi affirmant eum obligari in conſcientia pecuniam perditã in ludo, & promiſſam ſoluere. Ratio eſt, quia omnis promiſſio de re licita iure naturæ ſeruanda eſt. Ita Caſtro lib. 2. de leg. pœn. c. 2. Med. C. de reſt. q. 2. 2. Mart. Ledeſma 2. 4. quæſt. 18. art. 8. Cord. in ſum. q. 94. Ban. 2. 2. q. 32. art. 7. Valét. tom. 3. d. 5. q. 6. p. 5 Salon. 2. 2. q. 5. art. 6. Roder. p. 1. ſum. cap. 189. Rebel. p. 2. de obligat. lib. 12. quæſt. 8. Garcia lib. 2. de contractibus cap. 19. & alij.

6 Sed contrarium videtur verius. Vnde dico poſſe talem poſſe talem non ſoluere, quod ſic amiſit. Ratio eſt, quia per leges Cæſareas victus habet jus repetendi in iudicio pecuniam quam ſoluit victori, vt patet in Authentica aliarum vſus &c. ergo non videtur obligari ad ſoluendum, ne dicamus eum obligari ad actum otioſum, qui ſtatim queat reſcindi.

Et confirmatur, qui ad agendum admittitur, maltò magis eſt ad excipiendum admittendus ex reg. 71. Reg. qui ad agendum de Reg. iuris in 6. Cum ergo per leges detur actio victo ad recuperandum pecuniam ſolutam, conſequenter eidem etiam ius excipiendi contra victorem, ne ſcilicet pecuniam perditam ſoluere teneatur.

7 Demum ex authentica, vt alearum C. de Reg. & ſumpt. fun. habetur, vt victus non cogatur ſoluere amiſſum; ergo mens legiſlatoris in ea authentica eſt, immunem ab obligatione ſoluendi reddere perdentem antequàm ſoluat, illique repetitionem concedere, poſtquam ſoluerit. Huius opinionis ſunt Adrian. in 4. qu. 15. Sot. lib. 4. q. 5. art. 2. Nau. c. 20. num. 17. Tolet. lib. 5. cap. 17. Mol. to. 2. de contr. d. 515. Barth. Med. lib. 1. inſt. conf. c. 14. §. 29. Cou. in reg. peccatum p. 2. §. 4. nu. 8. Lop. p. 2. inſtr. conſ. c. 34. & lib. 2. de contr. cap. 22. Leſſ. lib. 2. cap. 26. dub. 4. & Lud. Carbo. qu. 42. de reſt. quamuis dubius, in hanc tandem ſententiam tanquam probabiliorem deſcendit.

8 Dixi notanter (ex iure communi) quia in Regno Caſtellæ, (vt Couar. & Sotus reſtantur) extat lex edita a Carolo V. Anno 1518. Quæ non ſolùm prohibet ludere credere credito etiam ludis alioquin permiſſis, denegatque actionem petendi lucri facta, ſed etiam irritat, & annullat quaſcumque promiſſiones quæ inde oriri poſſent aut ea de re eſſent factæ. Nauar. cap. 20. nu 17. Molina diſp. 515. Lop. lib. 2. de contr. cap. 22. Sot. lib. 4. q. 5. art. 2. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 4. num. 8. & alij.

QVÆSTIO XIII.

An qui iurauit ſe ſoluturum quòd alter lucri faceret, facta ſolutione poſſit licitè repetere quod ſoluit?

1 NAuar. in Man. cap. 20. num. 17. affirmat ex eo fundamento, quia non iurauit ſe non repetiturum.

2 Mihi tamen cum eius bona venia videtur diſtinguendum hoc modo. Si mens iurantis fuit ſolùm ſe obligare ad ſoluendum amiſſa, vera eſt opinio Nau. quia ſoluendo abundè impleuit iuramentum. Si verò mens iurantis fuit ſe obligare ad transferendum dominium eius quod amiſit in lucrantem, tunc non poteſt ille repetere.

QVÆST. XIV.

Sed Quid? ſi perdens liberaliter promittat ſe nunquam repetiturum, poterit ne ſine peccato repetere?

1 SOtus lib. 4. q. 5. art. 2. Salon. 2. 2. q 5. art. 6. & Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 5. c. 24. p. 7. affirmant tunc non poſſe repetere, vel retinere ſibi quod perdidit. Ratio huius eſt, quia ceſſit iuri ſuo, & lex quæ dat repetitionem eſt facta in gratiam, & beneficium perdentium, licèt autem vnicuique iuri, & facultatis ſibi conceſſæ renunciare.

2 Oppoſitum tamen videtur verius, nam ſi ſolum renunciauit ſimplici verbo abſque iuramento, ſe non vſurum beneficio legis concedentis ei repetitionem, tunc in conſcientia poterit repetere, vel retinere ſibi pecuniam amiſſam. ſimplex enim ceſſio nõ priuat hominem iure, quod lex ei tribuit in fauorem Reipublicæ, alioquin facillimè omnis vis legis redderetur inanis, & fruſtratoria, vt docet Rebel. p. 2. de oblig. li 12. quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 2. Si verò promiſit ſub iuramento ſoluere, & etiam non repetere tenetur ad vtrumque ſeruandum, quia iuramentum de re licita alteri factum neceſſariò ſeruandum eſt. Vt patet cap. quamuis de pactis in 6. & tradit loco citato.

QVÆSTIO XV.

An in hoc caſu qui iurauit ſoluere & non repetere, poſſit antè ſolutionem petere relaxationem iuramenti ab Epiſcopo, & ſic non ſoluere, & ſi ſoluit, ſolutum repetere?

1 ILluſtriſſimus Card. Tolet. lib. 5. ſum. c. 27. tuetur partem affirmatiuâ, ſicut iurans ſoluere vſuras, poteſt petere abſolutionem à iuramento antequam ſoluat, qua obtenta, non tenebitur ſoluere iuxta cap. 1. de iureiurando.

2 Contrarium tamen eſt proculdubiò aſſirmandum cum Molina tom. 2. de contr. d. Leſſ. li. 2. c. 26. dub. 4. & Rebel. 2. p. de oblig. lib. 12. quæſt. 8. nimirùm tale iuramentum non poſſe relaxari abſque conſenſu eius cui factum eſt. Et ratio eſt, quia præſtitum eſt in illius commodum abſque vi, & fraude, ac proinde per illud acquiſitum eſt illi ius, quo non poteſt ſpoliari inuitus. Secùs eſt de iuramento ſoluendi vſuras, hoc enim eſt per iniuriam extortum, & vſurarius per hoc auxilium ius acquirit, ſed ſolùm re eſt implendum ob reuerentiam diuini nominis, ne videatur in teſtem falſi fuiſſe aſſumptum.

QVÆSTIO XVI.

An votum, vel iuramentum de non ludendo ludo illicito poſſit diſpenſari?

1 AD hoc dico primò quòd Pius V. conſultus noluit ſuper tali caſu diſpenſare, quia nulla videtur cauſa diſpenſandi.

2 Secundò dico quòd huiuſmodi votum, vel iuramentum non poteſt diſpenſari hac ſola ratione, quia vouens, vel iurans magnum deſiderium, & tentationem patitur ludendi, quia iſta non eſt cauſa iuſta vt diſpenſetur, & ſine iuſta cauſa iuramentum iuſtum, vel votum de re graui factum diſpenſari non poteſt.

3 Tertiò dico, quòd tale votum, vel iuramentum poteſt in rem meliorem vel æquè bonam, ac Deo gratam per Epiſcopum, ſiue per alium ex priuilegio habentem authoritatem commutandi, commutari, licèt malitia illiciti ludi per hoc non tollatur.

4 Quartò & vltimò dico quòd qui ludo licito, & in parua quantitate ludit animi recreandi cauſa, non facit contra votum, aut iuramentum de non ludendo. Ratio eſt quia tale iuramentum vel votum de ludo illicito, & in magna quantitate intelligitur. Nau. cap. 12. nu. 11. Iop. p. 2. inſt. conſ. cap. 55. & Roder. p. 1. ſum. cap. 189.

QVÆSTIO XVII.

An filius familias poſſit aliquid ludo exponere, ita vt is qui fecit, non teneatur reſtituere?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd filius familias non emancipatus, neque caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe peculium habens, qui in domo paterna commoratur, & patris opibus alitur ſine eius facultate ſaltem tacita, nullius pecuniæ poteſt transferre dominium, vel acquirere per ludum. Prima pars probatur, quia filius in caſu poſito nullius pecuniæ eſt dominus, ergo non poteſt alicuius pecuniæ per ludum transferre dominium. Secunda verò pars probatur quia cum ludentium par debeat eſſe conditio, ille ſolus poteſt per ludum lucrari, qui poteſt per eundem perdere, ſed filius non poteſt perdere, ergo neque acquirere.

2 Dixi notanter (ſine facultate ſaltem tacita) quia filius de conſenſu ſaltem tacito parentum, poteſt aliquam modicam quantitatem ludo exponere, puta duos vel quatuor argenteos, quò tamen parentes ſunt ditiores, & in maiori ſtatu, tantò plura præſumendi ſunt concedere filio familias ad ludendum, vſus vè alios non neceſſarios. Ita Tolet. lib. cap. 27.

Idem dicendum eſt de pupillo, ac minore conſtituto ſub curatore, vel tutoris poteſtate, iuxta cuiuſque tamen proportionem. Ratio huius eſt, quia ad curatores, & tutores pertinet concedere minoribus eam ſummam pecuniæ, quàm parentes concederent ſi viuerent.

3 Secundò dico quòd ſi filiusfamilias pubertatem ingreſſus, eſt mancipatus vel habet bona caſtrenſia, ideſt, bona ex militia parta: vel quaſi caſtrenſia, ideſt bona acquiſita

quisita ex aliquo actu literario, aut Clericatus titulo, vel alia patre concessa ad animi oblectationem, potest ex istis bonis aliquid ludo exponere, & qui ab eo aliquid lucratur, non tenetur in conscientia restituere. Ratio est, quia huiusmodi bonorum habet filiusfamilias administrationem & dominium & ita iure ea potest alienare, & in ludo perdere. Mol.to.2. de contr.d. 519. Salon.2.2.q.5.art.6. & Less.lib.2.c.26.dub.5.

Hinc filius familias iure potest ludo exponere ea quæ ex suo labore, & industria, aut seruitio acquirit extra domum patris constitutus.

4 Tertiò dico quod quando filius familias est in domo paterna, si quid amplius suo labore, opera, vel ministerio acquirit, quàm expendat pater in eo alendo, potest filius sibi reseruare, & illud ludo exponere. Rebel.p.2.de oblig. lib.12.quæst.4.

5 Quartò dico quòd filiusfamilias, cui pater in curia Principis, vel in Scholis studio literario vacanti alimenta exhibet, potest particulam aliquam summæ sustentationi destinatæ ludo honesto insumere, nempe quatuor, vel quinque pro centenario. Ratio huius est, quia ad alimenta pertinet etiam honesta recreatio ætati & statui conueniès & æqualibus passim concessa sine qua non posset cum decore, & libere cum locis versari. Ita Nauar.c.19. num.9. Sot. lib.4.q. 5.art.2. Salon,2.2. q.5. art.6.& alij.

6 Quintò dico quòd quando pater filio certam pecuniæ summam tradit, vt ea se aiat, si filius parcè viuendo aliquid ex ea summa sibi reseruet, licitè potest illud ludo exponere. Ratio est, quia eo ipso quòd pater ad alimenta filij certam summam destinauit, tacitè censetur consentire, vt si filius parcè viuendo aliquid reseruat, pro suo arbitratu possit illud expendere, dummodò nihil amplius petat à patre pro alimentis. Ita Azor. 3. p. inst. mor. lib. 5.9.

7 Sextò dico quòd quando pater filio suo in Scholis, vel in curia Regia commoranti pro sua sustentatione mittit nonaginta, sciens ei sufficere octuaginta, tunc filius parcè viuendo exponere potest ludo non solũ id quòd sibi subtrahit, verum etiam alia decẽ. Ratio est, quia eo ipso, quòd pater mittit ad eum nonaginta, cum sciat ei satis esse ad sustentationem solùm octuaginta, tacitè videtur velle, vt pro beneplacito filius possit exponere alia decem. Azor loc. citato.

8 Septimò dico quòd si filiusfamilias qui non habet quod possit alienare, & aduersarius id nouit, quia scit esse filiũfamilias, vel omninò pauperem, aliquid lucretur ab eo qui potest alienare, non tenetur restituere quòd lucratus est, quia scienti & volenti non fit iniuria.

Tum quia potest quis ludere solùm animi recreandi gratia, cum periculo perdendi absque vlla spe lucri.

Tum demum quia potest quis sua sponte donare aliquid filiofamilias, ergo potest eidem etiam donationem cum conditione facere, nimirum si filiusfamilias ipsum, in ludo vicerit, vt post Nauar. Med. & alios tradit Azor. sup.

9 Octauò & vltimò dico quòd si collator bona fide putat eum cum quo ludit, habere bona, quæ possit alienare, tunc si filius familias alienare prohibitus ab altero qui perdere potest, aliquid lucretur, non potest in conscientia illud retinere, quia deceptus est collusor, putans eum qui filiusfamilias, aliquid boni habere, quod posset perdere.

Tum quia hic est inæqualitas scilicet lucrandi, & non perdendi; at collusores debent esse cõditione pares. Ita Cou. in Reg. peccatum p.2.§.4. nu.4. Sot.lib.4.q.5.art.2. Lop.p.2.inst.conf.c.33. Med.lib.1.inst.conf. c.14.§.28. Valent. to.3.d.5.q.6.p.5. Tolet.lib. 5.cap.27. Roder.p.1.sum. cap.189. Salon.2.2. q.5.art.6.& Less.lib.2.cap.26.dub.5.

QVÆSTIO XVIII.

An de ratione ludi sit, vt quis non possit plus lucrari, quàm perdere, & è contra? Quod est quærere, An si filiusfamiliàs, qui existens in aula, vel vniuersitate potest perdere quinque ex centum sibi à Patre concessis, possit lucrari ab alio collusore plura, quam quinque?

1 SOtus lib.q.5.art.2. Med.C.de rest.q.22. Alcozer tract.de ludo c.16. Castro lib. 2.de leg.pœn.c.2. Less. lib.2 c.26. dub.5.& alij negant, quia vtriusque ludentis æqua debet esse conditio: At in casu posito nulla est æqualitas, si filiusfamilias plus potest lucrari, quàm perdere ergo &c.

2 Affirmant tamen Nau. cap. 20.num. 12. Barth. Med.lib.1. inst.conf. c.14. §. 28. Lop. lib.2. de contract. & plerique alij.

3 At verò Illustriss. Card. Tolet.lib. 5.sum.c

c.27.

c.17.distinguit, si enim intercessit fraus, puta quia qui ludebat, putabat filiumfamilias habere ius alienandi materiam notabilem, non potest; si verò non intercessit talis fraus quia nimirum filiusfamilias nihil dixit deceptorium; potest.

4 Cæterùm ego quidem dicendum existimo neminem posse amplius lucrari quã perdere valent, quantum est ex vi contractus ludi, ratione tamen donationis eius qui alienare potest, oppositum dicendum est. Prima pars est manifesta quia colludentium vtriusque conditio par esse debet. Secunda verò pars probatur, quia lucrans non tenetur restituere, quando perdens donare censetur, si modò alienare potest; censetur autem donare, non solùm quando pro iniuria ducet oblatam restitutionem, sed etiam quando non lucrandi, sed recreationis causa ludere voluit, non ignorans alterius impotentiã ad plus perdendum, nec bona perdita sunt magni momenti. In huius tamen maiorem notitiam.

5 Dico primò, quòd filiusfamilias qui vnico iactu solùm potest perdere quinque, non potest singulis iactibus ab vno eodemque lucrari plusquàm quinque, quia collusores debent esse conditione pares, nisi sciens conditionem socij cedat iuri suo, scienti enim & consentienti non fit iniuria, neque dolus.

Dixi notanter (ab vno eodemq;) quia si plures sint, in quos ludit, verbi gratia, quatuor, & singuli deponãt quatuor, poterit lucrari sexdecim vtpotè totidem ab vno quoque ludentium, quot ipse vnico iactu, seu manu perdere poterat, nempe quatuor, quia sit semper est æqualis conditio ludi ex parte vniuscuiusq; ludentium. Ita Mol. tom.2.de contr.d. 519. Salon.2.2.q.5.ar.6.& Rebel. de oblig. p. 2. lib.12. q. 4.

Hinc pauper qui non habet nisi viginti argenteos, quos potest perdere, si ludat cum diuite habente centum, non potest lucrari nisi viginti in eodem iactu ludi, quia alioquin non esset æqualis conditio ex parte vtriusque.

7 Secundò dico, quòd filiusfamilias per varios iactus ludi potest ab vno eodemque plura lucrari, quàm posset ipse ab initio perdere, vt v. g. filius habens tantùm quinque, quæ potest perdere, si primo iactu exponens illa lucratur alia quinque, quo posito iam habet decem, quæ de consensu saltem interpretatiuo patris eodem ludo, & tempore potest exponere secundo iactu, & lucrari cum illis alia decem, quæ cum prioribus efficiunt viginti, & cum illis tertio iactu lucrari alia viginti, & sic singulis aliis iactibus poterit seruata semper æqualitate, & iustitia ludi lucrari centum, & mille Ita Mol.d.517.

8 Tertiò dico quòd filius familias sicut solùm quinque perdere potest, ita nec qui cum illo ludit, potest maiorem summam ab illo lucrari, & si quid vltra lucretur, tenetur illud restituere patri, quia aliter non seruaretur æqualitas.

Quartò dico quòd filiusfamilias qui eodem anno iam amisit illa quinque, quæ de facultate saltem implicita patris exponere poterat, si adhuc deinde ludat, & lucretur, lucrifacta restituere tenetur. Ratio est, quia cum solùm posset exponere illa quinque, istis amissis, perinde se habet, si sine vlla pecunia luderet, ac sine periculo perdendi, qui verò perdere non potest, nec potest lucrari, esset enim inæqualitas magna, quam natura contractus ludi excludit. Mol.d.519.

9 Quintò dico quòd filiusfamilias qui solùm exponere potest quinque, si prima sponsione seu iactu exponat decem & illa lucretur, ad quinque lucrata restituenda tenetur. Ratio est, quia sicut solùm quinque perdere potest, ità quoque solùm in illa sponsione quinque lucrari potest, vt sic æqualitas ludi conseruetur. Sal. 2.2.q.5.a.6.

10 Sextò & vltimò dico quòd filius familias qui iam eodem anno in alios vsus non necessarios totam pecuniæ summam, quam potest per annum ludere insumpsit, vel perdidit, si deinde eodẽ anno ludat, ac perdat, is qui lucrifecit, tenetur restituere patri quod ab eo acquisiuit. Et ratio huius est, quia tunc filius non habet amplius quod possit in eo anno alienare. Ita Rebell. p. 2. de obl. lib. 12. q. 3. & Mol. tom. 2.de contract.d. 519.

11 Ex quo colligitur quòd is, qui ludit cũ filiofamilias considerare debet, an ille eodem anno cum aliis luserit, & perdiderit summam, quam poterat per annum ludo exponere, quia si ab eo aliquid lucretur vltra id quod ille potest perdere, ad eius restitutionem faciendam obligatur.

QVÆST. XIX

An qui alienare valet, possit compensare perdita

dita cum iis quæ lucratus eſt ab altero non potente alienare?v. g. Titius filius familias nihil alienare potens heſterna die à Caio potente alienare, lucratus eſt centum, hodie verò Caius ludens cum Titio tantumdem ab eo lucratur. Quæritur nunc. An Caius teneatur hæc centum patri Titij reſtituere, an verò poſſit pro centum à ſe perditis recompenſare.

1 IN hac controuerſia certi iuris eſt, eũ qui tenetur reſtituere lucrifacta in ludo ab vno, non poſſe compenſare cum perditis cum alio, neque è contrario.

Sed dubium eſt, An luſor cum perditis cum vno poſſit compenſare lucrifacta ab eodem?

Armilla in ſum. ludus quæſt. 8. negat ex eo fundamento, quia Titius filiusfamilias eiuſmodi lucrum non poteſt per ludum alienare, cum illud patri acquirat, numereturque inter bona profectitia filij, quorum tam dominium, quàm vſufructus ad patrem pertinet.

3 Sed probabilior mihi videtur ſententia Sylu. verb. ludus §. 12. nu. 18. An. ibidem §. 8. Nauar. c. 20. n. 18. Roder. p. 1. ſum. c. 189. Rebell. p. 2. de oblig. lib. 12. q. 4. Mol. to. 2. de contr. d. 519. Lop. p. 2. inſt. conf. c. 35. & aliorum qui talem compenſationem admittunt, nempè poſſe Caium à Titio filiofamilias cum quo priùs perdidit poſteà ab eodem tantumdem lucrari per alios ſequentes ludos, non ſolùm continuos, vel ſimiles, ſed etiam tempore diſtantes, ac genere diuerſos, omni tamen vi, ac fraude carentes, ſi modò lucrum adhuc apud eundem Titium filium familias perſeueret, nam ſi iam illud cum alio perdidiſſet, vel diſſipaſſet, compenſatio fieri non poſſet. Ratio eſt, quia eſtò Caius qui poterat alienare, habuerit animum donandi, quando cum Titio filiofamilias luſit, ac perdidit, lex tamen ludi exigit vt totum lucrum hinc & inde acquiſitum ludo deſtinetur, quandiu continuantur; imò, & ſi interrumpatur, non ita cenſendus eſt voluiſſe Caius alienare, quin compenſationẽ poſtea licitè facere poſſit,

4 Et ſimiliter qui lucratus eſt à filio familias non potente alienare decem aureos non ſolùm ſi in eodem ludo colludendo cum eodem filiofamilias eos amittit, & ſoluit, non tenetur iterum eos reſtituere, eo quòd ab inhabili ad alienandum eos lucratus fuerit: verumetiam ſi in diuerſis ludis tempore diſtantibus cum eodem amitteret, quod priori ludo ab eodem lucrifecerat, quia per ſolutionem perditi in ſecundo ludo recompenſat quod à filiofamilias in primo lucratus eſt, vt cum doctiſſimo Barth. Med. reſoluit Lop. loco ſupra citato.

5 Et ad fundamentum Armillæ reſp. ea quæ à filiofamilias per ludum prohibitum vel alio illicito modo acquiruntur, non patri, ſed ſibi acquirere, ac proinde ad bona profectitia nonpertinere, vt cum Bartholo communique Iuriſperitorum ſententia Sylu. verbo peculium 1. q. 14. Ratio eſt, quia filius familias quo ad illicitos acquirendi modos non eſt patri ſubiectus.

Tum quia ſi filius in eiuſmodi ludis aliquam pecuniæ ſummam amitteret, ipſemet non pater teneretur ſoluere, ergò ad filium, non ad patrem lucrum pertinebit, cum eiuſdem ſit lucrum, cuius eſt damnum vt habetur ex Reg. Iuris in 6. & tradit Rebell. p. 2. de oblig. lib. 12. q. 4.

6 Dubium grauius, & magis controuerſum inter Doctores eſt de lucro per ludum licitum acquiſito à filio familias, cuiuſmodi eſt ſcachorum ludus, de quo expreſsè loquitur Armilla.

QVÆSTIO XX.

2 NIhilominus idem videtur dicendũ de lucro acquiſito per ludos licitos, alioſve licitos contractus, quos filius familias non patris nomine, ſed ſuo init, ſi enim filius in ludo, aliiſve licitis contractibus perderet, non tenetur pater, ergo ex Regula iuris ſuprà dicta, ſibi quoque filius lucrabitur.

Tum quia quamuis patres regulariter in huiuſmodi bonis tãquàm in bonis aduentitiis filiorum habeant vſum fructum, tamen creditur filios talia lucra ludendo lethaliter non peccare, quia ex æquitate naturali patres qui ſentiunt lucri commodum, debent ſentire & hoc onus.

Tum quia præſumitur patres cum vſum fructum filiis condonare, cum illum ab eis exihere non ſoleant.

Tũ demũ quia rarò eiuſmodi vſus fructus amiſſio in graué pãtris iacturà redundat. Ita Azor. p. 3. inſt. mor. l. 5. c. 25. q. 3 Rebel. p. 2. de oblig. l. 12. q. 4. & Mol. t. de cont. d. 519.

QVAE

QVÆSTIO XXI.

An Regularis profeſſus poſſit ludo aliquid exponere?

1 IN qua re conueniunt omnes Regularem qui tanquam benemeritus de Religione habet facultatem à Sede Apoſtolica, vel à ſuo Prælato viuendi extra Religionem, & habendi legitimum peculium, vel penſionem Eccleſiaſticam ad ſuam ſuſtentationem, ius habere exponendi aliquid ex his, quæ habet ad integram ſui alitionem, ludo, dummodò ludus non ſit lege prohibitus, ſed talis, qualis ipſos Religioſos decet, & conſequenter, qui ab eo aliquid lucratur, non tenetur ad reſtitutionem, quia accipit ab eo, qui habet adminiſtrationem, & vſumfructum bonorum. Imò licèt malè faceret ludendo prohibito ludo, ſibiſque indecenti qui tamen aliquid ab eo lucraretur, obnoxius non eſſet reſtitutioni, vt docet Molin.to.2.de contr.d.520.

Quæſtio igitur eſt de Regulari, qui extra Monaſterium de conſenſu ſuperioris in curia, vel vniuerſitate gratia addiſcendi literas moratur. An videlicet ius habeat exponendi aliquid ex his quæ ſibi mittuntur à Prælato ad ſuam ſuſtentationem.

2 Sapientiſſimus Nauar.c.20.num. 12. arbitratur huiuſmodi Religioſum habere ius exponendi ludo honeſto eam pecuniæ ſummam, quam diximus poſſe filium familias in eiſdem locis commorantem. Cui ſententiæ ſuffragari videntur Maior in 4. d.15.q.13.& Barth.Med.lib.1.inſt. conf.c.14. §.29. De ea tamen dubitant Angles de reſt. ludi. Lop.2.p.inſt.conf.c.33.& Mol.diſp.520.

3 In huius tamen quæſtionis deciſionem dico primò: quòd Regularis non habet ius exponendi aliquid ludo prohibito, aut indecenti Religioſo, qualis eſt ludus aleārum. Nec in hoc eſt tacita, vel præſumpta voluntas ſuperioris, non enim cenſetur Prælatus dare licentiam Regulari alienandi pecuniam per ludum lege humana prohibitum, ſed ſolùm per modos licitos. Ita Azor.p.3.inſt.mor.lib.5.c.26.& Mol.d.520.

Secundò dico, quòd quando ludus eſt licitus & honeſtus, tunc Regularis ius habet exponendi ludo aliquid modicum gratia reficiendi animum; tunc enim rationabile eſt, præſumere talem eſſe Prælati voluntatem, vt hic Regularis dum laborat extra Monaſterium in vtilitatem ipſius, poſſit ludēdo animum & corpus recreare.

Dixi notanter (modicum) quia vt ludat in magna quantitate, non præſumitur voluntas Prælati.

4 Tertiò dico quòd huiuſmodi Religioſus qui ex portione ſibi deſtinata ad ſuſtentationem, aliquid ſubtrahit, parcè viuendo, poteſt tunc tuta conſcientia illud exponere ludo, dummodò ſit licitus & honeſtus, quia etiam in hoc caſu videtur ſubeſſe tacita Prælati voluntas. Ita Azor. vbi ſupra.

5 Quartò dico quòd Religioſus, qui expendit in vſus profanos, quæ ad honeſtam recreationem ſibi à Prælato conceduntur, peccat mortaliter ſi materia eſt grauis, & eſt proprietarius, ij tamen qui ab illis talia lucrantur, ad nullam reſtitutionem tenentur. Ratio eſt, quia licèt modus alienandi ſit contra voluntatem ſuperioris, non tamen ipſa alienatio ſecundùm ſe, ita vt eam inualidam eſſe velit. Si quid tamen lucraretur à Religioſo contra voluntatem Prælati, ita vt præſumeretur nolle validam eſſe talem alienationem, proculdubio eſſet reſtituendum quia contractus tunc eſſet ipſo iure nullus. Ita Rebell.p. 2. de obligat. lib. 14.q.4.

6 Quintò dico quòd Religioſus qui ſine conſenſu Prælati ſaltem præſumpto nihil poteſt ludo exponere, ſi quis aliquid ludo ab eo lucrifaceret contra voluntatem expreſſam, aut præſumptam Prælati reſtituere illud teneretur Monaſterio, vel Religioſo ipſi, niſi timeretur vanè illud, & contra Prælati voluntatem id iterum conſumpturum, tunc enim reſtitutio facienda eſſet Prælato, vel Monaſterio, & non Religioſo illi vt ait Molina d.520.

7 Sextò & vltimò dico, quòd ſi Religioſus qui nihil poteſt alienare eo ludo, aliquid eſſet lucratus, reſtituere illud teneretur ei, à quo id eſſet lucratus. Ratio eſt, quia contractus fuiſſet ipſo iure nullus, ex contractu autem nullo ipſo iure, neuter contrahentium lucrari poteſt. Ita Val.tom. 3.d.5.q.6.p.5. Tolet.lib.5. c. 27. & Sot.lib.4. q.5.art.2.

QVÆSTIO XXII.

An mancipium poſſit ludo aliquid exponere, &

An lucrifaciens ab eo ſic acquiſitum ludo poſſit iuſtè retinere?

REſp. quod ſic, & hoc in quatuor caſibus.

1 Primò quando dominus expreſsè certam pecuniæ, aut rerum quantitatem concedit, vt eam in vſus ſibi placentes expendat.

Secundò quando mancipium ludit permittente domino, qui ſcit, & ſinit mancipium habere aliquas pecunias, ſiue induſtria ſua,& opera, ſiue donatione,aut ludo comparatas, & ſinit conſequenter vt eos in ſuos vſus expendat.

2 Tertiò quando inter dominum, & mancipium conuenit, vt mancipium ſuo labore certam lucri portionem quotidie ſuo domino reddat, & reliquum ſibi retineat, tunc mancipium reliquum poteſt ludo exponere.

Quartò, & vltimò quando dominus mancipio concedit certam pecuniam in ſingulos dies, vt ex ea viuat,& mancipium parcè viuendo abſque ſui domini detrimento,aliquid ſibi retinet,iure poteſt illud per ludum alienare, quia tacita ſubeſt domini voluntas, vt illud ſibi mancipium acquirat.

3 His quatuor caſibus exceptis, qui ludit cum mancipio, & lucratur, tenetur reſtituere domino lucrifacta, quia quicquid mancipium acquirit vel habet, ad dominum eius attinet; Eodem modo ſi mancipium ex eiuſmodi bonis quæ furto accepit à proprio domino,aut ab alio,aliquid ludo ab aliis lucretur,reſtituere id illis tenetur, vt tradit Molin.d.520.

QVÆSTIO XXIII.

An ſi is qui lucrifecit, dubius ſit, An mancipium ius alienandi per ludum habuerit?

1 REſp. quòd ſi ſit dubius, tenetur inquirere veritatem, quòd ſi non inquirit,aut facta morali, & diligenti inquiſitione adhuc dubitat, tenetur reſtituere. Et ratio huius eſt, quia in caſu dubij melior eſt conditio domini, quam cum mancipio ludentis.

QVÆST. XXIV.

An in caſibus,in quibus mancipium poteſt per ludum alienare,ſi lucri fecerit, poſſit licitè lucrifacta ſibi retinere. An verò teneatur illa domino reſtituere?

1 REſp. poſſe licitè lucrifacta ſibi retinere. Ratio eſt, quia vt diximus de filiofamilias, hic tacita videtur ſubeſſe domini voluntas,vt mancipium lucrum ex ludo partum ſibi retineat. Ita Rebell.ſup.q.1.

QVÆST. XXV.

An qui ludit cum muliere coniugata poſſit licitè ſibi retinere lucrum,quod ab ea acquiſiuit?

1 REſp.poſſe & hoc in ſeptem caſibus. Primò, quando vxor vltra dotem habet bona paraphernalia, quorum dominium,& adminiſtratio ad ipſam pertinet.

Secundò, quando maritus expreſsè aliquas pecunias concedit vxori, vt eas pro libito expendat.

2 Tertiò,quando maritus aliquam pecuniæ ſummam vxori concedit vt ornatior,& comptiùs ſeſe induat, & ipſa reſtrictiùs viuendo ex his aliquid ſubtrahit.

Quartò quando maritus ſcienter permittit,vt aliquid pecuniæ ludo exponat.

Quintò quando vxor habet adminiſtrationem bonorum.

Sextò quando vxor ſua priuata induſtria, & labore acquirit, & lucratur poſtquam muneri ſuo,& curæ domeſticæ plenè ſatisfecit.

3 Septimò & vltimò, quando vxor ludit, ac perdit ludendo, eo more quo cæteræ coniugatæ fœminæ eiuſdem conditionis, & ſtatus ſolent ludere.Nec maritus poteſt id ei prohibere,quia ob dotem,& ſocietatem bonorum contractam illi debetur congrua,& competens ſuſtentatio,quæ ſanè comprehendit ſumptus omnes ad ea omnia quæ mediocres ſui ſtatus, & conditionis ſolent inſumere, etiam ad competentem & honeſtam oblectationem. Ita Mol.diſp.520.& Salon.2.2.q.5.ar.6.

QVÆSTIO XXVI.

An qui ludit cum homine prodigo, poſſit licitè quod ab eo lucratur,retinere?

1 REſp.poſſe.Ratio eſt,quia licèt prodigus ludendo prodigè peccet non tamen committit iniuſtitiam quia habet dominiũ,& adminiſtrationẽ ſuorũ bonorum.

QVAE

QVÆSTIO XXVII.

An qui ludit cum fure, depositario, vsurario, aut alio possidente, ac lucratur inde alienam, possit licitè sibi retinere lucrum quod ab eis acquisiuit?

1 ET quidem certum est apud omnes, eum qui cum fure, depositario, aut vsurario ludit, ac lucratur ab illis rem alienam in specie, & substantia sua extantem, teneri in conscientia eam restituere vero domino, eo ipso quòd scit esse alienam. Ratio est, quia res aliena quandiu extat, debita est suo domino.

Controuersia igitur tota est, de eo qui ludit cum fure, vsurario &c. lucratur res fur vel vsurarius ex furto vel vsura sibi comparauerat?

2 Resp. si fur vel vsurarius ex pecunia aliena ludendo, vel negotiando acquirat, vel alias pecunias, vel merces, tunc illarum fit verè dominus, licèt semper teneatur restituere tantùm pecuniæ, quantùm est furatus.

Ex quo colligitur quòd fur potest in ludo exponere tanquam dominus huiusmodi pecunias, & merces, & consequenter qui ea lucri faceret, non teneretur ad restitutionem.

3 Illud tamen aduerte, quòd fur qui ludendo rem alienam amisit tenetur restituere lucranti valorem illius, qua contractus ille ludi validus fuit in foro conscientiæ, si alter colludentium id ignorauit, vt docet Molin.d.327. ac proinde si fur pecunia aliena aliquid lucretur, potest illud iustè retinere. Verùm si qui ita pecunia aliena lusit, non habebat vnde redderet valorem illius, in euentu quòd colludens sciens esse alienam, eam restitueret vero domino, tunc qui pecuniam alienam lusit cogendus est restituere totum lucrum, quod eo ludo comparauit.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui in domo sua recipiunt aleatores peccent, & ad aliquam restitutionem teneantur?

1 RESP. quòd qui aleatores ad ludum mortaliter illicitum aliter non futurum mensas, chartas, candelas aut alia in ludo necessaria administrando recipiunt, peccant mortaliter. Ratio est, quia iuuant, & consentiunt ad peccandum; nec erunt immunes a restitutione rerum ibi perditarum, si perdantur ab illis qui alienare non possunt, aut per fraudem aut vim quarum ipsi susceptores sunt conscij, vt Post Nau.c.20.num.16.& Lop.2.p.inst.conf. c.32.resolut Rebell.quæst.vltima.

QVÆSTIO XXIX.

An inspectores ludi mortaliter illiciti, peccent mortaliter?

1 AD hoc dico primò, quòd laici qui huiusmodi spectaculis interssunt non peccant mortaliter, quando ex contemplatione duntaxat successus ludi, modique ludendi absque alterius mali appetitione delectentur. Ratio est, quia isti non sunt authores, neque consultores huiusmodi ludorum, nec eorum deformitas eis placet, nec addunt animum exercentibus in illis, ergo nullo modo consentiunt peccato mortali, ac per consequens cum nullo iure obligate ad mortale interdicantur laici huiusmodi ludis interesse, non videtur mortale obligandi. Ita D.Ant.2 p.to.3.c.7.§. 2.Arm.verb.curiositas, & Lop.p.2.inst.confess.c.31.

2 Secundò dico, quòd clerici beneficiati, aut in sacris constituti, & Religiosi peccant mortaliter, si per multum tempus eiusmodi ludis interssint, secùs si paruo tempore, & per modum transitus id faciant. Ita Nau.c.20.num.14.& Lop.p.2.inst. confess.c.31. qui id colligit ex extrauag.Pij V. vbi clerici tam regularibus, quàm secularibus sub excommunicationis pœna id interdicitur, sed pœna excommunicationis non infertur, nisi pro mortali, ergo.

QVÆSTIO XXX.

An liceat ludere pro salutatione Angelica, vel oratione Dominica dicenda?

1 HVius quæstionis meminit Lopius p. 2.inst.conf.c.32.& videtur hunc modum ludendi irreuerentiæ notare, quòd sacra profanis misceantur, imò etiam simoniæ, si similiter ad eiusmodi Aue Maria dicenda se se colludentes obligare intendãt.

2 Alij verò vt Nauar.c.20.num. 7. & Rebell.de oblig.p.2.lib. 12. q.1.rectiùs docent id esse licitum, nec vlla irreuerentia appareret,si reuerenter dicantur, cum teste Apostolo (vbique orare liceat) nec quòd pro præmio eiusmodi preces proponantur in ludo præsertim licito, & honesto vlla simonia subesse videtur.

QVÆSTIO XXXI.

An qui falsis talis,aut chartis, aut dolo lucratur ab alio, compensare possit cum iustè lucrifactis ab eodem?

1 REsp.nõ posse.Ratio est,quia non videtur iustum, vt cum iustè perditis iniustè, & per fraudem lucrata compensentur.Ita Nau.c.20.n.19. & Lop.p.2.c.35.

QVÆST. XXXII.

An qui promittit dare scachomatum cum pedona, censeatur promissum impleuisse,si dederit cum pedona effecta Regina?

1 MVlti cum Panormit. affirmant, si promissio fuit facta cum certa pedona,secùs si generaliter.

2 Sed contrarium est verius, quia licet sit facta promissio cum certa pedona, tamen ex quo facta est Regina,& aliter ducatur Regina,quàm pedona,promissio non verificatur.

QVÆSTIO XXXIII.

An qui alium in ludo decipit,teneatur ei restituere, quod acquisiuit?

1 IN hac graui, & perdifficili quæstione dico primò,quòd qui per fraudem,& dolum, aut iniusta deceptione aliquid lucratur contra leges ludi, tenetur in foro conscientiæ ante Iudicis condemnationem eidem à quo lucratus est, restituere, non solùm id quod fraudulenter acquisiuit,sed etiam quod alter iustè lucraturus erat, nisi fraude impeditus fuisset.Ratio est,quia est huius damni causa iniusta.

Tum quia dolus,& fraus nemini patrocinari debet.Si tamen res sit dubia,an esset lucraturus,ad nihil tenebitur,quia in æquali dubio melior est conditio possidentis,nisi fortè probabilius esset,aduersarium fuisse lucraturum, nam tunc pro ratione maioris illius probabilitatis aliquid arbitrio boni viri esset restituendum.Mol.d.517.

Vbi aduerte quòd iniusta est deceptio, iniustusvè dolus,aut fraus interuenit in ludo,si quis ludendo lucrifaciat suffurando chartam, aut signo peculiari chartas notando,vt sciat contra naturam ludi, quando sibi, vel suo collusori melior aut peior ludi sors obuenit.

Deinde si ludat chartis,quas vsu,& consuetudine optimè dignoscit à tergo cum eas suus collusor ignoret, aut ita artificiosè, & ex industria componit chartas, vt melior sibi sors ludi contingat.

2 Secundò dico quòd qui in ludo alium decipit iuxta ludi leges vtrique collusori communes non tenetur restituere, quod acquisiuit. Ratio est, quia non agit contra iustitiam, nam fraudibus, quæ iuxta ludi leges licitæ sunt,vtitur.

Tum quia his legibus vtérque se subiicit. Vt post alios docuit Less. dub. 2. Hinc nullum est peccatum nullámque contrahit obligationem restituendi, qui omnino sciens se lucraturum, quia habet potiores partes ludi, sponsionem auget, id enim fas illi est iuxta leges ludi receptas.

3 Hinc non peccat,nec ad restitutionem tenetur,qui sciens se non posse lucrari,quia videt se inferiores partes ludi habere, ex industria auget sponsionem,quasi dissimulans se potiores partes habere, vt aduersarius deterritus cedat, & ita eo cedente, ipse lucretur, aut casu potiores partes habens simulat sibi inferiorem sortem euenisse, vt aduersarius spe lucri sponsionem augeat,quo augente,ipse deinde etiam augeat, & lucretur. Ratio verò horum omnium est, quoniam talis simulatio, & deceptio est secundùm quod natura contractus ludi permittit, & est secundùm leges ludi vtrique collusori communis,nam sicut vnus in ludi iactu casu decipitur, ita alter in alio eiusmodi ludi tactu decipi etiam solet. Sicut in bello iusto, hostes simulant licitè fugam, vt deinde aduersarios incautos vincant. Atque vt summatim dicam, quoties ludentium vnus iuxta leges ludi vtrique communes decipit alium, aut eum decipi permittit, non admonendo eum de re aliqua propter quam sponsionem ludi amittit, non peccat neque restituere tenetur,

Digitized by Google

tur, quod propter oſcitantiam, ac in aduertentiam alterius, fuerit ab eo lucratus, quia vtitur iure ſuo. Salon.2.2. qu.5. art.6.

4 Eodem modo qui ludo interſunt, admonere non tenentur eum qui aliquid omittit, vel committit, propter quod ludum amittit; imò iniuriam alteri colludenti faceret, adiuuando hoc modo aduerſus ipſum partes alterius. Idem dicendum eſt de quacunque alia lege ludi iuxta communem conſuetudinem loci, in quo luditur. Ita Leſſ. dub. 2. & Couar. regula peccatum §. 4. num. quarto.

5 Hinc peccat mortaliter qui accipit primum locum, quem in ludo appellant manum, cum tamen alteri colluſori deberetur, & ſi ob id aliquid lucratur ad reſtitutionem tenetur, quia ſurripit Ius aptius lucrandi colluſori; verum in hoc caſu vt optimè proſpexit Nau. c. 20. nu. 17. non tenetur reſtituere totum quod lucrifecit, ſed quantum illius Ius ludendi primo loco valet: ſicut qui conculcat ſatum alicuius, non tenetur illi reſtituere quantum illud in area redderet, ſed quanti æſtimaretur in herba, nam lucrum in ſpe, ſemper minùs valet, quàm lucrum in re. Quæ omnia procedũt cũ damnũ notabile infertur.

6 Hinc peccat mortaliter cum onere reſtituendi, qui ſcienter ait ſe habere plura puncta, quàm habeat, ob quod lucratur: aut aduertit colluſorem errore calculi dicere ſe pauciora puncta habere, ob quod perdit, & non monet. Ratio eſt, quia in primò caſu decipit. In ſecundo verò accipit, quòd iam alter lucratus eſt. Niſi fortè lex & conſuetudo alicubi ſit, vt id noceat non attendenti, ſemper enim ludi legibus, ac conſuetudinibus eſt ſtandum. Mol. diſe.317. Nauar. c. 20.num. 17. & alij.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui in ludi peritia, & dexteritate eſt longè ſuperior alio, licitè poſſit cum eo ludere, & ſibi in conſcientia lucrifacta retinere?

1 REſpondeo, ſi ludi peritior pro certo, aut quaſi, ſciat ſe lucraturum. & nullum perdendi periculum incurſurum, non poteſt licitè cum eo ludere, & ſi aliquid ab eo lucretur, obnoxius manet reſtitutione lucri quod in ludo ex hoc exceſſu ſibi parauit. Ratio eſt, quia ludentium par debet eſſe conditio. Ita Medin. C. de reſtitutio. quæſtione vigeſima ſecũda. Garc. lib. 2. de contract. capitulo decimonono Leſſ. libro ſecundo, de Iuſtitia capitulo 26. dubit. quinta, & Lop. lib. 2. de contract. cap. 21.

Dixi primò (ex hoc exceſſu) quia ſi non ob exceſſum peritiæ, ſed quod meliùs alea ſibi ſucceſſerit, ſicut cuiuis alteri imperito ſuccedere poterat, non erit obligandus ad lucri reſtitutionem.

Dixi etiam (ſi pro certo ſciat) quia ludi peritior non eſt de ſua victoria certus, ſed tantùm probabiliter credit ſe victoriã habiturum, tunc & licitè poteſt ludere, & lucrari, quia tunc non eſt cum ſuo colluſore inæqualis.

Idem dicendum eſt, quando peritia vnius contrahentium non eſt notabiliter maior peritia alterius.

2 Hinc ſi aliquis in ludo exercitatiſſimus fingat ſe eſſe ignarum alicuius ludi, Imò ſemel, & bis ſe finit ſuperari ab aduerſario, vt deindè faciliùs ſemper vincat, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur eius, quod in eo ludo acquiſiuit. Ratio huius eſt quia huiuſmodi ſimulatio eſt contra iuſtitiam commutatiuam, quæ inter ludentes parem conditionem exigit. Ita Salon.2.2.q.5.a.6. Sylueſt. verb. ludus. §. 4. &. alij.

3 At mea ſententia in hoc caſu magis peritum non debere integram lucri reſtitutionem facere, ſed partem iuxta proportionem periculi perdendi, quod ſubiicit, ſi enim adeò exercitatus in tali ludo erat, vt extra omne periculum perdendi eſſet, ad totum lucrum, quod ex aduerſario recepit reſtituendum obligabitur, quòd ſi in aliquo minori periculo perdendi fuit ob maiorem peritiam, non ad totum, ſed ad partem totius lucri, maiorem tamen, vel minorem prout maiori aut minori ſe expoſuit diſcrimini perdendi.

4 Hinc ſi quis ludi alicuius peritus neſciens alterius imperitiam, ſed bona fide credens illum ſimiliter peritum, vt rem ſuã periculo exponat, cum eo ludat, & lucretur, non peccat, nec ad aliquam reſtitutionem faciendam eorum quæ lucrifecit, tenetur. Ratio eſt, quia in hoc caſu nulla eſt deceptio, ſed ambo, æqualiter periculo lucrandi, & perdendi ſe exponunt.

Digitized by Google

Tum quia ſicut fortè inuenit alium colluſorem imperitiorem ſe in ludo,& lucratus eſt,potuit inuenire alium peritiorem ſe & perdere.

5 Cæterùm vt optimè annotauit Med.C. de reſt.q.22. intellecta ſemel colluſoris ignorantia,& ſe longè peritiorem intelligens tenetur aut a ludo abſtinere, vel eas meliores conditiones ſuo colluſori concedere,quibus aliundè ſtatuatur, & reparetur æqualitas debita ludo.

QVÆSTIO XXXV.

An ſi ambo ſe anteà nouerint, & peritior cum ignaro ludat, & vincat, teneatur lucrifacta reſtituere?

1 ET in primis certum eſt apud omnes,quòd quando ludi peritior monet imperitum,nolle ſe cum eo ludere,quia ſcit ſe eſſe eo longè peritiorem, & ipſe qui parùm ſcit, non vult à ludo deſiſtere, ſed potiùs dicit, lude quia ego ſum contentus dare tibi quodcunque à me obtinueris, non tenetur peritior ad reſtitutionem, volenti enim & conſentienti non fit iniuria.

Quæſtio ergo tantùm eſt, quando nil tale dicit.

2 Franciſcus Alcocer tract. de ludo, & Lop. lib. 2. de contr. cap. 21. aſtruunt in lucro magni momenti non cenſeri imperitum condonare longè peritiori lucri facta ab eo, ſed ſolùm cum eo ludit cupiditate lucrandi excæcatus, atque adeò cum eius animus non ſit rei dominium à ſe in ſuum colluſorem transferre, quicquid peritior ab eo lucratur,erit ei reſtituendum, quia ludus in hoc caſu non eſt ex vtraque parte æqualis; ſecùs ſi parui momenti ſit lucrum.

3 Alij tamen vt Nauar. c.17.num.18.Med. C. de reſtitu.q. 22. Roder. p. 1. ſum.c. 189. & Barth. Med. lib.1.inſt. conf. c. 14. §. 28. rectiùs docent non eſſe reſtituendum.Ratio huius eſt,quia in eo caſu ſibi imputare debet imperitus,ſi in ludo vincitur, ſiquidem eſt monitus de inæquali conditione.

Tum quia cum hic optimè cognoſcat ſuam, & alterius peritiam, ac dexteritatem, nullaque neceſſitate adducatur ad ludendum cum eo, cenſetur illi condonare,vt lucrari poſſit,nihil impedicte exceſſu.

Dices, cæcitas luſoris excæcat illum n videat apertè exceſſum aduerſarij.

4 Reſp. ſi hæc ratio eſſet alicuius momenti, poſſemus etiam dicere quòd cæcitas facit etiam dicere illa verba, lude, ego enim,tibi condono quicquid à me lucratus fueris.

Tandem imperitus poteſt ſponte ſua ludere cum ſe peritiore gratia maiorem peritiam eo ludo aſſequendi, & gratia recreationis capiendæ, quamuis ſciat ſe in ludo vincendum,ergo.

QVÆST. XXXVI.

Quid dicendum de eo caſu,qui ſæpè accidit in ludo,verbi gratia, Petrus, & Ioannes ludunt, & Petrus qui ſperat ſe victurum,exponit ſuum reſtans,& Ioannes ſimiliter ſperans victoriam,ratam habet ſponſionem dicẽs,& ego quoque expono in hac manu totum meum reſtans. An ſi reſtantia Petri & Ioannis ſint inæqualia, licitè acquirat Petrus reſtans Ioannis,quod eſt maioris valoris,& è contra?

1 IN hac quæſtione Alcocer in tract. de ludo. alios Doctores allegans ait non poſſe Petrum acquirere quia non eſt æqualis conditio ludi ex parte vtriuſque.

2 Cæterum contrariam ſententiam tenet Garcia in lib. 2. de contr. pag. 575. quòd licèt innitendo legi æqualitatis obſeruandæ in ludo, & eius ſtando rigori hoc non acquirat,tamé ſi animo exponendi id aleæ fortunæ ſua reſtantia inæqualia ſiue maiora, ſiue minora velint exponere ad vnam manum, licitè fit. Sicut licitè aliquis exponeret pecuniam contentam in marſupio pro pecunia contenta in burſa alterius cõmittendo ſe fortunæ, ſi fortè maior eſſet ſumma vnius marſupij quã alterius minor.

3 Placet autem nobis hæc opinio in caſu quo neutri colluſorum innoteſcit quãta ſit ſumma pecuniæ, quæ alter exponit,quia ſi vtrumque non latet pecuniam reſiduam alterius minorem eſſe pecunia alterius,nequaquam erit licitum pro minori pecunia expoſita maiorem lucrari,niſi perdens ſua ſponte illum exceſſum remittat.

QVÆ

QVÆSTIO XXXVII.

An qui volens renunciare auctioni ab altero colludente sibi propositæ propterea quod admonitus est ab inspectore ludi, illam auctionem ratam habuit, & eam tandem lucrifecit, teneatur in foro conscientiæ lucrifactum propter admonitionem sibi factam restituere?

1 AD hoc dico primò, quòd si in hoc casu admonitionem, decreuerat auctionem non acceptare, sed quia fuit admonitus illam acceptauit, non potest auctionem illam lucrari. Ratio est, quia admonitio inspectoris illum in tuto lucrandi auctionem illam posuit, in fraudem alterius contra leges ludi.

2 Secundò dico quòd si admonitus ante talem admonitionem inspectoris dubius erat, secum conferens in corde suo, an auctionem oblatam acceptaret an non, & tandem admonitus eam acceptauit, & lucrifecit, restituere partem auctionis tenetur, non autem auctionem totam. Ratio est quia fortè etiamsi non fuisset admonitus, eam acceptasset perinde esset lucratus, ergo non tenetur totam illam auctionem restituere.

3 Tertiò & vltimò dico quòd si admonitus, vt auctionem acceptaret, non obstante tali admonitione adhuc postea circa iacturam vel lucrum varium ludi euentum experiatur, ob varias sortes ludi subsequentes, propterea quòd talis inspector qui communem fecit conditionem ludi vtriusque partis non satis aduertit, aut calluit, vel ob aliam rationem, auctionem quam acceptauit, & lucratus est restituere non tenetur. Ratio est, quia non fuit satis apertè per talem admonitionem tuto cõstitutus, ac propterea potius suæ industriæ quam alterius admonitioni lucrum imputandum est.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum trahens aliquem ad ludendum, teneatur in conscientia restituere, quod ab eo lucratur?

2 DOctor Angelicus 2.2.q. 32. a. 7. ad 2. affirmat absolutè hunc teneri ad restitutionem. Ratio eius est, quia qui ad ludum trahitur, ludit inuoluntariè, si quid perdit, inuoluntariè perdit.

2 At Adr. in 4. in materia de rest. q. 15. Alcocerus tract. de ludo c. 21. & Garcias l. 2. de contract. c. 19. negant talem obligari ad restitutionem. Ratio huius est, quia non quicunque ad ludum trahitur solet inuoluntariè trahi, nam preces etiam importunæ, conuitia, & minæ licèt minuant quidem voluntarium ex parte, sed non tollunt in totum, & in contractibus, inter quos etiam ludus est, sufficit huiusmodi voluntarium, vt patet, cum quis inuitus vendit domum suam iusto pretio, ergò.

Tum quia si ille sic inductus vincat, poterit retinere lucrifacta; ergò etiam inductor poterit similiter facere, si lucretur, debet enim esse par vtriusque conditio.

Tum quia hoc ipso, quo minis, vel conuitiis attractus vult lucrari ab altero, censetur ei concedere liberè ius lucrandi, alioquin debebat habere animum restituendi lucrifacta, nam alias non esset par ludentium conditio, qualem natura contractus requirit. Hanc opinionem sequitur Molina to. 2. de contr. disputatio. 506.

3 Sed reuerà hæ duæ opiniones facilè conciliantur. Nam prima quæ est D. Tho. locum habet, quando attractio est tanta, quæ sufficit ad efficiendum collusorem inuoluntarium, vt solet esse, quæ fit vi, fraude, mendacio, vel metu graui, & minis, imò etiam conuitiis, vt si quis alteri dicat, ego te occidam, non soluam pecuniam quam lucratus es à me heri, nisi nunc mecum luseris, aut coram aliis dicat, tu ex miseria non vis ludere, vnde alius ne vt miser & vilis habeatur, alias nullatenus lusurus ad ludum, accedit. Ratio huius est, quia ludus est contractus quidam, qui vt omnes Doctores docent, liberè, & voluntariè susci pi debet: sed vis, metus, fraus, mendacium, & conuitia rationem voluntarij tollunt, & impediunt translationem dominij, ergò qui sic alium ad ludendum traxit, tenetur ei lucrifacta restituere.

Tum quia talis contractus est per iniuriam extortus, ergo ratione iniuriæ tenetur restituere damna inde sequuta.

Tandem qui minis, aut metu graui cogit alium, vt cum tertio ludat, & periculo rem suam exponat, proculdubiò, tenetur restituere, si inde damnum aliquod ei inde proueniat, ergo etiam attrahens tenebitur, si alium ad secum ludendum cogat, nam vtrobique eadem est iniuria.

Secunda verò opinio eſt vera, quando attractio eſt leuis, vt ſolet eſſe quæ fit per blandas ſuaſiones, & leues preces quæ nullam vim, nullúmque metum valet alteri incutere.

4 Ex quo deducitur ſententiam Alcoceri, & Adriani recipi poſſe in illis hominibus qui ludo valdè ſunt dediti, qui etſi aliquando renuunt ludere, id non eſt, quia eis ludus diſpliceat, ſed quia pro tunc in aliis negotiis occupati ludere non poſſunt, quia aliis parati ſunt ludere: vnde illis importunitatibus, vel exprobrationibus quas floccipẽdunt, magis ad ludum alliciuntur, quàm coguntur. Vnde ſic eos inducens ad nullam reſtitutionem tenebitur, quia iſti potiùs videntur accedere ad ludum allecti, quàm vi coacti; neque alterius importunitas eſt eis cauſa ſine qua non, & principalis ludendi, ſed ſua cupiditas.

QVÆST. XXXIX.

An qui importunis precibus alium ad ludendum attraxit teneatur in conſcientia reſtituere quæ in eo ludo lucrifecit?

1 D. Nauar. in Man. c. 16. num. 17. & c. 17. num. 13. Sylu. verb. reſtitutio. 2. dicto 9. & Sanch. lib. 4. de matrim. diſp. 10. partem tuentur affirmatiuam. Et ratio eſt, quia ludus eſt contractus quidam liberè, & voluntariè ſuſceptus; at preces nimis importunæ tollunt ratione voluntarij, ergo.

2 Oppoſitam ſententiam docent Adr. in 4. in materia de reſtitutio q. 15. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 444. Leſſ. lib. 2. cap. 26. dub. 2. & plerique alij. Ratio huius eſt, quia preces licet importunæ non tollunt voluntarium, licèt ex parte illud diminuant, niſi tanta ſit importunitas, vt attractus malit pecuniam ſuam amittere, quam tantis moleſtiis affici, quod raro contingit. Et hoc mihi ita videtur.

Promiſſa verò vim non afferunt, ſed blandè alliciunt; multóque magis munera, alioquin qui promiſſis, vel muneribus impetraſſet, officium, teneretur ad reſtitutionem, quod eſt ridiculum.

QVÆSTIO XL.

An qui compulſus acceſſit ad ludum ſi poſtea ad ludum applicitus animum concipiat lucrandi, ex tunc qui illum ad ludum impulit, Ius lucrandi acquirat, quo ante carebat?

1 GArcias tract. de contr. lib. 2. c. 19. affirmat ex eo fundamento, quoniam eo ipſo quòd in ludo conſtitutus decreuit lucrari ab altero, videtur ei concedere liberè Ius lucrandi, nam aliàs non eſſet æqualis vtriuſque conditio.

2 Oppoſitum tamen huius tenet Lopius lib. 2. de contr. cap. 22. & meritò quidem, quia qui compulſus ludit, non liberè, ſed coactè dat alteri ius lucrandi.

Tum quia qui verè tractus ſic ludit, abſolutè in ludum non conſentit, ſed ſuppoſito quòd vis ei infertur, mauult ludere, & lucrari quàm illam pati. Qui conſenſus non ſatis liber eſt ad concedendum trahenti Ius lucrandi. Secùs autem, ſi vi tractus ad ludum, non exuit, ſed aliunde ex alia noua cauſa accedente, omninò voluntariè decernit nouo ludere, & lucrari, & tunc ſi perdiderit, non tenebitur is qui lucrifecit ei reſtituere, quia licèt vi tractus ſit ad ludum, volũtariè tamen poſtea ludit.

An per iniuriam attractus ad ludum, poſſit retinere lucrum, quod fortè ab attrahente lucratur?

ALcocer. tract. de ludo c. 21. Garc. lib. 2. de contract. cap. 9. & Franc. Victoria, quos citat Lop. lib. 2. de contr. c. 22. tenent non poſſe retinere.

Sed communis ſententia eſt in contrarium. Probatur ſcienti, & volenti non fit iniuria, ſed qui vi, metu, aut fraude alium inducit ad ludum, ſciens, & volens dominium rei in ludo amiſſæ in inductum transferre cenſetur, quia ſua ſpontè ipſe ad ludendum acceſſit, ergo ſic inductus eum lucrando, & retinendo non facit ei iniuriam, ac proinde ad nullam reſtitutionem tenetur. Ita Roder. p. 1. ſum. c. 189. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 26. dub. 2. Lop. p. 2. inſtr. conf. c. 34. Salon. 2. 2. q. 5. art. 6. Medin. C. de reſtitu. q. 22. & Nauar. c. 20. num. 13.

Dices, attractus non poteſt perdere, ergo neque lucrari. Antecedens conſtat ex dictis, conſequentia verò probatur, quia

in

Digitized by Google

in ludo par debet esse vtriusque ludentium conditio.

Respondeo in ludo parem debere esse conditionem, nisi alter tacitè iuri suo cedat; & sic qui ludit cum eo quem inuitũ ad ludum attraxit, spontè subit hoc onus, vnde sibi ipsi imputare debet, si non potest aliquid ab eo lucrari.

De Sponsionibus.

1 IN cuius explicationis gratiam, quid hoc nomen sponsio significet explicare oportet: est autem sponsio idem, quod Italicè dicimus scommessa per quam spõdentes sibi aliquid mutuò promittunt in aliquem euentum incertum præteritum, vel futurum, v.g. certant Titius, & Caius, & Titius asseuerat Seium esse mortuum in bello, & Caius contendit non esse mortuũ. Aliquando certatur de futuro, nimirùm quòd cras cœlum pluet, aut quòd Bertha prægnans masculum pariet, aut quòd Antonius Cardinalis fiet, asseuerante Titio futurum, vt cœlum crastina die pluet, aut fore, vt Bertha masculum pariat, aut fore vt Antonius eligatur Cardinalis, Caio verò asseuerante contrarium.

Ex quo colligitur sponsionem non incommodè sic posse describi. Sponsio est contractus, in quo plures de euentu alicuius rei contendentes sibi vicissim pecuniam, vel quoduis aliud spondent, vt id eius sit, qui euentum, reique veritatem attigerit. Et videtur pertinere ad contractum innominatum, Do vt Des, vel facio vt facias.

An huiusmodi contractus sit licitus?

1 SYlues. verb. negotium quæ. 4. ait non esse licitum, quia nulli vtilitati, sed soli cupiditati deseruit.

Nihilominùs contrarium asserendum est cum Soto lib. 6. de Iust. q. 7. art. 1. Nau. cap. 20. nu. 18. Mol. tom. 2. disp. 508. Cou. in Reg. peccatum p. 2. §. 4. nu. 2. Med. C. de rest. q. 22. & multis aliis. Et ratio est, quia contrahentes ex æquo periculum subeunt, & ex æquo lucrum possunt acquirere, & si lucrum ad finẽ honestum ordinetur, potest esse actus virtutis, ac proinde meritorius.

An quando alter decertantium est omnino certus de aliqua re possit de illa sponsionem facere. v. g. Titius vidit mori & sepeliri Caium, An si Titius possit licitè sponsionem facere, quòd Caius sit mortuus?

1 PRo decisione huius quæstionis obseruandum est primò, quòd tunc dicitur aliquis certus de aliqua re, quando pro certo illam nouit, aut per scientiam, aut per diuinam reuelationem, aut per experientiam sensuum, præsertim visus, tactus, vel gustus.

Quo posito ad quæstionem respondeo negatiuè. Ratio huius est, quia certantium æqua debet esse conditio. Ita Molina tom. 2. de contr. disp. 508.

5 Hinc non valet sponsio, qua Titius pro certo sciens Bertham peperisse masculum. qui eam vidit parientem, dissimulato partu ad sponsionem prouocauit Caium, quod Bertha pariet masculum, quia nõ est æqualis conditio ex parte vtriusque, is enim qui pro certo rem nouit, non potest perdere, ergò nihil potest lucrari.

Ex quo sequitur licitam esse sponsionem licèt res, de qua certatur, alteri parti contrahentium sit nota, aut per opinionẽ probabilem, aut signa, & media ac coniecturas probabiles, aut per fidem, & authoritatem humanam quia hæc omnia deficere possunt, aut decipere solent, cum tantùm sint probabilia, non certa, vt docet Garcias p. 2. de contract. cap. 13.

Hinc colligitur quid sit dicendum ad quæstionem illam, quâ vnus credit esse certissimum quod ipse affirmat, & quod oppositum sit penitus falsum, an licitè ipse possit facere sponsionem super re, quam ipse credit esse certissimam, nimirùm contendendo cum alio, quòd res, sicut ipse affirmat.

Pro cuius quæstionis illucidatione dico primò, quòd fieri potest, vt talis sponsionẽ faciendo, & decertando peccet, quia secũdum opinionem suam nulli se exponit periculo, aut damno, siquidem credit rem quam ipse affirmat esse certissimam. Mol. tom. 1. de contract. disp. 508.

Secundò dico, quòd fieri potest, vt iste non peccet mortaliter sic decertando, si sciat licitum sibi esse, vt reuerà est, sic decertare, quia licet opinabiliter credat rem sic se habere, sicut ipse affirmat, non tamen nouit eam ex scientia, aut diuina reuelatione, aut per experientiam. Ita Mol. supra.

Tertiò, & vltimò dico, quòd si reuera res de qua certatur solùm opinabiliter credatur, tunc licèt quis peccet mortaliter decertando, putans sibi eo casu esse licitum decer

decertare, nihilominùs reſtituere lucrum ex ſponſione acquiſitum non tenetur, quia reuerà periculo perdendi ſe expoſuit, licet non ſecundùm ſuam æſtimationem, ſicut ſi quis contractum celebret reuera iuſtum, & licitum, quem tamen ipſe putat eſſe vſurarium, peccat quidem, quia agit contra conſcientiam dictantem eſſe vſurarium, non tamen obligatur ad reſtitutionem lucri, quia in re nulla ex iniuſtitia, aut vſura.

QVÆST. XLIV.

Quid ſit dicendum quando vnus decertantium eſt omninò certus de re, aut per ſcientiam, aut per diuinam reuelationem, aut per experientiam veram, & tamen alter hoc non obſtante vult cum eo contendere, affirmando rem aliter ſe habere. An licitè poſſit hic qui eſt omninò certus cum alio decertare?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi ille alius qui certat, credit hunc dicere, & aſſeuerare veritatem, tunc iſte qui certus eſt de re, licitè poteſt ſibi retinere lucrũ quod vincendo acquiſiuit. Ratio eſt quia ſcienti, & volenti non fit iniuria, & ille alius ſciens, & volens vult perdere; ergo nulla fit illi iniuria.

Secundò dico, quòd quando ille alius admonitus facile credere poteſt ſi vult, quod iſte, qui certus eſt de re, non decipitur v.g. ſi ego affirmem quòd commederim aut ſcripſerim, & alius vult mecum contendere, quòd ego nihil tale fecerim, tunc licitè poſſum decertare, & lucrum retinere, quòd ille perdidit aſſeuerãdo me non comediſſe, aut ſcripſiſſe, quia ipſe ſciens & volens vult perdere, & ita lucri donationem mihi facit.

Tertio, & vltimò dico, quotieſcunque ille alius admonitus de hoc quòd ego certò cognouerim, vult mecum decertare, quia putat me falli in eo quod affirmo: tũc licitè poſſum lucrum retinere, non enim ſum cauſa quod ille fallatur, ſi quidé monitus à me de re, de qua ego ſum certus, vult mecum contendere, quòd non ita ſit, ergo ſponte ſua vult perdere: ſicut ſi Titius vendat gemmam magni valoris, quam tamé ipſe credit minoris eſſe valoris, & ideò ab emptoribus minus pretium exigit, ego tamen moneam illum eam gemmam eſſe maioris valoris, ac pretii, quàm ſit illud, quod ipſe per gemmam petit, & tamen Titius à me ſit monitus ſemel & iterum mihi non credit, ſed putat falli, & ita vendit mihi gemmam minori pretio, non videtur quod teneat reſtituere illi aliquid, qui ſponte ſua voluit in errore perſiſtere, & vendere gemmam minori pretio. Ita ſentiunt Medina C. de reſt. q. 22. Couar. in reg. peccatum p. 2. §. 4. nu. 2. & communis, à qua tamen recedit Molina tom. 2. de contr. d. 508. & meritò quidem quia contractus eſt inæqualis, neque verè qui decipitur, vult plena libertate condonare, ſed inuoluntariè mixtè ob ignorantiam ſuam & errorem vult amittere in euentu quòd ipſe deciperetur.

QVÆSTIO XLV.

Quid? ſi inter Titium & Iohannem facta ſit ſponſio quòd Petrus currendo, vel ſaltando vincet Iohannem, & deinde Ioannes nollet currere, aut ſaltare, An Iohannes obligetur ſoluere quod eſt in ſponſionem depoſitum?

1 RESpondeo teneri. Et ratio huius eſt, quia eo ipſo quòd per Ioãnem ſtat, quòd curſus non fiat cenſetur impleta cõditio. Sicut ſi emiſſem à piſcatore iactum retis, & piſcator nollet rete iacere, tenetur vel rete iacere, vel mihi reddere pretium ſolutum: ſic etiam Iohannes vel tenetur currere, vel ſponſionem ſoluere.

QVÆSTIO XLVI.

Quid ſit dicendum de multis ſponſionibus quæ habent conditionem illicitam v.g. ſi duo certent de edendo, vel bibendo ſponſione facta quòd alter alterum edendo vel potando vincet; vel ſponſionem faciat quòd Titium interficiet, vel quòd hoc anno occidetur Princeps?

1 RESpondeo huiuſmodi ſponſiones eſſe legibus ciuilibus damnatas, quia ſpe lucri homines inducuntur ad peccandum in huiuſmodi ſponſionibus optando mortem alicuius, nihilominùs tamen lucrum acquiſitum ex huiuſmodi ſponſionibus non eſt ex obligatione reſtituendum, ſi ſecluſo dolo & fraude ſit partum, quia licèt peccet ſic contra leges ſponſionem faciendo, non tamen peccat contra iuſtitiã lucrum retinendo, quia leges prohibent peccatum fieri, non tamen ſtatuunt lucrũ acceptum eſſe reſtituendum.

QVÆ

QVÆSTIO XLVII.

Quid ? ſi ſponſio ità fieret , ſi Turca hoc anno occideretur,dabo tibi centũ , licetnè ſponſio?

REſpondeo licere.Ratio eſt,quia nullum eſt peccatum expectare mortem inimici fidei.

QVÆSTIO XLVIII.

An ſponſiones quæ fieri ſolent Romæ ſuper electionem Romani Pontificis , quando Cardinales ſede vacante conclaue ingreſſi tractant de eligendo Pontifice ſint licitæ?

AD hoc dico primò , quod huiuſmodi ſponſiones ex natura rei, non ſunt illicitæ , quia ſunt de re dubia & incerta,& de euentu dubio,in quo vterque ſpondentium ex æquo lucrifacere,& perdere poteſt.

Secundò dico quòd huiuſmodi ſponſiones ſunt prohibitæ ex iure poſitiuo humano, quia prohibentur in Bulla Pij Quarti de reformatione conclauis ſuper electione Romani Pontificis, quæ incipit. In eligendis Eccleſiarum Prælatis Anno tertio eius Pontificatus.

QVÆSTIO XLIX.

An iſtæ ſponſiones ſolùm ſint prohibitæ fieri in Vrbe, an verò in vniuerſum etiam extra Vrbem?

1 REſpondeo tantò eſſe prohibitas fieri in Vrbe.Ratio eſt,quia Bulla ait, contrafacientes ſubiiciantur pœnæ gubernatoris, & arbitrio futuri Pontificis, ergò videtur loqui de his , qui ſponſiones faciunt in Vrbe.

Ex quo colligitur nullam excommnicationem,vel aliam cenſuram eſſe impoſitam à Romano Pontifice contra facientes huiuſmodi ſponſiones in vrbe.

QVÆSTIO L.

An lucrum quod ex iſtis ſponſionibus acquiritur,in Vrbe fieri ſolitis ſuper electione Papæ in foro conſcientiæ retineri poſſit?

REſpondeo non poſſe. Ratio eſt, quia Bulla prædicta non ſolùm prohibet eas fieri ob incommoda multa , quæ ex illis oriri poſſunt , ſed etiam decernit eas eſſe nullas,& irritas,tam in iudicio, quàm extra iudicium.Quantum verò eſt ex conſuetudine,non videtur eſſe obligatio reſtituendi huiuſmodi lucrũ,nam conſuetudine videtur eſſe derogatum Bullæ ex hac parte.

QVÆSTIO LI.

An ſponſiones quæ in Vrbe fieri ſolent pro electione Cardinalium ſint prohibitæ aliquo iure poſitiuo humano ?

REſpondeo nullam eſſe Bullam æditam, quæ iſtas ſponſiones prohibeat , quia hæ ſponſiones non habent ea incommoda,quæ habent,aut habere poſſunt ſponſiones quæ fiunt de electione Pontificis.

QVÆSTIO. LII.

An iſtæ ſponſiones licitæ ex eo quòd alter decertantium ſæpè ſit certus de electione Cardinalis ex teſtimonio alicuius qui plurimum valet apud Pontificem, cuius eſt Cardinales creare?

REſpondeo non ob hoc eſſe illicitas, quia ſemper manet res dubia , & incerta pendens ex voluntate libera, & mutabili Pontificis.

Tum quia teſtimonia humana ſolùm faciunt certitudinem humanæ fidei, quæ ſæpè decipitur,& fallitur , & hominum voluntates etiam Papæ Cardinales eligere volentes ſæpè mutantur,aut variis de cauſis mutari poſſunt.

QVÆSTIO LIII.

Sed quid ? ſi Titius ex ipſo Pontifice audierit Caium creandum eſſe Cardinalem , an poſſit Titius ſponſione facta decertare Caium futurum eſſe Cardinalem?

SVnt multi cui exiſtimant Titium licitè poſſe decertare , quia voluntas Pontificis ſæpè mutari ſolet.

Contrarium tamen quod tenet Ioan. Azor.p.3.inſt.mor.lib.11.c.2.videtur verius, atque tenendum.

QVAE

QVÆST. LIV.

An huiuſmodi contractus ſiat illicitus ex eo quòd diligentia adhiberi ſolet, vt probabilis coniectura habeatur, an Titius ſit Cardinalis eligendus, & habita coniectura probabili ſtatim ſiat ſponſio?

REſpondeo huiuſmodi cõtractum non fieri illicitum ex huiuſmodi diligentia. Ratio eſt, quia omnes iſtæ coniecturæ ſunt humanæ, & nunquàm certæ omnino.

Tum quia in huiuſmodi ſponſionibus ambo cõmuniter ſpondentes ſolent adhibere diligentiam, ne lucrum amittant, & qui non facit, ſibi imputet.

QVÆSTIO LV.

An ſit licitus contractus, quo Titius accipit à Caio centum, ea lege vt Titius reddere teneatur ducenta, ſi poſt quinquennium ex Sicilia incolumis redierit, vel vxorem duxerit, vel ſi poſt decennium vixerit, ſin minùs amittat centum quæ dederat Titio, & ea ſibi Titius acquirat?

REſpondeo contractum eſſe licitum, quia in hoc contractu eſt quædam incertitudo euentus futuri ob quam vterque contrahentium lucrari, & perdere poteſt. Et hæc de ludo dixiſſe ſufficiant.

DE RESTITVTIONE FACIENDA RATIONE GABELLARVM.

DISPVTATIO TRIGESIMATERTIA.

DE hac materia agunt Theologi in 4.diſt.15.D.Thom. in Opuſc. 20.de Regimine Principum lib.1.ca.12. & lib.3.c.5.& 11.Sot. lib.3.de Iuſt.q.6. art.7.& lib.4.qu.6.art.4.Arag.2.2.q.62.art.3.& Cou. in Reg.peccatum p.2.§.5.Med. C.de reſt.q. 13.Ban.2.2.qu.62.art.3.Mol.tom.3. de Iuſt.d. 661.Leſſ.lib.2.de iuſt.c.33.Valent.tom.3.d.5. q.6.p.5.Lop.p.2.inſt. conſ.c.36. Tolet. lib.5. ſum.ca.72.Nauar.c.17.nu.201. & cap.23.nu. 54. Roder. p.2.ſuæ ſum. cap. 72. Alfonſ.de Caſt.lib.1.de lege pœn. cap.11.Petr.Nauar. lib.3.de reſt.c.1. nu.230. Cordub.in tract.de caſib.conſcien.qu.95.Salon. lib.2.de contr. diſp.de tributis.Canoniſtæ in c. ſuper quibuſdam extr.de verb. ſignif.cap.quam primum de cenſibus,c. inuocamus. Summiſtæ verò vt Ang.Syl.Tab.Piſan.Caiet. Armilla, & plerique alij verb. Vectigal. Pedagium, Gabella,& munus.

1 Et vt ab explanatione variorum nominum, variorumque generum gabellarum exordiamur, obſeruandum eſt primò penſiones, ſiue impoſitiones, ſiue exactiones quas ſubditis Principes imponunt, multis nominibus appellari, dicuntur enim cenſus,tributum,vectigal, datium, duana,theolenum,aſſiſſum,gabella,pedagium,guidagium,portorium,penſio, ſalinarium,tallia, collecta, & munus.

Cenſus dicitur penſio, quàm vnuſquiſque ciuis ſuo Principi, vel Reipublicæ ſecundùm quantitatem, quàm poſſidet, præcipitur ſoluere.Dicitur autem cenſus à cẽſendo,eo quòd cenſeri debet patrimonium quod inde pro eius ratione, & valore tributa ſoluantur.Vndè hodie idem ſunt cenſus & tributum.Nam olim cenſus erat tributum,quod ciues pro capite Principi, vel Reip. tribuebant daturque in ſignum ſubiectionis.Et hoc eſt, quòd à Chriſto Iudæi ſciſcitabantur,An liceret cenſum dare Cæſari,an non, ideſt pro ſubiectione, & quia ſuperbiæ tumorem hoc genus cenſus ſpectat, inter Chriſtianos Principes non eſt tam in vſu frequens,& quia ad hunc finem Dauid numerari fecit populum, ob id fuit tam acriter à Deo punitus.

2 Tributum eſt penſio quæ ex fundis vel prædiis in ſubſidium Regis, vel Reipublicæ præſtatur. Et dicitur tributum (teſte Varrone) à tribubus,quia ea pecunia quæ in ſubſidium Principis,vel Reipublicæ ſolui præcipiebatur, tributum,hoc per ſingulas tribus, iuxta patrimonium cuiuſque à ſingulis ſoluebatur. Vel (teſte Alberico in dictionario) dicitur à tribus gentium generibus,ex quibus populus Romanus creatus eſt: vnde etiam tribunos plebis dictos fuiſſe affirmat.Vel, vt ait Feſtus (referente

Caie

Digitized by Google

Calepino) dictum esse à tribuendo, quia ex priuato in publicum tribuitur.

3 Vectigal est pensio quæ soluitur ex rebus, ac mercibus, quæ exvno loco in alium asportantur negotiationis gratia. Vnde dictum est Vectigal à vehendo. Vocatur hispanicè alcabala, & vt ait Sylvest. idem omnino est quod datium; soluiturque decima mercium pars: fuit autem institutum istud tributum pro refectione pontiũ, & viarum, aliorumque id genus publicorum operum.

Duana est pensio quæ soluitur pro rebus venalibus, quæ ab vno Regno in aliud vendendæ transportantur.

Theloneum est pensio, quæ soluitur ex mercibus marinis ad littus aduectis. Assisum est pensio quæ imponitur vino, oleo, carnibus, & aliis ad victum pertinentibus, quæ venduntur.

Gabella est pensio, quæ imponitur rebus quæ emuntur, vel venduntur, aut ex loco in locum transferuntur ad humanos vsus.

4 Pedagium est pensio, quæ soluitur à transeuntibus per aliquam viam, seu locum pro custodia viarum. Et dicitur pedagium à pede, eo quòd à transeuntibus per vias publicas, vel per pontem soluitur.

Guidagium est pensio, quæ soluitur, vt quis ducatur tutò, & securè per terram alicuius.

Portorium est pensio, quæ soluitur ex iis, quæ portantur. Vel vt ait Toletus, ex eo quod in porta Ciuitatis soluitur.

Pensio est pretium vsus rei locabilis.

Salinarium est pensio, quæ pro sale inuecto, vel euecto soluitur.

5 Tallia est pensio, quàm Princeps aliquando pro occurrentibus necessitatibus solet exigere ab inferioribus. Et secundùm Sylvest. idem sunt Tallia, præstantia, collecta, & impositio.

Munus pro vt est genus exactionis est onus, quòd necessariò subimus lege vel imperio eius, qui iubendi habet potestatẽ. Et est triplex, reale, personale, & mixtum.

Munus reale est, quod Principi præstatur, sumptu vel detrimento rerum, siue bonorum, quæ quis habet, vt iumentis, plaustris, cambiis.

6 Personale est quod personali aliquo labore siue sumptu, aut detrimento rerum exhibetur. Vt seruire certis temporibus Principi in aula, vel foris, illum ad hæc, vel illa loca, aut etiam ad bellum comitari.

Mixtum est, quod vtroque modo exhibetur, vt cum quis suis expensis tenetur Principem comitari ad bellum.

Nos autẽ pro clariori notitia hæc omnia nomine gabellæ appellabimus. In cuius gratiam, primò inquirendum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit Gabella?

1 RESpõdeo, quod est tributum à Principe in communem vtilitatem exactum. In qua definitione quatuor particulæ continentur. Prima est (tributum) quo nomine intelligitur id quod aliquis dat, seu contribuit in subsidium Regis, vel Reipublicæ.

Secunda est (publicum) ad denotandum quod gabella non ab vno, aut altero exigitur, sed à communitate.

Tertia est à (Principe) ad significandũ non esse priuati hominis exigere gabellas, sed habentis ad id authoritatem.

2 Quarta, & vltima est (in communem vtilitatem) quia vt gabella sit iusta, debet contribui ob publicam vtilitatem, vel vrgentem necessitatem Reipublicæ. Vnde si datur aliquando pro Regis alitione, id est, quia persona Regis vtilis est Reipublicæ.

QVÆSTIO. II.

Quotnam conditiones requirantur, vt gabella sit iusta, ac debeatur in conscientia fori?

1 RESpondeo quinque, vt tradunt authores supra citati, & pulchrè Illustrissimus Caiet. in sum. verb. vectigalia iniqua. Prima conditio ad id necessaria est causa efficiens, idest vt imponatur ab habente legitimam authoritatem. Ratio est, quia cum gabella obliget in conscientia, exigitur necessariò authoritas, & Ius in eo qui illam imponit ad compellendos subditos ad illius obseruantiam.

Secunda conditio necessaria, vt gabella sit iusta, & in conscientia debeatur ex debita forma, idest vt seruetur iustitia distributiua, hoc est iusta, & æqua proportio, ne vnus magis grauetur, quàm alius, sed vnusquisq; iuxta suas facultates, & vires in gabellã contribuat. Seruanda est etiam debita

propor

propertio cum neceſſitate, propter quam imponitur, ita vt non maior gabella, quam iudicio prudentum videbitur deſiderari ad publicam illam neceſſitatem leuandam. Vnde ſi cauſa eſt parua, & gabella eſt magna, erit iniuſta, vt dicitur in iure, vt ſi v.g. colligerentur decem millia aureorum, vbi quatuor millia ſufficerent neceſſitati, quæ Reipublicæ ſeſe obtulit.

2 Tertia conditio eſt debita materia, ideſt vt gabella imponatur perſonis & rebus nó exemptis ac liberis ab omui gabella.

Quarta conditio neceſſaria eſt cauſa finalis, ideſt publica vtilitas, vel vrgens neceſſitas Reipublicæ, vel ſuſtentatio dignitatis Principis: cum enim Princeps pro Republica laboret, eam regendo, in pace conſeruando, & defendendo, ratio exigit vt viciſſim Reſpublica eum pro dignitate ſuſtentet; dignus eſt enim operarius mercede ſua. Hac ratione gabella eſt iuſtum Principis ſtipendium.

3 Quinta, & vltima conditio, vt gabella ſit iuſta, eſt, vt inſumatur in publicam vtilitatem, ob quam fuit impoſita. His enim quinque conditionibus exiſtentibus gabella iuſta erit, altera autem illarum deficiente, erit iniuſta, iniuſtéque exigetur.

QVÆSTIO III.

Quiſnam poſſit gabellas imponere?

1 REſpondeo Princeps quicunque ſuperiore carens, poteſt gabellas imponere, & eas aliis ſibi ſubiectis, cõcedere Vt habetur in Conc. Later. Et habetur in c. innouamus de cenſu. Et in cap. ſuper quibuſdam de verb. ſignif.

2 Ex quo ſequitur primò, hanc poteſtaté eſſe in Imperatore, qui in locis ſuo imperio ſubiectis poteſt gabellas imponere.

Secundò ſequitur, huiuſmodi facultaté eſſe in omnibus Regibus. Et licèt Ang. verb pedagium ſequutus Hoſt. in cap. innouamus de cenſu, ibi exponat ſolùm de Regibus Romanorum, qui poſt electionem ante coronationem non appellantur Imperatores, ſed Reges Romanorum, tamen vt communis Doctorum ſententia fatetur, omnes Reges cõmuniter in ſuis Regnis Iura Imperatoris præſcripſerunt, ac proinde poſſunt gabellas imponere, & eas aliis ſibi ſubiectis facultatem ad illas imponendas concedere, ſicut Imperator, & ita in praxi in Regnis Galliæ, & Hiſpaniæ, obſeruari videmus.

3 Tertiò ſequitur, hanc poteſtatem eſſe in ſummo Pontifice, qui in terris Eccleſiæ ſibi ſubiectis poteſt gabellas imponere, & eas aliis concedere, & vt cæteri Reges imponere ſibi ſubditis eas poſſunt, habet quippe ſummus Pontifex eorum cõparatione parem, eandemque cum Regibus poteſtatem. In aliis autem locis minimè ſibi quo ad temporale dominium ſubiectis directè non poteſt gabellas imponere, quia gabellæ debitæ ſunt Principibus ſæcularibus pro regimine ciuili, ſeu tẽporali, pro ſpirituali autem non dantur gabellæ, ſed decimæ: ſi tamen id eſſet neceſſariũ ad defenſionem Eccleſiæ & bonorum ſpiritualium, & Principes Chriſtiani eſſent negligentes, nec alia ſuppeteret ratio ſuccurrendi, poſſet ſummus Pontifex extra ditionem ſuam temporalem tamen cum venia & de conſenſu Regum, ac Principum prout opus eſt ad defenſionem Reipublicæ ſpiritualis, & omnes Chriſti fideles non minùs tenẽtur obedire, & ſuccurrere Pontifici ad defenſionem Reipublicæ ſpiritualis, quàm Principi ſæculari ad defenſionem Reipublicæ ciuilis.

4 Quartò ſequitur huiuſmodi poteſtatem eſſe in omnibus aliis qui poteſtatem quaſi regalem habent qua in ſua adminiſtratione ſuperiorem non cognoſcunt, quales Dux Sabaudiæ, Florentiæ, Mantuæ, & ſimiles.

5 Quintò, & vltimò ſequitur talem facultatem eſſe in qualibet Republica libera habente merum, & mixtum Imperium, vt ſunt VENETA, Genuenſis, Lucenſis, & quælibet Ciuitas tale Imperium habens, nã Rex quoque dicitur qui in temporalibus nulli ſubiicitur. Ratio eſt, quia tota poteſtas ſupremi Principis, illi à Republica tradita eſt, ergo multò magis hoc poteſt Reſpublica nulli ſubiecta, cum de iure naturæ ſit, vt omnis Reſpublica illa poſſit, quæ ad eius conſeruationem, & gubernationem ſunt neceſſaria. Quorum omnium ea eſt ratio, quia cum nullus militet ſuis ſtipendiis vt docet Paul. ad Corinth. 9. & Princeps militet pro Republica tanquàm cuſtos pacis illius, ſequitur quòd poterit à Republica, quam adminiſtrat iuſtum ſtipendiũ petere. Vnde idẽ Apoſt. ad Rom. 13. dicebat reddite

omnibus

omnibus debita,cui tributum, tributum, & cui vectigal, vectigal, & appellat tributum debitum, vt hac ratione omnes intelligerent Principem ſupremum habere ius ad illud petendum.

QVÆSTIO IV.

An peccent mortaliter, & ſint excommunicati qui in temporalibus ſuperiorem agnoſcentes, abſque ſuorum ſuperiorum facultate gabellas imponunt?

1 AD hoc dico primò, quod Comites Marchiones, vel Duces, & ſimiles, Regi ſubiecti qui gabellas imponunt, cum ad id non habeant facultatem, in primis peccant mortaliter contra iuſtitiam, quia vſurpant propriam authoritatem Principis, quod eſt velut crimen læſæ Maieſtatis, quod in re graui eſt lethale.

Tum quia accipiunt alienum, vel ſaltem nituntur accipere via iniuſta quod ſpectat ad ſpeciem furti,quod ex obiecto eſt mortale.

2 Secundò dico, quòd ſupradicti qui non habentes merum, & mixtum imperium ſine ſedis Apoſtolicæ licentia,aut Imperatoris,aut Regis gabellas imponunt vel impoſitas exigunt ſunt excommunicati in Bulla cœnæ Domini, & ad reſtitutionem eorum omnium tenentur, quæ per tales gabellas acceperunt. Ita Tolet. lib. 1. ſum. cap.21.& Nauar cap.27. num. 61. qui docent per exigentes intelligi etiam hæredem imponentis, qui eas continuat, & publicanum, ſeu conductorem, & miniſtros,qui iuſſu dominorum exigunt.

QVÆSTIO V.

An qui abſque prædicta authoritate gabellas veteres ſolum augent,incurrant eam excommunicationem?

1 ARmil. verb. gabella §. 8. & Roſel. verb. excommunicatio 44. §. 5. negant eam incurrere,quia id non eſt nouam gabellam imponere.

Contrariam tamen ſententiam merito Doctores communiter affirmant, quoniam augere gabellas veteres,eſt de nouo imponere id incrementum iniuſtum.

2 Hoc tamen dubium locum habebat in Bullis ante Pium Quintum,nunc verò nulla eſt dubitandi ratio.nam à tempore Pij V. addita eſt illa particula (impoſitas augent) quod adiectum fuit ad dirimendam eam controuerſiam, approbandamque illam communem ſententiam,quæ vera erat iuxta legiſlatoris mentem. At quamuis adiecta non eſſet illa particula, verè erat prohibitum, nam ex illo augmento reſultat noua gabella, & eſt reuera noua impoſitio. Nau. cap. 27. nu. 58. & Tolet.lib.1.cap.21.

QVÆSTIO VI.

An antiqua conſuetudo, cuius initij non extat memoria, poſſit conferre alicui ius imponendi gabellas?

1 SAlon.lib.2.de contr. diſp. de tributis. Et Caſtro lib.1.de leg.pœn.c.11.negât.

2 In controuerſia tamen ſententia ſunt Molina tom.3.de iuſt.diſp.666.Valent.to.3.diſp. 5.quæſt.6.p.5. Leſſ.lib.2.de iuſt.cap.6.dub.12. & cap.33.dub.2.Med.C.de reſt.quæ.14.Nau. cap.17.nu.202. & plerique alij qui affirmant antiquam conſuetudinem de qua non extat memoria dare etiam facultatem imponendi gabellas. Ratio eſt, quia Ius meri, & mixti imperij quod dicitur quaſi regium, ſeu independentis adminiſtrationis poteſt vſucapi abſque titulo tempore immemorabili, & cum titulo, tempore quadraginta annorum. Et eſt concluſio definita in cap. ſuper quibuſdam de verb. ſignificatione.

Conſuetudo autem dicitur immemorabilis, cuius initij non extat memoria,nimirùm, quæ eſt centum annorum; probatur autem conſuetudo immemorabilis per teſtes maiores quadraginta annis, qui teſtimonium reddere debent de viſu,de toto illo tempore quadraginta annorum, de reliquo verò tempore reddere teſtimonium debent de auditu, nimirum quod à maioribus ſuis audierint ſic ſemper eſſe factum, & nunquam contrarium.

QVÆSTIO VII.

An qui præter pedagia, & gabellas imponunt nouas collectas, ſeu tallias, & alia ſimilia ſint excommunicati in Bulla cœnæ?

1 ILluſtriſſimus Tolet.lib.1.ca.21.putat eſſe excommunicatos. In eadem ſenten-

tia est Author. cand.aur. in explicat. Bullæ cœnæ Domini nu.138.vbi sic ait.Nota quòd per pedagia,& gabellas intelliguntur etiam omnia alia onera,vel grauamina vt datium, pedagium,guidagium,tallia, census, tributum, angaria, pensio, collecta, impositio, vectigal, assissum, &c. Hæc ille. Hoc ipsum videtur innuere Nauar. cap. 27. num. 61.

2 Alij verò vt Illustrissimus Caiet. in sum. verb. vectigal. & verb. excommunicatio cap.71.Less.lib.2.de iust.cap.33.dub.2.& plerique alij rectiùs docent imponentes nouas collectas seu Tallias non esse excommunicatos in Bulla puniente imponentes noua pedagia, vel gabellas, aut augentes,& exigentes eas prohibitas imponi, vel augeri. Ratio est,quia pœnæ nō sunt extēdēdæ vltra proprios casus. Hæc autem onera & fine, & institutione differunt à gabellis, & pedagiis,vt constat,ergo.

Tum quia Bulla solùm loquitur de gabellis, quæ indigent authoritate Principis vt poni possint,qualia sunt tributa,& vectigalia,nam dicit, excommunicamus eos qui in terris suis Pedagia, vel Gabellas ad id potestatem non habentes imponunt. Non autem de collectis, & Taliis, quæ solo populi consensu institui possunt, nec indigent aliqua Principis facultate.

QVÆSTIO VIII.

An imponentes gabellas quouis modo iniustas incurrant hanc excommunicationem ?

1 ANg. verb. pedagium §.5.& Tab.ibidem §.6. putant eam incurrere.

2 At communis sententia est,non incurrere, sed eos tantùm qui sine authoritate sui supremi Principis eas imponunt. Et ego ità credo, non enim Bulla iniusta pedagia seu gabellas, sed noua imponentes,aut augentes sine authoritate excommunicat.

QVÆSTIO IX.

An qui à sponte dantibus accipiunt huiusmodi pedagia, & gabellas iniustas ex parte authoritatis, in excommunicationem cœnæ incidant ?

1 REspondeo non incidere. Ratio huius est, quia isti non exigunt, nam exigere est tanquàm ex debito,& Iure à nolente extorquere;dicitur autem nolens soluere,qui vel imperio,vel minis,vel arrestatione bonorum, aut personæ inductus soluit:vt quando iubetur sistere,aut apprehenduntur res,donec soluat; vel quando asperitate verborum, vultus, vel alio quouis modo malè tractatus, soluit, inuitus soluere censetur,rarus enim est,aut nullus qui teste Caiet. sponte soluit.

2 Est autem hic notandum,quòd in his qui Ecclesiasticis sine legitima potestate gabellas imponunt, sunt etiam excommunicati exigentes, & accipientes etiam à sponte dantibus:vt inferiùs amplùs dicemus:modò enim tantùm verba facimus de pedagiis, seu gabellis ex defectu authoritatis tantùm personis laicis impositis. Tolet.lib. 1. cap. 21.

QVÆSTIO X.

Quæ sit causa legitima imponendi gabellas ?

1 REspondeo esse communem aliquam, & publicam necessitatem, vt ait D. Tho.in epist.ad Ducissam Brabantiæ,Caiet. in sum.verb.vectigal, & Sylu. verb.gabella 3.qu.3.Ratio huius est,quia hoc interest inter verum Principem, & tyrannum, quòd hic suis commodis tantùm, suæque cupiditati, ille verò bono communi consulit, & prospicit,nec quicquam imponit,vel decernit,nisi communi, & publica necessitate illud exigente.

Causæ verò seu necessitates publicæ,duodecim afferuntur à Doctoribus.

2 Prima est, quando Princeps caret patrimonio ad regiam Maiestatem conseruandam, hoc enim ad bonum publicum pertinet, quia sicut Principis est populum regere,Ius dicere,hostes repellere, iniurias vindicare,ac denique tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ita viciſſim Respublica tenetur sumptus necessarios ad hæc præbere, ac proinde potest tributa,& gabellas imponere,quàtùm prudentis arbitrio ad huiusmodi regias necessitates videbitur desiderari.

Secunda est ad ineundum aliquod bellū iustum ob defensionem Ciuitatis,& Regni.

Tertia est pro expensis belli iusti inferendi contra infideles, nimirum paganos, hæreticos, & schismaticos.

Quarta

Digitized by Google

Quarta pro redimendo Principe, vel eius filio in bello iusto, capto ab hostibus; nam si bellum esset iniustum, esset ex proprio patrimonio redimendus.

Quinta ad satisfaciendum læsis in bello iniusto, vt si aliqua Respub. iniustè aliquos damnificasset. Quia ratio exigit vt Respublica quibus damnum intulit, satisfaciat.

3 Sexta est pro refectione, vel instructione viarum, pontium, fontium, puteorum, mœnium, turrium, & similium quibus Respublica plurimùm indiget.

Septima propter aduentum Principis in Ciuitatem.

Octaua pro filia Principis matrimonio collocanda.

Nona pro liberanda Republica ab aliquo debito, vel onere, vt si ciues inter se pecuniam ad redimendum tributum colligerent.

Decima ad redimendam Rempublicam ab aliquo obsequio, quod hostibus soluitur.

4 Vndecima causa est iusta compensatio sumptuum, & damnorum acceptorum, vt quando Resp. iniquè rebellauit contra suum Principem, eique causa multorum sumptuũ, & damnorum fuit.

Duodecima & vltima causa imponendi gabellas est iusta vindicta, quod fit quando Respublica suo Principi iniuriam irrogauit Ita Less. lib. 2. de iust. ca. 33. dub. 6.

QVÆSTIO XI.

Quid dicendum si Princeps sua culpa in egestatem incidit? v.g. ludis, conuiuiis, profusis largitionibus, bellis iniustis, An possit tali vrgente necessitate gabellas imponere?

1 GAb. in 4. d. 15. negat, quia huiusmodi necessitas sua culpa accidit.

2 Sed contrarium est verius. Vnde dico quòd parum refert an talis necessitas sua culpa eueniat, an non, nam quicquid sit de hoc, si verè Respublica suo Principe indiget, ne in futurum maius detrimentum patiatur, potest licitè in tali casu nouis exactionibus subditos grauare, si ipse non potest aliter suis necessitatibus subuenire. Sed in hoc casu deberet Princeps omnes sumptus parùm necessarios resecare, & postea cum ad meliorem fortunam venerit, illud extraordinarium damnum sua culpa conflactum, Reipublicæ resarcire.

QVÆSTIO XII.

An Ecclesiastici sint à solutione gabellarum exempti?

1 IN qua re conuenit inter omnes, Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, & res illarum esse iure exemptas à gabellis, & tributis Principum sæcularium.

Sed dubium est, Quo iure talis exemptio sit introducta, diuino, an humano?

2 In hac grauissima quæstione tres sunt opiniones. Prima est asserentium ecclesias, & ecclesiasticas personas iure Regio, & non Ecclesiastico esse à gabellis immunes. Ita Med. C. de rest. qu. 15.

Sed hæc opinio falsa est, quia si tantùm iure Regio Ecclesiastici exempti essent a gabellis, summus Pontifex non posset excommunicare Reges, si hæc immunitatis Priuilegia reuocassent, sicut de facto excommunicat Principes omnes qui hæc immunitatis à solutione gabellarum Priuilegia infringunt.

Secunda affirmat, Ecclesiasticos esse exẽptos de iure diuino. Ita Nauar. in cap. Nouit. de iudic. notab. 6. num. 6. Et videtur esse concluso definita in cap. quamquam de censibus in 6. vbi Bonifacius viij. inter cætera sic ait. Cum igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm iure humano, quinimò, & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes. Ibidem contrariam consuetudinem dicit esse corruptelam.

Ex quo infertur, hoc ius non posse contra Ecclesiasticos vsucapi.

3 Sed hæc opinio (pace tanti viri sit dictum) est etiam falsa, quia in primitiua Ecclesia, Ecclesiastici erant subiecti Principibus sæcularibus, & ex bonis suis etiã ecclesiasticis, tributa soluebant vt habetur in ca. si tributum 11. qu. 1. & c. tributum. 23. q. 8. Vnde D. Thom. super epist. Pauli ad Rom. 13. ait exemptionem ecclesiasticorum à tributis habere æquitatem, non tamen esse ex necessitate, quasi sit de iure diuino. Rectè tamen quadam ratione dici possunt iure diuino exempti, quia in iure canonico sæpè ius diuinum appellari, quod est scriptum in sacris literis, vel quod fuit constitutum in veteri testamento, licet cessauerit, & tale est hoc priuilegium immunitatis, quod habent

Digitized by Google

ecclesiastici, nam in nouo testamento non inuenitur esse sancitum, vt ecclesiastici sint a solutione tributorum Principum sæcularium immunes.

Tum quia Deus licèt immediate hanc exemptionem ecclesiasticis non concedat, tamen dictat eam à Principibus esse concedendam, & à Pontifice fieri posse.

4 Tum demum quia est maximè consonum rectæ rationi, & iuri naturali vt personæ, & res quæ peculiari modo sunt diuinis vsibus mancipatæ, & consecratæ, liberæ sint, & immunes ab oneribus, & tributis Principum sæcularium: nam contra reuerentiam Deo debitam est, si id quod semel Deo consecratum est, tractetur tanquam profanum.

Tertia verò sententia quam sequor est communis theologorum, & aliquorum Canonistarum qui tenent Ecclesiasticos non esse exemptos iure diuino sed humano, nimirùm ciuili, & canonico. Ita docet Couar. in pract. 99. cap. 31. num. 3. Sot. in 4. dist. 5. quæstio. 2. art. 2. Francisc. Victoria in relect. de potest. eccles. Cast. aduersus hæreses verb. ecclesia, hæresi 4. & alij. Et quidem quod iure ciuili sint exempti patet ex Nouell. Federici Imperat. quæ incipit. Item nulla de Episcop. & cler. vbi sic dicitur. Item nulla Communitas, vel persona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat. Et in leg. sancimus 2. C. de sacrosanctis Ecclesiis, omnibus piis locis immunitas ista conceditur, eaque exemptione multis sæculis consensu totius orbis sunt potiti.

5 Quod autem sint etiam exempti iure canonico patet ex c. quamquam de censibus in 6. vbi Bonifacius viij. excommunicat personas priuatas ipso facto, quæ talia ab Ecclesiasticis exigunt, & communitates subiicit interdicto, à quibus pœnis non possint absolui, nisi facta restitutione. Idem sanxit Clem. v. in conc. Viennens. Clem. præsent. de censib. Hoc idem ante statutum fuerat in Conc. magno Lateran. sub Innoc. iij.

Certum est Ecclesiasticos, non teneri ad solutionem vectigalium pro decimis, quas percipiũt ex iure diuino: sed pro rebus immobilibus, seu fundis quos acquirunt, vel quibus donantur; possunt etiam vsque nisi aliquo contra hoc, a principe aliquo priuilegio, & indulto concesso eximantur.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm etiam bona patrimonialia, & alia sæcularia, quæ ad personas Ecclesiasticas, vel ad Ecclesias deueniunt, sint à solutione gabellarum exempta?

1 SVnt qui putent, non esse exempta. Sic Nauar. cap. 27. num. 128.

2 Sed communis opinio tenet esse exempta solùm à nouis gabellis imponendis. Ita Less. lib. 2. de iustit. cap. 33. dubit. 3. Tolet. lib. 1. summæ cap. 29. Molina disput. 670. & tradit Nauar. sibi contrarius cap. 17. num. 202. vbi ait eos qui pedagia a clericis exigunt, aut exigi iubent incurrere censuram Bullæ cœnæ; & si id quod vehunt, important, vel asportant sit de eorum patrimoniis vel Ecclesiasticis prouentibus. Et est conclusio definita à Bonifacio viij. in cap. quamquam de censibus, vbi dicitur personas Ecclesiasticas, & res ipsarum exemptas esse. Vbi indistinctè de omnibus ipsorum rebus loquitur. Idque clariùs habetur in Bulla cœnæ Domini, excommunicantur omnes qui absque speciali, & expressa licentia summi Pontificis imponunt huiusmodi onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, siue Ecclesiarum, aut imposita exigunt, aut à spontè dantibus recipiunt, aut his actibus quoquomodo cooperantur. vbi distinguit Pontifex bona clericorum à bonis Ecclesiarum, ac proinde loquitur non tantùm de bonis Ecclesiasticis, quæ dicuntur bona Ecclesiarum, sed de quibusuis bonis Ecclesiasticorum.

3 Quod autem dicitur de sponte dantibus, intelligitur quando exactor recipit pedagium, guidagium, gabellam, aliunde tributum ab Ecclesiasticis, qui ideò sponte dant, quia talia onera etiam contra Ecclesiasticos imposita. Secundò vt sic imposita ab eis petantur, vel ab eis voluntariè dantibus recipiantur. Ita Less. lib. 2. de iust. cap. 33. dub. 6.

4 Dixi notanter (à nouis exactionibus) quia si antequam ad illos venirent, aliquod onus certum, perpetuum, & inuariabile annexum habebant, v. g. aliquem censum, vel seruitutem Principi debitam, nimirùm vt ex eis quotidianis soluatur certa pensio

in

Digitized by Google

in perpetuum,hoc etiam ab eccleſiis,& eccleſiaſticis perſonis præſtandum eſt, quia res quæque cum ſuo onere tranſit.

QVÆSTIO XIV.

Quinam clerici ſint,qui à ſolutione gabellarum excipiuntur?

1 IN hac quæſtione Lop. lib. 2.inſt. conf. cap. 40. tenet quòd tantum clerici in maioribus ordinibus conſtituti à ſubdiaconatu, ſcilicèt vſque ad ſacerdotium, & Monachi,& Moniales à quarumcunque gabellarum ſolutione ſunt exempti.

Petrus de Arag.2.2.qu.62.ar.3.ait clericos minorum ordinum qui beneficia actu non habent, hac immunitate non gaudere.

2 Alij verò volunt omnes clericos etiam prima tonſura tantùm initiatos. Nouitium etiam,& Nouitiam cuiuſuis Religionis approbatæ,etiam tertij ordinis S.Franciſci, & S.Dominici exemptos eſſe.Dummodò iuxta decretum Conc.Trid.ſeſſ.23.c.6. de reform. habitum clericalem, & tonſuram deferant, & ex mandato Epiſcopi alicui eccleſiæ inſeruiant,vel in ſeminario clericorum,aut in aliqua ſchola ſint de licentia Epiſcopi.

Cæterum mihi valdè placet opinio Leſſ. lib.2.de iuſt.cap.33.dub. 5. aſſerentis omnes clericos, etiam minorum ordinum, & primæ tonſuræ,Religioſos,& Religioſas exemptos eſſe à gabellis, & ſi neque beneficiarij ſint, neque in aliqua eccleſia deſeruiant. Vt colligitur ex ca.finali de vita & honeſt. cler. Quamquam de cenſib. in 6. & ex l. presbyteros C. de epiſcopis, & clericis.

3 Nec obſtat Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.quia loquitur ſolùm de priuilegio fori, quo non poſſint ad tribunal ſæculare pertrahi: quod priuilegium non concedit, niſi illis clericis primæ tonſuræ, vel minorum ordinum, qui aut beneficium eccleſiaſticum habent,aut clericalem habitum,& tonſuram deferentes alicui eccleſiæ ex mandato Epiſcopi deſeruiunt, aut in ſeminario clericorum, vel in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores ordines verſantur.

Diſtinguendum eſt de gabellis prout talliæ ſunt,& vectigalia,& prout ſoluantur ratione perſonarum, & bonorum: Quod ad perſonas credi non teneri clericos ſacris initiatos, ſed neque nouitios & clericulos Choriſtas, quoad bona ſi ſingularis non item.

QVÆSTIO XV.

An clerici coniugati ſint à gabellis, & tributis Principum ſingularium exempti.

1 REſpondeo non eſſe exemptos etiam ſi vnicam, & virginem vxorem duxerint,habitum, & tonſuram deferant. Ratio huius eſt,quia clericus ducendo vxorem, vitam deſeruit clericalem, addicendo ſe vitæ contrariæ: gaudent nihilominùs priuilegio fori in cauſis criminalibus, & canonis, modò vnicam, & virginem vxorem acceperint, tonſuram, & veſtes clericis conuenientes detulerint. Ita Couar. in pract.quæſt.cap.31.num.9.& Leſſ.lib. 2.c. 33. dub.5. apud Gallos,qui vxorem quoquo modo ducit eſt Laicus, & virgo illa ſit, ceu vidua.

QVÆSTIO XVI.

An clerici negotiatores teneantur ſoluere gabellas, quas ſæculares ſic negotiando ſoluerent?

1 REſpondeo teneri, vt habentur ex c. quamquam de ſenſibus in 6.& c.ex literis de vita, & honeſt. clericorum;quod Eccleſia conceſſit in odium negotiationis, quæ maximè Eccleſiaſticos dedecet. Quod intelligitur quando clericus negotiatur de rebus patrimonialibus, non autem de rebus eccleſiaſticis, quia delictum clerici, Eccleſiæ nocere non poteſt. Ita Sylueſt. verb.gabella 3.nu.1.Nauar.ca.27.nu.98. Tolet.lib.1.ca.29. Roder.p.2.ſuæ ſum. ca.73.nu. 15.Leſſ.lib.2.cap.33.dub.3. & Lop. p. 2. inſt. conf. cap. 40.

QVÆSTIO XVII.

Sed quæres. Quiſnam dicatur negotiator?

1 PRo clariori notitia huius qnæſtionis [illegible]ico primò, quòd negotiatio ſub mortali prohibita eſt ſolùm clericis in ſacris conſtitutis, & Monachis generatim,vt habetur ex c.conſequens. d.88.ca. fin de vita,& honeſt.clericotum,& ex ca.ſecundùm ne clerici, vel Monachi. Vbi Pontifex ait.

Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel clerici cauſa lucri negotientur. Ratio autem huius prohibitionis eſt, quia valdè indecorum eſt, clericos lucris captandis incumbere. Tum quia mirè occupat animum, & à ſpiritualibus auocat. Tum demum, quia plena eſt periculis periurij, fraudum, & iniuſtitiæ, iuxta illud, radix omnium malorum cupiditas.

Secundò dico, quòd non eſt negotiator, qui vendit fructus ex re ſua ſibi prouenientes, vt vinum, oleum, frumentum ex ſuis agris, vel argentum & aurum ex fodina ſuæ poſſeſſionis ſibi prouenientes: ne qui vendit caſeum, linum, oleum, ſœnum & ſimilia quę ſuperſunt ex prouiſione præteriti anni.

3 Tertiò dico, quòd non eſt negotiator, qui rem emit ad vſus ſuos proprios, & poſtea meliori conſilio, caſu vel neceſſitate, aut caritate ductus vendat, vt aliam diuerſam rem, vel eiuſdem ſpeciei, emat, vel vt alicui periculo, aut neceſſitati obuiet. Mol. d. 342. Nauar. ca. 17. num. 201. & cap. 25. num. 100. & Leſſ. lib. 2. cap. 31. dub. 1.

Quartò dico, quòd clericus non poteſt conducere aliena prædia, ſi ſpectent & pertineant ad laicos, vel ſimiles res fructiferas, vt fructus vendat, & ita quæſtum faciat. Et ſi enim hoc non ſit negotiatio, eſt tamen expreſsè prohibitum 21. qu. 3. cap. 1. 2. & & 3. ex Concil. Carthag. 1. & 4. ſecus ſi pro ſua neceſſaria ſuſtentatione.

4 Quintò, & vltimò dico, quòd eſt negotiator, qui res integras emit, vt eaſdem immutatas iterùm reuendat ob lucrum non autem quando rem emeret, vt eam ſua cura, induſtria, vel labore, vel artificio mutatam venderet, quia tunc non eſſet negotiator, ſed artifex. Sic olim Heremitæ ſportas, ſtoreas, & ſimilia faciebãt, vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent; & Apoſtolus artem ſcenofactoriam faciebat.

QVÆSTIO XVIII.

An qui gabellas exigit à clericis, quæ non ſunt prohibitæ exigit laicis incidat in excommunicationem cœnæ Domini?

1 Reſpondeo non incidere. Ratio eſt, quia cum ſimus in odioſis canon debet intelligi de gabellis prohibitis ſimpliciter, & ſecundùm ſe, quæ tanquàm iniuſtæ, & iniquæ neque à laicis, neque à clericis poſſunt exigi: incurrit tamen, ipſo facto aliam excommunicationem, quę non eſt reſeruata, vt habetur in ca. quamquam de cenſibus in 6. & tradit eleganter Lop. p. 2. inſt. conſ. cap. 40.

QVÆSTIO XIX.

An clerici tenentur ſoluere gabellas, quæ imponuntur ob publicam vtilitatem laicis, & eccleſiaſticis communem?

1 Ad hoc dico primò, quòd ſi publica neceſſitas ſit laicorum, & clericorum æquè communis, vt pro aggeribus reparandis, vel reficiendis ne flumen vicinos agros eccleſiaſticorum, & laicorum inuadat, pro extruendo fonte vel puteo in quo etiam clerici aquam hauriunt ad ſuos vſus, tunc clerici obligantur vnà cum laicis ad contributiones, ſiue gabellas, quia qui ſentit commodum, debet ſentire, & incommodum. Vt habetur in l. ſi diuina domus C. de exactoribus trib. & tradit Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 33. dub. 3. & Roder. p. 2. cap. 73. num. 12.

2 Secundò dico, quòd ſi neceſſitas licèt publica ſit, primò & principaliter ſolis laicis ſit communis, licet indirectè, ac remotè ad clericos quoque pertineat, vt cum gabella aliqua indicitur ob aduentum Regis in Vrbem, vel ob filiæ eius nuptias, vel ob reparationem pontium, viarum publicarum, murorum vrbis, vel ob bellum contra hoſtes &c. tunc clerici non tenentur contribuere. Ratio eſt, quia licèt ſit neceſſitas publica, non tamen ex æquè primario, ſed remotè ad clericos ſpectat. Ita Henric. Henriq. in ſum. lib. 10. de ord. cap. 15. §. 5. & Azor. p. 3. inſt. mor. lib. 5. cap. 19. quæſt. 11.

3 Ex dictis ſequitur quid ſit dicendum de ſtatutis Principum, quibus iubetur ne vllus extrahat equos, vel triticum extra territorium ſine licentia Principis, vel ſine certæ penſionis ſolutione; alioqui res ipſas quas extrahit, amittat.

QVÆSTIO XX.

An inquam clerici comprehendantur eiuſmodi ſtatutis?

1 Reſpondeo non comprehendi. Ratio huius eſt, quia omnia eiuſmodi onera imponuntur perſonis ratione rerum. Vt

Nauar.

Nauar.conſ.3.de conſt. & conſ.1. de immunit. eccleſiæ optimè reſoluit.

Dices, ad publicam, & communem vtilitatem ſpectat vt equi vel triticum extra territorium non extrahantur, ergo iure naturali obligantur clerici ad non extrahendas huiuſmodi res extra territorium.

2 Reſpondeo licèt ſit bonum commune, non tamen ex æquo reſpicit clericos & laicos, & ideò exempti ſunt clerici.

Obiicies, eſt communis conſuetudo, vt eiuſmodi onera à clericis exigantur.

Reſpondeo in cap.quamquam de cenſibus in 6. Bonifacius 8. talem conſuetudinem appellat corruptellam; vnde non videtur vim habere.

QVÆSTIO XXI.

An in caſibus, in quibus aliqua contributio ſeu collecta imponitur iuridicè clericis à Principe laico, & clerici noluerint ſoluere, compelli debeant per Iudicem ſæcularem, aut eccleſiaſticum ad eam ſoluendam?

1 RESP. debere compelli per ſuum Iudicem eccleſiaſticum, & non per ſecularem. vt docent Roder. p. 3. ſuæ ſum. cap.73. & Henric.Henriq.lib.10.ca.15.§.7.

Dices, vſu eſſe receptum vt Iudex ſæcularis in hoc caſu executionem faciat in ipſis rebus temporalibus clericorum vt collectas ſoluant.

Reſp. id facere quidem Iudicem ſæcularem, ſed cum peccato.

2 Dices non exercet Iudex ſæcularis iuriſdictionem in perſonam clerici, ſed ſolùm in rem temporalem eius.

Reſpondeo quando onus eſt reale annexum rebus, quale diximus eſſe tributum, tunc Iudex ſæcularis in caſu quo clericus nolit contribuere, ius habet faciendi executionem in reipſa tributo obligata. Quando verò onus eſt perſonale, quod ſoluitur ex rebus, eſt ratione perſonæ, vndè ſicut perſona clerici eſt priuilegiata, ita etiam res clerici eſt priuilegiata, quia onus imponitur rei ratione perſonæ.

3 Illud tamen hoc loco eſt aduertendum, quòd quando vertitur quæſtio inter publicanum, & clericum, an id quod clericus aſportat, aut vendit ſit ſuum, vel alterius, aut num illud deferat negotiationis cauſa, & graue eſſet ſemper Iudicem adiri pro fide huius rei recipienda, tunc videtur ſtandum iuramento talis perſonæ, vel conductor probare debet contrarium: niſi attenta qualitate rei, & perſonæ perſpicuum eſſet rem non eſſe talis perſonæ eccleſiaſticæ, aut deferri negotiationis cauſa; quoad perſonam videtur ſufficere ſi ſit in tonſura, & habitu clericali.

QVÆSTIO XXII.

An gabellæ conſtitutæ ſuper rebus, quæ ad proprium vſum, vel familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur, ſint iuſtæ?

1 IN hac graui, difficili, quotidiana, & perutili quæſtione Caiet. gloria Thomiſtarum in ſum. verb. vectigal. Ang. verb. pedagium num.3. Tabie. ibidem nu.4. Armil. verb. gabella num.2. Ledeſm.2.4.qu.18.art.3. Caſtr.lib. 1. de leg. pœnali, & plerique alij affirmant huiuſmodi gabellas quæ exiguntur ex rebus ad proprios vſus neceſſariis, eſſe iniquas. Probant primo ex iure ciuili, nam l.vniuerſi C.de vectigalib. pœna decapitationis imponitur his qui de rebus ad proprium vſum neceſſariis exigunt vectigalia. Item in l.omnium C.de vectig. ſtatuitur, vt gabellæ ſolùm imponantur vel exigantur pro rebus, vel ex rebus mercimonij, & negotiationis cauſa aſportatis, vel delatis. Dicuntur autem deferri cauſa negotiationis (vt obſeruat Caiet.) quandocunque deferuntur, aut emuntur, vel aſportantur vt iterũ vendantur, & hoc fine contrectantur.

2 Secundò probant ratione, quia ad iuſtam gabellam requiritur vt pauperiores non magis onerentur, quàm diuites ſed quiſque proportione ſuarum facultatum, & lucrorum, at ſi gabellæ imponantur pro rebus, quæ ſunt ad proprium vſum, cum huiuſmodi res, panem, vinum, oleum, &c. frequentiùs emant, qui pauperiores ſunt, cogentur plus perſoluere, quàm diuites.

3 Eamdem ſententiam ſequitur Illuſtriſſ. Tolet.lib.5.ſum.ca.74. vbi dicit tales gabellas exigere, non ſolùm eſſe peccatum mortale, ſed etiam exactores eſſe excommunicatos in Bulla Cœnæ, in qua excommunicantur, qui prohibita pedagia, vel gabellas exigunt, nec ſecundum Hoſt. in hoc valet conſuetudo in contrarium, quia eſt irrationabilis. Vnde qui iſtas gabellas defraudant, non peccant.

At ſapientiſſimus Nau.ca.17.nu.208.Arag. 2.2.qu.62.ar.3.Leſſ.lib.2.ca.33.dub.7.Azor.p. 3.inſt.mor.lib.5.ca.21.qu.1.Rod.p.2.ſum. cap. 73.num.1. Valen.tom.3.d.5.quæ.6.par.5.Sylu. v.gabel.3.nu.14.Med.C.de reſt.qu. 15. & alij docent huiuſmodi gabellas iure imperiali eſſe quidem prohibitas, ſed conſuetudine totius ferè Orbis Chriſtiani ius imperiale eſſe abrogatum, & vſu licitè eſſe introductum, vt etiam ex rebus ad vſum neceſſarius ſoluantur gabellæ, quando aliàs tributa in mercimoniis impoſita grauia plurimùm ſunt, nec ſufficiunt ad leuandas publicas neceſſitates, quia recta ratio ita videtur exigere, vt vbi mercimoniæ ſunt ſatis grauatæ gabellis, communis verò neceſſitas plura exigit, imponantur illæ in aliis rebus.

4 Et licèt authores primæ opinionis cenſeant hanc gabellam eſſe iniuſtam, quia per illam non plus ſoluit, qui plus habet, ſed qui pluribus indiget, non tamen eſt damnanda, quia gabella, quam ſoluunt mercatores pro ſuis mercibus tandem redundat in pauperes, & eos qui ſibi neceſſaria parant, & tamen hæc cenſentur iuſtæ, ergo, & illæ aliæ non ſunt condemnandæ, quia vix poteſt reperiri commodior via ad ſuccurrendum publicis neceſſitatibus vt rectè docet Medina loco ſupra citato. Tum quia pauperes ſolent eſſe paucis contenti, vnde pauca etiam vendunt, vel emunt & conſequenter modicum ſoluunt.

5 Aduerte tamen hic, huiuſmodi gabellas non debere eſſe maiores, quàm neceſſitas præcisè propter quam imponuntur requirit; alioquin in ea parte qua excedunt, iniuſtæ erunt, ob iuſtæ formæ defectum, à qua quam minimum fieri poteſt, recedendum eſt: & exceſſus veniet reſtituendus, vt habetur in cap. quia plerique de immunitate eccleſiæ. Quæ quidem reſtitutio debet fieri iis, qui ſoluerunt gabellas, vel ſi difficultas adeſt, aut incertitudo dominorum pauperibus.

6 Sed hi facilè conciliari poſſunt, ſi dicamus gabellam, quæ verè eſt vectigal, non poſſe imponi niſi in rebus, quæ cauſa negotiationis, vel mercimonij deferuntur, & in hoc ſenſu vera eſt opinio Caiet. & Iura illa communia citata manere in viridi obſeruantia: gabella verò quę imponitur per modum collectæ, poſſe lege municipali, vel conſuetudine Reipublicæ, in quam Reſpublica conſentiat, imponi in aliis rebus in proprios vſus neceſſariis, vt pane, vino, oleo &c. & obligare illam in conſcientia, & in hoc ſenſu vera eſt opinio ſecunda, quam ſequimur.

7 Denique pro complemento huius quæſtionis, hoc vnum eſt annotandum, nimirùm ea dici in proprium vſum, quæ tempore contractus emptionis eo fine emuntur, vt in proprium vſum, vel familiæ conuertantur; quod ſi deinde iuſta aliqua de cauſa vendantur, non ob id ſoluenda eſt gabella, quæ verè eſt vectigal, quæ non fuit ſoluta tempore prioris emptionis. Ratio eſt, quia contractus denominatur à tempore quo fit, vnde cum tempore emptionis, rem illam verè emerit in proprium vſum, & familiæ, quamuis illam deinde alteri vendat, non eſt dicenda negotiatio.

QVAESTIO XXIII.

An qui gabellas fraudant, peccent mortaliter, & ad reſtitutionem teneantur?

1 ET quidem, quando conſtat gabellam eſſe iniuſtam, quia ſcilicèt conſtat aliquam ex conditionibus ſuperiùs explicatis deficere, tunc qui illam imponit, auget, exigit, aut exigi facit, aut quocunque alio modo ad illam cooperatur, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem obligatur; ſubditi verò non peccant illam non ſoluendo, nec tenentur tales reſtituere. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

Sed tota difficultas conſiſtit, quando gabella eſt iuſta.

2 In hac quæſtione Nauar. ca.17.nu. 200. & cap.23.nu.55.& 60. & Ang. verbo pedagium num. 6. partem tenent negatiuam, fundamentum eorum eſt, quia arbitrantur eas leges, quæ gabellas imponunt, non eſſe præceptiuas, ſed purè pœnales, ſeu potiùs conuentionales; nimirùm, vt qui verbi gratia, rem extrahit extra territorium ſoluat certam pecuniæ ſummam, alioquin hanc, vel illam pœnam ſubeat; ergò non ſoluentes ſolum obligant ad luendam pœnam, aduenientе Iudicis ſententia, non tamen ad ſoluendum gabellas in foro conſcientiæ: pœnam verò nemo tenetur ſoluere ante Iudicis condemnationem, vt omnes Doctores tradunt, ergo.

Ioſeph Angles in Flor. 4. ſent. quæſt. de reſt.

reſt. vectigalium hanc ſententiam ex parte defendere videtur: Et Emanuel Sà verb. gabella nimis liberè de hoc loqui videtur.

3 Contraria tamen ſententia eſt hodiè cõmunis inter Doctores, nimirum gabellas quæ iuſtæ ſunt, ſoluendas eſſe in foro conſcientiæ ſimpliciter, & abſolutè, & ex natura rei, committereque peccatum furti defraudantes illas, & teneri ad reſtitutionem faciendam Reipublicæ, vel Principi, aut illi qui conduxit gabellas. Ita D. Tho. in opuſc. 10. de Regim. Principum li. 1. c. 12. & in eodem opuſc. li. 3. c. 5. & 11. Caiet. in ſum. verb. vectig. Val. to. 3. diſp. 5. q. 6. p. 5. Couar. in reg. peccatum p. 2. §. 5. n. 5. Conrad. in ſum. qu. 95. Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 8. Petr. Nau. l. 5. de reſt. c. 1. n. 233. Med. C. de reſt. q. 13. & alij. Ratio huius eſt, quia lex humana ſi eſt iuſta, vim habet obligandi in conſcientia.

Tum quia Reſpublica lege iuſtitiæ debet Principi iuſtum ſtipendium adminiſtrationis, & ſubſidium neceſſarium ad conſeruationem publicæ tranquillitatis: hoc enim tacitè promiſit, dum eum in ſuum Principem elegit: in hoc enim eſt veluti Reipublicæ ſeruus, aut cuſtos: ergo quando hæc obligatio eſt in ſingulas Reipublicæ partes diſtributa, aſſignata cuique ſua portione, & determinatis rebus, ex quibus ſoluenda ſit, ſinguli ex iuſtitia tenentur illam ſoluere.

4 Tum demùm, quia Chriſtus dixit Matt. 22. reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Vbi ſermo erat de cenſu, & tributo ſoluendo. Ex quo loco, & ex illo alio Matt. 17. D. Hier. Theoph. & D. Amb. colligunt tributa deberi Principibus. Et Paul. ad Rom. 13. iubet vt ſoluamus omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Vbi apertè Apoſtolus docet, vectigal eſſe debitum Principi propter adminiſtrationem Reipublicæ.

Adde eſſe valdè probabile. eum qui rem aliquam defert, emit aut vendit ad ſolatium ſuæ extremæ, vel magnæ neceſſitatis, non debere ſoluere gabellam. Ratio huius eſt, quia reſpectu talis perſonæ cenſetur immoderata, vt ex Caiet. Pedrazza, Nau. D. Anto. Sot. Armil. Syl. Ang. reſoluit Petr. Nau. li. 3. de reſt. c. 1. n. 236. quem ſequitur Leſſ. l. 2. de iuſt. c. 33. dub. 8.

5 Ex quo infert idem Petr. Nau. pauperes qui ex propriis fructibus, vel ex ſuppellectili aliquid vendunt, nihil debere cum id faciant ad ſupplenda neceſſaria vitæ, vltra quæ, nihil, vel parum habent. Secùs de immobilibus, quia qui hæc habet, pauper non eſt. Hoc idem ſentit Leſſ. loco cit.

Dicit autem vnum Mol. diſput. 674. quòd quando mercatores aliquid de gabellis defraudant, quod iuxta haſtenus dicta non eſt reſtitutioni obnoxium, tenentur merces tantò viliùs vendere, quantùm ex gabellis defraudarunt. Ratio ipſius eſt, quia merces tantò cariùs venduntur, quantò maiores gabellæ ratione earum ſoluuntur.

QVÆSTIO XXIV.

An iuſtæ gabellæ etiamſi non petantur, ſint in conſcientia debitæ?

1 IN hac qu. Couar. in Reg. peccatum p. 2. §. 5. Caſtro l. 1. de leg. pœn. c. 10. Cord. in ſum. quæſt. 95. & multi alij docent debere in conſcientia ſolui, etiam ſi non petantur.

Tolet. l. 5. c. 75. Tab. verb. pedagium §. 8. & Henr. Henriq. c. 36. de indulgentiis aſſerunt, non debere in conſcientia ſolui, niſi petantur. Quod tamen Tole. limitat, niſi ſit conſuetudo, vt ipſimet venditores quærant publicanos.

2 Eamdem ſententiam refert Lop. p. 2. inſt. conf. c. 36. docuiſſe Franciſcus Victoria, qui cenſet poſſe aliquam gabellam eſſe iuſtam, ſi ſoluatur ſecundùm conſuetudinem; quæ tamen iniuſta eſſet, ſi ſolueretur ſecundum rigorem, vt in vectigalibus conſuetudo eſt, vt ſoluantur, ſi exigantur, aliàs non. Sed de portariis ait non eſſe condemnandos occultè tranſeuntes vt portoria non ſoluant, quia de eorum iuſtitia non ſatis ſæpe conſtat.

Hoc idem tenet Ioſeph. in ſuis floribus 4. ſent. diſp. de vectig. vbi ait ſecundum cõſuetudinem Hiſpanicam nullum teneri ad ſoluenda pedagia, & ſimilia donec à quæſtoribus exigantur, teneri tamen non conſummare venditiones occultè, aut ſi occultè vendant quæſtori ſignificare, vel ſi pedagiũ fuerit ſoluẽdum, teneri non diuertere à via, ne quæſtores vel portitores decipiãtur.

3 At verò Sot. l. 3. quæſt. 6. art. 7. tenet in rebus quæ non ſunt magni pretij non teneri venditores publicanos ad ſoluendum quærere, ſed ſatis eſt ſoluere gabellas, dum

ab illis petuntur, dummodò non vtantur fraude, & dolo se occultent.

Vt autem ea omnia quæ authores in hac quæstione tradunt, manifesta sint, dico primò quod qui merces suas inuexit, aut euexit non soluta gabella non tenetur in conscientia soluere pœnam impositam contra defraudantes gabellas, nisi priùs condemnetur per Iudicis sententiam. Ratio est, quia aliud est de gabella, aliud de pœna: nam pœna non est debita nisi post condemnationem criminis, licèt gabella sit debita in conscientia. Ita Tolet. l. 5. c. 74. Arag. 2. 2. q. 62. a. 3. & communis.

4 Secundò dico quòd qui per fraudem, vel mendacium, atque occultè merces inuehunt in Ciuitatem, vel Prouinciam aut illas euehunt, ne publicanus aliquid sciat, & vectigalia vel gabellas exigat, tenentur in conscientia ad restitutionem etiamsi gabellæ non petantur, & peccant mortaliter, quia qui merces inuehunt, aut euehunt, tenentur per viam publicam aut regiam eas transmittere, & non per viam insolitam, & occultam contra leges, statuta, vel mores. Ita Cou. in Reg. peccatum p. 2. §. 5. n. 5. Sot. l. 3. q. 6. a. 7. Tolet. l. 5. c. 75. & alij.

Tertiò dico quòd quia leges, & statuta non obligant, nisi prout sunt vsu recepta: & quia consuetudo præscripta solita est legem veterem abrogare, & nouam inducere, ideò teste Cou. loco citato circa gabellas seruandus est modus soluendi patriæ vsu receptus, Principe vidente & consentiente.

5 Quartò dico quòd vbicunque est lex vel statutum, vel consuetudò vt gabella soluatur, estò non exigatur a publicano, si iusta est, tenentur subditi in conscientia illam soluere. Ratio est, quia leges obligant in foro conscientiæ quantùm ad id quod præcipiunt, quamuis non quantùm ad solutionem pœnæ ante Iudicis, sententiam: sed illæ leges quæ præcipiunt gabellam iustam soluere, sunt iustæ nec numerandæ inter pœnales quantùm ad id, quod est: vt gabella soluatur, ergo obligant in conscientia, & tenentur subditi illas seruare. Ita Arag. 2. 2. q. 62. a. 3.

6 Quintò dico quòd vbi non est lex quæ præcipit, vt gabella debeatur in conscientia etiamsi non exigatur, probabilius mihi videtur regulariter, & ordinariè non deberi, nisi petatur, præsertim si sit gabella, quæ in certo aliquo loco, vt in porta Ciuitatis, vel ponte, vel via solui debet, ibi existentibus, & exigentibus publicanis, quia in hoc casu gabellarum leges videntur intelligi in hoc sensu, vt gabellæ soluantur in illis certis locis petitæ ab exactoribus, & publicanis; quod si non petantur sibi imputent publicani, qui non adhibuerunt diligentiam, vt ea peterent a transeuntibus publicè, & manifestè per illa certa loca. Ita Roder. p. 2. suæ sum. c. 74. n. 2.

7 Sextò dico quòd quotiescunque est consuetudo, vt gabellæ non soluantur nisi petitæ, tunc qui palam transfert suas merces via consueta, aut eas vendit sine fraude, & dolo, nec aliquis apparet conductor, qui eas exigat, non tenetur ad restitutionem, si prædictas gabellas non soluat. Ratio est, quia leges gabellas imponentes licèt ad earum solutionem etiam antequàm petantur, possint obligare in conscientia vt supra dictum est, consuetudo tamen potest legem interpretari, & veterem abrogare, & inducere nouam, vt author est D. Th. 1. 2. q. 97. a. 3. ergo ista consuetudo erit sufficiens ad hoc, vt nullus teneatur soluere gabellas, nisi exigantur. Ita Arag. 2. 2. q. 62. ar. 3.

Septimò & vltimò dico, quòd vbi est lex vel consuetudo, quòd qui transfert merces per certa loca eas publicano patefaciat, easque describi curet, & gabellam ei soluat, tunc subditi in conscientia adhæc obligantur lege vel consuetudine id præcipiente. Ita Tolet. l. 5. c. 75.

QVÆSTIO XXV.

An si transgressores gabellarum deprehensi, commissi pœnam soluerint, eo ipso à solutione gabellæ sint immunes?

1 RESP. negatiuè, nisi is cui interest, pœna ipsa contentus sit: tunc autem videtur esse solus pœnæ solutione contentus, quando est pœna commissi id est amissionis mercium, quæ deferuntur, vel venduntur, vel quando pœna commissi in duplo, vel quatruplo est maior, quàm sit gabella debita. Ita Med. C. de rest. q. 13.

QVÆSTIO XXVI.

An gabellarum debitor vbi publicanus reliquit conscientiæ, vel voluntati sit, qui merces transfert, ex quibus gabellam debet, ne

eam

neatur in conscientia quantitatem mercium significare, solutionémque integram exhibere?

1 PRO cuius decisione dico primò, quòd in nullo casu licitum est vti mendacio, aut periurio ad celandum, vel subterfugiendum solutionem gabellæ. Ratio est, quia mendacia, & periuria sunt intrinsecè mala.

2 Secundò dico ex mente Nau.c.17.n.103. quòd debitor non tenetur id iurare, & in onus suæ conscientiæ recipere, quia satisfacit dicendo se paratum soluere quæcunque se debere conductor monstrabit. Sed contrarium tenent Cord.in sum.q.94. Lop. p.2. c.37.& Rod.in sum.c.73.n.4.& meritò, quia lex soluendi gabellam non est mere pœnalis vt putat Nau.sed lex fundata in iure naturali dictante deberi tributa iusta Principi ad succurrendum suis necessitatibus. Vnde obligat ad mortale,& ad restitutionem, nisi soluantur: ergo necessariò debemus fateri iuridicè peti ab eo iuramentum, ac proinde tenetur iurare veritatem.

Tertiò dico quòd quoties publicanus defert iuramentum, aut remittit conscientiæ eius, qui merces transfert, vt veritatem pretij, aut quantitatis mercium dicat, insurgit obligatio propalandi res omnes, ex quibus gabella est soluenda, alioquin vltra peccati notam, obligationem restituendi debitor non effugit, vt docet Med.C.de rest.q.13.

3 Quartò & vltimò dico quòd dum is qui tenetur soluere gabellam cauet periuria, & mendacia in quatuor casibus citra culpam, & restitutionis obligationem poterit non pandere, & non soluere integraliter, quando suæ voluntati, aut verbo remittitur a publicano.

Primò quando conductor probabiliter nouit exactorem gabellæ esse suum amicum, vel cognatum, & ob amicitiam vel consanguinitatis gradum remissionem gabellæ ex parte facturum.

Secundò quando conductor est mercator, & frequenter transferre solet merces, & ob id frequenter gabellam soluit, & ne aliò diuertat, & pergat illac, solitus est publicanus aliquid de iusta gabella ei remittere, vt hac ratione alliciat mercatores ad transferendas suas merces.

Tertiò quando in more positum est, vt publicani in rigore non compellant conductores omnes merces propalare, nec in totum ab eis integram gabellam extorqueant, nisi iuxta simplicem depositionem, qua deponunt, vel soluunt, dicentes accipe, hæc tibi debeo, licet exactor sciat, vel suspicetur conductorem plura deferre, pluraque debere. Verum est tamen, quod vt euitetur peccatum veniale mendacij, quod in hoc casu committunt dicentes debere triginta, cum re vera debeant quadraginta, melius erit dicere, accipe hoc, & esto contentus, & non dicere non debeo tibi plus.

Quartò, & vltimò quando probabiliter creditur publicanos contentari, si mercatores manifestent merces magna ex parte, & non ex omni. Ita Rode.p.2.c.73.num.5. & Cord.loco cit.qui dicit communem.

QVÆSTIO XXVII.

An subditi in conscientia teneantur gabellas soluere de quarum iniustitia à peritis, & prudentibus dubitatur?

QVæstio hæc maximè difficilis est, & controuersia propter varias in hac parte tam theologorum, quàm Canonistarum sententias.

1 Sot.l.4.q.6.a.4. ait in hoc casu consulendum esse Principem, à quo gabellæ impositæ sunt, cur impositæ sint? & cui necessitati deseruiant? quibus consultis si causam reddiderit, soluendas esse in conscientia, quòd si nullam reddiderit, tunc habendas esse pro iniustis, & sine iusta de causa impositas, nec soluendas. Quandiu verò Princeps non interrogatur, & ignoratur earum causa, & res est dubia, persoluendas esse, quia in dubio æquali obediendum est superiori, & præsumendum pro eo quod sint iustæ.

Cordu.in tract.de camb.q.95.est anceps, dicit enim in dubio æquali, nec condemnãdos Principes, quod tales gabellas exigant, nec obligandos subditos vt illas persoluant quia cum res sit dubia, æquale videtur ius, & superiorum ad exigendum, & inferiorum ad non soluendum.

2 Sylvest.verb.gabella 3. in fine & Armil. eod.verb.nu.18.docent confessarios in casu dubij hoc modo se gerere debere, vt ante factum prohibeant defraudationem gabellarum, ne subditi se exponant periculo defraudandi, quæ forsan ex iustitia debent, post factum verò, ait, non compellant

eos

eos ad reſtituendum, quia in pari cauſa turpitudinis potioreſt conditio poſſidentis: is autem,qui nõ ſoluit,adhuc poſſidet ſuam pecuniam.Tum quia exponerent ſe confeſſores periculo ſurripiendi hanc pecuniam ab eis,quia forſan non debetur.

Alij verò rectiùs diſtingunt. Quoniam vel gabellæ ſunt antiquæ, quarum ſcilicet initij memoria non eſt,vel ſunt nouæ.Si ſint antiquæ,& longa conſuetudine receptæ,de quarum principio nulla extat memoria,affirmant communiter Doctores,eas à ſubditis in conſcientia deberi, quia Princeps eſt in poſſeſſione talium gabellarum,& in dubiis melior eſt conditio poſſidentis.

Tum quia eſto cauſa à principio non fuerit iuſta, aut aliud ad iuſtitiam talium gabellarum defuerit, debitæ tamen iam nunc ſunt Principi in vtroque foro titulo præſcriptionis.

3 Quando verò gabellæ ſunt nouæ, & nõ conſtat de illarum iuſtitia, ſed dubitatur prudenter an deſit aliquid ex requiſitis, vt ſint iuſtæ,tunc in conſcientia non debentur ſed ceſſante ſcandalo denegari, & defraudari poſſunt.Ratio eſt, quia in dubiis nemo tenetur obedire cum proprio damno, at ſi gabellæ ita dubiæ ſoluantur, damnum eſt ſoluenti,ergo.

Tum quia ſubditi ſunt in poſſeſſione ſuarum rerum,& in dubiis melior eſt conditio poſſidentis : quòd ſi iam conductor ſoluit, non tenetur exactor pecuniam receptam reſtituere, quia tunc fauet iam illi titulus poſſeſſionis, qui ante fauebat illi,qui nõdũ ſoluerat. Ita docet Mol.to.3.diſp.673. Arag. 2.2.q.62.a.3.Med.C.de reſt.q.13.Syl.verb.gabella.3.n.9.Ang.ver. pedagium nu.6. Armil. verb.gabella n.18.Gab.in 4.d.15.q.5.arti.2.& Salon.l.2.de contr.diſp.de tributis arti.3.

In eadem ſententia eſt Caiet.verb.vectigal. vbi ait. Tot conditiones exiguntur ad iuſtavectigalia,vt difficile fortè ſit inuenire vectigalia iuſta, & propterea meritò damnata regulariter dicuntur vtroque iure. Quibus videtur accedere Driedo li.2.de libert. Chriſt. c. 5. ibi enim ſic ait. Cæterùm quia his noſtris ſæculis impoſitiones, ſeu exactiones vectigalium, ſeu pedagiorum propter aliquam ex ſupradictis quatuor cauſis contingit plerumque eſſe illicitas, ideò non facile imungendus eſt ſcrupulus eiuſmodi vectigalia defraudantibus,præſertim pauperibus.

5 Nec obſtat illud dictum commune, in dubiis præſumendum eſt pro Principe, aut in fauorem eius,quod iuſtè agat. Quia hoc intelligitur quando non agitur de damno inferioris. Vndè quando iudex interrogat reum de homicidio à ſe perpetrato, reus verò eſt prudenter dubius, an iuridicè ab illo interrogetur non tenetur illi obedire, neque a perire ſuum delictum, quia obediendo exponit ſe periculo vitæ.

Nec etiam obſtat, quòd Princeps iuſtè poſſit exigere, quia vtraque pars ſuo iure vtitur, dum probabiles rationes ſequitur.

Hinc, quando gabella antiqua de nouo augetur,&res eſt dubia an tale augmentum ſit iuſtum, non tenentur ſubditi quoad illum exceſſum, licet teneantur quoad antiquum.

6 Animaduertat hoc loco ſtudioſus lector,quòd ſi huiuſmodi gabellæ vendantur ſi ſunt iuſtæ,debent perſolui, ſi verò dubitatur de earum iuſtitia, non eo quòd venditæ ſint, eſt maior obligatio ſoluendi, quàm ſi haberet eas Princeps,qui eas conſtituit vt ex Cordub.reſoluit Rod. p.2.ſum. c.73.num.3.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum miniſter exigens gabellam iniuſtam, vel de qua dubitatur, An ſit iuſta, vel iniuſta peccet & ad reſtitutionem teneatur?

1 AD hoc dico primò quòd Princeps qui hæſitans an cauſa ſit iuſta, gabellam imponit, mortaliter peccat. Ratio eſt, quia ſe exponit periculo ſurripiendi alienum inuito domino.Ita Molin.tom.3.de iuſt.diſp.673.& Leſſ.lib.2.de iuſt.c.33.dub.6.

2 Secundò dico quòd qui nomine Principis eiuſmodi gabellam exigit,ſi ſciat Principem de iuſtitia cauſæ dubitare, & dubitanter imperare,& ipſe etiam dubitet,mortaliter peccat eam exigendo,ac proinde ad reſtiturionem tenetur, nihil impediente, quòd eidem Principi ſit ſubditus,& quòd à Principe iuſſus id efficiat. Ratio eſt, quia exigendo cooperatur peccato Principis, quia ſtante tali dubio practico ſcit principem non habere ius imperandi.Ita Caie.in ſum.verb.vectigal.

3 Tertiò

3 Tertiò dico quòd quando subdito non constat, Principem peccare in constitutione gabellæ, tunc esto ipse dubitet de iustitia eius, aliis affirmantibus, & aliis negantibus, tunc iussus à Principe aut à potestatibus publicis licitè potest eam exigere, nec ad aliquam restitutionem tenetur, esto si postea ipsi constet de iniustitia gabellæ, modò ex gabella non sit factus locupletior. nam tunc tenebitur solùm ad id, quo factus est ditior, quia cum non peccet parendo in dubio Principi, excusante eum obedientia, non tenetur tunc ratione iniustæ acceptionis, sed solùm ratione rei acceptæ. Sicut subditus qui iussus ire ad bellum, quod non constat ei esse iniustum, excusatur, etiam si postea iniustum fuisse deprehendatur, quia in dubio melior est conditio Principis, qui ius imperandi possidet. Ita Mol. disp. 672.

4 Quartò, & vltimò dico quòd si aliquis non est subditus, aut si est, non compellitur, sed sponte ad eiusmodi gabellam exigendam se offert, si dubius de iustitia causæ exigit gabellam, peccat mortaliter, exponens se periculo cooperandi iniustitiæ Principis, & tenetur ad restitutionem, nisi postea deprehenderit iustam fuisse. Ratio quia mala fide exigit, & lata culpa damnum infert. Ita Less. li. 2. ca. 33. dub. 6. Caiet. in sum. ver. vectigal. & Mol. disp. 672.

QVÆSTIO XXIX.

An collecta quam Respublica sibi imponit, obliget etiam forenses?

1 REspondeo non obligare, nisi collecta constituatur tanquàm omnibus necessaria & incolis, & exteris, quia tunc recta ratio dictat, vt quod pro communi vtilitate, & necessitate constituatur, ab omnibus qui illius vtilitatis sunt participes persoluatur, quia qui sentit commodum, debet sentire & incommodum. Vnde illud commune dictum, cum honoribus, & oneribus.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum Christiani in conscientia teneantur soluere gabellas Principibus infidelibus?

1 ANg. ver. pedagium n. 7. & Syl. ver. gabella 3. q. 4. astruunt eos ad id nó teneri, quoniam Christiani non subiiciuntur statutis infidelium.

2 Contra tamen & meo iudicio probabiliùs sentiunt Azor. p. 3. inst. mor. l. 5. c. 22. q. 8. Cord. in sum. casuum q. 96. Lop. p. 2. c. 39. & alij nimirum eos ad id teneri. Ratio est, quia Principes infideles securam, & tutam viam præbent Christianis, per quas merces transferunt.

Tum quia præbent securum, & tutum portum, vel Ciuitatem, ad quam deferunt merces.

Nec obstat, quòd infideles tyrannicè occupent terras Christianorum. Quia hoc non pertinet ad curam particularium recuperare, sed Papæ, & Principum Christianorum, quorum authoritate fit. Et si tales infideles non habent terras Christianitatis, nec efficiunt damnum Christianis, nec cum authoritate Papæ, aut Principum Christianorum possunt illos defraudare in tributis, quæ de iure illis debentur vt post Sot. Vict. Cord. Lopez & alios resoluit Rod. p. 2. sum. mæ c. 73. num. 9.

3 Ex quo sequitur, neminem posse defraudare infidelem particularem, etiam si sit de numero eorum, qui possident tyrannicè terras Christianorum, in rebus quæ venduntur per numerum, pondus, & mensuram, & qui hoc facit, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, quia hoc est vsurpare debitũ alteri ratione sui laboris specialis, vt docet Cord. q. 96. & Lop. p. 2. c. 40.

QVÆSTIO XXXI.

An cessante causa ob quam gabella fuit imposita, cesset quoque obligatio persoluendi illam?

1 IN hac graui q. Syl. ver. gabella 3. q. 8. & 9. Ang. verb. pedagium §. 6. Caiet. in sum. ver. vectigal, & communis, simpliciter absolutè, ac sine vllo discrimine asseuerant, cessante causa gabellæ, siue noua sit, siue antiqua, cessare quoque iustitiam illius, & obligationem ad illam persoluendam, ita vt nec superiores possint illam iustè exigere, sed tenentur restituere quidquid acceperunt, postquàm cessauit causa illius: nec subditi tenentur in conscientia illam exhibere, verbi gratia, imposita est gabella pro refectione pontis vsque ad decem annos, impleto fine, & tempore, cessat gabella.

Vnde

Vnde si post illud tempus exigitur, cum sit iniusta, defraudari potest.

2 Ex quo infert Tole.lib.5.c.74. tributum quod apud hispanos dicitur Alcauala, esse iniustum, quia iam cessauit causa propter quam fuit impositum, puta bellum Granatæ, & quamuis bellum esset, Rex Hispaniæ est adeo diues factus, & tributa etiam alia creata adeò pinguia, vt possit prouideri sufficienter absque tanta exactione. Med.C. de rest.q.14.ait, si gabella noua sit, cessante causa illius, cessat quoque illius vis & obligatio. Si verò antiqua, & causa illius cessauit à paucis annis, qui non sufficiunt ad præscribendum similiter cessante causa illius cessat quoque illius vis & obligatio. Quòd si causa à tot annis cessauerit, vt ad præscribendum sufficiant, iustè (inquit) exigitur, & in foro animæ est persoluenda, non quidem ratione causæ ob quam fuit imposita, cum ea iam cessauerit, sed ratione, & titulo præscriptionis.

8 Alij verò rectiùs ita distingunt, si causa ob quam fuit imposita omninò cesset tam in specie, quam in genere, ita vt neque in illam, propter quam constituta est, neque in aliam, neque vllo tempore conuertatur in necessitatem publicam, siue causa à paucis annis cessauerit, siue à multis, postquam illa omninò cessauit, huiusmodi gabellam iniquam esse, nec iustè exigi, aut deberi, cum omninò causa ipsius cessauerit. Si verò cessauit quidem in specie illa prima, ob quam fuit imposita, manet verò alia deinde exorta, ob quam licitè possent aliæ gabellæ imponi, vel si seruatur conuertenda cum primum oportebit, manere eiusdem gabellam in sua vi, iustamque esse, ac in foro animæ persoluendam, verbi gratia, posuit Princeps gabellam ob debita, quibus onerabatur, soluenda, quæ iam omnino nunc sunt soluta: at verò in præsentia bello hostili infestatur, & ob id gabella non cessat, tunc in cõscientia debetur, quia licèt prior causa iam amplius non adsit, superuenit alia ob quam sicut noua gabella potest imponi, ita etiam antiqua potest exigi loco eius, quæ de nouo imponi posset, & deberet. Ita docet S.Tho. li.1.de regim.Principum c.12. Petr.Nau.li.3. de rest.c.1.n.260.Cord.in suo tract. de casibus, q.95.Lop.p.2.c.37.

QVÆSTIO XXXII.

An Princeps cessante omnino causæ in specie, vel in genere gabellæ, possit eam exigere titulo præscriptionis?

1 MEd.Cod.de rest.q.14.tuetur partem affirmatiuam. Cui videtur consentire Val.to.3.d.5.q.6.par.5.

2 Contrarium tamen est proculdubio dicendum cum Petr.Nau.l.3.de rest.c.1.n.260. & Azor.p.3.instr.mor.l.5.c.23.q.5. Ratio est, quia sicut gabella non potest constitui, sine causa legitima, sic constituta cessante omninò causa eius institutionis, desinit, ita vt continuari non possit.

Tum quia ius præscriptionis non est absque titulo vero vel præsumpto: at in casu quo causa ob quam gabella fuit imposita in totum cessat, non potest esse titulus verus, vel præsumptus, ergo.

Tum demum quia præscriptio non currit sine bona fide, sed cessante omninò causa gabellæ, amplius in exigendo bona fides esse non potest, ergo non potest esse præscriptio.

3 Obiicies, consuetudo immemorabilis vt habetur in ca. super quibusdam citato infert authoritatem imponendi gabellas, ergo Princeps ex antiquo tempore cuius initij memoria non extat, exigens gabellas, potest licitè persistere in illis exigendis.

Respondeo hoc argumentum solùm probare, eum qui aliunde non habet ius imponendi gabellas, posse consuetudine illud acquirere: at ius imponendi gabellas, necessariò præsupponit cætera requisita ad hoc vt iusta sit gabella, inter quæ est causa legitima, ergo.

QVÆSTIO XXXIII.

An si Princeps pedagia exigat pro tutandis viis, quibus merces transferuntur, teneatur ad restitutionem earum, si ob eius iniuriam mercatores damna patiantur?

1 REsp. si Princeps sufficientem diligentiam in relegandis latronibus non adhibeat, in conscientia restituere tenetur damna subsequuta ciuibus, & viatoribus, quæ reuera non accidissent, si Princeps præstitisset quæ debebat ratione illius

illius tribuci. Ratio eſt quia Princeps ratione tributi ex officio teneatur terras ſecuras facere, ne ratione ipſarum viatores vim, aut damna patiantur, ergo contra iuſtitiam peccat, ſi vias tutas non reddat, ac proinde viatoribus damna reſarcire tenetur. Secùs ſi ſufficientem diligentiam adhibeat, quia tunc non eſt damni cauſa. Curam autem diligentem, & ſufficientem in hoc caſu adhibuiſſe cenſetur Princeps, quando hoc capiēdis latronibus Satellites ſolitus eſt mittere, & deſtinare. Ita Syl.ver. gabella 3.q.6. & ver.dominium q.4.Cord. in ſum.q.113.& Lop.p.2.inſt.conf.c.39.

2 Hinc, ſi Princeps ſit negligens notabiliter circa cuſtodiam viarum, viatores defraudantes pedagia, nec peccant, nec ad reſtitutionem obligantur, quia ceſſante omnino cauſa finali legis, ceſſat legis obligatio, in lege autem pedagiorum cauſa exprimitur ſcilicet pro tutandis viis. ergo ſi viæ latronibus abundant, ceſſat obligatio ſoluendi pedagia. Ita D.Tho.l.1. de reg.Princip.c. 12.Caiet.in ſum.ver.vectigal.Lop.p.2.c.39.& alij.

QVÆSTIO XXXIV.

An Princeps poſſit aliquos à ſolutione gabellarum eximere?

1 RESp. poſſe, dummodò hoc in detrimentum aliorum, qui ſoluere tenentur, non redundet, eſſet enim tunc ex aliena arce facere eleemoſynam. Ita Sot.l.3.q.vlt. a.vlt.Mol.diſp.673.& Tolet.l.5.c.74.

Hinc Princeps poteſt facere exemptum à tributis aliquem de Reipublica benemeritum quia licèt videatur hoc priuilegium redundare in damnum Reipublicæ, ſi radicitus tamen conſideretur, eſt valdè ei vtile, vt alij ad ſimilia opera excitentur.

QVÆSTIO XXXV.

An qui merces emit à defraudante gabellam iuſtam peccet, & ad reſtitutionem teneatur?

1 SYlu.ver.gabella 3.n.18.affirmat.

2 Sed contraria ſentētia nobis multò probabilior eſt, videlicet, quando gabella ſoluenda non eſt certa portio rei emptæ ſcilicet quinta, vel decima vel vigeſima, ſed pecunia, tunc certum eſt emptorem non peccare, nec teneri in conſcientia facere vllam reſtitutionem Principi, aut conductori, quamuis ſciat mercatorem malitiosè gabellam fraudaſſe, niſi in defectum eius qui illam non ſoluit, quia non habet alia bona, vnde ſoluat. Ita Mol.diſp.675.Leſſ. l.2.ca.33. dub.9.Petr.Nau.l.3.c.1.n.275. & Rod.p.2.ca. 73.num.7.

QVÆSTIO XXXVI.

Dubium grauius, & magis controuerſum inter authores eſt, quando gabella debita erat certa aliqua pars mercium.

1 SVnt multi qui exiſtimant talem emptorem teneri ex re empta illam ſoluere.

2 Contrarium tamen arbitror eſſe dicendū cum Mol.diſp.675.& Leſſ.li.2.cap.33.dub.9. Ratio eſt, quia obligatio ſoluendi gabellam non pertinet ad emptorem, ſed ad venditorem, qui merces transfert, hic enim iubetur quintam, vel decimam aut vigeſimam partem mercium ſoluere, non emptor.

Tum quia Princeps non habet dominium illius portionis, antequā ea ſit ſeparata, ac tradita, ſed ſolùm habet ius ad aliquā partē indeterminatè, vt venditor eam ipſi ſoluat, cum tacita hypotheca in totas merces, & reliqua bona illius, cuius erant, vt ſolueretur: nihil autem horum impedit tranſlationem dominij illarum mercium in emptorem, modò tamen accedat traditio, ſed ſolùm manent tales merces obnoxiæ vt ex illis ſoluatur Principi quinta, vel decima, vel vigeſima pars, quod onus pertinet ad venditorem, niſi in defectum principalis debitoris, idque ſolum in caſu, quo facta prius exequutione in bonis illius, non inuenirentur bona, vnde ſolueretur.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrùm læſus à Principe poſſit fraudatione gabellæ ſibi recompenſare?

1 IN qua re conuenit inter omnes, talem compenſationem eſſe licitam, ſi gabella non ſit vendita, vel locata alteri, ſed Princeps per ſuos famulos, & geſtores illam exigit, quia in hoc caſu damnum tertio non infertur,

Contro

Digitized by Google

Controuersia igitur est, quando gabella locata est vel vendita publicano, qui certâ pecuniæ summam Principi soluit, vt totum gabellæ emolumentum in se transferat.

2 Petr.Nau.l.3.de rest.c.1.n.249.& Sylues. ver.gabella 3.q.9.tenent etiam in hoc casu licitam esse compensationem. Primò quia locatarij semper minoris emunt eiusmodi gabellas ob fraudes plurimas, quas ipsi norunt in solutione gabellarum interuenire, vnde non potest dici quòd ob talem compensationem damnum patiantur.

Secundò, quia Princeps nulli vendere potest, quod meum est, meum autem est, quod mihi debetur.

Alij contra negant.

3 Ego verò salua semper saniori resolutione sic respondendum, censeo, vnde in primis dico quòd Princeps regulariter non vendit locatario ius gabellæ ita vt illius transferat proprietatem, vel dominium in illum,& quamuis dicatur emptio, seu venditio, propriè tamen non est, nisi locatio, fructuum autem venditio sed solùm concedit locatario ius aliud vt loco Principis exigat gabellam, sicut qui locat alicui domum, non abdicat à se dominium domus sed domum cuius manet dominus ei locat, concedendo illi ius ad vsum nomine,&loco sui.Quare cum eo ipso quòd quis habet iustam compensationem aduersus Principem,gabellam illi nondebeat,vti neque debet illam locatario, cui loco, & nomine Principis est debita.Et in hoc sensu vera est sententia Nau. & Syl.quam sequuntur etiã Mol.disp.674.Less.l.2.c.33.dub.10. & Rod.p. 2.sum.c.73.n.6.

4 Secundò dico quòd quando Princeps donat,aut vendit gabellam alicuius oppidi ita vt dominium eius in alterum transferat, tunc quia non principi deinceps debetur gabella, quam oppidani illius loci debent,sed debetur locatario,vtique oppidani illi non possent facere compensationem eorum, quæ Princeps ipsi debet in illa gabella.Et in hoc sensu improbabilis est opinio Nau.Vnde ad eius rationes respondeo.

Et ad primam dico quòd locatarij emũt quidem gabellas minori pretio ob multas fraudes, quæ accidere solent in recuperatione earum, non tamen desinunt peccare, qui eiusmodi fraudes committunt,à quibus iustè petitur gabella.

Tum quia licèt minoris emant ratione fraudum, hoc tamen debet intelligi de fraude, quæ committitur in negligentia collectionis,non autem de fraude quæ accidit ratione compensationis factæ ratione damni accepti à Principe.

5 Ad secundam respondeo,quòd gabellę, quas Princeps vendit, sunt suæ, non verò suorum creditorum, dicere autem illud esse meum, quod ego possum titulo compensationis retinere, & deberi illud Principi,si ipse mihi non deberet,est verum loquendo de eo,quod ego habeo in mea potestate, non verò de eo, cuius dominium habet iam ipse Princeps alienatum.

QVÆSTIO XXXVIII.

An gabella sit in foro conscientiæ soluenda ex ipso contractu priuatim facto per verba contrahentium, An verò requiratur publicatio venditionis per instrumentum?

1 HVic quæstioni respondet luculenter Petr.Nau.l.3.de rest.c.1.n.245. affirmatiuè.Ratio huius est,quia (excepto contractu census,in quo iure pontificio requiritur scripturæ solemnitas) substantia venditionis in solo contrahentium consensu verbis tamen expresse perficitur, scriptura enim fit, vt venditio substantialiter facta in iudicio probetur.Cum igitur gabella ex rei venditione debeatur,sequitur venditionis instrumentum non esse necessarium.

QVÆSTIO XXXIX.

An quando statuto debetur gabella ex contractu, debeat etiam solui in casu quo contrahentes facto contractu ante traditionem rei venditæ, & solutionem pretij statim ab eo discedunt?

1 REsp.non debere solui, quoniam lex quæ obligat solui gabellam ratione venditionis, est odiosa, ergo debet restringi,quando venditio est consummata, quia nimirùm res vendita traditur emptori, & emptor soluit pretium. Secùs autem si res vendatur pecunia credita, quia ex parte venditoris iam est consummata venditio, & periculum rei venditæ stat penes emptorem,qui recepit illam. Ita Rod.p.2.sum. c.73.n.2.Lop.p.2.c.41.&Petr.Nau.l.3.de rest. c.1.num.244.

Aduerte

Aduerte tamen hic, quòd quando ſtatuto gabella debetur ex quocunque contractu, non debetur ex contractu, qui in conſcientia eſt nullus. Ratio eſt, quia reuera non eſt contractus. Similiter quando gabella debetur ex contractu non debetur ex teſtamento, vel legato, vel ex donatione, quia vt diximus in tractatu de contractibus in genere nomine contractus propriè ſumpti non intelligitur teſtamentum, legatum, vel donatio. Quandocunque verò debetur gabella ex alienatione, debetur etiam ſolui ex donatione, quia per donationem res alienatur. Denique quando gabella debetur ex quocunque contractu, per quem ius acquiritur, debet etiam ſolui ex iuramento, vel promiſſione facta alteri de re aliqua vendenda ei, quia per iuramentum vel promiſſionem factam & acceptatam acquiritur ius ad rem illam petendam.

QVÆSTIO XL.

An conductor gabellarum mercatur aliquam remiſſionem annuæ penſionis, qua gabellam conduxit, ſi ſuperueniant bella, ob quæ non poſſunt merces deferri?

1 AD hoc dico primò, quòd ſi bella tempore conductionis ſuperuenerant, vel probabiliter ſuperuentura ſuſpicabantur, quia erat rumor quòd bella parabantur, tunc in rigore non meretur aliquam remiſſionem pretij, quia conductor ſibi imputare debet, quòd tali tempore, támque caro pretio gabellam conduxerit. Ita Sylu. verb. gabella 3. q. 13. Lop. p. 2. c. 41. & Roder. p. 2. c. 74.

Secundò dico, quòd ſi tempore conductionis nulla erat bellorum ſuſpicio, nec prævideri poterant, & poſtea ſequuntur tanquam fortuito, & extraordinariè, iuſtè poteſt petere remiſſionem, & debetur ei, quia generaliter in omni contractu ob caſus fortuitos ſemper debet fieri remiſſio pretij. Vt poſt Sylueſt. Lop. & alios docuit Roder. p. 2. ſum. c. 74. num. 6.

Et hæc de gabellis dixiſſe, ſit ſatis.

DE VITIO PROPRIETATIS, QVO PAVPERTAS RELIGIOSA.

VIOLATVR, LIBELLVS.

DISPVTATIO TRIGESIMAQVARTA.

DE hac materia diſputant Theologi in 4. diſtin. 38. D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 3. & 6. & Caietan. ibidem Molina tom. 3. de iuſtit. & iure tract. 2. diſp. 687. Gregor. de Valent. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 4. par. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſtitia & iure cap. 4. & 41. Azor. tom. 1. inſt. mor. lib. 12. Roder. tom. 3. de Regul. q. 29. Mart. Nauar. comm. 2. de Reg. cap. Non dicatis. Cordub. in ſumma caſuum conſcient. qu. 54. Petr. Nauar. lib. 3. de reſtit. cap. 1. à num. 172. & Lop. p. 2. inſtr. conf. c. 4. Summiſtæ verò, vt Ang. Tab. Sylu. Arm. Roſ. Piſanel. & alij verb. Religio, furtum, dominium, &c.

1 Quoniam materia hæc de proprietate, grauiſſima eſt, & confeſſariis Religioſorum, ac Monialium maximè neceſſaria, ad decidendas difficultates omnes, quæ quotidie in confeſſionibus ſe offeruut, vt ſciat, quos debeant ad Sacramentum abſolutionis admittere, quouſque ab eodem repellere maximè cùm (vt quidam vir doctus verè affirmauit) his temporibus perniciosiſſimum hoc proprietatis vitium adeò per crebuerit, vt vix ſanctiſſimus locus ſit, quem labes iſta non tetigerit, vix tandem pius quis reperiri poteſt, quem peſtis hæc non infecerit; quare paulò fuſiùs hanc materiam proſequemur, vt quo maioris momenti res eſt, eò plus diligentiæ in ea tractanda adhibeatur.

2 Et quia rem gratam me mihi, cæteriſque Religioſis præſtiturum puto, ſi materiam ad meum, eorúmque ſtatum attinentem aperiam, ab eo exordium ſumere placet, ad quod debent maximè attendere Religioſi, nimirum ipſos eſſe in ſtatu æternæ damnationis, non tendendo per obſer-

Digitized by Google

uantiam ſuæ Regulæ ad perfectionem: dicit enim implicitè S. Thom.2.2. quæſt. 184. art. 5. ad 2. & ſuper eum explicitè Caiet. quòd Religioſus non habens animum tendendi ad perfectionem (qua quis in hac vita fertur in Deum ſemper, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ, quæ eſt poſſibilis in via, non tamen eſt communis omnibus habentibus charitatem, quæ perfectio eſt ſecundùm Regulam ſuam)eſt in ſtatu peccati mortalis, licèt non ex eo ſolùm,quod actu non tendat in eam.

3 Quæ doctrina ſecundum Nauar. in c. Quia portio 12. q. 1. num. 10. eſt terribilis multis Religioſis, qui neque actu, ſeu actualitèr, nec virtute, ſeu virtualiter habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi,neque curant pluſquâ boni clerici ſeculares vel laici ad eam tendere.

4 Dixi (per ſuam Regulam) ad denotandum Religioſum non aliter teneri ad perfectionem aſcendere,quàm agendo vitam Regularem. Ad quam comparandam maximè iuuant tria vota, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ ſunt præcipua, & ad ſubſtantiam ſtatus religioſi pertinentia. Quorum primum,& tanquàm aliorum fundamentum, eſt votum paupertatis, quo quis abſque proprio viuit,dicente domino Matth.19. Si vis perfectus eſſe, vade,vende omnia quę habes,& habebis theſaurum in cœlo. Nam ad charitatem conſequendam in primis iuuat exuere affectum rerum tẽporalium; exuitur autem per votum paupertatis,quatenùs parum affici ſolemus erga ea,quæ noſtra non ſunt,ſicut contra afficimur erga ea,quæ poſſidemus.Dixit enim ſanctus Pater Auguſtinus lib.decimo,confeſſ. ad Deum loquens, minùs te amat,qui tunc aliquid amat, quod non propter te amat. Et in libro 83.q. ait quòd nutrimentum charitatis eſt diminutio cupiditatis & poſtea ſtatim ſubiungit, Summa perfectio nulla cupiditas; Ergo rationi conſentaneũ eſt,vt homo omnia ſua relinquat, vt Chriſtum perfectè ſequatur, iuxta illud Sancti Hieronymi in Epiſtola ad Ruſtic. Monach. Chriſtum nudum, nudus ſequere. Vnde Sanctus Gregor.2. lib. moral. ait;Sunt;nõnulli iſtorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interiùs appetunt, exteriùs cuncta derelinquunt. Cuius obſeruationem Apoſtoli Chriſti complexi de præmio tanti laboris, interrogant,dicentes. Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſumus te, quid ergo erit. nobis?

5 Alterum eſt caſtitatis, quo omnia illa carnem domantia,vt ieiunia, vigilias, flagra, ſaccum, & alia ſimilia complectimur. Hæc enim neceſſaria ſunt,vt carnis,& cordis puritatem ſeruemus, & ſimus ex illis, qui ſemetipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum.

6 Tertium eſt obedientiæ, quo propriam voluntatem abnegamus, & nos & omnia noſtra Prælati voluntati ſubiicimus, vt imitemur illum qui non venit facere voluntatem ſuam,ſed voluntatem Patris ſui, qui in cœlis eſt. Cur enim res temporales abiicimus? Ne greſſus noſtros ad Deum, ſuis implicationibus teneant. Cur illecebras carnis reſpuimus? Ne mentis aciem in Deum obnubilent. Cur voluntates noſtras proterimus? Ne diuinæ voluntatis in nobis impletionem impediant.

7 Paupertatem, & vitæ exemplo & conſilio Saluator noſter docuit, cum dixit, Si vis perfectus eſſe, vade,vende omnia quæ habes, & ſequere me;ideſt, ſi ad finem totius legis aſpiras, ſcilicèt ad perfectam charitatem, quæ ſuapte natura Dei amicitia eſt, & vnio animæ cum Deo, & vnio intima ſupra id quod mens humana cogitare poteſt, perfectionis impedimenta remoue, diuitias,& opes derelinque, quibus ſolutus ſcopum tibi præfixum perfectæ charitatis comparabis, Caſtitatem monuit his verbis; Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauernnt propter regnum cælorum: poſtea ſubiungit ad eam veluti adhorrans, & inuitans Qui poteſt capere, capiat: quaſi dicat, res iſta eſt valdè eximia, horror vt quiſque pro ſuo captu ad eam aſpiret, & qui difficultatem paratus eſt vincere, amplectatur. Obedientiam vero inſinuauit dicens, ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quæ abnegatio maximè fit per obedientiã, dum iudicium,& voluntatẽ noſtrã in omnibus,Superiori ſubiicimus.

8 Cæteræ Religioſæ vitæ aſperitates, & obſeruationes ad hæc tria vota veluti ad tria capita reducuntur,nimirum labor manuum, veſtitus vilis, & abiectus, cibus ac potus parciſſimus ad paupertatem.Vigiliæ autem,abſtinentiæ,ieiunia, corporis macerationes ad caſtitatem. Sacrorum librorum

rum lectio, precationes, peregrinationes ad pia, & religiosa loca, & cætera misericordiæ, & charitatis in proximos officia, ad obedientiam reuocantur. Hi gressus nostri sunt, hi conatus, hi cursus, quibus ad vitæ perfectionem currimus.

9 Ex quo deducimus primò religiosum peccatum mortale committere, quoties in animum inducit ad vitæ perfectionem non progredi, itaut apud se statuat, & dicat, nolo ad perfectionem tendere: quia in hoc cum deficit ab eo quod præstare iure cogitur: eo enim ipso quo quis religiosus est, debet ad vitæ perfectionem tendere, debet perfectioni studere.

10 Tum quia talis voluntas præterquàm quòd Spiritui sancto aditum obstruit, qui semper nos promouet ad meliora, & perfectiora, hominem quoque ipsum multis peccatorum periculis exponit: nam timere debet, ne consiliis neglectis, diuinæ legis præcepta perrumpat. Ita tenet S. Thom. communiter receptus in 2. 2. quæstio. 184. art. 5. ad 2.

11 Hoc idem docuit Illustriss. Caiet. ibidem, vbi exponens articulum S. Tho. sic ait. Et propterea caueant sibi multùm religiosi, ne animum proficiendi deponant; quem tunc proculdubiò habent, cum intendunt viuere secundùm regulam, & constitutiones suas, quamuis in multis interdum delinquant.

Dices, religiosus non cogitur in vita religiosa proficere; ergo non peccat si proficere nolit.

12 Respondeo 1. religiosum non peccare, si in vita religiosa non proficiat; peccare tamen mortaliter si ad fastigium perfectionis ascendere recuset.

Respon. 2. religiosum teneri ad perfectionem progredi, quia tenetur ea quæ sui instituti ratio, & regula præscribit, adimplere.

Vnde quamdiu vota, & suæ regulæ instituta seruat, quibus ad vitæ perfectionem peruenitur, in vita perfecta procedit.

Secundò, peccat mortaliter, quoties vitæ perfectionem contemnit, ideſt, quando consilia Christi tanquam vana, & inutilia prætermittit, aut negligit, aut vult vt ipse consilij author despectui habeatur. Ita S. Tho. 2. 2. q. 184. art. 5.

13 Tertiò & vltimò, quando religiosus totam suam Regulam, vel maiorem eius partem violat. Et ratio est, quia cum Religiosus sub mortali teneatur quotidiè tendere ad perfectionem, per obseruantiam suæ Regulæ, sequitur eo ipso peccare contra istam obligationem tendendi ad perfectionem, quo totam, vel quasi totam suam Regulam, & instituta sui Ordinis violat. Quod est verum, etiam si Regula, vel instituta Religionis ad nullam culpam obligèt. Vnde huiusmodi derelictio regulæ est veluti quædam apostasia a sua professione. Ita Caiet. 2. 2. q. 184. art. 5. & Sylu. verb. Religio 1. num. 3.

14 Ex quo colligitur, huiusmodi Religiosum in magno periculo versari si ab abstinentiis, & ieiuniis desistat, si passim silentium contra Regulam frangat, si frequenter se profanis negotiis implicet, si nihil studij, curæ, & diligentiæ in rerum spiritualium meditatione ponat, si nunquam aut rarò, & id ofcitanter, lectioni librorum sacrorum vacet, si passim sui instituti Regulas, & superiorum consilia perfringat, si motus animi & corporis inordinatos non reprimat, si nihil curet corpus castigare &c. Ob quæ, si sint crebra, Prælatus subditos suos corripere teneretur sub mortali: peccata enim venialia, licèt in singulis fratribus non sit notabile damnum, tamen quando sunt frequentia in Monasterio, magni momenti est, illa extirpare. Quoniam si in Religione nostra (ait Sotus) caderent obseruationes nostræ, puta si fratres passim vterentur lineis, vescerentur carnibus, & silentia abirent; quamuis apud nos nulla sint peccata tamen Prælatus in huiusmodi tenetur satagere sub mortali, vt ad Regulam reuocentur.

15 Et vt à certioribus præmissis ad minùs certa disponenda gradum faciamus, obseruandum est primò quòd paupertas nihil aliud significat quàm paruã partem, exiguũ patrimonium, & modicas facultates.

QVÆSTIO I.

Quid sit paupertas Religiosa?

1 RESP. quòd est vltronea rerum temporalium abdicatio, ob regnum cœleste susceptã; quæ bona externa, sicut obedientia & castitas interna sacrificat. Cuius excellentia ex eo colligitur quòd Saluator noster inter beatitudines potiùs, quàm inter virtutes eam collocare voluit:

Digitized by Google

vt nossent homines ; veros pauperes spiritu non qualemcunque virtutem,sed quemdam fœlicitatis gradum in hoc etiam exilio consecutos. Ex ea enim Religiosi peccatorum cognitionem,virtutum conseruationem,cordis quietem,desiderij impletionem , diuinæ dulcedinis participationem, meritorum exaltationem,& cœlestem hæreditatem consequuntur. Vt docet S.Tho. super Esai.c.48.sub fine.

QVÆSTIO II.

Quidnam sit illud,quod Religiosi promittunt, quando in solenni professione vouent paupertatem ?

1 REsp. nihil aliud esse , quàm contrarium ei , quod videtur in secularibus,qui sunt domini , siue proprietarij. In sæcularibus enim duo sunt attendenda. Primum est,quòd habent liberam facultatem vsurpandi rem arbitratu suo absque alterius iniuria , quæ sit contra iustitiam commutatiuam,& per hanc liberam facultatem propriè, & absolutè constituitur aliquis dominus,quasi in actu primo.

2 Secundum est,quòd re,cuius aliquis est dominus ; liberè is vtitur independenter à voluntate alterius , quo ipso est rei dominus veluti in actu secundo.

Modo Religiosi vtroque sese abdicant per votum paupertatis:promittunt enim se neque habituros,neque recepturos liberam illam facultatem circa rem aliquam,neque etiam vsurpaturos quicquam independenter à voluntate superioris, quasi dominos.

3 Ex quo colligitur quòd ad constituendũ aliquẽ Religiosum, requiritur primò quòd vouens paupertatem obligetur solenniter ad non volendum habere , neque habere posse, etiam iustè,vel vti tanquam proprio scilicèt affectu retinendi iure suo seu independenter à voluntate Superioris.

Secundò,vt sit paratus exui possessione, & vsu,omni momento, quo superior iusserit,quia non potest hæc retinere , nisi cum dependentia à voluntate superioris , alioquin esset proprietarius.Vt habetur ex capit.cum ad Monast. de statu Monachorum, & tradunt S.Thom.2.2. q. 168. art. 6. Less. lib.2.de iust.c.41.dub.8. & 9. Roder. tom.3. q.29.art.3.Nauar.comment.2. de Reg. num. 14.& alij.

QVÆSTIO III.

An Religiosus possit aliquo modo habere proprium ?

1 REsp. iuxta fidem certissimum esse, nullum Religiosum posse habere proprium.Patet ex capitu. cùm ad Monast. de statu Monach.vbi sic habetur. Prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ , ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat. Sed si quis aliquo modo habeat proprium,id totum in commune resignet, &c. & postea subiungit , quòd super hoc , nec Abbas, nec Papa potest dispensare. Et in c. super quodam,decernitur,quòd Religiosus qui in morte cum proprietate fuerit inuentus,Christiana priuetur sepultura , & cum ipsa proprietate in sterquilino sepeliatur.

2 Hoc idem definitur in sacro Conc.Trid. sess.25.cap.2.vbi sic habetur.Nemini Regularium,tam virorum , quàm mulierum, liceat bona mobilia , vel immobilia , cuiuscunque qualitatis fuerint etiam quouis modo acquisita,tãquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere , vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur,conuentuique incorporentur.

3 Illud tamen hoc loco est obseruandum , proprij appellatione non solùm intelligi dominium,& proprietatem rei , sed etiam vsum,& vsumfructum,possessionem, & administrationem, prout sunt iuris, non facti.

Dominium,seu proprietas est ius perpetuò disponendi de re in suum commodum,nisi lege prohibeatur.

Vsusfructus est ius vtendi , ac fruendi re aliena,salua tamen eiusdem rei substantia.

Vsus est ius vtendi re aliena , salua eius substantia.

4 Ex quo colligitur quòd dominus disponit de re ipsa , quia potest eam destruere, quoad substantiam , alienare per donationem , vel venditionem. Vsufructuarius de solis fructibus prout vult. Vsuarius verò de solis fructibus in propriam tantùm vtilitatem, non autem alteri dare,vel vendere.

5 Possessio est ius insistendi rei corporali,à qua possidenda non prohibemur.

Administratio est ius , quo quis apud iudi

iudices poteſt agere, & conuenire alium de re aliqua, & de ea extra iudicium ſtatuere: ita vt ſit libera, & legitima poteſtas ſiue facultas agendi.

Hæc igitur quinque, pro vt ſunt iuris, ſignificant aliquid proprium, quod quis habet, & adminiſtrat nomine, & arbitratu ſuo, ſine conſenſu, & voluntate alterius.

6 Aliquando tamen detentio, & vſus, adminiſtratio, & poſſeſſio ſunt facti tantùm, & tunc hæc in Religioſum verè cadunt, quia qui facti tantùm detentionem, vſum, adminiſtrationem, vel poſſeſſionem habet, nihil proprium retinet, quia illud habet nutu, & voluntate aut nomine alterius, vt doctè ſuo more annotauit Nauar. Comm. 2. de Regul. num. 15.

7 Religioſus igitur, vt ſacri Canones decernunt, caret omni bonorum temporalium dominio, vel proprietate, vſu, vel vſufructu, vel poſſeſſione, quæ quidem omnia ſunt iuris, non facti. Ratio huius eſt, quia Religioſus per votum ſolemne paupertatis, omnibus his iam quæſitis, & quærendis, imò, & capacitati quærendi, vel habendi renuntiauit. Ita S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. & 6. Nauar. com. 2. de Reg. num. 15. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 8. & alij.

8 Hinc infert Nauar. lib. de redit. q. 1. Monit. 10. & 12. & Com. 2. de regul. n. 2. religioſum profeſſum nullius rei temporalis habere dominium, ne veſtis quidem, qua induitur, aut panis quo veſcitur: ſed quicquid habet, eſſe penitus ſubiectum adminiſtrationi Superioris, ſine cuius nutu, nihil omninò habere poteſt.

9 Dixi notanter (nullius rei temporalis) quia iurium, & bonorum ſpiritualium, poteſt habere dominium, vel quaſi dominium. Nam religioſi beneficiarij habent dominium, vel quaſi dominium, & poſſeſſionem ſuorum beneficiorum, & poſſunt agere nomine proprio, ad eorum dominium obtinendum & adipiſcendum, retinendum, & recuperandum eorum poſſeſſionem. Ratio huius eſt, quia religioſi per votum paupertatis non renuntiant bonis ſpiritualibus. Vt S. Thom. 2. 2. quæſt. 186. art. 7. ad 4. & Caiet. ibidem Nauar. de reddit. quæſt. 1. monit. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 5. & Mol. tom. 3. de iuſt. tract. 2. diſp. 6. 87. docuerunt.

QVÆSTIO IV.

An ſi quis dum emittit ſolemnem profeſſionem intendat dominio ſe non abdicare, ſed retinere, ſit valida eius profeſſio?

1 RESP. non eſſe validam, ac proinde hunc non eſſe religioſum, ſi dum profitetur, intendat retinere dominium, ita vt non ſit paratus illo abdicari, quandò ſuperior iuſſerit. Ratio huius eſt, quia hic non intendit ſe obligare ad id, quod eſt de eſſentia Religionis: abdicatio enim dominij ſaltem quo ad præparationem animi, & quoad obligationem abdicandi, ad ſubſtantiam ſtatus Religioſi pertinet. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

2 Tota igitur controuerſia verſatur, quando is qui profitetur, intendit retinere dominium ad tempus, & poſtea illud à ſe alienare, quando Superior iuſſerit.

Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 8. in ea eſt ſententia, vt affirmet ſpectato iure communi talem profeſſionem eſſe inualidam. Et probat, quia profeſſio iure communi priuat dominio bonorum mobilium, & immobilium, & reddit inhabilem ad illud, vt habetur in cap. cum ad Monaſt. de ſtatu Monach.

3 Tum quia Prælatus non habet facultatem ad acceptandum talem profeſſionem inſufficientem ad incorporandum Religioni, nam ius Canonicum ei reſiſtit, & eſt contra eſſentialia ſtatus Religioſi.

Credit tamen hic author, talem profeſſionem habere vim voti ſimplicis, & ita tenebitur mutata voluntate poſtea profiteri: niſi mens eius expreſſa, vel tacita alia fuerit, quia votum vltra intentionem vouentis non obligat: ſi tamen de eo non conſtat, interpretatio facienda eſt, vt valeat inſtar voti ſimplicis.

QVÆSTIO V.

An quiſpiam poſſit Religionem profiteri, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt domi ſuæ maneat, & certam ſuorum bonorum portionem habeat?

1 AD hanc quæſtionem dico primò, quòd ſi ea conditio ſit vt Religioſus tanquam proprium aliquid habeat, vel

quod nutu Superioris repeti nequeat,tunc nulla est professio, quia talis conditio cum voto solemni paupertatis,quod est de substantia, & natura status Religiosi, pugnat.

Secundò dico, quòd si eiusmodi conditio sit, vt tum habitationem, tum suorum bonorum portionem ad necessarios vsus suæ personæ habeat,ex superioris voluntate pendentem; tunc valida erit professio, nec cum iure antiquo pugnat.Vt colligitur ex cap.de viduis.27. qu.2. & tradunt optimè Nauar. c.2.de Reg. num. 14. & Sylvest. verb. Abb. quæst. 7.

Tertiò, & vltimò dico, quòd iure nouo Concil.Trident.sess.25. cap.2. de Reg.idest interdictum,quia eo in loco præcipitur,ne Religioso priuato dentur etiam ad vsum, & administrationem stabilia bona, cuiusmodi sunt domus, fundi, agri, redditus; & id genus alia.

2 Hinc Religiosi non possunt ex consensu suorum Prælatorum habere aliqua bona,vt ab eis administrentur, ea lege vt certam pensionem reddant Monasterio, & ex reliquo sibi ad necessaria vitæ subsidia, & alimenta ac in pios vsus,quos ipsi maluerint, expendant; quale peculium habere solent de licentia Papæ Religiosi senes, vel infirmi de Religione bene meriti, quibus habitationes aliquæ salubriores,commodioresque concedi solent. Ratio huius est, quia licet secundùm ius antiquum id non sit interdictum, iure tamen nouo in Concil. Trident. sess.25.cap.2.de reg.est vetitum:& propterea redditus, & alia bona immobilia,vt domus,agri,& aliæ possessiones tradi Superiori debent, vt is singulis Religiosis prouideat, vt(teste Quaranta in suo bullario ver.casus reseruati fol.157.)sacra Congregatio declarauit.

QVÆSTIO VI.

Quo iure solemne votum paupertatis faciat Religiosum incapacem dominij retinendi, vel in posterum acquirendi.

1 MVlti affirmant solemne votũ paupertatis,vi ac natura sua hanc inhabilitatem inducere.

Almay in tract. de potestate Ecclesiæ cap.15. censet eiusmodi votum non vi sua, nec iure Canonico, sed diuino vim habere faciendi Religiosum incapacem dominij.

Less.lib.2. de Iust.c.41.dub.8.putat Religiosum esse inhabilem ad dominium ex duplici causa. Prima, ratione traditionis sui in ius Ordinis; ita enim Religiosus se tradit Ordini, vt partim mancipio, partim filiofamilias comparetur, quorum neuter sibi acquirit, sed ei in cuius potestate est. Secunda,ratione Ecclesiæ decreti:quòd nõ solùm traditionem illam confirmat, ita vt ille nõ possit sui iuris efficere sicut seruus, vel filius, sed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit.

2 Cæterum meo iudicio rectius docent Nauar.Com.2. de Reg.num.51.& Couar.de testament.cap.2.num.5.nempè per solemne votum paupertatis religiosum esse inhabilem ad dominium sola Ecclesiæ constitutione.Quam opinionem vt valdè probabilem, ac iuri ciuili authoritate Canonis approbato,magis conformem sequitur colendissimus meus Azorius p.1.instit.moral. lib.12.cap.12.& probatur,nam in cap.quod votum, de voto, & voti redemptione in 6. generatim dicitur, solemnitatem voti esse sola Ecclesiæ constitutione. Vnde sicut Ecclesiæ decreto Religiosus professus est inhabilis ad matrimonium contrahendum, sic etiam eiusdem Ecclesiæ decreto est incapax dominij acquirendi.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm Summus Pontifex possit dispensare in aliquo casu cum Religioso, vt habeat proprium, sicut cæteri sæculares?

1 S. Thom.2.2.qu.88.art.11.tenet non posse. Ratio ipsius est,quia votum paupertatis statui Religioso est essentialiter annexum,vel potiùs innexum,& intrinsecè inclusum. Eamdem sententiam sequuntur Sylvest.verb.votum 4.q.5.Arag.2.2.q.88.art. 11.Armil. verb.dispers.num.11. & multi alij ex Thomistis.

Ex quo inferunt,quòd dispensante summo Pontifice cum aliquo Religioso, vt fiat clericus sæcularis, tenetur habere propositum custodiendi tria vota essentialia quæ promisit, qui si non habet hoc propositum existit in peccato mortali,cum Papa non possit dispensare in dictis votis.

2 Sed hoc nõ obstante,concors est Theologorum,& Canonistarum sententia,posse Summum Pontificem votum solemne paupertatis

pertatis relaxare. Ita Scot. in 4. dist. 30. qu. 3. Caiet. 2. 2. q 88. art. 11. Corol. lib. 1. quæst. q. 24 Couar. de testamen. cap. 2. num. 10. Less. lib. 2. de Iustit. cap. 4. dub. 5. Sot. lib. 10. de Iust. quæst. 5. art. 7. & alij. Probatur. Pontifex potest dispensare in voto solemni castitatis, vt ferè omnes fatentur, ergò etiam poterit dispensare in voto solemni paupertatis. Probo consequentiam, quia cum vtrumque sit solemne æqua debebit esse vtriusque ratio.

3 Et confirmatur. Caietan. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. Less. lib. 2. de Iustitia cap. 4. dub. 5. Aragon. 2. 2. quæst. 88. art. 11. & multi alij nobiles authores, referunt Summum Pontificem de facto dispensasse cum multis. Primò, cum Nicolao Iustiniano Monacho professo dispensauit Alexand. I I I. vt posset vxorem ducere, ne familia tam Illustris extingueretur. Ex qua susceptis sex filiis, & tribus filiabus ad Monasterium rediit, miraculis posteà clarus, vt habetur in vita S. Laurentij Iustiniani, & apud Volaterranum lib. 4. historiæ.

4 Secundò, cum Rege Aragoniæ, qui cum esset Monachus professus, & eius pater sine filiis obiisset, solutus est votis Monasticis, vxorem duceret, teste Paludano in 4. dist. 38. quæst. 4. art.

Tertiò, cum Constantia filia Regis Siciliæ Moniali professa, vt nuberet cum Henrico V I. vt refert Platina in vita Celestini I I I. Atqui absurdum est dicere Pontifices in re tanti momenti errasse. Vnde immeritò Sot. lib. 7. de Iust. quæst. 4. artic. 2. dicit huiusmodi historias non esse vndequaque veras.

5 Deinde Summus Pontifex potest relaxare votum simplex castitatis Clericorum, vt fatetur S. Thom. & communis sententia Doctorum, ergo & in voto paupertatis Religiosorum. Probo consequentiam quia votum paupertatis Religiosorum non est magis solemne, quam votum castitatis Clericorum.

6 Tandem Summus Pontifex potest relaxare votum simplex paupertatis perpetuæ, vt omnes Doctores affirmant, ergo, & solemne. Probo consequentiam, quia solemnitas voti sola Ecclesiæ constitutione est introducta, vt expressè habetur in cap. quod votum, de voto & voti redempt. in 6. Si solemnitas est ex sola Ecclesiæ constitutione, ergo potest ipse in ea dispensare, quia potest relaxare suam constitutionem.

7 Et ad argumentum Sanct. Thom respondeo, quòd quamuis verum sit, quòd votum paupertatis sit essentiale Religioni, nec ab ea possit separari, potest tamen efficere Summus Pontifex ex rationabili causa, vt qui anteà erat Religiosus, non sit, & sic habeat proprium, & vxorem ducat, & ex matrimonio filios procreet.

8 Obiicies in cap. cum ad Monast. de statu Monach. habetur. Neque æstimet Abbas quòd super habenda proprietate, possit cum aliquo dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam neque etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

Hoc idem habetur in Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de Reg. vbi sic dicitur. Cum compactum sit ab eis, non posse ea, quæ ad substantiam vitæ Regularis pertinent relaxari. Si enim illa basis, & fundamenta totius Regularis disciplinæ exactè nõ fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est. Et loquitur Conc. de tribus votis.

9 Respondeo primò, ex hoc cap. Solùm concludi Monachum, quandiu talis est voto paupertatis teneri, nec fieri posse, vt existente Monachatu, non sit votiua paupertate astrictus, quia implicat contradictionem quod quis teneatur voto solemni integro, quod quem incapacem dominij rei pecuniariæ facit, & quòd fiat dominus talis rei.

Tum quia non potest aliqua lege humana etiam Papæ, fieri, vt aliquis licitè ducat vxorem, stante voto castitatis solemni integro. Nos autem contendimus authoritate Pontificia ex Monacho posse fieri non Monachum, & sic exemptum à Religione, vxorem ducere, & proprium patrimonium habere.

10 Respondeo 2. Illa verba intelligenda esse ex modestia Summi Pontificis ad conuincendum illum Abbatem, qui existimabat ipsum habere facultatem concedendi Monacho, vt haberet proprium. Couar. cap. 2. de testam. num. 10. & 11.

Demum obiicies S. Thom. authoritatem, qui in 2. 2. quæst. 88. art. 11. docet Summum Pontificem id facere non posse.

11 Respondeo ipsi Sancto Thomæ, ipsummet S. Thomam opponimus, qui in 4. dist.

38.quæſt.1.art.4.quæſtiuncula 1. ad 3. Manifeſtè ait, Romanum Pontificem poſſe relaxare votum ſolemne Religionis.

Profectò nunquam perſuadere mihi potui S. Thom. hanc authoritatem Romano Pontifici negaſſe, ſed ſolùm docuiſſe, vt optimè Caietanus annotauit, Romani Pontificis authoritate fieri non poſſe, vt quis ſit Religioſus, & coniux, vel dominium habeat: pugnat enim cum natura religionis, coniugij, & dominij vſus. At Pontificia authoritate fieri poteſt, vt religioſus definat eſſe religioſus, & ſic matrimonium contrahat, & res vt proprias poſſideat.

Certè S. Thom. Scot. Richar. S. Bonauent. Palud. Caietan. Cordub. Sot. Leſſ. Molin. Nauar. & omnes alij recentiores vno ore fatentur Romanum Pontificem iuſta de cauſa, poſſe votum ſolemne paupertatis diſſoluere.

QVÆSTIO VIII.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, An in individuo poſſit dari cauſa aliqua legitima ob quam oporteat authoritate Pontificia votum ſolemne paupertatis diſſolui?

1 NAuar. commen. 2. de regul. num. 17. exiſtimat non poſſe cauſam ſubeſſe, vt quis diſpenſetur à voto ſolemni paupertatis, quia dari poteſt cauſa, & neceſſitas, vt religioſus fiat, rex, vel Princeps, & matrimonium contrahat, & proinde liber omninò à voto caſtitatis ſit, non autem ſubeſſe poteſt cauſa, vt ſit regni dominus, quia ſufficit, vt ei concedatur plena adminiſtratio, quæ tamen ſit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim ſufficiens eſt, ad omnes actus neceſſarios, vt ad donandum, ad acquirendum ad contrahendum, ad condendum teſtamentum, &c.

2 Hoc idem dicit de voto ſolemni obedientiæ, non enim neceſſe eſt, hoc vinculum diſſolui, ſed ſatis eſt materiam ſubtrahi, tollendo ſubiectionem, quam habet ſubditus ad ſuum Prælatum, & tunc manebit Pontifici ſubiectus, ſicut accidit quando Religioſus fit Superior generalis, Epiſcopus, vel Cardinalis.

3 Sunt tamen alij, qui meo iudicio rectiùs docent, poſſe iuſtam cauſam ſubeſſe, vt Religioſus diſpenſetur in voto paupertatis. Vt ſi v. g. Religioſus diſpenſetur vt fiat Rex, & ducat vxorem, iſta eſt iuſta cauſa, vt votum paupertatis ei omninò relaxetur, ne affectu proprietatis largitionibus, ſumptibus ſuperfluis, aliiſue modis, qui facilè in ſtatu Regio poſſunt occurrere, peccet contra votum. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 5.

Idem videtur dicendum de voto ſolemni obedientiæ, imò videtur hoc votum ſponte ceſſare, hoc ipſo quo definit eſſe Religioſus.

4 Animaduertat hoc loco ſtudioſus Lector, quòd non eo ipſo, quo Religioſus Epiſcopalem gradum, & honorem aſſequitur, à voto obedientiæ abſoluitur, ſed eximitur à ſuorum Superiorum poteſtate, & proinde voti materia ceſſat. Vel vt alij philoſophantur, in Epiſcopis votum obedientiæ non definit, ſed mutatur in obedientiam congruentem illi ſtatui.

QVÆSTIO IX.

An Religioſus, Epiſcopus creatus, eo ipſo à voto paupertatis ſit abſolutus?

MAgiſter Sot. lib. de iuſt. q. 5. art. 7. tuetur partem affirmatiuam.

1 Mihi ſanè non placet hæc ſententia, ſed oppoſita, quæ docet eum hoc voto non eſſe abſolutum, ſicut nec voto obedientiæ: moueor autem ex eo quòd horum votorum obligatio eſt de intrinſeca natura Religionis, vt apertè definitur in cap. cùm ad Monaſt. de ſtatu Monach. Sed Religioſus per Epiſcopatum non definit eſſe Religioſus, ergo his votis non liberatur.

2 Tum quia non oportet, vt Religioſus Epiſcopus effectus ſit dominus fructuum ſui Epiſcopatus, ſatis enim eſt, ac ſufficit vt habeat plenam adminiſtrationem ſine dominio, qualem iura illi permittunt, tum ad ſuam ſuſtentationem, tum ad pias cauſas: hæc enim adminiſtratio ſufficit ad tales actus.

QVÆSTIO X.

Quot modis votum paupertatis à Religioſis tum ſuperioribus, tum inferioribus violetur?

1 VT in hac quæſtione adeò graui, & quæ quotidie habetur præ manibus

nibus explicanda recto ordine procedamus, dicam priùs quæ certa sunt apud omnes, dicturus postea ea, in quibus est controuersia apud Doctores. Hunc enim modum procedendi semper existimaui conuenientissimum, & explicandis difficultatibus maximè moralibus, tot doctissimorum virorum sententiis inuolutis aptissimum, & clarissimum.

2 Dico igitur primò, quòd Religiosus qui quærit, vel habet, vel quærere, vel habere vult aliquod bonum pecuniarium tãquàm proprium, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ratio est, quia Religiosus per solemnem professionem, non solùm spoliauit se omni dominio, sed etiam se fecit incapacem ad quærendum, & habendum tale dominium, & ius rerum temporalium vt habetur in c. cum ad Monast. de statu Monach. & in Concil. Triden. sess. 25. c. 2. & 3. & tradit eleganter D. Nau. com. 1. de Reg. nu. 19.

3 Hinc religiosi tam simplices, quàm beneficiati, & habentes officia ratione quorum habent facultatem emendi oues, & boues, libros, aut vestes magnoperè cauere debent, ne emant illa intendentes quærere illa sibi, quia hoc est peccatum mortale contra votum paupertatis; debent ergò eiusmodi Religiosi, cùm emunt illa, non sibi, sed beneficio, vel Monasterio, ad vsum eius, vel suum, de consensu superioris sibi licitum emere, vt post alios tradit optimè Nauar. com. 1. de Reg. nu. 23.

4 Secundò dico quòd Religiosus qui ex rebus Monasterij sine consensu expresso, vel tacito superioris, aliquam rem notabilem sibi vsurpat furtum mortale committit. Et ratio est, quia vsurpat alienum, scilicet cõmunitatis inuitõ domino, cuius loco Superior est administrator, & per consequens peccat contra votum paupertatis: omne enim furtum in religioso est cõtra votum, quia vsurpat rem tanquàm dominus, absque dependentia à Superiore. Ita Molin. t. 3. de iust. & iure tractat. 2. d. 787.

5 Tertiò dico: quòd religiosus qui ex eo quòd alteri ad vsum eius concessum est. clàm aliquid sibi assumit, vt si alterius cuculam, tunicã, caligas, vel calceos breuiarium, libros vel imagines, est proprietarius. Ratio est, quia sine consensu superioris assumit sibi vsum alteri destinatum: quòd si res est parui momenti veniale, si grauis, mortale peccatum admittit, & tantò grauius, quantò miserabilior est, & pauperior persona à qua aufertur: nemo autem religioso, qui non solùm nudum vsum rerum sibi concessarum habet pauperior est. Ita Azor. parte prima, inst. mor. lib. 12. & Hier. Lamas 3. p. suæ sum. Eccles. c. 9. §. 11.

6 Quartò dico quòd religiosus qui absque nutu superioris, ab alio eiusdem Monasterij religioso, aliquid accipit, quod est ipsius, qui dat, vsui concessum, est proprietarius, quia vsum quem alius habebat, sibi vsurpat, animo, & voluntate vtendi re illa, sine consensu expresso vel tacito Superioris. Et religiosus qui talem vsum sibi concessum, sine voluntate Superioris alteri cõcedit, etiam in vitium proprietatis incurrit. Ratio est, quia religioso res à Superiore conceditur, vt ea ipse vti possit, non vt ipse in alium huiusmodi vsum transferat pro suo arbitratu, absque nutu Superioris, vt cum aliis resoluit Azor. p. 1. inst. mor. lib. 12. c. 12.

7 Quintò dico, quòd Religiosus qui renitente Superiore, aliquid accipit ex rebus Monasterij, & illud edendo, & bibendo cõsumit, est proprietarius Et ratio est, quia vtitur re vt propria, & consumit, quod ad vsum, vel potum communem pertinet, absque Superioris consensu. Ita Maior. in 4. d. 38. q. 9. Azor. p. 1. instit. mor. lib. 12. c. & alij.

8 Sextò dico, quòd religiosus, qui aliquid etiam mobile retinet, cum animo illud occultandi Superiori, peccat, & quidem si res est notabilis, mortaliter, etiam si dicat paratum esse illud relinquere ad iussionem Superioris: non enim paratus esse potest, qui operam dat, ne Superior intelligat. Et ratio huius est, quia eo ipso vsurpat rem independenter à voluntate Superioris, ac proindè est proprietarius. Ita Greg. de Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. Roder. to. 3. de Reg. quæst. 29. art. 10. Petr. Nauar. l. 3. de rest. c. 1. num. 174. Et colligitur ex cap. cum ad Monast. vbi Ioan. And. Archid. & plerique alij notant, proprium dici, quicquid cælas Prælatum, vel contra eius voluntatem tenes.

Hinc si Prælatus alicui Religioso facultatem concesserit retinendi rem aliquam, & ipse eam occultat, ne sequens Prælatus videndo illam auferat, est proprietarius. Vt S. Anton. 3. p. tom. 16. c. 11. §. 2. Sylvest. verb.

Digitized by Google

Religio 6.q.7. Azor. p.1.inst. mor. lib. 12.c. Graff.p.1.lib.3.c.5.n.48.resoluunt.

9 Illud tamen hoc loco est obseruandum, quòd duplici ratione potest Religiosus rem aliquam occultare Superiori. Primò ne illa priuetur. Secundò, ne fortè obiurgetur, quia sine eius beneplacito suscepit. Et quidem si Religiosus rem occultat superiori, quia meritò suspicatur à Superiore fore sibi auferendam, tunc peccat contra votum paupertatis, & si materia est grauis, mortaliter peccat. Si verò ea intentione occultat, quia putat, non quidem se re illa priuandum, sed solùm obiurgandum, quia inscio superiore, eam retinet, tunc non peccat nisi venialiter, si alioqui est paratus eam superiori tradere, quoties intelligeret eum ipsi minimè concessurum. Ita Petr. Nauar. lib. 2. de rest. c. 1. n. 171. & Roder. tom. 3. de Reg. q. 29. art. 5.

10 Quæ resolutio est valdè notanda pro consolatione spirituali multorum Religiosorum, qui sæpè ignoranter, aut inconsideranter magis quàm animo deprauato, aut cupiditate, recipiunt aliquas eleemosynas, & expendunt eas liberalius, quàm par est, putantes quod non displiceret Prælatis, licèt id scirent, quia tales non peccarent mortaliter.

11 Aduertant tamen Religiosi tanquam serui Dei, ne illos decipiat amor proprius, aut aliqua extraordinaria cupiditas, vt putent non displicere Prælatis supradictum, cùm tamen summoperè eis displiceat.

Hinc si tempore visitationis, dum superiores scrutantur cellas Religiosorum ad inquirendum quid in cellis singuli habeãt, aliquis fratrum occultet aliquos libros, imagines, vestes, & alia huiusmodi, quæ iuxta ipsius Religionis conditionem, & dignitatem, Superiores molestè laturi sunt, vt habeant, & ea ab illo sublaturi, peccat mortaliter, si tamen materia est notabilis, & per consequens proprietarius. Ita Roder. tom. 3. de Reg. q. 2. art. 3.

12 Septimò dico, quòd Religiosus qui de licentia Prælati tenet bona immobilia, vt agros, domos, reditus, &c. etiam ad vsum, vel ad administrationem tantùm, peccat mortaliter, & est proprietarius. Nec Prælatus potest alicui Religioso talem facultatem concedere. Ratio huius est, quia iure nouo Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de Reg. id est prohibitum: ibi enim sic habetur. Nec deinceps licet Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Hoc idem teste Quaranta verb. casus reseruat. fol. 157. declarauit sacra Congregat. Cardin. Ita Less. lib. 2. de iust. c. 4. dub. 5. & Roder. p. 2. suæ Sum. c. 31.

13 Octauò dico, quòd possunt Superiores concedere Religiosis bona mobilia ad vsus suos necessarios, & pios, v.g. vestes libros, & similem suppellectilem: hæc tamen debent esse statui paupertatis accommodata, omni carentia superfluo, vt Concil. Trid. inquit. Et etiam aliquam pecuniam ad vsus suos, vel pios etiam indererminatos, vt cum communi resoluit Less. lib. 2. de iust. cap. 4. dub. 5.

14 Aduerte tamen, quòd per supradictum quantum ad vsum pecuniæ, non intelliguntur fratres minores de obseruantia, qui iuxta suam Regulam non possunt tractare, nec retinere pecuniam, vt Roder. p. 1. suæ Sum. c. 31. n. 15. annotauit.

Hinc non est contra votum paupertatis id, quod passim fieri videmus nimirum Monasterium præbere solummodò victum Religiosis, vel Monialibus, ea lege, vt pro vestitu sibi sumant, quæ proprio labore, vel artificio, aut donatione sibi acquirunt. Et ratio est, quia in hoc casu nihil proprium habeant, nec bona aliqua stabilia, vel annuos redditus accipiunt, sed sui laboris, & industriæ fructus de licentia Superioris, cuius nutu ea facultas potest reuocari. Ita Valentia tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. & Graff. p. 1. lib. 3. c. 5. n. 55.

15 Nonò dico, quòd superiores Religionum apud quos præcipuè cura, & administratio bonorum Monasterij temporalium, non minùs quàm spiritualium residet, non possunt pro suo arbitratu ea in quosuis vsus expendere. Ratio est, quia superiores non sunt domini, sed administratores, vt habetur in iure c. fraternit. de donat. ergo tenentur in eos tantùm vsus distribuere, ad quos destinata sunt: pro vt egregiè probat Nau. in c. nullam 18. q. 3. n. 6. Quòd si in profanos, vel inutiles vsus, ac contra Regulam, vel instituta suæ Religionis, & tandem contra voluntatem suorum superiorum ea dispensent, vel prodigant, peccant mortaliter contra votum paupertatis, vt optimè tradit Roder. to. 3. de Reg. q. 26. art. 10. Quod est valdè notandum.

16 De

16 Decimò dico, quòd Procuratores, ſeu cellerarij, & quoquot alij qui bona Monaſterij adminiſtrant, non poſſunt ea diſtribuere pro ſuo libito, ſed ſolùm ex præcepto, & mente ſuperioris, ita vt non dent alia, nec plura, nec pauciora, nec meliora, vel deteriora, quàm ſciunt ſuperiorem velle, qua parte enim recedunt à mente ſuperioris, labem proprietatis incurrunt, & ſi materia eſt grauis, ſunt in ſtatu damnationis donec reſipiſcant. Ratio huius eſt, quia ita diſpenſant, ac ſi eſſent domini, & ab alterius arbitrio non penderent.

17 Tum quia Procuratores ſolùm reſpectu eorum vſuum, qui in bonum Monaſterij ordinantur, deſtinatam à Superiore habent rerum adminiſtrationem, ergò in cæteros vſus, in quos ſibi facultas conceſſa non eſt, non magis poſſunt expendere, quà poſſunt cæteri Religioſi. At cæteri, ſi de bonis Monaſterij quidquam attrectent, aut expendant, peccant mortaliter, vt omnes fatentur, ergò & illi. S. Th. 2. 2. q. 32. ar. 8. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 9. & Roder. tom. 3. de Reg. q. 29 ar. 10.

18 Vndecimò dico, quòd Religioſus factus Abbas, Beneficiarius, Epiſcopus, &c. etſi nullum habeat dominium bonorum temporalium, habet tamen ius adminiſtrandi, & diſpenſandi fructus beneficij in vſus proprios, & decentes, & ad pias cauſas. Id enim iure, & conſuetudine eſt ei conceſſum, quandiu ille beneficium obtinuerit. Vndè non poteſt eos expendere in res vanas, & inutiles, aut ditare ſuos amicos, & parentes, & ſi fecerit, vltra notam proprietatis quam incurrit, tenetur ad reſtitutionem, ſimiliter, & eos qui illos acceperunt. Ratio eſt, quia omnium iſtorũ bonorum non eſt dominus, ſe ſolùm administrator, & diſpenſator, habens tantùm ius ad expendendum illa bona iuxta præſcriptum Canonum, & Religionis, & intentionem eorum, qui ea Religioni vel Eccleſiæ reliquerunt. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 4. dub. 5. & Nau. c. 2. de Reg. nu. 10.

19 Duodecimò dico, quòd Religioſus, qui bona ſibi à ſuperiore deputata ad certos vſus expendit in alios, in quos conſenſum ſuperioris non habet, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Vt ſi v. g. Religioſus habens pecuniam apud depoſitarium, poſtulet licentiam à ſuperiore ad emendum libros caſuum conſcientiæ & ipſe loco horum emat aliquid aliud, ad quod emendum, probabiliter credit, aut credere debet ſuperiorum non conſentire. Ratio eſt, quia eo ipſo iam vſurpat rem indepẽdentem à voluntate ſuperioris quaſi dominus. Ita Petr. Nauar. lib. 3. de reſt. c. 1. nu. 183. & Roder. tom. 3. de reg. q. 29. ar. 10.

20 Decimotertiò dico, quòd non poteſt religioſus bona à ſuperiore deputata ad ſuos vſus, expendere in vſus non neceſſarios, nec pios. ratio eſt, quia canones non concedũt adminiſtrationem regularibus. niſi ad res neceſſarias, vtiles, aut honeſtas, Vndè peccat mortaliter religioſus contra votum paupertatis, ſi in huiuſmodi expendat bona Monaſterij, v. g. ſi in turpia. ſi in veſtes fericas, in ſumptuoſa conuiuia, in canes venaticos, falcones. &c. Ita Leſſ. l. 2. de iuſt. c. 41. dub. 9. Roder. t. 3. de Reg. q. 29. art. 10. & Pet. Nauar. l. 3. de reſt. c. 1. n. 183.

21 Decimoquartò dico, quòd non poteſt ſuperior concedere licentiam Religioſo, vt bona quorum vſum habet, in quoſcunque vſus etiam profanos expendat. Ratio eſt, quia iura non concedunt adminiſtrationẽ religioſis, niſi ad neceſſaria, & vſus licitos, & honeſtos. At ſuperior nihil poteſt contra iura, ergo. Vnde non ſolùm peccat mortaliter ſuperior talem licentiam concedendo, ſed etiam religioſus ea vtendo. Ita Nauar. cap. non dicatis, num. 53. Syluest. verb. religio 6. q. 7. & Petr. Nauar. lib. 3. de reſt. c. 1. nu. 183.

22 Hinc ſuperior nõ poteſt facere facultatem huiuſmodi religioſo v. g. vt expẽdat pecuniam in ludos, luxus, & ſimilia: & quãuis ſuperior det, non ideò religioſus excuſatur à mortali, & à nota proprietatis, ſi in materia graui vtatur prædicta licentia. Ita Mart. Nauar. cap. Non dicatis, num. 55. & Petr. Nauar. lib. 3. de reſt. c. 1. nu. 283.

Hinc religioſus qui ex conſenſu Superioris aliquid expendit in rem turpem, peccat mortaliter, & eſt proprietarius, tam ipſe, quàm ſuperior, qui talem facultatẽ concedit. Et ratio eſt, quia ſuperior ſecundùm Canones huiuſmodi conſenſum dare non poteſt. Ita Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 41. dub. 8.

23 Hinc peſſima eſt illa conſuetudo quorundam religioſorum, & proprietatis nutritiua, qua pro indumentis ſibi aſſignatis cellerarius ei dat pecuniã, quam poſteà expendunt, & dant, atque reponunt pro libito voluntatis, & efficiuntur proprietarij.

Vndè

Vnde Superiores deberent eis dare necessaria secundùm indigentiam cuiusque, & non pecuniam.

24 Decimo quintò dico, quòd Religiosus qui dicta bona sibi ad vsum concessa, ita possidet vt nõn sit animo paratus ea ad arbitrium superioris relinquere, peccat peccato proprietatis, & quidem si materia est grauis peccat mortaliter, & tenetur ea restituere, & se iis omnibus abdicare, iuxta Canones. Ita Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 179. & Roder. tom. 3. de reg. quæst. 29. artic. 12.

25 Decimosextò dico, quod Religiosus qui dicit se animo esse paratum ad nutum Superioris relinquere semel concessa, tamen fundendo querelas, & murmurationes, & tanquam iniuria affectus conqueritur de superiore non est tutus in conscientia, quia peccat non solùm ob scandalum, verum etiam ob votum paupertatis violatum, cum constet, licentiam illam esse coactam, magisque permissiuam, quàm cõcessiuam, sicut multa mala fieri permittuntur, ne maiora committantur. Ita Less. lib. 2. de Iustitia cap. 4. dub. 5. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. cap. 1. num. 179. & Roder. tom. 3. de Reg. quæst. 29. artic. 12.

26 Decimoseptimò dico quòd si in aliqua Religione sub obedientia sit prohibitum Religiosis detinere pecuniam in cubiculis, & aliquis Religiosus eam habeat occultè nolens reuelare statim Superiori, si materia est notabilis, peccat mortaliter, & est proprietarius, vt post alios resoluit Roder. tom. 3. de reg. quæst. 29. art. 12.

27 Decimo octauò dico, quòd religiosus qui surripit rem sacram, licèt pecunia non æstimabilem, vt sunt reliquiæ, & huiusmodi, peccat mortaliter, & est proprietarius cum obligatione restituendi. Et idem si surripit aliqua rescripta, seu aliud quòd æstimabile singulari pretio, & interesse affectionis, quia res tanti valet, quanti ab eo æstimatur qui habet rem, lege vnica C. de sententia.

28 Decimo nonè dico, quòd religiosus tenetur adhibere omnem diligentiam in rebus ipsi ad vsum concessis, conseruandis, quam tenetur præstare vsuarius, qui precario vtitur re aliena, vt singulariter annotauit Less. lib. 2. de Iustitia cap. 41. dub. 9. ac proinde tenetur vitare culpam latam: hanc enim secundùm iura tenetur vitare omnis, qui aliquid precario accipit. Vnde si res sibi concessa, ipsius negligentia pereat, vel deterior fiat peccat peccatum iniustitiæ, & per consequens contra votum paupertatis.

29 Et confirmatur, si religiosus dolo rem illam destrueret, vel deteriorem redderet, proculdubiò peccaret contra votum paupertatis: ergo etiam si ex lata culpa. Probo consequentiam, quia secundum iura lata culpa æquipollet dolo. Quod si res concessa sit etiam in ipsius proprium commodum, videtur etiam teneri ex leui culpa, sicut in commodato, quod in vtilitatem cõmodantis, & commodatarij præbetur, iuxta cap. vnic. de commodato. Itaque si res ipsius leui culpa pereat, peccat contra iustitiam, ac proinde contra obligationem voti paupertatis, vt doctè suo more resoluit Less. lib. 2. de iust. cap. 41. dub. 9.

30 Vigesimò dico, quod religiosus non censetur proprietarius, qui aliquid habet de rebus Monasterij, credens probabiliter illam rem detinere Prælato consentiente & non contradicente, cum furtum sit contrectatio rei alienæ inuito domino.

Dices, in quo casu religiosus posset rationabiliter præsumere de cõsensu Prælati.

31 respondeo, si Religiosus esset familiaris, & specialiter dilectus: vel esset vir grauis, & optimis moribus exornatus.

Vigesimo primò, & vltimò dico quòd potest Religiosus sine peccato, & vinculo restitutionis accipere à sæcularibus cibaria, vestes, & alia huiusmodi non prohibita per suam Regulam, vel constitutiones, si horum habeat vrgentem necessitatem, & necessitate Prælato proposita. Si adhuc Prælatus nõ vult succurrere ei, poterit tũc Religiosus recipere dictas res absque violatione voti paupertatis. Ratio huius est, quia superior tenetur in conscientia prouidere subditis de necessariis ad victum & vestitum, iuxta Regulam, ad hoc enim sunt bona illa constituta, vt necessaria Religiosis ministrentur: & sic peccat mortaliter, non dispensando fideliter, ergo Religiosus in necessitate extrema, vel graui cõstitutus absque voti paupertatis iniuria, potest accipere sibi necessaria; hoc enim non est actum dominij exercere, sed vsum rerum necessariarũ habere, quod cum voto paupertatis non pugnat: Vt sacra Congreg. Card. teste Quarãta in sum. Bul. verb. casus

reser-

referu.fol.157. declarauit. Et tradunt Petr. Nau.lib.3.de reſt. c.1. n.181. & 202. & Roder.p.2. ſuæ Sum.c.31. nu. 11.

32 Proſpiciat tamen in hoc caſu Religioſus pro ſalute animæ ſuæ, & in hoc non ſit largus,quia vltra neceſſaria, furtum committet mortale cum onere reſtituendi acceptum.

Hinc addiſcere poſſunt ſuperiores,quomodò ſe gerere debeant circa Religioſorum prouiſiones.ſi enim in iptorum neceſſitatibus miſeri ſe exhibeant, ea miſeria in Monaſterij damnum redundabit. Religioſi enim pauperes deficientibus neceſſarius,ad ſurripienda bona Monaſterij prouocabuntur,& loco paruæ rei, quæ ſecundùm Regulam eis debetur,rem magnam furabuntur,ad ſubueniendũ ſuis neceſſitatibus aliquando nõ debitè & ordinariè ſuccurendo.

QVÆSTIO XI.

An Religioſus peccet, qui dicit, hic liber eſt meus hæc tunica eſt mea? &c.

1 SVnt multi qui arbitrantur hunc peccare,quia mentitur, nam ſcit,vel ſcire debet, nihil eſſe ſuum,& omne mendacium etiam leue, vt docet S. Thom. communiter receptus in 2.2. q.110.ar.3.eſt peccatum,ergo.

Tum quia facit contra C. Non dicatis, vbi ſic habetur. Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.

2 Ex quo inferunt peccare Religioſum, qui dicit, hæc veſtis eſt mea, hic gladius eſt meus, non attendens cæcus, neque verecundans, quia meum, & tuum proprietatem ſonant.

Hoc idem probatur ex Caſſiano qui in 4. lib. de iuſt. renuntiantium ait. Nec verbo audet quis etiam dicere aliquid ſuum, magnumq; ſit crimen ex ore Monachi proceſſiſſe meum,tabulas meas,& ſimilia,proque hoc digna pœnitentia ſatisfacturus ſit, ſi caſu aliquo huiuſmodi verbum de ore eius effluxerit.

Mihi autem videtur aliquantò diſtinctiùs,& explicatiùs ad hanc quæſtionem eſſe reſpondendum. Vndè.

3 Dico primò, quòd Religioſus qui dicit hoc eſt meum, & intendit dicere ſe eſſe dominum eius, vel poſſeſſorem nomine proprio, peccat, quia mentitur, ſed non mortaliter, niſi dicat id volendo illud eſſe ſuum,quoad verum dominium,& complacendo, eo quòd ſit ſuum, quia tunc contra paupertatem peccat. Ita Turrecrem.in cap. Non dicatis. nu. 13. & Graff.lib.3. caſuum reſeruat. c. 4. nu.10.

4 Secundò dico, quòd Religioſus qui non ex animo, vel affectu proprietario, ſed ex incogitantia dominij,proprietatis,vel poſſeſſionis, dicit aliquid eſſe ſuum, peccat venialiter. Ratio eſt, quia eſt mendacium ſurreptitium.

5 Tertiò,& vltimò dico,quòd Religioſus qui dicit hoc eſt meum, per hanc dictionẽ meum intendit formaliter, vel virtualiter eſſe ſuum quo ad vſum, adminiſtrationem, vel ſimplicem detentionem facti, & non quo ad dominium, nec quo ad veram poſſeſſionem,non peccat.Et ratio eſt,quia non mentitur, quamuis meliùs diceret, hæc eſt noſtra veſtis,noſtrum Breuiarum,&c. Dico Religioſum,poſſe dicere hoc eſſe ſuum eſt membrum Monaſterij & ſic non peccare quia quod eſt tertius vtcunque eſt patris, & contrà

QVÆSTIO XII.

Vtrùm Moniales, & Religioſi poſſint licitè habere redditus vitalitios,quos illis parentes, vel conſanguinei pro eorum neceſſitatibus aſſignant?

1 SVnt qui cenſeant id non licere propter diſpoſitionem Conc. Trid. ſeſſ. 25.c. 2. de Regul. vbi ſic habetur. Nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere,etiã ad vsũ fructum, vel vſum,adminiſtrationẽ cõmendã.

Mihi tamen videtur rectè fieri poſſe,prout tenent Sylueſt. verb. Abbas q. 3. Nauar. de reddit. quæſt. 1. num. 84. Corduba in ſumma caſuum q.54.Petr.Nau.lib.3.de reſt. c.1. nu.174.& Roder.tom.3.de reg.q.29.a.12.

Nonnullas tamen conditiones ſtatuunt vt licitè abſq; proprietatis nota, Moniales, & Religioſi poſſint habere redditus vitalitios.

2 Prima eſt, vt prædicti redditus illis conceſſi,vel aliæ quæuis res illis conceſſæ, ſint reuocabiles ad nutum Superioris.

Secunda,vt non habeant apud ſe,ſed in manu publici officialis per Superiorẽ aſſignati, qui in Monaſterio Monialium dici ſolet Depoſitaria,vel Borſera:Sicque ſaluã-

dam

dam esse consuetudinem censent, non obstante dispositione Concil. Trid. Ratio huius est, quia cum sint in potestate publici Officialis, vel Procuratoris, in superioris potestate esse dicũtur, cùm Officialis locũ habeat superioris adeò, vt si quãdo Monasterium egeat in cõmuni, ex illis pecuniis, ac bonis, prouideantur necessaria Monasterij. Quod certè non rarò Superiores tentare deberent, vt discerent subditi, non proprietatem, sed vsum, & eum ad nutum Superioris, se habere, & hoc esset iuxta Conc. Trid. dispositionem, ait enim, statim administratio bonorum Monasterij, seu Conuentus ad solos officiales eiusdem ad nutum Superioris amouibiles pertineat.

Nec obstat, quod Conc. Trid. loquatur de bonis Monasterij, quia hæc bona, Monasterij sunt, quo ad proprietatem, & vsumfructum, & ei incorporata, vt docet Cord. in Summa q. 54. quamuis sint deposita ad certas necessitates, & pias causas particularium Religiosorum, & Monialium.

3 Ex quo deducimus, quòd si prædicti redditus, imò quodcunque aliud temporale bonum à Religiosis irreuocabiliter possideantur, etiamsi scienter, & voluntate Superioris obtineant, faciunt contra votum paupertatis, & illicitè Superior concedit, & inferior retinet. Ita sanè docuerunt vtriusque iuris Doctores. Et ratio est manifesta, quia hoc est habere proprietatem, & liberum rerum dominium, quod per votũ paupertatis maioris perfectionis gratia, à se abdicarunt. Ita Roder. tom. 3. de Reg. quæst. 29. artic. 12. & Petr. Nauar. lib. 3. de rest. cap. 1. num. 178.

QVÆSTIO XIII.

Sed maius dubium consistit, An de Superioris licentia iusta aliqua de causa magnæ vtilitatis, vel necessitatis, Monasterij, vel Ordinis, liceat ipsi priuato dicta bona possidere?

1 SVnt qui putant id esse licitum. Mihi tamen videtur rectè fieri non posse, vt teste Quaranta in sum. Bullarij, verb. casus reser. fol. 157. Sacra Congre. declarauit. Quod ex verbis Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de reg. probat. Petr. Nauar. lib. 3. de rest. c. 1. nu. 180. ait enim Conc. Nec liceat Superiori stabilia bona alicui Regulari concedere etiam ad vsumfructũ, vel vsum vel commendam. Administratio autem horum bonorũ ad solos Officiales pertineat. Eandem sententiam amplectuntur Roder. tom. 3. de reg. qu. 29. art. 12. Cord. vbi sup. q. 54. & Azor. p. 1. inst. mor. lib. 12. cap. 9.

QVÆSTIO XIV.

An Religiosus qui habet aliquid de licentia iniusta Prælati, peccet peccato proprietatis?

1 VIdeo quosdam Doctores tenere hunc nõ peccare peccato proprietatis, sed auaritiæ, modo si paratus illud resignare in manu Prælati, simul ac fuerit requisitus.

In oppositum tamen est rei veritas, pro qua faciunt multa.

2 Primò, quia omnes fatentur hunc ad quod peccatum peccare, & non aliud, quã proprietates, ergo peccat illud.

Secundò, hic Religiosus non peccat in hoc casu contra castitatem neque contra obedientiam, vt constat, ergo contra paupertatem, & per consequens peccat peccato proprietatis.

3 Tertiò qui tenet aliquid sine licentia Prælati, peccat peccato proprietatis; at licentia iniusta non excusat, quia talis licentia videtur dispensatio contra votum paupertatis, quæ sine iusta causa etiam à Papa facta non excusat.

Quartò quia ex eo sequeretur, quòd nõ esset proprietarius Religiosus, qui de consensu Superioris in vsus profanos expenderet bona Monasterij, quod est falsum.

4 Quintò & vltimò facit, quia Prælatus, qui in vsus vanos, & profanos reddirus Monasterij prodigit, est proprietarius, ergo & Religiosus, qui de iniusta Superioris licentia vtitur rebus Monasterij peccat peccato proprietatis, & ita sensit D. Nauar. comment. 2. de Regul. num. 21.

5 Ego igitur vt rem paucis absoluam dico primò, quòd huiusmodi Religiosus peccat peccato proprietatis, si non est paratus reddere Superiori, simul ac fuerit requisitus, vt etiã authores primæ opinionis testantur, adeo quòd si eo retento moreretur, esset sepeliendus in sterquilinio. Iuxta cap. Super eo & cap. cum ad Monast. de statu Monachorum.

6 Secundò dico, quòd si est paratus relinquere ad nutum superioris, peccat quidem pec

Digitized by Google

peccato proprietatis, sed non incurrit illam pœnam, quippe quæ non impunitur contra omnem proprietarium, sed contra illum solùm, qui clam sine licentia, saltem iniusta Superioris retinet bona Monasterij, quia longè grauiùs peccat hic, quàm ille, & proinde pœna contra hunc posita non extenditur ad illum.

QVÆSTIO XV.

An Religiosus qui contra Regulam aut Constitutiones aliquid apud se retinet, etiamsi id faciat de Superioris licentia, sit proprietarius?

1 REspondeo esse proprietarium. Ita Maior in 4.dist.38. quæst.9.cui subdubius videtur accedere Azor. p. 1. instit. mor.lib. 12. cap.12. Et ratio huius est, quia in voto paupertatis continetur, vt nullus Religiosus aliquid habeat contra suam Regulam, vel constitutiones, ergo Prælatus nulli Religioso potest copiam facere, vt vtatur re aliqua contra Regulam, vel statuta suæ Religionis, quia quamuis Prælatus possit rigorem Regulæ ex parte remittere, non potest tamen subditum à voti obligatione eximere, aut ei contra votum faciendi potestatem concedere. Aliis nimis dura videtur hæc sententia Maioris, quia non quidquid Regula, vel statuta Religionis præscribunt ad vota pertinet.

2 Quidquid sit, oportet Religiosos cautè viuere, & rebus vti, non vt seculares, sed vt Religiosos votiua paupertate adstrictos, & in dubiis Superiores consulant.

Hinc colligitur quid sit dicendum ad illam quæstionem, quam mouet Molina to. 3.de Iust.tract.2.disp.687.videlicet. An Religiosus sit proprietarius, qui contra suas constitutiones recipit iustum stipendium pro prædicationibus, confessionibus, aut Missis, &c.

Et quidem nonnullis videri potest, quod non supposito, quod in Religione constitutiones illæ non obligent ad culpam.

3 Sed probabilior mihi videtur sententia Mol. loco citato, Petr.Nauar.lib.3. de rest. cap.1. num. 189.& Roder.tom.3. de Reg.q. 19.art.13.& in sum.casuum Consc.p. 2.c.31. nu.16.qui existimant hunc Religiosum esse proprietarium, facit enim apertè contra votum paupertatis: ex quo enim in professione promisit viuere sine proprio capiens dictum stipendium inuito superiore committit actum proprietatis, licèt non detineat dictum stipendium in sua potestate. Quod est verum, etiamsi talis Religiosus licentiam habeat quid accipiendi, & disponendi ad vsus pios. Et ratio huius est, quia non solùm ad votum paupertatis pertinet, quòd subditus non habeat pecuniam aut aliquid ea æstimabile, sed etiam quòd hoc, vel illo modo in suis constitutionibus prohibito non acquirat. Vnde Religiosus dum vouet paupertatem iuxta suas constitutiones, eodem actu vouet, non modo à pecunia accipienda, sed etiam ab hoc genere accipiendi abstinere. Vnde eo ipso quòd Prælatus dispensat, vt habeat pecuniam pro suis necessitatibus, censendum est dispensare in modo acquirendi, qui est contrarius non solùm obedientiæ, sed etiá latitudini voti paupertatis eiusdem Religionis.

4 Verum est tamen, quòd si promittat dictus Religiosus alicui dicere 30. Missas, & ille det 30.argenteos sine vllo pacto tacito vel expresso stipendij, sed solum ingratitudinis causa, non peccabit supposito quod habet licentiam aliquid accipiendi in Eleemosynam.

QVÆSTIO XVI.

An in hoc casu talis Religiosus teneatur sic acceptum restituere?

1 REspondeo non teneri, sed posse illud retinere, & in vsus sibi necessarios, & ad pias causas expendere. Ratio est, quia cum talis Religiosus, Prælati habeat facultatem aliquid accipiendi, & disponèdi, non tenetur sic acceptum Superiori tradere, neque ei qui dedit, cùm illi non faciat iniuriam, suus enim labor illud valet; licet enim peccauerit contra Religionem, violando votiuam paupertatem, non tamen peccat illud retinendo. Ita Roder. p.2. suæ Sum.cap.31.num.17.& plerique alij.

QVÆSTIO XVII.

An Religiosus sit in statu damnationis, qui non vult resignare in manu Prælati id quod à Pontifice dono accepit.

1 QVæstio est, cuius meminit Graff. p. 1.lib.31.num.52. Respondendum est ergo

ergo iuxta mentem eius negatiuè. Quòd est intelligendum non quidem vt Religiosus habeat aliquid proprium, sed vt a Papa loco Superioris illud teneat, solum ad nutum eius reuocabile.

QVÆSTIO XVIII.

An Religiosus sit proprietarius, qui de licentia Superioris habet in cella multa superflua?

1 IN hac quæstione conuenit inter Doctores, huiusmodi Religiosum mortaliter peccare, cum habet multa superflua in notabili quantitate, & Superiorem etiã mortiferè delinquere, cum facultatem cõcedit Religioso vt plus habeat ad vsus quotidianos quàm par sit. Vt teste Quarãta in Sum. Bullarij verb. casus reseruati fol. 157. statuit sacra Congregatio. Cuius ratio potissima ea esse potest, quia secundùm iura, ex bonis communibus apud Religiosos, nec dari, nec accipi plus debet, quam necessarius cuiusque vsus, ac indigentia postulet. Vnde in Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. de Reg. decernitur, ne superfluum Religiosis concedatur, sed quæ statum Religiosorum deceant. Ita Sylvest. verb. Religio qu. 7. Roder. tom. 3. de Regul. qu. 29. art. 11. Valent. tom. 3. disp. 10. q. 4. p. 3. Aluar. lib. 2. de planct. Ecc. cap. 64. col. 3. Graff. lib. 3. casuum reser. cap. 4. num. 36. & alij.

QVÆST. XIX.

Sed dubiæ quæstionis est. An huiusmodi Religiosus peccet peccato proprietatis?

1 SVnt multi, qui existimant hunc non peccare peccato proprietatis, sed auaritiæ, modò sit paratus omnia resignare in manu superioris. Ita Sylu. verb. Religio 6. q. 7. Graff. p. 1. lib. 3. num. 61. & alij.

At ego libentius adhæreo aliorum sententiæ, qui astruunt huiusmodi Religiosum contra votiuam paupertatem peccare. Et ratio est, quia vt rectè docuit Maior. in 4. dist. 38. qu. 9. in voto paupertatis continetur, vt Religiosus tantùm habeat ea, quæ sunt ipsi necessaria ad victum, ad vsusque quotidianos Superioris consensu, & nihil amplius.

2 Hinc Religiosus qui recipit, vel in suo cubiculo retinet arma, vt sclopetum, lanceam, thoracem, & his similia quæ neque necessaria sunt, nec statui Religioso decentia, est proprietarius: nec Superior permittere potest, vt Religiosus apud se teneat nociua, & quæ statum suum non concernunt, vt determinat sacrum Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de reg. vbi sic habetur. Mobilium verò vsum, ita superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit.

3 Hinc Religiosus qui de licentia Superioris vtitur rebus ita abundanter, vt reliqui Religiosi patiantur necessitaté, pecca, quia ita faciendo facit iniuriam aliis, cum bona Monasterij pro indigentibus communia sint, & tantùm potest esse excessus, vt mortaliter, tam dispensatus, quàm Superior dispensans, quia ex officio tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter dispensare bona Monasterij, vt post Vict. Lop. p. 2. suæ instr. conf. cap. 6. Roder. p. 2. suæ sum c. 31. nu. 10. resoluunt. Vnde quàm necessitatem poterit allegare Religiosus, qui nec lectioni, nec studio est intentus, nec officium Doctoris habet, & tamen multos libros possidet?

4 Et hæc nota, quia tangunt multos Religiosos, & Moniales informantes conscientias suas largas, ex proprio sensu credentes, tunc seruare votum paupertatis quando illis nihil deest.

QVÆSTIO XX.

An si Superior asseueret, se posse huiusmodi licentiam concedere, sit ei fides adhibenda?

1 REspondeo non esse adhibendam, vt teste Quaranta in Summa Bullarij verb. casus reseruat. fol. 157. Sacra Congregatio declarauit.

QVÆSTIO XXI.

An Iudicio superioris stare debeat Religiosus quo ad mobilium superfluitatem, & conuenientiam?

1 REspondeo nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, attenta ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt. Ita sacra Congregatio, vt refert Quaranta loco citato.

QVÆ

QVÆSTIO XXII.

An Superior iure possit Religioso facultatem facere vt vtatur rebus pretiosis?

1 REspondeo non posse, & contra faciendo peccat mortaliter, cuius ratio perspicua ea esse potest, quia facit contra id, quòd præcipitur in Clement. 1. de statu Monach. vbi Religiosis interdicitur omnis cultus, & ornatus pretiosus. Et in Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de Reg. habetur. Mobilium verò vsum, ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat.

2 Hinc Religiosus, qui sciente, & annuêre superiore penes se retinet, aut in cubiculo suo habet pretiosa, vt vasa aurea, & argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, tapetia, cortinas, & similia, quæ neque necessaria sunt, neque statui Religiosorum decentia, peccat mortaliter contra votum paupertatis. Ita Roder. tom. 3. de Reg. q. 29. a. 11. Nauar. com. 4. de Reg. num. 27. & Azor p. 1. inst. mor. lib. 2. c. 12.

3 Nec valet multorum excusatio, quòd habeant, & vtantur superfluis, aut pretiosis cum licentia suorum Superiorum, quia Superiores non possunt cum talibus dispensare, vel rectam licentiam dare, quia dispensatio est discreta pensatio, necessitate, vel vtilitate suadente. Hæc autem non esset dispensatio, sed dissipatio, etenim cùm quilibet Religiosus victu, & vestitu debeat esse contentus, quomodo contra iura, & eorum Regulas potest cum talibus in tali casu dispensari? Nam vbi peccatum implicatur, licentia, vel dispensatio non habet locum. Quarè tam dispensans, quàm dispensatus retinendo superflua, & pretiosa, sunt in peccato mortali.

4 Hinc colligitur, quam periculosè errent multi Religiosi, credentes sibi sufficere dispensationem, seu licentiam suorum Prælatorum, ad habenda multa, quæ sibi non sunt necessaria. Ita Turrecrem c. Non dicatis n. 4. & Alu. lib. 2. de planctu Eccl. c. 64. c. col. 4.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum Religiosus contra votũ paupertatis per-

cet, qui pecuniam, vel aliquid æstimabile accipit ab extraneis.

1 IN hac quæstione conuenit inter omnes, hunc esse proprietarium, si per suam Regulam, aut suas constitutiones sit interdictum quidquam per se, vel per alium accipere.

Quæstio igitur tantùm est, quando nullâ Regulâ, constitutioneve prohibetur aliquid ab extraneis accipere?

2 Respondeo dicendo, quòd Religiosus qui recipit, vel acquirit aliquid notabile absque superioris consensu expresso, vel tacito, peccat mortaliter. Ita Nauar. in c. Non dicatis num. 16. Et probatur ex iure Canonico ca. cùm ad Monast. de statu Monach. vbi dicitur. Si quidpiam fuerit religioso specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, & in Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de reg. postquam decreuit, vt nulli regulari liceat aliquid vt proprium possidere addit; Sed statim ea superiori tradantur, conuentuiq; incorporentur.

3 Hoc autem intellige, quando pecunia absolutè, & simpliciter fuit data religioso quia tunc tanquam dominij incapaci data, acquirit illud Ordini, vel Monasterio, ac proindè debet statim illud superiori tradere, vt Monasterio incorporetur. Sed si ipsi religioso detur sub ea lege, vt eam habeat independenter à suo Prælato, non intendens aliter ea se abdicare, tunc votum paupertatis violat subditus, eam recipiendo, & ei qui dedit, tenetur statim reddere, vt post Sylvest. verb. religio 6. quæst. 7. & Roder. tom. 3. de regul. quæst. 29. art. 10. resoluit Less. lib. de iust. c. 4. dub. 5.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum bona Religiosi transeant in Monasterium per professionem, si aliter de illis antea non disposuerit?

1 REspondeo. Si Monasterium habet ius successionis, omnia bona religiosi de quibus ipse anteà non disposuit, per professionem iure communi transeunt ad illud Monasterium, vt omnes Doctores tradunt. Ius autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium, præter Monasteria Minorũ de Obseruãtia, Capucinorum, nec nõ domus professæ, ac Collegia Societatis Iesu, Cæterũ omnibus ordinibus vi-

Digitized by Google

rorum,& mulierum, etiam mendicantibus concessit Conc.Trid.sess.25. de Reg. cap.3. vt bona immobilia possidere possint. Vnde etiam vt in eis succedant.Nauar. com.2.de Reg.num.59.

QVÆSTIO XXV.

Cui acquirat Religiosus post professionem?

1 REspondeo suo Monasterio, vel Ordini,siue id ei ex industria, arte labore, vel opera sua, successione, aut donatione aliorum proueniat.Colligitur apertè ex cap.Abbates c.8.q.2. Quod est adeò verum, vt licèt de licentia Summi Pontificis transeat ad Monasterium alterius Religionis, proprietas tamen dictorum bonorum non transit ad dictum secundum Monasterium, nisi in quantum sit necessarium pro eius alimentis in eius vita, & ideò Monialis professa in vno Monasterio, si transeat ad aliud, siue eiusdem, siue alterius Religionis,non potest petere dotem suam; sed solùm alimenta,quibus eget, cùm iam hæc bona sint acquisita primo Monasterio. Ita Roder.p.2.suæ Sum.c.31. num.17.Couar.c.1. de test.iuxta finem,& Less. lib. 2. de iust.c. 41.dub.11.

Dices, Religiosus est incapax dominij, ergo nihil potest acquirere.

2 Respondeo, Religiosum non habere ius, vt in suum commodum succedat, aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum in Monasterium translatum est: retinere tamen ius succedendi in commodum, & vtilitatem Monasterij, vt illi acquirat.Ex quo fit, vt Monasterium possit adire vel repudiare talem hæreditatem, vel donationem etiam ignorante,vel inuito Religioso.

QVÆSTIO XXVI.

Cuinam Religiosus acquirat id,quod ad beneficium Ecclesiasticum promotus extra suum Monasterium, vel Ordinem ex eius beneficij redditibus acquirit?

1 REspondeo eum acquirere iure communi non Monasterio, sed beneficio cui præest. Vt habetur in cap. statut. 18.quæst.1.& tradunt Less. lib. 2. de iust.& iure cap.41.dub.11. Nauar.comm.2.de Reg. num.6.& alij.

QVÆST. XXVII.

Vtrum omnia quæ Religiosus ad beneficium Ecclesiasticum euectus extra suum Monasterium,vel ordinem, quouis modo acquirit,ad beneficium: an verò ad Monasterium pertineant?

1 REspondeo.Si Religiosus est effectus Episcopus, tunc omnia quæ hæreditate, successione, vel donatione acquirit, Ecclesiæ,cui præest,acquirit.Ratio est,quia ab ordine suo est exemptus.

Idem dicendum est, si est Abbas, vel Prior in alieno Monasterio, quia tunc est exemptus à suo.

2 De cæteris est distinguendum, si enim habet Parœciam,vel Canonicatũ, vel aliud beneficium, quòd habeat corpus bonorum seorsim ab aliis, tunc omnia cedunt beneficio; si autem beneficium non habet corpus distinctum, tunc ea quæ acquirit, ex redditibus beneficij, pertinent ad beneficium; quæ verò aliunde ad Monasterium, vel ordinem.Ita D.Nau.comm.4.de Reg.n. 69.& Less.lib.2.de iust.c.41.dub.11.

QVÆSTIO XXVIII.

Cui acquirat Religiosus, qui Summi Pontificis priuilegio est exemptus à potestate Prælati, & extra Monasterium viuit ex certa pensione in singulos annos sibi assignata?

1 VIdeo quosdam Doctores tenere hunc non ordini, à cuius obedientia est exemptus, sed Pontifici, idque siue acquirat ex aliqua pensione sibi à Romano Pontifice assignata, siue ex industria, siue ex eleemosynis, siue hæreditaria successione, siue alio modo. In eadem sententia est, Azor.p.1.inst.mor.lib.12.c.10. qui pro se citat Nauar.in comment.4. de Regul. nu.69. Quæ sententia non caret probabilitate; Nau.tamen id non docet, sed contrarium, nempè hunc acquirere Monasterio.

Cæterùm Less.lib.2.de iust.c. 41. dub.11. docet in hoc casu spectandam esse consuetudinem receptam.

2 Addit tamen Nauar.in comment. 2. de Regul.n.10. & 11. & in tract. de reddit.q.3. monit.25. beneficiarium Religiosum posse disponere de fructibus beneficij, quibus se honestè, & commodè sustentet: habetque fa-

cul

facultatem, vt fructus qui supersunt, impendat in vsus alios honestos, & bonos, quos ipse voluerit, perinde ac sæcularis potest de fructibus beneficij sui. Et ratio est, quia omnis titulus Canonicus beneficij tribuit facultatem expendendi fructus in sui honestam sustentationem, & ad pias causas. Vt habetur in Clement. 2. §. sed & tales de vita, & honestate Cleric. Ita Less. lib. 2. de iustit. c. 4. dub. 5.

QVÆSTIO XXIX.

Cui acquirat is Religiosus qui creator Episcopus titularis, videlicet qui sedem, & Ecclesiam non habet?

MAgister Sot. lib. 10. de iust. & iure. q. 5. art. 7. ad 3. testatur eum acquirere suo Monasterio, vel Ordini.

Mihi verò probabilius videtur, hunc acquirere Romano Pontifici; moueor autem ex eo quòd à Religione est solutus, & liber. Ita Azor. p. 1. inst. mor. lib. 12. cap. 10.

QVÆSTIO XXX.

Cuinam Franciscani de Obseruantia, vt Capucini qui nihil priuatim, & communiter tanquàm proprium, possidere possunt, acquirant id, quod donatione, aut eleemosynis acquirit?

HAEc quæstio erit, vt inquiramus, An in rebus vsu consumptibilibus, possit vsus à dominio distingui, ita vt vsus sit penes vnum, & dominium penes alterum?

1 Vt autem ea omnia, quæ authores in hac quæstione maximè scitu necessaria, tradunt, manifesta fiant, animaduertendum est primò quòd res quarum potest haberi dominium, sunt in triplici differentia. Quędam enim sunt, quæ vsu non consumuntur, vt domus, ager, prædium, & id genus alia, quorum fructibus vtimur, ipsis rebus manentibus. Aliæ in altero extremo positæ, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum & similia. Aliæ verò sunt, tanquam mediæ inter has, quæ etsi vsu paulatim alterantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt vestis, liber, &c.

2 Secundò, est aduertendum quòd in his rebus, quæ vsu consumuntur, potest duplex reperiri vsus, proprius, & aduentitius siue extraneus, vt in vino proprius vsus ipsius, est illud bibere: aduentitius verò & quasi extraneus est illud odorare. Similiter in pecunia proprius ipsius vsus est, vt sit pretium rerum, quod verò quis illa vtatur ad ostentationem, aduentitius, & quasi extraneus, vel accidentarius est.

3 Tertiò est aduertendum quòd vsus rerum vsu consumptibilium duplex est, scilicet vsus facti, & vsus iuris. Vsus facti est ipsa actualis rei consumptio. Vsus verò iuris est vsus in habitu, seu ius vtendi huiusmodi rebus. Et hoc rursus potest esse duplex scilicet absolutum, & limitatum, seu dependens ab alio. Vsus iuris absolutus, id est independens, est libera, & plena facultas habitualis vtendi re sine dependentia ab alio, etiam consumendo illam, atque adeò quocunque modo ei placuerit. Vsus verò iuris limitatus seu dependens, est facultas, seu concessio veniæ vtendi his rebus cum dependentia ab alio apud quem propriè residet dominium.

4 Quartò est etiam aduertendum quòd quãdo quærimus, An in rebus vsu consumptibilibus vsus, & dominium distinguantur non est sermo, An ista distinguantur in genere entis, cùm certum sit secundum regulas Logicales hoc modo distingui, & constet dominium panis, & vini esse relationem, vsum autem esse actionem qua istis vescimur. Sed quæstio est de distinctione in genere moris, An videlicet in his rebus possit vsus sine dominio inueniri.

In qua quæstione, quæ videtur fuisse controuersa non solùm inter Doctores Theologos, & iuris prudentes sed etiam inter Romanos Pontifices, circa definitionem tamen fidei variæ sunt Doctorum opiniones.

Sot. lib. 4. de iust. q. 1. art. 1. Salon. de iusti. tract. de dominio q. 1. ar. 1. Ban. 2. 2. q. 62. Mol. de iust. to. 1. tract. 2. d. 6. Bellarm. to. 1. Contr. lib. 4. de Sum. Pont. c. 14. Azor. p. 1. inst. mor. lib. 2. c. vlt. Nau. in c. Non dicatis n. 3. q. 1. Val. to. 3. d 5. q. 10. p. 1. & multi alij tenent in rebus vsu consumptibilibus distingui vsum à dominio, & sic concludunt, posse vsum esse penes vnum, dominium autem penes alterum. Et hanc sententiam amplectuntur fratres Minores qui absolutè dicunt se nec in communi, nec in particulari alicuius rei dominium habere, sed solùm dicunt se meros esse vsuarios earum rerum, quæ in eleemosynam ipsis traduntur. Dominium verò

panis, & vini, & aliorum vtensilium manere astruunt apud Sum. Pont. ipsosq; illis vti, vt bonis Papæ perindè ac si quotidiè Papa illos inuitaret. Pecuniarum verò & quarumdam similium rerum dominium apud illos qui eas dederunt interim dum res illæ non consumuntur, aut alienantur, ipsis duntaxat relicto libero vsu earum rerum, etiam ad consumptionem, & alienationem, dependente tamen à libera voluntate eorum apud quos remanet propriè dominium, ità videlicet vt nulla eis iniuria fieret, si domini eas de eorum manibus eriperent. In cuius probationem adducunt duo Decreta: vnum Nicolai 3. in c. exiit qui seminat. Alterum verò Clem. V. in Clement. exiui de paradiso. in quibus hoc idem definitur.

Huic etiam sententiæ fauet mirabiliter. §. minus inst. de vsu & habitatione. Vbi dicitur quòd potest quis habere vsum olerum horti, & florum pomarij; non tamen dominium, vt possit ea vendere, aut alienare, ergo in his rebus vsus, & dominium, distinguntur.

6 At verò Ioan. 22. post Nicolaum III. in extraua. ad conditorem oppositum determinauit. Vbi primò probat multis argumentis in rebus vsu consumptibilibus, non distingui vsum à dominio, sed cui confertur vnum, conceditur vtrumque.

Secundò dicit fratres S. Francisci habere vsum simul & dominium panis, vini, & aliorum comestibilium.

Tertiò dicit esse figmentum chimericum & verbale, affirmare dominium eorum quæ vsu consumuntur residere apud Rom. Pont. & Papam singulis diebus parare illis mensam.

7 Quartò dicit nihil perfectionis accrescere Minoritis, ex eo quòd dicantur habere nudum vsum ciborum, & potabilium, & licèt in communi sint pauperiores aliis Religiosis, quia alij possunt habere bona stabilia, vel quasi stabilia, vt redditus perpetuos, ipsi verò minimè quoad ea verò quæ vsu consumuntur non esse pauperiores aliis mendicantibus, cùm reuerà eorũ modo vtãtur huiusmodi rebus, sicut & alij Religiosi qui dicuntur habere dominium.

8 Quintò & vltimò dicit hoc figmentum esse iniuriosum ipsi Ro. Eccl. & simplicitati Religionis Christianæ, astruere eleemosynas quas fideles Minoritis elargiuntur, conferri ipsis tantũ quoad vsum, dominium autem Sum. Pontifici. Vnde subiungit. Si tale dominium penes nos est, quod falsum esse existimo illi omninò renunciamus. Vnde in extrauag. Quia quorundam ibi de eadem re loquitur ait. Quòd si quis contra id definire ausus fuerit, tanquam contumax Romanæ Ecclesiæ habeatur.

9 Hanc opinionem sequuntur S. Tho. 2.2. q. 78. a. 1. & Caiet. ibid. S. Anto. p. 4. to. 12. c. 4. §. 10. Turrecr. lib. 2. Sum. de Eccles. c. 112. Sylu. v. dominium q. 2. Arag. 2.2. q. 62. & multi alij fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia in his rebus quæ vsu consumuntur non videtur posse distingui vsus à dominio. Qui enim facultatem concedit alicui eas res consumendi, nullius vsus ius vel potestatem aut sibi aut alteri relinquit, ratione cuius intelligi possit retinere aliquod dominium eiusmodi rerum.

10 Deindè vsus qui distinguitur à dominio, est ius vtendi re aliena, salua eius substantia; sed impossibile est quòd aliquis vtatur rebus vsu consumptibilibus aut aliquam inde vtilitatem capiat ex eis, salua earum substantia, ergo in huiusmodi; vsus non distinguitur à dominio.

11 Tandem probatur, nam quando vsus distinguitur à dominio, potest alteri vendi, retento apud se dominio, quemadmodum qui locat domum, equum, & ea quæ vsu non consumuntur, quia in istis distinguuntur vsus & dominium, potest retinere sibi dominium, & vendere alteri vsum; Ad hoc in his rebus quæ vsu consumuntur, vt in pecunia, frumento pane, vino & similibus est manifesta vsura, Vt docet S. Tho. communiter receptus 2.2. q. 78. ar. 1. ergo in istis vsus, & dominium distinguuntur.

12 Quibus ita constitutis, vt in hac controuersiã de veritate harum opinionum proferam quod sentio, dico primò quod in rebus quæ vsu non consumuntur, vt domus ager, prædium & similia quorum vsus non est eorum consumptio, vsus & dominium distinguntur. Probatur. Nam vsus domus locatæ potest esse apud Titium, dominium verò apud Caium. Et idem dicendum est de his rebus, quæ & si vsu paulatim consumantur, non tamen vnico actu attritæ pereunt, vt de veste, libro, & his similibus, in quibus potest vtcunque distingui vsus à dominio, sicut in aliis rebus stabilibus.

13 Secundò dico quòd vsus rerũ quæ vsu

proprio

proprio consumptibiles sunt, at verò vsu extraneo non consumuntur, constat etiam quod distinguitur a dominio. Probatur. Nã ostentatio est vsus extraneus panis & vini, quæ vsu proprio sunt consumptibilia, & tamen ostentatione non consumuntur, ergo huiusmodi vsus a dominio distinguitur.

14 Tertio dico, quòd vsus iuris qui dicitur vsus in habitu, seu ius vtendi re aliqua consumptibili, itaut eius ius sit absolutum, id est independens ab alterius voluntate, & de se ad omnem vsum talis rei se extendens non distinguitur, nec distingui potest a dominio. Et ratio est, quia qui habet talem rei vsum independentem, habet reuera rei dominium, ergo.

15 Quartò dico, quòd vsus proprius in habitu, qui dicitur vsus iuris, limitatus tamen & dependens à voluntate alterius apud quem est libera facultas reuocandi rem antequam actu res consumatur, distinguitur à dominio. Et ratio huius est, quia talis dependentia repugnat rationi dominij consistentis, nimirum in vtendi facultate independente à voluntate alterius.

Quintò & vltimò dico quòd vsus facti, seu vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio, distinguitur à dominio. Probatur. Nam dominium est quasi in habitu, vel actu primo, hic verò vsus facti est ipsa actualis actio, & vsus, ergo.

16 Ex dictis sequitur primò Minoritas nec in communi, nec in particulari habere dominium eorum quibus vtuntur, sed habere vsum iuris dependenter, & vsũ facti: dominium autem istarum rerum manere apud Romanũ Pontificem, pecuniæ verò &c. penes eos qui illas eleemosynas elargiuntur.

Nec obstat verbum Ioannis 22. dicentis se abdicasse tali dominio.

17 Primò quia id non fecit legitimè, & vt notat Sot. nec iustè, sed certè in odium forsan. Occham & aliorum sui Ordinis, qui fuerunt ei infestissimi.

Deinde, quia suam renunciationem successores eius minimè approbarunt, sed exemplo suorum antecessorum idem retinuerunt, & retinent dominium.

Secundò sequitur nullum Religiosum cuiusuis Ordinis posse ex his quæ sibi ad suos vsus honestos conceduntur, posse aliquid vendere, aut alienare absque explicata, vel implicita licentia sui Prælati.

18 Ad fundamentum verò contrariæ opinionis respondeo concedendo Ioan. 22. fuisse contrariæ sententiæ: ex hoc tamen non sequitur nostram opinionem esse falsam, quia illam tenent Nicolaus III. & Clemens V. ambo Romani Pontifices. & in his quæ non pertinent ad fidem, & ad bonos mores nullum est incommodum quòd dicamus summum Pontificem errare, sicut illud affirmat Ioannes 22. de Nicolao, & Clem. maximè quia in hoc summi Pontifices, vt priuati Doctores se habuerunt.

QVÆSTIO XXXI.

An Franciscanus de Obseruantia Episcopus creatus acquirat suæ Ecclesiæ ea bona quæ acquirit ex Episcopatu?

1 RESP. eum acquirere suæ Ecclesiæ, sicut cæteri Religiosi ad Episcopatum promoti acquirunt suis Ecclesiis, non Monasteriis. Vt colligitur ex cap. statutum 18. q. 1.

QVÆSTIO XXXII.

An Religiosus post professionem testari possit etiam ad pias causas?

1 AD hoc dico primò quòd Superior potest facere facultatem Religioso, vt in vita donet, vel disponat in eos vsus, & eo modo in quos, & quomodò ipsi solent secundum Canones, & non alio modo. Nauar. commen. 2. de Regu. num. 28.

Secundò dico, quòd Religiosus non potest validè testari. Ratio est, quia Religiosus per professionem spoliatus est omni dominio, & incapax effectus est alicuius iuris temporalis.

Tum quia, quidquid Religiosus acquirit, Monasterio acquirit; vnde nihil habet, de quo testetur. Ita Nau. c. Non dicatis. nu. 76. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 141. & Less. lib. 2. de iust. c. 41. dub. 8.

2 Tertiò & vltimò dico quòd Prælatus inferior Papa non potest suo Religioso facultatem concedere vt testetur etiam ad pias causas. Ratio est, quia nec ipse si est verè Religiosus testari potest, nam eodem modo quo voto paupertatis ligatur Religiosus subditus, ligatur & Superior, & vtrique id est prohibitum iure communi c. 2. de test. & tradit Nau. com. 2. de Reg. n. 23.

vel ipſe ſine conſenſu Superioris conſumpſit. Ratio eſt, quia reſtitutio debet fieri ex proprio, non ex alieno. : At Religioſus nihil habet proprium, ergò ſicut verè impotens, liber eſt à reſtitutione.

3 Ad duo tamen in hoc caſu Religioſus tenebitur. Primò ad inducendum eum cui dedit, vt reſtituat, docens ſe non habuiſſe poteſtatem alienandi.

Secundò ad abſtinendum ab vſu aliquarum rerum, pro quibus habet licentiam a ſuperiore expendendi aliquid, vel ad magis laborandum manibus tuis, ſi fortè ex aliquo artificio hoc poſſet facere, non defraudendo obſeruantiam, vt ſic ſatisfaciat aliquo modo dicto Monaſterio. Ita Petr. Nau. l.3. de reſt. c. 1. nu.204. & Roder.t.3. de reg.q.29. ar. 10. & 2.q.Sum,c.21. nu. 13.

4 Secundo. Dico quòd Religioſus qui abſque debita licentia emit, aut vendit vel permutat aliquid notabile peccat mortaliter, & eſt proprietarius. Ratio eſt, quia ſi verum eſt, vt veriſſimũ, quòd ipſe non habet velle, nec nolle, & quòd non eſt dominus veſtis, qua induitur, nec panis quo veſcitur, ſic quod abſque licentia eius, qui poſſidet ſuper eum, non poſſit emere, aut vendere, vel donare, aut permutare. Aluar. lib.2. de planctu Eccl.c. 67.

5 Tertiò Dico quòd extraneus, qui inuito Prælato, vel eo conſentiente extra piam & licitã cauſam, rem aliquam à religioſis accipit, furtum committit cum onere reſtituendi acceptum, cum ceſſante cauſa cõcedendi talem vſum ceſſet facultas vtẽdi. Quod intellige ſi titulo gratuito accepit, nam ſi per venditionem, & huiuſmodi non tenetur, quia non damnificauit Monaſterium, cum tantùm dederit quantùm accepit. Ita Petr. Nau. l.3. de reſt. c.1. num.188.

6 Quartò. Dico quòd Religioſus non poteſt abſq; vitio proprietatis mutuò, vel commodato quidquam ex eis, quæ ſibi deputata ſunt ad proprios vſus, dare alteri abſque ſuperioris facultate. Ratio eſt, quia religioſus eſt ſolùm vſuarius, habens nudum vſum facti, vt Papa Nicolaus I V. in extrauag. Exiit, aitque precario quandiu ſuperiori videbebitur; vſuarius autem non poteſt de rebus tantùm ad vſum proprium conceſſis, in alios vſus diſponere, vt patet ex iure, hoc enim non eſt vſuarij, ſed vſufructuarij, Inſtit de vſu. & habit. §. 1. & 2. Vnde ſicut cùm quis aliquos conuiuio excipit nõ facit eos dominos comeſtibilium, quibus menſa paratur, quia nec illis indulget, vt illa ad alios tranſmittant aut in proprias domos portent, ſed vt ſedentes veſcantur illis. Ita Prælatus copiam facit religioſo edendi, veſtiendi. &c. Non autem vt ea bona ſibi ad vſum conceſſa in alios vſus expendat Ita Val. to.3.d.10.q. 4. p.3. & Roder. to.3.de Reg q.29,art. 10.

6 Quinto. Dico quod nullus religioſus ſimplex carens officio impẽdendi, & adminiſtrandi poteſt quidquam expendere, etiã in pias cauſas, & eleemoſynam ſine ſuperioris licentia; adeo quidem, quod rem quã tenet iuſtam dari pauperibus non poteſt dare ſine conſenſu Prælati, vt colligitur expreſsè ex Clem.2.§. Sed & tales; vbi habetur quod ſimplex religioſus non poteſt erogare pauperibus ſuum epitogium nimium breue, quod illa Clementina iubet ei erogare. Ita Nau. com. 2. de Reg. nu.8.

8 Quæ doctrina fallit primò cum pauper eget extremè, in quo licitum eſſet ei furari vt eleemoſynam daret: & etiam quia in tali caſu præſumitur quòd ſuperiori placeret, nec etiam propriè dat, ſed reddit quod eſt indigentis in extrema neceſſitate, in qua omnia ſunt communia.

9 Sextò. Quando religioſus cum ſuperioris aſſenſu peregrinatur, vel exiſtit in ſtudio extra clauſtra, quia tunc poteſt dare eleemoſynam ex his quæ ſibi in propriã ſuſtentationem ſunt aſſignata vel aliter accepta in via tantam, quantam ſuæ qualitatis ſeculares dare ſolent. Ita Syl. v. eleemoſyna q.3. Nau. com.2.de reg. nu. 8. Roder. tom.3. de Reg. q. 20.art.10. Val. tom. 3.diſt. 10.q.4.p.3.Leſſ. lib.2.de iuſt.c.41.d.9.

10 Imo iure antiquo poterat aliquid expendere cum conſanguineis, etiam diuitibus, vt v. g. impertiri illis decem aureos, aut donare illis rem huic valori decem aureorum æquiualentem, quia neque hæc donatio prodiga eſt, ſed rationabilis, quate in ratihabitatione, vel in tacita licentia Prælati ſolet fundari, qui non præſumitur nimius. Ita Petr. Nauar. lib.3.de reſt.c.1.n.189

11 Sextò, & vltimò dico quòd antiquis temporibus quorumdã religioſorum conſuetudo erat, vt Religioſi tum Superiores, tum etiam inferiores, aliqua parua munuſcula, præſertim ad deuotionem pertinentia extraneis donarent: ſed nunc iure nouo hæc cõſuetudo eſt abrogata in Cõſtitutio.

Digitized by Google

hoc est semel, aut bis, & tunc de facili concedenda. An frequenter, & tunc difficulter, scilicet, si intra annum petierit vltra duas, vel tres vices.

2 Contrarium tamen huius affirmat Fr. Hieronymus a Sorbo Capucinus in compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, verb. dare. quod est longe probabilius.

Illud tamen nota, quòd nomine Superioris hic intelligimus eos omnes qui habent ordinariam iurisdictionem, vt sunt Generales, Prouinciales, Abbates. Priores Guardiani, Rectores, Præpositi, Abbatissæ, &c.

QVÆSTIO XXXIX.

An Religiosus nutu, & permissu Superioris possit habere aliquid quod impendat in vsus suorum propinquorum, & amicorum?

1 REspondeo antiquis temporibus Superiores subditis Religiosis copiam faciebant, vt alijs donarent ea bona, quæ ipsi Superiores alioqui iure donare poterant; nunc autem extat Constitutio Sanctissimi D N. Clem. VIII. per quã multa videntur abrogata, quæ consuetudo contra, aut præter votiuã paupertatẽ inuenerat.

QVÆSTIO XL.

Quid si alicui Religioso detur certa pecuniæ quantitas pro suo victu, & vestitu, ea lege vt nihil amplius à Monasterio petat, nec rationem reddat, sed eam suo damno & lucro impendat. An si Religiosus parcius viuat, reliquum quod sibi subtrahit, & possit sine labe proprietatis in eos vsus pios conuertere, quos ipse maluerit?

1 REspondeo talem consuetudinem præteritis temporibus fuisse, quia tacitus Superioris consensus intercedere videbatur, vt eam portionem ex suo victu detractam, pro vt vellet, insumeret in pios, & decentes vsus. Nunc autem iure nouo Constitutionis Clemen. VIII. hæc & alia similia sunt prohibita.

QVÆSTIO XLI.

An Religiosus dans, vel accipiens literas sine Superiorum licentia sit proprietarius?

1 NAuar. lib. 3. de reg. conf. 75. censet esse proprietarium, & probat ex cap. Non dicatis, vbi dicitur. Esse grande peccatum accipere, vel dare literas sine licentia Prælati. Cuius ratio ea esse potest, quia frangit votum paupertatis, quatenùs dispendit papyrum Monasterij, dando literas, & appropriat papyrum literarum ad se scriptarum, recipiendo illas occulte. Et in cap. 9. de regul. habetur. Si quis rem sibi collatam cælauerit, furti iudicio condemnetur; & nemo negare potest literas rem aliquam esse, licet paruam, & quamuis paruitas rei ablatæ excuset a mortali, iuxta Sanctum Thomam, communiter receptum in 2.2. quæstione 59. artic. 9. non tamen excusat a furto veniali.

2 Cæterùm mihi videtur dicendum, quod si charta literarum data, vel recepta adeò est inutilis, vt nil penitus valebat communi æstimatione, eius datio vel receptio nõ est peccatum proprietatis, cum non fit appropriatio, vel dispensatio rei pecuniæ æstimabilis: si autem valet notabili pretio æstimatis saltem characteribus auratis, aut alijs imaginibus affabrè depictis, & illustratis, eius datio, vel receptio erit peccatum mortale proprietatis: si autem charta cum scriptis, & depictis in ea fuerit parui valoris, erit quidem peccatum proprietatis, sicut & furtum pecuniæ similis valoris, sed non mortale.

3 Quæ doctrina locum habet secundum Nauar. loco citato. In literis, quarum datio, vel acceptio vergit in præiudicium religionis, vel Monasterij, & alijs literis quæ continent impertinentia, & inutilia, non autem de literis necessarijs, vel vtilibus: quas iustè secundum Canones potest religiosus dare, vel accipere etiam tenente Superiore, quales sunt illæ, quibus religiosus scribit ad superiorem sui Prælati, vel denuntiat eius delicta, &c.

QVÆSTIO XLII.

An licentia, quæ vt diximus in casibus extra prædictam constitutionem est necessaria, vt Religiosus possit habere vel facere aliquid, quod sine illa non liceret, debeat esse expressa, & specialis, an verò sufficiat tacita, & generalis?

1 REspondeo sufficere tacitã, & generalem, saltem quo ad Deũ & forũ

conſcientiæ, quàm præſumptam appellat S.Tho.2.2. q.32. art.8. & 12.Et ratio huius eſt, quia eadem eſt virtus taciti,& expreſſi.Per quod optimè reſpondit Nauar.extra de reg.lib.3.conſ.2. nu.20. cuidam Moniali, non fuiſſe obligatã ad reddenda quædam munera à quodam viro accepta, quorũ accipiendorum licentiã iuſtè, & liberaliter conceſſiſſet Abbatiſſa,ſi illã ab ea petiſſet.

2 Hinc excuſatur Religioſus à facultate petenda in caſu, quo res vrget, nec facilè differri poteſt, & Prælatus longè diſtat, tunc enim poteſt agere, perindè ac ſi conſenſum Prælati expreſſum haberet,quia hic adeſt conſenſus præſumptus,non enim intentio Prælati eſt, vt eo caſu non agat, quod recta ratio dictat faciendum.Ita Leſ. lib.2.de Iuſtitia cap.41.dub.9.

3 Hinc plures fortaſſe excuſari poſſent hoc tempore Religioſi, qui vel ignorantia, vel in conſideratione magis, quàm prauo affectu,& cupiditate in recipiendo, & retinendo, & diſpenſando liberaliores ſunt, quàm oportet; hi autem ſecum cogitare debẽt An ita ſit, quòd Superior re cognita contentus foret ne mentiatur iniquitas,vbi vel ſui amor inordinatus excæcet; ſunt enim multi, qui id ſibi facilè perſuadent, cum tamen nihil ſit,quod eorum Superiores magis abhorreant.

Dices,ſi peterem à Superiore,cõſentiret.

4 Reſpon. id non ſufficere alioquin omnia,quæ in Religione Superioribus concedi ſolen religioſis eſſent licita, abſque expreſſa licentia,quod eſt pluſquàm falſum. Ratio huius eſt, quia non ob id ceſſat vinculum legis quod ſuperior diſpenſaret, ſi peteres, per hoc enim nõ diſpenſat reipſa, nec iuſte rem alienã vſurpas, quia ſi peteres eam tibi dominus concederet, nam per hoc non donat reipſa.Itaq; requiritur non ſolùm vt Prælatus concederet,ſi religioſus peteret,ſed etiam vt de præſenti cenſeatur concedere, quamuis non petat aut Prælatus nolit ſubditũ in illis caſibus petere.Sicut vt lex ceſſet obligare per Epicheiã, requiritur vt mens legiſlatoris ſit hoc caſu non obligare, vt ſubditus agat ſecundùm verb.legis,aut vt petat diſpenſationem.

5 Arbitror tamen non eſſe peccatũ mortale,in caſu,quo religioſus bona fide putaret affectum Prælati in ſe talem eſſe, vt libenter concederet, ſi ſciret ipſum talem rem deſiderare,tunc enim cenſetur habere illam ex conſenſu præſumpto Prælati, qui in affectu illo latet, peccat tamen venialiter, quia etſi acceptio illa, vel vſus non ſit reipſa contra voluntatem Prælati, modus tamen illam ſibi vſurpandi eſt contra eius voluntatẽ.Sicut filius, & famulus accipiẽtes clam ſibi aliquid quod petitum parens, vel dominus libenter concederet, peccant quidem venialiter capiendo,modo ingrato patri vel domino,ſed non mortaliter, quia placet ei vt eam habeant, licet modus habendi diſpliceat.Ita Nau.com.2.de Reg.nu. 20.& Leſſ.lib,2.de Iuſt.cap.41. dub.9.

6 Vnum tamen videtur notandum, quòd licet non requiratur, vt licentia ſit expreſſa,requiritur tamen quòd ſit iuſta, hoc eſt iuſta de cauſa conceſſa. Nam ſi vi, metu, fraude,aut dolo concederetur,non excuſaretur Religioſus à peccato proprietatis: nec ſi ſpontè ſine iuſta cauſa. Nauar. com. 2.de Regula num.21.

7 Ex quo infertur primò id quòd nõnulli dicunt;puta taciturnitatem Superioris,qua Religioſus tenet aliqua lucrifacta ſuo artificio,nõ excuſare illum à peccato proprietatis, intelligendum eſſe de taciturnitate permiſſiua tantum,ſine conſenſu approbatiuo,vel de taciturnitate iniuſta, non fulta honeſta cauſa in id conſentiendi, non autẽ de taciturnitate cum conſenſu aprobatiuo, quæ non eſt pura permiſſio, ſed permiſſio conceſſiua vt poſt Caiet. tradit D. Nauar. comment.2.de Reg.num.21.

8 Secundò infertur,non eſſe Regulam vndequaq; certam,quàm tradit Gerſon.alph. 34. quod tunc dicitur ſubditus facere aliquid ſine licentia Superioris, quando probabiliter credit, quod ſi ſuperior ſciret ſe hoc facere,ægrè ferret. Hæc inquam non ſemper eſt vera,poteſt enim contingere,vt diſplicentia illa Superioris non tam proueniat ex re accepta, aut expenſa, aut retenta, quàm ex modo clandeſtino eam retinendi,aut expendendi.

9 Hinc magnopere conſiderare debent Religioſi,in quibus rebus,& quousque cẽſeatur in Monaſteriis conceſſa facultas generalis; hæc enim ſufficit ad hoc vt accipiendo, vtendo, vel retinendo non peccet peccato proprietatis.In Monaſteriis tamen vbi viget Regularitas, non conceditur hæc licentia,niſi Officialibus,& in rebus minimis,& crebrò occurrentibus.

QVÆSTIO XLIII.

An Religiosus qui inuito Prælato sibi appropriat denarium vnum, vel plures non facientes materiam notabilem, peccet mortaliter?

1 IN hac Quæstione duæ extant opiniones. Prima asserit etiam paruam quantitatem, quam non est paratus Religiosus in manibus Superioris resignare, ad requisitionem ipsius Superioris, esse peccatum mortale contra votiuam paupertatem. Ita S.Ant.3.p.to.16.c.1.§.11.Caiet.2.2.q.89.art.7. Cord.in sum.casuum q.188.& Gerson.alph. 37.lib.5.dub.3.ait etiam cultellum, aut filũ, aut acũ, sine licentia generali, vel speciali, dantem, vel accipientẽ peccare mortaliter.

2 Secunda vero opinio quam sequor, est in alio extremo, quæ negat esse peccatum mortale. Et ratio est, quia transgressio cuiuscunque præcepti etiam diuini ratione paruitatis materiæ ideſt, parui nocumenti, vel surreptionis, vel defectus iudicij ad id sufficientis, solùm obligat trãsgressores ad peccatum veniale, minimo enim nocumento charitas Dei, & proximi non destruitur, & fractio voti paupertatis, trãsgressio diuini præcepti est, ergo ratione paruitatis materiæ violatio voti paupertatis, seu alterius præcepti, erit tantum venialis.

3 Et confirmatur, lex Religiosorum de nihil appropriando sibi non est fortior, quã lex Dei de nihil furando. At transgressio legis de non furando excusatur à culpa mortali propter rei exiguitatem, vt docet S.Th.2.2.q.59.art.4. & q.66.art.9.Nauar.in Man.cap.17.num.2.Sot.lib.5. de Iustitia q.3. art.3. & alij communiter, ergo.

4 Excipiũtur duo casus, in quibus paruitas materiæ non excusat à mortali. Primus est in iuramento, vt si quis diceret falsè, iuro per Deum quod non leuaui festucam de terra manu mea, peccaret mortaliter, nam licet res sit parui, vel nullius valoris, scilicet leuasse, vel non leuasse festucam, tamen quia iurat falsum, non solùm paruitas materiæ nõ excusat à mortali, sed etiã aggrauat quia in rebus nullius pensi, nihilque referentibus adducit Deum in testem falsi.

5 Secundus casus est, quando contingit fieri aliquid mali, licèt in se sit modicum, tamen ex contemptu diuinæ legis verba proferret otiosa, esse planè mortale, nec in hoc casu cum paruitas materiæ excusaret. Sed casum hunc non esse adeò certum ait Med.in sua Sum. quia Caiet.verb.contemptus ait, verum esse quòd peccans ex contemptu simpliciter mortaliter peccat, sed qui contemnit aliquid ex eo quod est minimum, non contemnit simpliciter, sed secundùm quid, ideò nõ peccat mortaliter, modificat enim contemptum cum illo minimo, sicut qui accipit minimum non dicitur furari simpliciter, sed secundùm quid.

QVÆSTIO XLIV.

An Religiosus qui inuito Superiore surripit modicum v.g. sex vncias panis, parum vini &c. quasi singulis diebus peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1 IN hac graui quæstione, vt certa ab incertis secernamus.

Primò supponendum est tanquam certum adud omnes, quòd modus accipiendi aliquid occultè, dum aliàs acceptio placeret domino, si ei innotesceret, est venialis, quòd sæpè Religiosi ob verecundiam Superiorum faciunt.

Secundò certum est, quòd Religiosus qui in Monasterio accepit panem, vinum, & id genus alia, quibus vescatur, sub ratihabitione, quòd si adesset superior, ipsi petenti daret quamuis nollet, vt se in scio caperet non peccat nisi venialiter.

3 Tertiò certum est, quòd Religiosus qui intra Monasterium surripit cibaria in materia quantitate, animo donandi, vel alienandi, peccat mortaliter, cum obligatione restituendi, tam dans, quam accipiens. Et ratio est, quia in hoc casu, non solum modus, sed etiam factum inuito domino fit.

Quartò certum est, quòd Religiosus qui minutatim repetitis vicibus ex rebus Monasterij exigua surripit siue cũ animo, siue sine eo perueniendi ad summam notabilem, cum illam tamen attingit, ad restitutionem tenetur.

Quintò & vltimò certum est, quòd qui paulatim ex rebus Monasterij rem paruam surripit, si à principio habuit animum perueniendi ad materiam notabilem, à principio peccauit mortaliter, cum obligatione restituendi quod accepit, quamuis modicum pro qualibet vice accipiat.

3 Hinc emptores mobilium, qui fraudant dominos, quasi si singulis diebus surripiẽtes aliqua exiguum, peccant mortaliter, cum

cum obligatione reſtituendi quod iniuſtè acceperunt, quamuis exiguum ſingulis diebus ſurripiant: non enim in talibus attenditur id exiguum, quod accipiunt, ſed ad totam ſummam ſurreptam in fine temporis ad quam fertur eorum praua intentio, pro qua in inferno æternaliter punientur. Hæc itaque certa ſunt apud omnes.

QVÆSTIO XLV.

Sed tota difficultas eſt de eo Religioſo qui paulatim repetitis vicibus ex rebus Monaſterij ſurripit vnum vel duos denarios, ſine intentione perueniendi ad magnam quantitatem, An cum illam attingit, peccatū mortale cōmittat, cum obligatione reſtituendi?

1 IN hac graui, & perdifficili quæſtione duæ extant Doctorum opiniones. Prima ait, quòd Religioſus qui minutatim ex rebus Monaſterij ſingulis diebus quid modicum ſurripit, peccat tantùm venialiter, cum tamē valor pecuniæ ſurreptæ peruenit ad notabilem quantitatem, tunc vltimum furtum præcedentibus accedens, efficitur mortale. Ita Sot. lib.5. de Iuſt.q.3. art.2. ad 3.Salon.2.2.q.66.art.6. Val.to.3.d.5.q.10.p.5. Arag.2.2.q.66.art.6.Petr. Nau.lib.3.de reſt. c.1.nu.51. & Mol. to.3.de Iuſt.tract.2.d.688.

2 Secunda opinio eſt aliorum, qui licet cōſentiant cum prima opinione, quòd in hoc caſu minimorum furtorum in diuerſis vicibus commiſſorum, ſub reatu mortali eorum facienda eſt reſtitutio, cum peruentū iam fuit ad ſummam notabilem, modo Religioſus cōtinuato tempore, illam notabilem quantitatem conflaſſet, non autem ſi magnis interuallis interpoſitis eiuſmodi furta faceret, nam iſte reſtituere non tenetur, vt ſi aliquot diebus vnius menſis aliquid ſurriperet, & poſt duos menſes totidem, & tamen negat quòd illud vltimum furtum complens quantitatem notabilem fiat mortiferum, virtute priorum, ſed omnia illa exigua prima, & poſtrema, & intermedia furta, non fuerunt pluſquam venialia. Ita Nauar. in Man. cap.17. num.139.

3 Cæterum probabilior, ac ſecurior mihi ſemper viſa eſt prima opinio nempe quod ſi religioſus à principio carens animo furandi multum ex rebus Monaſterij, ſemper atque iterum modicum quid ſurripuit, ex tunc, & non ante tale furtum incipiet eſſe mortale, quando coaſſumptum cum aliis præcedentibus paruis furtis, incipit eſſe materia grauis. Et ratio eſt, quia illud poſtremum furtū licet exiguum, operatur notabile damnum in virtute furtulorum præcedentium: quicunque autem religioſus ſciens, & aduertens, ex actu ſuo etiam leui, Monaſterium paſſurum notabile damnum, illum facit, verè eſt cauſa efficax talis damni, & ſic peccat mortaliter, cum obligatione reſtituendi, parum enim refert (ait S.Hieronymus) an vnico actu, vel pluribus proximum quis interimat, vel ſpoliet, ſiue damnificet, cum ſemper ſit æquale damnū.

4 Dixi notanter (ſciens, & aduertens) quia religioſus, qui minutatim multa exigua furta commiſiſſet, quorum eſſet inuincibiliter oblitus, atque ita non aduertens ad furta præcedentia, aliquod aliud furtum committeret, non imputaretur ei hoc ad peccatum mortale, quia ex defectu aduertentiæ, non continuatur mortaliter; ſecùs autem ſi aduertit ſe per vltimam acceptionem iniuſtam rei alienæ etiam vnius oboli peruenire ad materiam, quæ in Ordine ad Monaſterium ſpoliatum, eſt per ſe ſufficiēs cōſtituere furtum mortale, tunc enim peccat mortaliter, quandoquidem ſcienter inferre damnum notabile proximo peccatum mortale eſt.

5 Ex qua doctrina ſequitur primò, quòd religioſus qui paulatim repetitis vicibus, accipit ex rebus Monaſterij, vnum aut duos denarios, quam primùm peruenit ad quantitatem, quæ reſpectu Monaſterij cuius eſt res accepta, eſt grauis, peccat mortaliter contra votum paupertatis, cum obligatione reſtituendi, quamuis à principio animum furandi notabilem quantitatem non habuerit.

Secundò ſequitur, quòd ſi furtum manet intra limites peccati venialis, ſub veniali tantùm reſtituere tenetur: ſin autem peruenire ad mortale, ſub mortali reſtituere compellitur, quia acceptio, & detentio ſunt eiuſdem rationis.

6 Quid ſi religioſus fecit multa furtula, & peccauit mortaliter ob id, quia peruenit ad materiam notabilem, tenetur ſub mortali totam ſummam reſtituere v. g. ponamus caſum, quod furari ſummam quatuor argenteorum ſit peccatum mortale, & religioſus paulatim ex rebus Monaſterij accipiat vſque ad tres, & tandem accipiat quartum.

quartum. An teneatur sub mortali omnes quatuor argenteos restituere, an verò satisfaciat soluendo quartum, ita vt excusetur à mortali, etiamsi reliquos tres antea paulatim acceptos, non restituat? Ioannes Med. C. de rest. q. 10. & Cord. in summa casuum q. 70. tenent obligari sub reatu mortali totam summam restituere.

7 Contrarium tamen est proculdubiò affirmandum, nimirùm excusari à peccato mortali, si vnum tantùm argenteum restituat. Ratio est, quia Religiosus non tenetur sub mortali, nisi auferre damnum notabile Monasterij, sed soluto eo argenteo remouetur damnum notabile, nam vt supponimus tres non constituunt materiam grauem in peccato furti. Ergo.

Et confirmatur, Religiosus furripiendo illum quartum argenteum peccauit mortaliter, quia ille cum aliis tribus constituebat materiam notabilem, ergo restituendo illum excusatur à peccato mortali, cùm non damnificet notabiliter Monasterium suum.

QVÆSTIO XLVI.

An sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti contra votum paupertatis, quòd Religiosus habeat animum furandi, nihil de notabili aut paruo cogitans?

1 ILlustriss. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. videtur sentire quod voluntas furandi absolutè est peccatum mortale, nisi limitetur ad rem minimam.

Sed sententia Petr. Nauar. lib. 3. de rest. cap. 1. num. 40. quæ multò probabilior est, vult. nũquàm in individuo dari furtum aliquod in quo fur non habeat voluntatem saltem tacitam, accipiendi modicum, vel magnum. Et ratio est, quia cùm Religiosus se applicat ad furandum, vel solùm intendit rem minimam accipere, & tunc solùm erit veniale, vel ita furatur minimum, vt paratus sit, & optet furari multum si detur occasio, & sic erit mortale: nec fingi potest alius casus, in quo quis habet animum furandi absolutè, pro vt finxit Caietanus. sed sine firmo fundamẽto

QVÆSTIO XLVII.

An sufficiat ad dispensandum aliquid in mediocri quantitate, voluntas tacita seu præsumpta Superioris?

1 PRo huius quæstionis intelligentia, obseruandum est primò, quòd voluntas tacita Superioris potest bifariam considerari. Vno modo quando Religiosus pro certo scit, si petat illam licentiam à Superiore sibi non fore negandam, sed simul cum hoc eum non latet Superiorem id fine sua licentia fieri nolle.

Secundo verò modo quando per signa euidentia, vel probabilia Religiosus intelligit voluntatem Superioris esse, quòd ipse expendat aliquid, & quòd de hoc est gauisurus. Quo posito.

2 Dico primò, quòd licentia tacita seu præsumpta primi generis non sufficit ad hoc vt Religiosus tuta conscientia dispenset aliquid in mediocri quantitate, quod probatur sequenti exemplo. Si Religiosus certò scit, quod eius Superior concedit licentiam, vt egrediatur foras petenti eam ab illo, si progrediatur foras extra Monasterium sine præfata licẽtia peccabit, quia licet intelligat, quòd concedet illam, intelligit etiam, quòd displicebit ei, vt exeat è Monasterio sine expressa licẽtia eius: idem dicendum est in casu nostro. Ita Lop. p. 2. inst. conf. c. 6. & Rod. p. 2. suæ Sum. c. 31. n. 6.

3 Secundò dico, quòd quando Religiosus hæsitat de voluntate Superioris, non potest tuta conscientia aliquid dispensare. Et ratio est, quia non potest licitè aliquid expendere, nisi de licentia expressa, vel tacita Superioris; At hic dum est anceps de voluntate Superioris, neutra licentia eam iuuat, ergo tunc aliquid alienando à peccato proprietatis non liberatur.

Tertiò & vltimò dico, quod licentia tacita seu præsumpta secundi generis sufficit ad dispensandum aliquid in mediocri quantitate. Et ratio est, quia in hoc casu eadem est virtus taciti, & expressi.

QVÆSTIO XLVIII.

Quænam sit ista summa, quam potest Religiosus expendere de licentia tacita Superioris?

1 AD hoc dico primò, quòd potest Religiosus cessante contemptu commutare

mutare ſuos libos, cum aliis libris, etiam cum ſecularibus, dummodò ex tali commutatione Monaſterium damnum non patiatur. ratio eſt, quia hic ratihabitio, ſeu tacita licentia Superioris intercedit.

Tum quia talis commutatio non eſt propriè diſtractio, neque expenſio.

2 Hoc tamen non habet locum in fratribus Minoribus regularis obſeruantiæ, quibus eſt prohibita quæuis permutatio, aut venditio rerum, quas habent ad vſum ſuũ ſine authoritate ſui Superioris, & Syndici Apoſtolici. Roder. p.2. ſuæ Sum. cap. 31. nu. 7. & Lop. p.2. ſui inſt. conf. cap. 6.

3 Secundò dico, quòd religioſus qui dat librum alteri religioſo eiuſdem, vel alterius Monaſterij, eiuſdem tamen religionis, valentem quinque argenteos, non peccat mortaliter contra votum paupertatis. ratio eſt, quia hic etiã præſumitur licẽtia tacita Superioris. Ita Lop. p.2. inſtr. conf. c. 6.

Hoc tamen non habet locum poſt Conſtitutionem S. D. N. Clement. VIII. vbi quæuis largitio munerum religioſis interdicitur: niſi fiat iuxta formulam in ea deſcriptam.

4 Tertio dico quòd religioſus qui inuito Prælato accipit ex rebus Monaſterij in minima quantitate, nimirum vnum regalem, vel dimidium, non peccat niſi venialiter. Et ratio eſt, quia hæc non eſt quantitas, niſi modica, & quæ non cedit in detrimentum vel diſſipationem Monaſterij. Ita Lopius p.2. ſui inſtr. conf. cap. 6.

5 Quartò dico dico, quòd ſi religioſus ex negligentia, vel obliuione non obtinuit licentiam alienandi, deinde ſi vbi non ſuppetit ei copia eam habendi, aliquid, expendat, non adeò notabile, non cenſetur facere contra votum paupertatis, quando id facit fundatus rationabiliter in ratihabitione Superioris.

Quinò & vltimò dico, quod religioſus, qui de licentia Superioris iter agit, poteſt ex his, quę pro expenſis itineris ſibi dantur à Superiore, quidquid ſubtraxit parciùs viuendo, ad libitum, in Eleemoſynas, vel alios pios vſus diſponere. Et ratio eſt, quia talium diſpoſitio illi præſumitur conceſſa à Superiore.

6 Illud tamen aduertant religioſi, quod olim hoc licitè fieri poterat, quia videbatur intercedere tacitus Superioris conſenſus, vt eam portionem ex ſuo victu detractam, prout vellent poſſent in pios, & bonos vſus inſumere, nunc autem per Conſtitutionem Sanctiſſimi D. N. Clement. VIII. ideſt interdictum, niſi fiat iuxta formulam in ea deſcripram.

7 Hinc Religioſi qui pecuniam, ſeu alia mobilia tenent, ſine licentia tacita, vel expreſſa Superioris, ſunt in ſtatu damnationis, nec excuſantur etiam ſtante conſuetudine, quia talis conſuetudo tanquam irrationabilis eſt reiicienda, cum obſtet voto paupertatis, quod vt ſubſtãtiale ſtatui Religioſo, obſeruandum eſt, quare talis conſuetudo, vel potiùs corruptela à Superiore nullo modo eſt toleranda, quia debet ſubditos ab illicitis prohibere, quòd ſi non facit, illorum culpæ mortali ſe inuoluit.

QVÆSTIO XLIX.

An Religioſus ſine licentia expreſſa Superioris poſſit aliquid recipere?

1 AD hoc dico primò, quod Religioſus dum peregrinatur à Monaſterio, habet tacitam facultatem recipiendi quod ſibi oblatum fuerit in Eleemoſynam. Ratio eſt, quia Eleemoſyna in Religioſis, præſertim mendicantibus comes eſt: tenebuntur tamen poſtea cum peruenerint ad Monaſterium, acceptum præſentare Superiori. Ita Lop. loco citato.

Secundò dico quòd Religioſus dum eſt in Monaſterio, poteſt citra mortale recipere à ſecularibus aliqua munera, electuariorum vel confectionum cordialium, bina vaſcula, vel par perdicum vel gallinarum, vel aliquid huiuſmodi. vt Lop. p.2. ſui inſtr. conf. cap. 6. reſoluit.

2 Hoc autem non habet locum in noſtra Congregatione, in qua Regula Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti ſtrictiſſimè obſeruatur: ibi enim cap. 54. ſic habetur Nullatenus liceat Monacho, nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi inuicem literas, aut elogia, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui. Quòd ſi etiam à parentibus ſuis ei quidquam directum fuerit: non præſumat ſuſcipere illud, niſi priùs indicatum fuerit Abbati.

3 Tertiò & vltimò dico, quòd in Religionibus

gionibus reformatis, vbi Superiores ordinant sub obedientia, pro obseruantia Regularitatis, quòd subditi non possint recipere quidquam, nec expendere sine licentia expressa Superioris, peccat mortaliter Religiosus, qui recipit, aut expendit aliquid sine tali expressa licentia, licet videatur, illi quod factus certior Superior dabit dictam licentiam. Ratio est, quia si licentia tacita admitteretur in hoc casu, in his Religionibus iam reformatis, aperiretur porta, per quam facilè intraret relaxatio. Si verò necessitas esset vrgens, & Superior, longè distaret, tunc, ni fallor, non esset saltem peccatum mortale recipere, aut expendere aliquid sine dicta expressa licentia Prælati, quia statuta Religionum debent esse rationabilia, & plena potiùs charitatis, quàm rigoris, & ita debent præsumi, quod huiusmodi statuta sint sic.

QVÆSTIO L.

Sed grauis, & difficilis quæstionis est, quæ summa requiratur, vt Religiosus peccet mortaliter peccato proprietatis, accipiendo antè expendendo sine licentia Prælati?

1 IN hac re S. Anton. 3. p. tom. 16. cap. 1. §. 11. Gerson. alph. 34. lib. 5. dub. 3. & plerique alij censent esse peccatum mortale, etiàm quamcunque rem minimam Prælato occultare.

Sed hæc opinio, pace tantorum virorum sit dictum, falsa est, & meritò vt talis ab omnibus reiiciatur, nam materiæ paruitas in quocunque genere excusat à mortali.

Alij verò rectiùs docent, requiri tantam quantitatem, quanta sufficeret, vt aliquod furtum laici sit mortale, cum appropriatio facta à Religioso sit furtum, quia contrectat rem alienam inuito, & inscio Superiore. Sic Nau. lib. 3. de Reg. Con. 75. n. 18. & Molina tom. 3. de Iustitia tract. 2. disp. 687. Refert, quoddam Decretum factum à Reuerendissimo Præposito Generali suæ Congregationis anno 1594. huius tenoris.

2 Curauimus ea de re inter nostros Doctores diligèter inquiri, ac disceptari, omnium verò sententia hæc fuit: eam quantitatem, quæ furto sublata, satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimum præceptum, eandem sufficere, vt peccasse iudicetur aduersus votum paupertatis: si quis è nostris eam vt propriam vel vsurpet, vel alienet sine Superioris facultate. Quam opinionem volumus, vt nostri sequantur, præscribimusque Patri Prouinciali, vt eam nostris omnibus patefaciat, quo huius voti exacta perfectio, quam studiosissimè obseruetur.

QVÆSTIO LI.

Sed dices, Quænam quantitas requiratur, vt furtum censeatur mortale?

1 DE hac quæstione latè egimus supra in disp. 3. de furto quæst. 18. pag. 59. Pro complemento tamen huius Opusculi. Respondeo primò, quæstionem hanc duobus modis intelligi posse, vno modo absolutè, attenta solùm re furto ablata sine respectu ad personam, cui res surripitur.

Alio verò modo respectiuè, habita ratione paupertatis, vel facultatis domini rei acceptæ: & quidem loquèdo de quântitate furti, quantum ad vtrumque sensum, dico varias esse, & maximè discrepantes Doctorum opiniones.

Nauar. in Manual. cap. 17. num. 3. tenet summam duorum Regalium, vel Iuliorum, imò summam vnius Regalis, vel Iulij, & quod plus est, dimidium Regalis, vel Iulij esse materiam sufficientem efficere peccatum mortale furti: itemque vnam gallinam, vel 12. oua.

Ban. 2. 2. quæst. 66. art. 6. censet quantitatem centum aureorum ex natura rei non esse materiam sufficientem ad constituendum peccatum mortale furti, quando dominus ex tali furto non pateretur aliud graue damnum, vt contingit in Rege, vel magno Principe. Cuius sententiam vt nimis laxam, & illam Nauar. vt nimis rigidam Doctores omnes reiiciunt.

Rebel. lib. 3. de obligatione, cap. 15. Corduba in sum. casuum quæst. 109. & Michael Salon. 2. 2. quæst. 66. art. 6. Dicunt vnum argenteum esse materiam grauem, quæ per se, & ex natura rei inducit furtum mortale. Huius opinionis videtur esse Molina tom. 3. de Iustitia disp. 685. vbi ait tantùm pecuniæ valorem, quæ in vno-

que

que loco ſatis eſt, ad conducendas operas vnius diei foſſoris terræ, videri materiam ſufficientem, ad conſtituendum furtum lethale. Eandem tenet Tolet. lib. 5. cap. 16. nu.13.vbi docet ſummam vnius, vel duorũ Iuliorum ſecundùm ſe à quocunque etiam ditiſſimo furripiatur eſſe materiam ſufficientem efficere peccatum mortale furti. Hoc idem defendit Couar. lib.1.var. reſol: cap.3. num.12. vbi ait gallinæ valorem eſſe notabilem; at gallinæ valor vbique terrarum eſſè ſolet tantus aut ferè, quantum in eodem loco tradi foſſori conſueuit pro operibus vnius diei.

Sot. lib.5.de Iuſt.q.3.a. 3.ad 3.&Syl.verb. furtum q. 2. num.4. affirmant quantitatem quæ attingit duo vel tres aureos per ſe natura, & ex natura rei eſſe notabilem, ac proinde ſufficientem conſtituere furtum lethale,etiãſi à magno domino accipiatur.

Greg.deVal.to.3.diſp.5.q.10.p.6. abſolutè & ſimpliciter peccatum mortale eſſe accipere tres aut quatuor argenteos etiamſi à Regibus vel diuitibus auferantur.

At Petr.de Aragon 2. 2. quæſt. 66. art.6. Petr. Nauar.lib. de reſtitutione num. 39.& Medina.C.de reſt.quæſt.10.docent in diuitibus, & etiam vnius auri ſummam eſſe materiam ſufficientem ex natura rei ad efficiendum peccatum mortale furti. In communibus autem perſonis quatuor, vel quinque regalium; in pauperibus verò vnius, vel duorum; & hæc ſeclusis aliis damnis extrinſecis.

Sed vt ego in tanta Doctorum varietate, quia mihi videatur, explicem, obſeruandum eſt primò, quod eſt ad iudicandum quænam quantitas leuis, aut grauis ſit, vt eius ablatione furtum veniale, aut mortale committatur, nulla poteſt ſtatui certa Regula ſine Ordine ad perſonam, à qua res ablata eſt, quia quod reſpectu alterius non cenſetur tale,ſed modicum, & parui momenti. Sed ſtandum eſt iudicio prudentis viri, qui penſet omnes circunſtantias conditionum perſonarum, Regionum,locorum, &c. nam alicubi eſt magna copia pecuniæ, vt in India,cum alibi vt in Italia non ſit tanta. Ratio huius eſt, quia furtum eatenus eſt peccatum, quatenus eſt contra charitatem proximi, tunc autem dicitur eſſe contra charitatem quando per furtum infertur graue damnũ proximo in ſuis bonis,nec intelligi poteſt, inferre, niſi perſonæ alicui ſaltem in genere puta Principibus, diuitibus, communibus perſonis, vel pauperibus. Igitur, quando furantur tantùm, quantùm ſufficit ad inferendum nocumentum ſimpliciter domino rei, tunc erit peccatum mortale.

Secundò eſt obſeruandum, quòd in furto aliarum rerum, quàm pecuniæ habenda eſt ratio pretij, & æſtimationis earum:nam eadem res plus vno tempore vel loco,quã alio valet.Vnde auferre in Sicilia caponem, vbi plurimum valet, eſt peccatum mortale, quòd non eſt in Pedemonte, vbi parum æſtimatur, eſt enim veniale.

His itaque poſitis dico primò, quòd ex natura rei, & ex obiecto, materia grauis quæ ſufficit efficere furtum mortale, etiamſi à ditiſſimis furripiatur, eſt trium argenteorum ſumma. Ratio eſt,quia communiter homines etiam diuites, & liberales hanc quantitatem non contemnunt, nec arbitrium timoratæ conſcientiæ eſt parui momenti etiam reſpectu magni Principis,cum ea plura bona notabiliter vtilia comparari poſſint.

Secundò dico, quod in Ordine ad perſonas mediocres, quæ non ſunt pauperes, nec valdè diuites, quantitas duorum argenteorum ex ſe eſt materia ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale in materia furti.Ratio eſt, quia reſpectu talium perſonarum iſta quantitas eſt grauis, & per ſe infert illis notabile detrimentum.

Tertiò dico quod furari à paupere qui viuit de opere manuum ſuarum, vnum argenteum, proculdubiò eſt peccatum mortale. Ratio eſt, ideò furtum eſt peccatum, quia per ipſum infertur nocumentum proximo in bonis ſuis, ſed maius damnum infertur pauperi mercenario, qui non habet niſi ſuam mercedem,ex qua ſe,& ſuam familiam alit,ſi ab eo auferatur vnus argenteus, quàm ſi à diuite accipiatur vnus aureus,ergo tale furtum eſt peccatum mortale, eſtque talis quantitas in paupere materia grauis.

Ex quo infertur,in Monaſt.ditiſſimis triũ argenteorum ſummam, quam Religioſus inſcio Superiore accipit, aut expendit, eſſe materiam ſufficientẽ ex obiecto ad efficiẽdum peccatum mortale contra votum paupertatis.In Monaſteriis mediocri conſu dotatis duorum argenteorum ſummam. In Monaſt.autem pauperculis vnius argentei.

Eſt

Est autem hoc loco attendendum, hanc quantitatem non esse considerandam in pûcto indiuisibili, ita vt peccet mortaliter qui integros tres argenteos, aut duos, vel vnum occultè accipit, non autem ille qui minùs vno obolo; sed esse considerandam moraliter, itaut non excusetur etiá à mortali ille, qui ab hac summa vno vel altero solido, vel baiocho distat, quia moraliter qui parû distat, quasi nihil distare videtur. Verum, quia non potest in hac vita non solùm attingi certò punctum indiuisibile, ad quod si summa valoris perueniat, furtum erit lethale, & infra quod non erit mortiferû, sed neque vt diximus certa, & infallibilis regula tradi possit, tutius est etiam in minoribus quantitatibus timere culpam mortalem, atque adeò illas domino restituere, & ideò cautus debet esse cõfessarius.

Aduertat tamen studiosus lector, quod in hac nostra Congregatione Beatæ Mariæ Fulliensis per decretum factum in capitulo Generali, consentiẽtibus omnibus Patribus ibi congregatis, stabilitum fuit summã vnius Iulij esse sufficientem materiam ad efficiendum peccatum mortale furti.

QVÆST. LII.

An Religiosi sint in peccato mortali, qui post publicationem Concil. Triden. non agunt vitam communem?

1 IN hac graui, & difficili quæstione dico primò, quòd peccant mortaliter Superiores, & cellerarij, seu Procuratores qui sibi benè vel imò superfluè prouisi, negligunt aliis religiosis de necessario ad victum & vestitum prouidere iuxta Regulam, & suas constitutiones, quod ex eorum munere, & officio liquet, & tradit Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. per illa verba, omnisque cura, & diligentia, &c.

2 Secundò dico, quòd Superiores tenentur de iustitia prouidere laborantibus de necessariis iuxta suum munus, vt concionatoribus, lectoribus, cõfessoribus, & scribentibus aliquid pro vtilitate proximorum de libris, papyro, attramento, candela, &c. Etsi ex labore aliquam corporalem necessitatem contraxerint subleuare cõformiter ad statum suum. Quòd si negligant, vltra peccatum mortale, quod committunt, possunt ipsi Religiosi vbi inuenerint de rebus Monasterij accipere absque scrupulo, dignus est enim operarius mercede sua.

3 Tertiò, & vltimò dico, quòd Regulares tam viri, quam mulieres tenentur sub mortali agere vitam communem, si dentur illis à Superioribus, quæ necessaria sunt ad sustentationem, vt habetur ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de Reg. vbi supra Synodus decernit. vt omnes regulares ad regulæ, quã professi sunt, præscriptum, vitam instituãt, & componant. Componere autẽ, & reformare Religiosos pertinet ad superiores, qui debent illis dare modum, quo habitis necessariis pro honesta sustentatione, possint adimplere quod Deo vouerunt; quod voluit insinuare idem Concil. Tridentin. in eodem cap. 1. dicens, omnisque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur.

4 Ex quo colligitur, quòd si Superiores nõ præbent cibum, & vestitum Religiosis, nec prouident illis de redditibus Monasterij de omnibus quæ sunt illis necessaria, vt transigant vitam, vt pauperibus Christi mercenariis vineæ suæ prædicantibus, & audientibus confessiones, assistentibus graui oneri chori, & communitatis, benè potuerunt tuta conscientia quærere, & petere ab extraneis de licentia suorum superiorum totum illud quod illis necessarium est, pro tali victu & vestitu. Huius opinionis est Greg. de Valent. tom. 3. disp. 10. quæst. 4. p. 2. ibi enim sic ait. Quartò sequitur, esse in malo statu Religiosos, tâ Prælatos, quã subditos, qui non agunt vitam cõmunẽ. Hoc autem intelligitur, quando ex communibus redditibus possunt sufficienter viuere, alioqui iure naturali licebit vnicuique sibi prouidere, procurando proprium, si aliter non possint viuere. Hæc Gregorius.

5 Hoc idem docuit D. Nauar. comment. 3. de Regul. nu. 36. cuius verba sunt. Religiosos qui post publicationem Concil. Triden. viuunt modo viuendi supradicto num. 25. in quibus certa portio panis, vini, & reliquorum necessariorũ pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro vestitu distribuitur, & non obediunt præcipientibus Prælatis, vt abstineant ab isto modo viuendi, & de cõmuni, & cõmuniter, sine vllo proprio, etiam quo ad vsum, viuant, & tradant omnem suam supellectilem, & omne suum peculium cõmuni cellerario, esse in malo statu.

Et post pauca idem Nau. quærit: An si Prælatus præcipiat omnibus, & singulis suis Religiosis sub censuris, vt vitam communẽ

INDEX
QVÆSTIONVM OMNIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

De Dominio. Disput. I.

Quid sit dominium. pag. 3
Quotuplex sit dominium. 5
Vtrum dominium formaliter, & essentialiter sit idem quod Ius. eod.
Vtrum dominium, & titulus dominij distinguantur. 6
Quot, & quæ conditiones ad dominij acquisitionem requirantur. eod.
Vtrum in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui. 7
Vtrum Deus habeat rerum omnium dominium. 9
An bruta, & aliæ res insensibiles habeant alicuius rei dominium. 10
Vtrum Angeli dominium habeant rerum corporalium. 11
Vtrum homo corporum cœlestiũ, & elementorum sit dominus. eod.
Vtrum homo sit Dominus rerum omnium, quæ cæli ambitu continentur. 12
Vtrum pueri nondum vtentes ratione, & perpetui amentes dominium habeant. 13
Vtrum Pupilli sub Tutore existentes, & Primogeniti sint verè Domini suarum rerum, quas possident. eod.
Vtrum Religiosi possint habere dominiũ. 14
An filiusfamilias sub patria potestate constitutus habeat aliquarum rerum dominium. eodem.
Vtrum clericus beneficiarius habeat aliquorum bonorum dominium. 15
An beneficiarius habeat verum dominium illius portionis reddituum, quæ congruæ eius sustentationi redundat. 16
An beneficiarius, qui vanè, ac luxuriosè Ecclesiæ prouentus consumit, vel sine causa iusta retinet, peccet contra iustitiam, & ad eorum restitutionem teneatur. eod.
An seruus possit habere aliquarum rerum dominium. 17
Vtrum Deus sit absolutus vitæ humanæ Dominus. 18
Vtrum homo sit Dominus vitæ, ac aliorum bonorum corporalium. 19
Vtrum Princeps, & Respublica habeat dominium vitæ suorum ciuium. 20
Vtrum homo sit dominus suæ famæ, & honoris. 21
Cuiusnam famæ homo sit dominus. 22
Vtrum homo sit dominus bonorum spiritualium. 25
Vtrum vnus homo possit esse dominus alterius. 17
Vtrum Christianus captus ab alio Christiano in bello iusto fiat seruus capientis. 29
Vtrum Christiani capti in bello ab infidelibus efficiantur serui capientium. eod.
Vtrum mancipia à suis dominis fugere possint. 30
An iure belli captus, & alteri venditus semper ius habeat fugiendi, vt redeat ad patriam suam. 33
An serui in domo nati ex parentibus in bello iusto captis ius habeant fugiendi. eod.
An pro defensione vitæ, liceat vnicuique vendere suam libertatem. eod.
An vendere propriam libertatem pro soluendis debitis pecuniaris sit licitum. 34
An Pater possit vendere filium. eod.
An non solum iure ciuili patrum, sit concessum filium vendere, victus necessarij causa, sed etiam id sit naturali iure permissum. eod.
An talis venditio sit apud Christianos permissa. eod.
An pater possit vendere filium iam emancipatum. eod.
An pater possit filium suum vendere propter aliam causam videlicet pro vitanda mutilatione vnius membri, &c. 35
An Mater in eadem egestate constituta, possit vendere filium, quemadmodum, & Pater. eodem.
Vtrum Christus quatenus homo sit dominus Orbis. eod.
Quotnam modis possit acquiri dominium. 38
Quid sit translatio dominij. eod.
Quot modis transferatur dominium. eod.
An rerum diuisio iustè, & conuenienter fuerit introducta. eod.
Quonam iure facta sit hæc diuisio. 39
Vtrum omnium rerum facta fuerit diuisio. 40
Quomodo, & per quos homines facta fuerit rerum omnium diuisio. eod.

Disp. 11.
De Furto.

Vnde dicatur furtum. 41
Quid sit furtum. eod.
An qui aufert vxorem, vel filiam alienam committat furtum. 43
An qui vxorem, aut filiam alterius furriperet, vt alibi venderet, committeret furtum. eodem
Quid sit rapina. eodem
An qui alicuius, in eius absentia per vim domum irrumpit, vt quod intus est, iniustè accipiat, verè, & propriè furtum committat, an vero rapinam. 41
An furtum, & rapina specie distinguantur. eodem
An furtum sit peccatum mortale. 45
An furtum sit grauius peccatum fornicatione. eodem
Vtrum Rapina sit maius peccatum, quam furtum. eodem
An quodlibet furtum sit peccatum mortale eodem
An sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti, quod aliquis habeat animum furandi, nihil de notabili, aut paruo cogitans. 46
An furtum rei magnæ, & furtum rei paruæ sint eiusdem speciei. 47
An præceptum de non furando sit dispensabile per potentiam Dei absolutam. eodem
An filij Israél Ægyptios suis bonis expoliantes, peccatum commiserint. 48
Ob quam causam Dominus iussit, vt filij Israel expoliarent Ægyptios. eodem
An possit Princeps seu Iudex ad imitationem Dei concedere facultatem priuatim creditori, vt bona debitoris secreto accipiat. eodem.
Quænam summa requiratur vt furtum sit mortale, vel veniale. eodem
Quotnam sint casus, in quibus furtum quod ex obiectio est leue, & veniale, efficitur mortale. 51
An huiusmodi furtum paruæ rei, quod diximus esse mortale ratione intentionis, vel indigentiæ personæ, vel damni subsecuti, & iustæ molestiæ domino rei illatæ &c. sit mortale in genere furti, an vero in alio genere peccati. 54
An in aliquo casu possit furtum fieri veniale, quod alioquin foret mortale. eod.
An filius, & vxor, peccent mortaliter, qui à patre, & marito inuitis quoad modum, aliquid magni valoris accipiunt. 55
An Religiosi qui clam notabilem summam accipiunt de bonis Monasterij, mortaliter peccent, & ad restitutionem teneantur. eodem
An quantitas quæ sufficit efficere furtum mortale, sufficiat etiam vt Episcopus ferat sententiam excommunicationis contra eos qui furtum commiserunt. 56
An si Episcopus tales excommunicationes concedat, tales excommunicationes sint validæ. eodem
An si tales excommunicationes ex commissione Episcopi à suo Vicario ferantur, tales excommunicationes sint validæ. eod.
An si ad instantiam sartoris à quo aeus fuit furto ablatus, lata sit excommunicatio aduersus eos, qui sibi aliqua furto abstulerũt, talis excommunicatio comprehendat eum, qui acum surripuit, ex cuius defectu graue ei damnum est subsecutum. 57
An creditor qui à debitore gratia compensationis aliquid occultè accipit, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. eodem
An in tali casu hic recompensans committat peccatum furti. 58
An qui iureiurando creditori suo debitum soluere promisit, solutionem ratione compensationis differre queat 59
Vtrum is, qui non potest iuris ordine seruato recuperare rem propriam, possit clam de bonis creditoris absque peccato restitutioni obnoxio, se recompensare. eod.
Quotnam sint conditiones, quæ ad iustam compensationem requiruntur. eodem
An liceat creditori occultè se recompensare pro debito charitatis, vel Religionis, aut alterius virtutis, sicut potest pro debito iustitiæ. eodem
An si quis in recompensatione hanc conditionem non obseruaret, ad restitutionem teneretur. 60
An omnes præfatæ conditiones sint ad iustam compensationem necessariæ. 61
An in casibus, quibus fas est occultè spoliare, liceat etiam per vim rem suam, vel sibi debitam recuperare. eodem
An excommunicatio lata contra eos, qui furtum commiserunt, comprehendat eum, qui causa compensationis aliquid surripuit, ceteroſque scientes, & non reuelantes. 62
An si conscij ablationis rerum, dubitent de iusta rerum compensatione sub pœna excommunicationis denunciare teneatur. eodem
Sed quid? si Episcopus iubeat sub pœna excommunicationis, vt res restituantur, ac reuelentur, etiam si retineantur acceptæ in compensationem debiti legalis, vel sciant retineri ita acceptas. eod.
Sed quid? si Episcopus sub censura præcipiat sub hac forma, excommunicamus etiam recompensantes, qui omnes conditiones iustæ recompensationis non seruauerint. 63
Quisnam sit in hoc casu, qui dicatur conscius

Digitized by Google

scius ad effectum, vt denunciare teneatur. 64

An correctio fraterna sit prius præmittenda, antequam quis respondere teneatur literis monitorialibus, vel edictis excommunicatoriis, quibus præcipitur aliquod furtum reuelari. eodem

An si occupator rei alienæ admonitus, Episcopi mandato satisfacere renuit, conscius illius criminis iussus denuntiare teneatur illud manifestare; si illud probare non potest. eodem

An in casu, quo Prælatus is sit, qui vt ait Nauar potest prodesse, & non obesse, ob defectum probationis, teneatur illi vt Patri sub eadem pœna excommunicationis furtum denunciare. 65

Quisnam sit, qui in tali casu delictum probare possit, ad hoc vt denunciare teneatur. eodem

An teneantur Prælati, & visitatores quando vtuntur inquisitione generali, admonere, & exprimere in suis edictis, & visitationibus se ea tantum inquirere, quæ probari possunt. eodem

An si Iudex Ecclesiasticus sub censura præcipiat, vt qui verbi gratia tale crimen sit, veniat ad testificandum, is qui illud scit, ad deponendum lege, & iure compellatur, etiamsi illud probare non possit eodem

An casu, quo quis recõpensans, vel eius recompensationis conscij, non tenentur reuelare, possint iureiurando respondere se nescire. 66

An iustè sibi recompensans, comparet dominium earum rerum, quas in compensationem accepit. eod.

An si in foro exteriori comprobetur facta compensatio, & ob id compensans condemnatur ad aliquam pœnam, teneatur in foro conscientiæ eam subire. eod.

An, & quando teneantur conscij delicti ad restitutionem, qui per edicta, generalia, & literas monitoriales compulsi detegere veritatem, tacent, & ob id expoliatus suum non recuperat. eodem

An huiusmodi edicta lata ad instantiam parentum contra furantes, comprehendant etiam filios, & vxores, qui præter casus licitos aliquid ab eis furripuerunt. 67

An in necessitate liceat alienum furripere. eodem

An nobis liceat dum sumus in periculo amittendi honorem, aut famam res alterius accipere sub prætextu extremæ necessitatis. 69

An periculum amittendi pudicitiam, sit sufficiens necessitas, vt puella possit sine peccato alienum sumere. eodem

Vtrum is dicatur esse in extremis, qui quamuis hoc in loco & tempore non habeat, habet tamen alibi, vel de proximo se habiturum sperat. eodem

An pauper in extremis constitutus possit tuta conscientia iuri quod habet accipiendi sibi necessaria ad tuendam vitam, renunciare, & subire potius mortem, vel quodcumque aliud malum, quam res alterius sumere. 70

An mihi liceat in casu similis necessitatis occulte rem alienam accipere, vt subueniam proximo extremam necessitatem patienti. eodem

An cuique liceat Christianos detentos ab infidelibus furari, vt libertati illos restituat. 71

An licitum sit Christianis rapere ab infidelibus res, quas iniustè possident, sicut licet rapere Christianos, quos etiam iniustè detinent. eod.

An furripiens modicum, multoties tamen ab eodem homine mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. eodem

An furripiens à pluribus, à quolibet tamen parum, mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. 73

Quomodo in tali casu facienda sit restitutio. 75

An in istis casibus prædictis teneatur Titius restituere omnem summam, quam est furatus, an vero ad vitandum mortale peccatum, satis sit restituere partem pecuniæ, quæ simul cum alia furtum graue faciebat. eod.

De Præscriptione. Disp. III.

Quid sit præscriptio. 76

Quotnam sint conditiones, quæ communi consensu Doctorum requiruntur vt præscriptio iure Pontificio sit legitima. eod.

Quotnam sint necessaria ad bonum, seu iustum titulum. 77

An habens dubiam conscientiam, an res quam possidet sit propria, vel aliena possit licitè præscribere. 78

An qui bona fide præscriptionem incepit, & postea ex ignorantia, & conscientia erronea dubitat, stante dubio, rem retinere, & præscribere possit. 80

An ignorantia possessorem malæ fidei efficiat, ac proinde præscriptionem impediat. 81

An si finita præscriptione legitima, Dominus rei inueniatur, is qui possidet, iure præscriptionis, possit illam in foro conscientiæ retinere. eodem

An in casu quo Dominus non fuit negligens in re sua inquirenda, & recuperanda, qui bona fide durante toto tempore ad præscribendum præscripto eam possedit, sit tutus in conscientia quamuis elapso præscriptionis tempore, rescierit

Digitized by Google

reſciuerit alienam eſſe eam rem, quam poſſidet. 82
An res furtiuæ præſcribi poſſint tempore ordinario. 83
An latro iam aliquo caſu poſſit habere bonam fidem, & per conſequens præſcribere. 84
An qui ſuccedit in re, poſſit complere præſcriptionem apud anteriorem poſſeſſorem legitimè inceptam, neque conſummatam, computando ſibi annos anterioris poſſeſſoris. eodem
Quodnam ſit tempus legitimum præſcriptionis. 85
Quantum ſpatium temporis requiratur, vt conſuetudo præſcribat contra legem. 86

De reſtitutione in genere. Diſp. IV.

Vnde dicatur reſtitutio. 87
Quid ſit reſtitutio. eodem
Vtrum reſtitutio ſit idem, quod ſatisfactio. eodem.
Vtrum reſtitutio ſit actus ſolius iuſtitiæ commutatiuæ. 89
Vtrum reſtitutio ſit de neceſſitate ſalutis. eod.
An reſtitutio neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medij. 90
An reſtitutio ſit ſub præcepto. eodem.
Quonam mandato reſtitutio ſit præcepta. eodem.
An qui ſolùm peccant contra iuſtitiam, ad reſtitutionem teneantur. 91
Quænam ſit ratio, ob quam ex ſola violatione iuſtitiæ inſurgit obligatio reſtituendi. 92
Ex quibus capitibus naſcatur obligatio reſtitutionis. 93
Quænam ſit differentia inter obligationem, quæ inſurgit ratione rei acceptæ, & obligationem quæ procedit ratione acceptionis eiuſdem. eodem
Quotnam in reſtitutione ſint præcipuè conſideranda. eodem
Quotnam modis poſſit res aliena ab aliquo poſſideri. eodem
Vtrum poſſeſſor bonæ fidei ad aliquam reſtitutionem teneatur. 94
An qui bona fide vendidit rem alienam maiori pretio, quam emit à fure, teneatur illud incrementum pretij, domino reſtituere. 95
An poſſeſſor bonæ fidei, ſi culpabiliter rem alienam durante bona fide deſtruxerit, reſtituere teneatur. 96
Vtrum poſſeſſor bonæ fidei teneatur etiam fructus perceptos reſtituere. 97
Vtrum inuitatus ad ſplendidum conuiuium de gallinis furtiuis, ibique bona fide prandeat, teneatur poſtea cognita veritate, reſtituere quantum in eo conſumpſit. 99
Sed quid? ſi æquè dubitatur, An poſſeſſor bonæ fidei ex re aliena, eiuſue fructibus, ſit factus ditior, an non. eodem
Vtrum redditus percepti ex locatione rei alienæ. v. g. domus &c. ſint domino reſtituendi. eodem
Vtrum emens equum furtiuum à latrone, teneatur ſtatim cognita rei veritate ſuo domino eum reſtituere. eodem
An emens bona fide rem alienam, quam poſtea eadem bona fide alteri vendidit, & deinde cognouit rem illam fuiſſe furtiuam, teneatur emptorem ſuum ſeruare indemnem, reſtituendo ei pretium. 100
An qui emit bona fide rem alienam à latrone, de hoc certior factus, poſſit tuta conſcientia reſcindere contractum, & latroni rem illam reddere, vt pretium pro ea datum recuperet. 101
An Titius qui emit rem alienam bona fide, & in eadem bona fide perſeuerans, vendidit illam Antonio, teneatur poſtea comperta veritate reſtituere vero domino pretium eius, quando non poteſt res ipſa reſtitui. 103
Quid? ſi emptor cognita rei veritate, eam ſtatim domino reddat, tenebiturne Titius ei reſtituere pretium. 104
Quid dicendum de eo, qui bona fide emit rem alienam, & deinde deueniens in cognitionem huius, non inuenit dominum. eodem.
Sed quid? ſi latro etiam non compareat, vel ſi comparet, non poteſt ab eo pretium recuperare. 105
An ſi Titius bona fide emit rem, ſciens eſſe alienam, vt domino inuento eam reſtitueret, poſſit ab eo pretium, quod dedit, repetere. eod.
Quotnam ſint, quæ conſtituunt poſſeſſorem in mala fide. eod.
An poſſeſſor malæ fidei ad aliquam reſtitutionem teneatur. eod.
An poſſeſſor malæ fidei ad aliquam reſtitutionem teneatur. eod.
An poſſeſſor malæ fidei, ſeu morioſus debitor ex eo quod non ſoluit in tempore ſtatuto, teneatur ad intereſſe extrinſecum. 107
An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere lucrum merè induſtriale, id ſcilicet quod pecunia aliena per negotiationem emendo, & vendendo lucratus eſt. eod.
An malæ fidei poſſeſſor teneatur reſtituere fructus perceptos, ſi dominus rei, nullos erat ex ea re fructus percepturus. eod.
An poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei poſſit detrahere expenſas, quas fecit in re aliena. 108
An qui emit mala fide rem alienam, poſſit tuta conſcientia reſcindere contractum cum venditore, tradendo illi rem illam vt pretium datum pro ea recuperet, an vero teneatur domino reſtituere. 109

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum res mala fide possessa, sit restituenda secundum optimum statum rei. 110
Sed quid? si apud furem pereat tardiùs, quàm fuerat apud dominum peritura. 111
Sed quid? si equus non eodem modo esset perituras apud dominum, quo periit in manu furis. 113
Sed quid? si dubium sit, an aliquam vtilitatem ex prædictis dominus foret percepturus ex re sua, quam Titius ab eo abstulit. 114
An eadem res numero per furtum ablata, si extat necessario sit domino restituenda, an vero satis sit aliam æquè bonam restituere. eodem
An qui accipit rem vsu consumptibilem permixtam de manu furis gratuito, vel contractu oneroso, teneatur eam restituere, si inde fur efficitur ex eo minus idoneus ad soluendum. eod.
An dubitans an res sit aliena, possit tuta conscientia manere. 115
Sed quid? si post illam bonæ fidei possessionem, factus dubius an res esset sua, vel aliena, neglexit veritatem indagare, & deinde elapsa ea opportunitate, iam effectus est impotens ad eam sciendam. 117
Vtrum Christiani qui emunt bona Christianorum capta à Turcis in bello, vel qui recuperant ea vi, vel arte, restituere ea dominis teneantur. eodem
Quotnam sint personarum genera, quæ ex actione iniusta ad restitutionē obligātur. eod.
Quodnam requiratur ad inducendum vinculum restitutionis. 118
Quæ nam sit dicenda causa, sua natura efficax, & in effectu damnificans. eod.
Sed quid? si post diligentem inquisitionem quis probabiliter dubitet, an sit causa efficax damni. 120
Quid nomine executoris intelligatur. eod.
Vtrum executor delicti semper ad restitutionem teneatur. eod.
Quid nomine iubentis intelligatur. 121
Quot modis possit quis iubere. eodem
An iubens damnum fieri, ad illius restitutionem teneatur. eodem
Quid? si Titius paratus est furari, & in præcinctu operis est, & ex meo imperio moueatur non ad inferendum damnum simpliciter, sed ad inferendum libentiùs, celerius, atrocius, & animosius, vel alio loco. eod.
Sed quid? si mandans sit dubius, an mandatarius suo imperio motus sit ad damnum inferendum, an non. 122
An mandans alicui, vt delictum, vel damnum faciat, teneatur ad restitutionem, si mandatum reuocauit, antequam illud mandatarius exequeretur. eod.
An mandans teneatur ad restitutionem damni secuti mandatario ex casu fortuito. 123
An si amicus præcipiat amico pauperi, super quem nullam habet superioris authoritatem, vt furetur, vbicumque possit etiam extra casum necessitatis, & diues fiat, si huiusmodi pauper mandatum exequatur, mandans teneatur ad restitutionem furti ab eo facti. eod.
An sit liber à restitutione mandans, si post maleficium patratum, mandatario iubeat, vt restituat. eod.
An si Titius paratus esset furari, & in præcinctu operis esset, aliquis ei diceret, vade ergo, & fac, secuto effectu, præcipiens ad aliquam restitutionem teneretur. eodem
An ratum habens maleficium nomine suo factum ad restitutionem teneatur. 124
Quid nomine consulentis intelligatur. eod.
An consulens ad aliquam restitutionem teneatur. eod.
Sed quid? si consiliarius dubius sit, an fur suo prauo consilio motus sit, vel non. 125
An qui consuluit furtum, vel delictum in damnum proximi, si reuocet consilium ante factum, etiamsi nihil persuadeat, teneatur ad restitutionem. eod.
Quid? si Titius prauum consilium alicui dedit, vt proximo suo damnum inferret, sed id illi non potuit persuadere, post multum vero temporis, ex eo consilio permotus, & inflammatus damnum illud intulit, ad restitutionem teneatur. 127
An consulens homicidium, si reuocando consilium nihil persuadeat, teneatur monere eum secreto, contra quem huiusmodi delictum consuluit, vt sibi caueat. eod.
Qua lege ad id teneatur. eodem
An consulens fieri furtum, vel delictum in damnum alterius, si post factum, consulat ei restitutionem facere, eo ipso liberetur ab onere restituendi, etiam si nolit, restituere. eod.
An qui furi parato rapere centum ab altero, consulat, vt rapiat ducenta, teneatur restituere solum centum, an vero ducenta. eod.
Ex qua culpa teneatur ad restitutionem damni secuti, malè consulens, siue in contractibus, siue in delictis. 128
An liceat alteri consulere minus malum, hac intentione vt à maiori malo abstineat. 129
An parato me occidere, possim sine peccato illi consulere, ne me occidat, vt manum mihi amputet, vel pugnis, aut baculo, me cædat. 131
An constitutus in extremis, possit sine peccato consulere vsurario nolenti gratis mutuare, vt mutuet sub vsuris. eod.
An liceat inducere furem, vt furetur parum à diuite potius, quam magnum à paupere. eod.
Sed quid? si ego conseruo gemmam pretiosissi-

mam Caij, & pecuniam Titij,& furi parato ad furandum gemmam, dico ne furetur gemmam, ecce pecuniam hanc accipe,& sis contentus, vtrum tunc liceat mihi ex bonis Caij,cuius est gemma,tantam pecuniam accipere, quantam furi dedi, vt restituam Titio. 132
Quid hoc loco nomine consentientis intelligatur. eod.
An consentiens iniquæ actioni ad aliquam restitutionem teneatur. eod.
Quid sentiendum sit, quando in capitulis, vel collegiis multorum suffragiis est facienda aliqua electio, vel ferenda sententia. 133
An qui post furtum, vel homicidium nomine suo factum, consentiat illud ratum habendo, ad restitutionem teneatur. 134
Quid nomine adulatoris intelligatur. eod.
An adulator qui per adulationem inducit aliquem ad inferendum iniuriam proximo, ad restitutionem teneatur. eod.
Quid nomine receptantis intelligatur. 135
An qui recipit malefactorem, ad aliquam restitutionem teneatur. eodem.
Quid nomine participantis intelligatur. 136
An quando multi simul concurrunt ad iniustum damnum inferendum, teneantur singuli restituere in solidum. 137
An comitantes latronem non animo eum adiuuandi, sed potius impediendi damnum, teneantur aliquid restituere, si alter videns plures in comitatu & timens mortem aufugit, equo sud relicto,quem fur postea surripuit. 140
Quid? si dubium sit, an positiuè, & efficaciter concurrerit ad damnum, an non hic ad aliquid restituandum teneatur. eod.
Quid dicendum de Titio, qui cum vellet occidere inimicum; induxit Caium vt ipsum comitaretur, & adiuuaret, qui tandem ob patratum homicidium ad multas pœnas fuerunt condemnati. An Titius omnes illas pœnas, & alia damna restituere teneatur, quæ Caius inuitatus passus est. 141
Quid? si Titius aliquos amicos, aut famulos mitteret districtis gladiis ad aggrediendum Caium, animo solum terrendi illum, & ridendi, si ex eo secutum sit damnum, illud restituere teneatur. eod.
Quid?si Titius statuerat inferre damnum proximo hinc ad dies octo,& iussione,aut rogatu Caij,illud statim intulit An teneatur Caius totum illud damnum resarcire. eod.
An vsurariorum cooperatores, & coadiutores ad aliquam restitutionem teneantur. eod.
An Christiani captiui remigantes in triremibus Turcarum, contra Christianos,peccent, & ad restitutionem teneantur. eodem.
Quænam ex prædictis causis sit principalis,teneaturque primo loco restituere. 142
An quando plures sunt causæ damni, & ad restitutionem obligantur in solidum, si vnus illorum totum domino restituat, alij qui etiam in solidum tenebantur ad restituendum, teneantur de necessitate salutis ad refundendum illi qui restituit eam partem, quam ipsi tenebantur domino restituere. 144
An socij criminis pro rata ei teneantur restituere, qui primus totum damnum domino restituit. eodem.
Quid? si cum Titio ac Caio. Seius concurrat ad furtum trecentum aureorum, illis vero suas partes restituere nolentibus, totum restitueret Seius, postea vero Titius velit quod debet restituere, Caio adhuc nolente restituere. 146
An pluribus in solidũ obligatis, possit qui passus est damnum,gratis obligationem vni remittere, & totum ab aliis exigere. eod.
Quomodo huiusmodi restitutio fieri debeat? v. g. Petrus, Franciscus,& Antonius intulerunt damnum triginta aureorum, & Antonio fit remissio, dubitatur nunc,quantum sit residuum, ad quod restituendum in solidum obligantur Petrus, & Franciscus. 147
Quid nomine tacentis hoc loco intelligatur. eodem.
Quanam ratione cognosci possit, aliquem obligari ex iustitia. eod.
An qui loquendo, potest damnum alterius impedire,& non impedit, ad restitutionem teneatur. 148
An pretio corruptus a latrone, vt taceat ad restitutionem teneatur. 149
An qui clamare volentem contra fures,vt impediat furtum,pretio inducit ad tacendum, ad restitutionem damni proximo illati teneatur. 150
Quid nomine non obstantis hoc loco intelligatur. eod.
Quanam ratione cognosci possit,aliquem obligari ex iustitia. eod.
An qui omittit impedire damnum, quod sine suo periculo, vel incommodo potest impedire, ad restitutionem teneatur. 151
Sed vtrum idem sit dicendum de Prælato Regulari. eodem.
An qui tenentur ex officio damnum proximi impedire, teneantur ad id etiam cum periculo vitæ. eod.
An Iudex non condemnans reum, teneatur non solum restituere damnum, quod reus intulit, verum etiam pœnam, quam subire debuit, si Iudex iustam sententiam tulisset. 152
An Iudex non rectè iudicando, teneatur soluere pœnam, ad quam per iustam sententiam reus fuisset condemnatus. eod.

An confeſſarius non obligáns pœnitentem ad reſtituendum, teneatur loco illius reſtituere. 153
An cuſtodes ſyluarum, montium &c. non denunciando, aut accuſando delinquentes, teneantur in conſcientia reſtituere damnum, quod poterant prohibere, & non prohibuerunt. 154
An Cuſtodes, vel alij iuſtitiæ officiales non denunciantes delinquentes, teneantur in conſcientia ſoluere pœnam, ad quam fuiſſent per iuſtam ſententiam condemnati. 155
An cuſtos, aut alius iuſtitiæ miniſter peccet, & reſtituere teneatur, pretium, quod accepit vt non accuſet, aut denunciet. 157
An delinquens teneatur reſtituere pœnam pecuniariam fiſco debitam, quando ipſe pretio cuſtodem induxit, vt taceret. 158
Sed quid? ſi cuſtos perit pecuniam, promittens ſe non patefacturum delinquentes. eod.
An cuſtos, aut quilibet alius iuſtitiæ miniſter poſſit conuentionem facere circa pœnam incurſam, ante tamen Iudicis condemnationem. eod.
An Cuſtos non denunciando, teneatur reſtituere vectigalia, quæ illi tenebantur, qui merces deferebant.. 159
An Cuſtos qui ſe abſcondit, vt liberè alij merces de vno Regno in aliud contra leges transferant, ad reſtitutionem tenentur, ſi poſtea ex inſidiis delinquentes capiat, & pœnas ab eis exigat. eod.
An qui ita ſe occultat, peccet mortaliter. eod.
Quid hoc nomine intelligatur. eod.
Vtrum non manifeſtans maleficium, ad reſtitutionem teneatur. 160
An ſi teſtis, qui iuridicè interrogatus, non manifeſtat eum, qui accepit alienum, vel detinet, teneatur ad reſtitutionem damni ſecuti ex tacita veritate. eod.
An ſi teſtis in indicio taceat veritatem, teneatur reſtituere pœnam; ad quam condemnaretur reus, ſi ipſe veritatem dixiſſet. 161
Quid? ſi teſtis non ſe offert vltrò ad teſtificandum, ſed potius dolosè ne in teſtem vocetur, ſe occultat, aut alio ſe confert, cum tamen ſciat rei veritatem, & partem læſam graue detrimẽtũ pati ex tacita veritate. eod.
An reus legitimè rogatus à Iudice? v. g. hæreticus, aut reus læſæ Maieſtatis negat delictum, & ob id non condemnatur ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnaretur, ſi eſſet ſuum crimen confeſſus, pœnam illam reſtituere teneatur. eod.
An famulus deputatus ad cuſtodiendam domum, ne quis noctu intret, aut exeat teneatur ad reſtitutionem ſi quiſpiam ex conſeruis exeat ad diripienda bona extraneorum. 162.
An famulus qui videt alterum conſeruum aliqua furari, teneatur furem detegere ei, à quo rem accepit. eod.
Quid? ſi Titius emit bona fide equum à fure, & eadem bona fide retinet, & Caius ſciat eſſe equum Antonij, an teneatur Antonio reuelare. eod.
Sed quid? ſi excommunicatio feratur contra eos, qui ſciunt, quis fecit tale furtum, vt reuelent. eod.
An omnes iſti, ſi tacens, non obſtans, non manifeſtans teneantur in ſolidum. 163
Vtrum inter has cauſas ſit aliquis ordo. eod.
An omnes iſti, quibus ex officio, & ratione mercedis, vel pacti incumbit impedire damnum proximi, teneantur de leuiſſima culpa, vel leui, aut lata. eod.
Quidnam ſit reſtituendum. eod.
An fur teneatur reſarcire damna, quæ paſſus eſt dominus ob rem ſibi contra iuſtitiam ablatam, & retentam. 164
An iniuſtus rei alienæ detentor teneatur reſtituere impenſas, quas furtum paſſus fecit in quærenda re ſibi furto ablata. eod.
An qui bona fide poſſidet rem alienam, reſtituere teneatur fructus perceptos. eod.
An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus rei alienæ. 165
An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus perceptos, qui apud ipſum abſque vlla ſua culpa perierunt, caſu quo periiſſent quoque apud dominum. eodem
An qui mala fide alienum torquem detinuit, & ſæpiùs locauit, teneatur in conſcientia reſtituere domino penſiones quas in eius locatione percepit. eod.
Quid? ſi dominus nunquam fuiſſet torquem locaturus, teneatur tunc iniuſtus rei detẽtior reſtituere fructus, quos percepit. eod.
An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus quos ex re aliena potuiſſet percipere, ſed incuria ſua non percepit. eod.
Sed Quid? ſi dominus eius ſua quoque negligentia nullos fructus erat percepturus? eodem.
An poſſeſſor malę fidei teneatur reſtituere fructus, quos dominus ea turpi vſu rei ſuæ percipere potuiſſet. 166
An poſſeſſor malæ fidei teneatur reſtituere fructus, quos ſola ſua induſtria ex re aliena acquiſiuit. eodem.
An poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei poſſit deducere expenſas, quas fecit in re aliena. eod.
An ſi Titius mutuauit Caio centum aureos hac conditione, vt Caius teneretur illos infra ſpatium vnius anni reſtituere, Titius autem intra id tempus incidit in magnam neceſſitatem ea ſolum ratione, quia non habuit ſuam pecuniam, teneatur Caius hoc damnum Titio reſtituere. eod.
An qui accepit ab alio mutuo mille ducatos

soluendo intra annum, quos tamen ex iusta causa non soluit, teneatur in conscientia restituere damnum, quod mutuans ob dilationem solutionis incurrit. 167
Quantum sit restituendum. eod.
An qui nocet proximo in re, quæ adhuc est in spe teneatur ad restituendum valorem illius, perinde ac si esset in re. eodem
Cui facienda sit restitutio. 168
An qui accipit aliquid ab eis, qui sui iuris non sunt, teneatur eisdem restituere. 169
An sit peccatum reddere debitum vero domino, quando in sui, vel alterius perniciem illud petit. eodem
An in casu, quo est peccatum reddere debitum, sit peccatum contra charitatem tantum, an vero sit etiam contra iustitiam. 171
An qui accipit ab aliquo rem non suam bona tamen fide possessam, teneatur vero domino eam restituere. 172
An qui surripit aliquid de manu furis, quod inique sustulerat, teneatur illud eidem restituere. eodem
An qui bona fide rem alienam accepit à fure titulo oneroso, scilicet per emptionem, debeat semper vero rei domino restituere. 173
An Titius qui bona, vel mala fide accepit aliquid à latrone, quod furto sustulerat, vt illud traderet Caio, qui non est verus dominus teneatur illud dare vero domino, an vero Caio, cui fur mandauit. eodem
An bona ablata à personis ecclesiasticis sint eisdem restituenda, an vero ecclesiæ. eod.
An debitor restituens creditori sui creditoris, quod debet, sit à restitutione immunis. 174
Quisnam sit, & dicatur vere dominus incertus, & ignotus. 175
Cuius expensis facienda sit hæc legitima indagatio veri domini. eodem
Quando dominus est incertus, & ignotus, cui facienda sit restitutio. eodem
Quid nomine pauperum hoc loco intelligatur. 176
An talium bonorum distributor teneatur pauperioribus, & melioribus erogare, an vero sit satis dare indigentibus. 177
An qui post factam distributionem incertorum compareat verus dominus, teneatur postea eadem ei iterum restituere. eodem
Sed quid? si adhuc in potestate pauperis extarent in specie, quæ ei in eleemosynam distributa sunt. eod.
An pauper qui bona aliqua incerta apud se habet, possit tanquam vnus è numero pauperum sibi retinere, vel suis cognatis & amicis, vt pauperibus dare. 178
Sed quid? si post sufficientem diligentiam adhibitam verus dominus appareat, an teneatur is qui eiusmodi bona sibi debito modo applicauit, eadem ei iterum restituere. 179
Sed quid? si per iniquitatem eiusmodi bona in eius potestatem deuenerint. eodem
Quanam authoritate sint bona prædicta eroganda pauperibus. eodem
An consuetudo aliquorum Episcoporum, qui in constitutionibus synodalibus restitutionem horum bonorum sibi soliti sunt reseruare, sustineri possit in aliquo casu. 180
Quo iure huiusmodi bona, quorum dominus diligenter quæsitus non apparet, sint restituenda pauperibus, iure naturali, an vero tantum positiuo. eodem
An pro huiusmodi bonis, quæ distribuenda sunt pauperibus authoritate Summi Pontificis possit fieri compositio. 181
An Episcopus possit facere compositionē cum his qui sunt suæ diœcesis. eod.
An si facta legitima compositione, præter spem appareat is, ad quem ea bona attinebant, teneatur debitor illi restituere, ac si compositionem non fecisset. eod.
An si præmissa debita diligentia dominus non compareat, possit inuentorem inuentam tuta conscientia sibi retinere, an vero teneatur eam pauperibus erogare. 182
An res inuentæ infidelium, vel in peccato mortifero morientium sine hæredibus, sint in vsus pauperum erogandæ. 183
An inuentor rei amissæ possit pro inuentione petere, & accipere pretium à domino rei. eod.
Quo loco, & quibusnam expensis facienda sit restitutio domino absenti. eodem
Cuius expensis facienda sit restitutio, quando est debitor ex contractu, vel quasi contractu. 184
An depositarius quando in alium locum remotiorem domicilium transtulit, teneatur propriis expensis depositum ad dominum mittere. 185
An quando aliquis mutuo dedit in vno loco, & præter spem in alium migrat teneatur mutuatarius suis expensis mutuum ad illum mittere. eodem
Cum quantis expensis teneatur debitor Domino absenti transmittere debitum. 215
An qui in India mutuauit mille aureos ea conditione, vt certo tempore elapso posset eos petere à mutuatario in India, vel vbicunque terrarum inueniretur, an postea in Sicilia repertus, teneatur soluere integros mille aureos, an vero possit deducere cambia vel sumptus quibus mutuatarius pecuniam ex India in Siciliam deportauit. 187
Cui nam res pereat, quando absenti missa, casu fortuito, vel malitia portarij ad eum non peruenit. 188

Quoniam

Quonam modo facienda ſit reſtitutio. eodem
Vtrum homo teneatur ſtatim reſtituere. 189
Quando,& quoties peccat de nouo,qui longo tempore detinet alienum. eod.
An grauius peccet, qui per annum variis vicibus furatur mille,quam qui tantumdem per totum annum detinet. 191
Quomodò gerere ſe debeat confeſſarius cum eo, qui debet reſtituere magnam pecuniæ ſummam, & non vult illam ſimul reſtituere,cum poſſit commode, ſed per partes tantummodo ſcilicet vnam partem hoc menſe, aliam alio. 192
Sed quid ? ſi confeſſarius præfatam dilationem concedat, & debitor per partes reſtituat : an tunc confeſſarius creditori ad aliquid teneatur. eodem
An ſi debitor nunquam aliter ſit reſtituturus niſi per partes, confeſſarius poſſit eum inuito creditore abſoluere. eodem
Vtrum reſtitutioni obnoxius ſit abſoluendus, non præmiſſa reali reſtitutione. 193
An qui ter, vel quater, aut aliquoties promiſit eidem confeſſario, vel diuerſis ſtatim reſtituere,& non fecit,ſi iterum ad confeſſionem accedit,debeat abſolui, antequam actu reſtituat. eod.
An licitè poſſit abſolui, qui habet animum non reſtituendi in vita, ſed ſolum in articulo mortis. 194
An qui commodè in articulo mortis poteſt reſtituere, non vult tamen ipſe reſtituere ſtatim, ſed illud mandat ſuis hæredibus, vt quam primum reſtituant abſolui poſſit. eodem
An pœnitens teneatur ſemper in hac materia confeſſario obedire. 195
Quæ,& quotnam ſint cauſæ, quæ omnino, vel ad tempus à reſtitutione excuſant. eod.
An impotentia reſtituendi excuſet debitorem à reſtitutione, eod.
An cum vitæ periculo teneatur debitor reddere alienum, domino exiſtente in eodem periculo. eodem
An in tali caſu liceat alicui priuato rapere panem ab alio inferiore exiſtente in æquali neceſſitate,vt ſubueniat iſti homini Reipub. valde neceſſario. 196
Quid?ſi Titius promitteret tali die reſtituere, & deinde eodem die fortaſſis inueniretur in extremis,teneretur ne tali die reſtituere.eo.
An caſu extremæ neceſſitatis,teneatur debitor potius ſubuenire parentibus quam creditori æqualiter periclitanti quando vtriſque ſubuenire non poteſt. eodem
Sed quid?ſi creditor,& liberi, aut vxor debitoris æqualiter periclitarentur. 197
Sed vtrum in caſu poſito, poſſint etiã præferre creditori fratrem, vel inſignem amicũ, qui vitam ſuam pro mea periculo obiecit. eod.
An qui in extrema neceſſitate poſitus, aliena rapuit,veniens ad pinguiorem fortunam ad reſtitutionem teneantur. eod.
An ſi Titius in extremo periculo, dum fugit hoſtem, vtatur equo alieno, & continuat equum perire, teneatur equi æſtimationem refundere. 199
An reſtitutioni obnoxius teneatur cum probabili periculo famæ, vel vitæ reſtituere. eodem
An cum detrimento rei familiaris teneatur homo reſtituere debita iuſtè, vel iniuſtè contracta. 280
An hæres ſuccedens patri in bonis iniuſtè acquiſitis teneatur reſtituere cum graui iactura ſui ſtatus. 204
An ſi reſtitutio putentur creditori, vel alteri nocitura, poſſit differri. eod.
An in hoc caſu teneatur debitor reſtitutionem differre eod.
An interdum teneatur debitor ex iuſtitia differre reſtitutionem. 205
An debitor teneatur ſe vendere, vt reſtituat. eodem
An debitor teneatur aliis deſeruire, vt reſtituat. eodem
An reſtitutioni obnoxius teneatur manibus labotare,vt reſtituat. eod.
An debitor teneatur mendicare,vt ſtatim reſtituat. eodem
An debitor cum probabili periculo ſalutis ſuę, vel ſuorum teneatur ſtatim reſtituere. 206
An ceſſio bonorum à reſtitutione excuſet. eodem
An qui ſecundum leges bonis ceſſit, poſſit tuta conſcientia pro ſe & ſuis neceſſaria retinere,ne cogatur mendicare. eodem
An qui hoc modo ſuis bonis ceſſit,teneatur integrè ſatisfacere, quando ad lautiorem fortunam venerit. eodem
An creditoris remiſſio ab obligatione reſtituendi excuſet. 207
Quid ? ſi poſtquam Iudex delegatus reſtituit, pars ſibi illud re donet? An poſſit illud retinere. 208
An vt remiſſio ſit efficax,requiratur,vt debitor actu offerat pecuniam in præſentia creditoris. eod.
An vt debitor immunis ſit à reſtitutione, requiratur vt ſit parati animi ad reſtituendum. 209
An ſolutio facta creditori creditoris à reſtitutione excuſet. eodem
An debitor per ingreſſum Religionis, & profeſſionem ab obligatione reſtituendi ſit liber. eod.
An interitus rei debitæ à reſtitutione excuſet. 211
Sed quid ? ſi res eodem modo apud dominum

num peritura esset post moram, sicut perit apud debitorem. eodem
Quando obligatus ad aliquid soluendum dicatur esse in mora. eodem
Aliquando terminus est restitutioni præfixus, possit tunc restiturio fieri ante illum terminum. eodem
An creditor iure possit petere debitum ante tempus solutioni præfixum. 212
An excommunicatio creditoris excusset debitorem ab obligatione restituendi. eodem
An debitor possit omittere, vel differre restitutionem, quia ipse est excommunicatus. 213
An iuris, aut Iudicis authoritas à restitutione excuset. eodem
An compositio cum Summo Pontifice omnino à restitutione excuset. eodem
An compensatio facta creditori per æquiualens aliquod commodum, eidem ipsi creditori collatum, à restitutione excuset. 214
An compensatio fieri possit etiam in delictis. eodem
An debita iustitiæ cum beneficiis gratuitis recompensari possint. eod.
Quid? si Titius pactum faciat cũ Caio vt procuret illi aliquam præbendam in curia Romana, dicens se soluturum expensas, si Caius postea per intercessionem amicorum illam impetret gratis. An possit Caius in recompensationem eius, quod debet ex iustitia Titio, hanc sibi gratuitam impetrationem dare. eod.
An præscriptio canonica ab obligatione restituendi excuset. eodem
An ignorantia probabilis tam facti, quam iuris quod res sit aliena, & non propria à restitutione excuset. 215
An dubium æquale, quo quis post debitam diligentiam adhibitam ad indagandam veritatem, adhuc dubitat.
An res, quam possidet sit sua an non, à restitutione excuset. eod.
An creditorum incertitudo à restitutione excuset. eod.
An in casu, in quo licitum est debitori prorogare restitutionem, teneatur à creditore remissionem, aut facultatem petere ad ita restitutionem prorogandam. eodem
An debitor vnà cum debito teneatur resarcire damnum quod ob dilatam restitutionem sequitur creditori. eod.
Quo ordine facienda sit restitutio. 216
An creditor cuius res titulo venditionis transiit in dominium debitoris, habita fide de pretio soluendo præferri debeat omnibus aliis creditoribus. 218
An debitum certum personale proueniens ex delicto sit prius soluendum, quam debitum proueniens ex contractu licito. eod.
An quando plura sunt debita ex delicto, prius soluenda sint, ea quæ ex maiori iniuria sunt contracta. 219
An debita ex contractu oneroso soluenda sint prius quam debita ex legatis, vel promissionibus. 220
An expensæ funeris soluendæ sint prius quam omnia alia debita habentia expressas, vel tacitas hypothecas in bonis defuncti. eod.
An debita per hæredem contracta sint prius soluenda, quam legata etiam pia relicta per testatorem. eod.
An quando plures sunt creditores, & hæreditas non sufficit, præferendus sit in solutione debiti, creditor qui est tempore prior, an vero pro rata omnibus satisfaciendum sit. eo.
An debitor intuitu amicitiæ, vel gratitudinis licitè possit vni creditori, quem ipse maluerit prius restituere, etiam si nullus creditorum ante alios petat debitum suum. 221
An inter creditores personales tantum non habentes priuilegium prælationis, pauperior sit præferendus ditiori. eod.
An debitor qui ordinem relatum, & à iure sancitum non seruat, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. 222
An creditor qui non seruato ordine prædicto procurat sibi fieri restitutionem, & de facto fiat, neglecto eo, cui solui deberet, teneatur ipse aliis creditoribus acceptum restituere. eodem.

De *contractibus in genere.*

Disputatio V.

Quid sit contractus. 222
Quot modis contractus diuidatur. 223
An contractus bonæ fidei, & stricti iuris inter se distinguantur. 224
Quinam possint contractus celebrare. 225
An pupillus possit contractus celebrare. eodem
An pupillus possit se obligare naturaliter sine Tutore. eod.
An minor 25. annis Curatorem habens, possit sine ipsius authoritate contrahere. eodem
Ex qua culpa teneatur quis ad restituendum damnum illarum in contractibus. eodem
Quid? si res sit dubia, an commodatarius commiserit culpam leuissimam an non. 227
An commodatarius qui accipit pecuniam pro custodia rei commodatæ, teneatur restituere rem, quæ periit sine culpa sua, etiam casu fortuito. eodem
Sed quid? si res sit dubia, an depositarius commiserit culpam latam an non. eod.
An depositarius qui pro custodia depositi pretium accipit, teneatur ad restitutionem de leui culpa. 228

Digitized by Google

An si locator vel conductor pretium accipiat pro conseruanda re locata, vel conducta, teneatur ratione illius pretij etiam de leuissima culpa. eod.
Quid si in locato &c. dubium sit, an res perierit culpa leui, vel casu fortuito. eod.
An in contractibus aliquis teneatur ad resarciendum damnum secutum ex casu fortuito. eodem
Sed Quid? si esset dubium, an casu fortuito, vel culpa aliqua, commodatarij res perierit, an non. 229
Sed Quid? si bona fide putauit se facere volente domino. eod.
An secundum conscientiam teneatur resarcire damnum, vbi mora, vel culpa casum antecessit, si res commodata esset eodem modo peritura apud dominum, quemadmodum periit apud commodatarium. eod.
An cum quis in vniuersum se obstringit ad omne periculum, & non exprimit casum fortuitum, teneatur ex casu fortuito. eod.
Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem damni ex quasi contractum. eodem
An qui facit officium gratis, teneatur aliquando etiam ex leui culpa ad compensandum damnum in bonis sibi commissis. 230
An qui ob mercedem, seu lucrum facit officium in vtilitatem alterius teneatur aliquando ad restituendum damnum ex leuissima culpa. eod.
An qui locat operas suas in rebus tractandis, aliquando teneatur ad damnum recompensandum etiam ex leuissima culpa. eod.
An omnia supradicta de culpa leui, & leuissima sint vera de iure naturali, an vero solum de iure positiuo. eod.
An huiusmodi leges, quæ præcipiunt restitutionem damni dati ex culpa leui, & leuissima, obligent in conscientia ante Iudicis sententiam. eod.
An in delictis teneatur quis ad damnum sua culpa datum solum ex lata culpa, an etiam ex leui, & leuissima. eod.
An culpa lata obligans ad restitutionem debeat esse mortifera. 232
An saltem in hoc casu sub veniali sit obligatio restituendi. eod.
An in quasi delictis, quis ex leui & leuissima culpa teneatur ad restituendum damnum. eodem.
An contractus, cui deficit aliqua conditio, & solemnitas iuris sit validus. 233
An necessarij sint duo testes, vt talis contractus ad pias causas valeat in foro conscientiæ. eodem
An contractus ad causam profanam celebratus sine solemnitate iuris sit validus. eod.
An leges ciuiles de facto id definiant, & statuant. eod.
An contractus per errorem celebratus sit validus. 234
An contractus simulatus sit in vtroque foro nullus. eod.
An propter pretij in æqualitatem contractus dici possit simulatus, ac proinde nullus. eodem
An contractus dolo celebratus sit validus. 235
Sed Quid? si neuter contrahentium dolum in contractu fecit, sed alius quispiam, an tunc talis contractus sit validus. eod.
Vtrum in conscientia fas sit, altera parte repugnante, à contractibus recedere. 236
An in foro conscientiæ, & secundum ius Pontificium, liceat à contractibus innominatis recedere. eod.
An contractus per metum celebratus sit ipso iure validus. 237
An metus sit cadens in virum constantem, si hæc mala in persona filij timeantur. 238
An metus reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum &c. ad metum cadentem in virum constantem pertineat. eod.
An metus leuis sufficiat ad reddendum contractum inualidum. 241
An extorta per metum leuem, sint necessario restituenda. eod.
An metus reuerentialis sufficiat ad inualidandum contractum, & ad inducendam obligationem restitutionis. 242
An metus reuerentialis, aliusve qui ad metum cadentem in virum constantem non attingit, sufficiat ad reddendum votum inualidum. eodem
An renunciatio beneficij metu facta, sit valida. 243
An collatio beneficij metu facta ab Episcopo, sit valida. eod.
An contractus alias inualidus, iuramento confirmetur. eod.
An contractus, qui licet sit de se licita, iure tamen ciuili est irritus, iuramento confirmetur. 244
An minor possit petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum alioqui de iure irritum, validauit. 245
An id, quod fit contra pactum, conuentionem, vel contractum iuramento confirmatum valeat. 246
An iuramentum vi, vel alia iniuria extortum sit validum. eod.

De emptione, & venditione.

Disputatio VI.

Quid sit emptio, & venditio. 246
An quando pro re vendita vt pro agro datur pecunia in partem pretij, & res alia, vt equus, id sit emptio & venditio, an potius permuta

Digitized by Google

permutatio, contractusve alius innominatus. 247
Sed quid? si vtrumque sit æqualis valoris, vel ferè æqualis, vt si pro agro ducentis aureis æstimato dentur centum aurei, & equus aliis centum æstimatus. eod.
Qua ratione pretium rerum, quæ venduntur, constitui, & taxari debeat. eod.
Quotmodis in vniuersum soleat pretium constitui. 248
An liceat interdum cariùs vendere, aut vilius emere, quam valeat. 250
An in casu, quo res quæ venditur, plus valet ementi, quam vendenti, possit venditor eam pluris vendere, quam in se valet. 251
Sed quid? si affectio illa sit solum imaginaria, vel nullo nixa fundamento consentaneo rationi, vel ex nimia cupiditate, ex qua putat pluris valere rem suam. An possit tunc rem illam cariùs vendere, quam secundum se valeat. eodem
Quomodo cognosci potest tempore dante pretium excessiuum, intende re donare excessum vel venditorem viliùs vendentem, intendere defectum pretij condonare. 252
An qui vendit ex officio possit pro maiori pretio vendere, quam alij, qui non ex officio vendunt. eod.
Sed quid? si res vtilior sit vendenti, quam emẽti, poterit ne cariùs vendi ratione talis vtilitatis, quam communiter valeat. 254
Vtrum res, quæ magis deseruiunt ad ornatum & splendorem, quam ad necessitatem, quales sunt lapides pretiosi, accipitres, falcones &c. tanti valeant, quanti vendi possunt. 255
Vtrum venditor sciens mox superuenturam magnam copiam mercium, ob quam earum valor paulo post minuetur, possit eas merces, quas habet, tanti vendere, quanti in præsenti æstimantur, absque peccato iniustitiæ, restituendique obligatione. 256
Quid si emptor ignoret illam superuenturam copiam, venditor vero eam sciat. An tunc venditor possit id dissimulare, totumque pretium, quod in præsenti currit pro mercibus accipere ab eo, qui similes merces ad eas seruandũ, vel postea aliis vẽdendũ emit, ex quo emptor notabile damnũ patietur. eo.
Quid? de eo qui vt seipsum ditaret, occasione huius superuenturæ copiæ, plus mercium distraheret, quam alioqui erat distracturus. eodem
Sed quid? si equus statim post effectam venditionem pereat ex aliquo occulto morbo, quem venditor inuincibiliter ignorabat, teneatur ne vendens pretium acceptum ementi restituere. 257
Sed quid? si emptor exprimeret se propterea emere tali pretio, quia credit venditorem verum dicere circa futuram copiam. eod,
Sed quid dicendum, si ego sciam aliis prorsus ignorantibus ingentem mercium copiam aduectam iam esse, aut decretum Principis, quo pretium mercium minuitur, iam enim constitutum, licetne pretio antiquo eatenus vsitato vendere. 259
An qui nouit mox authoritate publica Principis, vel Reip. pecuniæ valorem fore minuendum, possit interim suam monetam distrahere pretio currente. eod.
Sed quid? si Regis, vel Ciuitatis consiliarius, vt se ditaret, occasione huius legis propediem publicandæ, plus monetarum distraheret, quam alioqui erat distracturus. eod.
An liceat carius iusto pretio vendere pecunia credita, quam numerata. eod.
An ratione lucri cessantis, vel damni emergentis liceat carius iusto vendere pecunia credita, quam numerata. 260
An labores necessarij sint à lucro cessante deducendi. 262
An liceat vendenti, carius vltra limites iusti pretij vendere expectata solutione, ex eo quod merces pluris ei stant, quam sit pretium currens. eod.
An liceat merces carius iusto pretio vendere ad creditum, ob periculum, cui mercator sic vendens se exponit non recuperandi pretium. 263
An qui vendit ad terminum, possit aliquantulùm augere pretium vltra rigorosum, ratione expensarum, quas probabili sanè ratione timet se facturum in reperendo, & recuperando pretio suarum mercium. 264
An ratione anticipatæ solutionis liceat minoris emere. 265
An liceat emere lanarum copiam anticipata solutione minoris infimo iusto pretio & res illæ tempore traditionis sint valituræ. eod.
An merces maritimæ, quæ non possunt vendi nisi expectata pecunia, aliàs non posse iustum percipi pretium, possint vendi carius expectata pecunia propter modum vendendi magna quantitate, quam venderentur pecunia præsenti in parua quantitate. 267
An liceat emptori cum venditore pacisci, vt teneatur illi vendere merces pretio infimo, quo tempore traditionis valebunt. eod.
An liceat pro minori pretio emere pagas acerbas, ideſt debita soluenda in posterum, quando emuntur pretio anticipato videlicet ante tempus constitutum. 268
An possit ipsemet debitor suum debitum quod alteri debet, minoris extinguere, eo quod soluat ante tempus constitutum 269
An debita in futurum soluenda, possint interdum redimi dimidio pretio. 270
Vtrum si sciam occultè debitorem meum non esse soluendo, possim alicui qui id ignorat vendere illud debitum pretio currente. eod.

An

An quis domum ſuam vendere queat ea lege vt emptor cogatur ipſam domum locare eidem venditori. eodem
An quis poſſit rem ſuam vendere eo pacto, vt emptor eam alteri vendere nequeat 271
An ſeruaturus merces in tempus futurum, in quo ſolent illæ magis valere, poſſit eas maiori pretio vendere, quam de præſenti tempore contractus valent. eod.
An talis venditor ſeruaturus triticum vſque ad aliquod tempus poſſit taxare pretium de præſenti, ſoluendum in futurum, dicendo dabis mihi quatuor pro ſacco, quia ad tempus maioris valoris ſeruabam illud. 272
An qui volebat deferre merces ad locum vbi plus valebant, poſſit eas vendere plus hic, vbi minus æſtimantur. eod.
An mercator qui non erat merces ſeruaturus vſque ad tempus, in quo plus erant valituræ poſſit illa carius vendere, quam ſit pretium fori eo tempore, quo vendit. eod.
An qui emit triticum tempore, quo carius valet, nempe tempore hiemis, recipiendum tamen tempore æſtatis quo vilius æſtimabitur, poſſit illud vilius mercari, quam valet tempore, quo emit, ſcilicet hiemis 274.
Quomodo in hoc caſu taxandum ſit pretium. eodem
An Titius poſſit vendere merces pretio currente ſoluendas pro tali tempore cum pacto quod ſi tempore ſolutionis pretij, plus valebunt, teneatur emptor dare illud plus, quod ſi minus valebunt, teneatur dare pretium currens, quo nunc valent, & ementur. eodem
An eccleſiaſtici qui legibus ſecularibus non ſunt ſubiecti, ſtatutis æſtimatoriis pretij rerum venalium ſubiiciantur. eod.
An ſicut venditor tempore quo maius pretium de facto poſſet inuenire, tenetur vendere pretio à lege impoſito: ita quoque tempore quo vilius in communi foro venditur triticum maiori pretio. i. taxæ, poſſit illud diuendere. 275
An quando in Prouincia pretium tritici eſt lege poſitum, & nihilominus paſſim pluris venditur, quam lex ſtatuit, & nullus punitur licet à pretio legis excedere. eod.
An vt violatio legis iuſti pretij reddat tranſgreſſores tutos in conſcientia, ſufficiat ſcientia, & patientia Præſidis cuiuſcunque Prouinciæ. 276
An ſi Præſes Prouinciæ voce præconis proclamare iubeat, vt vnuſquiſque triticum ſuum vendat tanti, quanti voluerit, is qui plus illud vendit, quam ſit pretium taxatum à lege immunis ſit à peccato, & obligatione reſtitutionis. eodem
An forenſes cum triticum ſuum vendunt in loco, vbi prædicta lex viget, comprehendantur. eod.
An ſi paſſim agricolæ plures expenſas faciunt in tritico ſeminando, & colligendo, poſſint tuta conſcientia carius vendere, quam ſit pretium à lege taxatum. eodem
An qui emit boues ab eo, qui realiter illos non habet, & deinde certa penſione eos eidem locat ſit vſurarius. eod.
An Titius qui emit granum tempore meſſis, pretio currente, cum pacto vt tot menſuræ reddantur in menſe Maij ſit vſurarius 277
An liceat contrahentibus ſe circumuenire circa pretium. eodem
Quomodo intelligenda ſit deceptio vltra dimidium iuſti pretij. 278
An contractus, in quo res venditur pluris, vel minoris quam valet, ſit in conſcientia validus. eod.
Sed quid? ſi contractus mala fide celebretur, & pars læſa nulla neceſſitate compulſa vendit pro pretio iuſto minori, aut emit pro pretio maiori iuſto. An tunc defraudans ad aliquam reſtitutionem teneatur. eod.
An emens merces citra dimidium iuſti pretij faciat fructus ſuos. 279
Quando duobus in ſolidum ex interuallo res aliqua venditur, cui magis debeatur. eod.
Quid faciendum quando primus emptor habet titulum emptionis: ſecundus vero cui tradita res eſt titulum donationis. 280
An ſi res empta pereat, aut deterior fiat, pereat aut deterior reddatur emptori, an potius venditori. eod.
An qui carius vendit indigenti pecunia merces ad creditum, vt iterum eas emat viliori pretio ab eodem cui eas vendidit, ſit iniuſtus, & vſurarius. 281
An qui vendit merces, quæ valent mille aureis, hoc pacto, vt qui emit eas, vendat alteri, & lucrum ſit commune, ſit iniuſtus. eod.
Vtrum is, cui traditum eſt aliquid vendendum poſſit aliquid de pretio retinere. eod.
An venditor poſſit percipere fructus rei venditæ ante pretij ſolutionem. 283
An contractus, quo Petrus vendit vineam Ioanni & tradit ei, ea tamen lege, vt pretium ſit in depoſito apud Ioannem, quouſque poſſeſſio aliqua inueniatur æqualis bonitatis, quæ ex eo pretio ematur: & interim dum talis poſſeſſio non inuenitur, Ioannes teneatur reddere Petro venditori annuam penſionem iuxta fructuum vineæ valorem, ſit licitus. 285
An Petrus poſſit vendere fundum ſuum, Antonio, & loco, & iure pignoris retinere fundum à ſe venditum, donec Antonius ſatisfaciat Petro. eod.
An qui vendit ad creditum, poſſit paciſci cum emptore, vt ſi intra terminum non ſoluerit tranſacto

Digitized by Google

transacto termino possit venditor in pœnam rei venditæ fructus percipere. eod.
An si vendens sua culpa factus sit impotens ad soluendum debitum, teneatur soluere pœnam. 286
An pœna conuentionalis, quæ adhibita est in contractu, causa coarctandi debitorem ad soluendum tempore conuento ante Iudicis mandatam in conscientia debeatur. eod.
An huiusmodi pœna post moram incursa, sit in conscientia soluenda antequam à creditore exigatur. eod.
An qui ex impotentia Inculpabili omisit restituere tempore debito teneatur in conscientia impositam pœnam exoluere. eod.
Quodnam sit iustum pretium rerum, quæ in publica subhastatione venduntur. eod.
An venditores possint aliquando tuta conscientia aliquem supponere, vt pretium augeat. 287
An pretium legitimum sit seruandum, dum emitur sub hasta, & voce præconis. eod.
An in casu, quo venditio rescinditur, pecunia quæ solet dari in arrham, debeat etiam restitui. eod.
An Iudex licitè possit cogere aliquem ad aliquid vendendum. eod.
An quis compelli possit ad aliquid emendum. 288
An Respublica ius habeat vendendi frumentum ciuibus eodem pretio, quo emerat. eod.
An venditor teneatur emptori rei vitium detegere. eodem
Quid si vitium sit per se notum, & patens illud tamen emptor non aduertit debeat venditor emptorem monere, si vitium fuerit nociuum vel faciat rem inutilem. 289
An qui vendit triticum, vel vinum, aut aliquid aliud, quod scit cito corrumpendum, possit occultato vitio, præsenti pretio illud vendere. 290
An quando vitium facit rem venalem inutilem venditori, sed non emptori possit tuta conscientia venditor tale vitium occultum reticere. 291
Sed quid? si cognita veritate, emptor adhuc emisset, non tamen pro tanto pretio. eod.
An qui vendit equum, ac dicit se nolle teneri de vitiis occultis, & postea aliquod comperiatur, ratione talis vitij occulti teneatur aliquid restituere. 291
An venditor teneatur explicare defectum rei quæ ipsi ementi inutilis est, & nociua, aliis tamen vtilis, & proficua. eod.
An liceat aliquando rem alienam vendere, non patefaciendo hoc vitium, quod scilicet sit aliena. eod.
An qui fert librum aliquem decreto inquisitoris Sancti officij postridie fore condemnandum, possit tanti illum vendere, quanti secundum vsum fori æstimatur. 295
An bona causa maleficij confiscanda, possit reus per venditionem distrahere. eod.
An hæreticus siue quiuis alius criminis reus, cuius pro tali crimine ipso iure confiscata sunt bona, possit ea diuendere. eod.
Sed quid? si tale crimen occultum creditur mansurum, neque ad aures fisci peruenturum, atque adeo nunquam emptorem esse re tali priuandum. eod.
An bona ipso iure confiscata, possit reus donare etiam in casu quo suum crimen in publicum veniret prodendum. eod.
An aurifices & argentarij possint licitè vendere ad auri, vel argenti pondus, eas mixturas alterius metalli, quas auro, vel argento immiscent pro iuncturis vasis conglutinandis. eodem
An mercator possit licitè vendere triticum cum eo puluere, & glebulis terreis, cum quibus communiter solet portari ab area, & messe. 294
An contractus, in quo venditur res defectuosa pro integra occultando illius defectum sit validus. eod.
An emptor teneatur manifestare virtutem mercis quam venditor ignorat. 296
Quid de eo iudicandum, quod aliquando accidit, rusticus vendit gemmam minus iusto pretio, eo quod ignorat eius valorem, & emptor eius valorem cognoscens, dicit, ego à te eman tanti gemmam istam, si tu sponte mihi remittas, si fortè amplius valet. 297
An aliquando liceat venditori minuere mensuram mercium puta vini, vel olei? eod.
An qui se deceptum reperit in contractu emptionis, vel venditionis, possit secretè sibi recompensare. eod.
An negotiatio qua quis rem aliquam mercatur eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucretur, sit licita. 298
Quotnam sint modi, quibus negotiatio secundum se licita potest vitiari. eod.
An negotiatio qua res indifferentes venduntur quibus homines sæpe vtuntur ad malum finem, sit licita. 299
An clerici possint agros alienos conducere, & per operarios eos colere, fructusq; colligere, vt eos vendant ac lucrentur. 301
An clerici possint per interpositas personas negotiari. 302
An clerici in sacris constituti, beneficiarij, & Religiosi vniuersi exercentes negotiationem, quæ propriè mercatura est, peccent mortaliter. eod.
An clerici negotiantes teneantur in conscientia soluere vectigalia. eod.
Quænam negotiatio sit illa, quæ fieri in ecclesia veretur. 303
Vtrum negotiari in ecclesia sit peccatum mortale.

Digitized by Google

mortale. cod.
An primum genus monopolij sit licitum. 304
An hi peccent contra iustitiam, & ad restitutionem teneantur. 305
An secundum genus monopolij sit licitum. eodem
Quodnam sit futurum iustum pretium mercium in hoc casu, quando illi iterum eas vendent. 306
An tertium monopolij genus sit licitum. eod.
An quartum genus monopolij sit licitum. eo
An si postquam per huiusmodi monopolia iniusta pretium commune mercium creuit, alius horum monopoliorum expers, suas merces eodem pretio sic auctio licitè vendere possit. eodem
Quid de eo iudicandum, quod Venetiis aliquando accidisse fertur. Titius per literas sibi missas, venit in cognitionem, quod in sequenti anno aromata futura erant cariora, qui proponens tacitè omnia aromata ea de causa emere, literas conscidit, ac proiecit; Caius tamen ex fragmentis literarum collectis, atteque compositis rem colligens prius emit, & lucrum præripuit. Quæritur nunc an Caius ad aliquid restituendum Titio teneatur. 307
An vero idem dicendum sit in eo euentu, quo Titius existens Neapoli scribit Caio existêt. Siracusis, quod Neapoli multum valet frumétum. An vero Caius his literis fidē adhibens, multum frumenti Neapoli transmisit, vbi comperiens literarum falsitatem grauem iacturam recepit. 308
Sed quid? si huiusmodi literæ ipsi Caio non fuerint directæ, sed alteri, & Caius ex curiositate eas aperuit, ac legit, & fidem eis adhibens, fuisset magnam iacturam passus. eodem.
Quid? si Titius animo nocendi alteri, literas finxit, quasi sibi missas ab amico, in quibus continetur quod non est frumentum in Sicilia, easque apertas, dedita opera eo in loco posuit, vbi Caius euentum legit, & fraudis inscius omnem copiam frumenti, quam ibi reperit, comparauit, vnde grauem iacturam recepit. eodem
An in hoc casu teneatur ad aliquam restitutionem. eod.

De contractu emptionis, & venditionis cum pacto de retrouendendo.

Quid sit contractus emptionis, & venditionis cum pacto de retrouendendo. 308
An contractus cum pacto de retrouendendo in fauorem venditoris sit licitus. 309
An emptio cum pacto retrouendendi, fructibus in sortem non computatis sit licita. eo.
Quodnam sit iustum pretium rei, quæ venditur cum pacto de retrouendendo. eod.
Quantum possit minui iuste de pretio ex contemplatione huius pacti. eodem
Quanto tempore durat hoc pactum redimendi. eod.
Quotnam conditiones requirantur ad iustitiam huius contractus. 310
Sed quid? si tempore redemptionis res vendita plus, vel minus æstimetur, quam eo tempore, quo est vendita, valeat. eod.
An pactum, vt venditor maiori pretio redimat, aliquando sit iustum. eod.
An liceat possessionem emere cum pacto de retrouendendo, & postea interim donec redimatur, locare eam venditori pro certo affictu scilicet pensione. 311
An possit pactum apponi, vt si venditor intra certum tempus non redemerit, res vendita remaneat irredimibilis. eod.
An pactum de retrouendendo venditioni appositum ad instantiam emptoris, & in sui vtilitatem, ita vt in potestate emptoris sit reuendere, sit licitum. eodem
An pactum retrouendendi contractui venditionis appositam in fauorem vtriusque ita vt in potestate venditoris sit redimere, & emptoris reuendere, quando voluerit, sit licitum. 312
Quisnam eorum plus onetis sustinere cogatur, emptor, an venditor. eod.

De contractu societatis.
Disp. VII.

Quotnam sint species societatis. 312
Quid sit societas negotiationis. 313
Quot modis societas contrahi possit. eod.
An contractus societatis sit iustus, & licitus. eodem
Quotnam sint conditiones, quas ad societatem licitam, ac iustam Doctores exigunt eodem
Ex qua culpa seu negligentia socius socio ad restitutionem teneatur. 314
An ad partitionem lucri, vel damni sit habenda ratio quantitatis pecuniæ. 315
An si in societatate pecunia pereat, soli eam conferenti pereat. eod.
An finita societate, principalis pecunia salua, & integra manens, pertineat tota ad eum qui illam contulit in commune. 316
Sed quid? si non appareat vtrum primo, an secundo modo societas contrahatur. eodem
Sed quid? si nec de consuetudine constet, nec contractuæ sint, voluerint ne primo, an secundo modo contrahere. eod.
An societas contrahi possit ea lege, vt pecunia capitalis sit ita communis cum socio, qui tantum operam, vel industriam ponit, vt finitis negotiis inter eos diuidant si integra permaneat. 317
An liceat deducere in pactum, vt si pecunia

Digitized by Google

perierit, damnum sit commune. eod.
Ad societas contrahi possit eo pacto, vt si sors principalis, quam vnus ex sociis in commune contulit, aliquo casu fortuito perierit, eam alter socius reficere teneatur. 318
An in societate licitum sit pactum, vt qui? v.g. ponit mille in societatem, non possit ex illis amittere nisi centum, sed neque lucrari nisi centum. eodem
An Titius cum Caio societatem coire possit ea conditione, vt Titius qui solam operam & industriam in commune confert, certam pecuniæ partem habeat, quamuis inde nullum sit lucrum, vel sors principalis in omnem pereat. eodem
An Titius cum Caio possit societatem inire cum pacto, vt Titius suo periculo suscipiat pecuniam Caij, & certam lucri partem Caio reddere teneatur, reliquum vero lucrum sibi sumat. 319
An Titius cum Caio possit societatem coire ea conditione, vt Titius soluto ei stipendio, saluam præstet pecuniam Caij, & quotannis certum lucrū paruum Caio reddere debeat, residuo lucri sibi retento. eod.
An omnes illi tres contractus licitè fiant cum eodem socio & semel pro eodem tempore. 320
Vtrum omnes hi contractus debeant formaliter, & expressè fieri. 321
Quomodo cognosci possit in societate tacitè contineri hos tres contractus, quando cum vno solo contractu expresso societas contrahitur. eod.
An liceat, & sit vera societas, si Caius vt cautiorem redderet Titium mercatorem in suæ pecunia conseruanda diceret ei fictè, volo vt totum periculum pecuniæ quam tibi tribuo sit tuum, cum tamen habeat animum participandi damnum. 322
An Titius cum Caio possit societatem coire, ea conditione vt ex quadrigentis aureis, quos Titius in commune confert, trecentorum periculum & lucrum Caius suscipiat, reliquorum vero centum tam periculum, quam lucrum spectet ad Titium. eod.
An Titius qui suam operam, & industriam in commune collocat, possit à Caio iusto stipendio securitatem illius postulare. eod.
An qui contrahit societatem cum alio, quam bona fide credit esse iustam, licet vsurariam prauitatem contineat, consueta tamen in regione illa, peccet. eod.
An etiò ille non peccet, teneatur lucrum vsurarium restituere. eod.
Ex cuius bonis faciendi sint sumptus in societate necessarij. 323
An ex sumptibus itineris deducendū sit, quod domi manens insumpsisset. eod.
An si ad conseruationem mercium communiū, aut sortis principalis, aut ad acquisitionem lucri opus sit, facere sumptus aliquos, teneatur socius de suo marsupio, vel mutuo ab amicis accepto, eos præstare. eod.
An teneatur ex iustitia. 324
Quæ damna in societate debeant esse communia. eod.
An vt rectè fiat diuisio lucri, necessarium sit, vt extrahantur eleemosynæ, quæ fuerunt datæ, vt Deus dignaretur præbere negotio prosperum finem. eod.
Vtrum sumptus quos facit socius, qui operam, & industriam suam collocat domui suæ manens, propriis bonis debeat illos facere. 325
Quænam sit origo, & institutio societatis officiorum eod.
Quornam sint conditiones requisitæ, vt iste contractus sit iustus, & licitus. eod.
Societas animaliū quomodo contrahatur. 326
An talis societas sit licita. eod.
An societas coiri queat eo pacto, vt si animalia casu fortuito perierint, alter socius teneatur ex suo ea supplere. eod.
An tale pactum vt scilicet is cui dantur animalia suo periculo suscipiat, sit contra naturam, & substantiam societatis. eodem
An saltem societas contrahi possit eo pacto vt si animalia casu perierint, ea soluere socius debeat, non quidem vi societatis, sed vi alterius contractus scilicet assecurationis. eod.
An societas contrahi queat ea lege, vt animalia quæ dantur, vtrique contrahentium sint communia, ita vt periculum & damnū animalium vtrique socio sit commune. eodem
An Titius cum Caio possit societatem inire, ea conditione vt si ex centum ouibus, quas Titius in commune confert, aliquæ perierint, teneatur Caius totidem subrogare ex fœtibus, itaut quandiu societas durauerit, conseruentur, & reliqui fœtus inter ipsos æqualiter diuidantur. 327
An tale pactum sit contra naturam, & substantiam societatis. eod.

De contractu depositi.
Disp. VIII.

Quid sit depositum. 327
Quinam possint depositum deponere. 328
Quinam possint depositum suscipere. eod.
Quænam res deponi queant. eod.
An depositarius possit contra deponentis voluntatem deposito vti. eod.
Ex qua culpa depositarius teneatur, si depositum pereat, aut deterius fiat. 329
An aliquando depositarius teneatur etiam de leui culpa. eodem
An aliquando depositarius ex culpa leuissima teneatur. eodem
An aliquando depositarius ex casu fortuito teneatur. 330

An

An æstimatio in depositio faciat, vt depositarius de casu fortuito teneatur. eod.
An valeat pactum, vt ex dolo depositarius non teneatur. eodem
An Tabernarius, Magister nauis, & similes suscipientes res deposito, teneantur de culpa leuissima. eodem
An depositarius in casu quo rem depositam, & res suas simul saluare non potuit, teneatur de re deposita hac de causa pereunte, si suas saluet. eodem
An depositarius teneatur reddere depositum ei qui illud deposuit. 331
Sed quid? si dominus repetat pecuniam apud alterum depositam, vt eam prodigat, vel luxuriosè viuat, vel ludat ludo illicito, vel denique si repetat ob finem sibi tantum nociuum, non alteri. eod.
An in casu, quo dominus repetit depositum ob finem alteri noxium, teneatur depositarius lege charitatis, an vero lege iustitiæ restitutionem depositi differre. eod.
An dominus possit rem suam apud alium depositam clam surripere. 332
An in depositio locum habeat compensatio. eodem.

De contractu accommodati.

Disp. IX.

Quid sit commodatum 333
Quotuplex sit commodatum. eodem
Quinam possint commodare. eodem
An Religiosus possit commodare. eod.
Quinam possint commodare. eod.
Quænam res commodari queant. eod.
Ex qua culpa commodatarius teneatur, si res pereat, aut deterior fiat. 334
An omnia supradicta sint specialia in commodato, an vero generaliter competant aliis contractibus. eod.
An commodatarius teneatur de casu fortuito. 335
An commodatarius teneatur compensare, si res commodata eodem modo peritura fuisset apud dominum, quemadmodum periit apud commodatarium. eod.
An casu, quo res commodata traditur æstimata, commodatarius teneatur de omni casu fortuito. eodem
An valeat pactum, vt commodatarius ex lata culpa, aut de alia leui non teneatur. eod.
An vtens re commodata in alium vsum, quam ad quem fuit commodata, contra Domini voluntatem, peccet, & ad restitutionem teneatur. eod.
An commodatarius qui absque sua culpa non potuit vti re sibi commodata intra tempus tacitè, vel expressè conuentum, possit finito illo tempore eo vti sine licentia commodantis alio tempore. 336
An commodans rem vitiosam teneatur de damno subsecuto commodatario. eod.
An commodator reuocare possit commodatum ante tempus completum, pro quo fuit concessum. eod.
An impotentia excuset commodatarium à mora restituendi rem commodatam, ac per consequens excuset à restituendo interesse damni emergentis, & lucri cessantis ex tali mora ortum. 337
An commodatarius qui non potest saluare res proprias, & commodatas, quia comburitur illi domus, possit præferre, & anteponere suas. 338
An liceat commodanti, vt se seruet indemnem pacisci cum commodatario, quod si non reddatur illi commodatum intra certum terminum, teneatur commodatarius soluere certam quandam pœnam. eod.
An pœna conuentionalis, quæ posita est de consensu partium, obliget in conscientia ante Iudicis sententiam 339
An in commodato locum habeat compensatio. eodem.
An si commodatarius fecit aliquas expensas circa rem commodatam possit illas exigere à commodante. eod.
An ad restitutionem teneatur, qui rem commodatam per nuncium misit, & res periit. eodem.

De contractu locationis.

Disp. X.

Quid sit locatio. 341
Quid sit conductio. eod.
Quisnam locare, & conducere possit. eod.
Quibus personis res locari possint. eod.
Quænam res locari possint. eod.
An res, quæ vnico actu consumuntur, vt pecunia, panis, vinum, oleum, & similia locari queant. 342
An res ecclesiæ possint à legitimis administratoribus locari. eod.
An res ecclesiæ locari valeant ad tempus quodcunque infra decennium. eod.
An locatio rerum ecclesiæ facta vltra triennium sit ita prohibita, vt si facta sit ad quinquennium, vel sexennium sit irrita. eod.
An huiusmodi locatio sit solum irrita quo ad annos residuos vltra triennium, an verò absolutè quo ad omnes. eod.
An si locationes rerum ecclesiæ ad sexennium, vel nouennium fiant sub hac clausula vt tot sint distinctæ locationes, quot triennia, sint validæ, non tantum pro primo, sed etiam pro reliquis trienniis. 343
An huiusmodi constitutio sit moribus vtentium recepta. eodem

Digitized by Google

An beneficiarius sui beneficij fructus possit locare, aut vendere vltra triennium. eod.
An clericus habens capellaniam fundatam in certo prædio, possit illam elocare vltra triennium. eodem
An sacerdos possit locare suas operas pro diuinis officiis dicendis. 344
An conductor qui rem locatam dimittit ante tempus locationis expletum, teneatur integram soluere pensionem. eod.
An si quis locauit operas suas alteri, neque stat per ipsum, quominus eas perfoluat, sed per conductorem teneatur conductor ad integram mercedem. 345
An merces locationis debeatur si cõductor casu fortuito impeditus re conducta vti non potuit, si alteri ea locanda non erat. eod.
An si conductor relicta re locata, se aliò contulerit ob graues, & periculosas inimicitias, debeat integram soluere mercedem. eod.
Ex qua culpa conductor possessionis, teneatur locatori. 346
An pactum, vt conductor non teneatur ex dolo sit validum. eodem
An pactum teneat, vt conductor ex leuissima culpa, vel casu etiam fortuito obligetur. eo.
An aliquando conductor ex casu fortuito teneatur. eodem
Ex qua culpa teneatur locator. eodem
An locans rem vitiosam, de damno subsecuto conductori teneatur. eod.
Sed quid? si is qui bona fide rem apertè vitiosam locauit, postea dubitet, an vitium tempore locationis à conductore fuerit cognitum. 347
An propter superuenientem fructuum sterilitatem, locator teneatur conductori remittere pensionem. eod.
Quot, & quibus euentibus nulla fit remissio pensionis conductori in casu sterilitatis. 348
Sed quid? si sterilitas per culpam famuli conductori ministrantis eueniat. eod.
Sed quid? si conductor non seminauit, vel negligenter coluit prædium, & aliàs ex casu fortuito fructus non protulit, poteritne conductor à soluenda pensione excusari. eod.
An renunciãs casibus fortuitis in genere, censeatur renunciare rarissimis, & extraordinariis, de quibus nullus omnino esse poterat timor in ea regione, quia inauditi in ea erant à quadraginta annis, aut ab hominum memoria. 349
Sed quid? si fructus à solo separati in area pereant, tenebiturne conductor soluere pensionem eodem
Quanta esse debeat vbertas præcedentium, aut sequentium annorum, vt locum habeat compensatio sterilitatis. 45
An si aliquo anno sit extraordinaria fertilitas, conductor teneatur augere pensionem locationis. eod.
Quot, & quibus euentibus locator possit ante finem locationis inuitus conductorem è re locata mouere. 351
Quid? si domus Titio incipiat esse necessaria, non quidem pro se, sed pro patre, vel auo, vel filio. eod.
Quid? vero si Titius tempore locationis, aliam domum, in qua habitaret, non habebat, poteritne domum locatam à conductore repetere. eod.
An in his casibus, in quibus expellitur conductor, locans teneatur remittere pensionem pro rata temporis, quo re conducta non vtitur. 352
Num in his prædictis euentibus possit locator propria authoritate absque Iudicis officio conductorem expellere. eod.
An locator resarcire teneatur expensas, quas conductor fecit. eod.
An conductor possit impensas repetere, quas fecit, eo quod soluit gabellas, & sustinuit alia onera imposita rei locatæ. 353
Quodnam sit iustum locationis stipendium. eodem.
Quo tempore sit soluenda locationis pensio. eodem.
An locationis renouatio præsumatur ex patientia, & taciturnitate domini permittentis conductorem lapso tempore conuento continuare. eod.
Quid? si locauerim agrum in triennium, an singulis annis transactis, si sciens patior in eodem agro permanere, eò ipso iterum loco in triennium, an solum in annum sequentem. 354
Quantum tempus requiratur, vt locator censeatur tacitè renouasse contractum in annum sequentem. eod.
An conductor qui re ad vnum vsum locata cõtra voluntatem saltem tacitam, aut debitam locatoris, ad alterum vsum vtitur, peccet peccator furti. eod.
Vtrum is, qui cum sociis domum conduxit, possit loco sui cameram patremvè eius, in suum vsum conductam pro eodem tempore alteri locare. eod.
An qui operas suas locauit ea lege, vt interuiat certo alicui monachorum conuentui, crescente familia monachorum, possit petere augmentum salarij. eodem.
An quando consuetudine patriæ, vel lege Principis, aut statuto Reip. merces famulis solutur, eam soluere domini teneantur, etiamsi tempore locationis nulla facta fuerit pactio de mercede. 355
Quid? si domini eam soluere renuant. eod.
An qui famulãtur domino, solo victu, & vestitu contenti, possint aliquid amplius exigere, vel clam ex bonis domini surripere. eod

An

An quando quis eo pacto domino famulatur, vt à domino certam aliquam artem addiſcat, poſſit dominus ab eo maiora ſeruitia exigere, ita vt ei tempus addiſcendi non relinquat. eodem
An quando quis abſque vlla mercede adductus ſola ſpe alicuius beneficij, vel officij conſequendi famulatur, eam ſoluere dominus teneatur, ſi poſtea eum nullo beneficio afficiendum curauerit. eod.
An dominus qui ſine iuſta cauſa è domo ſua famulum expellit ante conſtitutum tempus, integram mercedem ei ſoluere teneatur. 356
Ad quid teneatur famulus, qui ante finitum tẽpus ſine iuſta cauſa à domino recedit. eod.
An famulus qui ſe locauit per annum, & per partem tantum ſeruiuit non complens annum, finito tempore conductionis, teneatur omiſſum tempus ſupplere. eod.
An famulus qui promiſit inſeruire per annum, poſſit petere dimidiam partem ſtipendij, ſi poſtea non ſeruiuit ei niſi per dimidium anni, & hæc fuit pars hiemalis. eodem
Ex qua culpa famulus, & dominus teneantur. eodem
An famulus qui caſu fortuituo ſibi impedimento fuit, quo minus ſuas operas præſtaret, ad ſe tamen præparandum aliquas fecit expenſas, poſſit illas repoſcere. eod.
An conductor teneatur ſuis ſumptibus curare famulos, vel operarios, ſi poſtquam ſunt conducti, grauiter in domo eius ægrotent. eodem.
An qui locat oues & boues, poſſit obligare cõductorem ad reddendum ea animalia ſibi locata æquè integra, & ſana. 357
An ſit vſura locare boues ad colenda prædia, ſub certo pretio, hac tamen lege, vt conductor olim boues eiuſdem ætatis, quam habebant iſti, qui conducti ſunt tempore conductionis, reddere teneatur. eodem
An ſit licitum emere ab alio aliqua animalia, quæ ſcit ipſum non habere, & poſteà item de nouo locare illa pro certa mercede. eod.
An vbi terminus locationis non eſt ab initio contractus conſtitutus, poſſit locator cum damno conductoris equum locatum reuocare. eodem
An locator poſſit præter penſionem ſtipendij aliquid aliud accipere propter periculum mortis, cui probabiliter ipſius conductoris culpa ſuum equum exponit. 358
An conducens equum, liber maneat à cuſtodia equi, ſi pereat, quando eius locator pro cuſtodia eius mittit ſuum famulum. eodem
An cuſtos carceris ſit immunis à cuſtodia carceris, quando poteſtas publica parum de cuſtodia eius fidens, mittit ſatellites ſuos ad cuſtodiam. eodem
Quid? dicendum de eo, qui conduxit equum, eo pacto vt ſolum ſeptem leucas quotidie in eo conficeret: confecit vero octo, & mortuus eſt, tenebiturne reſtituere pretium illius locatori. eodem
An ſi conductor equi decepit eum locatorem, qui eum expreſſa conuentione locauit ad id agendum vt quatuor diebus ex Taurino ad Mediolanum, ipſe autem accelerans iter, confecit illud in tribus, teneatur reſtituere valorem illius locatori, ſi eum interire contigerit. eodem
An ſi locans nauim ad merces aſportandas, tranſtulit merces in aliam nauim ſine conſenſu domini mercium, & hæc alia nauis periit, teneatur ad reſtitutionem. eodem
An res locari poſſit eo pacto vt conductor rem locatam ſuo periculo ſuſcipiat. 359
An quando locatio ſit cum tali pacto, tranſeat in venditionem. eodem
An conductor teneatur ex culpa eorum, quorum miniſterio vtitur. eod.
An locare domos meretricibus, vſurariis, ac cæteris ſimilibus ibi ſuis ſceleribus vacaturis, ſit licitum. eod.
An famulus qui videt alium famulum rem aliquam domeſticam ſuffurari, & tacet, ad reſtitutionem teneatur. 360

De contractu emphyteuſis.
Diſp. XI.

Quid ſit emphyteuſis. 361
An emphyteuſis à venditione differat. eod.
An emphyteuſis à locatione differat. eod.
An emphyteuſis à contractu liuellario diſtinguatur. eod.
Vtrum emphyteuſis à contractu cenſuali diſtinguatur. eod.
An emphyteuſis ſit contractus nominatus. 362
Quinam poſſint emphyteuſim accipere. eod.
An eccleſia, collegium, vel ciuitas poſſint emphyteuſim accipere. eodem
Quinam poſſint in emphyteuſim dare. eod.
An emphyteuta iure poſſit rem acceptã in emphyteuſim, alteri dare in emphyteuſim. eod.
An Prælatus poſſit concedere bona eccleſiæ in emphyteuſim. eodem
Quando res cenſeatur dari ſolita in emphyteuſim. 363
An ſi prædium eccleſiæ datum in emphyteuſim, eo quod ſterile eſſet, & deinde opera, & induſtria emphyteutæ factum ſit fertile, poſſit iterum dari in emphyteuſim, finita prima emphyteuſi. eod.
An arbores iure dari queant in emphyteuſim. eodem
An redditus annuus perpetuus in emphyteuſim dari poſſit. eodem
In quibus caſibus emphyteuta amittit ius ſuũ,

Digitized by Google

quod eſt dominium vtile. eod.
Quando emphyteuta non ſoluens penſionem à ſuo iure cadit. eod.
Quomodo biennium hoc, trienniumve ſoluendæ penſionis ſit computandum. eodem
An ſi res emphyteutica ſit magna, & penſio ſoluenda parua, vt vnius ſolidi, & illa termino præfixo omittatur ſolui, incidat emphyteuta in commiſſum. eod.
An emphyteuta qui ſoluit quidem quo quotannis penſionem, ſed non totam, per omiſſionem minimæ partis totius penſionis, quãuis paruæ, incidat in commiſſum, ita vt rem totam amittat. eod.
An ſi ſint multi emphyteutæ, & omnes ſoluant ſuas portiones præter vnum, incidant omnes in commiſſum totius rei emphyteuticæ, an vero iſte ſolus qui omittit ſoluere. eod.
An quando plures ſunt hæredes, ad quos res emphyteutica peruenit, & vnus eorum non ſoluit partem penſionis rei illius, quæ ad ipſum ſpectat, cæteris ſuas penſiones ſoluentibus, omnes in commiſſi pœnam incurrant. 365
An vt emphyteuta commiſſi, pœnam euadat, ſatis ſit intra tempus a iure præſcriptum, offerre domino penſionem. eod.
An penſio debeatur, ſi res emphyteutica pereat. eod.
An penſio debeatur, quando res emphyteutica quæ caſu fortuito ex toto periit, denuo cum lapidibus eiuſdemmet domus reparetur. 366
Vtrum emphyteuta alicuius perſonæ particularis, qui intra triennium non ſoluit, poſſit moram ſoluendo purgare, nè incidat in commiſſum. eod.
Vtrum emphyteuta eccleſiæ, qui biennio ſoluit, poſſit ſuam moram purgare. eod,
Intra quantum tempus debeat emphyteuta ſatisfacere ad purgandam moram. eod.
An vt emphyteuta amittat ius ſuum, ſufficiat quod res ſit vendita, etiamſi ſecuta non ſit traditio. 667
An ſi emphyteuta rem vendat, aut tradat ſub hac conditione, ſi dominus conſenſerit, aut ſaluo domini conſenſu, incidat in commiſſum. eod.
An ficta traditio poſſeſſionis ſufficiat ad hoc, vt emphyteuta cadat à iure ſuo. eod.
An emphyteuta qui irrequiſito domino vendidit, & omnino alienauit ius emphyteuticum, atque adeo incidit in commiſſum, & poſtea ſtatim illud recuperet, liberetur à commiſſo. eodem.
An emphyteuta in commiſſum incidat ſi ex implicito præſumptóve domini conſenſu rem alienat. eod.
An qui non totam rem emphyteuticam, ſed partem alienauit, irrequiſito domino incidat in commiſſum totius iuris. 368
An abſque domini conſenſu poſſit emphyteuta vendere melioramenta, quæ ipſe ſuo labore, & induſtria in re emphyteutica fecit. eodem
An emphyteutæ liberum ſit ius ſuum videlicet vtile dominium, meliorationeſque illius alteri dare, domino non admonito. eod.
An emphyteuta poſſit ius ſuum in dotem tradere. eod.
An emphyteuta poſſit ius ſuum in ſolutum dare, vel cum alia commutare, citra domini conſenſum. 369
Ex qua culpa emphyteuta teneatur. eod.
An ſi emphyteuta in commiſſum incidat, amittat ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit. 370
An emphyteuta poſſit repetere expenſas, quas fecit in re emphyteutica. eod.
Quænam dicendæ ſint hoc loco paruæ, quænam magnæ expenſæ comparatione rei, ac fructuum. eodem
An ſi res emphyteutica augeatur, propter hoc augeri debeat penſio. eod.
An liceat emphyteutæ locare rem emphyteuticam irrequiſito proprietario. eodem
An emphyteuta, qui non ſoluit penſionem tempore à iure præſcripto, ipſo facto commiſſi pœnam ſuſtineat. 371
An emphyteuta, qui ob ſuam culpam in commiſſum incidit, expelli à proprietario poſſit authoritate propria, nulla expectata iudicis ſententia. eodem
Quo anni tempore emphyteuta teneatur ſoluere penſionem. eodem
An laudemium ſit domino directo ſoluendum, dum res emphyteutica ad alium tranſit per venditionem eodem
Quis teneatur ad ſolutionem laudemij, emphyteuta qui vendit, an qui acquirit rem ipſam emphyteuticam. eodem
An ſi res emphyteutica in alterum tranſeat per donationem, vel legatum, laudemium debeatur. eod.
Quota pars pretij alienationis rei emphyteuticæ, in laudemium ſit ſoluenda directo domino. eod.
An lex de ſoluendo laudemium ſit pœnalis, ita vt non debeatur in conſcientia, niſi poſt iudicis ſententiam. eodem

De contractu fideiuſſionis. Diſp. XII.

Quid ſit de fideiuſſio. 373
Quotuplex ſit fideiuſſio. eodem
Quot modis fideiuſſor poſſit ſe obligare. eod.
Quinam poſſit pro alio fideiubere. eodem
An Religioſus poſſit eſſe fideiuſſor pro alio. eodem.
An mulieres poſſint eſſe fideiuſſores. 374
An mulier poſſit non vti beneficio velleiani. eodem.

An

An clericus possit fideiubere pro laico. 375
An clericus possit fideiubere pro alio clerico, vel ecclesia. eod.
An fideiussor licitè possit exigere pretium à debitore pro fideiussione. eod.
An quando fideiussor in fide iubendo nihil periculi subit, nec molestiam, aut laborem patitur, moderatum aliquod pretium recipere possit pro fideiussione. eodem
An creditor licite possit aliquod pretium accipere vt fideiussorem liberet ab obligatione, qua se obstrinxit fideiubendo pro debitore. 376
An si fideiussor creditori vsuras soluat, à debitore eas repetere possit. eodem
An si creditor terminum solutioni præfixum proroget in fauorem debitoris fideiussor liber maneat ab obligatione fideiussoria. eod.
In quibus casibus fideiussor teneatur satisfacere creditori pro debitore principali. eod.
In quibus casibus possit conueniri fideiussor ante excussionem principalis. 377
An debitor teneatur compensare damna, quæ passus est fideiussor, eo quod pro ipso soluerit creditori. eod.
An fideiussor ante tempus solutionis debiti possit licitè agere contra debitorem, vt liberet eum ab obligatione fideiussoria. eod.
An fideiussor possit in plus obligari, quam principalis debitor. eod.
An quando fideiussor ad amplius obligatur, quam debitor principalis, inualida sit talis fideiussio solum quo ad excessum, an vero sit omnino nulla. eod.
An si fideiussor qui se ad amplius obligauit, quam debitor principalis, obligationem suã iureiurando confirmet, ad totum teneatur. 378
An si fideiussor suam fideiussorem iuramento confirmet, conueniri possit, nulla facta excussione principalis debitoris. eod
An singuli fideiussores teneantur in solidum eodem
An creditor possit pacisci cum debitore hac ratione. Tu eras daturus Titio decem, vt suo periculo susciperet pecuniam, quam mihi debes, da mihi ergo ista decem, vt te liberem ab onere constituendi Titium fideiussorem. eodem

De contractu pignoris, Disp. XIII.

Quid hoc nomen pignus significet. 379
Quid sit pignus. eodem
Quot modis pignus accipiatur. eodem
Quot modis pignus seu hypotheca contrahatur. eod.
Quibus de causis tacita hypotheca contrahatur. eodem
Quænam possint, vel non possint impignorari. 380
Quinam possint res pignori, aut hypothecæ subiicere. 381
Quot, & quæ obligationes ex pignore oriantur. 382
An debitor teneatur soluere vtiles expensas, quibus pignus effectum est melius. eodem
Sint ne aliqui casus, in quibus pignoris vsus creditori permittitur 383
An creditor computare debeat in sortem fructus agri sterilis, sibi dati in pignus, quem non colebat dominus antea, quia sterilis reputabatur. eodem
An creditor teneatur computare in sortem non solum fructus, quos pignus iam attulit, verum etiam quos tulisset, negligentia tamen ipsius creditoris non tulit. 384
Quinam sint huiusmodi fructus computandi. eodem.
An creditor qui habitat domum sibi oppignoratam, teneatur eam pensionem soluere, quam ipse soluisset pro domo, quam alio qui conducturus erat, an vero eam quam ex ea domo accepturus fuerat ab alio conductore, cui domum locasset. 385
Sed quid? si creditor nullam aliam domum conducturus erat, & nihilominus voluit domum sibi pignori traditam habitare, an tunc debeat eam pensionem in sortem computare, quam accepisset, si eam domum alteri locasset. eodem
Sed quid? si nullus adsit, qui velit eam domum pignori obligatam conducere, & ipse creditor domum habitet, ne deformetur absque habitatore relicta. eodem
An creditor qui pignus ab alio accepit, possit illud alteri oppignorare. eod.
An pignoratarius possit pignus diuendere, si pretium rei non soluatur. 386
Quibus de causis fructus pignoris in solutione debiti non computantur. eod.

De contractu assecurationis. Disp. XIV.

Quid sit assecuratio 386
Quotnam modis contractus assecurationis fiat. 387
Ad quam speciem contractus, assecuratio reducatur. eodem
An contractus assecurationis sit licitus. 388
An idem qui mutuat, possit pecuniam, quam mutuauit, aliò cum periculo transferendam, assecurare. eodem
An esto sit vsurarium mutuare pecuniam traiiciendam per loca periculosa, ea lege, vt mutuatarius mutuantẽ, & non alium illius pecuniæ assecuratorem eligãt, teneatur mutuans restituere pretium acceptum pro præstita securitate. 389
Quotnam conditiones requirantur, ad hoc vt contractus assecurationis sit iustus. eodem

Digitized by Google

An qui nullas habet merces in naui, ſed fingit eas habere, poſſet petere illas ſibi aſſecurari. eodem
Quid? ſi Titius exiſtens in Sicilia, præcipiat Caio commoranti in Lisbona, vt in tali nauigio ad ſe mitteret centum choros tritici, exiſtimanſque venturos, petiit aſſecurari eos à Seio, aſſignato iuſto ei pretio. An ſi nauis illa pereat, teneatur Seius valorem integrum illarum mercium Titio reſtituere. 390
An merces nulli periculo expoſitæ, poſſint licitè pretio aſſecurari. 391
Quodnam ſit iuſtum pretium in aſſecuratione. eodem
An qui actu nihil de ſuo habet, nec prudenter ſperat in breui ſe habiturum bona, vnde perſoluat, ſi merces aſſecuratæ perierint, poſſit ſtipendium aſſecurationis recipere, ſi nauis ſalua applicauerit ad portum. 392
Sed quid? ſi contraheret quidem cum illo, ſed non ſub tanto pretio, & ſuam inopiam ſciuiſſet. eodem
An ſi iſte aſſecurator habeat tantum in bonis, quingentos aureos, poſſit aſſecurare quantitatem vt mille, accepto pretio iuſto aſſecurationis illorum mille. eodem
An qui pro pretio aſſecurat nauem nauigantem ad vnum portum, ſi poſtea dirigat nauis curſum ad alium, vbi ſubiit naufragium, teneatur iacturam illius ſoluere. 393
An vita hominis liceat aſſecurari. eod.

De contractu Precarij.
Diſp. XV.

Quid ſit precarium. 394
An precarium, & commodatum diſtinguantur. eodem
Quinam poſſint precario dare, & accipere. 395
In quibus rebus precarium conſiſtat. eod.
An is qui precarium dedit, poſsit ſuo arbitratu, etiam ſine vlla cauſa illud reuocare. eod.
An is qui precarium dedit, poſſit illud reuocare ſtatim, ac conceſſum eſt. eod.
Vtrum poſſit aliquid precario concedi cum hoc pacto, vt non repetatur, niſi finito toto tempore, pro quo concederur. eodem
Ex qua culpa teneatur precatarius. eod.

De vſuris. Diſputatio. XVI.

Quid ſit mutuum. 396
An mutuum, & commodatum differant. eod.
Quotuplex ſit mutuum. 398
An mutuum aliquando ſit de præcepto. 399
In quibus caſibus iure cogimur mutuare. eodem
Quid hæc vox vſura ſignificet. eod.
Quid ſit vſura. 400
Quotuplex ſit vſura. 401
An vſura ſit prohibita. eod.
Quo iure vſura ſit prohibita. 402
An in Euangelio apertè ſit vſura prohibita in illo loco Luc 6. Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes. eod.
An Princeps ſecularis vſuram in Republica permittens peccet. 403
An vſura fuerit Iudæis permiſſa tanquam minus malum, ad euitanda maiora incommoda, an vero potiùs permiſſa fuerit tanquam licita. eodem
An Dei authoritate fuerit licitum Iudæis vſuras accipere ab alienigenis, ſeu gentilibus, an vero ſolum fuerit illis permiſſum vſuras accipere impunè. 404
An ratione mutui aliquod lucrum liceat ſperare. 405
An qui animo vſurario aliquid accipit vltra ſortem ſine vllo externo pacto etiam implicito, teneatur ad reſtitutionem. 408
Sed quid? ſi durante bona fide, id quod vltra ſortem mutuans accepit, ita conſumpſit, vt nihil ipſius apud ſe retineat, an poſtea cognita veritate teneatur illud reſtituere. 409
An poſtquam mutuator nouerit optimum animum mutuatarij, & gratis, ac liberè ſibi datum eſſe, poſſit illud retinere. eod.
Sed quid? ſi mutuans nolit lucrum ſibi datum à mutuatario vt donum, ſed vt lucrum ex mutuo, tenebitur reſtituere ei, qui dedit, an pauperibus. 410
An in caſu, quo mutuans liberè mutuauit, ſi poſtea mutuatarius dum ei reſtituit ſortem, aliquid ei largiatur, poſſit illud tuta conſcientia retinere, nihil interrogando propter conſcientiam. eod.
An ſit vſura mutuare alteri, ea conditione, vt ille viciſſim ſe obliget ad mihi remutandum tantumdem, quando indiguero. 411
An mutuans qui obligat mutuatarium, vt mox viciſſim ſibi remutet aliam rem, ſit vſurarius. eod.
An ſit vſura mutuare pecuniam alicui hac lege, vt iuſta mercede teneatur colere ſuum agrum, emere ex ſua officina, coquere panem in ſuo furno, ducere triticum ad ſuum molendinum, frequentare ſuam ſcholam, &c. 412
An ſit vſura mutuare, non quidem ſub ea lege, vt mutuatarius teneatur frequentare officinam mutuantis, ſed mutuare interim, dum mutuatarius ſuam officinam frequentet. 413
An ſit contractus vſurarius pro pretio anticipato conducere operas mercenarij. eodem
An ſit vſura mutuare ſub pacto, vt mutuatarius conducat fundum mutuantis. 414
An qui mutuat aduocato, cum pacto vt ratione mutui, ſibi patrocinetur tempore quo indiguerit, iuſta tamen & conſueta mercede, ſit

sit vsurarius. eodem

Ad quid teneatur mutuans, qui obliganit mutuatarium ad frequentandum suam officinam, ad molendum in suo molendino, vel ad præstandum operas suas &c. 415

An sit vsura,si quis mutuet Regi, cum pacto vt ei conferat aliquod officium. 416

An si quis mutuet Prælato cum pacto, vt sibi conferat beneficium, sit vsurarius. eodem

An sit simonia dare mutuum,vt sibi ab Episcopo conferatur beneficium Ecclesiasticum. eodem

An qui ratione mutui acquisiuit aliquod officium temporale à Rege, vel Magnate, teneatur ad illius restitutionem. eod.

An sit vsura mutuare alicui pecuniam ea intentione, vt eius amicitiam, & beneuolentiam contrahat. 417

An sit vsura dicere, mutuo tibi pecuniam cum pacto vt sis mihi amicus, gratus, vel beneuolus. eod.

An sit vsura mutuare pecuniam alicui, vt ex mutuo eius amicitiam contrahat, vt postea ex amicitia sic contracta, lucrum aliquod acquirat. eod.

An sit vsura ex mutuo obligare mutuatarium, vt sibi particularia aliqua signa amicitiæ exhibeat. 418

An sit vsura mutuare alteri ea lege, vt liti cedat,vel aliquod debitum condonet. eodem

An sit vsura mutuare ea lege,vt offensus iniuriam remittat. 419

An sit vsura, si quis mutuet mutuatario gratia recuperandi ab eo aliquid aliud sibi debitum. 420

An saltem sit peccatum, vt quis per viam mutui recuperet sibi debitum, quando via iuridica posset illud recuperare. eodem

An sit vsura ita mutuare,vt teneatur mutuatarius recipere dimidium mutui in pecunia, & dimidium in mercibus, & postea totum teneatur restituere in pecunia numerata.eo.

Sed quid? si mutuator non obliget mutuatarium ad recipiendum in mercibus, sed dicat petenti mutuum, nolo tibi meam pecuniam mutuare, quia volo ea vti ad mea negotia, vendam tamen tibi merces iusto pretio, quibus diuenditis poteris tibi subuenire. An talis contractus sit vsurarius. 421

An liceat mercatori merces, quas iusto pretio pecunia tamen credita vendidit, statim minoris redimere. eod.

An sit vsura mutuare pecuniam cum pacto, vt mutuatarius tempore messis teneatur eam reddere in tanto tritico iusto pretio, quo tunc futurum triticum valebit. eodem

An sit vsura vendere obligationem mutuandi alteri. 422

An sit vsura mutuare fœminæ sub pacto, vel intentione occulta, vt turpes amplexus sui corporis concedat. eod.

An qui mutuat,possit aliquid vltra sortem accipere propter onus,quod sustinet in numeranda pecunia. eodem

Sed quid? si mutuatarius accersat alium à mutuante,qui fideliùs,certiùs, & expeditius eam magnam pecuniæ summam numeret. An possit pro suo labore numerandi pretium accipere. 423

Sed vter eorum pretium laboris soluere debeat,mutuans, an mutuatarius. eod.

An qui tradit pecuniam alicui ad vsum, quo non distrahitur dicta pecunia, sed solum ad ostensionem & pompam, ea lege, vt teneatur eandem pecuniam numero restituere, possit sine vsuræ labe, aliquid vltra sortem accipere. eodem

An mutuans ratione periculi recuperandi mutuum,licitè possit aliquid vltra sortem exigere. eodem

An ratione sumptuum,qui probabiliter timentur futuri in recuperando mutuum,liceat aliquid vltra sortem exigere. 424

An liceat pecuniam mutuare, & pro assecuratione aliquid vltra sortem exigere. eodem

An qui mutuat pecuniam,quam sub vsuris accepit sub hoc pacto, vt mutuatarius vsurario soluat,quod ipse soluturus erat, sit vsurarius. eodem

An sit vsura mutuare frumentum pretio quo in præsenti valet, soluendum tamen postea mense Maij,vel in frumento,vel in pecunia, pro vt mutuanti placuerit. 425

An mutuans ratione obligationis non repetendi mutuum ante certum tempus,possit licitè aliquid exigere vltra sortem. eod.

An qui non repetit mutuum, nisi tempore quo illud maiori pretio æstimatur, peccet, & sit vsurarius. eod.

An quando tempore caritatis annonæ, frumentum est carius, liceat illud mutuare alicui ea conditione vt reddatur iuxta pretium quo valet tempore traditionis. 426

An sit vsura,si quis mutuet frumentum, vel oleum vetus,cum pacto vt mutuatarius tempore messis teneatur reddere nouum.eodem

An qui mutuat centum aureos alicui, & deinde authoritate Principis valor aureorum augetur, possit idem pondus auri exigere, idest totidem centum aureos. 427

Sed quid? si eam mutuans, quam mutuatarius tempore mutui nihil cogitauerunt de auctione, vel diminutione pretij, vel de conseruando eos ad id temporis, aut non reseruando. 428

An habens pecuniã auream,vel argenteã,quam scit,vel probabiliter timet in futurum banniri, vel minorari iuxta ordinationes Principis, vel Reipublicæ, possit citra vsuram eam mutuare alicui, cum pacto, vt

Digitized by Google

ea sibi reddatur secundum eam æstimationem in qua est, quando mutuatur. eodem
An liceat dare alicui centum mensuras panni, cum pacto vt in futurum totidem alias eiusdem speciei restituere teneatur. 420
An qui mutuum accepit in pecunia aurea, vel argentea possit inuito creditore eam restituere in pecunia ærea. eodem
An qui mutuat pecuniam auream, vel argenteam, possit cum mutuatario pacisci, vt tantumdem in pecunia aurea argenteave ipsi restituatur. eodem
An è contrario qui mutuat in pecunia ærea, possit cum mutuatario pacisci, vt auream, vel argenteam pro ea sibi restituat. eod.
An qui dat pecuniam argenteam, pro aurea cum aliquo lucro sit vsurarius. eodem
An qui mutuo dat massam argenteam hac lege, vt tantumdem reddatur in pecunia sit vsurarius. eod.
An qui mutuam accepit pecuniam, possit citra iniustitiam tantundem reddere in frumento, vel oleo inuito creditore. 430
An sit vsura mutuare frumentum, aliamvè rem similem, cum pacto vt mutuatarius teneatur tantundem reddere in eadem specie, vel pondere vel mensura. eod.
Quid? si tempore contractus non fuerit conuentum de reddenda maiore mensura, vel de exequendo pretio, sed tantum de reddendo mutuo, tenebiturne mutuatarius cum pretium decreuerit, maiorem mensuram soluere. 431
An sit vsura mutuare centum, cum pacto vt si mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, sin autem vltra duos annos viuat, reddat duplum. eodem
An sit vsura mutuare pecuniam ea conditione, vt si mutuatarius ad terminum statutum non soluat mutuum, certam pecuniæ summam vltra sortem soluere teneatur. eod.
An pœna conuentionalis post moram incursam ante iudicis sententiam in conscientia debeatur. 433
An hac pœna sit in conscientia soluenda, antequam à creditore in iudicio, vel extra iudicium exigatur. 434
An mutuans ratione damni emergentis possit aliquid supra sortem exigere. eod.
Vtrum ille qui gratis & ex beneuolentia alteri mutuat, possit deducere in pactum, quod probabiliter timet ex illo mutuo sibi imminere. 435
Quotnam conditiones requirantur, vt mutuans licitè possit exigere damnum sibi emergens ex vi mutui. 436
An vter possit in principio contractus, & ipse tempore mutui de illo damno, quod probabiliter timetur euenturum pacisci, siue illud postea eueniat, siue non. eodem
An qui non soluit mutuum tempore præfixo teneatur ad damna, quæ mutuans post illam moram passus est, accipiendo verbi gratia pecuniam sub vsuris. 437
An mutuatarius teneatur resarcire interesse damni emergentis, quando absque culpa sua non soluit mutuũ tempore cõstituto. eo.
An in casu, quo solutioni mutui præfixum sit tempus, sed antequam illud adueniat, mutuans repetat suum mutuum, aliter damnum incursurus; teneatur mutuatarius ad illud restituendum. 438
An fideiussor, qui pro debitore coactus fuit accipere pecuniam ab vsurario, vt satisfaciat creditori, possit vsuram quam soluit vsurario, repetere à debitore. eod.
An in mutuo aliquid vltra sortem exigi possit ratione lucri cessantis eod.
Quotnam conditiones requirantur vt lucrum cessans licitè exigatur. 440
An mutuans possit statim à principio contractus recipere pretium lucri cessantis à mutuatario. 442
An liceat in principio mutui taxare pretium lucri cessantis, ad euitandas lites, quæ tempore solutionis accidere possent. eod.
An ad exigendum lucrum cessans, oporteat vt mutuans potius velit cum pecunia negotiari, quam eam mutuare cum pacto lucri cessantis. 443
An in æstimatione lucri cessantis aliqua sint deducenda. 444
An qui accipit fructus pignoris sibi à mutuatario traditi, illis non computatis in sortem principalem, sit vsurarius. 445
An mutuans teneatur computare in sortem sibi debitam, fructus à se perceptos ex agro pro sorte impignorato, quos mutuatarius non colligebat, nec colligere cogitabat. eo.
An Gener sit vsurarius, qui interim dum dos ei non persoluitur, pignus fruendum accipit, non computando fructus in solutionem principalis. 446
Sed quid? si Gener verè non sustinet onera matrimonij, an tunc possit petere fructus. 448
An si Gener accepto pignore fructifero concedat socero, ne per aliquod tempus dotem soluat, possit facere fructus suos. eod.
An si Gener non accepto pignore concesserit dilationem dotis, possit tunc petere fructus. eodem
An Gener possit percipere omnes fructus pignoris vltra dotem, etiamsi excedant onera matrimonii. eod.
An Gener possit cum extraneo similem contractum inire, illi eamdem pecuniam dotalem mutuando eum pacto vt quandiu mutuum non redditur ab extraneo, aliquid ab eo vltra sortem pro oneribus matrimonij recipiat. 449

An

An vidua ſoluto matrimonio per mortem mariti, vel ſeparata in cauſa diuortij poſſit percipere fructus pignoris, quamdiu ſibi ſua dos non redditur. eod.
An mortua etiam matre, filij eius poſſint ratione dilationis dotis, illos fructus percipere. 450.
An vſurarius dominium eorum comparet, quæ per vſuram acquirit. eod.
Sed quid? ſi mutuatarius iuret ſe velle transferre dominium in vſurarium, cum mentiri non intendat, nec fictè iuret, transferetur ne tunc lucrum in vſurarium. 451
An vſurarius comparet dominium eorum, quæ ex re vſuraria lucratur. 452
An contractus gratuiti, vel oneroſi vſurario, initi ſint validi. eod.
Sed quid? ſi per eiuſmodi contractus fiat impotens in totum, aut ex aliqua parte ad reſtituendum vſuras. 453
An omnia bona vſurarij ſint reſtitutioni obnoxia, & qua obligatione & vinculo. 454
An famuli, vel operarij accipientes ſtipendium ab vſurario, peccent, & ad reſtitutionem teneantur. 455
An vxor, & filij vſuratiorum nihil præter bona vſuraria, & reſtitutioni obnoxia habentium poſſint ex huiuſmodi bonis ſibi victum capere. 457
Ad quid teneatur vſurarius. 458
An vſurarius teneatur reſtituere fructus perceptos, quos tamen dominus rei ob negligentiam ſuam, vel caſum fortuitum non fuiſſet alioqui percepturus. eod.
An vſurarius teneatur reſtituere fructus quos culpa ſua deſiit percipere quos tamen mutuatarius etiam non percepiſſet. eod.
Vtrum hæredes vſurarij teneantur ad vſurarum reſtitutionem. 459
An hæredes teneantur ad reſtitutionem vſurarum vltra vires, & facultates hæreditatis, quam acceperunt. eod.
An ſi duo ſint vſurarij hæredes, quorum vnus aut nolit, aut non poſſit ſoluere, alter vero poſſit, teneatur is, qui potens eſt, in integrum reſtituere. eod.
An vſuratiorum cooperatores, & coadiutores ad aliquam reſtitutionem teneantur. 461
An notarius qui inſtrumentum vſurarium conficit peccet, & ad reſtitutionem teneatur. eodem
An famuli vſuratiorum ad aliquam reſtitutionem teneantur. 463
An in Regionibus vbi vſuræ permittuntur, & libri rationum dati, & accepti vſuratiorum fidem faciunt, famuli amanuenſes, qui in dictis libris ſcribunt contractus omnes, quos exercent ſuorum dominorum, & quidquid aliis conferunt, vel ab aliis recipiunt, teneantur in ſolidum ad reſtitutionem vſurarum. 463
An prædicti miniſtri caſu, quo tenentur vſuras reſtituere, quia exequutores fuerunt contractus vſuratij, magis ſint obligati ad reſtituendas vſuras, quam domini iubentes. 464
An confeſſarius non mouens vſurarium ad reſtitutionem, teneatur loco illius reſtituere. eodem
An qui deponit apud aliquem pecunias, quibus ſit ipſum fœneraturum peccet, & ad aliquam reſtitutionem teneatur. 465
An deponens pecuniam apud vſurarium, non habentem aliam pecuniam, peccet etiam peccato contra iuſtitiam participando cum vſurario in peccato vſuræ, eod.
An liceat mutuum ſub vſuris petere, vel accipere ab vſurario parato exercere omnem vſuram. eod.
An liceat formaliter, & expreſsè petere mutuum ſub vſuris ab vſurario parato ad fœnerandum. 466
An in extrema neceſſitate conſtitutus poſſit licitè petere à diuite non volente gratis mutuare, vt ſaltem mutuet ſub vſuris eod.
An liceat abſque aliqua neceſsitate, vel commoditate recipere mutuum ſub vſuris. 467
An qui accipit mutuum ſub vſuris pro opere, quod eſt veniale, nimirum pro otioſè ludendo, vel epulando peccet mortaliter. 468
An qui accipit mutuum ab vſurario parato vt illud conferat meretricibus, committat duo peccata diſtincta, vnum fornicationis, & alterum ſcandali. eod.
Quotnam ſint pœnæ ſtatutæ contra vſurarios notorios, ſeu manifeſtos. 469
An qui locant domos Iudæis vſuratiis huiuſmodi pœnæ ſubiaceant. 470
Quiſnam in hoc loco per notorium, vel manifeſtum vſurarium intelligatur. eod.
An huiuſmodi pœnæ comprehendant Iudæos, quando ſunt publici vſurarij. eod.
An Princeps non cognoſcens in temporalibus ſuperiorem, peccet ſi authoritate ſua compellat mutuatarios vt vſuras Iudæis promiſſas ſoluant. eod.

De monte pietatis.

Diſp. XVII.

Quid ſit Mons pietatis. 471
Quotnam ſint huiuſmodi Montis præcipuæ conditiones. eod.
An huiuſmodi Mons cum quatuor ſupra poſitis conditionibus ſit vſurarius. eod.
An ſi aliquid ſuperſit ex lucris, quæ vltrà ſortem principalem mutuatarij ſoluunt, Mons poſsit illud iuſtè retinere. 473
Quibus facienda ſit homini reſtitutio. eod.
An dominium Montis ſit tranſlatum in Rempublicam, an potius in Communitatem pauperum. 474

De contractu Censuu.
Disputatio XVIII.

Quid sit census. 475
Quotuplex sit census. eod.
An census,& emphyteusis distinguantur. 476
Ad quod genus contractus propriè census reducatur. eod.
An emptio & venditio census sit licita. eod.
Quot, & quænam conditiones exigantur vt census sit licitus. 477
An census constitui possit super nuda, solaque censuarij persona. eod.
An stantibus constitutionibus Mart.V. Calixti III. & Nicolai V. census personalis sit prohibitus. 479
An emptio census mixti id est qui partim sit personalis,partim realis sit licita. eod.
An in re mobili vt in vino,oleo, frumento & similib. possit census constitui. eod.
An vbi constitutio Pij V. est vsu recepta, possit census creari in diuersis prædiis separatis alicuius. 480
An beneficiarius possit censum creare in bonis, vel fructib. sui beneficij. eod.
An possit census fundari super re,quæ non fructificat,quamuis fructificare possit. eod.
Sed quid? si res censui suppositа sit talis, vt propter hostium incursus, vel aeris intemperiem locari non possit,nec soleat, quales sunt turres,id est fortilitia quædam,quæ solent retineri pro custodia Ciuitatis. eod.
An census institui possit in re, quæ non reddit tantam vtilitatem, quantum valet census. 481
An id necessarium sit ex natura contractus censualis,an vero solum ex iure Pontificio.eod.
An in re multum fructifera possit imponi census longe minor, quam sit fructus, quæ res illa quotannis reddit. eod.
An in creatione census habenda sit ratio pretij, quo res valet, an vero fructuum, quos res reddit. eod.
An res censualis dicatur reddita infructifera, si duobus,tribus, aut pluribus annis non fructificet. eod.
An possit census fundari in re, quæ solum propter industriam hominum facta est fructifera. eodem
An census possit collocari in alio censu. eod.
An possit census fundari in re onerata alio censu. 483
An census possit constitui in re aliena. eod.
Quid agendum,si quis in re aliena,vel aliis vinculis obstricta,censum restituat. eod.
An feudatarius possit constituere censum in re in feudum accepta. 484
An maritus possit constituere censum in feudo dotali inscia,vel inuita vxore, non quidem in perpetuum,sed ad vitam suam. eod.
An possit constitui census generatim super omnia bona alicuius præsentia & futura, quæ excedunt valorem census. eod.
An census possit institui, soluto pretio illius in alia re, quam pecunia numerata. 485
An ex pecunia iam antea debita, licitè ac validè possit constitui census. 486
An attento solo iure naturali, & diuino iustè possit institui census in foro animæ ex debitis præcedentibus, nimirum ex contractu emptionis,vel mutui,vel ex pensionibus iam excursis. eod.
An possit census constitui ex pecunia credita. eodem
An iure naturali,& diuino id fieri possit. eod.
Quodnam sit iustum pretium census. eod.
An si census vilius minoris iusto pretio emantur, pensiones sint restitutioni obnoxiæ, qua parte superant iustum pretium. eod.
An propter modicitatem iusti pretij cum pacto de retrouendendo,contractus census sit vsurarius. eodem
An ista conditio sit necessaria ex natura contractus. eod.
An pactum vt solutio pensionis anticipatè fiat, possit in aliquo casu licitè fieri. eod.
An si ex vi pacti aliquæ solutioni anticipatè fiant,tales solutiones sint necessario restituendæ. 488
An ista conditio sit necessaria ex natura contractus, an vero solum ex iure scripto humano. eod.
An pactum vt venditor census teneatur ad casus fortuitos, possit in aliquo casu licitè fieri.
An venditor census teneatur soluere tributum Principi, vel Reipublicæ, quod ex re censui subiecta debetur. eodem
An pactum possit apponi, vt debitor census obligetur actione hypothecaria de euictione. eod.
An huiusmodi pactum in contractu census appositum cum iure naturæ congruat. 489
An ista conditio sit necessaria ex natura rei. eodem
An hoc priuilegium conueniat etiam hæredibus domini census, eod.
An hoc priuilegium transeat ad eum cui census donauit, vel vendidit dominus eius. eodem
An huiusmodi priuilegium, quod conceditur censuario super re, in qua est census, duret redempto censu per venditorem, si alteri vendere voluerit. eodem
An per huiusmodi priuilegium dominus census sit præferendus proximiori, qui ratione statuti Ciuitatis habet ius prælationis. 490
A quonam die, ipse mensis debeat numerari. eodem

An

An primus dies illius menſis inter alios dies pro computato haberi debeat. cod.
An ſi cenſuarius, in ſeio cenſualiſta, rem cenſui obnoxiam alteri vendat, ac tradat, talis venditio ſit valida. cod.
An ſi non facta intimatione emptori cenſus de venditione facienda, res vendita fuerit, poſſit emptor agere contra venditorem, pro cenſu ſoluendo. cod.
An debitor cenſus poſſit rem cenſualem in partes diuiſam ſuo libitu, tributiue diuendere, facta prius intimatione cum cenſualiſta, vt is velit emere talem poſſeſſionem ſuper qua eſt impoſitus cenſus emat. 491
An ſi res cenſui ſubiecta in plures haeredes diuidatur, vel pluribus vendatur per partes, poſſit dominus cenſus à ſingulis integram penſionem exigere. cod.
An ſi res cenſualis vendatur minoris aſtimari debeat. cod.
An ſi res cenſui ſubiecta perierat, debitor teneatur annuam penſionem ſoluere. cod.
An haec conditio etiam in cenſu irredimibili, & perpetuo ſit neceſſario obſeruanda. 492
An ſi domus ſuper qua cenſus erat collocatus, omnino corruat, iterumque in eadem area, ex eadem materia alia ſimilis erigatur, cenſus quoque reuiuiſcat cod.
Sed quid? ſi molendinum, in quo poſitus erat cenſus, deſtruatur à domino, ex eo quod aqua mutauit curſum, & conſtruatur ab eodem domino in alio loco prope curſum dictae aquae. cod.
Sed quid? ſi res in qua cenſus erat collocatus, dolo aut culpa debitoris deſtruatur. 493
An poſſit cenſus conſtitui cum pacto, vt ſi debitor cenſus ſit moroſus in ſoluendo, teneatur refundere lucrum, quod ceſſat domino cenſus. eodem
An huiuſmodi pactum cum Pij V. conſtitutione pugnet. cod.
An pactum, quo venditor cenſus ſe adſtringit refarcire damnum emergens, quod ex ſua mora contingit, cum dicta conſtitutione pugnet. cod.
An venditor cenſus poſſit obligari ad aliquam poenam, ſi in ſoluendo fuerit in mora. cod.
An huiuſmodi pactum cum iure naturali, & iure ſcripto communi pugnet. 494
An poſſit pactum adiici, vt ſi debitor cenſus intra certum tempus non ſoluerit, incidat in poenam commiſſi, ſeu amiſſionis rei cenſuariae. cod.
An ſtando in ſolo iure naturali, & diuino tale pactum cum natura cenſus pugnet. cod.
An in contractu cenſus pactum poſſit apponi, vt ſi per biennium non ſoluerit, contractus reſoluatur, & cenſuarius cogatur reſtituere pretium. cod.
An iure naturali, vel iure ſcripto communi huiuſmodi pactum damnetur. cod.
An poſſit pactum apponi, vt ſi debitor cenſui rem cenſualem venalem in tantum ex ipſo cenſum extinguere. cod.
An iure naturali, vel iure ſcripto communi huiuſmodi pactum damnetur. 495
An cenſus conſtitui poſſit cum hoc pacto, vt emptor poſſit repetere pretium à venditore quando voluerit cod.
An iure naturali, & diuino id fieri queat. cod.
Quid? ſi cenſus conſtituatur, vt tenatur quis poſt decennium, non ante. cod.
Verum cum iure naturali, & diuino huiuſmodi pactum pugnet. cod.
An poſſit cenſus ita conſtitui, vt ſi venditor intra certum tempus non redemerit, maneat perpetuus, & irredimibilis. cod.
An pactum poſſit apponi, vt venditor intra decennium illum redimere non poſſit, poſt vero illud tempus poſſit. 496
An huiuſmodi pactum in contractu cenſuali appoſitum cum iure naturali, & diuino pugnet. eod.
An poſſit fundari cenſus cum eo pacto, vt venditor ad redimendum cenſum eodem pretio aſtrictus maneat, quando emptori placuerit. eodem.
An iure naturali, & diuino id fieri queat. 497
An poſſit in pactum deduci, vt cenſuarius non poſſit redimere cenſum niſi in totum, non per partes. cod.
An pactum poſſit apponi, vt ſi venditor cenſus velit illum redimere, teneatur redimere maiori pretio, quã fuerit ab initio emptus. 498
An huiuſmodi pactum cum iure naturali, & diuino pugnet. cod.
An cenſus poſſit minoris emi, aut carius vendi, quam fuerit ab initio conſtitutus. cod.
An iuxta conſtitutionem Pij V. cenſus vilius emi poſſit, ac vendi in euentu, quo ex ſe minoris valoris efficitur, aut quia litigioſus, vel difficilis, aut quia alicui periculo expoſitus eſt. 499
An facultas redimendi cenſum conceſſa venditori in locum habeat ſolum in cenſu redimibili. cod.
An qui cenſum vendidit, poſſit dare partem pretij cuidam tertio ea lege vt ſoluat partem penſionis, quae ei parte pretij reſpondet. eodem.
An cenſus extingui poſſit per compenſationem. cod.
An iuxta Pij V. conſtitutionem liceat cenſum extinguere in aliis rebus à pecunia numerata. cod.
An in contractu cenſus liceat adhibere fideiuſſores, vel pignora. cod.
An ex natura rei, hoc eſt, ſecundum ius naturale id fieri queat. cod.
An in cõtractu cẽſus neceſſaria ſit ſcriptura. cod.

An

An gabella debeatur in census venditione cum pacto de retrouendendo. eod.
Quonam tempore annuus census solui debeat. eodem
Quid? si ante finem anni, quando pensio erat soluenda, redemptio census fiat, an tunc integra pensio sit soluenda. 501
In quo loco solutio annuæ pensionis sit soluenda. eodem
An census annualis solui possit in re alia à pecunia. eodem
An census perpetuum ex natura rei sit licitus. eodem
An talis census perpetuus per constitutionem Pij V. improbetur. eod.
An census vitalitius sit licitus. eodem
An ex natura rei semota longe Pontificia census possit constitui ad certum tempus videlicet ad decem vel viginti annos. 502
Ad quod genus contractus, census vitalitius reducatur. eodem
An huiusmodi conditiones vim habeant obligandi non solum in iudicio, sed etiam in conscientia. 503
An prædictæ conditiones sint vbique seruandę. eodem
An dicta constitutio Pij V. per non vsum possit in totum, vel in partem tolli. eod.
An si aliqua ex supradictis conditionibus desit, contractus censualis censendus sit vsurarius, ac proinde nullus. 504
Ad quem spectet soluere mercedem Notario pro instrumento conficiendo, vel transumendo. eod.

De contractu Cambij.

Disp. XIX.

Quid sit cambium. 505
Quotuplex sit cambium. 506
Quotuplex sit cambium reale. eod.
An ars campsoria, quatenus ea lucrum vltra sortem intenditur sit licita. 507
Quinam possint esse campsores. eod.
Quodnam sit iustum lucri pretium in cambiis. eodem
An liceat pecuniam pluris, vel minoris vendere, vel commutare, quam valeat iuxta legis præscriptum. eod.
Quænam sint capita, ex quibus pecunia possit esse maioris, minorisve valoris. 508
An cambiorum negotiatores tuta conscientia possint pro cambio minuto aliquid accipere supra æstimationem pecuniæ à lege definitam. 509
An qui sua sponte absque authoritate Principis officium cambiendi assumit, possit pro cambio minuto incrementum aliquod accipere pro operis, quas in gratiam cambium exigentis impendunt, pecunia numerando. eo.
An si lege positiua cautum sit, ne quis præter publicos campsores pro tali cambio quicquam accipiat, vltra valorem monetæ quam cambit, mortaliter peccet, qui contrafacit, & lucrum quod accipit, in conscientia restituere teneatur. 510
Quid sit dicendum, si ego tradam Titio pecunias aureas, vel argenteas, quibus emat res ad vitæ vsus necessarias, & ille eas commutet cum æneis cum lucro. An possit Titius id lucri iure sibi retinere. 511
An princeps possit pecuniæ valorem augere. 512
Quot modis cambium per literas fieri soleat. eodem
An primum genus cambij, mutui rationem habeat. eodem
An huiusmodi cambium cum aliquo incremento sit licitum. 513
Quot, & quibus de causis campsor ex hoc cambio possit mercedem accipere. eod.
An qui authoritate Principis non fungitur munere, & officio campsoris, possit tuta conscientia ex tali cambio lucrum accipere. eo.
An in hoc cambio liceat lucrum accipere, quando fit de vno loco in alium eiusdem Regni, vel Prouinciæ, vt à Placentia, in Parmam. 514
An cambium ratione interuenientis lucri, vel damni sit licitum. eod.
An cambium quod dirigitur ad locum, vbi campsarius nec pecuniam, nec respondentem habet, qui pro eo soluat, sit iustum. 515
An vt huiusmodi cambium sit licitum, requiratur vt campsarius ipso tempore contractus habeat iam actu, & reipsa pecuniam in loco vbi facienda est solutio. eod.
An campsor in hoc casu possit exhibere campsario suum factorem, qui eo in loco existens pro eo satisfaciat. 516
An tale cambium sit licitum, in casu quo factor campsoris, cambium ex eiusdem campsoris pecuniis persoluit. eodem
An secundum genus cambij, quo campsor primum dat pecunias, vt eas in alio loco recipiat cum lucro, habeat rationem mutui. eo.
An campsor tuta conscientia possit ex tali cambio aliquid lucrari. 517
An cambium ratione officij cum aliquo lucro sit licitum. eodem
An priuatæ personæ, quæ neque ex obligatione, aut ex officio sunt destinatæ à Republica ad cambiendum, possint ex tali cambiendi modo lucrum sibi acquirere. 518
An cambium ratione solius temporis, cum aliquo lucro sit licitum. eodem
An cambium ratione diuersitatis monetæ, vel ratione diuersi valoris eiusdem monetæ in diuersis locis sit licitum. eod.
An si per inaduertentiam, vel ignorantiam aliquis

aliquis talem pecuniam diminutam, vel fictam receperit, possit tuta conscientia illam tradere pro currenti pretio non cognoscenti 519
An campsor mutuans pecuniam, quam ad cambiendum eum labore, & expensis aggregatam habet, possit eam mercedem exigere, ac si pecuniam eandem ad cambium daret. eod.
An campsor semper possit lucrum exigsre, siue auream pecuniam del, vt æream accipiat, siue è contrario det æream, vt accipiat auream. eod.
An cambium ratione copiæ, vel inopiæ totius generis pecuniæ sit licitum. eod.
An campsor qui in nundinis suas occultat pecunias, & cambiorum pretia augeantur, peccet contra iustitiam, teneaturque ad aliquam restitutionem. eod.
An quando fit cambium in mutuam vtriusque cambientis vtilitatem in locis vbi pecunia eundem habet valorem, liceat alteri cambientium aliquod lucrum recipere ab altero. 520
An campsarius possit obligari ad aliquam pœnam, si in soluendo fuerit in mora. 521
An in contractu cambij liceat campsori exigere à campsario fideiussores, vel pignora. 522
An cambium ratione custodiæ, seu depositi cum aliquo incremento sit licitum. eod.
An etiam liceat priuato homini, qui campsoris officium non facit, incrementum ex hoc cambio percipere. eod.
An quando depositarius nomine mercatoris, cuius pecunias apud se habet, alicui alteri soluit aliquam summam, debeat recipere stipendium sui officij & laboris ab eo solum, qui pecuniam deposuit, an vero, an vero possit illud accipere ab illo cui soluit. eod.

De donationibus, & promissionibus.

Disputatio XX.

Quid sit donatio. 523
Quotuplex sit donatio. 524
Quotuplex sit donatio inter viuos. eod.
An donatio remuneratoria sit verè, & propriè donatio. 525
An debiti remissio sit verè, & propriè donatio. eodem
An renunciatio iuris sit propriè donatio. eod.
An solutio promissi sit verè, & propriè donatio. eod.
An donatio mutua sit propriè donatio. eod.
Quinam sint illi, qui donare possunt. eod.
Quinam sint, quibus iure communi interdictum est donare. eod.
Sed quid? si minor 25. annis aliquid malè insumat vltra eam summam, quam Curator illi præscribit. 526
An beneficiarius qui luxuriosè ecclesiæ reddìtus consumit, ad eorum restitutionem pauperibus faciendam teneatur. 527
An beneficiarius tuta conscientia possit sibi retinere aliquid de sibi superfluo vitæ, & decentiæ personæ, pro tempore futuro in pios vsus futuros consumendum. eod.
An nouitij possint facere donationem. 528
Sed quid? si credebat professionem non valere, & nihilominus donauit. eod.
An si nouitius morte præuentus, non potuit emittere professionem, valida sit eius donatio. eod.
An donatio causa mortis facta à nouitio ante, vel post susceptum habitum sit valida. eod.
An serui possint facere donationem. eod.
An pater possit aliquid dare filio nondum emancipato. 529
An donatio patris in filium valeat, si confirmetur morte donantis. eod.
An donatio inter patrem, & filiumfamilias, si iureiurando confirmetur valeat. eod.
An dentur aliqui casus, in quibus donatio patris in filium non emancipatum valeat. eod.
Quid? si filius sit dubius, an pater ei donet ob merita, vel ob meram liberalitatem. 530
Quot, & quibus de causis possit pater reuocare donationem factam filio emancipato. eod.
An filius familias possit aliquid donare patri. eodem
An donatio inter virum, & vxorem sit valida. eodem
An donatio inualida inter coniuges, si iuramento confirmetur, sit valida. 531
An donatio irrita inter coniuges, morte donantis confirmetur. eod.
An donatio remuneratoria inter coniuges sit valida. eod.
An donatio ob causam inter coniuges sit valida. eod.
An vt donatio sit valida, necessario requiratur consensus donatarij. eod.
An donatio, quam apud se homo sola mente alteri homini facit, sit obligatoria. 532
Vnde prouenit, quod donatio interna nullam inducit obligationem in foro conscientiæ. 533
An donatio externa ante acceptationem eius, cui fit, sit obligatoria, ita vt donans in foro poli præstare teneatur donationem, nec licitè possit pro libito illam reuocare. eod.
Vnde prouenit, quod donatio externa ante acceptationem nullam vim habeat obligandi, sed in libertate donantis sit eam reuocare. 534
An donatio nondum acceptata à donatario, iureiurando tamen confirmata, sit valida. eodem
An donatio, vel promissio in pias causas collata etiamsi à nemine acceptetur, sit valida. eod.

An donatio, vel promiſſio exterius quidem facta, ſed tamen abſenti, atque adeo illam ignoranti ſit valida,& obligatoria. §35
Quotnam requirantur,vt donatio, vel promiſſio facta abſenti coram teſtibus, vel per ſcripturam, aut inter nuncium obliget in conſcientia. eod.
Sed quid?ſi poſtquam epiſtolam, vel nuncium ad donatarium,vel promiſſarium miſiſti,reuoces donationem, vel promiſſionem, ipſe vero donatarius, vel promiſſarius inſcius talis reuocationis,eam acceptet. eod.
An poſt mortem donatoris poſſit donatio valide acceptari. §36
Quid? ſi Titius mandauit fieri donationem per ſuum famulum Caio,ſed antequam Caius donationem illam acceptaret, quia famulus iniuſtè eam rem ſibi vſurpauerat, vel quia traditionem, aut manifeſtationem donatario iniuſtè diſtulerat, is qui huiuſmodi donationem fieri mandauit, interim è vita diſcedit. Nunquid talis donatio ſit valida. eodem.
An donatio facta donatario præſenti,& tacenti ſit valida, ita vt donator eam deinceps reuocare non poſſit §37
Quinam poſſint donationem, vel promiſſionem abſenti factam acceptare. eod.
Quid? ſi Titius donaret verbi gratia equum Caio abſenti,notario ſtipulante,& acceptante nomine Caij, ſed antequam Caius eam donationem ratam haberet, Titius eundem equum Meio cum effectu contulit, qui per ſeipſum donationem acceptauit. Quæritur modo,quænam iſtarum donationem ſit præferenda. eod.
Quid? ſi per ſimplicem donationem, vel promiſſionem factam abſenti,ritè tamen ab alio legitime pro abſente acceptatam, me obligem,poſſim tuta conſcientia eam reuocare, ſi is qui pro abſente acceptauit, in reuocatione conſentiat. §38
An antequam abſens,cui donatio,vel promiſſio facta eſt, notario ſtipulante, acceptam habeat donationem,vel promiſſionem,ipſa donatio,vel promiſſio illa ſit perfecta,vt à donante, vel promittente pro libito reuocari nequeat. eod.
An ſi donatarius moriatur antequam ſciat, ratamve habeat donationē ſiue acceptationem pro ſe ritè factam ab eo, qui iure poterat acceptare, ius quod donatarius ex tali donatione habebat tranſeat ad eius hæredes, poſſintque donationem ratam habere, atque acceptare. eod.
Quid? ſi donatio fiat præſenti, cum pacto vt poſt certum tempus eam alteri tradat, pactumque illud acceptet etiam pro abſente. Vtrum poſſit poſtea idem pactum quo ad abſentem reuocare, ante acceptationem ab illo tertio abſente factam. eod.
An promiſſio interna homini facta,ſit valida & obligatoria. §39
An ſi is qui interna mentis conceptione promiſit aliquid Caio,indicet ei animum ſuum dicens, ego ſolo actu interiori voluntatis, aliquid tibi promiſſi, & Caius reſpondeat ego acceptum habeo promiſſum, talis promiſſio obliget promittentem, vt ſatisfaciat. eodem.
An promiſſio interna homini facta obliget, ſi voto vel iuramento confirmetur. eod.
Vtrum promiſſio externa ante acceptationem in conſcientia obliget. §40
An quod ſimplex promiſſio ante acceptationem nullam vim habeat obligandi, proueniat ex ſola natura promiſſionis, an vero ex iure poſitiuo eod.
An ſimplex promiſſio facta homini ſit obligatoria. eod.
An ſimplex promiſſio, qua quis ſua ſponte, & ſimplici verbo aliquid alicui præſenti,& acceptanti promittit,ex genere ſuo,& ex obiecto obliget ad ſui obſeruantiam ſub reatu mortali. eod.
Quid? ſi promiſſor non recordetur qualem inter promittendum intentionē habuerit. §41
An ſi quiſpiam ex vrbanitate, vel ad complacendum,vel ad memoriam accepti beneficij teſtandam ita promittat, non ſolum hoc, quod à me petis, ſed omnia mea tibi dabo, obligatus maneat rem ita ſpecialiter petitam ac promiſſam præſtare. §42
An ſimplex promiſſio facta homini obliget promittentem ex iuſtitia. eod.
An ex ſimplici promiſſione ritè videlicet acceptata in foro iudiciali oriatur actio. §43
An ſaltem iure canonico detur actio ei, cui facta eſt promiſſio, aduerſus eum qui promiſit. eod.
Cur iure canonico ex promiſſione actio oriatur,& non iure ciuili. eod.
Quotnam conditiones requirantur, ad hoc vt promiſſio ſimplex ſit valida, & in conſcientia obliget. §44
Vtrum promiſſio ficta ſit obligatoria. eod.
An promiſſio ficta ratione grauitatis materiæ, vel nocumenti,quod proximo infert,ſit peccatum mortale reſtitutioni obnoxium. eod.
An qui promittit ſine animo ſe obligandi, eo ipſo quod ſciens, & prudens promittit, ad præſtandum promiſſum teneatur. eod.
Sed quid? ſi is qui promiſſionem facit, nihil cogitet de obligatione, habet tamen animum verè promittendi, an eo ipſo ad promiſſum adimplendum teneatur. §45
An promiſſio alias inualida,iuramento confirmetur. §46
Quid? ſi quiſpiam iureiurando promittat in tali caſu nunquam ſe petiturum iuramenti

dispensationem. eod.
An promissio sub conditione impossibili sit irrita. eod.
An promissio rei impossibilis iureiurando confirmetur. 547
An simplex promissio facta sub conditione, quę est contra naturam rei promissæ sit irrita. eod.
An si quis promittat vnam rem Titio, & deinde eamdem promittat Caio, talis secunda promissio sit valida. eod.
An secunda promissio, si iureiurando confirmetur, sit valida. eod.
An pœna conuentionalis in promissionibus apposita in conscientia debeatur. eodem
An huiusmodi pœna post moram incursa, sit in conscientia soluenda, antequam à promissario in iudicio, vel extra exigatur. eod.
An is qui inculpabiliter promissionem non seruauit teneatur in conscientia pœnam soluere. eod.
Quid? si duo vicissim sibi aliquid promiserint, & vnus non vult implere promissionem, licebitne alteri transgredi suam. 548
An promissio facta promissario præsenti, & tacenti sit in conscientia valida, ita vt promissarius non possit quando voluerit ab ea recedere. eodem
An per solam promissionem, & acceptationem rei transferatur dominium. eod.
Quænam quantitas requiratur, vt violatio promissionis censeatur culpa mortalis. eodem
Quantum possit quis validè donare. 549
An gratuita, & liberalis remissio debiti facta absque insinuatione, si quingentos solidos excedat, sit valida. eod.
An donatio remuneratoria vltra summam à lege concessam donari, sit valida. eod.
An donatio facta ob causam, si maior sit quingentorum solidorum summa, sit valida. eo.
An donatio vltra summam à lege concessam, in totum vitietur, an vero solum ex parte, videlicet tantum ad excessum. eod.
Quid dicendum, si eodem tempore plures donationes fiant, quarum singulæ seorsum sumptæ, quantitatem à lege præscriptam non excedunt, bene tamen simul coniunctæ. eod.
Quando plures donationes, vnam tantum donationem efficiunt. 550
An donatio excedens quingentos solidos, quæ sine insinuatione fieri iure prohibetur, in vtroque foro sit valida, si ad causas pias fiat. eodem.
Vtrum donatio absoluta vltra summam à lege concessam donari, sit in conscientia valida. eodem
An donatio inter viuos omnium bonorum præsentium, & futurorum sit valida. 551
An si quis dicat, dono tibi omnia bona mea præsentia, & futura mobilia, & immobilia, valida sit donatio. eodem
An si quis dicat, dono tibi meam hæreditatem. valida sit donatio. eod
An donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum sit valida quo ad totum &c. eod.
An qui contra prohibitionem legis facit donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum peccet mortaliter. eod.
An donatio causa mortis facta omnium bonorum præsentium & futurorum sit valida. 552
An donatio mera inter viuos, etiamsi sit acceptata, & res sit tradita, possit ob ingratitudinem donatarij rescindi. eodem
An hæres donatoris possit donationem reuocare, in casu quo donatarius ingratus in donatorem extitit. 553
An propter aliàs ingratitudinis causas à sex numeratis, fas sit reuocare donationem. eod.
An donatio inter viuos sit ipso iure irrita propter superuenientem natiuitatem filiorum. 554
An donatio sit irrita, ex eo quid sit inofficiosa, id est contra officium pietatis paternæ in necessarios hæredes, vt cum pater tantum patrimonij dat, vt filij priuentur sua legitima portione. eod.
An si donator post donationem susceperit filios, & hi patre adhuc superstite, donatio ipsa propter illorum mortem reuiuiscat. eod.
An si donatio facta sit ecclesiæ, vel piæ causæ, & postea donanti filij nascãtur ipsa donatio reuocetur in totum. eod.
Quid? si pater expresse, & in specie renunciet priuilegio legis. 555
Quid? si pater iurauit se non reuocaturum donationem. eod.
Quid? vero si pater expressit se propter susceptam prolem reuocaturum donationem, idque iuramento confirmet. eod.
An donatio remuneratoria possit propter subsecutam donatarij ingratitudinem rescindi. eodem
Vtrum si donatio fiat eo pacto, quod esto donatarius in vitium ingratitudinis inciderit, donatio non possit reuocari, tale pactum sit validum. eod.
Quid? si donator iurauit se non reuocaturum donationem. eod.
Quid? si donans expresse excludat illam conditionem, velitque donationem valere, etiam post vitium ingratitudinis, eamque iuramento confirmet. 556
An donatio ob causam, propter ingratitudinem donatarij subsecutam possit reuocari. eod.
An collator beneficij possit reuocare beneficij collationem ob ingratitudinem beneficiarij. eodem
Quantæ quantitatis esse debeat donatio vt ob nouæ prolis superuentum reuocetur. eod.
Quot modis donatio causa mortis rescindatur.

tur. eod.
An donatio metu extorta in conscientia teneat. §57
An donatio, vel promissio sub conditione impossibili, vel turpi, vel matrimonij, aut maioris boni, scilicet Religionis impeditiua, conditione non existente sit valida. eod.
Quid si Titius in testamento donet vxori hoc, vel illud, si castè, vel honestè vixerit, an valeat ista donatio causa mortis, in euentum, quo ipso ad secundas nuptias transiuit. §58
An donatio, vel promissio facta ob certum finem, vel vsum, finc, vel vsu non subsistentibus sit valida. eod.
An donatio ob causam facta, sit valida, causa non subsistente. §59
Cui restituendum sit, quod ob fictam sanctitatem, vel paupertatem extortum est, si donator putetur donatario velle hoc onus imponere. §60
An donatio modalis, modo non existente, sit valida. eodem
Quid? si quis alicui debitor erat, immemor tamen talis debiti, aliquid creditori suo donat, an in solutionem talis debiti donare censeatur eodem
An si Titius testatorem induxit ad sibi donandum, quod pro dote alteri legare statuerat, ad aliquam restitutionem teneatur. eod.
An donatio facta à delinquente ante, vel post crimen commissum, sit valida. eodem
An qui per donationem, aut promissionem se obligauit dare centum Ecclesiæ B. Mariæ Montis Regalis, vel tali pauperi, possit illa centum alteri pio loco, vel pauperi donare, §61
An Titius qui Caio parato dotare Catharinam dixit, desine eam dotare, quia ego eam dotabo, teneatur ex debito iustitiæ eam dotare. §62

De restitutione famæ.

Disp. XXI.

Quid sit fama. §62
Quid sit detractio. §63
An detractio sit peccatum mortale, atque adeo contra iustitiam. cod.
Quot modis detractio committatur. §64
An qui infamat seipsum, peccet mortaliter contra iustitiam. cod.
An qui propter metum, & tormenta seipsum infamat, peccet mortaliter. §66
An qui metu mortis, aut tormentorum sibi falsum crimen imposuit, ob quod est interficiendus, teneatur se retractare, vt ablatam sibi famam restituat. §67
An qui metu tormentorum seipsum infamauit, teneatur saltem in extremo vitæ quando est supplicio afficiendus, suum dictum revocare. eod.
An qui mortis metu, aut tormentorum alios crimen falsum imponit, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur. eod.
An ad euitanda grauia, & diuturna tormenta, possit quis alienum crimen occultum, vel aliud secretum detegere, si inde alteri sit periculum mortis, vel infamiæ. §68
Vtrum ad euitandos graues cruciatus, possit quispiam reuelare alterius secretum, quod per iniuriam nouit, etiamsi inde alteri eiiciet periculum mortis. eod.
Vtrum ad euitanda grauia tormenta, aut mortem possit quis reuelare secreta Reipublicæ, in notabilem eius perniciem. eod.
An liceat detegere crimen occultum vnius ad impediendum damnum alterius. eod.
An sit contra iustitiam crimen tunc reuelare. §69
An liceat infamare hominem, qui per hypocrisim, & varias impostaras famam in populo comparauit. §69
An sit contra iustitiam hanc hypocrisim aperire. eodem
An filius peccet mortaliter qui cum euidenti periculo vitæ sibi crimen patris imponit, vt ea ratione vitam patris conseruet. eodem
Quot, & quænam conditiones requirantur, vt quis alterius famam restituere teneatur, §70
Vtrum qui falsò famam alterius denigrat, peccet, & ad aliquam restitutionem teneatur. §71
Quam restitutionem facere teneatur, qui falsò alterum infamauit de aliquo crimine. §72
An qui falsò fratrem infamauit, teneatur iurando confirmare se fuisse mentitum. §73
An qui falsò proximo detraxit, teneatur etiam adhibere testes, vt si opus sit falsam fuisse diffamationem persuadeat. eodem
An qui iniustè alium infamauit, absolui possit priusquam famam restituat. §74
Vtrum quando fama non potest restitui in eodem genere boni, infamator teneatur restituere in alio genere bonorum, vt in pecunia, vel orationibus. eodem
An qui iniustè fratrem infamauit, teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia subsecuta compensare. §75
An qui vetè infamauit proximum, teneatur facere tantam restitutionem, quantam qui falsò. eodem
An qui audita refert, peccet, & ad restitutionem teneatur. eodem
An qui vni tantum viro cordato infame alterius crimen patefecit, nulli præterea dicturo peccet mortaliter. §77
An qui iniuriam quam alter sibi irrogauit, narrat amico suo, peccet. §78

An

An qui refert peccatum, quod notorium eſt iuris, vel facti, peccet mortaliter cod.
Quis numerus hominum ſufficiat, vt delictum dicatur notorio notorietate facti. 579
An qui infamatum in vno loco puta Romæ, infamat in alio puta Neapoli vbi habetur in bona exiſtimatione, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. cod.
An qui detrahentem audit, ac tolerat, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. 581
An in caſu quo audientes detractionem peccant mortaliter, incidant in excommunicationem latam contra detrahentes. 583
Quinam ad reſtitutionem teneatur, qui ad detractionem induxit, an ipſe detractor, cod.
An ſuperior qui mortaliter detrahentes audit, nec impedit, cum poſſit, ad reſtitutionem teneatur. cod.
Quo pacto detractioni ſit reſiſtendum. 584
An diffamatum de vno genere vitij, liceat in eodem etiam loco diffamare de alio occulto etiam eiuſdem ſpeciei. cod.
An qui mortuum infamat, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. 585
Vtrum hæredes infamatoris teneantur ad famę reſtitutionem, ſi ipſe viuens eam non reſtituit cod.
Cui facienda ſit reſtitutio, quando is qui paſſus eſt damnum, defunctus eſt. eodem
Vtrum is qui inuincibiliter ignorans ſe nocere famę proximi, illam reipſa denigrauit, ad aliquam reſtitutionem famę teneatur. eodem
An qui non reuelat virtutes alicuius, peccet peccato detractionis. 586
An infamatum certo tempore, fas ſit diffamare alio tempore. 587
An qui defectus veniales alicuius reuelat, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. eodem
An ſit peccatum mortale referre defectus naturales alicuius. 588
An hæc, & ſimilia dicere in faciem alicui viro honeſto per modum contumeliæ, ſit peccatum mortale. cod.
An qui peccata aliorum ita generaliter detegit, vt non magis conſtet eſſe mortalia, quam venialia, peccet mortaliter. cod.
An qui congregationem, aut aliquem ex collegio, vel monaſterio, aut Religione diffamat, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. 589
An qui peccatum occultum alicuius defert ad ſuperiorem, non præmiſſa correctione fraterna, peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. 590
An quando crimen eſt ſolum contra bonum delinquentis, ſit licitum aliquando ſtatim denunciare, non præmiſſa ſecreta admonitione. cod.
An ſciens peccatum fratris, & illud reuelans ſuperiori ſuo, vt patri, non præmiſſa ſecreta admonitione, peccet mortaliter. 591
An negans in iudicio crimen, quod verè commiſit, peccet, & ad reſtitutionem famæ teneatur. 592
Quenam pacto poſſit accuſatus, in illo caſu reſtituere famem accuſatori. cod.
An accuſatus, & denunciatus apud Iudicem de aliquo crimine vero, ſed inuſte, quia non ſunt teſtes ſufficientes ad eius probationem, & neget crimen obiectum, ex quo indirectè accuſans infamatur, quia reputatur falſarius, & calumniator, aliquam teneatur facere reſtitutionem. 593
Quo pacto in hoc caſu fiet reſtitutio. 594
An peccet peccato detractionis qui de detento in carcere, vult ferre cauſam, cur ſit captus. cod.
Sed quid ſi fuga rapuit eum ſeruit. cod.
Quidde eo qui non eſt auctoritate Iudicis infamia notatus, ſed raptus ſuſpicione alicuius delicti, an liceat in alio loco dicere, vbi hoc ignoratur, illum eſſe detentum in carcere, & accuſatum homicidij, vel hæreſis. cod.
An hiſtoriographi qui occulta Principum, & aliorum peccata ignominioſa in ſuis hiſtoriis ſcribunt, peccent, & ad reſtitutionem teneantur eodem
An qui alicuius peccatum detexit, ſatisfaciat ſe retractando apud eos, quibus ipſe dixit, an vero teneatur etiam ſe retractare apud eos, quibus ipſe non dixit, ſed alij, quibus ipſe dixerat. cod.
An præter reſtitutionem famæ, teneatur detractor aliquid aliud reſtituere detracto pro iniuria, quam paſſus eſt toto eo tempore, quo infamiam ſuſtinuit, interim dum fama illi non fuit reſtituta. 595
An infamatus licite poſſit remittere reſtitutionem ſuæ famæ. eodem
Sed quid? ſi Prælatus condonet re ipſa reſtitutionem ſuæ famæ, nolens ſuo officio renunciare, erit ne condonatio valida. 507
An condonatio infamiæ facta in genere, quæcunque ſit illa, non exprimendo eam in ſpecie, ſit ſufficiens. 598
Vtrum in reſtitutione famæ, vel honoris locum habeat compenſatio. cod.
An compenſatio famæ cum bonis fortunæ fieri poſſit 599
An qui falsè, aut verè dixit aliquod crimen infamatorium alicuius, cui infamia iam eſt obliuioni tradita, ad reſtituendam illi famam teneatur. 600
Quo pacto hæc reſtitutio ſit facienda poſt multum tempus. eodem
An res inferioris ordinis ſit reſtituenda cum detrimento rei ſuperioris. eodem
An qui in confeſſione ſacramentali imprudenter

ter delictum tertij reuelat,peccet, & ad reſtitutionem teneatur. 602
An circunſtantia peccati, per quam reuelantur conſortes ſit neceſſario confitenda. eodem
Quomodo fama ſit reſtituenda. 603
Quibus,& quotnam modis hæc reſtitutio fieri poſſit. 604

De reſtitutione honoris.

Diſp. XXII.

Quid ſit honor. 606
Quot modis honor violetur. eod.
An hæc tria ſpecie diſtinguantur. eod.
An qualitas contumeliæ, vel conuitij &c. ſit neceſſario in confeſſione exprimenda. eod.
An iſta tria requirant ex natura ſua præſentiam eius,cui inferuntur. 607
An iſtæ tres verbales contumeliæ conſiſtant in verbis. eod.
An qui verba contumelioſa, aut conuitia iactat in alium, peccet mortaliter. eod.
Sed quid? ſi ſuperior, & ſi correctionis gratia, cum aliqua tamen ira,& deſpectu huiuſmodi verbis vtatur, peccet mortaliter. 608
An contumelia ſit peccatum contra iuſtitiam. 609
An contumelia ſit grauius peccatum, quam detractio. eodem
An contumeliæ ſint patienter tolerandæ. eod.
An liceat offenſo pro vna iniuria ſibi illata, aliam contumelianti obiicere. 610
An qui obiicit crimen falſum contumelianti, ad debilitandum eius fidem,peccet mortaliter. eodem
Vtrum lædens aliquem in honore, ad aliquam reſtitutionem teneatur. 611
Quonam modo ſit honor reſtituendus. 612

De reſtitutione facienda ratione adulterij.

Diſp. XXIII.

Quid ſit adulterium. 615
Ad quid teneatur adultera, quæ prolem ſuſceptam ex adulterio,marito ſuppoſuit. eodem
An mulier adultera cum periculo vitæ filium adulterinum reuelare teneatur. 616
Sed quid?ſi adultera eſt infimæ claſſis, hæreditas vero ampliſſima,vt Regnum, vel Ducatus. 617
Vtrum adultera teneatur cum ſuæ famæ detrimento reuelare filium adulterinum, vt ille excludatur ab hæreditate mariti. 618
An filius adulterinus teneatur credere matri dicenti eum eſſe illegitimum. 619
An adulter teneatur aliquid reſtituere marito adulteræ pro iniuria,ſi partus non ſit ſequutus. 620
An adulter pro damnis ex adulterio ſubſecutis marito,vel hæredibus legitimis, quando filius inde genitus patri putatiuo alendus, & inter alios legitimos hæreditatem obtentutus ſupponitur, aliquam teneatur facere reſtitutionem. 621
An adulter in foro conſcientiæ credere teneatur adulteræ dicenti prolem quam genuit, eſſe ſuam. 622
An ſpurius teneatur relinquere hæreditatem,ſi credit matri dicenti ſe eſſe illegitimum,vel alia via id credere conuincitur. 623
Num adulter, & adultera teneantur reſtituere huiuſmodi in ſolidum, an vero tantum pro rata. eod.
Quomodo gerere ſe debeat adultera, quando eſt dubia,an proles quam genuit, ſit adulteri, an viri ſui. 624
Cuinam facienda ſit reſtitutio in caſu, quo maritus adulteræ nullum alium habet hæredem,præter illum filium putatiuum eod.
An modus iſte approbatus ab Alciato ſit conueniens, & accommodatus. 625
An quando adultera non poteſt aliter reſtituere,peccet,dum in teſtamento ſpurium appellat,filium meum legitimum. eod.

De reſtitutione facienda ratione ſtupri.

Diſp. XXIV.

An qui virginem volentem, & conſentientem defloret,ad aliquam reſtitutionem teneatur. 625
An qui virginem volentem,& ſponte ſua conſentientem ſtuprauit, eius parentibus, ſub quorum cuſtodia eſt, aliquid reſtituere teneatur. 626
An qui inuitam virginem defloret,ad aliquam reſtitutionem teneatur. 627
An qui precibus etiam importunis, & longo tempore iteratis, ſiue blanditiis defloret, ad reſtitutionem teneatur. 628
An qui promiſſis & muneribus attraxit virginem ad ſtuprum, ad reſtitutionem teneatur. eodem
An qui vi,aut fraude virginem violauit,teneatur eam ſibi matrimonio copulare, ſimul & dotare. eod.
An qui ex intentione, & vero animo promiſit ſe ducturum in vxorem, quam violauit,teneatur eam ducere. 629
An ſi deflorans ex intentione promiſit virgini matrimonium, teneatur eum ducere etiam in caſu, quo ipſe in vitæ ſtatu longe ſit nobilior. eodem
Sed quid dicendum de eo caſu, quando promiſſio fuit vera, & ex animo facta, tamen probabile eſt,quod ex tali matrimonio magna,& grauia incommoda ſequerentur? 630
An qui ficto animo ad decipiendum virginem,promiſit ſe eam ducturũ, ſub qua pollicitatione, & fide ipſa illi ſui corporis vſu-

ram

Digitized by Google

ram fecit, teneatur ei seruare fidem, & ducere eam in vxorem. eodem
An quando vir, & puella sunt dispares conditione, sed mulier quæ defloratur, inuincibiliter ignorat status imparitatem, teneatur ex deceptoria promissione eam ducere in vxorem. eod.
An in casu, in quo propter status disparitatem corruptor animo fallaci coniugium promisit, excusatur ad ducendam eam in vxorem, teneatur eam saltem dotare. 631
An si puella è contrario est genere nobilior, & non vult corruptorem sibi matrimonio copulare, teneatur corruptor ei aliter damnum resarcire. eodem
An quando vir & puella sunt statu, & vitæ cõditione pares, & corruptor non admittitur à puella, vel à patre eius ad matrimonium, teneatur in conscientia puellam dotare. eod.
An opes stuprantis virginem, inopem, efficiant eum esse inæqualis conditionis. 632
An corruptor qui promisit mulieri coniugium eo pacto vt non permittat ab alio cognosci, teneatur stare promissis, si ab alio fuit cognita. eod.
Vtrum tunc teneatur illi aliter satisfacere ob amissam virginitatem. eod.
Sed quid? si corruptor promisit se ducturum puellam in vxorem, & post stuprum inuenit eam vsuram sui corporis fecisse alicui alteri. eod.
Quid? si Titius promisit coniugium mulieri, quam putabat esse virginem, & tamen in contractione deprehendit non esse. An teneatur stare promissis. eod.
Quid? si Titius puellam non defloruit quidem, sed accedendo ad locum, vbi illa esset, in causa est, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi sequatur, quia ob eam infamiam non inueniet, cui æquè bene nubat. 633
Sed quid? si sciebat aliquam esse corruptam, & tamen promisit ei coniugium fictè, ad extorquendam copulam. An ea secuta teneatur eam ducere. eodem
An qui vi, aut fraude virginem defloruit, teneatur illi pro apertione membri virginei aliquid restituere, si illa tam benè nupsit, ac si non fuisset corrupta. eod.
An qui vi aut fraude habuit copulam cum corrupta quidem, sed nomine, & æstimatione virgine, teneatur ad restitutionem ei faciendam, ac si virgo esset. 634
An habens votum castitatis, vel Religionis, qui vi, vel fraude sub promissione vera, vel ficta coniugij, virginem stuprauit, possit suum votum adimplere. eodem
An in hoc casu teneatur aliter compensare damnum amissæ virginitatis. eod.
An in his casibus teneatur impetrare dispensationem voti. 635
An in his casibus corruptor consumare matrimonium teneatur. eod.
An si quis promisit puellę ducere illam in vxorem, quam tamen neque corrupit, nec infamia notauit, & nihilominus antea simplex castitatis, vel Religionis votum emiserat, teneatur implere votum, an vero promissionem factam puellæ. eod.
An si quis promisit mulieri se ducturam eam in vxorem, quam tamen non defloruit, nec aliqua nota infamiæ maculauit, & postea emisit votum Religionis, teneatur ad promissionem factam mulieri, an potius ad votum. eod.
Quid? si aliquis promisit alicui puellæ ducere illam in vxorem, & postea pœnitentia ductus alteri puellæ promisit idem. Quæritur nunc, cui ex his duabus fidem præstare teneatur. eod.
An qui iureiurando se astrinxit cum aliqua contrahere, promissum adimplere teneatur. eodem
Quid? si stuprator redderet se impotentem ad præstandum promissa, vt si cum alia postea contraheret per verba de præsenti, vel sacris ordinibus promoueretur. eod.
An ad aliquam restitutionem teneatur Berta, quam sibi in matrimonio copulauit Titius, existimans esse virginem, sed reuera erat corrupta, cui in dotem contulit quingentos aureos, quos spopondit in dotem ei tradere. 636

De restitutione faciendæ ratione homicidij.

Disp. XXV.

An lędens aliquem in corpore teneatur ad aliquam restitutionem. 636
An læsor in integrum soluere teneatur omnes operas, & lucra quæ occisus, aut vulneratus alioqui erat lucraturus, si non fuisset occisus, vel vulneratus. 637
An prædicti lucri æstimatio sit moderanda propter laborem, quem percussus in lucrando subiturus erat, sed non subiuit. 638
Quomodo operarum æstimatio facienda sit, cum ignoretur, quandiu mortuus fuisset victurus. eod.
An si Titius iniustè præueniendo occideret Caium, qui naturali, vel aliàs iusta morte erat moriturus, teneretur restituere lucrum, quod alioqui lucraturus fuisset; si alias non periret. 639
An homicida teneatur soluere expensas moderatas factas iuxta personæ qualitatem in sepultura occisi. eodem
An ex modo occidendi iniurioso, quia per insidias, fraudem, aut atrocius, sit plus restitutionis iniungendum. eodem

An pronocans alium ad pugnam,& descendens ad certamen teneatur restituere aliquid, si pronocatum occidit. eod.
An qui ob defensionem sui, vel suarum rerum aggressorem occidit, ad restitutionem teneatur. 640
Sed quid: si nollet fugere, sed debita moderatione se, vel res suas defendens inuasorem occideret. An in tali casu ad restitutionem teneretur. eod.
Ex qua culpa occidens aggressorem, teneatur. 641
An qui modum iustæ defensionis excessit, tantum restituere teneatur, quantum qui ex industria, vel ex insidiis occidit eod.
An ex homicidio casuali sit restitutio necessariò facienda. eod.
Ex qua culpa homicida casualis ad restitutionem teneatur. eod.
An si quis putans se occidere Paulum occidit Ioannem, quem inuincibiliter putabat esse Paulum, ad aliquam restitutionem teneatur Ioanni. 642
Vtrum homicida teneatur resarcire damna, quæ passus est tertius, cui homicidium falsò fuit impositum. eodem
Sed quid? si Titius aduertat Caium esse damnum passurum ex suo homicidio, vtpotè quia prænouerat inter Meium & Caium esse inimicitias. eod.
Sed quid? si Titius occidat Meium, intendens vt delictum imputetur Caio. 643
Vtrum homicida propter homicidium, extremo supplicio affectus, adhuc aliquid teneatur restituere occiso pro damnis inde subsecutis. eodem
An vltra restitutionem impensarum, & lucri cessantis, & damnorum ex læsione contingentium, sit aliquid restituendum pro vitæ, vel membri iniusta ablatione. 644
An pro vita, membro, vel cicatrice ex vulnere relicta, sit aliquid restituendum occiso, vel mutilato. eodem
Quibus hæredibus fieri debeat restitutio quando ex homicidio vel mutilatione aliquod sequitur detrimentum in bonis temporalibus. 647
Vtrum occidens, aut irremediabiliter vulnerans hominem debitis implicatum, teneatur resarcire damnum creditoribus, si propter mortem, vel vulnus non possunt sua debita recuperare. 648
Vtrum pro anima occisi sit aliquid restituendum ex iustitia. 649
An quando ex percussione nullum sequitur detrimentum in corpore, nec in bonis fortunæ, sed tantum in honore, sit de iustitia aliquid restituendum. eod.
An si occisor non restituit, vt debuit; teneantur eius hæredes occiso, eiusque successoribus aliquid restituere. eodem

De restitutione facienda ratione scandali.

Disp. XXVI.

An qui læsit proximum in bonis animæ, puta gratiæ inducendo illum ad peccatum, ad aliquam restitutionem teneatur. 650
An qui pertrahit alium ad peccatum contra charitatem Deo, vel proximo debitam, ad aliquam restitutionem ipsi pertracto faciendam teneatur. eodem
An qui precio, vel prece, absque vlla vi, & fraude, alterum pertraxit in peccatum, teneatur curare vt resipiscat. 651
An qui absque ignorantia, vi, metu, vel fraude pertraxit alium ad peccatum, teneatur lege iustitiæ eum ad pœnitentiam reducere eod.
An saltem qui ex odio, vel alio malo affectu inducit alium ad peccandum, ad restitutionem teneatur. 652
Vtrum inducens alium ad peccandum, grauius peccet, quam qui homicidium committit. 653
An si prædicator, vel lector aliquid falsum docuerit, teneatur ex iustitia se retractare. 654
An qui priuat aliquem per iniuriam aliquo sensu, vel vsu rationis teneatur ad restitutionem. eodem
An retrahens aliquem à Religione, ad restitutionem teneatur, vel ei, quem retraxit, vel Religioni. 655
Sed nunquid tenebitur alium loco extracti substituere. 658

De restitutione facienda ratione dati, & accepti ob turpem causam.

Disp. XXVII.

An acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum. 659
An acceptum ex opere, quod est malum ex genere sit necessario restituendum. 660
An publicæ meretrices possint pro turpi actu sui corporis aliquid accipere & retinere tanquam pretium turpitudinis. 661
An huiusmodi mulieres post fornicationem completam habeant actionem in iudicio ad petendum iustum pretium ipsis ante peractam fornicationem promissum. eod.
An aliæ mulieres quæ non sunt publicæ meretrices possint pro copula illicita pretium accipere. 662
An quod huiusmodi fœminis occultis in pretium suæ turpitudinis promittitur post completam copulam in iudicio repeti possit. 663
An qui huiusmodi mulieribus tam publicis, quàm priuatis pro copula illicita pretium promisit, teneatur postea ea peracta, in conscientia illud soluere. eod.

An

An si amasius mulieri superfluum aliquid promisit, teneatur promissum adimplere. eod.
Sed quid? si Amasius cum iuramento tale superfluum promitteret . eod.
An huiusmodi mulieres pretium sibi promissum pro turpi actu sui corporis petendo peccent. 664
An fœmina coniugata clam marito, & filia clam patre possint pretium suæ turpitudinis in suos vsus conuertere. 665
An Religiosus possit dare aliquid meretrici. eodem
An si secularis det aliquid Religioso, vt illud expendat in vsus profanos, possit illud dare meretrici. 666
An donatio facta meretrici à milite ob turpem actum sit in conscientia valida eodem
An mulier fornicaria, quæ fraude, vel dolo quicquam extorquet pro vsu sui corporis, teneatur illud restituere danti. eod.
An mulier impudica, quæ per blanditias, & verba amatoria aliquid ab amatore suo extorquet, teneatur illud restituere danti. eod.
An mulier impudica quæ petit ab amasio aliquid pretiosum coram aliis personis coram quibus cogitur donare, alias amittet sibi honorem, teneatur illud in conscientia restituere. 667
An mulieri cui data sunt munera, ad eam turpiter prouocandam, causa vel conditione turpi non impleta, teneatur illa restituere. eod.
An qui pretium accipit, vt aliquid faciat, vel omittat contra iustitiam, teneatur post patratum delictum, in conscientia illud restituere. eod.
An qui perpetrauit delictum, licitè possit petere pretium sibi promissum. 669
An qui pro maleficio pecuniam promisit, teneatur postea eo peracto in conscientia illam restituere. eodem
An qui accipit pretium pro eo, quod aliàs ex lege, & obligatione iustitiæ facere debet, peccet, & ad restitutionem teneatur. 670
Sed quid si ex penuria rerum, aut pecuniæ abundantia, post taxationem processu temporis, iniustum pretium esse constaret. eod.
An qui accipit pretium vt faciat, vel omittat aliquid, quod facere, aut omittere ex iustitia obligatur, teneatur statim ante omnem Iudicis sententiam restituere. 671
Si pretium acceptum pro eo quod gratis, & ex iustitia fieri, vel omitti debeat, restituendum est, cui facienda sit huiusmodi restitutio fisco, an pauperibus, vel ei, qui illud dedit. 673
An pro inuentione rei alienæ pretium aliquod pati, & accipi possit. 674
An is qui dat, vt vexationem suã redimat, peccet, sicut peccat ille, qui accipit, quod ei ad redimendam vexationem datur. eod.
An ministet publicus accipiens prohibita sola lege humana, teneatur statim ea restituere ante omnem sententiam. 675
An qui iureiurando ad nihil recipiendum pro labore, aut seruitio aliquo se astrinxit, & postea contra iuramentum aliquid accipit, teneatur illud in conscientia restituere. 676
An pro re, quam quis facere, vel omittere tenetur ex præcepto charitatis, aut Religionis, aut alterius virtutis, quæ non sit iustitia possit licite pretium accipere. eod.
Vtrum is, qui extremè indigenti non subuenit nisi pretio accepto, teneatur in conscientia illud restituere. 677
An qui accipit pretium pro re spirituali, teneatur illud statim restituere danti, etiam ante repetitionem, & condemnationem Iudicis. 678
An pro remissione iniuriæ liceat pecuniam accipere. eodem
An qui aliquid acquisiuit pro faciendo, aut omittendo id quod ex præcepto charitatis facere, aut omittere debet, teneatur statim illud restituere danti ante Iudicis condemnationem. eodem
An datum alicui, ne committat aliquod peccatum, possit repeti in iudicio. eodem
Vtrum acquisita per fictam paupertatem, vel sanctitatem sint in conscientia restituenda. 679
Vtrum is, qui dedit omnia sua bona, vt in aliquo collegio titulo paupertatis exciperetur, ad restitutionem teneretur. eod.
An potens aliquem iuste accusare, possit ab eo aliquid extorquere, ne accuset. 680
An si iste qui minabatur accusare, careat animo accusandi, sed solum terrendi, teneatur pecuniam quam sic extorsit, restituere. eod. eodem
An qui recipit pretium, ne accuset aliquem de crimine perpetrando possit illud in conscientia retinere. eodem
An vir teneatur restituere pretium extortum ab adultero reperto cum vxore, ne illum interficiat. eod.

De restitutione facienda ab eo qui impedit aliquem à consequutione alicuius boni.

Disp. XXVIII.

An qui alium impedit, quominus bonum aliquod acquirat, quod licitè consequi poterat, teneatur ei restituere id, quod non acquisiuit. 681
An si Titius ex odio, & malo animo impediat Caium ab acquisitione alicuius boni, quod alias ex iustitia non est ei debitum, eo ipso teneatur sic impediens ad restitutionem. 683
An Religiosi qui impediunt, ne legata relin-

Digitized by Google

quantur Matricibus Ecclesiis, eo animo vt potius suo Monasterio, vel alteri relinquat, peccent, & ad restitutionem teneatur. 684
An qui impedit alium per vim, dolũ, fraudem, siue mendacium, vel aliam iniuriam à consecutione alicuius boni, quod erat habiturus alioqui ex mera tertij liberalitate, in foro conscientiæ teneatur ad restitutionem. eod.
An qui absque vi, dolo, & fraude alium impedit ab acquisitione alicuius boni, ad quod ille solum habet ius distributiuæ iustitiæ, restituere aliquid teneatur. 685
Vtrum existens in peccato mortali ad beneficia Ecclesiastica eligi queat. eod.
An in distributione beneficiorum cum cura animarum Theologus sit dignior, & magis idoneus, quam Iurisconsulti periti. 686
An is qui est distributor beneficiorum, teneatur digniorem eligere. 687
Vtrum patronus teneatur semper præsentare digniorem. 688
An is qui suum beneficium alterius gratia resignat, teneatur digniorem eligere. 689
An in beneficiis curatis peccet mortaliter, qui sciens eligit dignum, prætermisso digniore. eod.
An is, ad quem pertinet ius conferendi beneficium simplex, peccet mortaliter, si relicto digniore, minus digno beneficium concedat. eod.
An in conferendis beneficiis, quo dignus eligitur, prætermisso digniore, aliquando possit esse solum veniale peccatum. 690
Vtrum elector qui simpliciter iuramento se astrinxit se electurum digniorem, peccet mortaliter etiamsi excessus sit leuis. eod.
An quando eligitur dignus, relicto digniore, talis electio sit valida. 691
An in aliquo casu liceat alicui electorum, neglecto digniore, eligere dignum. eod.
An si sint tantum duo oppositores, vnus dignus, & alter dignior, videamque plures vocalium inclinari in dignum, possim tuta conscientia relicto digniore etiam suffragari illi digno. eod.
An minus dignus peccet in sui electione consentiens, si scit competitorem magis idoneum prætermitti. eod.
An qui ad beneficium, vel officium indignum eligit, peccet, & ad aliquam restitutionem teneatur. 692
An collatio beneficij facta indigno sit valida. eod.
An qui ad beneficium, vel cathedram eligit dignum, prætermisso digniore, restituere aliquid ipsi digniori teneatur. 695
An minus dignus qui se opponit digniori ad restitutionem teneatur. 694
An qui impedit alium à consecutione beneficij, vel officij ad restitutionem teneatur. eo.
Quid? si Titius crimen occultum Caij aperiat, ob quod illi non confertur beneficium, teneatur Titius aliquid Caio restituere. 697
An qui impedit, quo minus beneficium, vel officium cathedræ, conferatur legitimis oppositoribus ad restitutionem teneatur. eod.
Vtrum in casu, quo impediens teneatur impedito damnum resarcire, teneatur in solidum, an vero arbitrio boni viri. eod.
Vnde ista ratio restitutionis attendi debeat, vt maior, vel minor iudicetur arbitrio boni viri. 698
An si Titius existens in Mediolano, scribat Caio commoranti in Thaurino, quod in Mediolano multum valet oleum; at vero Caius his literis fidem adhibens magnam copiam olei transmisit Mediolanum, vbi comperiens rei falsitatem, ingès detrimentum passus est. An in hoc casu Titius Caio teneatur huiusmodi damnum compensare. eodem
An Reges, & Principes sint domini officiorum secularium. eod.
An liceat vendere officia secularia. 699
An priuatæ personæ, quibus dono, vel pretio collocata sunt à Rege, vel Republica hæc officia possint illa vendere. eod.
An qui contra legis ciuilis præscriptum vendit ista officia, peccet mortaliter cum obligatione restituendi pretium acceptum. eod.
Vtrum officia secularia sint dignioribus conferenda. 700

De restitutione facienda ratione rerum inuentarum.

Disp. XXIX.

Vtrum inuenta in littore maris, cuiusmodi sũt gemmæ, lapilli, & id genus alia producta à natura, efficiantur primò occupantis. 700
An huiusmodi res sola aspectu, & inuentione acquirantur. 701
An liceat vnicuique vnius nationis ad aliam transmigrare ad eruenda metalla. 702
An qui inuenit thesaurum, possit illum iustè retinere, eod.
Vtrum Hispani qui apud Indos Occidentales extraxerunt thesauros de sepulchris infidelium, teneantur eos restituere. 703
Quid? si possit sciri à quorum Maioribus sit conditus. eod.
An qui casu inuenit thesaurum in fundo alieno sine facultate domini, teneatur in conscientia ante condemnationem Iudicis medietatem thesauri domino fundi restituere. eodem
An qui dedita opera contra domini voluntatem

Digitized by Google

tem in fundo alieno ſuffodiens, theſaurum reperit, teneatur in conſcientia ante condemnationem totum theſaurum, pro vt ſanciunt leges, domino fundi reſtituere. 704.
An ſi quis de conſenſu domini agri quærat in eo theſaurum, illum ſibi acquirat. eod.
An creditor qui inuenit theſaurum in domo, quam in pignus accepit; & maritus qui inuenit in agro dotali vxoris, ad aliquam reſtitutionem teneatur. 705
An theſaurus inuentus in prædio feudali, pertineat ad proprietarium habentem dominium directum, an vero ad feudatarium habentem dominium vtile. eod.
An qui emit agrum in quo eſt theſaurus, acquirat ſibi theſauri dominium. 706
Quid de eo, qui euidenter ſcit in agro alieno latere theſaurum, an poſſint illam tacito myſterio comparare tanti, quanti communiter æſtimatur, vt ſic ſibi totum theſaurum reſeruet. eod.
An qui inuenit theſaurum in loco publico, vel ſacro, aut Religioſo illum ſibi acquirat. 707.
An qui arte magica, aut aliis diuinationibus, & modis prohibitis inuenit theſaurum, illum ſibi acquirat; an fiſco. 708
An huiuſmodi lex ſit ſolum pœnalis. eod.
An fiſco totus applicandus tunc ſit, ſi arte magica in alieno fundo inueniatur. eod.
An poſſit Princeps ſtatuere, vt vbicunque inueniatur theſaurus etiam in proprio fundo, totus, aut certa pars eius ſibi reddatur. eod.
An res inuentæ, quæ non ſunt theſauri, poſſint ab inuentore retineri. 709
An qui rem aliquam inuenit, poſſit petere à domino rei competens pretium pro inuentione. 710
Quænam dicantur haberi pro derelictis. eod.

De reſtitutione facienda ab iis qui venantur, piſcantur, & aucupantur iniuſtè.

Diſputatio XXX.

Quid perſ venationem hic intelligatur. 711
Vtrum venatio iure naturæ ſit licita. eod.
Vtrum Princeps ſueremus poſſit iuſtè prohibere venationem. 712
An Comites, Marchiones, & Duces, qui ſuperiorem in temporalibus agnoſcunt, poſſint etiam certus ſaltus, ac loca ſibi ad venandū, & piſcandum deputare, ac præſcribere, in quibus nulli alteri venari fas ſit. 614
An ſit peccatum mortale contra leges venationem prohibentes venari. 715
An qui venatur contra iuſtam prohibitionem in locis publicis ad aliquam reſtitutionem teneatur. eod.
An leges, quæ in loco publico venantibus, aut piſcantibus imponunt pœnam mortis, aut mutilationis, aut etiam flagellorū ſint iuſtæ. 716
An qui venatur, aut piſcatur in loco alicui appropriato inuito domino peccet, & capta reſtituere teneatur. eod.
Quantum circuitus debeat eſſe ſyluæ circumſeptæ, vt feræ cenſeantur ſua naturali libertate frui. 718
Quæ animalia licite occupentur venatione, piſcatione, & aucupio. eod.
An fera percuſſa ab vno, & capta ab alio, ſit percutientis, an vero capientis. 719
An fera quæ in pedicula ab vno ad venandum, aut piſcādum expoſita inuenitur, ſit eius qui pediculam tetendit, an vero alterius, qui eam ibi inuenit, indeque eam extraxit. eod.
Sed quid? ſi venator percutiat, vel occidat feram, & antequam illam manucapiat, adueniat dominus ſyluæ volens eam ſibi aſſumere. 720
An in caſu, quo dominus fundi vendit, vel locat alteri ius ſuum venandi in fundo, ſi alius contra iuſtam prohibitionem in eo fundo venetur, capta fera ſit capientis, an vero pertineat ad dominum, vel vſufructuarium fundi. eod.
An quando fructus fundi conſiſtunt in venatione, tunc animalia ſic capta contra iuſtam prohibitionem pertineant ad dominum fundi. eod.
An examen apum conſidentium in arbore ſit eius, cuius eſt arbor, an vero capientis. 721
An columbaria ſint licita. eod.
An qui alienas columbas capit, & occidit, peccet, & ad reſtitutionem teneatur. eod.
Quid? ſi columbæ capiantur intra periodum vnius columbarij, nihilo minus ſint alterius columbarij, quod eſt extra periodum. 722

De reſtitutione facienda ab his qui paſcunt, & ligna cædunt in ſyluis alienis.

Diſp. XXXI.

An iuſtè prohiberi poſſit paſtio, & liguatio in paſcuo, vel ſylua Reipublicæ. 723
An qui ligna cædunt, vel paſcunt ſua pecora in loco prohibito, peccent, & ad reſtitutionem teneantur in foro conſcientiæ, ante omnem Iudicis ſententiam. eod.
An quando Princeps vendit, vel locat communia, teneatur ad reſtitutionem, qui tunc ligna cædit, vel ſuos greges paſcit. 725
An furtum committat, qui poſt collectas fruges & fructus, armenta ſua paſcit in alieno agro, tempore quo ager vacat à ſemine, & frugibus. eod.
An cuſtodes agrorum, ſyluarum, montium, fluminum, lacuum, paſcuorum, lignorum, peccent mortaliter, & ad aliquam reſtitutionem teneantur, qui non denunciant eos qui

Digitized by Google

in locis prohibitis venantur, pascunt, & ligna cædunt. 726

De restitutione facienda de iis, quæ per ludum acquiruntur.

Disp. XXXII.

An ludus generatim sumptus sit licitus ex natura rei. 727
An ludus, qui fit animo lucrandi sit peccatum. 728
An ludus qui fit ex intentione lucrandi in magna quantitate sit peccatum mortale. eod.
An ludus alearum, qui causa lucri fit, in quo pecunia fortunę exponitur, sit omnibus, tum clericis, tum laicis, iure prohibitus. 729
An acquisita ludo prohibito obnoxia sint restitutioni. 730
An in locis, in quibus iure Cęsareo conceditur ius repetendi intra certum tempus, is qui per ludum lege prohibitum aliquid acquisiuit teneatur restituere ei, qui in ludo perdidit, si illud repetat extra iudicium, an vero tuta conscientia possit illud ei denegare, quousque in iudicio coram competente Iudice repetatur. 731
An qui per ludum lege prohibitum aliquid acquisiuit, teneatur statim facta repetitione in iudicio, ante tamen Iudicis sententiam illud restituere. eod.
An qui ludo prohibito pecuniam perdidit, ac soluit, quam tamen non audet in iudicio repetere metu dedecoris, aut dubitat probabiliter se via iuridica amissam pecuniam recuperare non posse, propria authoritate possit titulo compensationis tantumdem accipere occultè ex bonis propriis eius, qui in ludo lucrifecit. 732
Quid? si victor impediat, ne Iudex illum condemnet ad restituendum lucrum, quod per ludum prohibitum acquisiuit, an teneatur in conscientia illud restituere. eod.
An victus possit paciscì cum lucrante, vt partem lucri sibi restituat, alioqui minatur se accusaturum, & repertiurum totum lucrum in iudicio. eod.
Quid? si is qui minatur accusationem, & repetitionem totius lucri, non habeat animum accusandi, vel repetendi, sed terrēdi tantum, an possit retinere id quod sic à lucrante extorsit. 733
An qui credito aliquid ludo prohibito amisit, teneatur in conscientia illud soluere. eod.
An qui iurauit se soluturum, quod alter lucrifaceret, facta solutione possit licitè repetere quod soluit. 734
Sed quid? si perdens liberaliter promittat se nunquam repetiturum, poterit hinc sine peccato repetere. eod.
An in hoc euentu qui iurauit soluere, & non repetere, possit ante solutionem petere relaxationem iuramenti ab Episcopo, & sic non soluere, & si soluit, solutum repetere. 735
An votum, vel iuramentum de non ludendo ludo illicito possit dispensari. eod.
An filiusfamilias possit aliquid ludo exponere, ita vt is qui lucrifecerit, non teneatur restituere. eod.
An de ratione ludi sit, vt quis non possit plus lucrari, quam perdere, & è contra. 736
An qui alienare valet, possit compensare perdita cum iis, quæ lucratus est ab altero non potente alienare. 737
An Regularis professus possit ludo aliquid exponere. 739
An mancipium possit ludo aliquid exponere, & an lucrifaciens ab eo sic acquisitum ludo possit iustè retinere. eod.
An si is qui lucrifecit, dubius sit, an mancipium ius alienandi per ludum habuerit. 740
An in casibus, in quibus mancipium potest per ludum alienare, si lucrifecerit, possit licitè lucrifacta sibi retinere, an verò teneatur illa domino restituere. eod.
An qui ludit cum muliere coniugata possit licitè sibi retinere lucrum, quod ab ea acquisiuit. eodem.
An qui ludit cum homine prodigo, possit licitè quod ab eo lucratur, retinere. eodem.
An qui ludit cum fure, depositario, vsurario, aut alio possidente, ac ludente rem alienam, possit licitè sibi retinere lucrum, quod ab eis acquisiuit. 741
An qui in domo sua recipiunt aleatores peccent, & ad aliquam restitutionē teneātur. eo.
An inspectores ludi mortaliter illiciti peccent mortaliter. eodem
An liceat ludere pro salutatione Angelica, vel Oratione Dominica dicenda. eodem
An qui falsis talis, aut chartis, aut dolo lucratur ab alio, compensare possit, cum iustè lucrifactis ab eodem. 742
An qui promittit dare scachomatum cum pedona, censeatur promissum impleuisse, si dederit cum pedonā effecta Regina. eodem
An qui alium in ludo decipit, teneatur ei restituere quod acquisiuit. eodem
An qui in ludi peritia, & dexteritate est longe superior alio, licite possit cum eo ludere, & sibi in conscientia lucrifacta retinere. 743
An si ambo se antea nouerant, & peritior cum ignaro ludat, & vincat, teneatur lucrifacta restituere. 744
Quid dicendum de eo casu, qui sæpè accidit in ludo, verbi gratia Petrus, & Ioannes ludunt & Petrus qui sperat se victurum, exponit suum restans, & Ioannes similiter sperans victoriam, ratam habet sponsionem dicens, & ego quoque expono in hac manu totum

torum mecum reſtans. An ſi reſtantia Petri, & Ioannis ſint inæqualia, licitè acquirat Petrus reſtans Ioannis, quod eſt maioris valoris, & è contra. eod.
An qui volens renunciare auctioni ab altero colludente ſibi propoſitæ, propterea quod admonitus ab inſpectore ludi illam auctionem ratam habuit, & eam tandem lucrifecit, teneatur in foro conſcientiæ lucrifactum propter admonitionem ſibi factam reſtituere. 745
Vtrum trahens aliquem ad ludendum, teneatur in conſcientia reſtituere, quod ab eo lucratur. eod.
An qui importunis precibus alium ad ludendum attraxit, teneatur in conſcientia reſtituere quæ in eo ludo lucrifecit. 746
An qui compulſus acceſſit ad ludum, ſi poſtea ad ludum applicitus animum concipiat lucrandi, ex tunc qui illum ad ludum impulit, ius lucrandi acquirat, quo ante carebat eod.
An per iniuriam attractus ad ludum, poſſit retinere lucrum quod fortè ab attrahente lucratur. eod.
An contractus ſponſionis ſit licitus. 747
An quando alter decertantium eſt omnino certus de aliqua re, poſſit de illa ſponſionem facere. eod.
Quid ſit dicendum, quando vnus decertantium eſt omnino certus de re, aut per ſcientiam, aut per diuinam reuelationem, aut per experientiam veram, & tamen hoc non obſtante vult cum eo contendere, affirmando rem aliter ſe habere. An licite poſsit hic, qui eſt omnino certus, cum alio decertare. 748
Quid? ſi inter Titium, & Ioannem facta ſit ſponſio quod Petrus currendo, vel ſaltando vincet Ioannem, & deinde Ioannes nollet currere, aut ſaltare. An Ioannes, obligetur ſoluere, quod eſt in ſponſione depoſitum. eodem.
Quid ſit dicendum de multis ſponſionibus, quæ habent conditionem illicitam, verbi gratia, ſi duo certent de edendo, vel bibendo, ſponſione facta, quod alter alterum edendo, vel potando vincet; vel ſponſionem faciat quod Titium interficiet, vel quod hoc anno occidetur Princeps. eod.
Quid? ſi ſponſio ita fieret, ſi Turca hoc anno occidetur, dabo tibi centum, licetne ſponſio. 749
An ſponſiones quæ fieri ſolent Romæ ſuper electionem Romani Pontificis, quando Cardinales ſede vacante conclaue ingreſsi tractant de eligendo Pontifice ſint licitæ. eodem.
An iſtæ ſponſiones ſolùm ſint prohibitæ fieri in Vrbe, an vero in vniuerſum etiam extra Vrbem. eod.
An lucrum quod ex iſtis ſponſionibus acquiritur, in Vrbe fieri ſolitis ſuper electione Papæ, in foro conſcientiæ retineri poſsit. eod.
An ſponſiones quæ in Vrbe fieri ſolent pro electione Cardinalium ſint prohibitæ aliquo iure poſitiuo humano. eod.
An iſtæ ſponſiones ſint licitæ ex eo quod alter decertantium ſæpe ſit certus de electione Cardinalis ex teſtimonio alicuius qui plurimum valet apud Pontificem, cuius eſt Cardinales creare. eod.
Sed quid? ſi Titius ex ipſo Pontifice audierit Caium creandum eſſe Cardinalem, an poſsit Titius ſponſione facta decertare, Caium futurum eſſe Cardinalem. eod.
An huiuſmodi contractus ſiat illicitus ex eo quod diligentia adhiberi ſolet, vt probabilis coniectura habeatur. An Titius ſit Cardinalis eligendus, & habita coniectura probabili, ſtatim fiat ſponſio. 750
An ſit licitus contractus, quo Titius accipit à Caio centum, ea lege, vt Titius reddere teneatur ducenta ſi poſt quinquennium ex Sicilia incolumis redierit, vel vxorem duxerit, vel ſi poſt decennium vixerit, ſin minus amittat centum quæ dederat Titio, & ea ſibi Titius acquirat. eod.

De reſtitutione facienda ratione gabellarũ.

Diſp. XXXIII.

Quid ſit gabella. 751
Quotnam conditiones requirantur, vt gabella ſit iuſta, ac debeatur in conſcientiæ foro. eodem.
Quiſnam poſsit gabellas imponere. 752
An peccent mortaliter, & ſint excommunicati qui in temporalibus ſuperiorem agnoſcentes abſque ſuorum ſuperiorum facultate gabellas imponunt. 753
An qui abſque prædicta authoritate gabellas veteres ſolum augent, incurrant eam excommunicationem. eod.
An antiqua conſuetudo, cuius initij non extat memoria, poſsit conferre alicui ius imponendi gabellas. eod.
An qui præter pedagia, & gabellas, imponunt nouas collectas, ſeu tallias, & alia ſimilia ſint excommunicati in Bulla cœnæ. eod.
An imponentes gabellas quouis modo iniuſtas incurrant hanc excommunicationem. 754.
An qui à ſponte dantibus accipiunt huiuſmodi pedagia, & gabellas iniuſtas ex parte authoris, in excommunicationem cœnæ incidant. eod.
Quæ ſit cauſa legitima imponendi gabellas. eodem.
Quid dicendum ſi Princeps ſua culpa in egeſtatem incidit, verbi gratia, ludis conuiuiis, profuſis largitionibus, bellis iniuſtis, An poſsit tali vrgente neceſsitate gabellas imponere 755

An

An ecclesiastici sint à solutione gabellarum exempti. eod.
Vtrum etiam bona patrimonialia, & alia secularia, quæ ad personas Ecclesiasticas, vel ad Ecclesias deueniunt, sint à solutione gabellarum exempta. 756
Quinam clerici sint, qui à solutione gabellarum excipiuntur. 757
An clerici coniugati sint à gabellis, & tributis Principum secularium exempti. eod.
An clerici negotiatores teneantur soluere gabellas, quas seculares sic negotiando soluerent. eod.
Quisnam dicatur negotiator. eod.
An clericus eo ipso quo negotiatur, statim priuilegium exemptionis amittat. eod.
An qui gabellas exigit à clericis, quæ non sunt prohibitæ exigi à laicis incidat in excommunicationem cœnæ Domini. 758
An clerici teneantur soluere gabellas, quæ imponuntur ob publicam vtilitatem laicis, & Ecclesiasticis communem. eod.
An Clerici comprehendantur eiusmodi statutis. eod.
An in casibus, in quibus aliqua contributio seu collecta imponitur iuridicè clericis à Principe laico, & clerici noluerint soluere compelli debeant per Iudicem secularem, aut ecclesiasticum ad eam soluendam. 759
An gabellæ constitutæ super rebus, quæ ad proprium vsum, vel familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur sint iustæ. eod.
An qui gabellas fraudant, peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur. 760
An iustæ gabellæ, etiamsi non petantur sint in conscientia debitæ. 761
An si transgressores gabellarum deprehensi commissi pœnam soluerint, eo ipso à solutione gabellæ sint immunes. 762
An gabellarum debitor, vbi publicanus relinquit conscientiæ, vel voluntati eius, qui merces transfert, ex quibus gabellam debet, teneatur in conscientia quantitatem mercium significare, solutionemque integram exhibere. eod.
An subditi in conscientia teneantur gabellas soluere, de quarum iustitia à peritis, & prudentibus dubitatur. 763
An minister exigens gabellam iniustam, vel de qua dubitatur an sit iusta, vel iniusta peccet, & ad restitutionem teneatur. 764
An collecta, quam Respublica sibi imponit obliget etiam forenses. 765
Vtrum Christiani in conscientia teneantur soluere gabellas Principibus infidelibus. eodem.
An cessante causa ob quam gabella fuit imposita, cesset quoque obligatio persoluendi illam. eod.
An Princeps cessante omnino causa in specie, vel in genere gabellæ, possit eam exigere titulo præscriptionis. 766
An si Princeps pedagia exigat pro tutandis viis quibus merces transferuntur, teneatur ad restitutionem earum, si ob eius incuriam mercatores damna patiantur. eod.
An Princeps possit aliquos a solutione gabellarum eximere. 767
An qui merces emit à defraudante gabellam iustam, peccet, & ad restitutionem teneatur. eodem.
Vtrum læsus à Principe possit fraudatione gabellæ sibi recompensare. eod.
An gabella sit in foro conscientiæ soluenda ex ipso contractu priuatim facto per verba contrahentium, an vero requiratur publicatio venditionis per instrumentum. 768
An quando statuto debetur gabella ex contractu, debeat etiam solui in casu quo contrahentes facto contractu ante traditionem rei venditæ & solutionem pretij statim ab eo discedunt. eod.
An conductor gabellarum mercatur aliquam remissionem annuæ pensionis, qua gabellam conduxit, si superueniant bella, ob quæ non possunt merces deferri. 769

DE

Digitized by Google

DE VITIO PAVPERTATIS QVO PAVPERTAS RELIGIOSA VIOLATVR, LIBELLVS.

VBI sit paupertas Religiosa. 771
Quidnam sit illud, quod Religiosi promittunt, quando in solemni professione vouent paupertatem. 772
An Religiosus possit aliquo modo habere proprium. cod.
An si quis dum emittit solemnem professionem, intendit dominio se non abdicare, sed retinere, sit valida eius professio. 773
An quispiam possit Religionem profiteri, ea conditione tacita, vel expressa, vt domi suæ maneat, & certam suorum bonorum portionem habeat. cod.
Quo iure solemne votum paupertatis faciat Religiosum incapacem dominij. 774
Vtrum Summus Pontifex possit dispensare in aliquo casu cum Religioso, vt habeat proprium. cod.
An in indiuiduo possit dari causa aliqua legitima, ob quam oporteat authoritate Pontificia votum solemne paupertatis dissolui. 776
An Religiosus Episcopus creatus, eo ipso à voto paupertatis sit absolutus. eodem
Quot modis votum paupertatis à Religiosis, tum superioribus, tum inferioribus violetur. eodem.
An Religiosus peccet, qui dicit, hic liber est meus, hæc tunica est mea. 781
An Moniales, & Religiosi possint licitè habere redditus vitalitios, quos illis parentes, vel consanguinei pro eorum necessitatibus assignant. cod.
An de superioris licentia, iusta aliqua de causa, magnæ vtilitatis, vel necessitatis, liceat ipsi priuato dicta bona possidere. 782
An Religiosus qui habet aliquid de licentia iniusta Prælati, peccet peccato proprietatis. eodem.
An Religiosus qui contra Regulam, aut constitutiones aliquid apud se retinet, etiam si id faciat de superioris licentia, sit proprietarius. 783
An Religiosus sit proprietarius, qui contra suas constitutiones recipit iustum stipendium pro prædicationibus, confessionibus, aut Missis. cod.
An in hoc casu talis Religiosus teneatur sic acceptum restituere. cod.
An Religiosus sit in statu damnationis, qui non vult resignare in manu Prælati id quod à Romano Pontifice dono accepit. cod.
An Religiosus sit proprietarius, qui de licentia superioris habet in cella multa superflua. 784
An huiusmodi Religiosus peccet peccato proprietatis. cod.
An si superior asseueret, se posse huiusmodi licentiam concedere, sit ei fides adhibenda. eodem.
An iudicio superioris stare debeat Religiosus, quod ad mobilium superfluitatem, & conuenientiam. cod.
An Superior iure possit Religioso facultatem facere, vt vtatur rebus pretiosis. 785
An Religiosus contra votum paupertatis peccet, qui pecuniam, vel aliquid ea æstimabile accipit ab extraneis. cod.
An bona Religiosi transeant in Monasterium per professionem. cod.
Cui acquirat Religiosus post professionem. 786
Cuinam Religiosus acquirat id quod ad beneficium Ecclesiasticum promotus extra suum Monasterium ex eius beneficij redditibus acquirit. cod.
Vtrum omnia quæ Religiosus ad beneficium Ecclesiasticum euectus, extra suum Monasterium acquirit, ad beneficium, an vero ad Monasterium pertineant. eod.
Cui acquirat Religiosus, qui summi Pontificis priuilegio est exemptus à potestate Prælati. eodem.
Cui acquirat is Religiosus, qui creatur Episcopus titularis, videlicet qui sedem, & Ecclesiam non habet. 787
Quinam Franciscani de Obseruātia, vt Capucini, qui nihil priuatim, & communiter tanquam proprium possidere possunt, acquirant id, quod donatione, aut eleemosynis acquirunt. cod.
An in rebus vsu consumptibilibus possit vsus à dominio distingui. cod.
An Franciscani de Obseruātia Episcopus creatus

tus acquirat ſuæ Eccleſiæ ea bona, quæ acquirit ex Epiſcopatu. 789
An Religioſus poſt profeſſionem teſtari poſſit etiam ad pias cauſas. eod
An cenſeatur Religioſus teſtari, ſi facit memoriale ſignificans ſuam voluntatem de ſuis bonis, ſibi ad vſum conceſſis, ſic, vel ſic diſtribuendis. 789
An Religioſus Romani Pontificis priuilegio teſtamentum condere poſſit. eod.
An Religioſus poſſit ſibi retinere inuenta. eod.
An Religioſus qui ſine conſenſu Superioris aliquid donat, vel diſpenſat, peccet mortaliter contra votum paupertatis. eod.
A quotenus poſſunt hæc eſculenta, & poculenta ſeu ad deuotionem pertinentia aſcendere. 791
Quoties poterit Religioſus eſculenta hæc, & poculenta donare. eod.
An ſufficiat vna licentia generalis, ſcilicet, quod ſuperior concedat ſuis Religioſis facultatem donandi, quoties habuerint iuſtam cauſam. eod.
An Religioſus auta, & permiſſu Superioris poſſit habere aliquid quod impendat in vſus ſuorum propinquorum & amicorum. 793
An ſi Religioſus parcius vi ſit, reliquum quod ſibi ſubtrahit, poſſit abſque vitio proprietatis in eo, vſus pios conuertere, quos ipſe maluerit. eod.
An religioſus dans, vel accipiens literas, ſine Superioris licentia, ſit proprietarius. eod.
An licentia, quæ vt diximus in caſibus extra Bullam eſt neceſſaria, vt Religioſus poſſit habere, vel facere aliquid, quod ſine illa non liceret, debeat eſſe expreſſa, & ſpecialis, an vero ſufficiat tacita, & generalis. eod.
An Religioſus qui inuito Prælato ſibi appropriat denarium vnum peccet mortaliter. 795
An Religioſus, qui inuito Superiore furripit modicum v. g ſex vncias panis, parum vini &c. quaſi ſingulis diebus peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. eod.
Quid de eo Religioſo qui paulatim, repetitis vicibus ex rebus Monaſterij furripit vnum, vel duos denarios ſine intentione perueniendi ad magnam quantitatem, an cum illam attigit, peccatum mortale committat, cum obligatione reſtituendi. 796
Quid ſi Religioſus fecit multa furtula, & peccauit mortaliter ob id, quia peruenit ad materiam notabilem, an teneatur ſub mortali totam ſummam reſtituere. 797
An ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale furti contra votum paupertatis, quod Religioſus habeat animum furandi, nihil de notabili, aut paruo cogitans. eod.
An ſufficiat ad diſpenſandum aliquid in mediocri quantitate voluntas tacita ſeu præſumpta ſuperioris. eod.
Quænam ſit iſta ſumma, quam poteſt Religioſus expendere de licentia tacita ſuperioris. 798.
An Religioſus ſine licentia expreſſa ſuperioris poſſit aliquid recipere. eod.
Quæ ſumma requiratur, vt Religioſus peccet mortaliter peccato proprietatis, accipiendo, retinendo, aut expendendo ſine licentia Prælati. 799
Quænam quantitas requiratur ad conſtituendum peccatum mortale furti. eod.
An Religioſi ſint in peccato mortali, qui poſt publicationem Concilij Tridentini non agunt vitam communem. 801

FINIS TABVLÆ.

HÆc sunt Candide Lector, quæ mihi circa hanc materiam de restitutione traditam, sentienda, tenenda, & obseruanda censui, ac censeo: saluis per omnia iudicio, & Censura Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, cui me, meaque omnia semper subiicio. Perlege igitur, candido, atque Christiano animo contenta in hoc opere, & si rem votis parem feci, sit super omnia Deus benedictus, sin minus parcat mihi bonitas illa infinita: quod enim pro modulo meo præstare potui, præstiti, & quod longo studio, vigiliis, atque labore comparaui, aliis sincerè, & charitatiuè communicare volui, proinde Deo sit laus, honor, & gloria per infinita sæcula, Amen. Die primo mensis Iulij 1618. ætatis autem meæ quinquagesimo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google